OPERVM

THEOLOGICORVM

D. HIERONYMI ZANCHII,

Tomus Tertius,

DE OPERIBVS DEI INTRA

SPATIVM SEX DIERVM CREATIS.

OPVS TRES IN PARTES DISTINCTVM.

I. Περὶ τῶν ἀοράτων, *hoc eſt, de rebus inuiſibilibus.*

II. Περὶ τῶν ὁρατῶν, *id eſt, de rebus viſibilibus.*

III. Περὶ τοῦ ἀνθρώπου ὁρατοῦ τε καὶ ἀοράτου, *déque aliis ad eum pertinentibus, ad lapſum vſque: cóque & de humano connubio ad finem vſque mundi duraturo.*

BONAVENTVRÆ

ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, D. IOANNI CASIMIRO, PALATINO RHENI, DVCI BAVARIÆ, &c.

AC

ILLVSTRISS. ET GENEROSISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. FRIDERICO, PALATINO RHENI, DVCI BAVARIAE, ELECTORALIS PALATINVS HAEREDI, &c.

Dominis & Patronis noſtris clementiſſimis.

CVM vniuerſa ſalus ac felicitas hominis in eo conſiſtat, Illuſtr. ac Clementiſſ. Principes, vt Deo Opt. Max. creatori ſuo, à quo voluntariâ malitiâ, & apoſtaſiâ nefariâ ſeſe quàm longiſſimè disiunxerat, ac in æternæ condẽnationis barathrũ præcipitauerat, denuò coniungatur & recõcilietur, ac illius verè αὐτοαγαθοῦ, ſummíve boni cõmunione, diuiniſq; ac cœleſtibus theſauris potiatur: id quod tum ſapientiſſimè gentilium olim, ex naturæ lumine, in tanta mentis humanę cæcitate parumper adhuc coruſcante, deprehenderunt, tũ verò nos ſummus, & ſolus ille, veritatis magiſter, ſeruator ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus clariſſimè docuit, exclamans Ioh. 17. v. 3. Hęc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ verum Deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ: haud immeritò certè ſua ſtudia, conatus, cogitationes, & omnẽ ingenij vim eò contulerunt & direxerunt optimi & præſtantiſſimi quique, ac quotquot omninò nonnullã ſuæ ſalutis rationem habuerunt, vt viã inueſtigarẽt, & inuenirent, qua tandem ad ſummũ illud & optimũ Ens, à quo turpiter diſceſſerant miſeri mortales, redire, ac exoptata beatitudine frui poſſent. In qua perutili ſanè, imò pernece ſſaria diſquiſitione omnes illi, qui extra Eccleſię pomœria degentes, in viis ſuis ambulabant, multũ quidem laborẽ, ſed irritum poſuerunt: cũ & metę & itineris ignari, incertiq; prorſus, & vagi, huc illuc oberrarẽt, & nec ipſi, qua inſiſterent, vel tandẽ conſiſterent, viã reperirent, & alios, ipſorũ ductũ ſecutos in auia, vel potiùs pręcipitia, hoc eſt, in pręſentiſſimũ exitiũ ſecum abducerent. At ei ſoli populo, quẽ ſibi Deus peculiarẽ iam inde à principio ſelegerat, ſemita recta & cõpendiaria, quę in Dei notitiã perduceret, cognita & perſpecta fuit: quod ipſum ſolius numinis bonitati acceptũ referendũ eſt. Cùm enim Deum nemo viderit vnquã, vel ad ipſum penetrare poſſet, vt qui lucẽ habitat inacceſſam: ipſe ex mera gratia & φιλανθρωπίᾳ ſeſe nobis duobus modis patefecit, ac ſe tũ operibus à ſe factis, tum verbo ſcripto cognoſcendũ exhibuit. Atq; hoc tum infinita ſacroſancti verbi diuini oracula, tum in primis luculentus ille, ac inter cæteros eximius Pſalmus 19. teſtatur & docet: in quo Diuinus Propheta nobis duplicẽ iſtam viam cognitionis Dei egregiè proponit & exponit: ac primùm quidẽ in operum diuinorum laudes erumpit, inquiens: Cœli enarrant gloriã Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eloquitur ſermonem, & nox nocti indicat ſcientiam, &c. Poſtea verò in Legis, hoc eſt, verbi ſeu Doctrinæ ſacræ commendationem ampliſſimã digreditur, verſ. 8. Lex Domini immaculata, conuertens animam: teſtimoniũ Iehouæ fidele, ſapientem efficiens paruulum. Præcepta Iehouæ recta, lætificantia cor: præceptum Iehouæ purum, illuminans oculos, &c.

Hi ſunt diuini illi libri, iiq; duûm generum, in quibus Deus Opt. Max. nos alloqui dignatus eſt, déq; ſua tum æterna eſſentia, perfectiſſimáq; natura, tum optima voluntate, ſummóq; erga nos amore, certiores facere voluit: quorum vnum Librum Creaturarum ſeu Operum: alterum ſacrarum literarum, ſeu verbi Dei, poſſumus appellare. Quos ſi paulùm comparare libeat, videas eos, tametſi diuerſos, egregiè tamen id, de quo quęritur, pręſtare, ſiue in finem illũ, cognitionis Dei, ac beatitudinis noſtrę conſpirare. Si tempus reſpicias, ille prior & antiquior, hic poſterior longè & recentior eſt, ſed nihilo tamen inferior: imò perfectione, perſpicuitate, dignitate præſtantior. Nam ille quidẽ iam inde à primis Mundi incunabulis, parentibus humani generis modò conditis, ſtatim ob oculos conſtitutus, ac deinceps omnibus omnium ſeculorum, ætatum, gentium & locorum hominibus ſpectandus, vel accuratè potius contẽplandus, eſt exhibitus, adeò vt in quorumcunq; mortalium oculos, vbiuis locorum, ſe nunquam non ingerat. Nec enim eſt ſermo (vt ibidem v. 4. canit regius vates) nec ſunt verba, vbi non audiatur vox eorum: In omnem terram exiuit lingua eorum, & in extremum orbis eloquia eorum: nimirũ Operum Dei, de quibus loquitur, & affirmat, quòd nulla ſit regio mutorum iſtorum magiſtrorum expers, nulli ſint populi, quantumuis ἑτερόγλωττοι, vel infinitis idiomatis diſcreti, quibus pręcones iſti magnificam Dei vim, non quotidie clariſſima voce loquantur & enuncient.

At verò liber alter, ſacrã ſcripturam puta, poſt duas annorũ chiliadas, eóq; amplius à primordio Mundi, Dei iuſſu, per Moſen primũ ſcribi cœptus, nec vlli populo, niſi Iſraëlitico, pręlectus ac propoſitus fuit. Huic ſingularis iſte honos, ſummúmq; certiſſimarũ patefactionũ beneficiũ tributũ eſt: quod & alibi paſſim, & Deut. 4. 6. 7. Moſes ſic extollit. Obſeruate & facite ſtatuta, quę pręcepit Iehoua: nã hęc eſt ſapiẽtia veſtra, & prudentia ante oculos populorũ, qui audiẽtes omnia ſtatuta iſta, dicẽt: tantũ gens iſta maxima populus ſapiens eſt & prudẽs. Nã quę eſt gẽs maxima, cui Deus ita propinquus eſt, ſicut Iehoua Deus noſter? Et v. 32. Interroga nunc à tẽporibus priſcis, quę fuerunt ante te, inde ab eo die, quo creauit Deus hominẽ ſuper terrã, ab vna extremitate cœli vſq; ad alteram: nũ facta fuerit res eiuſmodi maxima, aut nũ audita fuerit ſimilis ei: nũ audierit vllus populus vocẽ Dei loquẽtis è medio ignis, vt tu audiſti, &c. Succedẽtibus verò tẽporib. codex iſte per Prophetas, deniq; per Apoſtolos, exhibiti Meſſię pręcones, auctus, illuſtratus, omnibúſq; numeris perfectiſſimus, gẽtib. quoq;, prius ab Iſraëlis Repub. alienis, cõmunicatus, & traditus eſt, vt eę quoq; Dei erga ſe, tũ demùm in gratuitũ illud fœdus, cũ Abrahã & poſteris eius initum, cooptatæ, beneuolentiam cognoſcerent, legitimum eique placentem cultum perdiſcerent, ac ad veram Eccleſiam ſeſe adiungerent.

Rurſum alter ille liber Operum, mutis ſignis, variis notis, pulcerrimis figuris, & innumeris characteribus conſtat, quæ nobis ſublimem Dei maieſtatem quadantenus adumbrant, ac eius contemplationi ſeruiunt, ſed mancam duntaxat & confuſam quandam ſcientiam generant: ad ſalutem ſufficienter & plenè non erudiunt: quę noſtra eſt, in rebus præcipuè diuinis, hebetudo, ſtupiditas, infelicitas & corruptio. Hic verò diſertis literis, ac planis verbis conſcriptus eſt, ac perſpicuam expreſſæ diuinæ voluntatis ſignificationẽ, & tabulas illas fœderis continet, quibus benigniſſimus Pater nos de ſumma ſua, incredibili, & omni exemplo carente, dilectione erga nos perditos, déq; noſtri per Filium ſuum redemptione, iuſtificatione, ſecutura glorificatione ac vita æterna certiores reddit: quo nomine ſcripturæ iſtæ tantò maiori in pretio à nobis habendæ, imò omnibus theſauris anteferendæ, tanquam κειμήλιον inæſtimabile, ſoli Eccleſiæ cœlitus donatum: denique nocturna diurnáq; manu verſandæ, & imo pectore recondendæ ſunt. Interim iſta qualiſcunque differentia, librorum conſenſionem minimè tollit: Siquidem ambo ab vno Deo confecti & perfecti, ſalutíque noſtræ deſtinati, ac beneuolo conſilio nobis ad beatam illam vitam, in vera Dei cognitione poſitam, conſequendam traditi fuerunt: vt meritò liceat inferre, vtrumque hunc librum, ſicut ab eodem autore profectus eſt, ſic ad eundem tendere, remittere, ac in eius notitiam ſalutarem perducere.

Ac de ſacra ſcriptura quidẽ, cùm res penè careat cõtrouerſia, non eſt cur hîc multa verba faciamus. Quis. n. eſt inter eos, qui Chriſti nomen profitentur (atheos enim, Epicuri de grege porcos, aut Diagoras quoſpiã nihil moramur)

quin veteris & noui Teſtamenti volumen, tanquam θεόπνευστον, amplectendum indicet, & fateatur, eo cognitionem Dei, ſaluriſq; noſtræ rationē contineri: quippe in hunc vſum conſcripto: vt clariſſimè docetur Ioh. 20. 31. Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, Ieſum eſſe Chriſtū filium Dei, & vt credentes vitā habeatis per nomen eius, & 1. Ioh. 1. 3. Hoc annunciamus vobis, vt & vos cōmunionem habeatis nobiſcum, & communio noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. Vetus vtiq; Teſtamentum à Iudæis pro libro diuinorum oraculorum citra controuerſiam recipitur: quin nec à Mahumetiſtis, nec à quibuſdā aliis gentibus planè reiicitur; vt dubiū non ſit, quin ſacris his libris, ſe Deus patefecerit, ac quid de ſe credi, de voluntate ſua ſtatui, à nobis præſtari velit, ad ſalutem noſtram pleniſſimè reuelarit.

Verùm enimverò idem ille Deus Opt. Max. cum æterna ſua ſapientia, & virtute infinita, ſeſe præterea in ampliſſimo hoc Mundo, tanquam luciditſimo ſpeculo, conſpiciendum & cognoſcendum exhibuit, etiamnum exhibet, ac porrò, quoad hæc machina ſtabit, vniuerſis exhibebit: de quo argumento vt nonnihil dicamus, videtur operis huius inſtitutique noſtri ratio propè ſuo iure flagitare. Mundum igitur iſtum, & quaſcunque res creatas ille continet, ſi perluſtremus, in duplicem vſum ab optimo & venerando numine conditum fuiſſe intelligemus: quorum vnus Phyſicus ſeu naturalis, alter Metaphyſicus ſeu diuinus appellari queat. Phyſicum dico, qui ad vitam hanc externam, caducam, & animalem ſpectat; Metaphyſicū, qui ad religioſam ſeu ſpiritualem & contemplatiuam, diuinam & Chriſtianam vitam refertur. Priorem vſum ſi reſpiciamus, Mundus non erit ille liber, quem dicimus, ſed ampliſſimum domicilium ac penu refertiſſimum omni commeatu; multiplici ſanè, pulcerrima, commodiſſimáque ſupellectile inſtructiſſimum: tum animantibus pabulum ſuppeditans, tum homini cumprimis, alendo, eiúſque vitæ commodè ſuſtentandæ ac tranſigendæ, ab opifice paratum.

Alter autem, & poſterior vſus tantò præſtantior eſt, & nobilior, quantò potior eſt animus corpore, quantò terrenis cœleſtia, caducis ſempiterna præcellunt, quantò denique propiùs ad Dei naturam accedit. Hoc enim reſpectu, volumen illud eſt, de quo loquimur, idque apertum & explicatum, variis, imò innumeris, ſpecioſiſſimiſq; figuris, veréq; diuinis, ac (vt Ægyptij olim vocabant) hieroglyphicis literis conſtans, ex quibus notis magno iſti monumento diuinitùs inciſis, impreſsiſque, vnū eſſe rerū vniuerſarum conditorem; quis item ille qualiſq; ſit; qua voluntate; quid noſtri erga ipſum officij; ad felicē vitā conſequendā; luculenter doceamur. Quis enim hominū, niſi prorſus & oculis & mente captus, ex attenta formoſiſſimi & ampliſſimi Mundi, & ſingulorum, quæ in eo exiſtunt, ac quotidie generātur, conſideratione, imò vel leui intuitu, non intelligat & ſecum ipſe ſtatuat, vnū aliquem, eúmq; præpotentē, infinitum, æternum, optimum, iſtius fabricæ, rerúmq; omnium architectum & monarcham eſſe, à quo autore Eſſe ſuū habeant, à quo pendeant, ſuſtententur, regantur, ad ſuum quodq; finem perducantur: inprimis autem homo, corpus & animam, vitam ac rationem acceperit: ac proinde nobis eum animo ſincero, corde toto, cultu conuenienti & honōre perenni colendum, adorandum & celebrandum eſſe, firmiſſima profectò conſecutione, non intus concludat, nō foris teſtetur, & voce fateatur? Gentiles certè, qui tamen altero illo ſacrarum literarum libro caruerunt, ex hoc vno Deum, & quæ de Deo, humano ingenio & induſtria poſſunt cognoſci, cognouiſſe, tum ipſorum monumenta teſtificantur, tum verò D. Paulus Rom. 1. 19. Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim ipſis manifeſtum fecit. Cui particulari exemplo ſubiungit vniuerſalem regulam, & propoſitionem: Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellectu conſpici, ſempiternam nimirum eius virtutem, ac diuinitatem. Quin eoſdem accuſat grauiſſimè, quòd, cùm Deum ex operibus mundi cognouiſſent, tamen vt Deum non glorificarint, nec gratias ei egerint, ſed vani facti ſint in ratiocinationibus ſuis: vbi clariſſimè docet, ex attenta rerum conditarū conſideratione Deum ab hominibus, iis quoque, qui verbo ſcripto deſtituuntur, ita tum cognoſci poſſe, eum celebrari debere, vt ſi nec agnoſcant, nec agnitum glorificent, excuſari nullo pacto queant. Quem enim colorem, quem prætextum officij neglecti proferant? cùm tanta potentia, tanta ſapientia, tanta bonitas, quid denique non diuinum in ampliſſimo & ornatiſſimo iſto theatro luculentiſſimè & perpetuò reſplendeat, ac vel barbarorum vt oculis, ſic animis ſeſe inſinuet, vt vel inuitis hanc confeſſionem extorqueat, hæc eximia bona & verè diuina munera non niſi ab eo manare & exiſtere potuiſſe, quo nihil potentius eſſe, nihil ſapientius cogitari, nihil melius inueniri queat. Hunc verò populi & gentes omnes vno ore Deum appellare ſoliti ſunt. Iam tale Numen quis amandum, ſuſpiciendum, adorandum, & ab homine toto, quantuſcunque eſt, colendum eſſe, inficiari vel dubitare auſit?

Sed cùm iſta materia meditationem accuratiorem operoſioremq; mereatur: agite pauliſper ad ſpecialiora digrediamur, & ſingula penitiùs rimemur. Hic verò duę ſtatim vię nobis patent, quibus ad propoſitam metā pergamus. Dei enim naturam & attributa ſeu proprietates, duplici ratione ſpectare, ac in opificio Mundi, ceu magno & aperto libro quodammodo legere & intelligere licet. Vna quidem eſt, ſi mirabilia Dei opera, ſigillatim & ordine recenſeamus, diligenter intueamur, ſolicitè ac reuerenter contemplèmur: ab imis ad ſuperiora aſcendendo, tum oculos in cœlū, tum mentes ad cœli conditorem eleuemus, ac quorumuis materia, forma, & vſu percepto, ad ſuum autoré, cauſam principem, efficientem ac mouentem, ea referamus, & ex his typis vel ſimulachris, archetypon, excellentē illam Dei maieſtatem, agnoſcamus & pectori pio quaſi imprimamus. Quo inſtituto num aliud homine dignius arbitrere? An ſuauius, an honeſtius quid imagineris, quàm, quæ Deus optimus condidit optima, qualia ſunt omnia, eorū meditatione occupari, cœleſtium terreſtriumq; rerum ſubſtantias, naturas, qualitates, effecta, fines ac vſus tenere? Sed nec altera via planè deſerenda videtur, eruditis inprimis, vt ſi quæ olim à Philoſophis, Aſtronomis, Phyſicis, humanæ ſapientiæ deditis, quam illi non malè diuinarum humanarúmque rerum ſcientiam definiebant, ex αὐτοψίᾳ ſeu intuitu rerum naturalium, experientiáque, magno ſtudio & labore, ac ſingulari quadam ἀγχινοίᾳ mentiſque ſagacitate, animaduerſa, eruta, verè pronunciata, & in monumenta relata fuerunt, ea quoq; ſolerter comportemus, piè perpendamus, ad Lydium verbi diuini lapidem exigamus: quæque ad eius amuſſim congruere videamus: ea veritati religionis Chriſtianæ firmandæ, impiorum autem audaciæ confutandæ, prudenter accommodemus, & ſic, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, vt Auguſtini verbis vtamur, in vſum noſtrum, eúmque ſanctiſſimum, vindicemus.

Ad priorem rationē quod attinet, ampliſſimus ſanè dicendi campus ſe offert: ſed, ne lectori tædium obrepat, ſumma faſtigia percurremus. Tota rerum vniuerſitas, ſeu mundi machina in duas ſecatur partes, omnium conſentientibus ſuffragiis: in Cœleſtem, & Sublunarem, ſiue, vt in ſcholis loquimur, Ætheream, & Elementarem regionem. Hæc, vt inferior & nobis propior, ſic notior & magis obuia, multiplicē & infinitā Dei vim quàm eximiè nobis ſiſtit & repræſentat? Quod qui non aduertit, eum tam ratione quàm ſenſu deſtitutum, ac ipſa vita indigniſſimum eſſe, non ego dubitem aſſeuerare. Nā elementaris iſta regio, quàm multas rerum ſpecies, quàm diuerſa genera eſſentiarum continet? Ex elementis, & quæ ex varia horum miſcella proueniunt & oriuntur, corporibus, ſiue animata ſint ea, ſiue inanima, compacta & coagmentata eſt, hominibus hoſpitiū, animantibus cæteris habitaculū, cunctis viuentibus, quotquot ſpiritum ducunt & aluntur, ac vitæ expertibus, receptaculum præbens. Elementa primùm ipſa,

terra,

terra, aqua, aër, ignis, corpora ſimpliciſſima, quàm latè patent? Et quid habent prẹter τὸ εἶναι? Iis tamen omnia viuentia vtuntur & ſuſtinentur: ea ſtirpibus, & plantis, quæ viuunt duntaxat: animalibus, quæ ſenſus etiam & motus facultate pollent: hominibus denique, præter vitam, ſenſum, motum, ratione & intelligentia prẹditis, ſeruiunt, alimentum, humorem, calorem & vitalem virtutem ſubminiſtrant. Iam ordine quàm pulcro ſunt ea diſtincta? Quàm ſuauis & conueniens eſt elementorum, alioquin inter ſe pugnantium, in toto vniuerſo, & ſingulis eius partibus harmonia? Sanè quidem arbitrum aliquem præfuiſſe neceſſe eſt, qui ſuum cuique locum & portionem aſſignarit, qui bellum inteſtinum ſuſtulerit, pacem hoſtibus indixerit, concordiam denique perpetuam ſanxerit.

Sed terram intuere, quæ tibi nunquam non in oculis, ſæpe, plus quàm oporteat eſt, in animo, nullibi non occurrit, mater, nutrix, & ſedes noſtra, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, & omne genus animantium, veluti ſinu, fouet. Quàm eſt admirabili ſitu? quàm mira arte ab opifice conſtructa? in montes, colles, valles, ſyluas, & planitiem diſtributa, fontibus, aquis, fluminibus irrigua, vaſtiſſimo deniq; Oceano circumflua? Exigua quidem illa, & ambitu anguſtô,ætheri comparata: ſed noſtri reſpectu quanta moles? quàm ampla, grauis, & ponderoſa? Tamen in meditullio mundi ſita in aëre tota pendet, & in nullo ponit veſtigia fundo: conſiſtit ſeu quieſcit immobilis, pondere librata ſuo, nec alio fulcro firmata ſuſtentatáque, æquabiliter vndiquaque diſtans ab æthere & orbe Lunari. Quid hic ingenium & ratio tua, valeat indagando & conando? Nam quæ de axe, totum Mundum per medium tranſeunte, & quaſi fulciente tradunt Aſtronomi, νοητά ſunt, non ὄντα: res imaginatione conceptæ, non reuera ſubſiſtentes, aut à Deo creatæ. Nempe igitur à ſolius Dei nutu & verbo tam immenſum pondus ſuſtinetur. Iam quis eandem terram, aridam effecit, aquis in eundê globum coactis, & vel in atra caua, valles, & ſinus intimos reductis, vel in alueos quoſdam & æquora lata infuſis, & tanquam in ergaſtulum concluſis, vt animantibus habitationis commodæ loca relinquerent, & ſponte concederent? Quæ verba ſapientiſſimo huic inſtituto enarrando ſufficiant? Cùm maria totam terram, vndique circunfuſa ſecundùm naturæ ordinem, vt leuiora, quouis momento operirent, & eius faciem contegerent? Quis vel hinc non intelligat, aliquid eſſe toto vniuerſo maius, cuius iuſſu terrenus orbis exſiccatus, & ab humore ſecretus, vſuiq; mortalium conſecratus ſit? cuius virtute, ductis veluti ſulcis, & effoſſis vallibus, in eas ciuitates & ſpecus maria ſint reuocata & immiſſa? cuius autoritate & prouidentia furor eorum etiámnum compeſcatur, immanitas fluctuum frenetur, vt ne limites excedant, vel vltrà litora prorumpant, ſed in tenui arena frangantur, atque ita maria negotiationibus exercendis, & nauigationibus in longè diſſitas prouincias ſeruiant, eáque ratione cuiuſque regionis commoda, pluribus populis efficiant communia: Horum operum gloriam Iehouæ Deo noſtro feramus acceptam, vt qui ſibi ſoli eam meritò vendicat, ſicut cùm alibi, tum Iobi cap. 38. legere eſt, vbi ſuam potentiam & ſapientiam ipſus his verbis prædicat: Ego oſtiis ſuis concluſi mare: ego clauſtra & vectes circundedi. Ego dixi; Hucuſque progredere, hîc rumpantur tumentes fluctus tui, &c.

Sed quid multis? Tanta florum & omnis generis fructuum copia, quantam tellus quotannis fundit: imò perennis & inexhauſtus innumerabilium bonorum theſaurus, quem vilis hæc & rudis, quàm pedibus calcamus, terra, partim ſponte, partim à nobis culta, & ad noſtrum placitum conſita, toti humano generi largiter ac vbertim profert, ad vitam & tolerandam, & verò etiam oblectandam, vndenam, obſecro, ſuam trahit originem: vnde ſuum ducit initium? Num vnà cum terra, ex commentitio Poëtarum chao profluxit, & caſu quodam ita confluxit? vtrum ab atomis neſcio quibus, quales inſani illi moroſophi, Democritus, Leucippus, Epicurus, finxère, an à lite vel amicitia Empedoclis, ac fortuito quodam & temerario cauſarum elementorúmque aquæ, aëris, caloriſque cœleſtis cum terra congredientium concurſu? Minimè gentium: procul iſtæ nugæ faceſſant. Sapientiſſimè fiunt iſthæc omnia, quæ commemorauimus, ac ſuis quæque & ſtatis temporibus, certóque nec deficienti ordine generantur, cui cæca, vaga, volubilis, & inconſtans fortuna, caſus incertus & varius, ex diametro repugnant: vnde ſaniores etiam Philoſophi fortunam iſtam penitus exploſerunt, quã, Cicerone teſte, cæcitas, error, & ignorantia rerũ atque cauſarum induxit. Ad eum igitur, tum illa, tum quæcunque in hoc inferiori orbe naſcuntur, & geruntur, nos ablegant, qui prior & antiquior omni tempore, princeps cauſarum cæterarum cauſa, rerum ſingularum, antè non exiſtentium, autor & νομοθέτης eſt; ad Deum, inquam, potentiſſimum, ſapientiſſimum, optimum, & noſtri amantiſſimum.

Verùm è terra, ſi lubet, aſcendamus in cœlum. Ibi enim illuſtriores exſtant imagines diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis & erga nos amoris: vt non immeritò, quod de terrenis elementis, omnibúſque rebus apud nos exiſtentibus verè dici poterat, illud de cœlis duntaxat & firmamento, κατ' ἐξοχὴν aſſeuerare voluerit Pſaltes, diuinus vates; Cœli enarrant gloriam Dei: quòd hi nimirum exhibeant eximium quoddam ceu ἄγαλμα, ſimulacrum, & viuam picturam gloriæ Dei, quódque nos in admirationem & honorem ipſius meritò rapiant & concitent. Primùm enim ſi ſubſtantiam ſpectes, iſta ſuperiora corpora, haud perinde, vt ſublunaria, mutabilia ſunt, feculenta, fluxa, caduca, continuáque viciſſitudine, reciprocóve, tanquam Euripi, fluxu, naſcentia & pereuntia: ſed qualia primùm condita ſunt, talia ad hodiernum vſque diem nulla materiæ imminutione, virium debilitatione, vel amiſſione qualitatum facta, durant, eadémque perſeuerant; id quod Peripateticis occaſionem præbuit, quintam quandam & ſempiternam eſſentiam, ab elementorum οὐσίᾳ longiſſimè diſcretam, inuehendi.

Vnde verò materiæ iſtius ſimpliciſſimæ, nullis alterationibus & perpeſſionibus obnoxiæ, perpetuitas, ſiue conſtantia firmiſſima? Certè ab æterno illo & immutabili, qui ſemper Erat, Eſt & Erit idem: qui hoc argumento fidem ſuam ἄψευστον, & conſtantiam confirmat, teſte Pſalm. 89. v. 3. In cœlis firmaſti veritatem tuam, &c. Sin figuram cœli, aliáque accidentia reſpicias, nónne pulcerrimum, nitidiſſimum, ac pellucidum diuinæ ſapientiæ, potentiæque ſpeculum vides? Expanſio latiſſima, aſpectui lætiſſima & ornatiſſima, pluribus orbibus diſtincta, infinitis ſtellis, tanquam emblematis, cælata, & variegata: magnitudo tanta ætheris, vt vna hæc terræ pelagíque ſphæra centri duntaxat, & puncti rationem ad eum habeat: ſiderum ſplendor & poſitus admirabilis: virtus in hæc inferiora imperueſtigabilis, diuinum conditoris artificium ita produnt, oculiſque ſubiiciunt, vt ſatis admirari contemplaríque nequeamus. Inprimis motum cœli, celerrimum vtique, & rapidiſſimum, quis non animaduertat? quo tãtum ambitum intra diei ſpatium conficit, vniuerſum orbem obit, ſphæras inferiores, quæque his contigua ſunt corpora, vehementiſſimè ſecum abripit: & circa terram in gyrum continuò voluitur & reuoluitur. Vnde diuturnus iſte & vniformis motus, non coactus, violentus, laborioſus? Et quis præter ordinarium iſtum & diurnum, diuerſos, imò aduerſos motus orbibus illis, ac planetis indidit, qui tamen & ipſi vnam & eandem orbitam, ἄνευ ἀνωμαλίας ſeruant ac ſequuntur. Non vtique caſus, non Peripateticorum intelligentiæ ſic iſta rotant & cient, ſed ſummus ille Monarcha, qui finxit, ac diſpoſuit, qui ſtellis nomina impoſuit, & earum numerum ſupputat, qui Soli domicilium ampliſſimum præparauit, vnde tanquam ſponſus, egrediens de thalamo ſuo, gaudet, vt potens ad currendam viam; ab extimo cœlorum egreſſio eius, & reuolútio eius vſque ad extrema eorum: qui terram immobilem ſtare iuſſit,

vtut indices ſuis quibuſdam partibus mutetur : idē ille cœlū perpetuo curſu agi & moueri voluit, vtut alioqui plurimis iam ſeculis incorruptibile perſiſtat : is hanc ei agilitatem & pernicitatem attribuit, idque ſummo noſtro commodo, Iob.38. Pſal.19.& 104.& 136.& 147. Currentia enim ſidera,& luce ſua mundum illuſtrant vniuerſum & temporum diſcrimina efficiunt,& gratas viciſſitudines ad hominum vſum inducunt. Vel ipſæ diei & noctis vices quantam hominibus & vtilitatem & voluptatem afferunt! Illa ad opus inuitat,hæc ſuaui ſomno demulcet. Quatuor anni horæ quàm aptè ſunt diſtributæ? Nec enim extremè frigidam hyemem ſequitur continuò ſummè calida æſtas, ſed ver,quod caloris & frigoris temperaturam habet,ne quid detrimenti ex ſubita mutatione caperemus. Hæc & alia id genus infinita ſi perpendemus,confeſtim exclamabimus cum Dauide: Cùm video cœlos tuos,opus digitorum tuorum,lunam & ſtellas,quas præparaſti. (dico) Quid eſt homo, quòd recorderis eius, & filius hominis,quòd viſites eum? &c. Pſal.8. Cuius exemplo grande Dei nomen,& gloriam incomprehenſibilem in cœlis,eorúmque ornatu inprimis emicantem, grata voce prædicemus.

Sed quis ſingula vel in terris,vel in cœlis percenſeat? Sunt enim infinita numero,dignitate præſtantiſſima. Hominem adeamus,& inſpiciamus,vt qui vel ſolus egregiè Deum doceat,ad cuius imaginem factus dicitur: eò quod ſingulari modo ſimilitudinē eius referat, cùm anima,tū aliis quoq; dotibus. Nā & anima hominis eſt ſpiritus ſimplex & immaterialis,inuiſibilis,immortalis,intelligēs,& liberè volēs,ac corpus ſuſtentans & regens: qualis Deus eſt, Mūdi rector: & eius tres ſunt potentiæ ſeu facultates,vnius eſſentiæ diuinæ, triumq; perſonarum qualiſcunque pictura vel effigies. Quam eximiæ verò dotes ei collatæ ſunt? Sapientia mentis, iuſtitia & rectitudo voluntatis, imperium in bruta,& opera cætera: quibus hominem Deo ſimilem eſſe,ſapienti,iuſto,imperatori ſummo,vel Plato agnouit.

Verùm iſtud de imagine Dei forſan alienum à ſcopo noſtro videbitur: quippe ex ſacris literis arceſſitum. Age igitur,tu,quiſquis es hominum,quoties effigiem hominis intueris,nónne ſubit animum opificis alicuius cogitatio? eiúſque vini,& ſapientis,qui ſingularem artem & prudentiam ſummam in hominis ſtructura demonſtrarit? Senſus ei tribuit,qui res ſenſiles omnes perciperent; loquendi facultatem dedit,vt politicum agere,& ciuili ſocietati prodeſſe poſſet; intellectum denique conceſſit. At quantum iſtud bonum? Quæ tanta poſſit exiſtere vbertas ingenij,quæ tanta dicendi copia,quod tam diuinum & incredibile genus orationis, quod non dicam reliqua, ſed vel hoc vnum Rationis,vel alterum iſtud Orationis beneficium,pro dignitate poſſit enarrare? Hæc enim duo munera,ſingulari Numinis benignitate, nobis tributa ſunt, quæ & incredibilem eius in nos amorem, & dignitatem noſtram commendant,ac longè ſupra reliquorum animantium conditionem nos extollunt. Rationis enim adminiculo cauſas & principia rerum videmus, præteritorum recordamur, conſequentia cernimus, præſentibus futura connectimus, nobis proſpicimus: Orationis auxilio cogitationes & animi ſenſa expromimus & exprimimus,ac cum aliis de neceſſariis & vtilibus materiis conferimus, ac communicamus. Vnde verò iſtud? Ars quidem imitatrix naturæ ſonum quempiam & concentum auditoribus gratum & admirabilem efficiat: Vocem autem articularem nunquam efficere poſſit? Solius igitur architecti ſapientiſſimi Oratio opus eſt: Multò verò magis Ratio,quæ ſanè radius quidam eſt lucis & intellectus diuini,quo etiam ea,quæ longè ſupra ſenſus poſita ſunt, intelligibilia apprehendere, adeóque ad eum penetrare poſſit, à quo vis omnis intelligendi manauit, quique noſtro intellectu longè ſuperior ſolus ſingula, nobis etiam abſcondita, pleniſſimè cognoſcit. Quin & iſtius corporis fabrica nobis Deum oſtendit, qui quam optimè mortalibus proſpexerit. Cùm enim animantia cætera ad paſtum abieciſſet, ſolum hominem apta & excelſa figura creauit, & ad cœli conſpectum excitauit. Quod eleganter obſeruauit Poëta:

Pronáque cùm ſpectent animantia cætera terras,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Manus verò quàm & ſpecie pulcræ & vtilitate magnæ? quàm multarum artium miniſtræ ſunt? earum ope quid humana induſtria intentatū relinquit? quid nō molitur? quid non perficit? Vnde Deus ipſe in Scriptura ſibi μεταφορικῶς manus attribuit, ad παντοκρατορικὴν δύναμιν ſuā, qua potenter omnia agit, adumbrandam. De reliquorū membrorum ſtructura quid dicam? quæ tam affabrè facta eſt,vt Galenum, ſatis alioqui profanū,& Moſi noſtro iniquum, ad encomium & celebrationem Dei,propè reluctantem adegerit,poſteaquam ſingularum partium ſeriem & vſum explanaſſet: vt inprimis lib.17.de vſu part.legere licet. Verùm aliis quoque gentilibus,hæc operum Dei meditatio laudes opificis extorſit: quorum inſignes de iſto argumento ſententiæ,dicta pietatis & virtutis pleniſſima,pronuntiata ſapientiſſima, magno numero congeri à nobis poſſent, niſi præfationis modum excederent. Anaxagoras certè (libet enim vnam & alteram delibare, vel digito potiùs intendere) ſic de rebus naturalibus infert:

Νοῦς ἐστιν, ὁ διακοσμῶν τε, καὶ πάντων αἴτιος: Id eſt,
Mens (Deum intelligit) *eſt, quæ diſponit & efficit omnia.*

Quem ſecutus Socrates,optimus Philoſophorum,& ſapientiſſimus iudicatus,quàm bellè de his diſſeruit,vel Xenophonte lib.1.ἀπομνημονευμάτων teſte: vbi exclamat,æthera,adeóque ὅλον τὸ πᾶν σοφοῦ τινος, καὶ φιλοζώου δημιουργοῦ εἶναι τέχνημα. Sicut Euripides quoque καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ nuncupauit.

Plato copioſus inprimis,& multus in hoc genere,præclarè ſanè in Timæo & palàm oſtendit,omnem Mundi ordinem & diſpoſitionem ὑπὸ τῆς δημιουργικῆς ἀγαθότητος prouenire: & inter alia ſic inquit; interprete Cicerone: Quæramus igitur cauſam,quæ eum impulerit,qui hæc machinatus ſit,vt originem rerum,& molitionem nouam quæreret. Probitate videlicet præſtabat. Probus autem inuidet nemini. Itaque omnia ſibi ſimilia generauit: hęc nimirum gignendi Mundi cauſa iuſtiſſima. Quem locum citat & probat Auguſt.lib.11.de Ciuit.Dei,c.21. Idem alibi, confirmat,gratam de Deo famam in aſtris & aſtrorum doctrina ſparſam eſſe: Hominibus item oculos præcipuè datos videndi cœli cauſa: ſeu potius (vt ſcitè corrigit Lactantius) opificis cœlorum contemplandi gratia.

Quid quòd Ariſtoteles acutis & accuratis demonſtrationibus lib.8. phyſic. acroaſeos, libris item de Cœlo & Mundo,nos ab inferioribus hiſce,ad ſuperiorem & primam cauſam,ſingula mouentem ac ſuſtentantem,id eſt, Deū, deducit, ac infert? Seruator reuera, idémque genitor eſt eorum, quæ in hac rerum vniuerſitate ſunt aut fiunt omnium. Præterea iam Stoicor,quorū certè dictum, Omnia in natura naſci propter homines, homines autem propter Deum, bene habet, & à Chriſtianis quoque iure collaudatur. Ciceronem item, cuius monimenta talibus ſententiis referta ſunt: qui clamat: Deū etſi non videmus,tamen agnoſcimus ex operibus. Omitto plurima id genus ſapientum inter Ethnicos clariſſimorum teſtimonia, quæ ſi quis fortè deſiderat, ex Iuſtino Martyre de Monarchia Dei, Clementis Stromatum libris, Euſeb.de præparatione Euangelica, Lactantio denique repetere poteſt. Nos illud affirmare non dubitamus, quotquot olim Philoſophi veteres aliqua laude floruerunt, eos ex intimis naturæ penetralibus & ſigna, & rationes ad Dei prouidentiam, & gloriam aſſerendam eruiſſe, & monumentis inculcaſſe.

Contrà

Contrà ſolos illos fuiſſe profanos, atheos, numinis contemptores, qui naturam, & eius opera deſpexerunt: quod de Epicuro celebres autores prodiderunt. Atq; hæc de iſta quoq; via in notitiam creatoris perueniendi ſufficiant.

Viden' igitur, ô homo, qui Dei cognoſcendi deſiderio teneris, vt tellus, & terrâ naſcentia, vt cœlum, & ſuperiora illa, vt hominis natura, dignitas & præſtantia, adeóque viliſſima quęque te doceant, manu ducant, euehant ad infinitum illum & viuificum Spiritum, qui ſingulis Eſſe & Viuere dederit: ad architectum potentiſſimum, talis tantęq; domus fabrum, qui ſingulis eius particularis tam euidentes ſuę maieſtatis characteres inſculpſerit, vt nemo tam hebes ſit, quin oculis videre, nemo tam amens, quin intelligentia quadantenus complecti queat: ad benigniſſimum Patrem, qui nobis homuncionibus ita ſtudioſè prouiderit, ac tum ad neceſſitatem, tum ad voluptatem honeſtam infinita ſuppeditarit: ad rectorem ſapientiſſimum, qui rite omnia diſpoſuerit, ad ſuum quodque finem deſtinarit, adeóque perducat, cui nos ſumma cum humilitate, gratitudine, obedientia meritò ſubiiciamus.

Neq; verò talis operum Dei conſideratio propterea vilipendenda, vel negligenda fuerit; quòd prius innuimus, alterum librum, ſacrę Scripturę videlicet, ſublimiora, diuiniora, magiſq; neceſſaria tradere. Largimur ſanè non inuiti, certiſſimum τῆς εὐσεβείας ſeu verę religionis normam, ac puram & integram veritatē eo contineri; vt qui perfectum reddat hominem Dei, ad omne bonum opus inſtructum 2. Timot. 3. 17. Veruntamen hoc quoq; contendimus, illam conditarum rerum cognitionem tanta pollere dignitate, qua maior alibi cerni, tanta valere ſuauitate, quanta aliunde percipi, tantam pręſtare vtilitatem, vt ſine ſummo non dicā dedecore, ſed detrimento, adeóq; Dei offenſione, negligi & à Chriſtianis prætermitti nequeat. Nam & ipſum τὸ εἰδέναι per ſe dignū eſt homine, ac expetitur natura, & continet eximiam voluptatem, quę vel ſola capiat animos atque detineat. Sicut enim iſtud lumen quod cernimus, plurimùm delectat; licèt vtilitates nullas afferret, quę tamen innumerabiles ſunt: ſic ipſa naturalium rerū notitia, iucunda, liberalis & homini conueniens eſt, cuius gratia res illę conditę ſunt: nec humanæ menti gratius θέαμα ſpectaculúmve amœnius exhiberi poſſit, quàm admirabilis iſtius opificij, in quo corporum ſeriē, motuum perennitatem, ordinis conſtantiam, ſocietatem inferiorum cum ſuperioribus, vices temporum, cauſarum & effectuum conſenſum, cum gaudio contempletur: quod ſtudij genus qui ſpernit, is naturæ bellum indicere & beluę naturam induere videtur. Sed iſte contemtus ad Deum ipſum quoq; redundat. Quis enim Poëtarum æquò ferat animo neglectum egregię actionis ſui dramatis, & in theatro ſpectatorum oſcitantiam? Quantò magis Deus ſuccenſeat ignauo ſtupori, & pluſquam ſupinę negligentiæ mortalium, qui res ab ipſo beneuolè nobis propoſitas penitiùs intueri & ſuis momentis æſtimare non dignantur: eámq; contumeliam vlciſcatur? Inprimis cùm & cœli & terra nos ad Dei laudes, & officij diligentiam exuſcitant: ad quorum imitationem, indefeſſo curſu, nobis à Deo mandatum munus, obeamus, nec mollitie fracti prouinciam deſeramus. Quis ergo furor ſit, quem inanimes creaturæ clamant, & obſeruant, eum ab hominibus nec agnoſci, nec coli? Sed quid multis in re plana? Scriptura ipſa paſſim naturalia Dei opera inculcat: ad hæc idololatras, profanos, impios, relegat. Pleni ſunt Pſalmi, qui Prophetarum, & imprimis Iobi, libri, commemoratione iſtorum. Et hinc petito argumento Paulus & Barnabas Lyſtrenſes & Athenienſes ab idolis ad verum Deum traducere ſtuduerunt, & partim traduxerunt, Act. 14. & 17. Quod imitati Patres Orthodoxi, profanos & gentiles, qui ſacras literas vel non viderant, vel aſpernabantur, ex hoc ipſo libro, quem rectiùs idiotarum librum vocaueris, quàm imagines, erroris conuincerunt & Deum verum vt agnoſcerent & celebrarent, compulerunt. Qua de re ſcita ſunt Auguſtini plurima; & hęc quoq; lib. 15. de Trinitate, c. 4. Neque enim diuinorum tantummodo librorum autoritas; Deum eſſe prædicat, ſed omnis, quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus, vniuerſa rerum natura proclamat, habere ſe præſtantiſſimum creatorem, qui nobis mentem rationémq; naturalem dedit. Idem ſuper Iohannem: Ex perpetuitate creaturarum intelligitur creator ęternus: ex magnitudine, omnipotens: ex ordine & diſpoſitione, ſapiens: ex gubernatione bonus, &c. Et Hieron. in Eccleſ. cap. 3. Idcirco Deus certa ratione omnia moderatus eſt, & iuſſit humanis vſibus elementa ſeruire, vt homines hęc videntes, intelligant eſſe prouidentiam, & timeant à facie Dei: dum ex rerum æqualitate, curſu, ordine atq; conſtantia, intelligunt creatorem. Inuiſibilia enim Dei per ea, quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoq; virtus eius & diuinitas, ſicut ait Apoſtolus. Hæc Hieronymus. Ex quibus omnibus iterum colligimus, attenta & diligenti rerum à Deo conditarum contemplatione nihil honeſtius, nihil homine, Chriſtiano cum primis, dignius, nihil omnino ſolidæ voluptatis plenius, nihil denique vtilius: ideóque Theologo partem hanc minimè negligendam, ſed accuratè potius pertractandam eſſe.

Atq; hęc quidem Reuerendo ac Clariſſ. viro, D. Hieronymo Zanchio, patri & ſocero noſtro venerando, pię memorię cauſam dederunt, vt, poſteaquam duobus voluminibus ea, quę de Dei Opt. Max. tū eſſentia, & tribus vnius illius eſſentię diuinę perſonis, tum natura ſeu Attributis, ſciri debent, diſputariq; ſolent, luculenter explanaſſet: quę quidem, olim in lucem edita, magno Eccleſię Chriſtianę commodo & emolumento, piorum etiam applauſu, hæreticorum fremitu & ſtrage, à doctiſſimis & optimis approbata, ideóq; ſępius recuſa ſunt: ad operum Dei conſiderationem accederet, quam tertio hoc tomo lucubrationum ſuarum complexus eſt, pridem à ſe perfecto, recognito, & elaborato: ac à multis virtute & doctrina clariſſimis viris expetito & efflagitato. Eum, quia citius, ob varias remoras, non licuit (quod nos quidem factum eſſe optaremus) iam tandem in lucem, aſpectúmq; & vſum publicum producimus, votis & deſideriis bonorum ac eruditorum (vti ſperamus) ſatisfacturum. Nec enim nos ipſum opus multis laudibus proſequemur, ne Soli lumen fœnerari, & vino vendibili hederā ſuſpendere velle videamur. Quis, & quantus fuerit D. Zanchius noſter, ignorant pauci: qua doctrina, methodo, facilitate, iudicióque grauiſſima Theologię capita pertractare ſolitus ſit, & alia eius ſcripta, & hoc monumentum ſatis loquuntur, vt noſtum præconium, quod domeſticum, eóque ſuſpectum cenſeri queat, minimè deſideret, ac alioqui pręſtet penitus ſilere, quàm pauca ieiunè dicere.

Ad veſtras Celſit. Illuſtriſſ. & Opt. Principes, orationem conuertimus: quibus hunc tomum, qua par eſt, humilitate, ſummiſſione & obſeruantia dicamus, inſcribimus & offerimus: quod vt faceremus, officij ratio iuſſit, imò decorum, honeſtas, & æquitas imperarunt. Cùm enim ipſe D. Zanchius, pię memorię, V. C. eum conſecrare, in animum induxerit, de quo nobis tum ex crebris ſermonibus eius, tum ex ſchedis, quibus præfationem delineare cœpit, certò conſtat, nos ſanè id quod V. C. optimo iure ſibi vendicant, ad alios transferre nec debuimus, nec ſine iuſta reprehenſione, potuimus. Vtinam verò Deo Opt. Max. vitam autori hucuſq; prorogare placuiſſet: Prooœmium ſanè & operi & perſonæ ſuæ conueniens præfixiſſet, Veſtras Celſit. debitis laudibus exornaſſet, cygnæum denique melos ceciniſſet, dignúmq; colophona ſcriptis actionibúſq; ſuis impoſuiſſet. Sed quando voluntati diuinę, iuſtiſſimæ ſemper & optimę, viſum eſt, ipſum ad ſe, morte placida, nobis tamen omnibus inſperata, in quietem æternam euocare, nos quidem decuit in has partes ei ſuccedere, & quam ille grati animi erga V. C. teſtificationem edere ac

poſteritati relinquere cupiebat, eã hac dedicatione publicè demõſtrare. Quanta.n.T.C.Illuſtr.& Clementiſ.Princeps ac Domine, D.IOH.CASIMIRE, in parentẽ noſtrum extiterint merita, nobis facilius eſt cogitatione, quàm oratione cõplecti. Inprimis autem hoc à nobis cõmemorandum eſt, quòd T.C. annis ab hinc pene tredecim eo tẽpore, quo Heidelbergenſem Academiã, & Eccleſiam, importuni quidam turbabant, & clementia optimi Magiſtratus abuſi, Orthodoxos in exilia eiiciebant, prę multis aliis, Zanchium, Neuſtadium ad Theologicam profeſſionẽ, liberali ſtipendio conſtituto, vocarit, vt nouam illam Scholam, tum à C.V. pro inſigni ſua & heroica, in omnium diſciplinarum, inprimis autem veræ pietatis ſtudia, propenſione & beneuolentia, tum ab auis atauiſque, tum ab opt.& ſanctiſſ.patre D.Friderico Electore, quaſi hæreditariò accepta, ſumptibus ingentibus, imò regia munificentia inſtituta, Sacrarũ literarum profeſſione illuſtraret, & iuuentutem ſincera religionis doctrina imbueret: In quo munere non ſine fructu & laude ſeptennium integrũ verſatus eſt: vſq; dum C.V. fortitudine, pietate, & felicibus auſpiciis Heidelbergenſis Academia, & Eccleſię Palatinatus Electoralis priſtino flori reſtituerentur: & ſtudioſę iuuentutis bona pars vel ad illã rediret, vel ad functiones adhiberetur. Ex quo tẽpore T.C. ipſum, ingraueſcente iam ætate, ac viſus acie hebetata, rude donauit, ac nihilo benigniùs quàm antè fouit, taráq; comitate non ſemel adiit, & de publicis & priuatis familiariter cum eo colloqui dignata eſt, imò conſtanter ad vitæ finem dilexit, & venerata, ac ipſius morte non leuiter affecta fuit. Pro quibus meritis cùm nullum ſit nobis gratię referendę genus relictum, niſi quod in animo & verbis ſitum eſt: ne in fœdiſſimũ & deteſtabile crimen ἀχαριστίας incurreremus, hac dedicatione gratitudinem noſtram publicè teſtari voluimus. Deinde V.C. & aliàs, & ab hinc decennio, D.Zanchio liberaliter & ſponte promiſerit, ſe benigniſſimum ipſi patronum, liberis patrem, adeóque, ſi quem porrò ſuſciperet filium, compatrem fore: noſtri putauimus officij, V.C. bonitati minimè diffidere, ſed humillime potius ſupplicare, vt fœtum hunc poſthumum, γνήσιον tamen, & ſub V.C. ditione, imò pręſidio natum ac educatum, ſua tutela & patrocinio, nóſq; filios orbos, primùm parentis obitu, ipſi quidem maturo, nobis autem nimis immaturo: deinde & matris maritum ſuum non multò poſt in alteram vitam ſubſecutæ, paterno animo & fauore complecti dignetur.

Sed neque T.C. Illuſtriſſ.& Generoſiſſ. Princeps Friderice, pręterire voluit pater noſter, ſed ei quoque hoc opus conſecrare: tũ quòd à C.T. auo, Friderico Pio Electore, &c. cui Principi non fuit alius vel pietate & ſanctitate, vel iuſtitia & clementia ſecundus, ad inclytam Academiã Heidelbergenſem, honeſtiſſima vocatione fuiſſet arceſſitus, quã & amauit plurimùm & pro virili ſtuduit ornare: & in qua decenniũ S.Theologiã, magna frequentia, auditorúmq; voluptate & vtilitate, docuit, ac inter cętera, de his quoq; materiis, quas iſtud volumen cõplectitur, publicè diſſeruit & diſputauit: vt meritò laborũ illorum fructus & gloria T.C. tanquam nepoti tanti Principis, & Academiæ Heidelbergenſis hæredi & Mecœnati debeatur atq; cedat: tũ quòd in votis haberet, T.C. in his adoleſcentię annis ampliſſimæ gubernationis habenas, mox (vt ſperamus) feliciter ſuſcepturę, gratulari, & tanquam ſenex, multi tẽporis vſu prudentiam aſſecutus, ſalutaria quædã monita ſubminiſtrare. Cuius rei indicia ſunt vel hæc, quę ſcripta reliquit, ad T.C. directa, eíq; vt opinamur, non ingrata futura: quę propterea voluimus verbotenus inſerere.

Tribus de rebus, tanquam de tribus maximis in ſe collatis beneficiis, ſolitus erat Plato ille diuinus Philoſophus gratias agere Deo: Quòd ſe crearit maſculũ, non fœminam: quòd ſe naſci fecerit tempore Socratis: idq; Athenis. At quanta, inquies, hęc ſunt beneficia? Magna certè, ſi ſcopum Philoſophi diligenter conſideres. Summam enim felicitatem in cognitione Philoſophiæ collocabat Plato. Ad hanc autem comparandam non parum faciebant hæ tres circumſtantiæ, ſexus, temporis, & loci. Maſculum igitur dixit non fœminam: quia maſculi ad Philoſophię ſtudia aptiores ſunt, quàm fœminę. Tempore autem Socratis dixit: quia fuit ille maximus & præſtantiſſimus omnium Philoſophus, à quo ſe erudiendum à Deo deſtinatum fuiſſe videbat. Dixit denique Athenis, quoniam in ea celeberrima vrbe, omnia bonarum literarum atque imprimis Philoſophiæ ſtudia vigebant. Non leui igitur de cauſa, cùm pro iis beneficiis gratias agebat Deo, egiſſe putandus eſt ſapientiſſimus ille Philoſophus.

Sed quàm multò vberiorẽ agendi gratias Deo materiã tu ipſe Illuſtr. Princeps Friderice, habes quã Plato habuerit? Plura.n.& maiora tibi à Deo obtigerunt beneficia, quã illi. Fecit illũ maſculũ: fecit & te: verũ id, vt non ſolum ad humanę philoſophię ſtudia, ſed etiã ad perfectiorẽ cœleſtis ſapientię, quã Chriſtus in Mundũ attulit, cognitionẽ, & ad virtutes omnes tũ διανοητικὰς tum ἠθικὰς, atq; adeò Heroicas, tibi cõparandas, aptior & accõmodatior eſſes. Fecit illũ naſci tẽpore Socratis pręſtantiſſimi Philoſophi, protulit te in lucẽ, tẽpore multorũ & doctiſſimorum Theologorũ, per quos, quænã ſit vera Chriſti ſeruatoris doctrina, veráq; ad æternã ſalutẽ via, & nos didicimus omnes, & tu, optime Princeps, diſcere potuiſti, & vero etiam didiciſti, ac quotidie magis ac magis perdiſcere potes. Deniq; fecit Philoſophũ illũ naſci Athenis optima literarũ omnis generis Schola, fecit te naſci in Germania, vnde lux cœleſtis doctrinæ ad reliquas Gentes & populos propagata eſt. Verũ quid hęc tibi profuiſſent, niſi alia acceſſiſſent? Quid enim iuuat pręditũ eſſe ingenio ad ſtudia literarũ apto, aut bonos habere pręceptores, aut deniq; inter literatos verſari, ſi tu animũ ad literaturam nunquã adiicias, nunquã præceptores audias? Magnũ ergo tibique pernéceſſariũ adiecit Deus beneficiũ, nimirũ quòd hac præſenti vita defuncto optimo tuiq; amantiſſimo parente tuo, honorificæ mem. Ludouico Electore, mox tibi dederit loco patris patruum Illuſtr. Principem Ioh. Caſimirum, Dominũ meum clementiſſimũ, qui te non minus quàm parens tuus dilexit atq; diligit: qui eam tui rerúmq; tuarũ procurationẽ ſuſcepit, qua maior haberi non potuit: qui id cũprimis ſumma diligentia dedit operã, & ſemper dat, vt in vera pietate Chriſtianáq; religione fideliter inſtitutus indies magis ac magis confirmeris, in bonis literis proficias, & in moribus pio Principe dignis etiam atq; etiam adoleſcas, vt tuo tandẽ Imperio cum omni laude, ad gloriã Dei, & ad verę Eccleſię ædificationẽ frui perdiu ac feliciter poſſis. Reliquũ eſt, Deum vt orem, cùm tibi fauere cœpit, vt ſemper hanc ipſam inſiſtas viam, & tibi cumulatiſſimè benedicat, ita vt eius gratia, cùm ad ſummam prudentiam, ſummam doctrinam, ſummáſq; virtutes, quę in te ſpectantur, perductus fueris, ſummam etiam felicitatẽ, tum in hac vita, tum in altera futura tandem adipiſcaris. Cui voto nos itidem ſubſcribimus, ac noſtra meritò coniungimus. Quare, ne V.C. prolixitate moleſti ſimus, D.Hieron. Zanchij honorem & dignitatem, ac nos ipſos, qua poſſumus ſummiſſione commendamus, ac literarum hoc munus ſerena fronte ſuſcipiant humiliter precamur.

Deũ Opt. Max. fontẽ omnis virtutis ac roboris oramus, vt ſapientię & fortitudinis ſpiritu V.C. inſtruat, ſalutaria cõſilia, vires, ac valetudinẽ proſperã in plurimos annos vel ſecula largiatur, quò ſub veſtro auſpicio & ductu, in pace Deũ ex verbo & operibus rectè cognoſcere, & reliquas ſciẽtias, artéſq; bonas ſic excolere poſſimus, vt tũ in hac vita docti, boni & felices reddamur, tũ in altera illa & cœleſti Academia, vnà cũ Electis omnibus, Deum Patrẽ, Filium & Spiritum S. ad faciem videamus, & in æternum beati celebremus, Amen. Calend. Mart. Anno 1591.

V.V. C.C. Addictiſſ. & Obſeruantiſſ. D.Hieron. Zanchij filij & generi.

H. ZAN-

HIERON. ZANCHII
DE OPERIBVS DEI INTRA SEX DIES CREATIS:

Pars prima.

Quæ eſt potiſſimùm περὶ τῶν ἀοράτων, *nimirum de Cælo Beatorum, déque Angelicis ſpiritibus tam malis quàm bonis.*

CAPVT I.

Προλεγόμενα.

QVAE duæ ſunt priores CHRISTIANAE Theologiæ partes, nimirum & quæ de Dei eſſentia eſt, déque tribus perſonis in ea ſubſiſtentibus: & quæ de eius eſt natura, & attributis: hæ ambæ fuerunt à nobis, qua fieri potuit diligentia, explicatæ: Illa quidē tredecim libris: hæc verò altera quinque. Sequitur nunc tertia pars, quę de operibus eſt à Deo creatis, quibus etiam, qualis ipſe ſit, magna ex parte ſeſe patefecit, & quaſi ſpectabilem ac palpabilem reddidit, quemadmodum Apoſtolus in Actis cap. 17. docuit, Deum nimirum creaſſe omnia, totúmq; hominum genus, vt quærerent Deum, ſi fortè palpando eum inuenirent: non longè enim abeſſe eum ab vnoquoque noſtrûm, ſed in ipſo nos viuere, moueri & eſſe. Deus igitur non contentus ſe ipſo, & ſua immenſa glorioſáque maieſtate, ſuíſque internis, feliciſſimíſque actionibus, ſed volens alios quoque ſecū eſſe beatos: Angelos nimirum atq; homines, ad externa opera, quaſi à ſeipſo egreſſus, deſcendit, omniáque condidit: Angelos in primis, ac poſtremò homines, & horum cauſa reliqua omnia: quæ etiam regit & moderatur: ac per hæc opera nobis ſeſe, ſuámque naturam cognoſcendam exhibuit, & ſemper exhibet, id quod immenſam eius bonitatem, æternámque ſapientiam ac potentiam quàm maximè decuit. Duo porrò actionum genera in hominibus, qui ad imaginem Dei facti ſunt, obſeruarunt Philoſophi: alias nimirum, quæ præter actionem, nullum poſt ſe opus relinquunt, quas hâc ob cauſā πράξεις ſimpliciter appellarunt, & quæ potiùs ad perfectionē agentis pertinēt, quàm vt aliqua ſint rei alicuius extra agentem perfectio; veluti eſt ſcire, intelligere, amare, velle, gaudere: alias verò, quæ opus poſt ſe relinquunt, eóq; perfectio potiùs rei factæ ſunt, quam facientis, vt eſt ſcribere, ędificare, & id genus alia, quæ propterea ποιήσεις à Græcis, & à Latinis factiones vocantur atque actiones: vtrumque actionis genus, illudq; longè perfectiſſimum in Deo comprimis cōtemplari nobis licet: quando & Iehoua eſt æternus, actúq; (vt Philoſophi loquuntur) purus: Et omnium rerum cōditor atque rector. Deus igitur ſicut ab æterno ſemper intelligit, vult, amat, gaudet, de quarum actionum genere dictum eſt ſuperioribus libris de Deo, naturáque Dei: Sic etiam ad illā ſummam potentiam, bonitatémq; pertinebat, vt ad alterum quoque genus tranſiret. Fecit hoc Mundum creando, & facit quotidiè eundem regendo, Eccleſiam colligendo, redimēdo, ſeruando, de quibus porrò operibus dicendum nobis eſt. Nam ad perfectam Dei cognitionem hæc noſſe operæ pretium eſt, imò neceſſarium: Cùm in hunc etiam finem omnia hæc præſtiterit Deus, ac pręſtet: nimirum, vt ex his, quis ac qualis ſit, clariùs ac perfectiùs intelligamus. Si enim perfecta alicuius rei, eóque etiam Dei cognitio haberi à nobis non poteſt, niſi qualis, & quanta ſit eius vis, percipiatur: Vis autem cuiuſque rei ex ipſius effectis cognoſcitur: manifeſtum plane fit, ad veram & perfectam Dei cognitionem conſequendam, neceſſarium eſſe, vt præter attributa Dei, ac immanentes eius actiones ipſa quoque externa effecta minimè perſunctoriè conſideremus: ſed quanta ſit illorum præſtantia, quam à Deo habent, cognoſcamus.

II. Cæterùm horum etiam Dei operum, de quibus porrò nobis dicendum eſt, & per quæ Deus nobis ſeſe patefecit: duo ſunt prima & principalia genera, quorum vtrumque in varias porrò ſpecies diſtribuitur. Prioris generis opera ſunt illa quæ vocantur *creationis & conſeruationis mundi.* Alterius verò, quæ nimirum ad Eccleſiæ ſalutem propriè pertinent. Ea mihi rectè appellari poſse videntur *opera Redemptionis*, nēpe vel promiſſæ, vel peractæ; & vel per verbū & Sacramēta oblatæ, vel per fidē receptæ, pérque etiā opera fidei ſeſe vſque in ęternam vitam efficaciter exerentis, manifeſtatæ. Ita ſub hoc altero genere continetur totum pietatis myſterium, & quæcunque ad illud pertinent. Nomine autem *Redemptionis*, complectimur comprimis redemptorē ipſum, h. e. Chriſtum Filium Dei incarnatum, maximum omnium opus Dei, & maximo etiam miraculo editum: complectimur item iam actiones Redemptoris, quàm ipſius effecta & opera: & cùm his Eccleſiam ipſam, quæ erat redimenda: & alia omnia quæ ad perficiendam & conſummandam redemptionem pertinebant. De his enim omnibus extabant typi & promiſſiones. Ac cum his coniungenda nobis fuerint miracula omnia, opera nimirum Dei, quæ præter ac ſupra naturam, tam in veteri, quàm in nouo Teſtamento edita ſunt. Omnia enim ſpectarunt ad redemptionem vel promiſſam confirmandam, vel peractam obſignandam. Fuit autem promiſsa vel disertis verbis, vel typis ac figuris, quibus è longinquo præmonſtrabatur. Exemplum in liberatione & redemptione populi ex Ægypto, cum tot miraculis atq; portentis, & aliis ſimilibus. Quid enim hæc aliud fuit, quā expreſsus typus veræ redemptionis populi Dei per Chriſtum tunc futuræ, nunc autem peractæ? Imò ad illam quoq; ſpectauit promulgatio legis in monte Sinai: cum tot ſignis ac prodigiis. Nam & Lex ipſa pædagogus fuit ad Chriſtum redemptorem, & promiſſiones continebat de redemptione. De his omnibus, quæ ad alterum genus operum Dei pertinent, dicemus, ſi Deus vitam & vires ſuppeditauerit, ſuo loco. Nunc de priori genere priori quoque loco dicendum eſt.

Opera igitur creationis omnia in duo diuiduntur genera: quia alia ſunt ὁρατὰ, alia ἀόρατα. Sic enim ea diuidit Apoſtolus; *Coloſ.* 1. Quam partitionem etiam Patres Concilij Nicæni, in ſymbolo ſecuti ſunt: ſeu (vt Auguſtinus partitur) alia ſunt *ſpiritualia & incorporea*, vt Angeli: alia *corporata*, vt ij cœli, terra & reliqua, quæ Moſes deſcribit fuiſſe è terra, & chaos illo, educta. Alia *partim ſpiritualia, & ἀόρατα: partim corporalia & ὁρατὰ*, vt homines, quorū corpora videntur, animę verò vtpote ſpirituales, nequaquam videri poſsunt. De primo rerum genere, Moſes in primo capite apertè non diſſeruit: eas tamē breuiter indicauit, complexúſque eſt initio

Geneſios: vt poſtea oſtendemus. De altero, iam in primo: quàm in reliquis egit diebus: De tertio, nempe *de homine*, qui & anima mixtus viſibili, & corpore maximè ſpectabili conſtat, in ſexto die ſatis abundè, & in ſecundo capite locutus eſt. Sumus autem de iiſce omnibus eo ordine dicturi, quo etiam de iiſdem ſe ipſum re ſequitur Moſes. Plures non facio partitiones rerum conditarum: quia hæ, quas iam fecimus, ad diſtinctam & veram, eorum quæ ſcribit Moſes, intelligentiam conſequendam, ſatis mihi eſſe videntur. Nam quòd quidam res creatas in bonas etiam & in malas ſecant: nihil ad rem facit, de qua agimus. Agimus enim de operibus Dei, quæ creauit. Quæ autem creauit Deus, omnia fuerunt valde bona. Malum, etſi à Deo permiſſum & ordinatum ſit: ab eo tamen non eſt creatum, nec factum, neque etiam fieri poteſt: cùm priuatio duntaxat boni ſit. De operum igitur à Deo creatorum generibus, quot & quæ ſint, huc vſque dictum eſto.

III. Sumus porrò de iis operibus acturi Theologicè magis, quàm Philoſophicè, quemadmodum & Moſes, & tota ſcriptura, quæ de iis loquitur, faciendum eſſe docet. Eſt autem non paruum diſcrimen inter eum modum, quo de Mundo, deque iis, quæ in Mundo ſunt, Philoſophus diſputat, & inter eum, quo de iiſdem rebus diſſerit Theologus. Philoſophus incipit à rebus ipſis, & ſpectans ipſarum rerum effectus atque proprietatibus, eas conſiderat in ſua ipſarum natura, quatenus tales ſunt: eaſque diligenter examinando, in interna tandem proximáque ipſarum principia, cauſſas, elementa, cogitatione reſoluit: & tunc ſe perfectam de illis ſcientiam conſecutum eſſe exiſtimat: quemadmodum Ariſtoteles in Phyſicis docuit. Ac ferè cauſas duntaxat formales, materiales, & proximas efficientes ſibi conſiderandas proponit: Prima cauſa efficiente, & vltimo fine neglectis aut diſſimulatis. Proinde ſecundum diuerſa rerum genera, diuerſæ etiam Philoſophiæ partes inueniuntur. Neque certè hæc ſcientia, conſiderandarum rerum ratio contemnenda eſt. Multas enim affert vtilitates, non ſolum humanæ vitæ, verùm etiam religioni Chriſtianæ: modò ea ſcientia legitimè vtamur. At verò Theologia longè diuerſa ratione Mundum vniuerſum, & quæcunque in eo ſunt, contemplatur atque conſiderat. Incipit enim primam efficientem illorum cauſam, vnde ortum habent, inquirere, & inuentam in medium etiam proferre ac prædicare, nempe omnia eſſe à Deo illo, qui nobis etiam dedit legem, qui nos in filios adoptauit, & hæredes rerum omnium effecit: eſſe, inquam, à Deo res omnes, per verbum è nihilo primùm creatas, deinde variis formis diſtinctas, & variis qualitatibus ac viribus ornatas, idque in vſum hominis non tam corporalem, quàm ſpiritualem: nempe, vt ex iis, quanta ſit Dei noſtri erga nos bonitas, intelligamus; ac proinde, vt ad eum colendum, amandum, glorificandum accendamur. Sic fecit Moſes, vt videbimus: ſic reliqui Prophetæ; ſic Apoſtoli. In rerum igitur naturalium conſideratione, cauſam in primis efficientem primam conſiderat Theologus: nempe Deum, à quo ſunt. Item vndenam initio fuerint eductæ: nimirum ex nihilo, non autem ex præiacente materia. Neque verò negligit cauſas vltimas finales, omnia ſcilicet condita eſſe in gloriam Dei & in ſalutem Electorum. Formales cauſas, ſiue eſſentiales, ſiue accidentales, non ita curat Theologia exactè cognoſcere. Quòd ſi has quoque rerum vires ac proprietates nonnunquam proponit: id facit, quatenus in iis, ceu in ſpeculo, bonitas & perfectio Dei rebus communicata, reſplendet, vt ita ad ſapientiam & bonitatem Dei admirandam & ſuſpiciendam, excitemur. Proinde neque Dauid de cœlis loquens, docuit, quot & quales ſint illorum motus, quomodo fiant, quæue ſint ſingulorum aſtrorum virtutes: ſed tantùm de iis verba fecit, quatenus ſuo ſplendore & virtute gloriam Dei, ſuo enarrant modo: nóſque ad Deum itidem glorificandum excitant. Neque aliò ſpectat Spiritus ſanctus in ſacris literis, cùm de hiſce rebus per Moſen, per Prophetas, & per Apoſtolos verba facit: quàm vt veram in electis pietatem hac doctrina promoueat: partim ex animis noſtris prauas & erroneas multorum Philoſophorum de principiis rerum opiniones tollendo: partim nos, cognitis iam veris Mundi & rerum omnium cauſſis, ad verum Deum, primam rerum omnium cauſam, vera pietate colendum, excitando. Atque hic eſt finis & vſus cognitionis rerum naturalium, quatenus à Deo conditæ, ſtbíque excellentibus ornatæ ſunt viribus: nempe, vt ex harum cognitione, in cognitionem admirationémque Dei aſſurgamus. Vtilitas igitur non parua eſt, quam cognitio rerum naturalium piè & prudenter conſideratarum, adfert mentibus piorum. Nam ita noſtra natura poſt peccatum comparata eſt, vt, ſicuti ex ignoratione verorū Mundi principiorum, & ex rerum, earúmque naturarum imperitia, in varios etiam de Deo errores, & in multas falſáſque ſuperſtitiones ruimus: Sic contrà ex vera earundem rerum cognitione non parum ad veram pietatem promoueamur. Vnde enim, obſecro, factum eſt, vt olim varia ab hominibus elementa aliáque corpora, vel cœleſtia, vel terreſtria, vel marina tanquam Dij, ſumma veneratione, & religione culta, & inuocata fuerint? Non ſolùm ex ignorantia Dei, primæ rerum omnium cauſæ, verùm etiam ex imperitia rerum naturalium, id profectum eſt. Quomodo enim potuiſſent Solem aut Lunā, aut Ignem tanquam Deum adorare, ſi verè haſce res ab aliqua ipſis ſuperiore cauſa, profectas eſſe, & quod ab alio factū eſt, illud Deum eſſe non poſſe, cognouiſſent? De iis, déque huiuſce idololatriæ cauſa, in libro Sapientiæ, *cap.* 13. ſcribitur in hæc verba: Etenim vani ſunt homines natura, in quibus ineſt ignoratio Dei, & qui ex iis, quæ ſpectantur bonis, eum qui eſt, non potuerunt intelligere, neque ex operibus conſideratis, ipſum opificem agnouerunt. Legantur reliqua. Accuſat in ſumma homines, quòd creaturas non conſiderent, & ex iis non cognoſcant Dominum: ac docet, hanc rerum conditarum inconſiderationem, non poſtremam eſſe cauſam, cur neque Deum cognoſcant homines. Vndenam item ortum habuit alius priore craſſior & intolerabilior error, nimirum vt idolis hominum manu fabrefactis, quæ ſolius Dei ſunt, attribuerint: futurorum cognitionem ac vaticinationem, miraculorum effectionem, eóque & honorem Dei debitum detulerint atque cultum? Ex eodem ſanè fonte promanauit, quod ſcilicet non ſolùm eſſentiam creatoris Dei, ſed etiam rerum creatarum naturas ignorarunt. Quomodo enim, quod ſolius Dei eſt, id rebus creatis conuenire & meritò attribui poſſe ſentire potuiſſent: ſi quodnam ſit diſcrimen inter creatorem & creaturas, attentè homines cōſideraſſent? De iis in eodem Sapientiæ libro ita ſcribitur, *cap.* 14. Incommunicabile nomen, lignis & lapidibus impoſuerūt. Videantur quæ ſequuntur. Ex eadem ſcaturigine fluxit, quod diuinæ virtuti omnia in creaturis operanti, multi multa detraxerunt. Alij enim noluerunt rerum omnium creationem vni Deo acceptam ferre, ſed duos conſtituerunt creatores, duóque rerum principia: quaſi verò ille vnus non fuerit ita potens, vt ſolus potuerit omnia creare. Alij aſſeruerunt, Mundum eſſe non ex diuina voluntate factum: ſed ex neceſſitate naturæ diuinæ à Deo profectum fuiſſe, eóque eſſe æternum: quaſi verò Deus in iis, quæ extra ipſum ſunt, non ſit verè liber, vt poſſit velle aliquid & nolle. De iis Iobus, *cap.* 22. Quaſi nihil poſſet facere omnipotens: exiſtimabant eum. Et in libro Sap. *c.* 12. Virtutem oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute conſummatus. Si iſti probè cognouiſſent, omnia à Deo è nihilo condita fuiſſe: creare autem ex nihilo, infinitæ eſſe potentiæ, non ita turpiter ſe dediſſent, vt omnipotenti aliquid detraherent. Denique ſi homines & ſuam dignitatem atque naturam excellentem, quòd ſcilicet ad imaginem Dei facti ſint, perpenderent, atque verè cognoſcerent. Et contrà, ſi viliſſimas aliarum rerum conditiones, vt ligni, lapidum examinarent: nunquam aut facti Aſtrologi, & alij eorum diſcipuli ſeſe ſubditos eſſe aſtris prædicaſſent: aut ſtulti quidam Philoſophi animas humanas mortales eſſe prædicaſſent: aut etiam Angelos ſuos eſſe cum Deo creatores, dixiſſent, vel adoraſſent. Hæc enim omnia nimirum derogant dignitati naturæ humanæ. Ita videmus quanta ſit vtilitas, quantúſve vſus huiuſce doctrinæ de cognitione rerum naturalium. Proinde turpiter hallucinator illi, qui (vt Auguſtinus narrat de origine animæ) dicunt nihil ad fidei veritatem intereſſe, quid de creaturis quiſque ſentiret, modò de vero Deo rectè ſentiatur. Error enim in cognitione creaturarum, errorem parit in cognitione creatoris, & mentem à Deo abducit: Sicut contra, vera creaturarum cognitio ad Deum verè colendum adducit.

IV. Hæc cùm ita ſe habeant, operæ pretium me facturum hominibus piis iudicaui, ſi de operibus à Deo creatis ſcripturus: primum caput prioris lib. Moſis, qui Hebræis בראשית nobis *Geneſis* appellatur, explicandum ſuſciperem. In hoc enim capite de rerum omnium, præſertim viſibilium creatione, ita perſpicuè & accuratè diſſeruit Moſes, vt nihil clariùs aut accuratiùs dici poſſit: quantum ſcilicet ad veram pietatem promouendam pertinet. Huc enim ſpectat, ſicut modò dictum eſt, tota hæc hiſtoria. Sed dicet quiſpiam: Qui nouit hæc omnia Moſes? Ipſene interfuit, cùm Mundus crearetur? aut vndenam ipſe accepit, cùm ante ipſum de iiſce rebus nihil eſſet ſcriptum? Quaſi verò, quia neque ſpectator fuit, cùm res crearentur, neque etiam quidpiam de Mundi creatione in aliorum libris legerat: idcirco quæ ſcribit ipſe, fabulæ ſint aut ſomnia. Certè neque ſpectator fuit eorum quæ de Meſſiæ aduentu prædixit, & de gentiū vocatione vaticinatus eſt. (cōgeſtiunt enim hæc poſt

poſt duo fermè à morte Moſis, annorum millia) neque etiam ea ex aliorum libris collegerat: nihil enim de iiſce rebus ante Moſen, ſcriptis mandatum fuerat: num ideò tamen hæc Moſis vaticinia, fuerunt ipſius commenta? Minimè verò. Rerum enim ipſarum euentus apertè declarant, Moſen hæc optimè ac certiſſimè longè antea nouiſſe. Sed vndenam? Tum ex oraculis diuinis, quæ in Eccleſia Dei iam inde à condito orbe conſtanter & perpetuo tenore ſonabant: tum etiam, idque maximè, ex afflatu Spiritus ſancti. Idem igitur de iis quoque, quæ de rerum creatione, tam perſpicuè atque diſtinctè, ſcripta reliquit. Principio enim dubitandum non eſt, quin Deus de iis rebus omnibus Adamum inſtruxerit, quem ſumma ſapientia & rerum diuinarum ſimul, & humanarum cognitione præditum fuiſſe, manifeſtum eſt. Num verò Adamus, qui conſtitutus fuerat à Deo, ſuæ voluntatis, & cœleſtis ſapientiæ præco, celauit hæc liberos ſuos? Num verò ipſi & reliqui Patriarchæ, tam neceſſariam doctrinam ſilentio ſuppreſſe runt? Magnum fuiſſet horum Patrum, non tam ingrati animi, quàm iniquitatis crimen: acceptam hanc tam neceſſariam doctrinam, ad poſteros tranſmittere noluiſſe. Certè Abrahamus præter alia, hoc etiam nomine commendatur, *Geneſ.18.* quòd quæ à Deo audiuerat, ea etiam familiam ſuam fideliter docuit. Vnde obſecro in Eccleſia etiam ante Moſen, manifeſta fœderis cum Abrahamo & aliis Patribus à Deo initi notitia? Inde procul dubio, quod continua & conſtanti ſucceſſionis ſerie, parentes, filiis quiſque ſuis reuelauerat, prædicauerat, vrſerat, quod ipſi quoque à ſuis parentibus longè antè fideliter acceperant. Et præceptum, quod per Moſen dedit Iſraelitis omnibus, nempe vt, quæ ipſi nouerant ex Moſe, ea liberis quoque ſuis & liberis liberorum indicarent: probabile eſt, imò mihi dubium non eſt, idem quoque fuiſſe datum Patribus ante Moſen. Dubitare igitur non debemus, quin rerum creatio eo ordine, quo à Moſe conſcribitur, in Eccleſia Dei, ex perpetua traditione iam inde ab initio Mundi, manifeſta fuerit. Neque enim nouam populo Dei ſcripſit hiſtoriam Moſes, ſed quod notum erat in Eccleſia, ſcripturis complecti voluit, & poſteritati tranſmittere, ſic iubente & dictante Spiritu ſancto. Atque hic eſt alter Præceptor, vnde accepit Moſes, quæ de creatione ſcripta nobis reliquit, nempe Spiritus ſanctus. Teſtatur Petrus, Prophetas omnes Spiritu ſancto inſpiratos, locutos fuiſſe. Ergo & Moſes inprimis quæ ſcripſit, ex afflatu Spiritus ſancti ſcripſiſſe dicendus eſt. Denique Apoſtolus Paulus de omnibus Canonicis veteris Teſtamenti libris, ita pronunciat: eos ſcilicet eſſe θεοπνεύστους. Nunquid Spiritus ſanctus, qui vnà cum Patre & Filio creauit cœlum & terram, & qui aquis, hoc eſt, illi chaos, antequam res fuiſſent diſtinctæ ſuis formis, incubabat, ignorauit, quando, quomodo, & quo ordine creata fuerint omnia? Dubitari igitur non poteſt de veritate huius hiſtoriæ, quin fiat inſignis & Spiritui ſancto, & toti populo Dei, qui fuit ab Adamo ad Moſen vſque, iniuria. Quare meritò de Mundo deque eius partibus acturi, ſuſcepimus, quæ de hiſce rebus ſcripta reliquit Moſes, explicanda: & quidem eo ordine de illis ſumus dicturi, quo etiam diſſeruit Moſes.

V. Hinc ſequitur neceſſarium fore, vt duo ad hanc tractationem, ſi volumus proficere, adferamus: nimirum animum humilem ac ſobrium, & ſimplicem, ſincerámque fidem. Fide opus eſt: quia Moſes demonſtrationibus Philoſophicis aut Mathematicis non vtitur, ſed ſimpliciter rem, ſicut geſta fuit, narrat ex Spiritu Dei, & ex Patrum traditione. Ideò in Epiſtola ad Hebræos, *fide* (inquit Apoſtolus *Heb. 11.*) *intelligimus aptata eſſe ſecula.* Secula vocat, ſicut etiã primo capite eiuſdem Epiſtolæ, id quod Moſes appellauit את השמים ואת הארץ *cœlum & terram.* Humilis etiam ſpiritus & ſobrius in hac re neceſſarius eſt, ne ſcilicet plura, quàm Moſes tradidit, & reliquæ ſcripturæ ſanctæ, ſuperbè de rerum creatione inueſtigemus: ſed ſimpliciter in iis, quæ tradidit ipſe, omiſſis curioſis & impiis quæſtionibus, acquieſcamus. Hoc enim pacto, maximo cum fructu, in harum rerum & operum Dei contemplatione verſabimur: Intempeſtiua verò curioſitas, præterquam quòd Deo ingratiſſima eſt, eſt etiam curioſis ipſis pernicioſa. Eos enim in tales inducit labyrinthos, ex quibus cùm ſe nequeant extricare & expedire, tandem eò adducuntur, vt nihil credant, & ἄθεοι effecti, in tenebris pereant. Huiuſcemodi curioſis hominibus dicebat quidam ſanctus vir, ante creationem Mundi fabricatum fuiſſe infernum, vbi ſuæ curioſitatis pœnas darent. Cùm enim quidam curioſè interrogaſſet, *quid egerit Deus, antequam Mundum creaſſet, fueritne tam diu otioſus?* Reſpondit ſanctus iſte vir, vt in hiſtoria habemus tripartita, *Deum minimè fuiſſe otioſum. fabricaſſe enim infernum curioſis.* Ergo & humiles & ſobrij ſimus in hiſce rebus, oportet, & manendum nobis eſt ad radicem montis, ſicut iuſſerat Moſes populo, cùm interim ipſe accepturus legem à Deo, in montẽ aſcenderet: *Ne deſerans* (inquit Deus) *ſtationem. Itẽ conſtitue terminos mõtis.* Intra terminos igitur verbi Dei conſiſtendum eſt.

VI. Vnum adhuc reſtat explicandum, antequam aggrediar verba Moſis interpretari, nimirum quinam ſcopus fuerit Moſi non ſolùm in hoc capite primo, verum etiam in toto libro Geneſios. Scopus illi fuit (quantũ ex ipſius ſcriptis colligi poteſt) extimulare populum, tanquam Dei Eccleſiam, ad legem (nomine autem legis complector nõ ſolùm præcepta, ſed etiam promiſſiones de Chriſto: Chriſtus enim finis eſt legis) Scopus, inquam, fuit Moſi, excitare populum ad legem ſeruandam, eóque ad Deum vera pietate in Chriſto colendum. Ad hoc faciendum, argumento vtitur ducto partim ab auctoritate legiſlatoris: nimirum, quòd is ſit verus & æternus atque omnipotens Deus, rerum omnium conditor, collector, & inſtaurator Eccleſiæ: verax in promiſſis, & vindex atque vltor iniquitatum: partim ab officio & dignitate populi, quòd nimirum is ſit Eccleſia illa, quam Deus iam inde ab initio Mundi collegit, conſeruauit, fœdere ſibi in Abrahamo copulauit, & quam tandem etiam ex Ægypto, iuxta promiſſionem 400. ante annis factam, liberauit. Æquum igitur eſt, vt populus legi pareat, quippe quæ lex veri Dei eſt, à quo omnia condita ſunt ad vſum & ſalutem noſtram. Populus autem Eccleſia eſt huius Dei, fœdere cum eo ſempiternum coniuncta. Et quoniam (ſicut antè dixi) ſcopus & finis legis, eſt Chriſtus, vt Apoſtolus docet: Ideò etiam ſcopus Moſis fuit, vt populum ad Chriſtum adduceret, & in eius fide confirmaret. Proinde Chriſtus dixit *Moſen de ſe ſcripſiſſe.* Ad hunc ſcopum pertinent omnia, quæ in tota libri huius hiſtoria continentur, imò & quæcunque in libris omnibus Moſis & Prophetarum habentur. Eſt.n. extra controuerſiam, hîc ſpeciatim tradi principia rerum, Mundi ſcilicet & Eccleſiæ: atque in primis Eccleſiæ, quodnam habuerit initium, & quem progreſſum ad Moſis vſque tempora: nempe ex vno quodam homine ortum duxiſſe, & de principio admodum fuiſſe exiguam, & exiguam etiam permanſiſſe vſque ad aduentum Iſraelis in Ægyptum, verùm iuxta promiſſionem Abrahæ factam poſtea fuiſſe numeroſiſſimam. Deinde etſi propter peccata tum primorum parentum, tum ſua, variis fuit ſubindè flagellis exercita: tamen propter promiſſionem ſeminis benedicti, hoc eſt, Chriſti, primis parentibus factam, & deinceps aliis Patribus confirmatam, eam huc vſque miſericorditer, ſimul & mirabiliter fuiſſe ſeruatam: per hunc ſcilicet verum Deum, rerum omnium conditorem & Eccleſiæ parentem. Eſt, inquam, extra controuerſiam, hæc in Geneſios hiſtoria cum primis tradi: verùm quorſum hæc omnia? Eo ſanè, vt populus intelligat & auctorem huius legis, ac promiſſionum de Chriſto, verum eſſe Deum, potentem, ac fideliſſimum Eccleſiæ parentem: Et ſe, ipſam eſſe Dei Eccleſiam, quæ à condito orbe in illud vſque tempus pro bonitate & clementia Dei, ſeruata fuit. Quorſum verò etiam iſtud? Eò nimirum, vt inde tandem concludant, & legem, hoc eſt, præcepta huius Dei, ſibi eſſe ſeruanda, & eiuſdem Dei de Chriſto promiſſiones, firmã fide eſſe retinẽdas. Hunc fuiſſe ſcopum Moſis, tum in toto Geneſ. libro: tum in primo capite: inde manifeſtum eſt, quòd etiam in lege, vt populum extimularet ad ſeruandum mandatum, de ſabbatho ſanctificando, mentionem fecit creationis intra ſpatium ſex dierum perfectæ, & ſeptimæ diei, qua requieuit Deus ab operibus ſuis. Ergo cum quis leget, tum alios Prophetarum libros, tum præcipuè hunc Moſis primum: meminerit omnia, quæ leget, ad hunc ſcopum eſſe referenda: nempe ad agnoſcẽdum, qualis ſemper fuerit, & ſit erga ſuam Eccleſiam Deus: Et qualis eſſe debeat erga Deum Eccleſia ipſa: nempe vt & obſequens Dei ſit mandatis, & fidens in Chriſtũ, qui finis eſt legis. Chriſtus enim in ſumma ſcopus eſt & finis, in quem omnes tendunt ſcripturæ. In capite libri (inquit Chriſtus per Prophetam, *Pſal. 40.*) ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuã, ô Deus meus, volui. Et apud Ioannẽ *c. 5. Scrutamini,* (inquit, *ſcripturas: quia ipſæ teſtimonium perhibent de me.* Et ad Rom. ait Apoſtolus: *Finis legis eſt Chriſtus. Rom. 10.* Et ad Galatas: *Lex Pædagogus ad Chriſtum fuit Galat. 3.* Item: *Abrahæ dictæ ſũt promiſſiones & ſemini eius: no dixit, & in ſeminibus, quaſi in multis: Sed in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus. Galat. 3.* Et ad Corinthios *promiſſiones in Chriſto ſunt Etiam & Amen.* Idcirco & Iohannes Euangeliſta primùm oſtendit, Chriſtum ita Filiũ eſſe Dei, vt ſit Deus ille per quem omnia facta ſunt. Deinde hunc eundem illum eſſe, per quem omnia erant renouanda, & tandem renouata ſunt. Siue igitur contemplemur opera Dei, ſiue legamus, peccatum per vnum hominem

incurriſſe in Mundum, & per peccatum mortem: ſiue videamus promiſſiones de futura hominum redemptione, Patribus factas fuiſſe: ſiue Eccleſiam in mediis fluctibus Diluuij ſeruatam: ſiue fœdus cum Abrahamo, & ſemine eius, initum ac confirmatum, ſiue denique audiamus, 400. pòſt annis liberatum fuiſſe populum ex Ægypto, ſiue datam illi fuiſſe legem in monte Syna, ſemper occurrat nobis Chriſtus, ſcopus & finis harum rerum omnium: per hunc ſcilicet omnia eſſe condita, propter hunc permiſſum eſſe, peccatum & mortem, ingredi in Mundum: de hoc ſummatim intelligendas eſſe promiſſiones, in quo habent Etiam & Amen: per hunc ſeruatam fuiſſe ſemper Eccleſiam etiam tempore Noæ, vt Petrus teſtatur: In hoc Chriſto factum & firmatum fuiſſe fœdus cũ Abrahamo & ſemine eius. Hunc autorẽ fuiſſe liberationis populi ex Ægypto: Denique legem fuiſſe datam, vt Pædagogus eſſet ad Chriſtum. Ac proinde in lectione Bibliorum, Chriſtus ſemper ſit nobis ante oculos, modò vt verus Deus, per quem omnia ſunt creata: modò vt Mediator, per quem omnia ſunt recreata, & Patri reconciliata, alioqui velum ſemper fuerit ſuper corda noſtra, vt ſcripturas, quemadmodum & de Iudæis docet Apoſtolus, intelligere nequeamus.

CAPVT II.

Argumentum, & ſumma prioris capitis Geneſeos explicatur: docetur item, quot & quinam Philoſophorum hæreticorúmve hominum errores primo verſu ex Moſe damnentur: primúsque verſus declaratur.

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ
In principio creauit Elohim cœlum & terram.

PRÆSTATI ſumus ea, capite præcedenti, quæ ad noſtrum inſtitutum neceſſaria eſſe duximus, præfaturi plura, ſi totus hic liber nobis tam eſſet explicandus. Eſt enim liber, vt ordine, ſic etiam dignitate primus inter omnia veteris Teſtamenti Bibliæ: quippe qui prima rerum omnium principia, Mundi, legum, peccati pœnarum, promiſſionum totius humani generis atque inprimis Eccleſiæ, copioſè atque perſpicuè tradit: vt meritò à Græcis vocatus ſit *Geneſis*, quoniam primas rerum omnium generationes, atque in primis ortum Eccleſiæ primum, genealogiámque continet. Verùm quia aliud meum eſt inſtitutum, quam agere in præſentia huius libri interpretem: idcirco ſatis mihi fuerit, cùm alia nonnulla cognitu neceſſaria, tum maximè ipſum finem ac ſcopum Moſis in hoc libro oſtendiſſe. Nunc igitur venio ad argumentum, lectionem, interpretationémque huiuſce primi capitis.

Diſſerit in hoc capite Moſes περὶ τῶν ἀρχῶν totius Mundi. Docet enim, Mundum non eſſe æternum, ſed certum habuiſſe initium, & in tempore conditum fuiſſe. Ac huius conditi Mundi cauſſas omnes explicat: Efficientem, à quónam conditus ſit, nempe à *Deo Elohim*, hoc eſt, à Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vt poſtea demonſtrabimus. Materialem, nimirum primo ex nihilo conditam fuiſſe materiam quandam informem atq; indigeſtam, quam vocat terram תהו ובהו. Ex iſta verò omnia viſibilia & corporata, ſua cuique rei creata & adiecta forma, fuiſſe producta. Nam quod ad cœlum beatorum, & Angelos, & deinde animas humanas attinet, ea immediatè ex nihilo fuiſſe condita, non autem ex illa materia eductam, cum ex verbis Moſis, tum ex aliis ſcripturarũ locis & rationibus euincetur. Formalem quoque cauſam tradit: cùm de ſingulis rerum generibus intra ſex dies conditis, differens, docet, quã vnumquodque formã creatum & conformatum fuerit: cùm prius materia totius Mundi viſibilis fuerit תהו ובהו. Poſtea verò hãc, quã ſpectamus, pulcerrimã Mundi formã induerit, qua pulcra forma & ornatu factũ eſt, vt à Græcis appelletur, Κόσμος, à Latinis *Mundus*; à perfecta nimirũ, abſolutáque elegantia, quòd eo nihil ſit mundius & pulcrius, *Plinius lib.* 1. Denique & finalem immediatam aperit Moſes, propter hominẽ ſcilicet, omnia eſſe cõdita, vt ipſe in hac ceu domo habitaret, omnibus iis vteretur, frueretur, idque non tã ad ſuam vtilitatẽ, quàm ad gloriam Dei: qua de cauſſa creatus & formatus fuit ipſe homo poſtremo loco, tanquam totius huiuſce ampliſſimæ domus habitator & dominus: Et quidẽ ad imaginẽ Dei creatus eſt, mente, liberaque voluntate, ſapientia & iuſtitia præditus: vt poſſet Deũ cognoſcere, intelligere, inuocare, amare, & iuſtis operibus glorificare. Hic eſt immediatus & proximus finis creati Mũd. Nã finis remotus & vltimus eſt Deus ipſe, vt ſcripturæ tradũt. *Prou.* 16. Sicut enim ab ipſo ſunt creata omnia: ſic omnia in ipſum ordinata ſunt. Ita de perfectione Mundi concludit Moſes, *cuncta quæ fecit, fuiſſe valde bona*: qua voce docet, Malum inter opera Dei numerari non poſſe. Omnia enim à Deo ait fuiſſe creata bona. Vnde verò ſit malum, poſtea diſſeretur in tertio capite. Nam neque ſine voluntate Dei illud accidit operibus Dei. Hæc eſt ſumma totius capitis.

Philoſophorum & hæreticorum, de principiis mundi, errores.

II. Ita Moſes harum Mundi cauſſarum explicatione refutat ex conſequenti, peculiares & varias Philoſophorum & hæreticorum etiam hominum, de principiis Mundi ſententias, quas hic omnes recenſere, neque opus eſt, neque operæpretium. Si quis Philoſophorum opiniones cupit ſummatim videre, legat præter alios inter profanos ſcriptores, Diodorum Siculum, rerum antiquarum lib. 1. cap. 1. Inter Eccleſiaſticos verò Euſebium Cæſar. de præparatione Euangelica lib. 1. Præter alias verò, hæ cumprimis refelluntur à Moſe de principiis Mundi opiniones. *Primo*, illa quæ ſtatuit, *Mundum eſſe æternum, nec vllum vnquam habuiſſe initium*: In qua ſententia etiam fuit Ariſtoteles, vt videre eſt in 1. & in 2. de Cœlo & Mundo. Quanquam non deſint, qui Ariſtotelem velint tueri, eum videlicet non fuiſſe huius ſententiæ. Sed falluntur ipſi, ſi credendum eſt iis quæ ipſe ſcripta reliquit in Phyſicis. Ait enim, *Mundum neque factum eſſe neque poſſe corrumpi*: ſed ἀίδιον εἶναι, μήτε ἀρχὴν, μήτε τελευτὴν ἔχοντα. Sic Plinius lib. 2. Sed hunc impium errorem vno verbo tollit Moſes, cùm ait: *In principio creauit Cœlum & Terram*, &c. Docet igitur, Mundum, qui nomine *Cœli & Terræ* à Moſe ſignificatur, initium habuiſſe: quam ſententiam ſecutus eſt etiam Plato in Timæo. *Deinde*, quod ad materialem cauſam attinet, refutatur illorum opinio, qui docuerunt, nihil eorum quæ ſunt, factum eſſe ex nihilo: ſed omnia ex præexiſtenti materia. Et, ſi de hac materia quæras, ex quanã alia materia ſit facta: reſpondent, Materiam primam, vnde ſunt omnia, non eſſe aut ex alia materia (non enim prima eſſet) aut etiam ex nihilo factam. Supponunt enim *ex nihilo nihil poſſe fieri*. Eſſe igitur increatam & æternam. Atque hæc etiam fuit Stoicorum & Peripateticorum opinio: Et eam amplexus eſt Cicer. 3. de Natur. Deor. & Hermogenes, aduerſus quem Tertullianus ſcripſit librum valde elegantem. Sed à Moſe hæc etiam refutatur altero verbo ברא. Hoc enim verbum, propriè de omnium doctiſſimorum Interpretum etiam Hebræorũ ſententia, ſignificat *ex nihilo aliquid facere*. Ita docet, non ſolum Cœlum ſupremum, in quo ſunt beati Spiritus, & Angelos ipſos, & poſtremò animos etiam humanos è nihilo immediatè fuiſſe conditos: vt poſtea fuſius docebimus. Verum etiam reliquarum rerum omnium materiã è nihilo factam eſſe: vt iam de illarum formis, quæ ſolo Dei verbo factæ ſunt, taceam. Quæ cauſa eſt, cur meritò omnia Dei opera, quæ intra ſex dies facta ſunt, creata fuiſſe dicantur, licèt ex prima materia educta ſint. Ita refutatur etiam eorũ error, qui ſenſerunt in illa prima materia, quam *Chaos* vocarunt, fuiſſe omnia cum ſuis formis permixta, deinde vero ſecreta & diſtincta. Sed Moſes docet, omnium formas fuiſſe diuerſis diebus creatas ex nihilo, vnde & in verſ. 21. vtitur verbo ברא, cùm ait *Deum creaſſe cetos magnos, & omnem materiam viuentem*. *Poſtremo*, quod ad cauſſam efficientem, refelluntur aliquot errores veterum Moſis.

Primus eorum fuit, qui licèt faſſi ſint, conditum eſſe Mundum, dixerunt tamen, nullam eſſe efficientem huius Mundi cauſam. Ex temerario enim & fortuito neſcio quo concurſu corpuſculorum quorundam minutiſſimorum per inane infinitum voluantium (quæ, quia ſecari non poſſent ἀτόμους Græci vocarunt) Mundum coiſſe, atque ita productum fuiſſe, quæ Democriti fuit phantaſia, & Leucippi, quam ipſe quoque Cicero 2. De natura Deorum deridet. Sed hunc deridendum errorem refellit Moſes, cùm ait, *Elohim creaſſe Cœlum & Terram*. Non igitur temerè & fortuitò conditus Mundus, & ex fortuito Atomorum concurſu, ſed ſumma ſapientia à Deo ſapientiſſimo & optimo creatus eſt. *Alter* error fuit eorum, qui dixerunt, *Mundum quidem ab efficienti aliqua cauſa fuiſſe productum*, ſed hanc docuerunt fuiſſe Spiritus Angelicos, *non autem Deum*. Huius erroris fuit primùm, Simon Magus. Is enim dicebat, *ſe eſſe virtutem diuinam*, hoc eſt, Deum, cui ſubiecti eſſent Angeli: per Angelos verò illos, Mundum hunc viſibilem factum eſſe. Deinde huius ſententiam de cauſa Mundi effectrice, ſecuti ſunt alij, Cerinthus, Carpocrates, Archontici, & alij, qui a ſpiritibus cœleſtibus conditum fuiſſe Mundum prædicabant: vt apud Epiphanium & Auguſtinum de hæreſibus videre eſt. Sed hanc impiam & abſurdam ſententiam refutat Moſes, dicendo: *In principio creauit Elohim Cœlum & Terram*. Si enim nomine *Elohim*, intellexiſſet Angelos, non dixiſ-

ſet

ſet *creauit*, ſed *crearunt*. Deinde cap. 2. ait *Iehouam creaſſe*, & Exodi 20. idem repetit. *Tertius* eſt eorum, qui docuerunt & ſcriptum reliquerunt, *Mundum fuiſſe creatum, non ab vno Deo, ſed duobus, vno bono, altero malo*. Et ab ipſo quidem bono, omnia bona, vt ſunt Angeli boni, & animæ humanæ, & alia multa: A malo autem, omnes res malas & vitiatas, atque etiam noxias. Atque ij fuerunt, poſt Gnoſticos, Marcionitas, & Cerdonianos, ipſi etiam Manichæi. Quaſi verò ſubſtantia aliqua per ſe mala eſſe poſſit. Sed hunc errorem refutat Moſes primùm, cùm nomini *Elohim* adiicit verbum ſingularis numeri ברא. Docet enim, Elohim vnum eſſe Deum, & ab hoc omnia eſſe creata. Non igitur à duobus diis, vno bono, altero malo. Deinde cum ſubdit ad finem capitis, omnia quæ fecit Deus, fuiſſe valde bona. Non igitur aliquid mali creatum eſt: ita vt cogatur quis ſtatuere alterum principium, ſeu Deum malum, à quo ſint mala creata. Malum enim in rebus creatum non eſt, cùm ſit priuatio: Quanquam ne hoc quidem contigit vel Angelis, vel hominibus, citra ſapientiſſimam & optimam Dei voluntatem, vt poſtea explicabitur. Ac de creaturis noxiis, creatas à Deo fuiſſe, & omnia flagella ab ipſo Deo optimo maximo pendere, docuit ipſe Deus per Ieſaiam, *cap.* 45. *Ego Iehoua, & non eſt alius præter me Deus, Ego formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum.* Aduerſus hunc tertium errorem de duobus principiis rerum efficientibus, multa Patres ſcripſerunt, de quibus poſtea. *Quartus* fuit & eſt illorum, qui docuerunt. *Mundum quidem vniuerſum conditum eſſe ab vno Deo: ſed hunc voluut, eſſe Deum, ſuperiorem Patre Chriſti*: vt Valentiniani. Dicebant enim Δημιουργὸν non eſſe Patrem Chriſti, ſed eo ſuperiorem. Sed hunc refutat Moſes, qui docet, Mundum eſſe factum à Iehoua: hunc autem neminem eſſe ſuperiorem, paſſim prædicat ipſe, & omnes Prophetæ. *Quintus* eſt eorum, qui docent quidem, *Patrem Chriſti eſſe Mundi conditorem: ſed ab hoc Deo Cæli & Terræ conditore excludunt Filium, quem Chriſtum vocamus: Et Spiritum ſanctum. A ſolo enim Patre conditum eſſe contendunt.* Sed hic etiam error refellitur verbis Moſis, cùm ait *Elohim creaſſe Cœlum*. Hoc enim pluralis numeri nomine collato cum aliis ſcripturarum locis tam apud Moſen, quàm apud Prophetas & Apoſtolos, ſignificatur, Moſen agnouiſſe plures in vno Deo perſonas, per quas Mundus creatus ſit: & has voluiſſe hoc nomine indicare: Vt partim à nobis demonſtratum eſt libris *De Trinitate*: partim etiam denuò breuiter demonſtrabitur. Ita concludo verbis Auguſtini: *Mundus ipſe* (inquit) *ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter magno, & ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro, fieri ſe potuiſſe proclamat.* Hæc ille. Nunc tenemus & argumentum ac ſummam primi capitis, & quinam potiſſimùm errores de principiis Mundi refellantur à Moſe in hoc capite.

III. Partitio capitis perſpicua eſt. In ſex enim dies totum illud tempus, quo omnia ſunt creata, partitus eſt Moſes. In ſex igitur partes ſecatur hoc caput, iuxta numerum dierum ſex. De quibúſnam porrò rebus in ſingulis partibus agatur, ſuis explicabitur locis. Nunc primam aggredior particulam, quæ primis quinque verſibus continetur.

v. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

Nemo expectet à me, vt aut omnium interpretum ſententias referam, aut ſingula exactè explicem atque obſeruem, ſicuti eos facere decet, qui ex profeſſo ſacras literas interpretantur. Mihi locos communes Theologiæ tractanti ſatis fuerit ſi breuiter contextum percurram, & quam ego iudico, veram ac genuinam eſſe interpretationem, eam paucis aperiam. Sic itaque ſentio: hunc primum verſum eſſe generalem omnium, quæ poſtea per partes explicaturus eſt Moſes, propoſitionem: qua breuiter docet, Primùm quidem, eorum quæ ſunt tam in Cœlis, quàm in Terris, tam rerum inuiſibilium, quàm viſibilium, nihil præter Deum eſſe æternum: Deinde, omnia eſſe ex nihilo condita: Tertiò, omnia eſſe à Deo. Hæc eſt propoſitio: Primum collige ex dictione, IN PRINCIPIO: iterum ex verbo CREAVIT: tertium ex nomine, ELOHIM.

I. Primum itaque proponit, nihil præter Deum eſſe æternum. Omnia enim habuiſſe initium, & in tempore fuiſſe facta: vſque adeò, vt ipſum etiam tempus initium cum aliis rebus habuerit, vt poſtea explicat Moſes, cùm ait; *Et fuit veſpera, & fuit mane dies vnus.* Et Apoſtolus ad Hebræos ait: *per Chriſtum facta eſſe ſecula.* Et ſæpe in ſcripturis legimus, *ante ſecula, & ante tempora ſecularia, ſolum fuiſſe Deum.* Omnia igitur initium habuerunt, ac proinde nihil præter Deum æternũ eſt. Hoc docet illa particula בראשית, quæ primo loco mihi explicanda eſt: ſecundo loco verbum ברא. tertio nomen Elohim: quarto nomen Cœli & Terræ. בראשית: quaſi dicat, certo quodam principio, res omnes tam inuiſibiles, quàm viſibiles eſſe cœperunt, à Deo nimirum æterno, è nihilo conditæ. Quodnam eſt hoc principium? Non eſt hîc ſubtiliter philoſophandum, vt multi faciunt: res enim facilis eſt.

Principium, de quo Moſes, eſt initium rerum ipſarum, & temporis, quo factæ ſunt, h. e. initium ſeu principium, quo res eſſe cœperunt: vt ſit ſenſus: Cœlum & Terra, & quæcunque in eis ſunt, non ſemper fuerunt, neque à ſeipſis ſunt, ſicut Deus: ſed & initium habuerunt, & à Deo ſunt, *In principio* enim (nempe certo, cùm nondum res eſſent) *creauit eas Deus.* Hic eſt ſimplex, & (meo quidem iudicio) genuinus ſenſus: id quod liquet à ſcopo Moſis. Is enim fuit oſtendere, Deum, cuius legem tradebat, eſſe abſolutum rerum omnium conditorem: eúmque non coactum, ſed liberum. Omnia enim illum pro ſua libera voluntate, quando ſuæ placuit ſapientiæ, è nihilo feciſſe, in noſtram vtilitatem & vſum. Res igitur non fuiſſe aut à ſeipſis, aut Deo coæternas, ſed & à Deo eſſe, & initium accepiſſe: illud, inquam, initium, quo eſſe cœperunt. Et ſic Tertullianus contra Hermogenem interpretatus eſt, dicendo; *Principium hoc eſſe verbum inceptionis, quo ſc. res cœperunt eſſe.* Sic poſtea Auguſt. tomo ſexto contra aduerſarium legis & Prophetarum, lib. 1. c. 2. Quare cùm ſenſus ſit perſpicuus ex ſcopo ipſius Moſis, vanum eſt philoſophari in hac dictione בראשית. Quidam enim voluerunt hoc principium eſſe Chriſtum ſapientiam Patris. Sic Hilarius, ſic Origenes, & alij nonnulli Patres. Sed etiam ab Hieronymo refutatur hæc ſententia. Alij eſſe materiam primam, quæ ideo appellatur principium, quòd cùm ipſa ſit ipſorum iudicio æterna, ſiuéque principio; poſtmodum fuerit rerum omnium conditarum principium. Sic Hermogenes, aduerſus quem Tertullianus ſenſit. Alij eſſe particulam ordinis: proinde vertunt, *in primis, primùm.* Sic Theodoretus, vt ſit ſenſus: primùm quidem creauit Deus Cœlum & Terram, deinde reliquas res: vel primùm omnia creauit in materia, deinde res inter ſe diſtinxit. Sed illæ duæ priores interpretationes nimis ſunt coactæ: Hæc tertia minus coacta eſt, ſed nihil tamen ad rem in hoc primo verſu facit. Hîc enim propoſitionem de toto Mundo generalem adfert Moſes, omnia ſcilicet initium habuiſſe à Deo. In verſu autem ſequenti oſtendit, quo ordine fuerint res viſibiles creatę: primò omnes ſimul materialiter creatæ ſunt: Erant enim omnia Chaos quoddam, quod vocat Terram תהו ובהו. Deinde adiectis cuique rei formis, omnia perfecit Deus, & diſtinxit. Quidam ſic בראשית *in capite*, hoc eſt, in ſumma & ſummatim Deus creauit Cœlum & Terram, nempe cum omnibus quæ in illis continentur: quæ deinde ex parte explicat. Sed genuinus ſenſus ille mihi eſſe videtur, quem initio attuli ex Auguſtino & Tertulliano.

II. Sequitur altera vox ברא. Recepta eſt interpretatio hoc verbo ſignificari propriè aliquid ex nihilo fieri, non autem ex præiacente materia. Et apertè ait Dauid Kimchi ברא de omni re dici, cùm à nõ eſſe ad eſſe perducitur. Quid autem minùs habet eſſe, quàm nihil? Propriiſſimè igitur & ſimpliciter tum aliquid dicitur creari, cùm ex nihilo aliquid fit. Quare cùm Deus propriiſſimè creauit Mundum (nõdum enim quicquam erat, antequam crearetur) efficitur hoc verbo ſignificari, Deum ex nihilo Cœlum & Terram, & cuncta creaſſe. Quare, quod Græci verterunt ἐποίησεν, & Latini *creauit*, quanquam vtrumque verbum de iis etiam prædicatur, quæ ex præiacente materia fiunt: in hoc tamen loco verbum illud aliter accipi non poteſt, quàm ex nihilo Deum creaſſe Cœlum & Terram, eóque omnia, quæ in eis ſunt, Nõ improbo diſcrimen, quod quidam faciunt inter *fieri & creari*; nempe, quòd fieri generale ſit verbum, quod tam de animatis, quàm de anima carentibus prædicetur: (Dicimus, n. & domum & homines fieri:) creari verò propriè de iis dicatur, quæ per propagationem gignuntur, vnde & *procreare* deducitur, quod ad prolem tantùm refertur. Dicimus enim, creari & procreari ab homine hominem, non autem domũ. Hoc inquam, diſcrimen non impugno: neque etiam diſplicet, quod aiũt, Deum dici creaſſe Mundum, propterea, quod illum quaſi genuerit, & procrearit, vt etiam Cicero de Vniuerſitate loquitur: quanquam non de ſua ſubſtantia; Vnde & *pater mundi, rerumque omnium* appellatur à Platone & aliis Philoſophis. Hæc, inquam, non improbo quidem, ſed illud tantùm contendo, verbo ברא hoc in loco, vertere tas, vel ἐποίησεν, vt Græci, vel *creauit*, vt Latini, non poſſe aliud ſignificare, quàm omnia ex nihilo à Deo creata, & à ſimplici non Eſſe ad ipſum Eſſe producta fuiſſe. Ratio eſt;

Quia hic de prima rerum origine diſſerit Moſes. Prima autem origo eſt, cùm à ſimpliciter non Eſſe, ad Eſſe producuntur. Quid hoc autem eſt aliud, quàm ex nihilo aliquid fieri? Deinde ſi Deus eſt verè omnipotẽs: potuit igitur res omnes ſine præiacente materia procreare. Quid igitur prohibet, quin, cùm Moſes de principijs rerum diſſereret, dicat, *Deum omnia creaſſe*, interpretemur verbum creandi, pro ex nihilo aliud facere? Imò ſi Deus eſt primum Ens, & omnis Entis auctor: Materia autem cuiuſque rei eſt Ens, efficitur, primam quoque rerum omnium materiam à Deo eſſe creatam. Quæ cùm ita ſe habeant, ſequitur ex hac quoque dictione ברא Mundum non eſſe æternum, ſed principium habuiſſe. Si enim è nihilo creatus eſt: Ergo antequam crearetur, nihil erat; & à non Eſſe intra aliquod temporis ſpatium, productus eſt.

Cæterùm notandum eſt in ipſo contextu Moſis, triplici de cauſa omnia, quæ à Deo facta fuiſſe narrantur, dici creata eſſe à Deo. *Primò*, quia rerum omnium materia è nihilo eſt producta. Sic enim verſ. 2. de terra ait: והארץ *Terra autem fuit* תהו ובהו, hoc eſt *deſolata luce*, formis, & ornamentis, & vacua omni virtute. Vnde liquet, quomodo initio, h. e. primo die creauerit Deus cœlos hos viſibiles, & Terram. nempe non tales quales iam videmus: ſed in quadã tantùm materia indigeſta & rudi, quæ voce *Terra* verſu ſecundo ſignificatur. Materia igitur rerum omnium è nihilo eſt, eóq; propriè creata: ac proinde etiam omnia quæ materia conſtant, dicuntur verè & propriè à Deo creata, reſpectu materiæ è nihilo productæ. *Deinde*, dicuntur creata, quia omnium formæ, earum etiam rerum, quæ à materia creata productæ ſunt creatæ ex nihilo fuerunt. Non enim erant formæ in ipſo chaos, niſi δυνάμει, ſed ſingulis diebus fiebant, iubente ac dicente Deo, *ſit hoc, ſit illud*. *Tertiò*, quia omnia tàm materia & formæ, quam ex his compoſita, producta à Deo fuerunt, ſine motu, ſiue ſine vlla alteratione, qualiter fit in omni generatione: ſed ſolo iuſſu Dei, idque in momento temporis. Dicebat enim: ſit vel eſto hoc vel illud. Et dictum factum, erat hoc & illud. Proinde etiam verſu 21. vbi loquitur de productione cetorum, tametſi ex materia iã ante præiacente, producti ſint: tamen ſcriptura ait, *Deum creaſſe cetos magnos & animam viuentem*. Eſt ibi verbum ברא. item verſu 27. idem de creatione totius hominis legitur, quem tamen, ad corpus quod attinet, ex materia præiacente, hoc eſt, ex luto, creatum ac formatum fuiſſe conſtat. Sic enim ait Moſes ויברא אלהים האדם. Ratio huius eſt, partim, quia licèt è materia præiacente, formatum ſit corpus Adæ: tamẽ hæc materia à Deo immediatè & per ſe creata fuerat è nihilo: partim quia forma hominis propria, anima ſcilicet è nihilo procreata fuit à Deo, non autem educta ex materia. Denique quia id factum fuit ſine vlla præcedente mutatione, ſiuéque alteratione, id quod neceſſariò conſequitur creationem propriè dictam, quæ eſt rei alicuius è nihilo, ſeu ἐκ τοῦ μὴ ὄντος effectio ſeu productio. Quod enim omnino non exiſtit, illud mutari non poteſt: eóque ibi nulla inueniri poteſt alteratio. Imò etiam corpus Adæ, licèt è materia præiacente formatum fuerit, non fuit tamen ex ea, tanquam ex ſeminario quodam productum. Proinde verè totus Adam dicitur creatus fuiſſe à Deo. Nos verò ad animam tantùm quod attinet rationalem, propriè creati a Deo eſſe dicimur. Hæc enim ſola immediatè à Deo è nihilo in corpore ſine alteratione, procreatur. At verò corpus non ita, ſed ex ſanguine & materia parẽtum, tanquam è ſeminario cum alteratione, & mutatione, ac corruptione producitur: ideóque & veriùs generatio, quã creatio vocatur: & nos potiùs geniti, ad corpus quod attinet, quàm *creati* dicimur. Atque hæc de ſignificatione vocis ברא in hoc capite Moſis notata ſunto. Hinc non ineptè colligitur, duplicẽ eſſe creationem, vnam, quæ propriè ſic appellatur. Ea eſt, cùm res è nihilo, & ſine vlla alteratione, à non Eſſe ad Eſſe producitur: qualis fuit creatio cœli beatorum. Neque enim eſt ex materia prima, vnde reliqui formati ſunt: & qualis etiam fuit creatio Angelorum & animarum noſtrarũ: qualis item fuit creatio primæ materiæ. Non enim fuit ex alia præiacente materia effecta. Altera creatio eſt, quæ non ita propriè, verè tamen creatio in ſcripturis nominatur, & quæ etiam ſoli Deo competit: Ea eſt, cùm res ex præexiſtente quidẽ materia fit: Verùm eo ſic modo, quo à nulla re creata fieri poteſt, ſed à ſolo Deo, nempe ſine alteratione, eóque ex materia quidem, ſed non tãquam ex ſeminario, ex quo creatura ſimile quid producere poſſit. Talis fuit creatio elementorum, & eorum quæ ex elementis producta leguntur. Immediatè enim à Deo ex prima iſta materia ſine vlla alteratione, vi tantùm diuini verbi *eſto*, vel *fiat*, producta ſunt.

Creatio quid.

Ita reuera quæcunque legimus in hoc capite facta fuiſſe à Deo, verè & propriè creata fuiſſe dicenda ſunt. Quare ſic mihi videtur definiri poſſe creatio, de qua hic loquitur Moſes. *Creatio eſt actio Dei, qua immediatè per ſe, res à non Eſſe ad Eſſe ſine alteratione, pro ſua libera voluntate producit: idque aut ex nulla prorſus præexiſtenti materia aut in materia iã à ſe creatam formã è nihilo creatam inducendo.* Thomas Aquinas ſic definit in prima parte q. 65 art. 3. *Creatio eſt productio alicuius rei ſecundum ſuam totam ſubſtantiã, nullo præſuppoſito, quod ſit vel increatum, vel ab aliquo creatum.* Quæ cùm ita ſe habeant, etiam ab hac voce ברא ſeu à nomine creationis efficitur, Mundum non eſſe æternum. Si enim creatio eſt libera & voluntaria Dei actio, qua res è nihilo factæ, & à non Eſſe ad Eſſe productæ ſunt: efficitur, Mundum aliquãdo non fuiſſe. Non igitur tenemus, quid propriè ſit creare & creatio. Sequitur tertia dictio, de cauſa ſcil. agente.

III. אלהים | *Primò* nomine *Elohim* intelligendum eſſe hîc Iehouam, non autem Angelos, qui & ipſi nonnunquam *Elohim* appellantur, extra controuerſiam eſt: propterea quòd *Gen. c. 2. v. 4.* apertè ait Moſes, Iehouam eſſe illum, qui fecerat Cœlum & Terram: vt de alijs ſcripturarum locis taceã. *Deinde*, illud etiam conſtat, nomen hoc pluralis numeri eſſe, ab אלוה quę vox fortẽ ac potẽtem ſignificat, ac proinde apposite Deum hîc vocatum fuiſſe אלהים quòd in creatione, ſuam cumprimis exeruerit potentiã, omnia ex nihilo creando. *Tertiò*, illud quoque nullam habet apud pios dubitationem: vnum tantùm eſſe Deum, quem Moſes poſtea vocat *Iehouam*, qui creauit Cœlum & Terram.

Cæterum præter hęc, ego aio, nomine Elohim in hoc loco Moſen intellexiſſe *Patrem, Filium & Spiritum ſanctum*, & ſenſiſſe, non ſolũ Patrem, ſed & Filium, & Spiritum S. creaſſe Cœlum & Terram: ac proinde omnes hos tres vnum tãtùm eſſe Iehouam. Neque deſunt qui nobiſcum fateantur ex verbis Moſis colligi poſſe, creatum fuiſſe Mundum non à Patre ſolum, ſed etiam per Filium, & per Spiritum ſanctum. Et alij quidem conantur demõſtrare, per Filiũ creatum eſſe Mundum ex particula בראשית vt antè dictum eſt. Alij ex verbo, *Et dixit Elohim*. Verbum enim prolatum, eſſe Filium, & per hoc verbum omnia eſſe creata: Alij ex verbo ברא tres perſonas colligunt, quòd ſingulæ hæ literæ initiũ vocabulorũ, quibus apud Hebræos nominatur *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*, conſtituant. Prima enim litera ב ſignificat Filium, quòd Filius apud Hebræos ſit בן altera ר ipſum Spiritum ſanctum, quod dicatur רוח Tertia א Patrem, Pater enim vocatur אב. ſed hæc ſunt coacta, & nimis ſubtilia. Illud certius eſt quod nomine *ſpiritus Elohim*, verſ. 2. interpretantur *Spiritum ſanctum*: eoque inde concludunt, Spiritum ſanctum à creatione Mundi excludi non poſſe. Cæterùm ego, vt antè dixi, tametſi nonnulli nobis aduerſentur, affirmare tamen non dubito, Moſen nomine *Elohim* in primo verſu intellexiſſe, non ſolũ Patrem, ſed etiam Filium & Spiritũ ſanctum: eóque voluiſſe docere, Mundi creatorem fuiſſe Patrẽ ſimul cũ Filio & Spiritu ſancto. Fuſiùs hoc demonſtrabo in quæſtionibus: in præſentia tantùm rem indicabo. Nã quem hîc vocat *Elohim*, in cap. 2. v. 4. vocat *Iehouam*. Atqui nomine Iehouæ in ſcripturis & apud Moſen, non ſolùm Pater intelligitur, ſed ſępe etiam Filius, & Spiritus ſanctus, vt à nobis aliàs demonſtratum eſt. Deinde quod norunt & prædicarũt Prophetæ & Apoſtoli de auctore creati Mundi: illud certè non ignorauit, neque etiam tacuit Moſes: imò ipſe priùs illud nouit & docuit: Deinde ab hoc acceperunt Prophetæ: vnde & *Moſis interpretes* appellantur. Atqui norunt & prædicarunt Prophetæ & Apoſtoli, Mundũ eſſe conditum nõ à Patre tantũ, ſed & à Filio, & per Filium, & per Spiritũ ſanctum: vt aliàs demonſtraui, & res certiſſima eſt. Nouit igitur etiam hoc Moſes, & prior alijs docuit. At vbinam potiſſimũ docere hoc debuit? Certè in hiſtoria de rerum creatione, & cũ de cauſa Mundi effectrice ex profeſſo dicendum erat. Ait autem in generali propoſitione, *Elohim creaſſe Cœlum & Terram*. Nomine igitur *Elohim*, intellexit perſonas diuinas, Patrem, Filium, Spiritum ſanctum. Adde, quòd Exod. 3. ille, qui miſit Moſen in Ægyptum ad liberandum populum, & qui poſtea dedit legem, & comitatus eſt populum per deſertum, vocatur *Iehoua Elohim*, eodem, inquam, nomine, quo & is, qui in primo & in ſecundo capite Geneſeos, dicitur *creaſſe Cœlum & Terram*: illum autem *qui apparuit Moſi* Exod. 3. fuiſſe Filium Dei, qui poſtea *Chriſtus* eſt appellatus; à nobis aliàs clariùs demonſtratum fuit: Et Apoſtolus 1. Corinth. 10. confirmat dicendo, *ne tentemus Chriſtum, ſicut quidam illorum tentauerunt*. Qui enim tentatus fuerat in deſerto, is fuit idem, qui principio creat Cœlum & Terrã, qui deinde eduxit populum ex Ægypto: qui poſtea tulit legem. Dubiũ igitur non eſt, quin Moſes nomine Elohim Gen. 1. verſ. 1. intellexerit etiam Filium, & eius Spiritum, qui eſt Spiritus ſanctus. Nam quòd quidam excipiũt, poſſe Moſen

ſubiꝫciſſe,

ſubieciſſe, Elohim locutum eſſe. Item ſpiritum Elohim incubuiſſe aquis: ac proinde ſi vera ſunt, quæ nos dicimus, nempe, nomine Elohim tres perſonas intelligi debere; Filium à ſe ipſo genitum, & Spiritum ſpiratum eſſe non Patris, ſed ſui ipſius: illud vno verbo diluitur. Nam quoad primum locum, quem obijciunt: *Et dixit Elohim* non ſignificatur generatio Filij, quaſi verò tunc primum genuerit Pater Filium. Non ſignificatur ergo Filij generatio illa locutione, ſed Dei imperium actiuum, vt res fierent: ſicut & de rerum conſeruatione ac gubernatione loquitur Apoſtolus ad Hebræos, dicendo: portans omnia verbo ſuo potentiæ. Itaque cùm ait: *Et dixit Elohim*, merito nomine Elohim non ſolùm Patrem intelligimus, ſed omnes perſonas, Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, ſicut & in primo verſu. Ad alterum locum quod attinet, *Spiritus Elohim incubabat aquis:* Nomine Elohim, intelligimus Patrem & Filium. Eſt enim Spiritus vtriuſque, vt ſit apud Apoſtolum, *Rom.*8. Neque nouum eſt, quòd in ſcripturis nomen *Elohim*, cùm de Deo prædicatur, aliquando accipiatur pro tribus perſonis ſimul, aliquando pro duabus, aliquando pro vna duntaxat, quemadmodum exemplis alias oſtendimus. Quare etſi in primo verſu nomine *Elohim* intelligimus cum Moſe, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ſimul: neutrum tamen eorum abſurdorum, quæ illi obijciunt, noſtram interpretationem conſequitur. Neque ſumus ſoli, qui ſic locum hunc interpretemur; nobiſcum habemus quàm plurimos viros doctiſſimos, non tam ex veteribus, quàm etiam ex recentioribus Doctoribus. Certè neque Martyr, neque Muſculus fuerunt homines indocti aut linguæ ſanctæ imperiti, aut in ſacris literis parum exercitati, vt de alijs taceamus. Vtrumque verò illud effugium, quod à quibuſdam affertur, nempe, Deum vocari Elohim plurali numero, aut propter honorem, & propter reuerentiam, aut propter multas virtutes, quas in creando Mundo exeruit: friuolum eſt, vt aliàs etiam demonſtrauimus. Certè vt vnus homo propter multas virtutes, quibus ornatus ſit, & quas exerat in aliquo ſuo opere, non poteſt appellari *homines*. Sic neque Deus vnus, propter multas virtutes diuinas, quas in creando Mundo patefecit, rectè appellari potuit aut debuit plurali numero *Elohim*, quando nomen *Elohim* nomen eſt, quod ſignificat res ſubſiſtentes, vt Deum, vt Angelos, vt homines; nunquam autem de virtutibus prædicetur. Æquior igitur, & verior, & magis conſentanea eſt cum ſacris literis noſtra interpretatio, quàm illæ aliæ Hebræorum. Ego certè nunquam vidi, nomen hoc vſurpari in ſacris literis ad ſignificandam pluralitatem virtutum, ſed ſæpiſſimè ad ſignificandam pluralitatem perſonarum.

Atque hæc ſatis de voce tertia Elohim, qua efficiens mundi cauſa ſignificatur.

IV. השמים] Reſtat quarta, nempe quid nomine השמים והארץ intellexerit Moſes in hoc primo verſu. השמים [illegible] ſemper eſt numeri apud Hebræos. Reuera enim [illegible] nes ſunt Cœli, & non vnum Cœlum: ideo rectius in plurali, quàm in ſingulari poſitum eſt hoc nomen. Et rectiùs hic verteretur in plurali *cælos*, quàm *cælum*. Ad Etymologiam quod attinet, quidam deductum volunt ab אש igne, & מים aquis: tum quòd ex hoc aëre, qui cœli nomine etiam appellatur in ſacris literis, & pluuiæ, & ignes, hoc eſt, fulgura & fulgetra ad nos penetrent: (multa enim videmus in aere & ignis & aquarum accidentia, è quibus colligunt Philoſophi ſphæram ignis in poſtrema aëris parte eſſe) tum etiam quòd in cœlis ſuperioribus vſque ad ſtelliferum, & ignea lux, qualis eſt aſtrorum, & aquea materia, hoc eſt, ſubſtantia inſtar limpidæ aquæ, pellucida appareat. Ideo ab אש & מים eſſe volunt. Alij à שם ibi, & מים aquæ, quòd ibi aquæ, nempe in hoc aere ſemper ſint. Sunt enim in aere ſemper vel nubes, vel humores aliquot aquei. Orbes autem quaſi ex materia aquea conſtare videntur. Hæc de Etymologia Hebræi nominis.

Οὐρανός, Græca vox de quorundam ſententia, eſt ab ὁράω, *video*, quaſi ὁρανός, quòd ſic cœlum viſui peruium, atq; omnibus aſpectabile, tum propter immenſitatem & amplitudinem, tum propter lucem, qua reſplendet; tum propter materiam, quæ non eſt denſa & craſſa, vt terra, ſed διαφανὴς & pellucida. Hæc eſt Ambroſij in Examero. Alij volunt eſſe ἀπὸ τοῦ ὅρου, à termino & meta, quòd terminus ſit totius mundi, omnia quæ infra ſunt, ambiens & complectens, atque cuſtodiens. Hæc eſt Philonis in libro de mundo. Alij à verbo ὄρω, quod eſt *moueo & concito*, quòd omnia inferiora ſuo motu concitet & moueat.

Cœlum autem Latini vocant, alij à Græco κοῖλον deriuantes, quod concauum ſignificat (Hæc autem Etymologia conuenit omnibus Cœlis: quaſi enim concaui ſunt, reliqua ſub ſe omnia complectentes) alij à cælando, quod inſculpere ſignificat, deducentes, quòd ſcilicet Cœlum ſit ſideribus ſignatum, ornatum, & quaſi *cælatum*. Hæc ſignificatio propriè conuenit firmamento ſeu cœlo ſtellato. Significantur autem hoc Cœli nomine tria in ſcripturis: Primum, tota regio aëris, à terra & aquis, vſque ad Lunam, vnde aues, quæ in hoc volitant, *volucres cæli* appellantur. Et *cælum* dicitur *clauſum*, cùm nubes, quæ ſunt in aere, non faciunt pluuiam. Deinde omnes ſphæræ initio facto à Luna vſque ad Firmamentum, cum quo coniungimus & nonam ſphæram, certiſſima experientia ab Aſtrologis repertam. Ac de his duabus ſignificationibus non eſt dubium, vt Moſes paulò poſt latè docebit. Tertiò, Cœlum capitur pro loco Angelorum & beatorum hominum: qui ſupra reliquos omnes orbes eſt, quo & Chriſtus ſuo corpore receptus eſt, & vnde redibit ad iudicandum viuos & mortuos. Ideo Apoſtolus ait, *eum aſcendiſſe ſupra omnes cœlos*, iſtos ſcilicet aſpectabiles, in ſupremum illud, quod *cælum* etiam *cælorum*, & *cælum cœli* appellatur: de quo paulò poſt dicturi ſumus. Hæc ſunt tria ſignificata, quatenus ad rem noſtram pertinent. Nunc de Terræ nomine.

V. ארץ] Duo hîc habemus terræ nomina, & tertium apud Prophetas, in Pſalmis & alibi: ſimul trium ſignificata fideliter recitabo. Primum nomen eſt ארץ: hoc autem tria ſignificat. [illegible] Tota vniuerſa illa prima [illegible] materia, primo die creata, ex qua [illegible] cœli [illegible] quam Elementorum [illegible] materiam *Chaos* [illegible] Græci: atque [illegible] tes accepit, cùm dixit verſu 2. והארץ היתה תהו ובהו. Nam ex iſta הארץ תהו ובהו, poſtea [illegible] ta eſt [illegible] Hoc eodem nomine [illegible] terræ globus, cum Oceano & Aquis omnibus ſimul coniuncti, quæ è terra fluunt, & quæ Terram [illegible] ſignificantur: nempe tota hæc grandis maſſa, quæ eſt infra aerem, & in qua degunt animalia & piſces, & ex qua omnia nobis prouenient, iam in arida ſeu continenti, quam in mari. Huius ſignificationis eſt in verſu decimo ſeptimo, cùm ait Moſes creata fuiſſe luminaria in firmamento, vt lucem præberent על הארץ ſuper terram. Non ſolùm enim vt lucem præbeant terræ continenti, & iis, quæ in ea habitant, ſed etiam mari & fluuiis, & qui in eis nauigant, facta ſunt luminaria in firmamento. Et in hac etiam ſignificatione accipiunt permulti nomen הארץ in hoc primo verſu, cùm ait, *creauit Terram* (hoc eſt, totum hunc terræ globum cum aquis) & cœlos (ſcilicet aerem, & reliqua) 3. accipitur ſæpenumero tantùm pro continenti terra, aquis ſcilicet detecta, plantis ornata, & ab hominibus culta & habitata, [illegible] terræ elemento. Iuxta hanc ſignificationem ſæpiſſimè capitur, & videtur propria iam eſſe ſignificatio. Sic verſu decimo *Et vocauit Deus aridam* ארץ. Hanc ob cauſam ferè obtinuit apud omnes, vt hæc [illegible] pars, quæ eſt quartum [illegible] ארץ appelletur. Cicero in ſomnio Scipionis: *Hic globus* (inquit) *quem in hoc templo medio vides, quæ dicitur Terra.* Et Terram vocari à Latinis plerique volunt à *terendo*, quod pedibus teratur ab animantibus, quæ in ea [illegible] poſtea Moſes, cùm ait, *Germinet terra herbam virentem.* Hæc ſunt tria præcipua ſignificata nominis ארץ, quæ teſtimonium habent ex ipſo Moſe. Sunt tamen, qui nomine Terræ, præſertim in primo verſu, accipiant pro tota materia Elementorum tantùm, quæ ſunt infra Lunam: ſicut nomen cælorum, pro alterа duntaxat parte, nempe pro orbibus cæleſtibus.

Alterum Terræ nomen eſt יבשה quod vertunt *aridam*. Propriè enim יבש, ſit areſcere, & exſiccari. [illegible] Moſes verſ.9. & 10. *congregentur aquæ*, vt videri poſſit arida יבשה. Quo nomine eam propriè terræ partem, quæ ab aquis vacua & detecta eſt, & in qua ſunt plantæ & animalia, ſignificat. Idem ſignificat vox חרבה. *Commouebo mare & aridam*, *Aggæi* 2. Tertium eſt תבל quod vertunt fere *orbem terræ*, Pſal.6. *Et ipſe iudicabit orbem terræ* Eſt תבל, vbi æque ſignificat quod יבשה terram ſcilicet aquis vacuam, eóque habitabilem. Ideo hanc Græci vocant οἰκουμένην quod Latinè propriè ſignificat *habitatam*. De qua Luc.2. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis* οἰκουμένη. Nunc tenemus ſignificata nominum שמים & ארץ.

Quónam autem ſenſu Moſes in primo verſu acceperit hæc nomina? Quidam nomen שמים Cœli, accipiunt pro ipſo duntaxat cœlo & loco beatorum, qui eſt ſuper octauam, & etiam ſupra nonam ſphæram, quem locum vocare ſoliti ſunt Theologi *Empyrium cælum*, quòd totum lucidum ſit: ſed per Synecdochen intelligunt, nempe cælum cum Angelis omnibus, qui in eo habitant. Nomine autem *Terræ*, intelligunt totam primam materiam, vnde poſtea facti ſunt cœli reliqui, & Elementa omnia. Ita volunt hunc

eſſe ſenſum verborum Moſis, *Deus initio*, hoc eſt, *primum omnium & ante omnia creauit Cœlum* (ſcilicet Empyrium,) & quæcunque in illo ſunt, hoc eſt, Angelos הארץ Terram, nempe materialiter, hoc eſt, & materiam primam illam, ex qua porrò reliqua fuerunt verbo Dei producta, & inter ſe diſtincta. Sic Beda, Sic Rabinus, ſic Eucherius, quos ferè Scholaſtici ſequuntur. Sic ante omnes hoſce Doctores Clemens Epiſcopus Roman. ſi tamen eius eſt illa epiſtola, in qua hoc ſcribitur. Horum autem ratio, cur ſic interpretentur, eſt, quia Moſes poſtea verſu inſequenti, omiſſo Cœlo, de ſola הארץ loquitur, dicens, *Et Terra erat* תהו ובהו. Et ex ea oſtendit omnia fuiſſe educta, etiam firmamentum. Nomine igitur Cœli, in primo verſu intellexiſſe videtur Cœlum empyrium, & Angelos: Et ideo hos volunt creatos fuiſſe primo die, ipſo ſtatim initio. Alij volunt nomine השמים intelligi omnes cœleſtes orbes, à Lunari, qui eſt infimus vſque ad ſupremum, cum omnibus quæ in eis ſunt. Nomine autem הארץ, quicquid infra Lunam eſt, & omnia, quæ in eis continentur. Ita diuidunt totum Mundum duas in partes; in ſuperiorem ſeu cœleſtem: & in inferiorem, nempe elementarem, quam partem nomine terræ κατ' ἐξοχὴν quandam, & Synecdochicῶς interpretantur, vt ſit ſenſus Deus initio, hoc eſt, non ab æterno, ſed certo quodam temporis initio creauit omnia, nempe ſuprema, quæ nomine Cœlorum, & infima, quæ nomine Terræ ſignificantur, eóque omnia, quæ in iis continentur. Si Rabini aliquot, atque in primis Rabi Moſes Ægyptios, libro quem vocant *Ductorem* ſecundo. Placeret interpretatio, niſi Moſes poſtea doceret ex iſta ארץ omnia, etiam firmamentum, fuiſſe à Deo condita per verbum S i t, vel E s t o. Hanc igitur ob cauſſam (vt omiſſis aliorum opinionibus, meam dicam ſententiam) cenſeo, nomine השמים intelligendum eſſe, quicquid poſtea, tum in hoc capite, tum in aliis ſcripturæ locis, nomine Cœli appellatur. Nomine autem Cœli venit primò aer: ſecundò orbes nouem: tertiò ſedes beatorum, vt antè viſum eſt. Ergo nomine cœlorum complector ſupremum cœlum beatorum, orbes cœleſtes cum primo mobili, quod eſt noua ſphæra, & totum aërem: ſed ſynecdochicῶς, vt etiam Rabi Moſes facit, cum omnibus quæ in eis continentur: eóque in nomine cœlorum שמים Angelos comprehendi non dubito: quorum ſedes cœlum eſt ſupremum. Deinde nomine terræ, interpretor terram cum Oceano & omnibus aquis, vt in ſecunda nominis הארץ ſignificatione oſtenſum eſt. Sed hic etiam ſynecdochicῶς cum omnibus ſcilicet, quæ in terra continentur. Nam in ſacris literis nomine cœli ſimul & terræ quàm ſæpiſſimè, imò ferè intelligi omnes creaturas tam inuiſibiles, quàm viſibiles, extra controuerſiam, vt paulò pòſt oſtendam, eſſe nobis debet. Senſus itaque is fuerit, Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus certo quodam principio & tempore creauit ex nihilo omnia, tam cœleſtia, quàm terreſtria, tam ſublimia, quàm infima, tam ſpiritualia & incorporea, quàm corporata. Hæc eſt enim propoſitio generalis Moſis, quam poſtea ad res viſibiles quod attinet, omiſſis ἀοράτοις, per partes explicat. Itaque ne putaremus, omnia perfectè ſimul & ſicut iam ſe habent, fuiſſe facta, omiſſis rebus inuiſibilibus, Cœlo ſcilicet empyrio, vt vocant, & Angelis: redit ad viſibilia, & docet, omnia hæc initio fuiſſe nihil aliud, quàm materiam quandam craſſam & rudem, inſtar aquæ lutoſæ, & terræ liquidæ. Ex iſta verò materia Deum vi ſui verbi omnia eduxiſſe, ſubtiliores partes eleuando, & ex eis cœleſtes orbes formando, craſſiores verò in imo & ceu in fundo relinquendo, & ex iis Aquam & Terram, quales iam videmus, producendo. Sic interpretor hunc locum, & hunc credo verum & genuinum eſſe Spiritus ſancti ſenſum in hoc primo verſu. 1. Ratio eſt, quia tertia propoſitio eſt generalis de creatione Mundi, hoc eſt, rerum omnium: oſtendens & quando, & vnde, & à quo omnia ſint condita. Proinde dubium non eſt, quin in hoc verſu, Angelorum quoque creationem complectatur Moſes. Nam & ipſi creati ſunt, vt eſt extra controuerſiam. Et Apoſtolus Col. 1. rotundis verbis ſcribit, eos fuiſſe per Chriſtum factos. Non eſt itaque ſentiendum, Moſen horum creationem aut ignoraſſe, aut ſimpliciter tacuiſſe, idque eo in loco, vbi ex profeſſo de Mundi creatione differit, & vbi docet, Deum, à quo propagatum fuit humanum genus, & à quo Iudaicus populus ſpeciatim fuit ſibi collectus, cuſtoditus, conſeruatus, auctus, & tandem lege donatus: vbi, inquam, docet hunc Deum populi Iudaici eſſe rerum omnium conditorem, eóque verum & ſolum Deum. 2. Fuit enim hoc Moſis conſilium in hoc libro, vt antè dictum eſt, tradere nimirum prima rerum, atque in primis Eccleſiæ, principia, eóque & prima fidei rudimenta, ſummámque doctrinæ Eccleſiaſticæ: vt certè hiſce tribus prioribus capitibus perſpicuè continetur. Quis eſt autem primum fidei articulus? *Credo in Deum Patrem* (à quo non ſeparatur Filius, nec eius Spiritus) *omnipotentem creatorem Cœli & Terræ*. Quid eſt creatorem cœli & terræ? Nicænum ſymbolum ex Epiſtola ad Coloſſ. explicat dicens, *viſibilium omnium & inuiſibilium, Omnium* (inquit:) Ergo & Angelorum. Quod ſymbolum ſimpliciter ait, creatorem cœli & terræ, hoc ex Moſe ſumptum eſt, qui ſimpliciter dixit, *creauit Deus cœlum & terram*. Quòd verò ex Col. 1. addit, *viſibilium omnium & inuiſibilium*, hoc explicatio eſt verborum Moſis, quid ſit eſſe Deum creatorem cœli & terræ. Non fuerit autem vera & genuina interpretatio, ſi nomine *cœli & terra* non intellexit Moſes niſi res viſibiles. Qualis enim fuerit illa interpretatio, quæ cum mente autoris, cuius verba interpretamur, conſentanea non eſt? Nomine igitur *cœli & terra* complexus eſt Moſes omnia rerum conditarum tam inuiſibilium, vt ſunt Angeli, quàm viſibilium genera. 3. Atque hoc familiare eſt in ſcripturis apud Moſen ipſum, Prophetas & Apoſtolos, nempe vt nomine Cœli & Terræ non tam res viſibiles, quàm etiam inuiſibiles, hoc eſt, omnes res conditæ, intelligantur. Indicabo aliquot loca. Gen. 2. *Perfecti itaque ſunt Cœli & Terra, & omnis exercitus illorum*: hoc eſt, omnia quæ ſunt in Cœlo & in Terra. Quid hoc loco clarius, vbi Moſes ipſe ſua verba interpretatur? Dixerat in generali propoſitione, *Deus creauit Cœlum & Terram*. Verùm non omnia ſtatim creauit perfecta, & numeris omnibus abſoluta. Materia enim rerum corporatarum & viſibilium fuit primò תהו ובהו. Deinde ſingulis diebus variis a Deo veſtita & ornata formis. Tranſactis igitur ſex diebus, quibus operatus eſt Dominus, ait Moſes, *perfectos fuiſſe Cœlos* (ſcilicet omnes etiam iſtos orbes) & omnem ornatum ſeu exercitum illorum. Eſt צבאם. Interrogo vero, an non etiam Angeli pertineant ad hunc exercitum, qui poſt ſex dies fuit perfectus, & cuius Dominus eſt Iehoua, vnde & à Prophetis vocatur, *Deus exercituum, Elohim Zebaoth*? quis dubitet? Non pertinent autem ad exercitum Terræ: Cœleſtes enim ſunt ſpiritus. Ad exercitum igitur Cœlorum ſpectant Angeli, vnde & *cœleſtes exercitus*, ſeu *militia* vocantur Lucæ 2. Quis igitur dubitare poteſt, quin in generali propoſitione, nomine שמים complexus ſit Moſes ipſos etiam Angelicos ſpiritus, cum Cœlo, in quo inhabitare dicuntur? Geneſ. 14. Melchizedech benedixit Abrahæ in hæc verba: *Benedictus Abraham Deo qui fecit Cœlum & Terram*, hoc eſt omnia tam viſibilia, quàm inuiſibilia. Deuteron. 4. *Obteſtor contra vos hodie Cœlum & Terram*, id eſt, omnes creaturas. Deuteron. 32. *Audite Cœli, quæ loquor audiat Terra verba oris mei*. Hic etiã apertè appellat & conteſtatur omnes creaturas tam cœleſtes & inuiſibiles, quàm terreſtres & viſibiles. Sic Ieſa. *Audite Cœli, & auribus percipe Terra*; id eſt, ô vos omnes cœleſtes & terreſtres creaturæ. Matth. 11. Chriſtus ſic compellat Patrẽ *Gratias tibi ago Pater, Domine Cœli & Terra*, hoc eſt, rerum omnium conditor & Domine. Sic Apoſtoli Actor. 4. *Domine, qui feciſti Cœlum & Terram*, hoc eſt, omnia. Apoc. 14. *Adorate eum qui fecit Cœlum & Terram*. Nihil eſt certius & frequentius in ſcripturis, quàm voce *Cœli* ſimul & *Terra*, omnia tam inuiſibilia, quàm viſibilia à Deo condita ſignificari. Quid igitur cauſæ eſt, cur in hoc primo verſu, vbi in genere ait Moſes; *Deum creaſſe Cœlos & Terram*, à nomine cœlorum excludamus Angelos? 4. Poſtremo velim mihi ad hoc argumentum reſpondeant ab iis qui dicunt & ſcribunt, Moſen non hic egiſſe, aut nullum verbum feciſſe de creatione Angelorum, ſed tantùm de creatione rerum viſibilium. Angelos fuiſſe creatos, extra controuerſiam eſt. Coloſſen. 1. Creationem etiam rerum omnium fuiſſe perfectam intra ſex dies, manifeſtum eſt. Geneſ. 2. Exod. 20. *Septimo enim die quieuit ab omni opere ſuo Deus*; hoc eſt, nihil noui præterea creauit. Angeli igitur aut creati fuerunt ante ſex dies, aut intra ſex dies; aut poſt ſex dies. Non ante, quia ait: In principio creauit Deus Cœlos & Terram. Ante igitur illud principium, nihil creatum fuerat, alioqui creaturæ non tunc primum habuiſſent principium. Neque poſt. Scriptura enim ait, Deum ſeptimo die quieuiſſe ab omni opere ſuo, ſcilicet, creationis. Ergo intra ſex dies creati fuerunt. Verùm quotónam die? Num ſecundo? At ſecundo die non legimus factum fuiſſe niſi firmamentum, ſeu expanſionem aeris, & horum Cœlorum. Num tertio? At ibi non videmus, niſi congregatas fuiſſe aquas, quibus tota Terra operta erat. Item, datam fuiſſe Terræ vim germinandi, & ideo creatas fuiſſe arbores, & herbas productas. Denique in nullo etiam reliquorum dierum inſequentium, vllum habemus verbum, ex quo colligi poſſit, creatos in tali die

fuiſſe Angelos. Efficitur ergo, creatos fuiſſe primo die. In primo autem die hæc tantùm de rebus creatis habemus. Primo, generalem propoſitionem de creatis Cœlis, & Terra. Secundo loco deſcribitur, qualis fuerit de principio materia rerum omnium viſibilium à Deo creata, & ſuſtentata. Tertio, creatam fuiſſe lucem, & ita diſtinctam fuiſſe à tenebris. éóque ex veſpera & manè, euiſſe diem primum. Vnde igitur colligemus ex verbis, ſcilicet Moſis, in primo die creatos fuiſſe tunc Angelos, ſicut neceſſe eſt concludere? Aut certè ex nomine lucis, aut ex nomine Cœlorum. Nam ex nomine Terræ hauriri hoc non poteſt, nec debet. Sed nomine etiam lucis intelligere Angelos, vt quidam faciunt, nimis coactum eſt, & abſurdum, vt liquet ex contextu. In nomine igitur Cœlorum (vt Scholaſtici) comprehendi, conſentaneum eſt, ne dicam etiam neceſſarium. Niſi fortè velis contendere, Moſen nullam voluiſſe mentionem facere conditarum rerum inuiſibilium. Verùm hoc antea oſtendimus eſſe abſurdiſſimum; & fieri hac in re iniuriam Moſi, quaſi qui non prædicarit, Deum eſſe creatorem, niſi rerum viſibilium. Quis igitur erit creator inuiſibilium? Quare (pace omnium dixerim) meo iudicio falluntur omnes illi, qui aiunt ac ſcribunt, à Moſe in hiſtoria de creatione, nihil de inuiſibili Cœlo, quod eſt beatorum, nihilque de Angelis ſcripſiſſe, ſed tantùm de viſibili Cœlo, déque viſibilibus aliis rebus. Fateor quidem non ita diſertis & rotundis verbis, neque ita fusè de inuiſibilibus ſpiritibus Moſen diſſeruiſſe, atque de aliis, de viſibilibus ſcilicet rebus ſcripſi. Quæ res legitimis non caret cauſis, nempe ne vel putaremus, Deum illorum opera vſum fuiſſe in creandis nobis & Mundo, ac proinde ne ad illorum cultum irritaremur, id quod facilè à populo illo cumprimis fieri potuiſſet, ſi Moſes initio illorum creationem apertè explicaſſet. Iis igitur de cauſis noluit rotundis verbis illorum creationem explicare. Hoc libenter damus, ſed ſimpliciter & abſolutè Moſen nihil de inuiſibili Cœlo beatorum, nihilque de inuiſibilibus Angelis ſcripſiſſe in hiſtoria de Mundi creatione, dare nullo modo poſſum, propter rationes antea allatas. Tenemus veram huius loci intelligentiam. Nunc ad explicationem locorum communium, qui in hoc verſu ſeſe offerunt, venio.

CAPVT III.

Locus de Mundo in genere tractatur: & quinam porrò explicandi ſunt, docetur.

HACTENVS ſimpliciter, ſed tamen haud perfunctoriè, verba Moſis in primo verſu cap. 1. Geneſeos, interpretati ſumus: nempe tam generalem propoſitionem de toto Mundo, qui Cœli & Terræ nomine ſignificatus eſt, quàm quæ de operibus inuiſibilibus, Cœli nomine comprehenſis; ſcripta reliquit.

Nunc aliquot inſignes loci de operibus Dei, quæ creationis appellantur, ex illo contextu nobis explicandi ſunt. Quorum primus eſt de Mundo in genere, quatenus nomine Mundi, omnia quæ ſunt, tam inuiſibilia, quàm viſibilia, ſi vnum excipias Deum, rerum omnium cauſam, intelliguntur & comprehenduntur. Reliqui erunt de partibus Mundi, quæ primo die creatæ fuerunt, inuiſibiles: nempe de Cœlo beatorum, déque Angelis omnibus tam bonis, quàm qui poſtea, ſuo ipſorum vitio & culpa, mali facti ſunt.

Ad primum igitur locum, quod attinet, qui eſt de Mundo in genere: Quatuor nobis explicandæ ſunt quæſtiones. Prima, an Mundus habeat aliquam ſui efficientem cauſam, & quænam illa ſit: vbi multa de mundo, eiúſque nomine. Secunda: Si fuit factus, an fuerit factus ab æterno, an verò in tempore, ac proinde de Tempore, ex quo fuit factus. Tertia: Si factus in tempore, an ex materia præiacente, an verò ex nihilo. Quarta, de rerum conditarum diſtinctione, multitudine & diuerſitate, quæ multarum & diuerſarum rerum diſtinctio ſignificatur, tum in eo, quod Cœlum nominat, & Terram, tanquam res diſtinctas, tum in eo, quòd poſtea diuiſit lucem à tenebris, noctem à die, & ſic deinceps. Quinta igitur fuerit. An hæc rerū diſtinctio ac diuerſitas ſit à Deo, & à Deo ordinata, an verò aliunde & caſu contigerit.

QVÆSTIO I.

An mundus habeat aliquam ſui efficientem cauſam.

THESIS I.

Efficiens mundi cauſa eſt, Iehoua Elohim.

MVndi nomine intelligo id, quod duobus nominibus, nempe השמים & ארץ Cœlorum & Terræ expreſſit Moſes, omnia ſcilicet præter Deum, quæ aut in Cœlis ſunt, aut in terra, viſibilia & inuiſibilia. Nam hoc etiam nomine in hac ſignificatione, ſæpenumero vtuntur non ſolùm Philoſophi, verùm etiam ſacræ literæ, vt apud Iohannem, 1. *Mundus per ipſum factus eſt*, antea autem dixerat, *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Nomine igitur *Mundi* intelligit omnia quæ ſunt, ſi vnū excipias illorum authorem, Deum. Sic *Iohan. 17. Glorifica me ô Pater, ea gloria, quam habui apud te, antequam mundus fieret.* Et ad Ephe. c. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Ac quod nos mundum, Græci κόσμον vocarūt. Eſt autem κόσμος ab ornatu appellatus, tota hæc pulchra machina, quòd ea nihil ſit ornatius & pulchrius, non tam propter pulchras rerū formas, formoſamque Cœli faciem, & ſplendidiſſimam lucē, quā etiā propter pulcherrimā totius mūdi rerū́mq; omniū inter ſe συζυγίαν, φιλίαν, κοινωνίαν, quatenus à Deo creatæ fuerunt & reguntur. Sic Plato: φασὶ δ' οἱ σοφοὶ ὦ Καλλίκλεις, καὶ οὐρανὸν, καὶ γῆν καὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους τὴν κοινωνίαν συνέχειν, καὶ φιλίαν, καὶ κοσμιότητα, καὶ σωφροσύνην, καὶ δικαιοσύνην, καὶ ὅλον τοῦτο, διὰ ταῦτα κόσμον καλοῦσιν ὦ ἑταῖρε, οὐκ ἀκοσμίαν. Eſt hæc omnium pulcherrima vocis Κόσμου Etymologia. Eandem ferè tradit Ariſtoteles libro περὶ τοῦ Κόσμου, capite ſexto. Eandem enim ob cauſam. Mundum appellari ait Κόσμον. *Primùm* itaq; pulcherrimam rerum cœleſtium & terreſtriū inter ſe harmoniam atque concentum, & quomodo omnia ab vno ſint, & ad vnum omnia tendant, deſcribit. *Deinde* ſubdit, vniuerſum igitur hoc rectè κόσμον, non autem ἀκοσμίαν appellari. Plinius lib. 2. c. 4. *Mundum, ait, à Latinis appellari à perfecta abſolutáq; elegantia.* Quid verò ſit mundus, Ariſtoteles in eodem libro περὶ τοῦ κόσμου, capite ſecundo bifariam definit. *Primùm* à partibus, ex quibus conſtet, his verbis: Κόσμος μὲν οὖν ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, h. e. *Mundus igitur eſt compages, conſtans ex Cœlo & Terra, & (cæteris) naturis, quæ in his cōtinentur.* Hic habes perfectam mundi à partibus definitionem. Sic Moſes mundum expreſſit & quaſi definiuit à partibus, quibus conſtat, cùm dixit: *Deum creaſſe cœlum & terram*, ſubintellige, & quæ in cœlo & in terra continētur, tam inuiſibilia, quam viſibilia, ſicut interpretati ſumus. *Deinde*, alteram mundi deſcriptionem ibidem attulit Ariſtoteles à cauſis mundi ductā: in hæc verba: λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως, Κόσμος, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε, καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη. *Eſt* (inquit) Κόσμος *omniū rerū ordo atq; ornata diſtinctio, à Deo & propter Deū cōſeruata.* Hic habes omnes cauſas. Efficientem; Deum; Ait enim *à Deo conſeruata*, φυλαττομένη. Materialē, *omnia ſcilicet, quæ ſunt & quib. conſtant.* Ait enim τῶν ὅλων. Formalem, *ordinem* ſcilicet ac διακόσμησιν. Eſt enim διακόσμησις certarum ſpecierum certo ordine inter ſe coniunctarum, diſtinctio. Finalis eſt *Deus* ipſe. Ait enim, διὰ τὸν θεόν. Si verò vtramq; coniungas, tunc perfectam habebis Mundi definitionem. Sic igitur definio: *Mundus eſt rerū omnium, tam in cœlo, quàm in terris exiſtentium, pulcherrimè inter ſe ordinatarum, & optimè diſtributarum, compages, à Deo & propter Deum facta & conſeruata.* Ac ſi admittatur hæc Ariſtotelis definitio, conſtat planè, Theſin noſtram eſſe veriſſimam. Nunc tenemus quid nomine mundi intelligamus, & quàm meritò hæc rerum tam inuiſibilium, quàm viſibilium vniuerſitas, Mundus & Κόσμος appelletur, tam à Spiritu ſancto in ſcripturis, quàm à prophanis philoſophis in ſuis ſcholis, & vbique à vulgo. Nomine verò Iehouæ Elohim, intelligimus immenſum & æternum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, vt in Scripturis Noui Teſtamenti perſpicuè deſcribitur ac definitur.

Solus Deus Mundi Conditor eſt.

II. Porrò facilis eſt confirmatio, tum è ſcripturis, tum è teſtimoniis Philoſophorum, atque apertis rationibus, nempe Deum ſolum, cauſam eſſe Mundi efficientem: atque ita eſſe, vt hoc ſit ſolius Dei proprium, quod neque Deus eſſe poſſit, ſi non ſit conditor Cœli & Terræ: neque alius, qui non ſit Deus, potuerit illi eſſe adiutor. Teſtimonia Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum hac de re plura ſunt, quàm vt poſſint, & clariora, quàm vt debeant à nobis vel enumerari, vel explicari. Primum caput & alterum Geneſeos abundè ſufficiunt: & apud Ieremiam, 10. Dij, qui non fecerunt Cœlum & Terram, exterminentur è Terra. Præſtantiſſimi etiam Philoſophi id nouerunt & ſcriptum reliquerunt, Horum etiam annumerare ſententias, ſuperuacaneum eſt. Collectæ ſunt a multis etiam Patribus, atque inprimis à Iuſtino Martyre, tum in exhortatione ad Gentes, tum in libro de Monarchia. Etſi enim ſcopus Iuſtini fuit demonſtrare teſtimoniis etiam optimorum Philoſophorum, vnum tantùm eſſe Deum, non autem, vt gentes ſomniarunt, plures.

Simul tamen etiam docet, Hunc vnum Deum, omnium eſſe rerum conditorem,& gubernatorem. Idem poſtea etiam fecit Clemens Alexandrinus in oratione ad gentes. Idem & Euſeb. Cæſarienſis in libro de præparatione Euangelica. Idem Lactantius Firmianus Inſtitutionum lib.1. Legantur præter alia,caput quintum,ſextum,ſeptimum. Quorundam tamen Teſtimonia iucundiſſimum eſt audire, vt illud Orphei, εἷς ἐστ' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται: *vnus eſt per ſe genitus, ab eo vno cuncta ſunt prognata.* Item aliud eiuſdem, dictum Latine. *Vnus perfectus Deus eſt, qui cūcta creauit, cuncta fouens, atque ipſe ferens ſuper omnia ſeſe.* Eſt hoc mirabile Teſtimonium conſentaneum cum eo, quod ſcribit Moſes verſu primo & ſecundo. Primum ait vnum eſſe Deū, qui cuncta creauit: Sic Moſes, *Elohim creauit Cœlum & Terram.* Deinde ait, eundem Deum omnium creatorem, omnia fouere & ſeſe ſuper omnia ferre. Sic Moſes de Spiritu Elohim ait: *Spiritus autem Elohim ferebatur ſuper aquas* מרחפת, quæ vox, vt vidimus, ſignificat fouere oua, & ſeſe ſuper ea mouere. Quibus ex verbis Orphei confirmatur, Spiritum hunc fuiſſe Deum, non Aerem: & quidem eundem Deum, qui omnia creauit. Quale eſt illud Sophoclis, εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶ θεὸς, ὃς οὐρανόν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακράν. *Vnus verè, vnus Deus eſt, qui cœlum condidit, ampliamque terram.* Illud verò Pythagoræ pulcherrimum eſt, quod citat Iuſtinus in libro de Monarchia:

Εἴ τις ἐρεῖ, θεός εἰμι, παρὲξ ἑνός· οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας, εἰπεῖν, ἐμὸς οὗτος.
Κοὐχὶ μόνον στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς, ἀλλὰ κατοικεῖν
Αὐτὸς ἐν ᾧ πεποίηκε· πεποίηται δ' ὑπὸ τούτου
Καὶ σοὶ τοῦ δεῖ.

hoc eſt:

Si quis dixerit, Deus ſum, præter vnum, is debet
Mundum huic ſimilem condere, & dicere: hic meus
eſt
Nec ſolum condere & dicere, meus eſt: ſed habitare
Ipſe in eo, quem fecerit. Hic verò ab hoc factus eſt.

Docet Pythagoras, quod etiam Prophetæ, ita proprium eſſe Dei, vt ſit conditor cœli & terræ, hoc eſt totius Mundi, vt Deus verus eſſe non poſſit, qui non ſit mundi conditor. Sic enim ait Ieremias: *Dij, qui non fecerunt cœlum & terram, exterminentur è terra*, nempe tanquam falſi & mendaces Dij. Hac nota vbique Deus Iehoua ſeſe ab aliis, falſis ſcilicet Diis, diſcernit: quod ſcilicet ipſe omnia creauit: illi verò opera ſint manuum hominum. Ergo teſtimoniis etiam præſtantiſſimorum Philoſophorum, & omniū propè gentium. Mundus à Deo conditus eſt. Non ſolùm autem Patrem Chriſti, ſed & Filium ipſum, & Spiritum ſanctum eſſe hunc vnum Deum Mundi conditorem, abundè à nobis demonſtratum eſt: & baptiſmi Symbolo, quo obſignati ſumus, omnes Chriſtiani profitentur. Ac Filium conditorem eſſe cœli & terræ, præter alia, locus ex Ieſa.45. collatus cum verbis Apoſtoli ad Roman.14. de Chriſto, ad cuius tribunal omnes ſiſtendi ſunt, manifeſtiſſimè euincit. De Spiritu ſancto idem etiam concluditur ex hoc loco Moſis Geneſ.1.verſ.2. collato cum teſtimonio Angeli ad Mariam, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, &c. Docuit enim virtute Spiritus ſancti creandam fuiſſe humanam Chriſti naturam, in vtero virginis. Ad Teſtimonia quod attinet Philoſophorum de Λόγῳ, & de Spiritu Dei, per eos conditum eſſe Mundum: iſtud antea inter interpretandū hunc contextum, planum fecimus. Reſtat igitur, vt idem vna & altera ratione, eâque firmiſſima, confirmemus.

Quicquid eſt participatione Ens, illud ab eo ſit, qui Ens eſt per ſe, neceſſe eſt. Quis hanc inficiari poſſit propoſitionem? Eſt enim ſimpliciter hoc neceſſarium, vt, quod eſt participatum, ab eo tandem ſit, qui alios ſui eſſe, & ſuorum bonorum participes facit, ipſe verò particeps nullius, ſed per ſe talis ſit. Aqua calefacta, calida eſt participatione caloris. Ab alio igitur, quod per ſe calidum ſit, hoc eſt, ab igne, calorem habeat neceſſe eſt. Idem in aliis rebus omnibus facilè eſt videre, & ex illis concludere. Atqui præter Deum, quicquid eſt: participatione eſt: Ens, participatione Entis: viuum, vitæ: lucidum, lucis: Solus autem Deus eſt Ens, vita, lux, & omnia per ſe: Idcirco in omnibus rebus præter Deum, aliud eſt eſſentia, & aliud Eſſe: Mundus igitur & quicquid in Mundo eſt, à Deo ſit oportet. Nam omnia præter Deum, eſſe Entia per participationem, & non per ſe, hinc facilè euincitur: Quia ſolus Deus eſt Ens ſimpliciſſimum, & verè per ſe ſubſiſtens eſt. Reliqua omnia compoſita ſunt ſaltem ex Eſſe, & Eſſentia, & ex actu ac potentia: & ea re, vnum propriè non ſunt, ſed plura. Ita fit vt per ſe non ſubſiſtant, ſed per aliud. Quod enim eſt, per eſſentiam eſt, idcirco non vna eſt omnium eſſentia: quia ea multiplicatur, ſubiectorum, in quibus recipitur, multiplicatione. Nam albedo ſi per ſe ſubſiſteret, vna tantùm eſſet: Quomodo verò multiplicatur? Subiectorum, in quibus recipitur & communicatur, multiplicatione. Quia igitur ſola Dei eſſentia per ſe ſubſiſtit: idcirco ſola verè vna eſt, & ideo Deus tantùm vnus. Quia verò aliarum rerum eſſentia vna non eſt, nec eſſe poteſt, ſed in multiplicatis ſubiectis multiplicatur & ipſa, idcirco fit, vt præter Deum, nullum Ens per ſe ſubſiſtat: ac proinde præter Deum, omne quod eſt Ens, ſit participatione Entis. Quòd ſi participatione Ens eſt: ab eo ſit oportet, qui Ens per ſe eſt: Hic verò eſt Deus. Mundus igitur à Deo eſt ſolo. Ad hanc confirmandam rationem, quæ firmiſſima eſt, & nullam patitur ἔνστασιν, pertinent duæ ſententiæ, vna Platonis, altera Ariſtotelis. Plato ſic: Ante omnem multitudinem vnitas ponatur oportet. Et omnis multitudo, ab vnitate pendet: Sunt autem hæc Entia multa. Ab eo igitur, quod eſt per ſe, & verè vnum, omnia pendent. Ariſtoteles verò in Metaphyſicis lib.2. ita ſcribit: Id quod eſt maximè Ens, & maximè verum, cauſa eſt omnis Entis, & omnis veri. Sicut id quod eſt maximè calidū, cauſa eſt omnis calidi; & quod eſt maximè lucidū, vt Sol, cauſa eſt omnis lucis in corporibus lucidis. Ergo & qui eſt maximè Ens, vt eſt Deus, eſt omnis Eſſe & omnis eſſentiæ, in omnibus Entibus cauſa. Quare fieri nullo modo poteſt, vt Mundus à ſe ipſo ſit: ſed vt ſit à Deo, omnibus modis neceſſarium eſt. Rationem hanc nouerunt Philoſophi, & idcirco faſſi etiam ſunt, Mundum à Deo eſſe. Huc ſpectat, quod ait Apoſtolus ad Romanos: *Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, ac diuinitas: Virtus* (inquit) *hoc eſt potentia, à qua ſunt omnia.* Et in Actis 17. probat dictum Poetæ: *Iouis omnia plena.* Et illud explicat dicendo: *In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.* Ita Apoſtolus docet, Gentes quoque ſenſiſſe, Mundum & omnia quæ in eo ſunt, à Deo eſſe & conſeruari, tum in Eſſe, tum in vita, tum in motu.

Obiecta è ſacris diluuntur.

III. Quanquam autem nihil hac Theſi certius dici poteſt: tamen propter quorundam locorum ſcripturæ ſanctæ explicationem quædam diluenda nobis ſunt argumenta, quæ contra hanc æternam veritatem adferri poſſunt. 1. Eccleſiaſtæ 3.verſ.14. *Noui, quod, quicquid fecit Deus, & ipſum permanet in æternum.* Atqui propè infinita ſunt, quæ non permanent in æternum, ſed mutantur & corrumpuntur: Ergo, etſi de reb. cœleſtib. quis det, eas omnes permanere in æternū, eóq; à Deo eſſe factas: quomodo id dari poteſt de terrenis, quæ pereūt? Imò etiā Cœli, vt Petrus docet, ſtridore magno tranſibunt. Ideo Apoſtolus Paulus de omnibus rebus viſibilibus ita pronunciat, ad Corinthios; *Quæ videntur, temporalia ſunt. quæ autem non videntur, æterna.* 2. *Corinth.*4.

Reſpon. Quidam dictum hoc Salomonis de ſingulis rebus creatis intelligunt, & contendunt, ſingulas res in æternum permanere, non quidem omnes omni ex parte ſimpliciter & abſolutè; ſed minimum ſecundùm aliquam ſui partem: nempe, quod ad materiam attinet. Etſi enim res permultæ corruptioni obnoxiæ ſunt: in nihilum tamen (inquiunt iſti) non rediguntur. Mutantur enim ſecundum formam; verùm non ſecundùm materiam quæ ſemper manet. Ita quod Petrus ait de cœlis, non pugnat cum hoc Salomonis dicto. Nam cœli quidem mutabuntur, & renouabuntur, quod ad qualitates multas attinet, vt fiat cœlum nouum: ſed quod attinet ad ſubſtantiam, manent in perpetuum, imò etiam terra. Nam non erit cœlū nouū tantū, ſed & terra noua, id eſt, renouata. Et huc pertinet illud ad Romanos 8. *Omnis creatura vanitati ſubiecta eſt, non volens, expectat enim reuelationem filiorum Dei.* Nam & ipſæ liberabuntur à ſeruitute corruptionis. Ad illud ex Epiſtola ad Corinthios, facilis eſt reſponſio. Apoſtolus comparat benedictiones Dei viſibiles, quibus nos donat in hac vita, cum inuiſibilibus bonis, quæ habituri ſumus in altera: Et ait, hæc præſentia bona, temporalia eſſe, (Non enim in perpetuum eis fruimur) quæ verò non videntur, hoc eſt, futura & cœleſtia, eſſe æterna: verùm non concludit, res omnes viſibiles ſimpliciter perire. Manent enim (vt dictum eſt) quod ad materiam ſaltem attinet, tametſi terreſtres omnes, quod ad ſuas ſubſtantiales attinet formas, mutantur: cœleſtes verò mutādæ ſunt qualitatibus. Quare neuter locus cum dicto Salomonis pugnat. Neq; Salomonis locus euincit; ideò quædam eſſe, quæ non ſint à Deo facta, quia alicui obnoxia ſint corruptioni. Omnia enim manent in æternum (inquiunt iſti)

ſaltem ſecundùm materiam. Sic verba Salomonis interpretantur. Verùm nihil minùs voluit Salomon, quàm id quod iſti homines, nimiùm addicti Ariſtoteli de perpetuitate materiæ in rebus creatis, interpretantur. Alij itaque referunt verba Salomonis non ad ſingulas res, ſed ad ſingula rerum genera. Ita contendunt omnia permanere in æternum: quoniam licèt ſingulæ res aliqua ratione moriantur, & multæ intereant ac corrumpantur; ipſa tamen rerum genera permanent, manent cœli, manent elementa, manent omnia animalium genera, quanquam ſingula animalia moriantur. Et manent in perpetuum לְעוֹלָם, hoc eſt, in finem vſque Mundi iuxta ordinem diuinum in ipſa creatione conſtitutum: ita vt nihil eiuſmodi poſſit ei detrahi, vt ſubdit Salomon. Hæc interpretatio tolerabilior eſt, & minus diſſentanea cum ſacris literis. Cæterùm locus Salomonis propriè eſt de incommutabili prouidentia Dei, qua mundum conſtanter, vti à principio conſtituit ſecundùm ſuum immutabile conſilium, regit ac temperat: atque ita conſtanter temperat, vt ipſius ordinem & tenorem nulla ex parte immutare quis poſſit, quin fiant quæcunque Deus fieri vult. Quis enim queat impedire, quò minùs quotannis veniat Ver, Æſtas, Autumnus & Hyems? quin nox ſuccedat diei, & dies nocti? quin ſtatis temporibus pluat & ſol oriatur? quin alia intereant, alia generentur? quin denique omnia ſuis ſuccedant temporibus, & omnia ſuum habeant tempus, vt initio capitis huius tertij, præfatus eſt Salomon? Et finis huius conſtantis & perpetuæ prouidentiæ diuinæ in Mundo temperando eſt, ſicut Salomon ſubdit, *vt ipſum Deum metuamus*, hoc eſt, colamus, inuocemus, adoremus, amemus, & totos nos illi regendos ſubiciamus: cùm videamus, eum omnipotentem eſſe, ſapientem, optimum, conſtantem in ſuis conſiliis atque promiſſis, quibus nihil addi, nihil detrahi poteſt. Hic eſt verus ſenſus illius loci. Proinde non ait Hebraicus textus. *Quæcunque fecit*, quaſi de rerum tantùm creatione loquatur: ſed ait: *Quicquid facit*, ſcilicet continenter: ideò eſt in futuro, יַעֲשֶׂה. Loquitur ergo de perpetua & conſtanti prouidentia Dei, non de creatione quæ abſoluta fuit ſex dierum ſpatio. Ideo ſubdit: *Non poſſumus ei quicquam addere nec auferre*, hoc eſt, immutabilis prorſus eſt prouidentia Dei, qua ſecundùm ſuum æternum conſilium, omnia quæ olim condidit, gubernat. Huc ſpectat quod ait Chriſtus apud Matthæum 6. de eadem re loquens: *quis autem vnquam ſolicitè cogitando poteſt adycere ſtaturæ ſuæ cubitum vnum?* Tantum igitur abeſt, vt ex hoc loco inferri poſſit, non omnia eſſe à Deo condita, vt potiùs contrarium euincatur. Si enim ipſe omnia regit immutabili prouidentia: omnia igitur etiam ab ipſo condita ſunt. Eiuſdem enim eſt regere, cuius etiam fuit creare.

2. Obiicitur etiam illud ex Geneſios primo: *Quæcunque creauit Deus, erant valde bona:* Atqui multa in Mundo ſunt mala, non iam malæ actiones, vti ſunt peccata, quàm malæ creaturæ: malæ, inquam, quia partim noxiæ, partim, quia impiæ & vitioſæ.

Reſpond. Principio quæcunque creauit Deus, bona omnia creata ſunt: tum, quia nulla res alteri nocebat, tum, quia nulla fuit creata impia & vitioſa. Ideò ait, *erant*. Vitium enim & peccatum aliunde venit, quàm à Deo: qua de re poſtea ſuo loco dicemus. Potiò quod iam alia aliis noceant: hoc primùm eſt ex accidenti. Accidit enim ex peccato, vt Geneſios tertio dicitur, *Maledicta terra propter te*, & cætera. Deinde hoc non efficit, quin omnia bona ſint ſuâ naturâ: Et bona etiam ſint, hoc eſt, vtilia in vniuerſum, & ad Mundi conſeruationem atque ornatum: Et quod vni nocet, alteri prodeſt: qua in re maximam Dei bonitatem & prouidentiam apertè ſpectamus. Ac proinde hinc etiam magis ac magis confirmatur, omnia à Deo eſſe condita: quoniam licet propter peccatum, quod Diabolo auctore in Mundum ingreſſum eſt, factum ſit, vt vna creatura alteri ſit infenſa & noxia: Deus tamen omnes ita regit, vt efficiat, omnes cedere in publicam vtilitatem. Concludimus igitur cum Propheta Dauid: *Deum eſſe qui fecit cælum & terrã, mare, & omnia quæ in eis ſunt*. Proinde damnamus, primũ quidẽ illos Philoſophos, qui mundum ita æternum eſſe volunt, vt nullam etiam ſui efficientem habuerit cauſam: illos nimirum, qui Mundum caſu & fortuito ex atomis quibuſdam temerè concurrentibus coiiſſe voluerunt. Item illos, qui fatentur quidem, Mundum creatum eſſe, ſed ab alio, quàm à Deo Iehoua, Vt Simon Magus, Cerinthus, Carpocrates, Archontici. Tertio illos omnes execramur, qui duos commenti ſunt Deos, vnum bonum, à quo omnia bona: & alterum malum, à quo omnia ſint mala & noxia: quales fuerunt Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi. Certum autem eſt ſi Mundus nullam ſui effectricem habeat cauſam: eundem etiam non habere, qui ſui curam gerat. Quis enim curet ea, quæ ſua non ſunt? Ita Deus ſpoliabitur ſuo etiam dominatu, nec erit omnium Dominus. Et Mundus Dei prouidentia deſtituetur.

QVÆSTIO II.

An Mundus ſit æternus.

TAmetſi euincimus, Mundum à Deo Iehoua conditum eſſe, ſunt tamen qui putent licèt hoc concedatur, inde tamen neceſſariò inferri non poſſe, Mundum aliquod temporis habuiſſe initium. Fieri enim poſſe, vt Deus æternus, ab æterno etiam mundum cõdiderit vt ſolus non eſſet. Quaſi verò Deus opus habuerit ad ſui felicitatem iſtis rebus à ſe conditis. Nec certè deſunt inter Chriſtianos homines, qui fatentur quidem cum ſacris literis, Mundum creatum eſſe in tempore, interim tamen contendunt, potuiſſe eſſe æternũ: De Philoſophis vero, fuerunt (vt Auguſtinus recitat Tomo quinto de Ciuitate Dei, libro 11.) fuerunt, inquam, Philoſophi nonnulli, qui Mundum faſſi ſunt habuiſſe initium ſuæ conditionis & ſubſtantiæ, hoc eſt, à Deo, prima cauſa, factũ eſſe: ſed negarunt illum initium aliquod temporis accepiſſe. Sicut enim (dicebant, vt Auguſtinus refert libro 10 de Ciuitate Dei) ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in puluere, ſemper habuiſſet veſtigium, quod à calcante factum nemo dubitaret. ſic Mundus ſemper fuit, ſemper exiſtente, qui fecit. Non eſt igitur vna & ſimplex quæſtio de æternitate Mundi, ſed duplex: Vna, an ſit æternus: altera, an potuerit eſſe æternus. Verùm vtramque quæſtionem vna expediam Theſi.

THESIS I.

Mundus neque æternus eſt, neque æternus eſſe potuit.

CVm æternum nego, de fine non loquor. Æternum enim duraturus eſt: quanquam longè alius futurus, quàm nũc ſit. Erit enim cœlum nouum & terra noua, vt docent ſacræ ſcripturæ: ſed initium temporis habuiſſe dico. Hæc autem Theſis præſertim ad primum membrum quod attinet, nihil certius nobis eſſe poteſt propter verbum Dei, quo paſſim veritas hæc confirmatur. Geneſis 1. בְּרֵאשִׁית. Et anni, qui à condito Mundo diligenter à Moſe & ab aliis Spiritus ſancti organis in ſcripturis ſupputantur, apertiſſimè euincunt, Mũdum habuiſſe initium, & quidẽ non admodum à nobis longinquum. Dauid *initio* (inquit) *Domine terram fundaſti*: Pſal. 102. Et Prouerb. 8. *Antequam terra fieret, ego iam concepta eram*, inquit Sapientia Dei Patris. Item, vbi vnque de prædeſtinatione loquitur Apoſtolus, imò & Chriſtus & alij Apoſtoli: ibidem etiam docetur, Mundum non fuiſſe æternum. Aiunt enim, nos prædeſtinatos fuiſſe ante Mundi conſtitutionem. Mundi igitur conſtitutio, poſterior eſt noſtri electione. Superuacaneum eſt protſus è ſcripturis plura adferre. De Patribus quis dubitet? Nemo Chriſtianus eſt, aut etiam Iudæus, qui non fateatur, Mundum à Deo certo temporis initio, quod illi explicat Moſes, creatum fuiſſe. Ad teſtimonia Philoſophorum quod attinet: fuit hæc diu inter eos agitata quæſtio. Neque omnes eiuſdem fuere ſententiæ. Ad ſummam tamen & ad extremũ, pauciores fuerunt numero, & auctoritate inferiores illi, qui Mundum ſemper fuiſſe, & ſine vllo temporis initio pertinaciter ſenſerunt ac docuerunt, inter quos Ariſtoteles, ſi Phyſicis eius libris credendũ eſt, primas tenet. Quanquam Thomas Aquinas conatur eum defendere: eum ſcilicet non ſimpliciter ſenſiſſe, Mundũ eſſe æternum, ſed tantùm negaſſe, aut materiam primam, aut cœlum fuiſſe per generationẽ productã. Probaſſe igitur in primo Phyſicæ Auſcultationis, materiam eſſe ingenitam. quòd non habuerit ſubiectum de quo fieret: Et in primo de Cœlo & Mundo monſtraſſe, Cœlum eſſe ingenitũ, propterea quòd contrarium, ex quo generaretur, non habuerit. Verùm nimius amor, quo erga Ariſtotelem afficiebatur ille bonus vir, extorſit illi hanc gloſſam, & ſui præter totis defenſionem. Rationes certè, quas adfert Ariſtoteles, eò apertè ſpectant, vt contra Platonem, Mundum nullum vnquam temporis initium habuiſſe, doceret. Sed iis non concludi, quod ille conatus eſt perſuadere, planum, vt confido, faciemus. Si igitur vnum excipias Ariſtotelem, & qui eum ſecuti ſunt, Peripateticos, nemo Philoſophorum eſt alicuius auctoritatis, qui Mundum initium temporis accepiſſe, faſſus non ſit. Tã illi enim, qui Ariſtotelem præceſſerunt, quàm qui inſecuti ſunt, æternitatem Mundi oppugnarunt, & verò etiã expugnarunt,

Argumenta contra Mundi æternitatem.

Neque rationes firmiſſimæ deſunt, quibus idem, quod tradunt ſacræ literæ, confirmetur. 1. Prima, à definitione æterni ſumitur. *Æternum* illud propriè eſſe dicitur, quod non ſolum principium temporis non habet, verùm etiam, quod omnino incommutabile eſt, hoc eſt, quod neque initiū, neq; ſucceſſionem, neque finem habet. Solus autem Deus talis eſt: Reliqua omnia, vt facta ſunt à Deo ex nihilo: ita etiam mutabilia ſunt in nihilum. Πᾶν κτιςὸν τρεπτόν ἐςι, ait Damaſcenus, καὶ μόνον ἄκτιςον, ἄτρεπτόν ἐςι. Hanc rationem adfert Auguſtinus tomo tertio de Geneſi ad literam dicens: *Quia omnino incommutabilis eſt illa natura Trinitatis: ob hoc ita eſt æterna, vt ei aliquid coæternum eſſe non poſſit.* 2. Secunda, à modo, quo creauit Deus Mundum. Si Deus fecit mundum, vt iam demonſtratum eſt: aut eum naturâ fecit, aut libera voluntate. Non natura, foret enim mundus è ſubſtantia Dei, & Deus. Si autem libera voluntate creatus eſt à Deo mundus: poſterior igitur eſt voluntate diuina. Deus enim, ſicut liberè vnum voluit mundum, & non plures, & voluit omnia iis formis & qualitatibus, quibus conſtant, creare, & non aliis, cùm tamen aliter potuiſſet, ſi voluiſſet: Sic etiam, quandonam creare vellet, quem creare ab æterno decreuerat, conſtituerit oportet: alioqui, quomodo fuiſſet libera Dei voluntate creatus? Omne enim æternum, neceſſarium eſt. Summa. Ex diametro iſta pugnant: Mundum creatum fuiſſe voluntate Dei libera, & creatum eſſe ab æterno, ita vt Mundus Deo ſit coæternus. 3 Item, ſi ab æterno creatus eſſet Mundus: Tempus etiam fuiſſet æternum, ac proinde nullum eſſet tempus, ſed tantùm æternitas. Qua enim re tempus ab æternitate differret? imò creata eſſet æternitas, ſi tempus eſſet æternum: Tempus enim creatum eſt. Hebræor. primo. 4. Et ſi omnia facta ſunt ex nihilo, priùs igitur nihil fuerunt; Deindè aliquid eſſe cœperunt. Quare præter Deum nihil æternum eſt. Hanc adfert Damaſcenus dicens, quod ex non Ente ad Eſſe deducitur, coæternum eſſe non poteſt ei, quod ſine principio & ſemper eſt. 5. Item, ſi Mundus eſſet æternus, æterna igitur etiam eſſet hominum generatio: ac proindè infinitæ eſſent hominum animæ. Sunt enim omnes immortales. Hoc autem abſurdum eſt apud omnes etiam Philoſophos. Idcirco vt hoc abſurdum euitarent, qui Mundi æternitatem prædicarunt alij, quanquam dolosè & ambiguis locutionibus, negare animorum immortalitatem maluerunt, quam fateri, Mundum certo temporis initio creatum fuiſſe. Alij verò, vnum vaſtum, & per omnia tendentem animum finxerunt, quem agentem intellectum vocarunt, & in quem omnium animos reſolui poſt mortem dixerunt. 6. Sexta, à cauſa finali creati Mundi. Annon verò Deus creauit Mundum propter ſuam bonitatem, hoc eſt, vt homini declararet, quanta ſit ſua erga eum bonitas & beneuolentia? At quo pacto poſſet homo ex creatione Mundi æterna, cognoſcere maximam Dei eſſe erga ſe bonitatem? Creatum enim iudicaremus, non aliam ob cauſam, quàm ex neceſſitate naturæ Dei, quòd nimirum talis cauſa, non potuerit carere tali effectu. Nam quòd etiam Sol, ſimul ac creatus fuit, ſuos diffuderit in terram radios: hoc nunquam feciſſe ex amore erga nos, ſed tantùm ex neceſſitate ſuæ naturæ, indicari poſſet, etiamſi intelligentia & affectibus præditus eſſet. 7. Septima, ſi mundus iſte eſſet ab æterno factus: neque etiam interire, aut mutari poſſet. Quod enim ab æterno eſt, æternum etiam maneat, & ſine vlla mutatione ſemper exiſtat, neceſſe eſt. Si autem hoc concedatur, annon corruet omnis religio & timor Dei? Nullum enim futurum erit iudicium vniuerſale, nullæ pœnæ improbis, nulli honores bonis conſtituti fuerint. Semper enim pergetur ab hominibus ſine fine peccari. 8. Denique *gloriam meam* (inquit Deus) *alteri* (diuerſo ſcilicet à mea eſſentia) *non dabo.* Nec etiam poteſt dare: quia contradictionem implicat, aliquid diuerſum eſſe à Deo eſſentiâ, & tamen eandem habere gloriam, quam & Deus. Gloria autem Dei in hoc ſita eſt, quòd is ſit Iehoua, eſſentia ſcilicet æterna, perfectiſſima, & quæ non poteſt non eſſe. Si Mundus eſſet æternus, eandem haberet gloriam, eandem ſcilicet ſemper exiſtendi poteſtatem & neceſſitatem. Quid hoc autem aliud eſſet, quàm Deitas? Vt igitur Deus non poteſt, quod creatum eſt, illud facere Deum, quia hoc pugnat cum eius natura: Nec vlla res creata poteſt fieri Deus; quia pugnantia ſunt, & contradictionem implicant: ita etiam nec potuit ille mundo ſuam communicare æternitatem, nec mundus eam capere. Quare mundus non ſolùm non eſt æternus, ſed neque eſſe potuit.

Ariſtotelis de Mundi æternitate diſputatio: Doctrina Ariſtotelea refutatio: Sententiarum Philoſoph. conſideratio.

II. Cæterū haud inutile fuerit, quænam hac de re ſcripta reliquerit Ariſtoteles, videre, diligentiuſque examinare, quò melius doctrina Moſis, quàm vera & quàm certa, quàmque indignè ab Ariſtotele fuerit in perſona Platonis oppugnata, appareat. Is igitur, partim in primo, partim in ſecundo libro de Cœlo & Mundo, vbi hanc quæſtionem ex profeſſo pertractat, ſicut etiam in octauo Phyſicorum, de ea multa dixerat, tria ad ſummam facit. Primò, aliorum Philoſophorum ſententias recitat, & pro ſuo more refutat: ſed quàm iuſtè omnes, facile nobis fuerit iudicare, qui veritatem in ſacris literis apertiſſimam tenemus. Deindè, quædam ſupponit, tanquam certa axiomata, quæ & conſtabilire nititur: Vnde ſuam porrò ſententiam de Mundi æternitate confirmet. Sed neque ea firma ſunt omnia. His peractis, tertio loco accedit ad ſuam probandam ſententiam. Ad primum quod attinet. Quatuor in ſumma fuerunt Philoſophorum de generatione & corruptione Mundi, ſententiæ. *Prima*, Platonis fuit, qui in Timæo ſcriptum reliquit, Mundum eſſe generatum, id eſt, factum à Deo, & temporis initium habuiſſe: interim tamen nunquam deſiturum, non quidem ſua natura, ſed Deo ſic volente & illum conſeruante. Hanc conatur refellere Ariſtoteles, hac potiſſimum ratione: *Quæcunque generantur, aliquando etiam corrumpuntur.* Hoc videmus, inquit, in naturalibus omnibus generationibus. Fieri igitur nequit, vt Mundus genitus ſit, & tamen nunquam ſit interiturus. Sed facit iniuriam ſuo præceptori Ariſtoteles. Neque enim Plato genitum eſſe à Deo Mundum eo ſenſu ſcripſit, quo ei attribuit Ariſtoteles, ex præiacente ſcilicet materia, & ex contrariis. Sed genitum, hoc eſt, factum ſeu productum ex nihilo infinita Dei potentia docuit. Deinde non ſcripſit Plato, *Mundum ſua natura incorruptibilem eſſe, ſed Deo illum conſeruante, nunquam interiturum.* Huc accedit quod illa propoſitio Ariſtotelis, omne quod generatur, aliquando etiam interit, vera quidem eſt in rebus naturalibus, & in generatione, quæ fit ex materia, & per contraria; ſed in generatione diuina locum non habet. Nam Pater genuit Filium, omnibus modis æternum. Deindè legibus, quas ſuis creaturis præfixit Deus, non eſt ipſe ſubiectus atque obnoxius. Itaque ſic argumentari à rebus creatis ad creatorem, vt hic facit Ariſtoteles, vitioſiſſimum eſt. *Altera* ſententia, opinio fuit Democriti, qui dixit, Mundum ex æterno, ſed temerario, neſcio quo atomorum quorundam concurſu coiiſſe: & tandem ſegregatione horum atomorum à ſe inuicem, illum etiam diſſolutum iri, & interitu ſuo eſſe, nunquam ampliùs reparandum. Hanc meritò etiam in Phyſicis refutat Ariſtoteles: quanquam non omnes eius rationes firmæ ſunt. Quod enim ſupponit aduerſus Heraclitum, neceſſe ſi Mundus productus eſt, ex aliqua præiacente ſubſtantia illum productum eſſe, quòd *ex nihilo nihil fiat*: hoc falſū eſt, quum ad Deū refertur, qui potētiæ eſt infinitæ. Potentiæ autem infinitæ nō eſſet, ſi non poſſet aliquid ſimpliciter efficere, niſi ſuppoſita materia, quam ipſe non feciſſet, idque ex nihilo. Quare quod etiam ſubiicit: *ſi Mundus interiturus eſt, in ea principia, vnde compoſitus eſt, diſſolutum iri, ac proinde ex iiſdem etiam poſſe iterum inſtaurari*: nihil eſt, ſi ad Deum referas. Deus enim, vt ex nihilo potuit omnia condere: ſic etiam in nihilum poteſt omnia redigere. Meritò itaque refellit opinionem Democriti, quod attinet ad illam æternam atomorum concurſionem & diſſolutionem. Sed quam adduxit rationem contra factionem & diſſolutionem mundi, nulla eſt. *Tertia* ſententia, *Heracliti* fuit, qui ſenſit, Mundum productum eſſe ex igne, & in ignem tandem etiam conuertendum, & poſtmodum ex igne iterum componendum, & rurſus diſſoluendum: atque ita deinceps in infinitum. *Quarta* verò fuit *Empedoclis*: qui dominante lite, componi mundum, & dominante amore diſſolui docuit. Aduerſus hos ſcripſit Ariſtoteles. Neque hoc ſimpliciter improbari poteſt: ſingulas verò eius rationes recenſere aut explicare, ſuperuacaneum eſt. Neque enim has abſurdas rationes tuemur, ſed eas tantùm quæ conſentaneæ ſunt cum verbo Dei. Properemus igitur ad alia. Itaque ſecundo loco, poſt explicatas varias quorundam nominum ſignificationes, vt geniti & ingeniti, corruptibilis & incorruptibilis, poſſibilis & impoſſibilis: hæc tanquam certa axiomata ſupponit, quæ & confirmare conatur. Primum: *Quicquid corruptioni obnoxium eſt, illud poteſt non eſſe.* Hoc eſt verum, ſi intelligas ſuapte natura & per ſe: ſed ex ſuppoſitione ſuperioris potentiæ, quæ ſoluit illud interire, quod per ſe interire poteſt, falſum eſt axioma. Et ita dicimus de Mundo eo ſenſu, quo ſuprà à nobis explicatum fuit. Alterum axioma: *Falſum & impoſſibile non ſunt idem.* Hoc axioma veriſſimum eſt. Nam quicquid quidem impoſſibile eſt, illud etiam eſt falſum: vt Deum menti-

mentiri prorſus ἀδιανόητον eſt, ac proinde etiam falſiſſimum eſt, ſiquis id dicat: Sed non quicquid falſum eſt, illud etiam impoſſibile eſt. Falſum enim eſt, Patrem, hominem eſſe factum, ſicut Filius eſt factus caro. Ac id per ſe non ita impoſſibile eſt, quin ſi velit Pater, fieri poſſit homo. Non enim hoc pugnat cum eius natura, neque contradictionem implicat. His duobus ſuppoſitis, Ariſtoteles has ſubdit propoſitiones: Omne αἰώνιον ſeu ἀΐδιον ſempiternum, incorruptibile eſt. Hanc probat à notatione nominis ἀϊδίου καὶ αἰωνίου. Sempiternum dicitur ſeu αἰώνιον, quod ſemper habet Eſſe; αἰὼν quaſi ἀεὶ ὤν. Quod autem ſemper habet Eſſe: illud corrumpi non poteſt. Omne igitur ſempiternum, incorruptibile eſt, ac proinde quod ſempiternum eſt, omni tempore eſt, & fuit. Sempiternum enim ſeu αἰώνιον, omne complectitur tempus, & omnis temporis partes. Quare, ſi Mundus ſempiternus eſt à parte poſt, vt Plato voluit, quia habiturus finem non eſt: efficitur eundem quoque æternum eſſe à parte antè. Sed quis etiam ſic non videat nihil ex hac propoſitione concludi? Fieri enim poteſt, vt aliquid æternum ſit, quia Deus vult illud eſſe æternum, & ſemper eſſe, vt Mundum & homines cumprimis: Et interim tamen illud idem ſuapte natura erit corruptibile, vt nos ſumus & totus Mundus. Πᾶν γὰρ κτιστὸν φθαρτόν ἐστι: ſua ſcilicet natura, & apud Deum. Cùm hoc ita ſe habeat, quid prohibet, quin Deus velit aliquid habuiſſe initium temporis, nullum verò finem? Propoſitio igitur ſimpliciter vera non eſt: proinde neque etiam quod ex illa infertur. Αἰώνιον enim & ἀΐδιον, bifariam dicitur, aut ſimpliciter, eóque propriè aut κατά τι, eóque impropriè. Simpliciter quidem ſolus Deus, αἰώνιος eſt, quia neque initium, neque ſucceſſionem, neque finem habet, ſed verè ἀεί, ſemper eſt, & idem ſanè ſemper eſt. Κατά τι autem αἰώνιον eſt, quod initium quidem habuit, ſed finem nunquam habiturum eſt: idque non naturâ, ſed per gratiam, ex voluntate Dei: vti animæ noſtræ, & Mundus, quoad ſubſtantiam. Altera Ariſtotelis propoſitio non magis vera eſt, quàm prima: *Omne ſempiternum*, inquit, *ingenitum eſt*. Appellat autem ingenitum, id quod non poteſt non Eſſe, & quod ſimpliciter neceſſe eſt vt ſit, ac ſemper fuerit. Quo ſenſu verè Deus ingenitus eſt, quia nunquam principium habuit diuina eſſentia. Hoc verò ſenſu accipi nomen ingeniti ab Ariſtotele, liquet. Huic enim ingenito, opponit illud genitum, quod cùm prius non eſſet, poſtea cœpit eſſe. Ita iis duabus propoſitionibus, ei quod eſt αἰώνιον, duas attribuit proprietates: vnam ex parte temporis futuri, & hæc eſt, eſſe incorruptibile: vt prima propoſitione concluſit: alteram ex parte temporis præteriti, & hæc eſt eſſe ingenitum, vt in altera ſibi viſus eſt demonſtraſſe. Ac certum eſt, ſi αἰώνιον & ἀΐδιον propriè accipiantur, vtramque ei conuenire proprietatem. Quod enim ſemper eſt (id quod ſignificat vox αἰώνιος) neque principium habet neque finem. Verùm hinc apertam ὁμωνυμίαν videmus. Quum enim Plato Mundum αἰώνιον aut ἀΐδιον appellauit, non propriè neque ſimpliciter, & per ſe talem eſſe dixit, ſed impropriè & κατά τι, ac per aliud. Quare ex iis falſis fundamentis, quid veri conſequi poteſt? Ex illis porrò duabus affirmatiuis propoſitionibus, duas colligit negatiuas, quæ æquè veræ ſunt atque illæ. Vna eſt, *nullum ſempiternum eſt corruptibile*: altera *nullum ſempiternum eſt genitum*. Ac multa hic verba facit, vel potius garrit. Ad extremum igitur ſubiicit apertam de Mundi æternitate, tam ex parte præteriti, quàm ex parte futuri temporis, propoſitionem. Mundus (inquit) eſt incorruptibilis & ingenitus, ac proinde perfectè æternus. & hanc tribus probaſſe rationibus ſibi viſus eſt: quarum hæc prima eſt: Omne perpetuum ab vna parte, hoc eſt, reſpectu præteriti, eſt etiam perpetuum ab altera, hoc eſt reſpectu futuri: damus. Aſſumit, Atqui Mundus æternus eſt à parte priore: Sed vnde hoc probat cùm ſit τὸ κτιζόμενον? verùm id partim ſupponit ex iis, quæ dixerat in octauo libro Phyſicorum: partim probat ex iis, quæ paulò antè ſuppoſuerat, ſed falſa, nempe omne ſempiternum ingenitum eſt: quia αἰώνιον eſt ἀεὶ ὤν. Quis igitur non videat apertam nugationem? Secunda ratio: Ab omnibus attribuitur æterno Deo, & intelligentiis, locus cœli. Dicitur enim eſſe & habitare in cœlis. Atqui æterno non conuenit niſi locus æternus. Cœlum igitur æternum eſt, ſicut Deus æternus eſt. Quare ingenitum & incorruptibile eſt cœlum. Quaſi verò Deus eſſe non potuerit ſine iſto cœlo, & quaſi opus habuerit loco, cùm is ſimpliciſſima ſit eſſentia, eóque ſit tam extra omnia, quàm intra omnia. Tertia ratio: Poſt hominum memoriam nunquam aut lectum, aut auditum, aut viſum, aut vlla ratione perceptum eſt, cœlum vllam ſenſiſſe corruptionem, vel antiquatum fuiſſe, vel deterius vnquam habuiſſe, quàm habeat. Fieri autem intra tantum tempus, quo cœlum mouetur, non potuit, ſi corruptibile eſſet ſua natura, quin aliquam ſuæ naturæ corruptibilis ſignificationem dediſſet. Non eſt igitur corruptibile: Quare, neque genitum, ſed & ingenitum, & incorruptibile eſt, eóque verè æternum. Hæc ſunt illa firmiſſima ſcilicet argumenta, quibus mundum probat eſſe æternum. *Thomas* tuetur Ariſtotelem, cum ſcilicet hæc ſcripſiſſe aduerſus eos, qui mundum ſenſerunt productum eſſe per generationem naturalem, & corruptibilem eſſe, corruptione naturali, quæ oritur ex materia, & ex contrariis, quibus aliqua res conſtat: Quæ cùm in cœlo non ſint, optimè concluſiſſe Ariſtotelem, Cœlum neque genitum eſſe, neque corrumpi poſſe: Nihil verò hæc pugnare cùm doctrina Chriſtiana. Nos enim Mundum factum eſſe credimus, non per generationẽ, ſed per creationem, Dei omnipotentis iuſſu, ac voluntate libera, eóque temporis initium habuiſſe. Et eundem totum, etiam cœlos eſſe corruptibiles, non corruptione naturali, (Cœlum enim non habet contraria, à quibus corrumpatur) ſeu corruptibilem eſſe, vel potiùs in nihilum, eiuſdem Dei potentia, vt ita loquar, redigibilem, ſicut etiam ex nihilo factus eſt. Sic ille, ſui præceptoris, plus, quàm par fuerat, amantior. Sed vtut res habeat (nam quidnam propriè oppugnarit Ariſtoteles, noſtra nihil refert) manifeſtum eſt, nullis rationibus in his libris de Cœlo & Mundo, probatum fuiſſe, Mundum eſſe æternum.

Alia Ariſtotelis argumenta refutantur.

III. Sed alia etiam argumenta habet in octauo Phyſicæ Auſcultationis, ad quæ reſpondendum nobis eſt. Primum Ariſtotelis argumentum hoc eſt, à motu ſumptum. Si motus eſt æternus, hoc eſt, ſi ſemper fuit & erit motus: ſemper igitur fuit & erit res mobilis: quæ eſt ipſum Cœlum & Mundus. Motus enim ſupponit ſuum mouens, & ſuum mobile. Et quidem prius ſaltem natura, motu ipſo: nec poteſt eſſe motus ſine mobili, ſicut neque ſine mouente. Atqui æternus eſt motus. Hoc aſſumptum ita probare conatur: Si motus non ſemper fuit; datur igitur primus motus, quo nullus fuit prior. At hoc fieri non poteſt: Motus enim ſupponit mobile & mouentem, aut itaque iſte mouens, & illud mobile ſunt producta, aut non producta, ſed æterna. Si producta. Ergo per aliquam mutationem, & motum; atque ita antequam primus mouens cœperit mouere, & primum mobile moueri, alius prior præceſſit motus, ac proinde ante primum motum fuiſſet prior motus, quo ſcilicet illa fuiſſent producta, quod abſurdiſſimum eſt. Nihil eſt enim prius primo. Vt igitur hoc euitetur abſurdum: æternum fuiſſe motum, & ex conſequenti ipſum etiam mobile, neceſſe eſt. Si verò dicas non ſolum mouens, ſed etiam mobile, fuiſſe non producta, ſed æterna, verùm neque mouens ſemper mouiſſe, neque mobile ſemper motum fuiſſe, iſtud abſurdum eſſe videtur. Nam mouens & mobile, aut eodem modo ſeſe habuerunt tunc, quo etiam nunc: ſeu (vt craſſiori loquar modo) aut eiuſdem diſpoſitionis ab æterno fuerunt, cuius etiam in præſentia, aut diuerſæ. Si eiuſdem: Ergo ſicut nunc mouens mouet, & mobile mouetur: ab æterno quoque vnum mouebat, & alterum mouebatur. Mouens enim naturale, ſemper mouet, & mobile ſemper mouetur, niſi aliquid illa impediat, aut malè ſint affecta: quod de primo mouente, & de primo mobili dici non poteſt: atque ita efficietur, motum eſſe æternum, eóque & mundum motus ſubiectum, æternum. Si verò etiam dicere audeas, diuerſæ illa fuiſſe diſpoſitionis, quàm nunc ſint. Ergo antequam cœperunt mouere & moueri, malam illam diſpoſitionem tolli oportuit, quod ſine motu fieri nequiuit. Ita motum primum præceſſit alius motus, vt antè etiam dictum eſt: quod omninò abſurdum eſt. Quare motum ſemper fuiſſe, neceſſe eſt: quia motus eſſe non poteſt ſine mobili: Si motus æternus eſt, æternus igitur Mundus. Ad hoc argumentum facilis eſt reſponſio: Primum ad Minorem ſyllogiſmi, negamus motum eſſe perpetuum: Deinde ad proſyllogiſmum, dicimus, primum mouens, quod eſt Deus, non eſſe productum, ſed verè æternum: Reliqua omnia etiam primum mobile, eſſe producta, & initium temporis habuiſſe; ſed producta fuiſſe initio, ſine aliqua mutatione aut motu. Per creationem enim, iuſſu tantùm Dei, ſtatim producta fuerunt. Ita non ſequitur abſurdum, quod Ariſtoteles infert: nempe primum motum, aliquam præceſſiſſe mutationem & motum: Si primum mobile productum eſſe dicamus, id quod rectè ſequeretur, ſi primum mobile productum eſſe diceremus productione Phyſica, quæ fit per tranſmutationem. Tertiò, ad id quod dicit, ſi mouens æternus eſt, & ſemper eiuſdem fuit diſpo-

fitionis, cuius etiam motum eſt: ſemper igitur illum mouiſſe
primum mobile; quia omne mouens naturale, niſi impedia-
tur, aut malè affectum ſit, ſemper mouet: Reſpondemus,
hoc poſſe verum eſſe in mouentibus verè Phyſικῶς, & ex ne-
ceſſitate naturæ; non autem in mouentibus ex libera vo-
luntate, quæ præſertim tempori ſubiecta non ſunt, ſicut
Deus cuncta creauit libera voluntate, quando ei placuit.
Prima iſta ratio Ariſtotelis nihil derogat doctrinę Moſis de
Mundo in tempore creato.

2. Alterum Ariſtotelis argumentum in octauo Phyſico-
rū, quod à tempore ducitur, merū eſt Sophiſma: *Si tempus*
(inquit) *eſt æternum, etiam motus æternus ſit neceſſe eſt:*
Tempus enim menſura motus eſt, hoc damus. Tempus au-
tem æternum eſſe, hoc modo probare conatur. Ego non re-
feram ſingula Ariſtotelis verba, quæ reuera obſcurè & im-
plicatè loquitur, & quidem, meo iudicio, de induſtria. Hoc
enim facere ſolitus eſt, cùm ſophiſticatur. Summa igitur
hæc eſt: In ipſo tempore, quodlibet Nunc (id eſt, quodli-
bet inſtans) eſt principium, & finis: Principium temporis
inſequentis, finis verò temporis præteriti: Ergo omne tem-
pus, ſeu omne Nunc in tempore aſſignatum, cùm ſit finis
præteriti, habet tempus ante ſe & cùm ſit principium fu-
turi & inſequentis, habet tempus poſt ſe. Itaque æternum
eſt tam ante, quàm poſt. Si enim incepiſſet tempus, ha-
buiſſet ante ſe tale. Nunc quod principium tantùm tem-
poris fuiſſet, non autem finis. Si etiam aliquando deſineret,
foret tandem vnum Nunc, quod finis tantùm eſſet præteri-
ti temporis, non autem eſſet principium inſequentis. Quæ
omnia cùm ſint de ſententia Ariſtotelis abſurda, efficitur
tempus eſſe æternum ac proinde etiam motum, & ex conſe-
quenti, etiam primum mobile, totúmque Mundum. Reſpon.
Totum hoc conſequitur neceſſariò, ſi admittas omne Nunc
in tempore aſſignatum, eſſe principium & finem: principium
inſequentis, & finem præcedentis. At hoc eſt ipſum κατρό-
μενον. Dicimus enim tempus habuiſſe tale principium, quod
non fuit præcedentis temporis finis, & talem habiturum fi-
nem, qui non ſit futurus inſequentis principium. Itaque
nihil concludit hoc ſophiſmate. Verùm excipit Ariſtoteles,
& ait, ſi datur primum Nunc, quod tantùm ſit principium
inſequentis, & non finis præcedentis: Ergo ante ipſum pri-
mum Nunc, non erat Tempus. Si hoc admittas, vt reuera
ita ſe habet res; ille infert, ſi datur primum Nunc, ante
quod non fuit tempus, fuit igitur aliquod Ante ſine tempo-
re, quod falſum eſt, propterea quòd Ante & Poſt, & per
tempus definiuntur. Ante enim id eſſe dicitur, quod in
priori eſt tempore: Et Poſt, quod in poſteriori eſt tem-
pore.

Quare Tempus nunquam incepit, vel deſinet. Reſpond.
Quis verò hic non videat Sophiſticam in illa particula *ante*?
Aperta enim eſt ὁμωνυμία. Reſponſio igitur hæc eſto. Par-
ticulam Ante, bifariam accipi, aliquando realiter, & phyſi
κῶς. Hoc ſanè modo ſemper ſignificat & includit verum
tempus præteritum, vt illud de Maria, Antequam conue-
niſſent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ali-
quando accipitur (vt ita loquar) metaphyſικῶς, & ſignificat
æternitatem, & quaſi tempus imaginarium, vt illud 2. Ti-
moth. 1. *Ante tempora ſecularia: Et ante Mundi conſtitutio-
nem. Ante Mundum* enim, & *ante tempora ſecularia* nullum
fuit tempus, propriè & phyſικῶς acceptum: Tamen Spiritus
ſanctus vtitur hac voce, Ante Mundi conſtitutionem, vt
ſignificaret, non recens & in tempore; ſed in ipſa æternita-
te, nos fuiſſe electos: Et in eadem ſignificatione vſurpatur
etiam à Philoſophis: & aliis profanis ſcriptoribus, vt mani-
feſtum eſt: vt Ouidius; *Ante Mare & Terras, & quod tegit
omnia cœlum.* Certè ante motum cœli non fuit Phyſicum
tempus. Admiſit ergo hic Ariſtoteles apertam fallaciam
ὁμωνυμίας, cùm particulam *ante*, in concluſione accepit
pro particula, quæ tempus ſignificat reale: quæ tamen in
præmiſſis, tempus tantùm ſignificat imaginarium, & æter-
nitatem potiùs, quàm verum tempus. Optimè verò nos di-
cimus, tempus fluxiſſe ab æternitate, & rediturum ad æter-
nitatem. Omnia enim redeunt ad ſua principia, vnde flu-
xerunt; Sicut Salomon docet exemplo aquarum, quæ à ma-
ri ad mare redeunt. Proinde primum *Ante*, & vltimum
Poſt, æternitatem ſignificant; quia ante tempus, fuit æterni-
tas; Et poſt tempus, erit æternitas. Tempus igitur eſt vt li-
nea, cuius primum punctum, principium eſt lineæ, extre-
mum, finis; intermedia ſunt ſingula, principium & finis:
principium inſequentis, & finis præteriti.

3. Tertiò probat Mundum, hoc eſt, Cœlum ſua natura in-
corruptibile, eóque ſempiternum eſſe: idque facit argu-
mento à motu itidem ducto. Cæterùm, quia eadem ferè
eſt eius concluſio cum doctrina noſtra, ferè, inquam, hoc
eſt reſpectu futuri: (nam nos quoque fatemur Mundum
futurum ſempiternum, quoad ſubſtantiam, Cœlos ſcili-
cet, & elementa, homines atque Angelos: Sed nos per
gratiam Dei, futurum ſempiternum dicimus, ille autem
per naturam:) Ideò non eſt, cur argumentum illud adfe-
ramus vel refutemus. Ita apparet Ariſtotelem nihil iſtis
ſuis argumentis contra doctrinam Moſis, pro ſua æternita-
te concluſiſſe, aut demonſtraſſe. Imò ipſe non reſpondit ad
omnia aliorum Philoſophorum, quæ ſibi ipſe obiecit, argu-
menta contra æternitatem Mundi, quanquam ipſe ſibi ſa-
tis reſpondiſſe videatur. Argumentum quoddam illorum
Philoſophorum tale fuerat. *Si motus æternus eſt, eſt etiam
infinitus: Atqui infinitus eſſe non poteſt motus*, vt etiam in
ſexto Phyſicorum libro contra Heraclitum demonſtratum
eſt. *Nullus igitur motus æternus.* Quare nec æternum mo-
bile. Ariſtoteles ita reſpondit diſtinctione motus: Motum
ſcilicet eſſe duplicem: vnum, qui eſt inter contrarios termi-
nos, vt motus rectus, ſurſum & deorſum: Item, vt eſt motus
alterationis, qui eſt inter contrarias qualitates: Hic (inquit)
æternus eſſe non poteſt, quia nec infinitus. Alterum verò
eſſe, qui ab eodem ad idem eſt, qualis eſt circularis. Sol
enim ab oriente in occidentem currit, & rurſus inde in o-
rientem. Talem, ait, motum, infinitum eſſe poſſe, per reite-
rationem; ac proinde etiam æternum. Sed hæc reſponſio
eò tantùm valet, vt defendat cœlum, quod mouetur circula-
riter, eſſe æternum: Sed quid de Elementis, déque omni-
bus reliquis Mundi partibus, quæ non circulari, ſed recto
motu mouentur, dicemus? Quid etiam de illis quæ eſſe non
poſſunt, niſi per motum alterationis, ſi neque iſte motus al-
terationis, quia inter contrarias eſt qualitates: neque ille
rectus, quia inter contrarios fit terminos: æternus eſſe po-
teſt? Certè Mundus conſtat non ſolùm orbibus, qui cir-
culariter mouentur: ſed etiam animalibus, plantis & aliis re-
bus: quæ aut recto, aut alterationis mouentur motu. Non
igitur totus Mundus erit æternus. Si autem principales par-
tes, vti ſunt homines, & horum generatio, æternæ non ſunt:
fruſtà ſolos cœlos poſuerit æternos, cùm facti ſint propter
hominem. Atque hæc omnia, quæ diluimus argumenta,
ex accidentibus ipſius Mundi, nempe à motu, & à tempore,
deducta ſunt. Vnum adhuc reſtat ex parte Mundi, Argu-
mentum.

4. Axioma eſt apud Phyſicos, *ex nihilo nihil fieri poſſe.*
Si igitur Mūdus factus eſt, ex aliqua materia, factus ſit o-
portet, quæ materia aut facta fuit & ipſa, aut non facta. Si
facta. Ergo ex alia materia, & ita deinceps, donec ve-
niatur ad materiam aliquam non factam. Si non facta æ-
terna igitur. Ac proinde Mundus ſaltem reſpectu primæ
materiæ æternus fuerit. Reſpond. Tametſi hoc argu-
mentum ad quæſtionem inſequentem propriè attinet: Ta-
men quia etiam hoc vtuntur ad probandam Mundi æter-
nitatem, omittere illud non potui. Breuiter igitur re-
ſpondeo. Primum illud, ex nihilo nihil fieri, princi-
pium eſſe Phyſicum, & ideò verum in Natura, & poſt crea-
tum Mundum, Naturámque ipſam. Ratio eſt, quia omne a-
gens naturale, formam aliquam introducere poteſt, niſi
ſuppoſita materia. Indè fit, vt verè de iis agentibus dicatur,
ex nihilo fieri nihil poſſe: nempe ab agentibus naturalibus.
At verò apud Deum, qui potentiæ eſt infinitæ, nullum ha-
bet locum illud Phyſicum axioma. Proinde notandum eſt
triplex opificum genus: infimum, medium, & ſupremum. In-
fimum eſt artifex ſeu agens, quod agit ex arte, vt calcea-
tor, aurifaber, piſtor: & alij id genus opifices. Hi nihil
agere poſſunt, niſi ſuppoſito Naturæ effecto, ſeu ſecunda
materia, hoc eſt, corpore aliquo ex materia prima, & ex for-
ma ſubſtantiali compoſito, in quod accidentalem introdu-
cant formam. Vt piſtor ſupponit farinam, ex qua panes
conficiat. Medium agens fortius eſt infimo. Hoc autem
eſt Natura, ſeu agens naturale. Huiuſcemodi naturalia a-
gentia, nihil etiam producere ſeu generare poſſunt, niſi eis
ſubiiciatur ſupremi agentis opus, hoc eſt, materia ſaltem pri-
ma, ſubiectúmve aliquod. Ita dictum illud in iis duo-
bus opificum generibus, veriſſimum eſt *ex nihilo ab ipſis fie-
ri nihil poſſe. Supremum* verò opificum & agentium ge-
nus, illúdq; omnium reliquorum potentiſſimum, eſt Deus.
Hic igitur mihi cogita, An bona ſit iſta conſequentia. A-
gens infimum; nempe artifex, non poteſt aliquid ſuæ artis
efficere, niſi habeat compoſitum aliquod corpus, materia
ſcilicet & forma conſtans; quia ex nihilo nihil fit. Ergo
neque agens naturale, niſi ſibi tale ſubiiciatur compoſitum
ſubiectum, quale & artifici. Quis non rideat talem argu-
mentatorem? Quantò magis ridiculi ſunt, qui ab opifice
medio

medio & naturali, ad opificem ſupremum ita argumententur, vt rei creatæ, hoc eſt, Naturæ potentiam, potentię creatoris & ſupremi opificis Dei, æqualem faciant?

Nihil igitur ineptius hoc argumento: nempe in Natura, *ex nihilo nihil fieri poteſt.* Ergo neque Deus Mundum creare potuit ex nihilo; quia ex nihilo nihil fit: Quare opus fuit materia aliqua, nō facta, ſed æterna, ac proinde mūdus reſpectu ſaltem materię primæ, æternus eſt: *Non ſunt* (inquit Dominus) *viæ meæ, ſicut viæ veſtræ*: Aliæ & diuerſiſſimæ ſunt rationes, ſcilicet, quibus Deus operatur, ab illis, quibus nos, & Natura. Proinde ſūmma eſt nō tantùm impietas, ſed etiam ſtultitia, ad vires Naturæ, potentiam Dei deprimere: Et ab inferioris, ad ſuperioris facultatem, negatiuè argumentari. *Nempe, non poteſt hoc artifex: Ergo neque Natura. Et, non poteſt hoc efficere Natura. Ergo neque Deus.*

Alia pro æternitate Mundi, argumenta diluuntur.

IV. Ex parte etiam cauſæ Efficientis, nempe Dei, argumenta ducunt Philoſophi, qui ſententiæ Ariſtotelis fauent, quibus idem demonſtrent, Mundum nimirum eſſe ęternum. pauca, ſed præcipua, percurremus.

Omne agens, quod poteſt agere, & non agit, ſi poſtea agat, illud ad agendum mouetur, vel à ſe ipſo, vel ab alio: & aut per ſe, aut ex accidenti. Tranſit enim à potentia ad actum. Atqui Deus prorſus immobilis eſt, & neque à ſe, neque ab alio ad aliquid mouetur: ſed ſemper agit. Si igitur fecit Mundum: ab æterno illum feciſſe, neceſſe eſt.

Reſpond. ad Maiorem. Diſcrimen eſt inter agentis actionem, & eiuſdem opus. Actio in ipſo eſt agente: opus verò extra agentem. De actione vera eſt propoſitio, Si quis, cùm poſſit agere, non agat, & poſtea agat, ipſum ad eam actionem moueri, aut à ſe aut ab alio. Fieri enim nequit, vt in agente aliqua ſit noua actio, quin aliquo modo ad illam moueatur, ac mutetur. Sed de opere, non ita in omnibus & ſemper ſe habet, nempe in illis, in quibus nouitas effectus, non euincit, nouam in illis ineſſe actionem. Fieri enim poteſt, vt actio longè antè præcedat effectum, & ita actio vetus ſit, effectus autem nouus. Et hoc contingit agentibus ex intellectu & voluntate libera. Exempli gratia: Rex aliquis ſimul ac creatus eſt Rex, ſuo intellectu & voluntate ſtatuit, vt poſt biennium cogatur exercitus, & hoſtis expugnetur: id quod ſuo ſit tempore. Decretum illud actio eſt Regis propria, & quidem vetus actio. Tametſi enim poſt biennium tantum exercitus cogitur: dici tamen nō poteſt Rex, ad nouam actionem permotus eſſe. Ita nouitas effectus, non demonſtrat nouitatem vllam in cauſa. Deus etiam nos elegit iam inde ab æterno, vt tandem fide donati, & filij effecti, vitam conſequeremur æternam. Actio Dei æterna eſt, & tamen effectus ipſe, hoc eſt, noſtra ſalus, temporaria eſt. Sic de actione Dei in creatione Mundi dicendum eſt. Deus, etſi creauit mundum in tempore: ipſius tamen actio, temporalis non eſt, ſed æterna. Qualis enim actio Dei fuit in creando Mundo? Non certè externa, qualis eſt actio piſtoris, cùm pinſit panem, aut fabri cùm facit ciſtam. Sed actio Dei fuit interna in Deo: Conſilium ſcilicet & voluntas, vt tali tempore mundus fieret. Quando autem hoc cogitauit, & voluit? Ab æterno. Æterna igitur eſt actio Dei in creando Mundo, licet effectus actionis, nouus ſit. Quare à nouitate Mundi creati, ad nouitatem actionis in Deo creante, non valet argumentatio: ac proinde, vt à nouitate Mundi, non poteſt inferri nouitas actionis diuinæ: ſic neque ab æternitate actionis diuinæ in creando mundo, euinci poteſt æternitas creati Mundi. Ideò notandum eſt diſcrimen quoddam, non prætereundum, quod eſt inter actiones Dei & noſtras. In rebus inanimis, vt in Elementis & aliis id genus, ad aliquod opus faciendum, externæ tantùm actiones requiruntur, nullæ internæ. Ignis enim externa tantùm actione calefacit. In nobis hominibus, internæ & externæ. Internæ ſunt, cognitio ſeu cogitatio, & voluntas, actiones ſcilicet intellectus & voluntatis: Externæ ſunt, actiones corporis, per motiuam virtutem. Vt ad ſcribendum librum, non ſatis eſt cogitaſſe & voluiſſe ſcribere, ſed vt manum, & calamum admoueas, oportet. In Deo Internæ tantùm ſunt actiones, intellectus & voluntatis, quæ ipſius ſunt eſſentia. Hæ ſufficiunt, quia efficaces ad omnia; nec vllæ ei ſunt externæ; quia ſimpliciſſima eſt *viſio*. Ad creationem igitur Mundi, non opus habuit externis actionibus, ſed internæ fuerunt efficaces. Hæ autem æternæ fuerunt. Opus verò ipſum ſecutum eſt, ex deliberatione intellectus, & voluntatis diuinæ, vt ſcilicet tali eſſet tempore, & vt conſtaret, ex nouem orbibus, & ex quatuor elementis, & non pluribus. Et vt eſſet formæ ſphæricæ, & non quadratæ. Idem etiam voluit, vt extaret tali tempore, quo ſcilicet factus eſt; cum ſuo tempore, & non vel antè, vel poſt, nec citiùs, nec tardiùs. Atque vt voluit ab ęterno: ſic etiam poſteà, eodem planè modo, omnia facta ſunt. Tantum igitur abeſt, vt ex mundo in tali tempore facto, concludi poſſit aliqua in Deum cecidiſſe mutatio, vt potiùs contrarium euincatur, nempe ſtabilitas & conſtantia Dei in omnibus eius actionibus. Res enim extra Deum omnes ita ſiunt, ſicut ille intra ſe ab æterno cogitauit & voluit, vt fierent. Iſtæ autem propriæ ſunt Dei actiones. Hinc quoque ad aliud reſpondetur.

2. *Si Deus citiùs potuit creare mundum, & non creauit, poſtea verò creauit; tranſiuit igitur à potentia ad actum: eòque Deus non eſt actus purus & ſimplex, vt Philoſophi ipſi fatentur, ſed compoſitus ex potentia & actu.*

Reſpond. Sequela non valet. Differt enim actio Dei ab æterno opere, vt dictum eſt. Quod potuit intra ſe, illud etiam ab æterno egit. Cogitauit enim, & decreuit ab æterno creare mundum: ſed vnum, ſed talem, ſed tali tempore. Et cogitatio hæc atque voluntas, quæ ſunt propriè Dei actiones; continuatæ ſemper fuerunt (vt ita loqui liceat) iam inde ab æterno, donec tandem Mundus, ex illo ęterno Dei conſilio; actu quaſi extra emerſit. A potentia igitur ad actum non tranſiit Deus; ſed quodammodo, Mundus ipſe, quatenus ſcilicet primùm potuit fieri, deinde factus eſt. Dico autem; *quodammodo*: quia reuera dici non poteſt Mundus, antequam fieret, fuiſſe in potentia, & à potentia ad actum tranſiuiſſe: cū planè nihil, nullàve materia eſſet, in qua Mūdus eſſet *ſ uudu ſ*. Eadem explicatione ad aliud etiam argumentum plauſibile admodum reſpondetur.

3. Poſita ſufficiente & efficaci cauſa: ponitur etiam eius effectus. Deus cauſa eſt efficiens Mundi ſufficiens & efficax: & hæc fuit ab æterno. Fuit igitur & Mundus æternus.

Reſpond. Quidam aiunt ad Maiorem: Propoſitionem intelligendam eſſe de cauſis, quæ ex neceſſitate Naturæ operantur: Tunc data cauſa efficiente, dari etiam effectum: Vt dato Sole, datur illuminatio; Poſito igne, datur calefactio: quanquam nihil adſit quod calidum fiat. Sed in cauſis, quæ agunt ex libera voluntate, locum nullum eſſe huic propoſitioni. Agunt enim tantùm, cùm volunt, non autem quoties poſſunt. Multò minùs igitur, eam habere locum in Deo. Quod dicunt verum eſt: Interim tamen, aliter reſponderi poteſt: nempe ex diſtinctione illa actionis, & operis. Duplex enim effectus alicui cauſæ aſſignari poteſt: internus ipſi cauſæ, eòque ei naturalis: Et externus, eòq; ei naturalis: Et externus, eòque alius à cauſa, & extra cauſam. Vt ignis internus effectus eſt, per ſe calefacere, iſque eſt ei naturalis actio ſcilicet ipſa per ſe. Idcircò poſita cauſa, hoc eſt, igne, neceſſariò ponitur talis effectus, ſeu actio per ſe. Alius effectus ignis eſt, calefactio in re extra ignem poſitum. De hoc & aliis externis, & ab igne alienis effectis conſequentia hęc non tenet, Poſita cauſa, ponitur effectus. Hoc idem cernitur in agentibus ex intellectu & voluntate. Poſito intellectu, ponitur & internus aliquis eius effectus, qui eſt, aliquid intelligere: Et poſita voluntate, ſequitur actio voluntatis, quæ eſt velle. Non enim poteſt intellectus, aut voluntas eſſe ſine ſua interna & naturali actione: Sed quòd hoc fiat vel illud, conſilio intellectus, & volūtatis decreto: Hoc opus extra voluntatem, extráque intellectum eſt. Idcircò non ſequitur, poſita cauſa, ponitur effectus, talis ſcil. nempe externus, & alius à cauſa. Sic de Deo ſentiendum eſt: cogitaſſe eum & liberè voluiſſe mundum creare, effectus, fuit Dei: & quidem æternus: Interna enim actio fuit Dei: & nunquā fuit Deus, quin cogitârit & voluerit, ſed liberè, mundum creare. Sed nō ſequitur, æternus igitur etiam effectus, hoc eſt, mūdi creatio, ab æterno fuit. Ratio eſt, quia cauſa, creati mundi, non fuit ſimpliciter Deus, ſed Dei intellectus, ac voluntas, ſeu Deus intelligens, ac liberè volens mundum creare. Voluit autem mundum creari, nō ab æterno, ſed in tali tēpore, quo tandem etiam creatus eſt: Ergo & extera. Sic verò voluiſſe Deum, aliunde intelligi non poteſt, quàm tùm ex ipſius verbo, tum ex rei euētu, quo ſuum patefecit decretum. Propriè igitur ſic intelligendū eſt: Poſita cauſa, ponitur effectus cauſę ſcilicet proprius, & ab ea inſeparabilis; non autem effectus à cauſa alienus, ſeu opus in ipſum extra cauſam poſitum.

Doctrina hæc ac diſtinctio diligenter eſt retinenda. Hac enim permulta ſoluuntur argumenta quæ in hac cauſa de ęternitate mundi fieri ſolent, quale & quod ſequitur eſt.

Si Sol eſſet æternus, ipſius etiā effecta, radij ſcil. eſſent æterni:

Sufficiens enim eſt radiis producendis cauſa, Sol. *Ideò illo po-* Sic itaque etiam dicimus, *Si Deus ater-* *ſito, poſiti ſunt radij.* *Mundus etiam à Deo fluxit, iam inde ab aterno.* *nus :*

Reſpond. *Fallacia eſt non cauſa, vt cauſa.* Ratio enim, cur radij eſſent æterni, ſi Sol eſſet æternus, non eſt, quia Sol efficax ſit cauſa ad producendos radios : ſed quia illos producit ex neceſſitate Naturæ, non autem ex libera, qua præd tus non eſt voluntate. At verò Deus libera voluntate creauit Mundum: Proinde fieri nequit, quin voluntas creandi Mundi, præceſſerit : ideò etiam, vt hanc libertatem patefaceret in tali tempore, quod metiri & ſupputare, annóſque à condito orbe enumerare poſſimus, illud creauit. Proinde faceſſant talia ſimilia, quæ nihil ad rem faciunt, ſed plena ſunt impietatis. Vehementer eos miror, qui hoc ſimili ſolis delectantur in hac cauſa de æternitate mundi. Vide quanta ſit diſſimilitudo.

Sol non poteſt, nec vnquam potuit eſſe ſine radijs, ideóque aterni ſunt ſoli, ſi ipſe aternus ſit. Num verò Deum quis audeat dicere ſine creaturis eſſe non potuiſſe ? Sol radios producit neceſſitate Naturæ, ideóque ſunt illi *σύζυγοι*, ac ſi eſſet æternus, illi eſſent *συναΐδιοι*: Deus verò creauit mundum libera voluntate, quando ei placuit. Sol non maiorem habet exiſtendi poteſtatem, quàm radij. Neque enim ille, aut potuit citiùs exiſtere, aut poteſt diutiùs permanere, quá radij. Quis verò æternam & infinitam exiſtendi poteſtatem, quæ in Deo eſt, æqualem faciat poteſtati exiſtendi, quam habet Mundus ? Quid hoc aliud fuerit, quàm efficere, vt mundus ſit Deus ? Interim tamen hæc abſurda coguntur dare, qui Solis ſimilitudine & radiorum, probare conantur Mundum, ſi æternus non eſt, potuiſſe tamen eſſe æternum. Ego verò aio, hoc perinde eſſe : atque ſi dicas: *Etſi Mundus non eſt Deus, fieri tamen potuit, vt eſſet Deus.* Vbi enim æternitas eſt, ibi eſt infinita & immenſa, & ſuprema exiſtendi facultas, quæ à nemine tolli, impedirévè poteſt. Quid eſt autem hæc poteſtas aliud, quàm Diuinitas, quàm Iehoua, eſſentiáque perfectiſſima? Eſſe igitur æternum, & eſſe Deum, idem ſunt. Proinde rectè, ab æternitate Chriſti, eum etiam verum eſſe Deum demonſtrant ſcripturæ. Præterea, Mundus eſſe non potuit ſine motu, neque motus ſine tempore : Tempus autem cum æternitate non conuenit : Atque vt æternum menſuretur tempore, fieri nullo modo poteſt. Quomodo igitur ab æterno eſſe potuit Mundus? Adferunt quoddam aliud ſophiſma.

5\. Si (inquiunt) *Mundus aternus non eſt, ſed in tempore factus, eóque & primum tempus cum Mundo factum eſt: Tempus igitur primum fuerit in pracedenti tempore factum.* Quo nihil eſt abſurdius: quandoquidem hoc nihil aliud eſt, quam tempus fuiſſe ante primum tempus.

Reſpond. Nos, cùm dicimus mundum factum eſſe in tempore, non intelligimus tempus propriè acceptum, fuiſſe ante mundum, & in eo factum eſſe Mundum. Sequeretur enim ea quod dicunt : ſed hanc particulam, *in tempore*, opponimus, *aternitati*. Proinde, cùm dicimus *factam eſſe in tempore*, nihil aliud volumus, quàm *mundum non eſſe aternum, ſed principium durationis accepiſſe:* ita vt iam quantum temporis interceſſerit à condito orbe, in hunc vſque annum, metiri poſſimus : alioqui agnoſcimus tempus cum Mundo, ſeu cum primæ materiæ creatione incepiſſe non ignorantes. Quare ſophiſma eſt, fallaciam habens in phraſi orationis.

Deinde *tempus*, bifariam capitur : aliquando pro quauis, & cuiuſuis motus, menſura : ita ſpatium illud, & menſura, quæ fuit à creata prima materia ſeu chao, vſque ad initium motus cœleſtis, Tempus fuit. Aliquando (vt ferè accipiunt Philoſophi) *menſura eſt motus cœleſtis, quo reliqui omnes motus reguntur.* Ita abſurdum non eſt dicere, tempus fuiſſe ante tempus : nempe illud, ante hoc : Et ita tempus, menſuram ſcilicet motus cœli, factum eſſe in tempore, ſpatio ſcilicet illo, quod motum cœli præceſſit: quanquam propriè & Philoſophicè loquendo, non dicitur tempus eſſe factum. Fiunt enim propriè ſubſtantiæ. Sed tempus tanquam accidens inſeparabile, conſecutum eſſe motum, dicendum eſt. Eſt enim tempus menſura motus.

Reſpondi ad ea Philophorum argumenta, quæ mihi aliqua reſponſione haud indigna viſa ſunt. Ita manet firma & certa, inuitis etiam diabolis, doctrina Moſis : *in principio creatum fuiſſe mundum*, eóque non eſſe æternum: imò etiam non potuiſſe eſſe æternum, contra Sophiſtas.

Alia contra Mundi aternitatem argumenta.

V. Idem nunc magis ac magis confirmo. 1. Nam ſi mundus æternus eſt, cùm nunquam fuerit ſine motu, vt ipſi etiam fatentur : oportuit illum aliqua menſura menſurari, nempe aut tempore, aut æternitate. Alia enim menſura non datur. Si tempore : Mundus igitur æternus non eſt. Tempus enim alioqui non differret ab æternitate : ſi ipſum quoque eſſet æternum. Eſt autem maximum & infinitum diſcrimen inter tempus & æternitatem. *Æternitas* ſine principio eſt, & ſine ſucceſſione, & ſine fine. *Tempus* neceſſe eſt habeat ſaltem primum aliquod Nunc, vnde reliqua Nunc numerari poſſint : Quomodo igitur erit menſura ſine aliquo principio ? Item, ſine ſucceſſione tempus omninò eſſe non poteſt, niſi forte aliud temporis genus fingas, quàm nunc habemus. Deinde æternitas à motu ſemota eſt, ſicut & à tempore : At verò tempus ſine motu eſſe nequit : Eſt enim tempus menſura motus. Proinde tempus non poteſt eſſe æternum. Quare ſi menſuratur mundus tempore, mundus æternus eſſe non poteſt, quia tempus differt ab æternitate. Si verò dicas menſurari æternitate, abſurdiſſimum etiam dixeris. Æternitas enim eſt tota ſimul poſſeſſio ſine vlla ſucceſſione, ſemota à motu. 2. Mundus autem nunquam motu caruit. Deinde, ſi æternus eſt Mundus, & æternitate menſuratur, aut illa, qua Deus eſt æternus, ipſe quoque Mundus æternus eſt, & menſuratur, aut alia. Si eadem : erit igitur creatura æqualis creatori : imò Deus eſſet menſura mundi. Æternitas enim Dei, eſt ipſe Deus æternus, vt ſapientia Dei eſt ipſe Deus ſapiens. Quid autem abſurdius dici poteſt ? Ad hæc: Quod eſt mutabile ſuapte natura, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad operationem, id non poteſt eadem menſura menſurari qua id, quod ſimpliciter immutabile eſt. Hic enim nulli eſt ſucceſſio, ibi maxima. Non ergo eadem æternitate menſuratur Mundus, qua Deus ; ſi tamen ſic loqui fas eſt de Deo. At, inquies, æternitas Mundi, qua menſuratur, alia eſt ab æternitate Dei. Illa enim Dei eſt tota ſimul perfecta poſſeſſio : At iſta Mundi, ſucceſſiua eſt. Verum ſi ita eſt. Habet igitur partes, per quas fit ſucceſſio. Si partes: Hæ non poſſunt eſſe infinitæ. Infinitum enim creatum dari non poteſt : Et vnum tantùm eſt infinitum Deus. Mundus igitur non poteſt alia æternitate menſurari, quàm illa, qua Deus æternus eſt : quoniam non datur alia æternitas ; alioqui enim duo darentur infinita. Cùm autem neque illa Dei æternitate, æternus ſit, neque alia, quæ eſſe dari non poteſt. Æternus igitur nullo modo eſt Mundus. Adde & hoc, ſi æternus eſt, & æterna hominum generatio : aliqua igitur extaret memoria, & monimentum illorum, qui fuerunt ante hoc tempus, quod præfigit Moſes mundo. Eſt enim prorſus *ἀδύνατον*, Mundum eſſe æternum, & non extare niſi tam breuem rerum geſtarum memoriam, qualem habemus à Moſe & ab omnibus aliis ſcriptoribus. At, inquies, perierunt diluuiis. Sed qui ſcis? quis narrauit ? vbi legiſti ? Si omnes homines, & omnia monumenta periêre, certè nullibi hoc quod dicis, legere potuiſti. At vero ſimile eſt : Ergo in rebus tam grauibus, ſtandum erit vero ſimilibus ? Quid ſi veriſimile eſſe negem ? Deinde, ſi omnes homines periêre diluuiis aliis, præter illud, quod habemus à Moſe : quomodo igitur genus humanum inſtauratum eſt denuò ? Num per generationem ? At nulli ſuperſtites, per te, fuerunt. Qua igitur ratione ? per creationem à Deo : Quod ſi hoc das in hac vltima ætate, cur non etiam in aliis, ſi quæ fuerunt ? Ac ſi hæc principium habuit, quidni & reliquæ? 3. Præterea, quomodo hæc etiam congruunt cum iis, quæ tradunt iidem profani ſcriptores & Philoſophi de primis rerum inuentoribus ? Quoſcunque enim commemorant, ij omnes fuerunt poſt illud tempus & principium, quo Moſes ſcribit creatum fuiſſe Mundum. Si igitur ij primi artium inuentores fuêre : nullæ certè antea artes fuerunt, nullæ ſcientiæ, nullæ literæ, non ars veſtiendi, veſcendi, ædificandi, & cæteræ : ac proinde nullus fuit Mundus ante hoc Moſaicum initium : Si autem artes antea fuerunt : iſti igitur, de quibus ſcribunt, non fuerunt primi illarum inuentores, imò nulli vnquam fuerunt, quia artes æternæ eſſent, ſi mundus æternus. Quare mentiantur neceſſe eſt aut in iis, quæ ſcribunt de æternitate Mundi, aut in iis, quæ tradunt de primis rerum inuentoribus. Nihil igitur verius doctrina Moſaica : In principio creatum fuiſſe Mundum, eóque initium habuiſſe. Atque hæc ad argumenta Ariſtotelis & aliorum dicta ſufficiant. Cæterùm antequam veniam ad tempus creati Mundi ; velim mihi per æquos lectores, quid de vera & poſtrema Ariſtotelis ſententia ſentiam, ſemel liberè dicere.

Recepta

Recepta eſt apud omnes ferè, qui Ariſtotelem profitentur, opinio, Ariſtotelem ſenſiſſe, *Mundum à nemine fuiſſe creatum, ſed eſſe æternum.* Verùm hæc ſententia, meo quidem iudicio, cum iis quæ in libro περὶ τοῦ Κόσμου ſcripta reliquit, ſtare non poteſt. Nam ibi contrariam planè docuit, *Mundum nimirum à Deo eſſe factum, & initium habuiſſe.* Oportet igitur aut dicere, librum hunc περὶ τοῦ Κόσμου non eſſe Ariſtotelis librum: aut Ariſtotelem quam in Phyſicis libris defendit ſententiam, in illo libello retractaſſe: id quod magis credo, quàm alterum: ſuffragantibus mihi non paucis doctis viris, tam veteribus, quam recentioribus: præſertim cùm Iuſtinus dicat, librum περὶ τοῦ Κόσμου, *Compendium Philoſophiæ Ariſtotelis*, olim appellari ſolitum fuiſſe.

Quando creatus Mundus.

4. Quando verò fuit hoc temporis principium? Moſes ita diligenter omnia deſcribit vſque ad ſuum obitum, vt nihil dubitari poſſit de tempore conditi orbis, ad vltima vſque tempora. Deinde reliqui Prophetæ eadem diligentia Chronologiam nanc Mundi perſecuti ſunt, vt etiam vſque ad Chriſtum, quot anni inter effluxerint, vel nihil, vel admodum parum errari poſſit. A Chriſto verò huc vſque, quot anni effluxerint, nihil eſt certius ex omnibus hiſtoriis. Atque hæc certa annorum à condito orbe ſupputatio, haud infirmum eſt argumentum ad refutandum & conuincendũ Ariſtotelis de Mundi æternitate errorem: ſiquidem nullius planè temporis mentio ſeu memoria apud quemquam fit ante hoc tempus, & ante hos annos, quos Scriptura ſancta commemorat ac ſupputat. Nunc ad rem.

A condito orbe vſque ad Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quotnam anni fluxerint, non eſt vna omnium Chronographorum ſententia, quanquam ſuam quiſque è ſcripturis ſeſe collegiſſe profiteatur. Et inter hos ſunt, qui magis, alij minùs procul à veritate declinãt. Omnium autem annumerare ſententias, neque vtile, neque neceſſarium eſt: Nec verò etiam mei eſt inſtituti hoc loco quæſtionem hanc, recitatis & collatis vtriuſque omnium ſententiis, explicare. Ergo breuiter quænam ex multis mihi videatur magis conſentanea cum hiſtoriis ſacrarum literarum, iuxta Hebraicam veritatem, iudicabo. Qui minùs inter ſe diſſentiunt, & ad veritatem propiùs accelſerunt, ex Patribus eſt Hieronymus & Beda. Ij iuxta Hebraicam veritatem tradunt nobis annos 3952. Ex noſtris ſunt Io. Lucidus De emendationibus temporum: Et Lutherus tomo 7. in libro De ſupputatione annorum Mundi: ij dant nobis annos à condito orbe ad Chriſtum vſque 3960. Paulus Phrygio dat annos 3962. Et totidem ante ipſum Io. Picus, Comes Mirandulanus. Philip. Melanchthon in Chronicorum lib. 3. poſtremo editio, ſupputat annos 3963. Eundem annorum numerum nobis reliquit Io. Funecius in ſua Chronologia. Quidam accedunt vſque ad 3970. Dominus etiam Bulingerus in Epitome temporum, diligentiſſimam nauauit operam in colligendis annis à condito orbe vſque ad Chriſtum: idque è ſacris literis per ſingulas ætates. Immanuel noſter Tremellius, vir in Hebraicis literis nemini ſecundus, nemini etiam cedit in hac parte. Is ita ſupputat annos, vt à condito orbe vſque ad Chriſtũ non pauciores fuerint 3960. neque plures 3970. His ſi addas annos à nato Ieſu Chriſto Domino noſtro in hunc vſque annum 1591. facilem quiſque habebit ſummam annorum à condito orbe ad hanc vſque diem.

Cæterùm vnus mihi M. Beroaldus (quod pace omnium dictum eſto) certiſſimam annorum Mundi ſupputationem monſtraſſe videtur in ſuo Chronico. Ea eſt vſque ad natum Chriſtum, annorum 3919. vſque ad hunc annum 91. incluſiuè eſt annorum 5519. Atque hic obſeruanda venit maxima Dei bonitas & ſapientia, qui dignatus eſt nobis, etiam tempus, quo Mundum creauit, reuelare. In quem verò finem hoc fecerit, haud difficile eſt cogitare. Vna cauſa, eáque præcipua, eſt Chriſtus, hoc eſt, vt etiam ex annorum ſupputatione, à tempore, quo primum fuit ille promiſſus, & quo porrò certis ætatibus, repetita promiſſione, fuit Patribus è longinquo oſtenſus, vſque ad tempus ipſius aduentus, quod Paulus vocat *plenitudinem temporis*, ille ab electis agnoſceretur: & intelligeremus, quænam eſſet illa plenitudo temporis, de qua Apoſtolus Gal. 4. atq; ita nos in fide de veritate promiſſionum diuinarum confirmaremur, quando videmus poſt multa annorum millia, impletam eſſe promiſſionem de Chriſto. Altera cauſa fuit, vt intelligeremus, Mundum hunc non fuiſſe creatum niſi propter nos: Nos autem ad gloriam Dei in hoc Mundo celebrandam. Minimè verò, quòd Deus hoc mundo opus habuerit. Qui enim in immenſa & infinita illa ſua æternitate ſine hoc mundo ſemper fuerat feliciſſimus ac beatiſſimus; qui opus habebat hoc anguſto, & paucis ab hinc annis facto, non diu etiam cum hac forma duraturo mundo? Propter nos itaque creatus eſt. Agnoſcamus igitur Dei erga nos bonitatem, & eum ſemper glorificemus. Tertia cauſa, vt ne amorem noſtrum, cor & animum defigeremus in hunc mundum, quaſi in rem omnium præſtantiſſimam, ac proinde æternam. Non enim eſt res tãti momenti, vt hîc hæreamus animis noſtris. Non diu eſt, ex quo creatus eſt, non diu etiam durabit talis qualis eſt: præterit figura huius mũdi: *Mundus tranſit & concupiſcentia eius: Proinde nolite* (inquit Ioan.) *diligere Mundum, & ea quæ in mundo ſunt.* Altiùs tollendi nobis ſunt oculi, in illum ſcil. qui ante mundũ nuper creatum, ſemper fuit Deus, in æterna ſua felicitate. Nam is etiam eſt, & eſſe voluit noſtra beatitudo: *In ipſo nunc viuimus, mouemur & ſumus*: Sed is tandem etiam erit omnia in omnibus. Atque hic nobis debet eſſe vſus huius doctrinæ de nouitate & breuitate huius Mundi. Curioſæ verò & impiæ quæſtiones, ſi quæ futuræ ſunt, relinquendæ ſunt. Qualis eſt illa, *ſi tam breue tempus eſt, ex quo creauit Deus hunc mundum: quid igitur antea faciebat Deus ſolus, & vbinam erat?* O impias audaciam hominum curioſorum quæſtiones! Hebræi pro ſuo more in rebus tam grauibus ludentes, interrogati de hac quæſtione, dicunt, Deum tunc ſolitum fuiſſe facere multos paruos mundos, & eoſdem etiam deſtruere, quòd non placerent, & tam diu hunc tenorem faciendi & ſtatim euertendi paruos Mundos continuaſſe, donec tandem inuenta hac forma præſentis Mundi, hunc creatum & confirmauit, atque vt bonum probauit: Et huc ſpectare, quæ Moſes tradit: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum. quæ fecit, erant valde bona.* Voluerunt tamen his ſuis ludicris docendi formis, rem grauem ſignificare Hebræi, nempe, Deum maxima ſapientia creaſſe mundum, non temerè, neque leuiter: Eum enim vidiſſe, ſe multis aliis modis poſſe creare, non vnum mundum, ſed plures & citius & maiores, & diuerſos, ſed non probaſſe: Hanc verò vnicam, qua hunc creauit, probatam ei fuiſſe. Cæterùm reſponſio, quam recitat Auguſtinus, mihi ſemper placuit. Cuidam enim interroganti, quid agebat, & vbinam erat Deus, antequam condidiſſet mundum? Reſponſum fuit à quodam ſanctiſſimo viro: *Erat in ſylua, & parabat ligna ad Gehennam ſuccendendam tibi, tuique ſimilibus curioſis hominibus.* Reſponſum certè ad talem quæſtionem accommodatiſſimum. Seria autem & generalis ad ſimiles quæſtiones reſponſio, ſuppeditatur à Spiritu ſancto in ſcripturis, Sap. 9. *Vix quæ in terra ſunt, coniectura aſſequimur: Et quæ in manibus verſantur, cum labore inuenimus: Quis autem ea inueſtigabit, quæ ſunt in cœlis? Conſilium autem tuum* (ô Deus) *quis nouit? Niſi tu dederis ſapientiam, ac de altiſſimis Spiritum ſanctum miſeris?* Item Prouerb. 25 *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria.* Quaſi verò Deus qui actus eſt purus, vt Philoſophi loquuntur, potuerit eſſe otioſus: Et quaſi, qui ſimpliciſſimus eſt Spiritus, opus habuerit loco, vbi habitaret. Deus vbique eſt, & ſemper fuit, omnia implens: Et is ſemper ſe ipſum nouit, amauit, voluit, & omnia alia in ſeipſo. Atque hæc de ſecunda quæſtione, nempe de tempore creati Mundi, ſatis.

QVÆSTIO III.

QVæſtio tertia *de materia eſt, vnde fabrefactus fuit Mundus, nempe an ex materia aliqua præiacente, an verò ex nihilo.*

Quæſtio hæc non ſine cauſa poſt explicatam quæſtionem *de æternitate mundi*, proponitur. Non defuerunt enim Philoſophi, qui ſenſerunt, Mundum quidem ipſum factum fuiſſe in tempore: cæterùm materiam primam, ex qua conſtat, æternam fuiſſe, contendebant. Eam enim ideò non fuiſſe factam aiebant, quòd pugnet cum ſummo illo axiomate: *Ex nihilo nihil fieri poſſe.* Nos verò qui è ſacris literis diſcimus, nihil verè eſſe æternum, niſi Deum; Idcirco mundum ita in tempore à Deo factum eſſe docemus, vt tota etiam eius materia, è nihilo facta ſit: ac proinde mundum, quò ad ſua prima initia, è nihilo factum eſſe: ſicut docet Moſes vno verbo ברא Non ſolùm enim ait, *in principio conditum eſſe Mundum*, id eſt, initium temporis habuiſſe: verùm etiam ſubdit verbum, quo ſignificat *è nihilo factum eſſe*, ſicut ſuprà dictionem hanc interpretati ſumus. Hæc igitur eſto Theſis:

THESIS.

Mundus ita totus ab æterno Deo creatus eſt in tempore, vt etiam prima eius materia, & in tempore, & ex nihilo, ab eodem æterno Deo, creata ſit.

PRopoſitio facilis eſt ad intelligendum, vt non longa egeat explicatione. Duo dicimus, *Materiam Mundi non eſſe æternam, & eam eſſe ex nihilo factam*: quæ duo ſeſe inuicem conſequuntur. Si enim prima materia, ex qua omnia facta ſunt, æterna non eſt, & tamen facta eſt. Ex nihilo igitur facta ſit, neceſſe eſt: Et, ſi eſt ex nihilo: Æterna igitur non eſt, quia aliquando non fuit. Porrò cùm dicimus, *ex nihilo*, negatiue particulam hanc accipimus, vt idem ſit *ex nihilo creatam eſſe*, atque ex nulla alia præiacente materia; ſed cum planè nihil præter Deum eſſet in rerum natura, tunc primam materiam, quam *chaos* vocarunt Philoſophi, & Moſes תהו ובהו ארץ primo etiam loco fuiſſe creatam. Particula enim *ex*, non ſemper ſignificat cauſam materialem, ex qua aliquid fiat, ſed ordinem etiam ſæpenumerò; vt cùm dicimus, *ex mane fit dies*, *& ex die meridies*, hoc eſt, poſt mane ſequitur ordine dies: Et diem ordine inſequitur meridies: Ita hic ex nihilo omnia ſunt facta, hoc eſt, cùm nihil primum eſſet, poſtea quicquid eſt, factum fuit. Deinde, vt dixi, negamus hac particula materiam primam ex præiacente & ſubiecta materia alia, fuiſſe factam. Nunc difficile non eſt, confirmare Theſin, non tantùm ſcripturis, ſed rationibus etiam Philoſophicis, iiſque firmiſſimis.

I. Scriptura nullum primum principium materiale, ex quo Mundus ſit factus, agnoſcit, niſi primam illam materiã, quam Moſes ait creatam fuiſſe à Deo, & quam תהו ובהו appellauit. Hanc igitur nulla alia præceſſit materia, ex qua ipſa ſit facta. Quare ex nihilo eſt.

2. Deinde ſcriptura tradit, *omnia verbo Dei fuiſſe facta*, *Gen.1. Pſal.33.* Significat igitur, nullam præceſſiſſe materiã, ſed vt verbo Dei, primam etiam eſſe factam. Hoc explicat Apoſtolus, cùm ait Rom.4. *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ſint, τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.* Et *ſicut* (vt ait idem 2.*Cor.4*) *de tenebris iuſſit Deus, lucem ſplendeſcere* (tenebræ autem nihil aliud ſunt, quam priuatio lucis) *ſic ex nihilo*, i. ex non Ente, *verbo ſuo produxit omnia Entia.*

3. Eadem ſcriptura prædicat Deum omnipotentem. Ad creationem igitur Mundi opus non habuit præiacente materia, ſed quia vſus eſt in ſingulis rebus explicandis & ornandis, ipſe etiam primò & ante omnia creauit pro ſua libera voluntate.

4. Spiritus Angelici, Animæ item rationales, creatæ ſunt ſine vlla præiacente materia. Nam teſtimonio etiam Philoſophorum, carent materia. Quidni igitur potuit Deus primam etiam rerum omnium corporatarum materiam, ſine alia præexiſtente materia creare? Quare, quod ſcriptura tradit, *Deum creaſſe cœlum & terram*, id eſt, ex nihilo feciſſe, cum vera etiam Philoſophia non pugnat.

5. Sed hanc cupio perpendi rationem. Materia, ex qua omnia corporata formata ſunt, & quam nonnulli æternam eſſe voluerunt, cùm ſit Ens, aut eſt ex ſeipſa, aut ex alio. Non primum: ſolum enim primum Ens, nempe Deus, τὸ ὄν, à ſeipſo eſt: alioqui, Materia ipſa, & Deus, idem eſſent, quod nemo hominum vnquam auſus eſt vel cogitare. Eſt igitur ab alio. Si ex alio, aut ex Deo, aut ex alia re præter Deum, ſe priore. Non hoc ſecundum, quia vnum tantùm primum rerum omnium principium agnoſcitur, quod eſt Deus, primum & ſupremum Ens, vnde omnia Entia. A Deo igitur eſt & ipſa. Si ex Deo, tanquam à cauſa eſt efficiente: aut per generationem & productionem ex ipſius Dei ſubſtantia emanauit; aut per eum facta fuit. Non primum: Haberet enim Materia, aut partem ſubſtantiæ Dei, aut totam & eandem. Non partem: quia impartibilis eſt. Neque etiam totam. Foret enim ipſa etiam materia Deus, imò vnus & idem Deus cum eo, à quo eſt; quo nihil abſurdius. Facta igitur eſt à Deo. Si facta: Aut ex alia priori ſubſtantia, quæ nõ ſit Deus, aut ex nihilo. Non primũ, quia eſſet aut ex ſubſtantia immateriali, aut materiali. Num verò materia ex immateriali poteſt conſtare principio? Foret enim immaterialis materia. Sed num etiam ex priori ſubſtantia materiali eam conſtare dixeris? At nihil materiale prius eſt ipſa prima materia. Ex nihilo igitur ſit neceſſe eſt

II. Hinc verò etiam euincitur, eam non poſſe æternam eſſe. Si enim materia Mundi ex nihilo eſt, fuit igitur æternitas, cùm ipſa materia nihil eſſet, quæ poſtea facta eſt aliquid. Sicut enim tenebræ præcedunt lucem: Ita ipſum nihil præcedit Ens creatum ex nihilo: ac proinde æterna eſſe non poteſt, ſi ex nihilo eſt, hoc eſt, ſi prius fuit nihil, & deinde aliquid. Ratio ſic formatur à definitione æterni. De quocunque prædicari aliquando potuit, *Non eſſe*, vel *nõ fuiſſe*, illud æternum eſſe non poteſt. Æternum enim eſt, & dicitur, quod ſemper fuit & de quo nunquam dici potuit, Non eſt, ſed, vt ſemper fuerit ac ſit neceſſe eſt. Docet hoc ratio nominis ἀίδιον καὶ αἰώνιον: & ſic omnes definiunt æternum. Atqui, de prima Mundi materia, prædicari aliquando potuit: *Non eſſe*. Quicquid enim fit ex nihilo, a non Eſſe ſimpliciter, ad Eſſe ſimpliciter, tranſit: Ac proinde, *Aliquando non fuiſſe ſimpliciter*, illi conuenit rei, quæ facta eſt ex nihilo, id quod certè rei æternæ conuenire nullo modo poteſt. Quis igitur non videat, neceſſariò concludi, Materiam rerum omnium corporatarum æternam eſſe non poſſe.

6. Ac ſi euincimus, Mundum ipſum cum toto ſuo ornatu, æternum neque eſſe, neque eſſe potuiſſe multò magis id conſequi debet de materia illa prima atq; informi. Eſt enim minùs tolerabile, ſiquis dicat, materiam eſſe æternam, quàm ſi id aſſerat de Mundo ipſo. Ac ſunt, qui aſſerant, non aliam ob cauſam Ariſtotelem aſſeruiſſe, Mundum eſſe æternum, quàm vt ſeſe opponeret illis Philoſophis, qui Materiam mundi confuſam, *chaos* ab illis appellatam, æternam eſſe prædicabant: Et, Mundum interim factum eſſe in tempore dicebant. Minus enim malum eſſe, dare æternitatem ordini, pulchritudini ac venuſtati, qualis eſt mundi, quàm confuſo Elementorum aceruo, materię ſcilicet, quam dixêre chaos.

Contra hanc Theſin, quæcunque fiunt, aut fieri poſſunt argumenta, ea ab ordine, quem poſt Mundum creatum in naturali rerum productione & generatione firmatum ac cõſtabilitum cernimus, peti ſolent. Sed ratio, quã res omnes à Deo immediatè in ipſo Mundi exordio productæ fuerũt, longè diuerſa eſt, ab hoc ordine naturali. Proinde nihil talibus argumentis concludi poteſt, ſed facilis ſemper ad omnia in promptu erit reſponſio, nempe argumenta eſſe à rebus longè inter ſe diſſimilibus: & non eſſe tranſeundum de genere in genus diſciplinæ, cùm diſputatur. Fine igitur huic quæſtioni tertiæ impoſito, accedo ad quartam.

QVÆSTIO IV.

QVæſtio quarta *de rerum conditarum eſt multitudine, diuerſitate, diſtinctione*: An hęc rerum multitudo ac diuerſitas atque diſtinctio ſit a Deo inſtituta, an verò aliunde ſit, & an caſu contigerit: Et, ſi à Deo eſt, ad quidnam ſit ordinata. Etſi verò hæc quæſtio, ſicut & reliquæ tres ſuperiores, nobis qui habemus ſacras literas, & eas, Dei beneficio, dextrè intelligimus, difficilis non eſt, ſed perſpicua atque expedita: Quatuor tamen ſunt hominum genera, qui efficiunt ſuis erroribus, vt diligens huius quæſtionis explicatio, non tam vtilis, quàm neceſſaria eſſe videatur. Hi ſunt partim Philoſophi, partim hæretici, partim orthodoxi, ſed ſcripturas aliquot peperam interpretantes; partim denique pij quidem homines, ſed qui interdum hac rerum diuerſitate, quaſi quædam ſit inutilis ἀταξία & iniqua partitio, offenduntur. De ſingulis aliquid dicemus.

Principiò itaque fuerunt Philoſophi nonnulli, qui minimè exiſtimarunt, hanc rerum multitudinem, diuerſitatem, diſtinctionem, à libera & ſapienti voluntate Dei profectam eſſe, ac proficiſci: ſed alij ſoli materiæ attribuerunt, ac proindè temerario caſui. Quatenus enim materia, quam ęternam ſtatuerunt, caſu mouetur, eatenus etiam res, & multas, & diuerſas inter ſe caſu fieri, putarunt. Talis fuit Empedoclis, & Democriti Leucippique ſententia. Huius erroris cauſa fuit, quoniam non intellexerunt, Deum eſſe liberam rerum omnium, etiam primæ materiæ, efficientem cauſam. Inde factum eſt, vt neque eum eſſe voluerint, cuius ſapientia, diuerſa rerum genera, ſicut facta ſunt, ſic etiam diſtincta & ordinata ſint. Alij cum materia coniunxerunt etiam cauſam efficientem, nempe primam mentem ſeu Deum, qui ex materia vna, quæ eſt chaos, res multas & diuerſas ſegregârit: vt Anaxagoras. Ille enim noluit Deum proprie eſſe autorem diſtinctionis rerum; ſed earum ſuapte natura, propter materiæ diuerſitatem inter ſe diuerſarum, ſinque ipſo chaos contentarum, ſecretorem duntaxat, & ſegregatorem. *Anaxagoras* enim, qui chaos æternum ſtatuebat, & in eo omnes rerum ſpecies fuiſſe commixtas atque confuſas, idq; ex neceſſitate ipſius materiæ exiſtimabat, introduxit *intellectum agentem*, ſeu *æternam mentem*, quę ad chaos acceſſerit, & omnes rerum ſpecies ab illa commixtione ſegregarit. *Empedocles* verò, de quo priori loco diximus, qui eodem planè modo materiam Mundi æternam eſſe putabat, iudicauit ex diuerſitate materiæ, per amicitiam quandã in ipſo chaos, caſu exortam, factum eſſe, vt coeuntibus inter ſe elemẽtis, diuerſa nata ſint ex chaos rerum genera: Et contrà vt per litem diuulſis a ſe inuicem elementis, genera rerum diſſoluantur, atque corrumpantur. Ita conſequebatur caſu hæc omnia contigiſſe atque contingere. Eodem recidebat etiam ſententia *Democriti, & Leucippi*, qui ex fortuito atomorum concurſu, res diuerſas, pro diuerſis eorum

rum figuris concurſibus ordinibus orti ſomniarunt. Ita omnes iſti, caſui attribuebant rerum in hoc Mundo diuerſitatem. Sed anteà demonſtratum eſt, neque materiam eſſe æternam, neque quidpiam eſſe aut fieri in mundo, quod non ſit à Deo factum, & ſumma cum ſapientia fiat. Ita ruit cæcus caſus, & horum vanorum Philoſophorum opinio. *Auicenna* nouit rerum tum multitudinem, tum diuerſitatem ac diſtinctionem, principaliter à Deo eſſe, ſed ex neceſſitate naturæ, ſicut & quidam alij ex neceſſitate bonitatis diuinæ, verùm cauſſas ſecundas potiſſimam eſſe voluerunt huiuſce cauſam diuerſitatis. Sed errant fœdiſſimè. Deus enim, quod ad illa attinet, quæ extra eius ſunt eſſentiam, nihil agit, niſi ex libera voluntate, iuxta illud; *Quæcunque voluit fecit*, *Pſalm.* 115. alioqui ſi omnia ex neceſſitate naturæ & ſuæ bonitatis operaretur extra ſe, & non ex libera voluntate: *non quæcunque voluit, ſed quæcunque potuit, feciſſe dicendus eſſet*. Deinde ſolius Dei eſt creare: Diſtinctio autem rerum in creatione facta fuit. Non igitur à cauſſis eſt ſecundis, ſed à Deo: ſicut etiam ipſarummet cauſſarum ſecundarum diuerſitas & diſtinctio à Deo eſt. Spectatis igitur fundamentis, quibus horum nituntur ſententiæ, quàm ſint infirmæ & nullius ponderis, liquidò apparet, ipſorum quoque ſententias vanas eſſe & falſas. Atque hæc de primo hominum genere, hoc eſt, de Philoſophis dicta ſunto.

II. *Manichæi* quoque, & ante ipſos Marcionitæ & alij hæretici in hac parte grauiſſimè peccarunt & hallucinati ſunt turpiſſimè. Neque enim hanc rerum in mundo diuerſitatem & diſtinctionem ei acceptam tulerunt, cui debuerunt, nempe vni eique vero Deo: ſed ab hoc Deo illas tantùm creaturas factas eſſe iudicarunt, quæ inter reliquas ſunt optimæ, quales ſunt ſubſtantiæ ſpirituales & incorruptibiles: Corporalia verò & corruptibilia omnia, alteri principio attribuerunt. Cauſſa huius erroris fuit, quòd cùm ſcirent Deum eſſe optimum, non putarunt ab eo poſſe proficiſci niſi res vnius generis, nempe optimas, quales, vt dixi, ſunt ſpirituales ſubſtantiæ. Reliquas igitur tanquam vel parum bonas, vel omnino malas, à Deo hoc optimo profectas eſſe, negarunt, & alteri principio, vt dictum eſt, quod *ſummum malum* appellarunt, adſcripſerunt. Sed hi non conſiderarunt vnamquamque rem in ſuo genere, optimam eſſe, ſicut Moſes narrat, dicens; *Omnia fuiſſe valde bona*, id eſt, optima, licèt inter ſe collatæ res aliæ ſint digniores & meliores; aliæ minùs dignæ & bonæ: Ad optimam autem Mundi conſtitutionem requiri, vt non omnes pari dignitate & virtute & bonitate præditæ ſint, ſed diuerſa atque multiplici. Officium itaque optimi Dei fuiſſe, curare, vt propter optimam mundi conſtitutionem ac formam, diuerſa rerum genera conderentur, atque ea inter ſe diſtinguerentur. Ho ergo conuincit Deus ipſe maximi erroris, qui ait per Ieſaiã. *Ego Deus creans tenebras & formans lucem, creans bonum & faciens malum*; id eſt, res etiam noxias, & pœnas.

III. Tertium hominum genus, qui in hac quæſtione errarunt, fuerunt *Origenes* & eius diſcipuli. Hi quoniam nouerunt, Deum eſſe & optimum, & iuſtum: idcircò primùm, quatenus optimus eſt, putarunt initio conditas ab ipſo fuiſſe optimas duntaxat creaturas, quales ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, & incorruptibiles, intellectu & libera voluntate præditæ, Angelos ſcilicet & animas humanas, eáſque omnes æquales fuiſſe & pari bonitate præditas. Quòd verò iam diuerſi rerum atque inprimis hominum & Angelorum gradus, in Mundo conſpiciantur, hoc poſtea profectum eſſe ex Dei iuſtitia, qui pro diuerſitate meritorum, diuerſa etiam illis ſuâ naturâ optimis ſubſtantiis, præmia reddiderit. Cùm enim omnes præditæ eſſent libero arbitrio ad bonum & ad malum; quæ ad Deum conuerſæ fuerunt, & bonum elegerunt, eas fuiſſe ad Angelicam dignitatem promotas, eáſque in diuerſos ordines, pro diuerſitate meritorum diſtributas atque diſtinctas, & in Cœlo confirmatas. Contrà verò, quæ ſuo libero arbitrio, à Deo auerſæ, peccarunt, eas ad Inferiora fuiſſe detruſas, & pro diuerſis itidem ipſarum meritis, variis etiam corporibus fuiſſe deſtinatas & alligatas. Ac quæ minùs peccarunt, earum alias Soli, alias Lunæ, alias ſtellis & aſtris & orbibus, tanquam variis carceribus, ſed mitioribus, fuiſſe mancipatas. Quæ verò grauiùs in Deum peccarunt, eas fuiſſe hic in terris, in humana corpora, tanquam in duriores carceres, eáque corpora etiam diuerſa, alia formòſiora, alia deformia, pro diuerſitate quoque meritorum coniectas, vt in iis ſuorum ſcelerum pœnas luerent. Quæ autem grauiſſimè omnium peccarunt, eas fuiſſe in cacodæmones conuerſas, quorum alij in tenebris huius aëris, alij verò in locis infra terram, tanquam in diuerſis carceribus, diuerſis vincti catenis, collocati ſint. Iamdiu verò omnes manſuras in iis carceribus; donec omnes dent pœnas ſuorum ſcelerum, quas illis Deus conſtituit. Ad extremum verò omnes redituras in cœlum, & perpetua felicitate cum Deo fruituras. Hæc fuit Origenis & diſcipulorum eius, de harum creaturarum diuerſitate phantaſia, quæ quàm ſit abſurda & impia, nemo eſt, qui neſciat. Cauſſa huius fœdiſſimi erroris multiplex eſt, ſed hæc fuit præcipua, quòd non benè conſiderauit ſcripturas, quæ ſunt tum de rerum creatione, tum de origine peccati, tum de iuſtitia Dei. Certe (vt dicam de hominibus) ſcriptura primùm commemorat, *creatum fuiſſe hominis corpus in terra & ex terra*. Deinde animam in illud fuiſſe inſufflatam; & poſtremò peccaſſe. Quomodo igitur ille ſomniauit, animas primùm & quidem omnes fuiſſe in cœlo creatas, & ibi peccaſſe, deinde detruſas in corpora? Somnia, ſomnia verè diabolica ſunt. Deinde non rectè perpendit cauſſam creationis Mundi, vel efficientem vel finalem: Fuiſſe nimirum efficientem, non ſolam Dei bonitatem, ſed bonitatem cum ſumma ſapientia coniunctam. Sapientia autem poſtulabat, vt varia eſſent rerum genera, in quibus ceu in ſpeculis; quæ in Deo ſunt infinitæ, ſed indiſtinctæ perfectiones, hæ in ipſis relucerent, variis omninò modis. Neque enim finalis cauſa, propter quam varias condidit creaturas, fuit iuſtitia Dei, vt ſcilicet puniret hac ratione peccata admiſſa, cùm nulla adhuc fuerint ab hominibus nondum factis, imò ne ab Angelis quidem (quatenus ex verbo Dei colligi poteſt) perpetrata facinora: ſed fuit præter alias, vt ſuam communicaret, & communicando patefaceret ſapientiam, bonitatem, multiplicémque perfectionem. Hæc vna, cùm ſit & perfectiſſima & infinita, immenſaque in Deo, non potuit in Mundo hoc, vno tantummodò, repræſentari: ſed vt per varios modos communicaretur & repræſentaretur, oportuit: Ac proindè varia genera, ad complementum huius mundi, eóque ad Dei perfectionem variis modis repræſentandam, condenda fuerunt. Nam neque (vt vtar ſimilibus) perfecta eſſet domus, eóque nec excellentia artificis ſeu architecti, perfectè exprimeretur, ſi non eſſent in domo variæ & diuerſæ partes, parietes, ſcalæ, feneſtræ, tecta, cubicula, culinæ, cellæ vinariæ, & alia diuerſa loca, neque paries eſſet, ſi ſolis conſtaret lapidibus, ſine cæmento, & ita de reliquis. Quid enim ſi tota domus eſſet tectum, aut tota vnus paries indiſtinctus? Neque etiam perfectum eſſet humanum corpus, eóque nec excellentia Dei in huius præſtantiſſimi corporis artificio pateficeret, ſi totum corpus eſſet brachium, vel pes, vel caput. Vt igitur cauſſa, cur tam varia ſint in humano corpore membra, non fuit *aut neceſſitas naturæ* (vt Philoſophi illi ſenſerunt) *aut ſimplex Dei bonitas* (vt Manichæi dixerunt) *aut iuſtitia Dei* (vt ſenſit Origenes) ſed fuit *bonitas Dei cum ſumma ſapientia coniuncta*, quæ poſtulabat, vt quod vno membro præſtari non poterat ab homine, id variis præſtaretur organis, quæ res tum ad perfectionem corporis, tum ad perfectè exprimendam Dei opificis virtutem ac ſapientiam, pertinebat; Sic etiam dicimus cauſſam, cur tot in magno mundo ſint diuerſarum rerum genera, aliam non eſſe propriam ac principem, quàm ſummam Dei ſapientiam cum ſumma bonitate coniunctam. Proindè rectè Moſes, cùm de diuerſarum rerum iam conditarum diſtinctione verba facit, præmittit verbum, quo diuina indicatur ſapientia & bonitas, dicens primò, *Et vidit*, deinde, *quod eſſet bonum*: ac tum ſubiicit, *& diuiſit lucem à tenebris*. Aliquando etiam verbum diſtinctionis præmittit, & poſtea ſubdit verba, quibus tum ſapientia, tum bonitas Dei ſignificetur. Ita apparet hæc tria hominum genera in aſſignanda diuerſitatis & diſtinctionis rerum in Mundo cauſſa, turpiſſimè hallucinatos fuiſſe.

IV. Cum his tribus coniungimus quartum, eorum ſcilicet, qui iſta rerum diuerſitate, præſertim tot hominum & animalium generibus, offenduntur, cùm videant horum animalium alia non niſi noxia eſſe, vt Tigrides, ſerpentes; alia prorſus inutilia; alia deformia, alia putida atque olentia. Quin & quòd inter homines tanta ſit diuerſitas, alij ſupra modum cholerici, alij melancholici; alij moriones & ſtulti, alij monſtroſi naſcantur. Iudicant enim hæc, aut cum Philoſophis, caſu contingere: aut cum Manichæis, Dei bonitati non conuenire; aut etiam cum iuſtitia Dei pugnare, niſi fortè præceſſerint ipſorum peccata, vt Origenes ſomniauit. Sed refutatis illorum trium erroribus, & patefactâ vera huiuſce diuerſitatis cauſſa, iis etiam quartis ſatisfactum iri confido. Noſtra igitur hæc eſto Theſis.

THESIS.

Ab vno primo, ſummo, & perfectiſſimo Ente Deo reliquorum omnium Entium, ſicut creatio, ſic etiam multitu-

do, diuerſitas atque diſtinctio, pro libera eius voluntate, próque infinita ipſius non tam bonitate, quàm ſapientia: tum ad totius vniuerſi conſummationem conſtituendam, tum ad perfectionem ipſius Dei immenſam melius in Mundo exprimendam, profecta eſt. Et adhuc ab eodem, tanquam à principe cauſſa proficiſcitur, & conſeruatur.

EXplicatione potiùs, quàm confirmatione opus habet hęc Theſis. Quatuor capita de rebus ipſis in Theſi ponimus: primùm, earum creationem, de qua anteà dictum eſt in genere, eam à Deo eſſe, ex nihilo in tempore factam. Deinde multitudinem. Multæ enim ſunt, ac propè infinitæ, non tam res, quàm etiam rerum ſpecies: in cœlis, in aëre, in terra, in aquis. Tertio, earumdem diuerſitatem. Non enim omnes ſunt eiuſdem generis, aut ſpeciei, aut naturæ, aut qualitatis, ſed diuerſiſſimarum inter ſeſe. Poſtremò, diſtinctionem. Videmus enim eas non eſſe confuſas & ſine ordine, ſed pulcerrima ratione inter ſe diſtinctas, & pulcerrimo etiam ordine atque ſitu collocatas. Has itaque tres mundi proprietates & qualitates, dicimus eſſe à Deo, ſicut etiam ipſius, omniúmque in eo rerum creatio à Deo eſt. Auctor enim rerum, eorum quoque, quæ res conſequuntur, nimirum multitudinis, diuerſitatis, diſtinctionis, auctor ſit oportet: Sicut Moſes vtrumque ſimul ab eodem eſſe Deo, prudentiſſimè narrat. De iis abundè in ſcripturis: Sap 11. *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti Domine.* Eccleſ 33. verſ. 7. *Quare dies diem præcellit, cum omnis lux dierum anni à Sole proficiſcatur? Iudicio Domini diſtincti ſunt, qui vices temporum feſtorúmque dierum diſpoſuit, & ſua diuiſit ſapientia. In alios dies extulit, & conſecrauit, alios in ordinem dierum coegit: Et omnes homines e terra ſunt orti, & Adam è terra creatus eſt. Sed Dominus multiplici ſcientia diſtinxit eos, & inſtituta eorum variauit: Alios beauit & euexit, conſecrauit, dicauitque ſibi alios. Alios execratus eſt & depreſſit, & euertit eos ſuis ſedibus: In modum luti, quod manu tenet figulus, ad nutum ſuum, omnia inſtituta ſua dirigit: Similiter homines ſunt in manu Dei creatoris ſui, qui eos pro iudicio ſuo afficit præmiis: Contrarium malo bonum, contrariáque morti vita eſt. Sic oppoſitus ſceleroſo eſt pius, & aduerſus pium ſceleroſus. Ita in omnibus operibus altiſſimi bina quæque videas, quorum alterum repugnat alteri.* Adiecimus epitheta Dei, nempe omnia eſſe ab *vno primo ſummo & perfectiſſimo Ente*, nempe Deo. Hæc epitheta, loco argumentorum ſunt Phyſicorum, à quibus confirmatur quod propoſuimus, eſſe videlicet omnia iſta à Deo. Ab *vno* enim eſt omnis multitudo. Eſt autem Deus verè vnum Ens inſtar puncti in ſphæra, vnde omnes ductæ ſunt diuerſarum creaturarum lineæ: Item à *primo* omnis ordo dependet: primus enim & ſecundus, voces ordinis ſunt. Rerum autem diuerſitas atque diſtinctio, quid aliud ſunt quàm ordo quidam in natura? Ordo igitur hic ex Deo eſt qui eſt primus in ordine Entium. Item à ſupremo, ſummo & perfectiſſimo, omnia inferiora & minùs perfecta ſint neceſſe eſt. Omnia igitur ex Deo cum ſuis diſtinctionibus atque ordinibus ſunt.

Cæterùm ne quis cum quibuſdam Platonicis, putet hanc rerum multitudinem & diſtinctionem à Deo profectam eſſe ex neceſſitate bonitatis ipſius: adiecimus, *hæc omnia proficiſci à Deo pro libera eius voluntate.* Tenenda eſt enim Regula hæc certiſſima: *Eorum quæ extra ſuam eſſentiam facit Deus, nihil ab eo fieri ex neceſſitate naturæ, ſed tantùm ex libera voluntate*, vt ſæpè dictum eſt, & ſcriptura docet manifeſtè. Adiecimus, *proque ſumma & infinita ipſius non tam bonitate, quàm ſapientia.* Hæc enim propriè cauſſa eſt, cur multæ diuerſæque res ſint conſtitutæ, quia ſic iudicauit pro ſua infinita ſapientia, nobis expedire, & magis ad perfectionem Mundi pertinere. Et hac etiam ratione meliùs poſſe ſuam perfectionem ac bonitatem rebus communicari, & in ipſis declarari ac patefieri, quàm ſi aut vnam tantùm perfectiſſimam creaſſet, aut multas eáſque æquales, eiuſdémque naturæ. Proinde cùm ſcriptura de hac pulcra Mundi forma, rerúmque diuerſitate à Deo creata loquitur, ſolita eſt mentionem facere *ſapientiæ Dei*, vt Dauid, *Omnia in ſapientia feciſti Domine*: Et Apoſtolus ait, *quia Mundus non cognouit Deum in ſapientia*, hoc eſt, per hanc ſapientiam Dei quæ in tam magna, pulcra, optimáque rerum, quæ in Mundo ſunt, creatione, ordine, diſpoſitione, varietate, relucet, *placuiſſe Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* In hunc enim finem tanta rerum varietate, ordine, diſtinctione ornauit Mundum: vt inde & Mundus eſſet perfectus, & ſuam in eo ſapientiam ac perfectionem luculentiſſimè demonſtraret. Ideò quarto loco adiecimus finalem cauſſam totius huius multitudinis, diuerſitatis & diſtinctionis rerum à Deo profectæ, nempe *tum ad totius vniuerſi conſummationem conſtituendam, tum ad perfectionem ipſius Dei meliùs in mundo exprimendam.* Duos hic fines multitudinis, diuerſitatis & diſtinctionis rerum creatarum conſtituo, iuxta Ariſtotelis etiam in Ethicis & in libro de Anima, partitionem. Duo enim finium genera ponit. finem οὗ, *cuius*: & finem ᾧ, *cui*. Illum, vocant ſcholæ *finem operis*. Eſt enim eius perfectio. hunc alterum, *finem operantis*. Is enim nihil aliud eſt, quàm vſus rei, ad quem ordinatur res ipſa ab operante: Et illa prima finis ad ſecundam ordinatur: Proinde illa eſt proxima & immediata: hæc autem remota & vltima finis. Exemplum in natura: Deus producit plantas, radicibus in terram defixis, per quas arbor ſuccum à terra capiat, cum trunco & variis ramis, per quos proferat flores & fructus. Finis huius operis prima eſt, vt arbor ſit perfecta, & idonea ad flores & fructus proferendos: Hæc eſt finis *cuius*. cuius ſcilicet cauſſa tot partibus diuerſis diſtinctiſque conſtet arbor, vt ſcilicet ſit perfecta arbor, & idonea fructibus proferendis. Ideò ſuam habet multitudinem, radicum ſcilicet, trunci, ramorum habet ſuam diuerſitatem: Diuerſæ enim ſunt radices à trunco & à ramis; habet ſuam diſtinctionem: Sunt enim inter ſe diſtinctæ omnes hæ arboris partes. Perfectio itaque operis & fructuum procreatio, finis eſt, οὗ, id eſt, *cuius*. Finis verò ᾧ, *cui*, eſt vſus hominis, vt ſcilicet homo iis fructibus fruatur, & ramis etiam tandem ad comburendum vtatur. Ideò dicitur, *cui*; quia huic vſui deſtinata eſt arbor cum fructibus tota. Ad hunc modum, finis cuius cauſſa Architectus vehat lapides, cæmentum, ligna, & ex iis domum ædificet, variaſque in ea domo habitationes fabricet, eſt perfectio domus, vt ſcilicet domus ſit perfecta domus, in qua nihil deſiderari poſſit. Finis cui, eſt vſus domus, vt ſcilicet commodè homines in ea habitare poſſint. Idem in omnibus Dei operibus, quæ in mundo fiunt, ſpectare eſt. In omnibus enim eſt iſte finis duplex: perfectio ſcilicet operis, quæ conſiſtit in debita partium multitudine, diuerſitate, diſtinctione, & vſus ipſe, cui deſtinatur operis perfectio. Quod verò de ſingulis mundi partibus dicitur, & verum eſt, idem multò magis dicendum eſt de toto mundo. Meritò itaque hunc duplicem finem creati, & tot partibus diuerſis atque diſtinctis a Deo compoſiti mundi poſuimus in Theſi: quarum prima fuit, *vt Mundus eſſet perfectus, eóque ad proprium hominis vſum accommodatus*: altera finis fuit, *vt perfectio Dei opificis mundo tam variis modis communicata, melius in ipſo reſplenderet & ab homine conſpiceretur: atque ita is in Dei cognitionem melius adduceretur, & ad eum glorificandum magis excitaretur.* Atque hic eſt alter mundi vſus, cui deſtinata eſt Mundi perfectio & primus vſus, gloria ſcilicet Dei. Ideò obſeruandus eſt nobis diligenter hic duplex vſus, quem homines debent ex Mundi perfectione percipere: vnus eſt animalis & humanus; alter eſt Chriſtianus & diuinus. Primus eſt, vt commodè in hoc Mundo habitemus, quod ad præſentem attinet vitam. Vt hunc indicaret Moſes, ſingularum rerum creatarum fines & vſus, ad quos creatæ ſunt, deſcribit. Alter eſt, vt ex inſpectione bonitatis & perfectionis diuinæ in hoc mundo relucentis, ad Deum laudandum & glorificandum aſſurgamus. Hunc vſum poſtea Moſes innuit, cùm deſcribit hominem fuiſſe ad imaginem Dei conditum, in paradiſo collocatum, & mandatum à Deo accepiſſe, ne de certo fructus genere ederet. Et hic eſt finis vltimus, de quo Salomon: *Omnia* (inquit) *propter ſemetipſum creauit Deus.* Nunc tenemus in quem finem mundus cum tot ſuis partibus, totq; rerum diuerſarum & diſtinctarum generibus conditus ſit. Sed poſtremo loco diximus: *hanc rerum multitudinem, diuerſitatem, diſtinctionem, non ſolùm à principio profectam eſſe à ſolo Deo, ſed etiam nunc ab eodem tanquam à principe cauſa proficiſci & conſeruari.* Hæc particula adiecta eſt, quia non inficiamur, quin poſt primam Mundi, rerúmque omnium creationem & diſtinctionem, inſita ſint rebus ipſis, illiſque permaneant principia, vnde illarum diuerſitas, atque diſtinctio immediatè oritur: materia nimirum, & ſingularum rerum formæ: Diuerſis enim formis fit, vt res inter ſe differant ſpecie: Materia autem numero. Sed vndénam diuerſæ hæ formæ & materiæ? A Deo ipſo, tum cùm omnia creauit: tum iam, cùm omnia in ſuis ſeruat naturis. Proinde dicimus à Deo, tanquam à principe cauſſa etiamnum diuerſitatem hanc & diſtinctionem rerum proficiſci. Hac particula refutantur errores eorum Philoſophorum, qui rerum diuerſitatem & diſtinctionem à ſolis internis rerum principiis pendere ſentiebant: oculos verò in DEVM omnium harum rerum autorem, non attollebant.

bant. Contrà igitur noſtri eſt officij, omnium etiam rerum diuerſitatem talem & tantam, qualem & quantam videmus in Mundo, Deo tanquam principi cauſæ acceptam ferre: ac proinde nulla re turbari, imò de omnibus eum laudare. Hæc eſt breuis Theſis noſtræ explicatio, quæ probè intellecta, prolixiore confirmatione opus iam non habet.

II. Paucis igitur rem expediam, non quidem vt ſimpliciter probem, hanc rerum multitudinem, diuerſitatem & diſtinctionem eſſe à Deo (hac enim re nihil clarius) ſed vt ſimpliciter demonſtrem, hac ratione factum eſſe, vt mundus ſit perfectus, nec poſſe aut potuiſſe ab vlla mente creata aliquid perfectius, dignius, vtilius, excogitari. Moſes poſtea quam totam hanc rerum omnium non ſimplicem creationem, ſed multiplicem ſpeciem, diuerſitatem, diſtinctionem narraſſet, tum demum dixit *Quæcunque fecerat Deus omnia fuiſſe valde bona*, hoc eſt optima, atque ita optima vt meliora excogitari a nobis nec deſiderari poſſint. Dixit, inquam, hoc Moſes, cùm antea tantùm de ſingulis dixiſſet, *vnum quodque fuiſſe bonum*. Docuit igitur Moſes, ad perfectionem Mundi pertinuiſſe & pertinere hanc tot támque multiplicium rerum diuerſitatem, inæqualitatem, diſtinctionem. Ac certum eſt, ſi quis diligenter conſideret ſitum & ordinem totius mundi, cœlorum & elementorum, quæ ſunt inſtar tecti & parietum totius domus: Et deinde commodas ſingularum rerum & ſpecierum habitationes, quomodo in cœlo ſupremo Angeli, aſtra in orbibus, aues in aëre, piſces in aquis, homines & reliqua animantia in terris habitent, ſuo cuique animalium generi, accommodato loco ac domicilio. Si quis præterea genera rerum diuidat in ſubſtantias & accidentia, & ſubſtantiarum alias eſſe ſine materia & incorporeas, alias corporatas, alias vtraque natura conſtantes: Ac incorporatarum varios & multiplices eſſe ordines, quorum quiſque ſuum habet officium, de quibus paulò poſt ſumus dicturi, nempe de Angelis: Ita corporatarum alias eſſe incorruptibiles, vti ſunt cœli, alias corruptione obnoxias, vt reliquæ omnes inferiores: Atque harum alias habere tantùm Eſſe, quæ & diuerſiſſimarum ſunt ſpecierum, qualitatum, virtutum: alias præter Eſſe, habere etiam viuere, vt diuerſiſſima plantarum & herbarum genera: alias præter Eſſe, & viuere, etiam ſenſu præditas eſſe, vt infinitæ animalium ſpecies, quæ etiam non vnius ſunt omnes ſexus, magnitudinis, qualitatis, virtutis: Denique alias præter Eſſe, viuere & ſentire, ornatas quoque eſſe intelligendi, eligendi, volendi facultate, ac rebus aliis omnibus dominandi auctoritate, vt homines, quorum diuerſiſſima ſunt ingenia, formæ, vires, mores, affectus: Et ita inter ſe omnes ordinatos atque diſtinctos, vt vnus opus habeat alterius opera: Nihil verò tam vtile atque exiguum eſſe in mundo, quod non ſuum habeat vſum ad totius machinæ, tanquam totius corporis conſeruationem, ornatum, formam. Si quis item varia motuum genera, circularem, rectum, obliquum & alios: Temporum item viciſſitudinem & diſtinctiones in momenta, in horas, in dies & noctes, in ſeptimanas, in menſes, in annos, in luſtra, in ſecula: ſi quis, inquam, diligenter omnia attento animo contempletur, perpendat, examinet, is certè non poterit non aliter ſentire & dicere, quàm nihil hac mundi machina pulcrius, ornatius, abſolutius fieri potuiſſe, nihilvé perfectius excogitari ab vlla creata mente vllo modo poſſe. Huc facit exclamatio Prophetæ in Pſalmo, *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine? omnia ſapientia feciſti.* Item alius: *Conſideraui omnia opera tua & expaui.* Sed frequentiſſimæ ſunt in ſcripturis horum Dei operum prædicationes. Huc pertinent quæ Apoſtolus de varietate ſtellarum 1. ad Corinthios 15. ſcribit: *Stella differt à ſtella in claritate.* Et alibi de variis; diuerſiſque & diſtinctis in humano corpore membris, *quorum nullum eſt, quod ſuum non habeat vſum:* 1. *Cor.* 12. neque expediuiſſe, vt corpus hac membrorum varietate careret, vt totum corpus aut eſſet oculus, aut manus, aut venter: quale enim monſtrum? Hac ſimilitudine concludit idem de Eccleſia & variis in ea miniſtrorum generibus atque officiis. Si hoc verum eſt de ſingulis partibus: quantò magis de toto corpore huius mundi? Atque hæc omnia ad primùm mundi vſum pertinent & finem, qui eſt ipſa mundi perfectio, & talis perfectio, quæ homini inſeruiat, cuius cauſſa conditus eſt. Cum iis adde quæ de altero vſu rerum conditarum ſcribit Dauid in Pſal. 19. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Meliori enim ratione non poterat infinita & immenſa Dei perfectio nobis ſub oculos poni, quàm hac tot tantarúmque rerum diuerſitate & multiplici diſtinctione. Proinde Apoſtolus ad Hebr. 11. hanc multiplicem rerum diuerſitatem ait eſſe *ſpeculi inſtar, in quo res inuiſibiles nempe infinita Dei proprietates reluceant.* Et Rom. 1. *Non per vnam rem, ſed per multas, per omnia ſcilicet illa quæ facta ſunt, conſpici inuiſibilia Dei.* Ratio à Philoſophis adfertur, quoniam in vna creatura non poterat immenſa Dei perfectio exprimi. Oportuit igitur in variis, quaſi per partes relucere. Huc accedit, quòd ſicut Deus non ſolùm per ſe bonus eſt, & bonitas ipſa, ſed etiam hanc alteram habet bonitatem, nempe quòd ipſam ſuam bonitatem communicat: ſic etiam voluit vtrumque rebus à ſe conditis communicare. Proinde efficit, & vt ſua naturâ bonæ ſint, & verò etiam, vt ſuam bonitatem ſibi inuicem communicent, ſibi inuicem inſeruiendo: qua in re longè meliùs relucet ſimilitudo, quam habent cùm Deo, quàm ſi tantùm bonæ per ſe eſſent; & altera alteram ſuæ bonitatis participem non efficeret. An non ſimilius eſt Soli id, quod non ſolùm per ſe lucet, ſed etiam alios illuminat, vt radiùs & ignis, quàm id, quòd in ſe tantùm lucidum eſt, vt corpus, radio Solis illuminatum? Maximè verò. Vnde & Apoſtolus ait, ſolitum fuiſſe Chriſtum dicere, *Beatius eſt dare, quàm accipere.*

Quomodo autem potuiſſet vna res alteri ſuam communicare bonitatem, & illi eſſe vſui, ſi aut multæ non eſſent, aut ſi omnes eſſent æquales & æqualis virtutis? vna enim alterius bonitate non indigeret. Multa igitur & diuerſa rerum genera in mundo fuerunt neceſſaria ad perfectionem mundi conſtituendam, & vt meliùs perfectio Dei in Mundo ſplenderet. Bonitas etiam ſpeciei, præſtantior eſt bonitate indiuidui: ſicut forma etiam melior eſt ipſa materia. Formis autem ſpecies diſtinguuntur; ſicut per materiam indiuidua. Quis igitur non videat, ad perfectionem vniuerſi, neceſſariam fuiſſe non ſolùm indiuiduorum vnius ſpeciei, ſed etiam & quidem maximè diuerſarum ſpecierum multitudinem? Sic igitur concludamus cum ſapientia in Eccleſiaſtico, *cap.* 38. *Quare dies diem precellit,* (id eſt, vnus dignior eſt altero, vt dies feſtus) *cùm omnis lux dierum anni à Sole proficiſcatur? Iudicio Domini diſtincti ſunt, qui viciſſitudines temporum feſtorúmque dierum diſpoſuit. Is alios extulit & conſecrauit, alios in ordinem dierum redegit: Et omnes homines è terra ſunt orti. Adámque è terra creatus eſt: ſed Dominus multiplici ſcientia diſtinxit eos, & vias eorum diuerſas fecit: Alios fortunauit atque euexit, conſecrauit, & propinquos alios ſibi fecit. Alios execrabiles habuit & depreſſit, ſuíſque euertit ſedibus. Vt lutum in manu figuli eſt, quod pro ſuo tractat arbitrio. Ita homines ſunt in manu Dei Creatoris ſui, quibus pro ſuo iudicio ſingulis reddat. Vt contrarium malo homine, contrariáque morti vita eſt: ſic oppoſitus ſcelerato eſt pius; & aduerſus pium ſceleratus. Ita in omnibus operibus altiſſimi bina quæque videas, quorum alterum repugnat alteri.* Manifeſtum igitur eſt, rerum omnium vt creationem, ſic etiam multitudinem, diuerſitatem, diſtinctionem à Deo eſſe, qui pro libera ſua voluntate, & pro ſua immenſa ſapientia, tum ad perfectionem Mundi conſtituendam, tum per conſequens ad ſuam perfectionem in Mundo clariùs patefaciendam, tam multa, tam varia, támque diuerſa & inter ſe diſcreta eſſe voluit rerum genera: Et tali huius mundi fabricæ conſtitutione, nihil perfectius ab vlla creatura excogitari poſſe. Proinde quiſque ſua ſorte contentus eſſe debet, & ſe in iis rebus præbere aliis vtilem, in quibus poteſt, quòd ad hoc conditus à Deo ſit.

III. Hinc verò magis ac magis apparet, quàm falſæ ſint de hac rerum multitudine, diuerſitate & diſtinctione Philoſophorum & hæreticorum omnium ſententiæ. Ac *primùm* quidem, quis non videat; eam à caſu non eſſe, ſi eſt à Deo? Illa præterea dicuntur eſſe à caſu, quorum natura talis eſt, vt poſſint aliter ſe habere, quàm habeant: Quæ verò ſemper eodem modo ſe habent, nec ſuâ naturâ aliter ſe habere poſſunt, ea non à caſu, ſed ex neceſſitate, ab ipſis quoque Philoſophis, eſſe dicuntur. Quot autem ſunt in hoc mundo, quæ talis ſunt naturæ, quamquam creatæ, vt non poſſint aliter ſe habere? Confirmatur hoc argumentum, ſi cauſam ſpectes, cur aliqua caſu contingere dicantur. Fatentur Philoſophi id à materia proficiſci, vt res aliter ſe habere poſſint. Quomodo igitur quæ materia carent à caſu eſſe poſſint? Sed neque ipſæ rerum materiâ conſtantium ſpecies, à caſu eſſe poſſunt. Species enim à ſe inuicem diſtinguuntur formis, non autem materia: Hanc enim vnam eſſe omnium communem docent. Materia autem tantùm ea eſt, quæ efficit, vt res aliqua aliter ſe habere poſſit. Rerum igitur ſpecies à caſu eſſe nequeunt. Ac ſi omnia ſunt à Deo, quòd ad ipſorum ſubſtantias (omne enim Ens per participationem ab eo, quod eſt Ens per ſe, procedat oportet) Deus autem nihil egit, aut agit, niſi ex æterno conſilio. Omnium igitur etiam rerum multitudo, diuerſitas & diſtinctio, ab æterno Dei conſilio pendeat, neceſſe eſt. *Deinde* apparet falſum etiam eſſe, quod alij dixerunt *Materiam eſſe diuerſitatis &*

diſtinctionis rerum cauſſam primam. Nos enim oſtendimus, Deum ſolum initio creationis, cauſam fuiſſe, ſicut creationis, ſic multitudinis & diuerſitatis, & diſtinctionis rerum: Deinceps verò cauſam eſſe principem, Materiam autem ex Dei ordinatione & conſilio, ſecundam. Deus enim pro ſua ſapientia res omnes diuerſas inter ſe & diſtinctas eſſe voluit, & perpetuò vult. Quæ autem talia ſunt, & conſilio & propoſito agentis cauſſæ, ea non poſſunt talia eſſe ex materia, tanquam ex prima cauſſa, cùm cauſſa agens prior ſemper ſit materia ipſa. Materia igitur cauſa prima eſſe non poteſt diuerſitatis & diſtinctionis rerum. Sapientis enim tantùm eſt diſtinguere res ſua natura confuſas. Diſtinctæ autem manent per ea principia, per quæ ſapiens diſtinxit, & diſtinctas eſſe voluit. Neque etiam prima diuerſitatis & diſtinctionis rerum cauſa eſſe poſſunt formæ diuerſæ, quibus ſpecies rerum diſtinguuntur. Formæ enim diuerſæ à Deo ſunt primo agente. Deus igitur cauſſa eſt diuerſitatis & diſtinctionis rerum omnium, cùm etiam cauſſa ſit eorum principiorum, per quæ res voluit eſſe diuerſas atque diſtinctas. Hoc eſt alterum. *Tertio* loco apparet quoque, hanc rerum diſtinctionem, non proficiſci à diuerſitate & contrarietate primorum, neſcio quorum agentium, vt ſomniarunt Manichæi, cùm vnum tantùm ſit primum agens, Deus, à quo omnia alia ſunt agentia. Res enim in mundo, licet multæ & diuerſæ ſint; ordinem tamen habent inter ſeſe, & vna ſeruit alteri, vt manifeſtum eſt & ſcriptura teſtificatur, dicens: *Omnia in numero, pondere & menſura conſtituiſti, Domine.* A contrariis autem agentibus, & inter ſeſe diſſentientibus, vt Manichæi dicebant, talis rerum ordo proficiſci non poteſt, præſertim cùm horum principiorum vnum ſtatuant ſummum bonum, alterum ſummum malum, quod tamen dari nullo modo poteſt. Omne enim malum in aliquo eſt bono, cùm omne Ens, quatenus Ens, bonum etiam ſit. Item, quod per ſe, & ſimpliciter malum eſt, vt erat alterum ex principiis Manichæorum, agens eſſe non poteſt, quia Ens non eſt. Quomodo igitur Entium diuerſitas & diſtinctio à talibus contrariis principiis agentibus eſſe poteſt? Præterea, quæ vna actione producuntur, ea à contrariis principiis agentibus eſſe nequeunt: quando contrariorum principiorum, contrariæ ſemper actiones ſunt. Ignis enim calefacit, aqua frigefacit. Atqui bonum & malum in rebus, vna & eadem fit actione. Eadem enim actione aqua corrumpitur, & inde aër generatur: & ſemper *generatio vnius, corruptio eſt alterius, in vna & eadem actione.* Denique omne malum, quod in mundo fit, ex accidenti fit, & præter agentis propoſitum. Nullum enim agens ſibi malum in agendo proponit, ſed bonum ſemper, ſeu verum illud ſit, ſeu apparens bonum: vnde illa certa propoſitio, *Bonum id eſſe, quod omnes appetunt.* Atqui ſummum malum, eóque per ſe & ſua natura malum, bonum ſibi in agendo proponere nequit, cùm illud ſibi ſimpliciter, & per ſe contrarium ſit. Quomodo igitur ſtatui poteſt ſummum principium malum, vnde omnia in Mundo mala, ſicut ex ſummo bono, omnia bona? Ac proinde quomodo rerum diuerſitas atque diſtinctio à principiis contrariis deriuari poteſt. Bene igitur nos diximus, *eam eſſe ab vno & ſummo, perfectiſſimóque Ente Deo.* Sic enim habemus in ſacris literis, *Bonum & malum: Vita & Mors, Paupertas & Diuitiæ à Deo ſunt. Eccleſ. 9.* Hoc eſt tertium. *Quarto* loco manifeſtum eſt ex Theſi, multitudinem, diuerſitatem & diſtinctionem rerum à cauſis agentibus ſecundis, vt ab Angelis, eſſe non poſſe, ſed à Deo, tanquam à primo fonte, ſicut omnis Entis, ſic etiam omnis boni, fluxiſſe. Quod enim bonum & optimum eſt in rebus: illud tandem, ad id, quod per ſe bonum & optimum eſt, tanquam ad ſuum primum principium, eſt referendum. Hic eſt Deus. Quid autem melius in mundo, ipſa rerum diſtinctione & ordine? Docet hoc etiam Diuus Iacob. *Omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Iacob. 1.* *Quintò*, quid verò ſtultius, quàm dicere, rerum in mundo diuerſitatem, ex meritorum diuerſitate profectam eſſe, ſicut in libris περὶ ἀρχῶν ſomniauit Origenes? Si tamen fuit Origenis doctrina. Nos itaque adiecimus, profectam eam eſſe, tum ex libera voluntate Dei, tum ex eius ſumma bonitate atque ſapientia. Nam perfectio vniuerſi quanam in re potiſſimùm conſiſtit? In multarum diuerſarúmque rerum ordine ac diſpoſitione, vt cœlum ſit ſurſum, terra deorſum; in medio aër. Nam vt meliora, ſint etiam ſuperiora æquiſſimum eſt. Quod autem perfectiſſimum eſt, illud prius aliis rebus in mente ſit optimi ac ſapientiſſimi agentis oportet. Diſtinctio igitur & ordo rerum in mundo ab æterno fuit in mente Dei ſummi & perfectiſſimi, Mundi huius architecti, ac proinde ab eo etiam, & à libera eius voluntate, non autem ex diuerſitate meritorum, quę creatas res conſecuta ſint, profecta eſt. Cedo verò, num omnes creatæ ſubſtantiæ ratione ac voluntate præditæ, vt Angeli & animæ humanæ, eiuſdem ſunt naturæ, an verò diuerſæ? Diuerſæ. Vnde hoc noſti? Ex diuerſitate naturalium actionum, quæ in illis & in iſtis perſpicitur. Neque enim idem motus eſt, quo humanus intellectus intelligit, & quo intellectus Angelicus: quippe qui opus non habet ſenſu & phantaſia ad intelligendum, ſicut humanus. Si diuerſæ naturæ ſunt, quia diuerſæ ſunt naturales illorum actiones: Diuerſitas igitur hęc non pendet ex diuerſitate meritorum: Merita enim non pendent à natura, ſeu non ſunt naturalia, ſed ex libero (vt dicebant) ſunt arbitrio, præſertim illa, quæ ante peccatum Angebantur. Vnde igitur hæc rerum diuerſitas? ab authore naturarum omnium. Diuerſitas enim præmiorum, quæ ex diuerſitate meritorum pendet, accidentalis & cauſſalis eſt, non autem naturalis. Nos verò de vniuerſitate naturali, quam cernimus in creaturis, loquimur. Certiſſimum enim eſt: ſi diuerſitas naturarum eſt ex liberi arbitrij meritis, eam non eſſe naturalem. Ac ſi naturalis eſt, eam non eſſe ex liberi arbitrij meritis. Certè ſi res ita ſe haberet, vt illi Origeniſtæ fingebant, ſequeretur vnionem, qua anima (verbi cauſſa) Petri, vnita eſt eius corpori, non eſſe naturalem, quia ex præcedentibus meritis. Quæ verò eſt iſthæc inſania, dicere animę & corporis vnionem in hominibus non eſſe naturalem? Prætereà, ſi ita res haberet, quòd diuerſę animę alligatæ ſint corporibus diuerſis propter diuerſitatem meritorum; ſequeretur verum eſſe, quod Pythagorę dogma eſſe dicitur, nempe *animos in varia migrare corpora poſt exitum à primo corpore.* Si enim in hoc corpus anima, puta Iudę, detruſa fuit propter præcedens eius ante mundi conſtitutionem peccatum. Poſt mortem igitur in aliud corpus deformius & moleſtius, tanquam in aſperiorem carcerem coniecta ſit, neceſſe eſt. Grauiſſimum enim in corpore primo admiſit peccatum, prodendo Filium Dei, cui peccato grauior debetur pœna, eóque aliud corpus, in quo tanquam grauiori carcere crucietur. Si verò ita eſt: In reſurrectione igitur vtrum horum duorum corporum, anima Iudæ reſumet? nam vtrumque ſimul non reſumet. Scriptura autem docet, *quemque in reſurrectione illud corpus reſumturum, quod etiam traxit ex matre ſua.* Ita fiet, vt non omnia reſurgant corpora. Quod ſi neges poſt mortem in alia ingredi corpora animas, propter peccata in primo corpore admiſſa: Cur igitur hoc aſſeris de aſſumptione primi corporis? Quid plus priuilegiorum & indulgentiæ habent peccata poſteriora, in ipſa carne & in terris admiſſa: quàm illa priora, quę ante carnē in cœlo, admiſſa fuiſſe contendis? Impium igitur eſt dogma, diuerſa corpora, diuerſis contingere animis propter diuerſitatem meritorum præcedentium. Quid? Quod ſi hoc verum ſit, nimirum, nullam eſſe diuerſitatem, niſi quæ ex meritis procedat: efficietur, non multas fuiſſe initio creatas animas, ſpiritualéſque ſubſtantias. In omni enim multitudine, diuerſitas aliqua ſit & diſtinctio, neceſſe eſt, qua vnum differat & diſtinguatur ab altero. Si autem hæc pendet ex meritorum diuerſitate, & merita nulla ſunt creaturarum ante ipſorum creationem: Quomodo igitur multæ & diuerſæ creaturæ à Deo fuerunt ſubſtantiæ? Hæc certè non cohærent, multas & diuerſas creatas fuiſſe ſubſtantias ſpirituales, quę certè ante creationem, hanc diuerſitatem ſibi per peccata promereri non potuerunt: & tamen omnem diuerſitatem ex meritis peccatorum pendere. Quod ſi hanc excipias diuerſitatem, quæ in omni multitudine neceſſariò requiritur: quid cauſſæ obſecro habes, cur reliquas ex meritis, hanc autem non ex meritis ſtatuas? vbinam hoc tradunt ſacræ literæ, aut quænam ratio hoc ipſum euincit? Adhæc, ſi diuerſitas corporum ſequitur diuerſitatem peccatorum in iis, qui peccant: efficitur vnum tantùm fuiſſe Spiritū inter tot millia, qui ita peccârit, vt promeruerit tale corpus, quale eſt Sol: Eſt enim vnus tantùm Sol. Idem dico de illo Spiritu, qui eſt (vt illi volunt) in Luna poſitus. Si enim ex diuerſitate meritorum, dantur corpora diuerſa: Ergo à diuerſitate corporum oportebit concludere diuerſitatem meritorum. Omnia autem corpora ſunt inter ſe diuerſa, & nullum eſt, quod ſit alteri prorſus idem, imò neque omninò ſimile, & omni parte æquale. Ergo omnes etiam ſubſtantiæ ſpirituales inæqualiter peccârint, neceſſe eſt: nec reperiri poterunt duo, qui ex æquo peccârint. Quid hoc autem abſurdius? Certè omnes homines ex æquo in Adamo peccarunt. Adde, ſi corporum quæ in mundo ſunt, tam cœleſtium, quàm terreſtrium diuerſitas, ex diuerſitate meritorum proficiſcitur. Finis igitur prima ex præcipuus, propter quam ſingula corpora creata ſunt, fuerit, vt eſſent pœnæ peccatorum, & per ea punirentur peccata ſubſtantiarum incorporearum: ac proinde non inter benedictiones, ſed inter maledictiones collocanda erunt corpora omnia. Atqui ſcriptura

longè

longè aliter docet, & ipſa etiam Philoſophia confirmat, nem-
pe corpora omnia inter Dei beneficia collocanda eſſe, præ-
ſertim verò cœleſtia: Et in longè alium vſum fuiſſe creata,
quàm ad punienda peccata, nempe ad vtilitatem & com-
modum noſtrum, & totius vniuerſi. Et ſic de ſingulis pro-
nunciat Moſes, dicendo, *Lucem creatam eſſe, vt conſtitueret*
diem. Firmamentum, vt diuideret aquas ab aquis: Cœlum,
Lunam, ſtellas, vt eſſent in tempora & annos & ſigna: atque
ita de reliquis. Quid igitur hac Origeniſtarum opinione ſtul-
tius? quid abſurdius? quid cum ſcripturis pugnantius? Eſt
autem obſeruandus fons, vnde iſte error effluxit. Fons iſte
fuit principium & axioma quoddam, quo etiam nunc fit, vt
multi in varios labantur errores, cùm de Prædeſtinatione
ſermo habetur. Hoc enim aſſumebant, ſed malè accommo-
dabant: *Iuſtitia poſtulat, vt æqualia æqualibus dentur*: Et
contra iuſtitiam eſt, ſi æqualibus inæqualia dentur. Fieri igi-
tur nequit, vt Deus, qui iuſtiſſimus eſt, inæquales crearit
ſpecies, cùm nulla præceſſerit in eis cauſſa huius diuerſitatis.
Æquales igitur omnes creatæ. Si æquales: Fieri igitur ne-
quit, vt inæqualia ſortiti ſint corpora, niſi aliqua meritorum
diuerſitas præceſſerit. Foret enim iniquum, æqualibus inæ-
qualia dare. En quò deduxerit iſtos homines dogma hoc
perperam intellectum, iniquum eſſe, ſi *æqualibus inæqualia*
dentur. Hoc dictum verum eſt, ſed ſuo loco, non vbique, &
ſuo tempore, certiſque in cauſſis, non ſemper, & in rebus o-
mnibus. In iudiciis, & vbi eſt debitum, verum eſt: Extra
iudicia, & vbi debitum nullum eſt, locum non habet. Quid
autem debuit DEVS creaturis ſuis? Annon abſolutus eſt Do-
minus, & abſolutum in omnes habet imperium? Annon po-
teſtatem habet figulus ex eadem maſſa faciendi aliud vas in
honorem, & aliud in contumeliam? quantò magis vnum
vas honorificentius altero, & diuerſum ab altero? Si conſi-
deraſſent teſtimonia ſacrarum literarum, quæ docent, Deum
omnia ex ſua libera voluntate, & ex mera liberalitate ac ſa-
pientia creaſſe, non autem ex debito iuſtitiæ: in hunc tam
fœdum errorem lapſi non fuiſſent. Nam in Pſalmis legi-
tur: *Deus quæcunque voluit, fecit*: non autem: *quæcunque*
debuit, nempe ex iuſtitia. Imò etiam iuſtitia Dei hoc po-
ſtulabat, vt ſcilicet partes Mundi æquales & diuerſas con-
deret. An non iuſtitia poſtulat, vt bonum publicum præpo-
natur priuato? Quid ni? Ad bonum autem publicum perti-
nebat, vt & multæ & diuerſæ & diſtinctæ eſſent totius Mun-
di partes, vt non omnes eſſent incorporeæ, ſed aliæ corpo-
reæ: aliæ incorporeæ: non omnes eſſent cœleſtes, ſed aliæ
etiam terreſtres: non omnes ratione præditæ: ſed aliæ et-
iam rationis expertes; non omnes ſtellæ æquales, ſed aliæ
aliis maiores, nobiliores, lucidiores. Denique nihil in to-
to mundo præſtantius, nobilius, pulchrius, vtilius, diui-
nius iſta rerum multarum diuerſitate, diſtinctione, ordine;
quo vna altera nobilior eſt, & vna pendet ab altera, vna
ſubeſt alteri, vna obſequium accipit ab altera. Hinc enim
totius mundi eſt ornatus, pulchritudo, præſtantia, hinc
multiplex vſus, vtilitas, fructus nobis exoritur. Hinc ipſa
Dei bonitas, gloria, ſapientia, potentia clariùs elucet, il-
luſtratur. An non igitur æquum & iuſtum erat, vt talis fieret
mundus, qualis iam eſt, & ita bonum publicum & gloria
Dei vniuerſalis, priuatis præferretur cuiuſq; rei commodis?
Ergo abuſus eſt iuſtitia Dei, autor περὶ ἀρχῶν, dum ex ea
perperam intellecta, tam iniquum, impium, & fatuum dog-
ma collegit: Cauſam nimirum omnis diuerſitatis rerum in
mundo, fuiſſe præcedentium meritorum diuerſitatem.

Theſin hanc volui pluribus confirmare, & opiniones cum
hac pugnantes fuſiùs refutare, non quòd doctrina per ſe ſit
difficilis aut obſcura Chriſtianis hominibus: ſed quòd vti-
liſſima res ſit, & ad promouendam pietatem quàm maximè
accommodata, nempe perſuaſum eſſe, Quicquid in hoc
Mundo rerum eſt, quicquid diuerſitatis, quicquid diſcrimi-
nis, quicquid contrarietatis, litis, pugnarum, quicquid
bellorum: & contrà, quicquid etiam ordinis, quicquid di-
ſtinctionis, pacis, concordiæ, amicitiæ, ἀταξίας in rebus
eſt, idque ſiue in vniuerſum, in tota mundi machina, ſiue
ſpeciatim inter ipſas ſingulas mundi partes: totum eſſe ex
æterno Dei conſilio, ſapientia, bonitate, ad eius gloriam, &
adelectorum ſalutem. Ex hac enim non tam cognitione,
quàm certiſſima perſuaſione, naſcitur & fit, vt in electis ſu-
perbia, curioſitas, obmurmuratio naturalis de Deo, déque
operibus Dei, reprimantur: Contrà verò fiducia in Deum
gratiarum actio, εὐσέβεια, adoratio, amor, glorificatio Dei
magis ac magis excitetur & confirmetur. Ad me quod atti-
net, nihil me magis aduerſus omnia tentationum genera,
quæ à rebus & ſtatu mundi, eiúſque varietate oriuntur, ſu-
ſtentat ac fulcit, quàm hæc perſuaſio, de qua iam dixi: ni-
mirum nihil melius potuiſſe fieri, quàm à Deo factum ſit, ni-
hil vel ſalutarius nobis contingere poſſe, quàm quod nobis e-
uenit ab hoc optimo, ſapientiſſimo, potentiſſimóque Deo,
qui eſt Pater, Filius, ac Spiritus ſanctus: à quo omnia, per
quem omnia, in quem omnia, cui honor & gloria.

CAPVT IV.

De Cœlo Beatorum.

DEmonſtratum fuit, cùm verba Moſis: *In principio*
creauit Elohim cœlos & terram, interpretaremur
nomine שמים quicquid nomine cœlorum in ſa-
cris literis deinceps ſignificatur, intelligendum eſ-
ſe: idque ſynecdochικῶς, hoc eſt, cum omnibus iis, quæ in
cœlis iſtis continentur. Manifeſtum autem eſt in ſcripturis
hoc nomine, nempe שמים omnia (ſunt autem tantummo-
do tria) cœlorum genera ſignificari: *primum* quidem, totum
ſpatium, quod eſt à terra ad orbem vſque Lunarem, vbi aues
volitant, vnde pluuiæ deſcendunt, vbi tonitrua & alia omnia
quæ Ariſtoteles vocauit *Meteora*, generantur. Huius ſignifi-
cationis exempla in ſacris literis permulta ſunt. Nam *Ra-*
chian vocat *cœlum* Moſes. *Geneſ*.1.6. *Rachian* autem eſt et-
iam aër. Item Gen.7.11. *Aperta ſunt cataractæ cœli*, id eſt, aë-
ris. Notum eſt illud Pſalmi 8. *volucres cœli, & piſces maris*:
item illud Chriſti, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli, ni-*
dos. Matth.8. Alterum genus continet omnes cœleſtes & mo-
biles orbes, hoc eſt, totum iſtud ſpatium, quod ſpectabiles
cœli orbéſque occupant. De hac altera parte eſt teſtimoniũ
Geneſ.1.14.15 vbi totum *Rachian* vocauit *cœlos*. In hac autem
Rachia, collocauit Solem, Lunam & alia aſtra omnia. Ac
de iis Cœlis eſt etiam teſtimonium in Deut.cap.17.3. & alibi
ſæpiſſimè, vt nihil ſit notius atque certius. Cum hoc altero
Cœli genere, coniungimus & nonam ſphæram quæ non vi-
detur, ſed tamen verè cognoſcitur, & ex eius motu
demonſtratur. *Tertium* Cœlum, quod reuera longè alte-
rius generis eſt, quàm reliqui, eſt locus ille, vbi Deus ſpecia-
tim dicitur inhabitare, & in quod Chriſtus ſuo corpore le-
gitur aſcendiſſe, & in quo nos quoque omnes quicunque ve-
ra in Chriſtum fide ſumus præditi, vnà futuri ſumus cum
Chriſto, iuxta eius precationem à Patre exauditam. *Volo Pa-*
ter, vt, vbi ego ſum, & illi ſint mecum. Ioan.17. De hoc tertio
cœlo, non minùs frequentia in ſacris literis, quàm de aliis
duobus, teſtimonia, vt mox videbimus, reperiuntur. Atque
hæc tria cœlorum genera indicaſſe videtur Apoſtolus, cùm
dixit *ſe raptum fuiſſe vſquè in tertium cœlum*, vt etiam Am-
broſius in hunc locum 2.Corinth.12. Et Athanaſius ad Antio-
chum Principem quæſt. 9. prudenter obſeruarunt. De hoc
itaque tertio *Cœlo* quod *Beatorum* vocamus, tres proponun-
tur quæſtiones: Prima, *An ſit, & vbinam ſit*. Altera, *Quid ſit,*
ſitne res creata, an increata: & ſi creata, an corporea, an ve-
rò incorporea & ſpiritualis. Tertia, *Quale ſit*.

Eſt autem manifeſtum, harum omnium quæſtionum ex-
plicationem aliunde haberi non poſſe, quàm ex reuelato
Dei verbo: Hoc enim, de quo loquimur, Cœlum neque vlli
ſenſui obnoxium eſt (omnis autem noſtra naturalis cognitio
à ſenſu capit initium) ac proinde neque etiam ratione per-
cipi poteſt, cùm nullus eius effectus, vnde in iſtius cœli co-
gnitionem perduci poſſimus, ad nos vſque pertingat, quem-
admodum nona ſphæra ſupra *Cœlum ſtellatum*, etſi viſui non
ſubiacet, ex motu tamen cognita tandem fuit ab Aſtrologis,
licèt Ariſtoteles eam ignorarit, vt apertè apparet in libris de
Cœlo & Mundo, & vbi probat, extra Cœlum ſtelliferum,
nullum eſſe corpus aut locum. Naturali igitur cognitione
inueſtigari non poteſt Cœlum hoc Beatorum. Huc etiam
accommodari poſſunt optimè, quæ Apoſtolus 1. ad Corinth.
2. ſcribit, de felici in hoc cœlo ſtatu, quem habituri ſumus
per Chriſtum, dicens, *Oculus non vidit, neque auris audiuit,*
nec in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparauit iis, qui
ſe diligunt. Ergo ex ſola Dei reuelatione, quæ in ſacris lite-
ris facta eſt, Cœlum hoc & an ſit, & vbi ſit, & quid ac quale
ſit, cognoſci à nobis poteſt ac debet. Quare hic nihil habe-
mus negotij cum Philoſophia, ſed tantummodò è ſacris li-
teris nobis agendum eſt.

Cœlum Beatorum an & vbinam ſit.

Ad quæſtionem igitur primam quod attinet, extra contro-
uerſiã poſitũ eſt apud omnes ferè, qui ſacras literas profitẽ-
tur, præter hos ſpectabiles octo orbes, & præter etiã nonam
ſphæram aliquod eſſe Cœlum, vbi habitent beati, & vbi fu-
tura ſunt ipſorum piorúmque omnium corpora: ac proinde
quòd *Beatorum cœlum* meritò appellari conſueuit. Sunt.n.
tot tantáque teſtimonia in ſacris literis de hoc cœlo, vt ſine
impudentia, & ſine ſumma impietate, negari non poſſit.

Cæterùm vbi ſit, & quid ſit, non deſunt qui dubitent, qui etiam in ſententia ſua turpiter hallucinantur. Nouimus enim quinam hac noſtra ætate contenderint & adhuc contendant de ea re, de qua nunquam, quod ego ſciam, dubitatum anteà fuit in Eccleſia. Contendunt enim ſupra nonam ſphæram nullum aliud eſſe cœlum, in quo vel iam ſit corpus Chriſti, vel futura ſint noſtra, electorúmque omnium corpora. *Cœlum enim electorum eſſe ipſum Deum*, iuxta illud 1. ad Cor. 15. *Deus erit omnia in omnibus.* Cùm autem Deus ſit vbique, Cœlum etiam electorum eſſe vbique, hoc eſt, tam in iis terris & in aëre, quàm in orbibus cœleſtibus. Egregiam verò rationem, qua tam portentoſum dogma confirmetur. Vnde verò probant Deum eſſe illud cœlum, quod electis promiſſum eſt? Quia Apoſtolus ait: *Deus erit omnia in omnibus.* Sed quid hæc Apoſtoli verba ad probandum, Deum eſſe illud Cœlum electorum, quod nobis in ſacris literis promittitur? Apoſtolus enim non ibi docet, quódnam ſit cœlum electorum, ſed qualis futura ſit conditio Eccleſiæ poſt reſurrectionem diſſerit: nempe talis, vt Deus ipſe, reſignato iam per Chriſtum Mediatorem, regno in omnibus electis, ſine opera Mediatoris, ſine verbo, ſine ſacramentis, nulla in nobis aduerſus illum reluctante concupiſcentia, immediatè per ſeſe, eóque perfectiſſimè regnaturus ſit. Iſti verò homines ſic interpretantur verba Apoſtoli, quaſi Paulus ibi declaret, quódnam ſit illud Cœlum, in quod recipi dicuntur electi, tam nunc quò ad ipſorum animos, ſimulac è corpore migrárunt, quàm poſt finem mundi, quoad ipſorum corpora, poſteaquam glorioſa fuerint à mortuis ſuſcitata. Quid verò hac interpretatione ineptius? quid magis etiam pugnans cum Apoſtoli non ſolùm propoſito, ſed etiam verbis? Apoſtolus apertè docet iis verbis, *Deum in præſentia non eſſe omnia in omnibus*, ſeu tunc demum duntaxat futurum omnia in omnibus, cum facta reſurrectione, Chriſtus tanquam Mediator reſignauerit regnum Patri, Mediatoriſque depoſuerit officium. Si igitur Deum eſſe omnia in omnibus ſignificat, vel ſaltem innuit, Deum, cœlum eſſe electorum: efficitur Deum nunc non eſſe cœlum electorum In quo igitur Cœlo, quæſo, iam ſunt animæ electorum mortuorum? Aliunde igitur probent, Deum eſſe cœlum, vbi animi fidelium requieſcant, quàm ex hoc Apoſtoli loco, neceſſe eſt. Deinde ſcripturæ prædicant, *Pſal.* 103. Cœlum illud, in quo dicitur Deus præparaſſe ſibi Thronum ſuum, & καθ' ἐξοχὴν habitare, & quod vocatur *ſedes Dei*, idem eſſe cum eo in quod nunc recipiuntur animę electorum, & in quod tandem etiam ipſorum corpora inducentur. Erimus enim in eodem cœlo, in quo & Chriſtus. Chriſtus autem eſt in Cœlo Patris, Ioan. 17. Atqui cœlum quod vocatur *ſedes Dei*, & in quo præparaſſe thronum ſuum legitur, non poteſt eſſe ipſemet Deus. Non enim præparauit ſeipſum ſibimet ipſi thronum, nec ſedes eſt ſui ipſius: ſed apertum diſcrimen facit ſcriptura inter Deum & eius *Thronum ac Cœlum.* Non eſt igitur Deus cœlum electorum, ſed res eſt longè diuerſa, à Deo creata, & præparata: Et aliud eſt domus Patris, aliud Pater ipſe. Denique cœlum in quo futuri ſunt omnes Electi, tale eſt, vt non poſſit capere ſeu continere Deum, vt videre eſt 1. Reg. 8. *Cœlum & cœli cœlorum te continent.* Diſcrimen igitur magnum eſt inter Deum, quem ſcriptura ait non poſſe contineri à cœlo, & inter cœlum, quod continebit electos, Deum autem minimè Quare Deus non poteſt eſſe illud cœlum, in quo continendos eſſe electos docent ſcripturæ. Si igitur Deus non eſt *Cœlum* illud *electorum*, de quo loquuntur ſcripturæ, falſa & inepta eſt argumentatio, *Deus vbique eſt: Ergo, Cœlum beatorum vbique eſt.* Proinde aliud de hoc cœlo ſtatuendum eſt, quàm quod iſti ſomniarunt.

THESIS.

Cœlum Beatorum, tum Angelorum, tum hominum, in quo futuri ſumus cum Chriſto in ſempiternum: domicilium eſt feliciſſimum, ciuitas, ac Regnum ampliſſimum, ſupra hos omnes ſpectabiles & mobiles cœlos, à Deo fabricatum, collocatum, firmatum.

NOn eſt opus longa explicatione, ſed teſtimonia tantummodò aliquot & nomina quibus in ſcripturis nominatur, indicanda ſunt, vt ſciamus quęnam ſcripturæ, de ipſo ſint interpretandę. Quatuor in Theſi ponimus nomina, nomen ſcilicet *Cœli, Domicilij*, ſeu *domus, Ciuitatis, Regni.* De nomine *Cœli* teſtimonia paſſim occurrunt. Chriſtus aſcẽdit in cœlũ, & aſſumtus eſt in cœlum: Ibi autem nos quoq; ſumus futuri, vbi Chriſtus eſt: Ait enim, *aſſumam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego & vos ſitis.* Et alibi. *Volo, vt vbi ego ſum, ibi ſint & ipſi. Act. Ioan. 14. Ioan. 17.* Cœlum autem hoc ſupra omnes reliquos cœlos poſitum eſt, vt Apoſtolus docet, dicẽs, *Aſcendit ſupra omnes cœlos*, nempe aſpectabiles & mobiles. Vocatur etiã *Cœlũ cœli*, ſeu *Cœlorum*, vt in Pſal. 115. *Cœlũ cœli Domino, Terram autem dedit filiis hominum.* Ita verò appellatur, non tam quòd ſit omnium cœlorum præſtantiſſimum, quàm quod ſupra omnes poſitum, reliquos omnes complectatur. *Cœlum* enim dicitur quaſi κοῖλον, *concauum*, quòd reliquos omnes ſub ſe & in ſe contineat. Teſtimonia hęc de illo cœlo perſpicua ſunt, quod multis aliis quoq; in locis variis nominibus explicatur: Apud Ioh. cap. 14 *Domus Patris* appellatur, à Chriſto: *In domo Patris mei* (inquit) *manſiones multæ ſunt.* Tota enim familia Dei ibi eſt futura, diſtincta & ſeparata à familia diaboli, cuius habitatio eſt in inferno, id eſt, in loco infimo. Habitatio igitur filiorũ Dei in ſupremo eſt loco. Ideò etiam vocatur à ſublimitate loci, altum ὕψος: Eph 4. Locus igitur eſt ſublimis & excelſus. Sic Luc. 24. *Induemini virtute ex alto*, i. de cœlo. Et Deus dicitur habitare *in altis*, ſeu, *in altiſſimis & excelſis*, ſcilicet cœlis: vt in Pſ. 113. *Deus in altis habitat & humilia reſpicit*: & Chriſtus dicitur *ſedere in excelſis* ad Hebręos 1. Atq; conſentaneum eſt cũ illo, quod habemus Deut. 26. vbi cœlum hoc vocatur *Habitaculum ſanctitatis Dei. Reſpice* (inquit) *de habitaculo ſanctitatis tuæ.* Vbi manifeſtè docet, locum eſſe ſublimem & excelſum. Et alibi, *locus habitationis Dei* appellatur. 1. Sam. 8. Deus autem dicitur habitare in cœlo, & in excelſis Apoſtolus vocat *ſupernam Hieruſalem* ad Galatas, 4. Diſtinguit enim eam ab ea, quę in hoc Mundo eſt Hieruſalem. Item *ciuitatem habentem fundamenta*, Heb. 11. Apud Lucam, cap. 23. *Paradiſus* vocatur. *Hodie* (inquit Chriſtus) *mecum eris in Paradiſo.* Locus enim eſt deliciarum. *Regnum* portò *Dei* etiam & *Patris*, paſſim appellatur: Vt apud Matt. 13. Et reliquos Euangeliſtas, & Apoſtolos. Non tantùm igitur eſt domus & ciuitas, ſed etiam Regnum ampliſſimum. Adde, quòd item *ſacrarium* appellatur ab Apoſtolo ad Hebræos *Chriſtus ingreſſus eſt* (inquit) *in ſacrarium.* Alludit ad Sancta ſanctorum, in quem locum Pontifex ſolus ingrediebatur ſemel in anno cum ſanguine. Fuit autẽ templum Salomonis, typus totius etiam Mundi. Tres verò illius partes erant, nempe *Atrium apertum*, vbi promiſcuum vulgus, & animalia immolanda morabantur. Huic reſpondet pars Mundi hæc infima, vſque ad orbem lunarem, vbi omnia animalium genera degunt. Altera pars, vocabatur *Sãcta*, vbi pręter alia erat candelabrum cum ſuis luminaribus. Hæc media pars, alteram Mundi partem referebat, Cœlos ſcilicet iſtos, vbi ſunt luminaria & ſtellæ. Tertia fuit *ſacrarium*, quod & *Sancta ſanctorum* vocabatur. Huic reſpondet Cœlum, quod ſupra omnes hos cœlos eſſe docet Apoſtolus, cùm ait, *Chriſtum penetraſſe Cœlos* (iſtos) *& ingreſſum eſſe in ſacrarium.*

Nunc igitur facile eſt è ſcripturis demonſtrare, Cœlum beatorum, non eſſe vbique ſed ſupra hoſce cœlos.

1. Cœlum Beatorum eſt idem cœlum cum eo, in quo Deus habitare & cum electis in ſempiternum habitaturus eſſe dicitur. Deus autem paſſim dicitur habitare in excelſis & altis, nempe locis, Pſal. 113 & Luc. 2. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax*: vbi apertè diſtinguit *terram ab excelſis*. Proinde dicitur reſpicere de Cœlo, tanquam ex altiſſima ſpecula ſuper nos & ſuper filios hominum. Et ex alto emiſiſſe Spiritum ſanctum. Petrus autem dicit, *emiſſum fuiſſe è cœlo 1. Pet. 1.* Cœlum igitur hoc in alto eſt & in excelſis. Ideò & Chriſtus, cùm Patrem orabat, *oculos in altum tollebat*; quo geſtu ſignificabat Cœlum, vbi ſingulariter habitare dicitur Pater, eſſe in ſublimi ſupra omnes hos cœlos. Huc facit quod iuſſit & nos orare, dicendo, *Pater noſter, non qui eſt vbique, ſed qui es in Cœlis*, cùm tamen reuera ſit vbique. Idem dicebat apud Ioh. 1. 51. *Videbitis cœlos apertos, & Angelos deſcendentes & aſcendentes ſuper Filium.* Perpendatur, quod primum dicit, *deſcendentes*, deinde, *aſcendentes*. Locus igitur, vbi propriè Angeli habitare dicuntur, non eſt hęc infima pars Mundi, terra, ſed ſuprema, id eſt, ſupremum cœlum, à terra & omnibus aliis cœlis diſtinctum. Neque tunc Chriſtus erat in cœlo ſuo corpore, multò minùs vbique; ſed in ea duntaxat parte terræ, in quam Angeli ſuper filium hominis deſcendebant. Annon igitur luculenter docebat, Cœlum iſtud eſſe in ſublimioribus Mundi partibus?

2. Ibi Cœlum eſt Beatorum, quò etiam Chriſtus ſuo corpore aſcendit. Sic enim ait apud Iohan. 17. *Volo vt ſint, vbi & ego.* Chriſtus autem aſcendit in altum, Epheſ. 4. *Chriſtus aſcendens in altum, aſcendit ſurſum, non manſit deorſum.* Luc. 24. *Aſcendit ſupra omnes cœlos.* Eph. 4. *Penetrauit Cœlos* (ſcilicet hos omnes) Heb. 4. *Et ingreſſus eſt in ſacrarium*, Hebr 9. *Sublimior Cœlis eſt factus.* Heb. 7. *In excelſis ſedet & in ſupernis.* Heb. 1. Col. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextris Dei ſedens.* Surſum igitur eſt hoc Cœlum beatorum Conſideranda eſt hæc Antitheſis Apoſtolica, ex qua duæ

concluſiones colliguntur. Antitheſis eſt inter Cœlum, quod vocat *ſurſum*, ſeu *ἄνω*, & inter *terram*, quod perinde eſt, atque ſi dixiſſet, quærite τὰ ἄνω, non autem τὰ κάτω. Concluſio prima eſt: Cœlum igitur non eſſe in terra, multò minùs vbique. Ἄνω enim non eſt κάτω, aut ἐν κάτω, rurſus nec κάτω eſt ἄνω, neque ἐν ἄνω. Altera concluſio: Corpus igitur. Chriſti, quod eſt ἄνω, non eſſe in terra. Apoſtolus enim quæ ſunt ἄνω, negat eſſe in terra, dum iubet quęrere, quę ſunt ἄνω, quia ibi Chriſtus eſt, ſedens ad dexteram Patris: non autem quæ ſunt κάτω, ſeu ſuper terram. Quid ita? quia nimirum Chriſtus ſicut eſt ἄνω (ſuo corpore ſedens ad dexteram Patris) non eſt κάτω ſeu in terra.

In illud nos introducturus eſt ex quo ille deſcendet iudicatum viuos & mortuos: Ait enim apud Iohannem: *Veniam & aſſumam vos ad meipſum.* Deſcendet autem Chriſtus ex eo cœlo, quod eſt in alto: id quod docet verbum *deſcendendi*. Vt enim *aſcendere* ſignificat ab imo ad locum ſuperiorem ire: ſic *deſcendere*, eſt ex alto ad inferiorem locum redire. Ideò ait Apoſtolus Eph 4. *Quis eſt qui aſcendit, niſi qui & deſcendit in inferiores partes terræ?* Ergo è ſupernis cœli partibus primùm deſcendit. Deinde ex inferioribus partibus terræ, iterum rediit ad ſuperiores illas cœli regiones. Et ſic Apoſtolus 1. Theſ. 4. *Ipſe Dominus deſcendet de cœlo. Et nos* (inquit) *obuiam ibimus Chriſto in aera.* Eleuabimur ergo à terra in aëra, vt in Chriſto venienti è cœlo ſublimi, obuij fiamus. *Et ſic ſemper* (inquit) *cum Domino erimus.* Vbinam? Non in terris: quia inde rapiemur in aëra. Vbi igitur erimus ſemper cum Domino? Vbi & ipſe eſt. Vbi ipſe? in altiſſimis & excelſiſſimis cœlis ad dexteram Patris, vt ait Apoſtolus Heb. 1. Meritò itaque Patria illa cœleſtis, vocatur ab Apoſtolo *Hieruſalem ſuperna atque cœleſtis.*

4. Quomodo verò, ſi Cœlum electorum vbique eſt, ait Petrus, Act. 2. Dauidem non aſcendiſſe in Cœlum? (corpore ſcilicet) nempe quia adhuc erat in terris & in monumento. Docuit igitur cœlum non eſſe in terris: ſed valde procul diſtare Cœlum, in quod tandem aſcenſurus erat Dauid ſuo corpore: à terra, in qua tunc, & verò etiam nunc iacet illius cadauer. Quod ſi excipiat aliquis, corpus Dauidis ideò dici nō aſcendiſſe in cœlum, quia ſcilicet nondum tum erat, aut etiā num non eſt reſuſcitatum & glorificatum, ſed adhuc eſt ſub corruptione: is nihil dicit. Chriſtus enim poſt reſurrectionem iam glorificatus dixit, *ſe nondum aſcendiſſe ad Patrem*, Io. 21. Aliud igitur requiritur ad hoc, vt quis dicatur aſcendiſſe in Cœlum, quàm vt tantùm reſurgat, & corpus habeat glorificatum: nempe exigitur, vt mutet locum, & ex ima terra ad ſublimes cœlos aſcendat.

5. Denique ſi *Cœlum Beatorum* vbique eſt: nullum igitur erit diſcrimen inter locum beatorum & locum damnatorum, niſi qualitatis, non autem ſitus. At ſcriptura diſcrimen etiam ſtatuit ſitus inter hæc duo loca. Luc. 16. *Magnus hiatus* (inquit Abraham ad epulonem qui erat in loco tormentorum) *eſt inter nos & vos.* Adde iis locum Epheſ. 3. verſ. 9. *Vt nota fieret ſapientia Dei principatibus & poteſtatibus, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.* Si Angeli ſunt ἐν τοῖς (regionibus) ἐπουρανίοις: Supra cœlos igitur hos, eſt cœlum Angelorum. Quare omninò manifeſta eſt noſtra Theſis. *Cœlum Beatorum, vbi creati ſunt & habitant Angeli, non eſſe vbique, ſed ſupra hos omnes nobiles & ſenſibiles Cœlos.*

De Cœlo beatorum, Patrum & Philoſophorum teſtimonia.

Cum hac doctrina conſentit tota vetus Eccleſia. Legantur præter alia, quæ Baſilius in Hexam. homil. 2. ſcribit de loco Beatorum & Angelorum extra & ſupra hos cœlos, vbi etiam hoc argumento vtitur: *Si damnati mittuntur in tenebras exteriores: Ergo qui laude ac receptione digna operati ſunt, in ſupermundana luce, requiem habent.* Vocat *ſupermundanam lucem*, locum illum, vbi Beati omnes ſunt cum Chriſto victuri. Auguſt. tomo 5. de Ciuitate Dei, lib. 22. c. 4. vocat *cœleſtes ſedes*. Damaſc. l. 2. c. 2. περὶ οὐρανοῦ, tria illa cœlorum genera tradit, quæ & nos de principio recenſuimus. Ac de ſupremò, Beatorum ſcilicet Cœlo ſic ait: ἔστι μὲν οὖν οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ, ὁ πρῶτος οὐρανὸς ἐπάνω ὑπάρχων τοῦ στερεώματος. De Strabone & de Beda tomo 2. lib. de Natura rerum, c. 3. non eſt cur multa dicamus. De Scholaſticis verò omnibus, nihil prorſus. Plura enim quàm ferat Chriſtiana pietas & ſobrietas de hoc cœlo, quod *Empyrium* vocant, ſcripſerunt. Inter Hebræos nonnulli doctiſſimi, nouerunt hoc Cœlum ex ſacris Bibliis. Iohan. Picus, Comes Mirandulanus in Exam expoſitione 2. cap. 1. duorum citat teſtimonia Rabinorum, nimirum Abrahami Hiſpani maximi aſtrologi, & Iſaaci Philoſophi non vulgaris. De Philoſophis, vt initio dixi, non eſt, cur ab ipſis diſcamus, quid de hoc cœlo inuiſibili ſentiendum ſit. Hoc tantum plerique ipſorum, præſertim Platonici, & verò etiam auctor libri de Mundo inter opera Ariſtotelis, nouerunt, extra cœlos iſtos habitare Deum: *Solemus* (inquit in libro de Mundo) *extremum & quod ſupra eſt maximū vocare Cœlum*, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν lib. περὶ τοῦ κόσμου. Idem ibidem: *Deus* (inquit) *in ſupremo cœlo habitat, quod & ὄλυμπος dicitur, quaſi ὅλος λαμπής, totus lucidus:* Et citat Homerum, qui idem ante ſe ſcriptum reliquerat, vt qui regionem illam Cœleſtem vocat αἰθέρα ἀνέφελον, λευκὴν αἴγλην, hoc eſt, *carentem nubibus etheram, purúmque ſplendorem*. Hoc etiam addo, huic Cœlo propriè competere nomen οὐρανοῦ: quia terminus eſt & finis vltimus, ſupremúſque Mundi, οὐρανὸς enim eſt quaſi ὅρος ἄνω. Atque hæc de prima Quæſtione ſatis.

QVAESTIO II.

Quid ſit hoc cœlum de quo diſputatur.

DVo ſunt huius quęſtionis membra. Primum, *An Cœlum hoc ſit aliquid creatum, nempe domicilium à Deo fabricatum, an verò increatum:* Alterum, *ſi creatum, an res ſit ſpiritualis & incorporea: An verò corporata, ſicut etiam reliqui cœli, nec ne.*

De primo, ſunt qui putent, Cœlum illud non eſſe aliquid à Deo creatum, ſed ſpatium duntaxat quoddam increatum, æternum immenſúmque, ſpirituali, pulcherrimáq; luce à Deo profluente perfuſum, atq; adeò lucem quandam immenſam ex Deo ipſo emicantē, in qua ſemper fuerit ab æterno Deus, iuxta illud, *Deus habitat lucem inacceſſam.* Huius ſententiæ fuit Auguſtinus, Steuchus Epiſcopus Eugubinus in ſua coſmopœia. Vnde & ait: *Hoc eſt cœlum Empyrium, naſcens, proficiſcens, manans à diuinitate, quod nunquam dixerim ego creatum. paratus recantare ſi malè ſentio. Nam veluti à Sole diuiniſſimo, maximo, fulgentiſſimo, variam & multiplicem, & admirandam manare hinc inde à Deo lucem, & gaudia, & felicitatem, eſt neceſſe, quam nefas eſt non ſemper fuiſſe cum illo.* Hæc ille. Sed aduerſus hunc epiſcopum alius ſcripſit Epiſcopus, & id vehementer reprehendit, quòd ſcriptum Steuchus reliquit, nimirum Cœlum illud Empyrium, hoc eſt, igneum propter lucem & fulgorem ſic appellatum, non eſſe creatum. At certum eſt, ipſum quoque Steuchum nouiſſe, hanc ſuam de increato cœlo Empyrio ſententiam non fuiſſe in Eccleſia receptam: Proinde adiecit, ſe paratum eſſe recantare, ſi malè ſentiat. Reuera enim pugnat cum ſacris literis ſententia hęc, vt mox oſtendemus. Theſis itaque noſtra hæc eſto prima, ad hanc alteram quæſtionem.

THESIS.

Cœlum Beatorum, quod propter immenſam eius lucem Empyrium *à multis vocatur, inter res à Deo creatas, omnino connumerandum eſt.*

DE rebus, quæ neque ſenſibus noſtris vllo modo ſubiectæ ſunt, neque ratione naturali percipi poſſunt, agendum nobis non eſt, (quemadmodum initio præfati ſumus) niſi vel ex verbo Dei aperto, vel rationibus inde manifeſtè deductis: neque etiam aliter loquendum eſt, quàm Deus locutus eſt in ſacris literis. Scriptura autem ſacra apertè tradit Cœlum illud, quod propter alia nomina *Domus Dei*, & πόλις, *vrbs Hieruſalemque ſuperna* appellatur, fuiſſe à Deo creatum & fabricatum. Id quod ſi inſpexiſſet Steuchus, & magis delectatus fuiſſet lectione ſacrorum Bibliorum, quàm ſuorum profanorum ſcriptorum, non dixiſſet, ſe nunquam dicturum, *Cœlum illud creatum*, ſed cum ſacris literis contrarium fuiſſet faſſus. Nos itaque audiamus ſcripturas. 1. Principio: Móſes, cùm dixit אלהים בראשית ברא duo entium genera nobis ante oculos propoſuit, nempe primum Ens omnium aliorum Entium principium & cauſam effectricem. Hic eſt *Elohim*, *quem* Moſes poſteà vocat *Iehouam*. Hunc ſolum, quia creatorem facit rerum omnium, quæ non ſunt ipſe Deus, increatum eſſe profitetur & docet. Reliqua omnia, quæ non ſunt ipſe Iehoua Elohim, nomine *cœlorum & terræ* complexus eſt, quemadmodum initio diximus, cùm verba Moſis interpretaremur. Hanc rationem deinceps ſecuti ſunt Prophetæ & Apoſtoli: Idcircò quoties voluerunt docere Deum eſſe rerum omnium, quæ extra illum ſunt auctorem, vocârunt *Deum factorem* ſeu *conditorem cœli & terræ*, quibus duabus vocibus complexi ſunt omnia quæ Deus ipſe non ſunt. Proinde manifeſtum eſt, nomine שמים, Moſen intellexiſſe non ſolum *aërem*, nec ſolummodò *orbes cœleſtes*, verùm etiam *cœlum Beatorum* vbi Angeli creati ſunt, & quod ſacræ literæ vocant *Cœlum cœli*, ſeu *cœlorum*. Atqui Moſes docet, ſimpliciter Deum creaſſe cœlum & terram: Ergo & cœlum Beatorum creatum eſſe profitetur. Hoc itaque primum eſto argumentum: *Quicquid nomine Cœli in ſcripturis ſignificatur, totum illud à Deo creatū docent ſcriptura ſacra.* Nunquam enim in eis ali-

quod Cœlum nominatur, quod illæ aut apertè dicant, aut ſaltem innuant, non fuiſſe creatum: ſed ſemper aiunt, idque ſimpliciter, Deum feciſſe cœlum & terram: docentes nullum eſſe Cœlum, quod non ſit à Deo factum: *Atqui Cœlum etiam Beatorum, Cœlum vocatur & eſt: A Deo igitur creatum eſt.* 2. Confirmatur argumentum hoc, Dilemmate. Cœlum hoc Beatorum aut creator eſt, aut creatura. Creator non eſt: non enim eſt Deus, vt initio demonſtratum eſt. Scriptura enim apertum diſcrimen facit inter Cœlum, quod ſedes Dei, quod domus Dei, quod habitaculum Dei appellatur: & inter Deum ipſum. Si cœlum hoc, non eſt Deus, eóque creator: Creatura igitur ſit neceſſe eſt. Sed quorſum opus eſt argumentis, vbi diſertè Spiritus ſanctus ait, Deum eſſe huius Cœli artificẽ & factorem? Heb. 11. 3. Apoſtolus ait de Abraham, illum per fidem commoratum fuiſſe in terra promiſſa tanquam aliena: commoratum in tabernaculis cum Iſaaco & Iacobo cohæredibus eiuſdem promiſſionis. Deinde ſubdit rationem, cur in terra illa Chanaan habitarit, tanquam in terra non ſua, ſed aliena: quia ſcilicet nouerat Abraham, ſub nomine terræ illius Chanaan ſibi promiſſæ, terram & vrbem, firmiorem ſcilicet & æternam, quam Deus alibi fabricatus erat ſibi fuiſſe promiſſam. *Expectabat enim* (inquit Apoſtolus) *vrbem habentem fundamenta, cuius artifex & conditor eſt Deus.* Quænam eſt hæc vrbs, quæ fundamenta habeat, hoc eſt, quæ firma ſit & æterna? Cœlum hoc, de quo agimus. Huius enim apertè ait conditorem & artificem eſſe Deum: Cuius (inquit) τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεός. Τεχνίτης ad artificium & excellentiã operis, Δημιουργὸς, ad opus ipſum refertur. Significare enim voluit Apoſtolus, Cœlum illud, vrbem ſcilicet totius ſeminis Abrahæ, eſſe opus Dei, non qualecunque, ſed artificio ſummo, longéque maiori fabrefactum, quàm mundus iſte conditus ſit. Proinde non facilè reperies hanc vocẽ Artificis, cùm ſcriptura loquitur de ſimplici aliarum rerum creatione, ſed tantùm hic vbi de ſolo Cœlo Beatorum verba facit. Ita ea voce *artificis* docet Apoſtolus, Deum priùs inſtar artificis, formã totius huius cœli pulcherrimam in animo ſuo concepiſſe: Deinde verò ſuo tempore illud reipſa fabricaſſe, id quod altera voce, nempe δημιουργ͂ οῦ expreſſit. Eſt igitur luce clarius, Cœlum Beatorum rem eſſe creatam.

4. Huc ſpectant deſcriptiones illius cœleſtis vrbis, quæ paſſim apud Prophetas, præſertim apud Ezechielem & Ieſaiam, & in Apocalypſi reperiuntur. Etſi enim permulta ibi figuratè dicuntur (neque enim deſcribi res illæ cœleſtes & inuiſibiles nobis poſſunt, niſi per res apud nos vſitatas, per portas per fundamenta, per muros & tecta:) tamen hæc omnia indicant, res illas quoque cœleſtes aliud eſſe, quàm aut Deum ipſum aut inane, neſcio quod ſpatium, hoc eſt nihil, Neque enim in illis locis propheticis deſcribitur tantũ Eccleſia, quæ futura erat poſt Chriſtum in terris, & tandem in cœlo: ſed cum hac cœleſte etiam habitaculum, vbi in ſempiternum manſura eſt. Præſertim verò hoc facit Ioh. in Apoc. 21. Huc pertinet vox ciuitatis *Hieruſalẽ cœleſtis*: qua voce ſignificatur non ſolùm ciuium cœtus, ſed etiam locus contiguis ædibus exædificatus, vbi ciues ſimul viuunt: Sicut vetus erat Hieruſalem.

5. Adde quòd Chriſtus Cœlũ illud appellat locum: *Vado* (inquit) *parare vobis locum*: nempe in illa domo, & vrbe, & regno Patris. Et Ioh. 17 *Volo vt ibi ſint, vbi & ego.* Et Apoc. 14. *Sequuntur Agnum quocunque ierit.* Motus aut ſit in loco aliquo, etiamſi huius rationis non ſit ille cœleſtis, cuius eſt locus in hoc Mundo. Ac ſæpè in Pſalmis vocatur *locus ſanctitatis Dei*. Locus autem Dei, non eſt ipſe Deus, ſed aliud à Deo: neque eſt nihil, quia nihil nõ facit locum: Eſt igitur aliquod ſpatium à Deo nobis creatum, in quo κατ' ἐξοχὴν habitare illius ſanctitas dicitur.

6. Præterea à qualitatibus, quæ de illo ſcribũtur apud Prophetas in ſcripturis, manifeſtum ſit, rem eſſe ſubſtantialem à Deo creatam. Locus enim deſcribitur ampliſſimus, lucidiſſimus, amœniſſimus, vt poſteà videbimus. Hæ enim qualitates, licet cœleſtes, & non huius præſentis generis ſint, nõ poſſunt tamen eſſe in nihilo, ſeu in ſpatio neſcio quo, quod nihil ſit.

7. Adde ad extremum, quòd ibi futura ſunt corpora noſtra, & iam eſt corpus Chriſti: Corpora autem, licèt glorificata, in tali tamen ſint loco & ſpatio, à cuius ſuperficie aliquo modo circumſcribantur, oportet. At (inquies) non eſt ibi locus ſicut hic: Res enim ſunt cœleſtes. Fateor, ſed hoc quid Cœlum illud, & qualecunque ſpatium, in quo manet corpus Phyſicum, res ſit realis, impedire non poteſt. Ac poteſt facere Deus, vt corpora maneant, vbi nullus eſt realis locus. Verum hoc eſt antiquum effugium hæreticorum, vt ad omnipotentiam Dei confugiant, qua omnia ſua probent ſomnia, cùm tamen nihil de eius conſtet voluntate: ſicut agebat Praxeas, qui dicebat, *eundem eſſe Patrem, qui & Filius eſt.* Cùm enim premeretur ab Orthodoxis hoc neque in Scripturis, haberi neque etiam fieri poſſe vt aliquis generet ſeipſum, confugiebat ad omnipotentiam Dei, & dicebat, hoc quidem eſſe impoſſibile apud homines, ſed non eſſe impoſſibile apud Deum. Quaſi verò ab omnipotentia Dei confirmari poſſit ac debeat quiduis, quod ipſe non reuelârit. Omnipotentia DEI non poſſumus, nec debemus vti, niſi ad confirmanda ea, quæ Deus in ſcripturis reuelauit, ſi ea fieri non potuiſſe, nobis videntur: non autem ad illa, de quibus nullum habemus verbum Dei, comprobanda. Ideò Angelus ad Mariam non dicit ſimpliciter, *nihil eſt impoſſibile apud Deum*, ſed *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, quod ſcilicet ipſe *dicit*, vel *narrat*, vel *promittit*. Certè, quæ contradictionem implicant, impoſſibilia ſunt apud Deum. Vbi itaque deeſt verbum Dei: ibi audienda eſt natura: vel, vt melius loquar, vbi non habemus vocem Dei, quæ ſonet in ſcripturis, ibi audienda eſt vox Dei, quæ reſonat in creaturis. Atqui in ſcripturis nunquam reperies, corpora Beatorum futura in vacuo ſeu in ſpatio, quod reuera nihil ſit. Audienda igitur eſt vox altera Dei in natura, quæ ait, corpus eſſe non poſſe, niſi in loco & ſpatio tali, quod aliquo modo ambiat & circumſcribat corpus. In vacuo enim ſimpliciter, corpus eſſe non poteſt. Hoc autem non poteſt facere, niſi aliquid reale. Eſt igitur Cœlum illud aliquid reale à Deo creatum.

Conſentiunt cum hac doctrina Patres omnes, atque inprimis Auguſtinus ad Dardanum: Scholaſtici non ſolùm ſubſcribunt, ſed aliquid etiam amplius tradunt. Nobis verò hoc ſatis eſto quod diximus. & apertis ſcripturarum teſtimoniis confirmauimus. Iis atque aliis permultis ſacrarum literarum teſtimoniis, manifeſtiſſimè euincitur, Cœlum beatorum non ſolùm non eſſe Deum ipſum, rerum omnium conditorem: Verùm etiam non eſſe talem rem creatam, quæ vbique locorum ſit: imò quæ neque ab orbe Lunari, ad nonam duntaxat vſque ſphæram extendatur: ſed eſſe ſupra omnes iſtos aſpectabiles & mobiles cœlos vbi nõ ſtellæ & aſtra, ſed Angeli & beatorum hominum ſpiritus feliciter degunt. Id quod liquidò confirmatur tum ex primo ca. epiſt. ad Epheſ. vbi legimus, quòd *Deus propoſuerit in Chriſto inſtaurare omnia tam quæ in cœlis ſunt, quàm quæ in terra*: tum ex 1. cap. ad Coloſſ. ibi itidem de Deo dicitur, *quod placuerit ei reconciliare ſibi omnia in Chriſto, ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cœlis ſunt.* In his duobus locis manifeſtiſſimè loquitur Apoſtolus de creaturis ratione præditis, quæ partim in cœlis, partim in terris reconciliatæ ſunt per Chriſtum Deo. Creaturæ autem iſtæ, quæ in Cœlis reconciliatæ ſunt Deo, non ſunt certè aſtra nec planetæ, neque in aſtris aut in orbibus cœleſtibus inſunt: diſtinguitur autem Cœlum à terra. In cœlo igitur ſunt, quod & ſupra terram, & ſupra omnes iſtos orbes Cœleſtes poſitum eſt. Duo enim ſunt genera harum creaturarum ratione præditarum: Vnum earum quæ in Cœlo; alterum earum quæ in terris eſſe ab Apoſtolo dicuntur. Huc ſpectat etiam particula, qua in oratione Dominica precamur, *vt fiat voluntas Dei ſicut in cœlo* (nempe fit à beatis ſpiritibus) *ſic etiam in terra* (nempe fiat à nobis) Cœlum igitur à terra diſtinctum locus eſt, in quo beati ſpiritus ſemper faciunt voluntatem Dei: Sicut contrà terra locus eſt, vbi pij homines cupiunt & precantur, vt ab ipſis in dies perfectiùs fiat voluntas Dei: Sed de his ſatis ſupérque.

Reſtat, vt ſi res eſt creata, eoque ſubſtantia aliqua, licèt ſubtiliſſima, videamus de altero quæſtionis noſtræ membro, nẽpe, *an ſit res corporea, an verò incorporea, & merè ſpiritualis.* Sunt, & quidam inter pios ac doctos viros, qui ſcribunt, Cœlum illud, rem eſſe à Deo quidem creatam, ſed merè ſpiritualem & omninò incorpoream. Verùm ſententia hæc mihi probari non poteſt, cùm neque verbo Dei, neque vllis firmis nitatur rationibus. Ergo eſto hæc Theſis ſecunda.

THESIS II.

Cœlum Beatorum, tametſi non huius naturæ & conditionis eſt, cuius reliqui ſunt cœli, ſed longè diuerſæ: ſubſtantiam tamen non eſſe omninò incorpoream iudicamus.

CONFIRMATIO.

NOn omninò incorpoream dico, quoniam ſentio, non eſſe rem prorſus ſpiritualem vti ſunt animæ & ſpiritus Angelici. In eo enim futura ſunt corpora noſtra. Oportet

ſit autem inter locum & locatum proportionem aliquam eſſe & conuenientiam: quę certè non eſt inter corpus locatum & locum merè incorporeum. Sed neque ſimpliciter voco ſubſtantiam corpoream, differentiæ cauſſa. Certum enim eſt, non eſſe eius ſubſtantiæ & naturæ, cuius ſunt vel elementa, vel corpora iſta cœleſtia: quoniam hæc omnia ex materia illa prima ſunt, quæ ceu aqua fuit lutoſa: Cœlum autem beatorum, nequaquam. Sentio igitur hoc cœlum, propter ſummam ipſius perfectionem & ſubtilitatem, corpus tale eſſe, quod ſpirituale appellari poſſit. Videmus enim, initio facto ab elemento terræ, quo altiùs aſcendimus, corpora ſemper nobis occurrere ſubtiliora, putiora, & minus materialia. Aqua ſubtilior eſt terra, idcirco piſces in mediis aquis currunt, quod intra medias partes terræ, non poſſent. Aër rarior eſt aquis ipſis: proinde in eo volitant aues, animalia ſpiritualiora, quàm piſces: quod certè in aquis efficere minimè poſſent. Ita ignis ſubtilior aëre: Cœli verò longè ſubtiliores igne, vt non immeritò dixerit Ariſtoteles, eos eſſe ex quinta quadam eſſentia: non quòd careant prorſus omni materia: (imò Moſes narrat ex eadem eſſe prima materia, ex qua & reliqua corpora) ſed quia illa materia Cœlorum defœcatiſſima eſt & puriſſima, ideò diuerſæ eſſe naturæ, à natura Elementorum dicuntur. Quantò magis igitur ſentiendum eſt, Cœlum beatorum diuerſæ eſſe naturæ, à natura reliquorum Cœlorum, cùm illud non ex prima materia factum ſit, ſed propriam quandam habeat & perfectiſſimam ſubſtantiam?

Cæterùm *eſſe corpus*, licèt ſpirituale, liquet.

1. Auguſt. tomo 5. de Ciuitate Dei libr. 22. cap. 4. Cœlum illud appellat ſedes, non ſolùm cœleſtes, ſed etiam corporeas.

2. Damaſcen. lib. 2. cap. 6. ſic definit Cœlum in genere: οὐρανός ἐστι περιοχὴ ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων κτισμάτων. ἐντὸς γὰρ αὐτοῦ αἵ τε νοεραὶ τῶν ἀγγέλων δυνάμεις, καὶ πάντα τὰ αἰσθητὰ περικλείονται, καὶ περιορίζονται. Μόνον δὲ τὸ Θεῖον ἀπερίγραπτόν ἐστι, καὶ τὰ πάντα πληροῦν, &c.

Si eſt περιοχὴ περιορίζων res omnes circumquaq; certis finibus continens complectenſque: Cœlum igitur, vbi & Angeli, ſubſtantia eſt tum finita, tum corporea.

3. Huc facit quod Act. 3. dicitur *Cœlum illud continere corpus Chriſti*: Eſt igitur & ipſum Cœlum corpus continens. Corpus enim continetur in corpore, & circumſcribitur à corpore: præter ſupremi cœli ſuperficiem, quę tamen & ipſa, ſi non actu, ſaltem δυνάμει circumſcribitur: terminatur certè.

4. Sæpè etiam legimus, apertos fuiſſe cœlos, vt Actor. 7. *Video Cœlum apertum, & Ieſum ſtantem*, &c. Locutio hæc non quadrat in incorporeas ſubſtantias.

5. Ac ſi luminoſum eſt, vt ſcriptura docet, & verè ὅλυμπος ipſis beatorum corporibus: Corpus igitur eſt. Lumen enim corporale non recipitur, niſi in corpore diaphano, quod *vehiculum lucis* à Philoſophis apellatur.

6. Perfectio etiam Mundi hoc idem, nempe vt ſicut infima eius pars nimirum terra, corpus eſt totum ſua natura opacum: Media verò, vt aër & orbes iſti omnes corpora ſunt partim luminis expertia, partim lumine prædita: Ita etiam ſuprema pars, *Cœlum* ſcilicet *beatorum*, corpus vt eſſet, ſed totum luminoſum, poſtulabat.

7. Poſtremò nomina, quibus in ſcripturis nominatur, indicant, Cœlum illud eſſe corpus, quamuis ſubtiliſſimum: veluti nomen cœli. Κοῖλον, *concauum*: Nomen domus, habitaculi, vrbis, regni, paradiſi, ſacrarij, & ſimilium.

8. Certè omnes Scholaſtici, variis contendunt rationibus corpus eſſe: ſed inter omnia corpora ſimplicia, ſimpliciſſimũ & perfectiſſimum. Huic ego ſententiæ ſubſcribo, quandoquidem contrarium non docet ſcriptura: Natura verò ipſa euincit, corpora non contineri, niſi in loco corporeo. Niſi igitur è ſcripturis demonſtretur contrarium, in hac permaneo ſententia.

II. Quòd ſi excipias, *Naturam quoque docere*, *Corpora ex Elementis compoſita, qualia ſunt noſtra, non poſſe ſuper corpus diaphanum, quale eſt aqua & aër, multò minùs ſupra cœlũ niti, ibiq; conſiſtere: Fieri itaque non poſſe, vt ſupra hoc cœlum talis ſit domus, in qua corpora noſtra ſuſtinere ſe poſſint*: Huic ego reſpõdeo, Deum rerum auctorem aliter in ſuis ſcripturis pronunciare, quàm natura doceat. Docet enim Deus in ſcripturis, noſtra corpora mutatum iri, non quo ad ſubſtantiam, ſed quo ad qualitates: Seminati enim corpus animale, reſurrecturum corpus ſpirituale, &c. 1. Corinth. 15. *Et ita eleuatum iri obuiam Chriſto in aëra, & manſura ſemper cũ Domino in Cœlo, vbi & Dominus eſt Ieſus cũ corpore ſuo*. Ioh. 17. Ergo non ſolùm ſupra naturam id poteſt efficere Deus, ſed etiam omnino vult præſtare, quia promiſſiones ipſius extãt in ſacris literis de tali corporũ in cœlo ſtatu. Deinde, ſi diligenter audias etiam naturam, videbis eam hoc idem & rationibus & ſimilibus multis, quę in pręſentia non eſt neceſſe explicare omnia, tibi indicare. Sed in pręſentia cogitamini, qualia ſint corpora auicularũ, antequam bene fota calore matris, excutiuntur ex ouis. Materia eſt craſſa, putrida, fœtida: excuſſa verò, volitant in altum, quò certè antea aſcendere non potuiſſet illotum ouorum materia: Ita noſtra corpora ſe habent ante & poſt reſurrectionẽ, quæ ſpiritu Chriſti nos fouente fiet: vt Rom. 8. docet Apoſtolus. Nunc locus noſtrorum corporum, eſt Terra, tunc erit Cœlum: Et longè fortiùs ac firmiùs tunc conſiſtent in cœlo, quàm iam, in terra queãt ſubſiſtere: idq; fiet, tum quia leuiſſima futura ſunt, poſito hoc pręſenti pondere: tum quia repleta erunt Spiritu Dei: tum etiam, quia vis noſtra naturalis, fiet robuſtiſſima & valentiſſima. Quo quid enim fortiori ſpiritu plenius eſt: eò etiam leuius fit, & in ſublimiorem eleuatur locum. Vndenam fit, vt vter vento plenus, ſuper aquam enatet: vacuus autem, mergatur in profundum? à vento. Vnde fit, vt craſſa pila coriacea, qua ludere ſolent iuuenes, quo plenior eſt venti, eò etiã altius tollatur? à vento. Tolle etiam animam à corpore humano, illud mox concidet: vnde & cadauer vocatur. Adde ſpiritum; quo is fortior fuerit, vt eſt in adoleſcentibus, eò etiam firmiùs corpus conſiſtet erectum, & altiùs ſaliet. Tolle ſpiritum, id eſt, animam ab auibus & aquilis, ſtatim corruent: Craſſa enim ſunt corpora & grauia. Adde ſpiritum: ad quantam aëris ſublimitatem ferentur? Hæc omnia à Natura docemur. Ergo quoniam poſt reſurrectionem corpora noſtra non ſolùm exuta erunt hac naturali grauitate, verùm etiam opera animæ fortiora & valentiora fient: Et quia repleta etiam erunt Spiritu Dei: Et quia Deus omnia erit in omnibus: idcirco fiet, vt corpora hæc noſtra, quæ iam vix poſſunt ſupra terram ſe ſuſtinere, tunc in cœlo illo ſubtiliſſimo, & ſine ſolido pauimento, quale eſt iam terra, in ſempiternum manſura ſint. Quare ipſa quoque Natura tacitè confirmat iis rationibus & claris ſimilibus, id quod de corporibus noſtris è terra in ſublime, & in Cœlum ſurſum eleuandis, & ibi æternum permanſuris, verbum Dei luculenter tradit. Cùm itaque vna ex parte ſcriptura non neget cœlum illud eſſe ſubſtantiam corpoream, & tamen ibi tanquam in ſuo loco & domicilio futura eſſe corpora doceat: altera verò ex parte Natura, id eſt, Deus in natura, corpus eſſe non poſſe niſi in loco corporeo, nobis demonſtret: idcirco aliter ſentire non poſſum, quàm locum illum cœleſtem, locum eſſe ſubſtantia ſua corporeum, ſed qualitatibus & perfectionibus diuinis diuinum, ac ſpiritualem. Quanquam *ſpirituale* quoque appellari poſſit, quia domicilium eſt ſpirituum beatorum & corporum ſpiritualium, vt Apoſtolus ea vocat, 1 Corinth. 15. Interim illud retinendum eſt, quod ait 1. Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quænam Deus præparârit diligentibus ſe.* Proinde certiorem huius rei cognitionem & inquiſitionem differemus cum patientia vſque in illud tempus, quo eò adducemur, Angelorum miniſterio, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

QVAESTIO III.

Nunc paucis de qualitatibus illius Cœli diſſeremus.

HÆc etiam quęſtio explicari non poteſt, niſi ex verbo Dei: quanquam naturalibus rationibus multa dici poſſunt negatiuè, vt, quòd non ſit corruptioni obnoxium, quòd non graue, quòd non opacum, & ſimilia: Propriè tamen quale ſit, non niſi ex verbo Dei cognoſci poteſt. Imò verò, quis etiam ex verbo Dei reuelato perfectè qualitatem illius cœleſtis domicilij, & noſſe & explicare queat? Multa quidem ſcribuntur apud Prophetas, Ieſaiam præſertim, & Ezechielem, & præterea apud D. Iohannem in Apocalypſ. ſed ita obſcurè & ænigmaticè, vt vix mediocriter, & ex parte intelligi queant: vt meritò dixerit Apoſtolus: *Videmus nunc per ſpeculũ*: quædam tamen generalia capita de qualitatibus illius regni cœleſtis certiſſima colligimus ex ſacris literis quæ firmis etiam rationibus confirmare poſſumus. Hæc igitur eſto Theſis:

THESIS.

Cœlum beatorum locus eſt, quoad ſubſtantiam, nulli obnoxius corruptioni, alterationi, paſſioni, motui: quo ad quantitatem, omnium locorum

maximus & ampliſſimus eſt : quo ad qualitates, omnium lucidiſſimus, ac verus ὁλόφωτος iucundiſſimus, pulcerrimus, amœniſſimus. Denique talis, in quo nihil mali metui, nihil boni deſiderari poteſt : ac proinde omnium ſua natura & per ſe feliciſſimus : Felicior verò, quòd in eo Deus facie ad faciem, *vt ſcriptura loquitur, ſeſe viſendum præbet mentibus humanis & ſpiritibus Angelicis: Chriſti autem caro ſplendidior ſole, ipſis etiam corporeis oculis noſtris ſpectaculis futura eſt.*

CONFIRMATIO.

TAmetſi multis ſcripturarum locis poſſint hæc omnia confirmari, vno tamen contentus fuero, vbi vrbs iſta cœleſtis ex profeſſo nobis deſcribitur, capite nimirum 21. Apoc. D. Iohannis. Ibi enim Hieruſalem cœleſtis, quæ Iohanni in ſpiritu oſtenſa fuit ab Angelo, deſcribitur eleganter, ſed metaphoricis dictis. *Hieroſolyma* autem, & cuiuſvis vrbis nomen, ſignificat tum ciues in ea habitantes, tum locum, vbi ciues habitant. Itaque quæ ibi de Hieruſolyma cœleſti ſcribuntur, non ad Eccleſiam tantùm omnia referenda ſunt; ſed permulta etiam pertinent ad loci ipſius cœleſtis deſcriptionem: Præſertim verò quæ ſcribit à verſu 10. ad finem vſque capitis. Statum enim Eccleſiæ continuum à ſuo tempore, in omnem vſque æternitatem deſcripſit Iohannes, ſicut & Prophetæ Ieſaias & Ezechiel. Quæ cauſſa eſt, cur non omnia iſta vaticinia, vel de ſola Eccleſia, vel de ſolo cœlo, ſed de vtroque ſimul, intelligi poſſint, aut debeant : verùm ſeruata moderatione. Neque enim omnia, quę de Eccleſia ſunt, ea etiam de cœlo intelligi poſſunt : neque viciſſim omnia, quæ de cœlo, ea ad Eccleſiam accommodari queunt. Nunc ad rem.

Primò dixi, locum eſſe, quo ad ſubſtantiam, *nulli corruptioni, alterationi, paſſioni, motui, obnoxium.* Docet hoc Ioannes, cùm locum illum vocat *vrbem, quæ murum habeat magnum & ſublimem : fundamenta item duodecim*, &c. Firmitudinem enim & æternitatem eius, iis verbis declarauit. Idem exprimit Paulus, cùm Hebr. cap. 11 *eam vrbem habere fundamenta*, nempe firma. Docet enim firmiſſimam & æternam vrbem. Idem docent aliæ ſcripturæ, quæ Cœlum illud vocant *montem Domini.* Mons enim vocatur, non tantùm propter ſublimitatem, ſed etiam propter immobilitatem & æternam ſtabilitatem. Idem confirmat Io. in Apoc. 11. 18. cùm ait, *vrbem ipſam eſſe aurum purum.* Aurum enim dicitur non tam propter ſplendorem & pulchritudinem, quàm etiam, quia incorruptibilis, & nulli paſſioni obnoxia eſt vrbs iſta ſancta. Non eſt enim compoſita ex contrariis, aut ex materia corruptibili, ſed eſt inſtar auri puri. Idem confirmant etiam quæ ſubdit de lapidibus pretioſis, quibus ornatam eſſe dicit vrbem illam. Vt enim ij lapides, non ſolùm ſpecioſi & ſplendidi ſunt, verùm etiam incorruptibiles : talis etiam eſt vrbs illa cœleſtis.

Poſtulat hoc etiam ipſa ratio. Eſt enim vrbs illa à Deo exædificata, vt in ea in æternum quieſcant & feliciter habitent noſtra corpora. Æternam igitur eſſe & immobilem, & nulli paſſioni obnoxiam, oportet.

Secundo loco dixi, *quo ad quantitatem, locum eſſe omnium maximum & ampliſſimum.* Hoc etiam nos commonefacit Ioan. cùm vrbem illam vocat, *magnam* : Item cùm verſu 15. ait, *Angelum qui ſecum loquebatur habuiſſe calamum aureũ, quo metiretur vrbem* Docet enim hac metaphora, eam finitam quidem eſſe, ſed tamen fermè immenſæ, & humanę mẽti incomprehenſibilis magnitudinis : ac vix ab Angelis eius magnitudinem menſurari poſſe. Hoc idem confirmant, quæ ſubdit, *Angelum menſum fuiſſe calamo vrbem ad ſtadiorum 12. millia* (numerus finitus pro indefinito ponitur.) Et cùm ait, *longitudinem & altitudinem eſſe æquales.* Item cùm ait, *murum ciuitatis fuiſſe 40. cubitorum, menſura hominis, quæ eſt angeli:* Docet iis etiam verbis, finitum quidem eſſe (vt dixi) ſpatium illius vrbis, ſed tamen ita amplum eſſe, vt homines metiri illud non poſſint: & menſuram, qua Angelus eam menſus eſt, ſimile quiddam eſſe menſuræ qua vtimur nos homines : ſed tamen longè maiorem eſſe : quia Angelica eſt menſura. A multitudine etiam portarum vrbis, quas deſcribit, confirmat, vrbem eſſe maximam, & fermè immenſam. Hanc amplitudinem docuit & Chriſtus, qui optimè nouit quanta ſit, cùm apud Iohann. dixit: *In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt*, hoc eſt, ampliſſima eſt domus, in qua omnes commodiſſimè capi poſſint electi. Et ratio Phyſica hoc demonſtrat. Futura enim ibi ſunt innumerabilia fermè corporum beatorum millia, quę omnia, vt in Apocal. 7. licèt glorificata, certę tamen & iuſtæ magnitudinis, humanæ ſcilicet, futura ibi ſunt. Etſi enim noſtra corpora dicuntur ab Apoſtolo futura ſpiritualia, nempe propter qualitates, & quia omnia ex parte regentur à ſpiritu: ad ſubſtantiam tamen, & ad quantitatem, ſine qua corpus, corpus eſſe non poteſt, quod attinet, non erunt ſpiritus, & ſine vlla circumſcriptione : & proinde loco, qui verus ſit locus, quanquam alterius rationis: quàm iſte præſens, opus habebunt. Fuerit igitur etiam neceſſarium, vt locus iſte ſit ampliſſimus, finitus tamen, quia Angelus dimenſus eſt illam vrbem.

Tertio loco dixi, *quoad qualitates, eſſe in primis lucidiſſimum : eoque verum ὁλόφωτον*, hoc eſt, totũ & omni ex parte luminoſum ac ſplendidum. Non enim eſt ſicut firmamentum, variis ornatum ſtellis, eóque alibi lucidum : alibi verò non ita lucidum; ſed totum eſt pellucidum. Eſt enim perinde atque ſi totum ſit quidam ſol maximus, & omnia ſuo ambitu complectens. Neque lux illa eſt ſimilis luci ſtellarum, neque etiam eiuſdem generis. Hæc enim ſtellarum lux, quid aliud eſt, quàm partium corporis diaphani collectio & conglobatio ? Vnde & videmus aſtra craſſiora & ſpiſſiora eſſe ſuis orbibus, eóque viſibilia : Orbes autem ferè inuiſibiles, quia rariſſima ſunt corpora. At verò cœlum illud Beatorum longè ſubtilius eſt reliquis cœlis : Totum tamen eſt omni ex parte lucidiſſimum. Ea igitur lux non eſt huius generis, cuius reliquorum cœlorum eſt lux : Sed lux eſt verè diuina, licèt creata : idcirco quia lux eſt alterius generis, & lux eſt gloriæ, non penetrat huc ad nos vſque, cùm tamen res ſit, vt dixi, creata. Nam quod Steuchus fingit, hanc lucem eſſe ſplendorem ex Dei eſſentia emicantem, fallitur. Quicquid enim in eſſentia aut de eſſentia Dei eſt, Deus eſt, & eſſentia ipſa diuina, quæ immẽſa eſt & inuiſibilis. Hæc autem lux cœli, Deus non eſt, vt apertè docet ſcriptura. Deinde oculis etiam corporeis à nobis videbitur. Non eſt igitur lux emicans è ſubſtantia Dei : veluti lux iſta, quæ emicat è ſubſtantia ſolis : ſed lux eſt diuina, & lux gloriæ, ſed creata. Ex hac autem luce ſequuntur reliquæ illius cœli qualitates, pulchritudo, amœnitas, ſuauitas, vita, felicitas.

Teſtimonia, quibus hoc tertium caput de qualitatibus cœli confirmetur, paſſim occurrunt in ſcripturis : Et Ioan. in Apoc. 21. abundè tradit.

1. Cùm ait, *Hanc vrbem deſcendiſſe è Cœlo à Deo*, ſic interpretor, vt illud, *à Deo*, explicatiua ſit particula præcedentis particulæ, *è cœlo*, hoc eſt, à Deo ſeu à Dei ſolio, ac celſitudine. Nam propriè quidem ſupra has nouem ſphæras, ſpatium illud creatum, in quo futuri ſumus, *cœlum appellatur* : Metaphoricῶς autem ipſa Dei celſitudo atque maieſtas, quia à nulla re contenta omnia continet. Cœlum & ipſa appellatur. Et inde fit, vt licèt Deus non includatur in cœlo beatorum, ſed ſit etiam extra cœlum illud, dicatur tamen ſemper eſſe in cœlo: quia vbicunque eſt ipſius maieſtas & celſitudo, omnia continens, ibi etiam dicitur eſſe Deo cœlum. Æternũ enim Dei cœlum eſt ipſa Dei maieſtas & celſitudo, quæ ante creatum mundum ſola erat, & in ea Pater, Filius & Spiritus Sanctus : ideóque ſemper fuerunt in cœlo, in ſua ſcilicet eſſentia & maieſtate. Si vertur quod Iohan. narrat c. 21. verſ. 10. de vrbe magna, interpretemur de cœlo beatorum : Verba Iohan. ſic intelligenda eſſe iudico, & antitheſin faciat inter cœleſtem illam vrbem Hieroſolymam, & inter terrenam : Et indicet, terrenam quidem fuiſſe ex materia terrena, ſed cœleſtem ex cœleſti, hoc eſt, incorruptibili, lucidiſſima, glorioſa : ac proinde quaſi diuina. Hoc itaque eſt *eſſe è cœlo*, nempe à Deo immediatè: eóque eſſe diuinam. Idem explicat magis ac magis, dicendo : *habentem gloriam Dei*, hoc eſt, ſplendorem verè diuinum, non huius ſeculi : Et hoc quo ad eius lucis ſubſtantiam : Deinde ſubdit, *& cuius lumen erat ſimile lapidi pretioſiſſimo, tanquam lapidi Iaſpidi cryſtalliZanti:* hoc eſt, perpetuò virenti & fulgenti. Perpetuò igitur lucet, & ſine fine ſplendet ciuitas illa. Huc & verſ. 18. attinet. *Erat* (inquit) *ſtructura muri ex Iaſpide*, id eſt, ſemper floret & viret illa ciuitas. Huc ſpectant & reliqui lapides pretioſi, quibus ornata dicit fuiſſe fundamenta ciuitatis. Item, quod ait, *vrbem & forum vrbis fuiſſe aurum purum*, hoc eſt, inſtar auri puri, lucentem, pretioſam, incorruptibilem, puram, mundam. Et ſimilem vitro puro, hoc eſt, pellucidam, ſine vlla obſcuritate ? Item, quod ait verſ. 23. *Neque vrbs iſta eget Sole, vel Luna, vt luceat in ea. Nã gloria Dei illuſtrauit eam: Et lucerna eius eſt Agnus.* Non negat, quin Sol & Luna in firmamẽto ſuum retentura ſint lumen : Sed ait ſupremum illud cœlum longè præſtantiori luce ſplendere, nec opus egere tali Sole, aut Luna. *Gloria* (inquit) *Dei ἐφώτισεν αὐτήν.* Diſcrimen facit, inter δόξαν, gloriã Dei: & inter φῶς, quo ipſa vrbs illuſtra.

illuſtratur. Gloria Dei maieſtas eſt Dei, illuſque illa Deitas ipſius, quam inhabitare Deus dicitur. Ea omnibus eſt inacceſſa, & corporeis oculis inuiſibilis eſt, vt 1. Tim. ait: *quam nemo hominum vidit ſed nec videre poteſt.* Ab hac maieſtate verò pro beneplacito voluntatis Dei, lumen creatum proficiſcitur, quo tota vrbs ſplendet: Et quo electis etiam communicato efficit Deus, vt ipſum plenè, & quaſi facie ad faciem cognoſcant. Eadem habet Ieſ. 66. Et hic infra 22. Neque enim cogitandum eſt, vt quidam faciunt, ex Deo tanquam ex ſole, lucem ſeu radium eſſentialis illius gloriæ emicare, & illa luce cœlum illuſtrari. Quicquid enim in eſſentia Dei eſt, & ex eſſentia procedit, Deus eſt, vti ſunt Filius, & Spiritus ſanctus, qui à Patre emanant. Et titulus hic datur ſoli Chriſto, nempe quòd ſit ſplendor gloriæ. Lumen igitur illud quo cœlum à gloria Dei, tanquam à cauſſa efficiente illuſtratur, & quo etiam animi beatorum illuminantur, vt Deum videant, res eſt creata. Subdit: *Agnus lucerna eius eſt.* Chriſtus enim, quà homo, illuſtrat vrbem: *& ipſe conſpicietur.* Quò ſpectat illud Iob *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe: Et oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Huc pertinet & quod ſubdit de vſu huius luminis, dicendo: *Et gentes quæ ſeruatæ fuerunt,* (per Chriſtum, (hoc eſt, electi) *ambulabunt in lumine eius:* Idem, quod ait: *Et nox non erit illic: ac proinde, neque portæ clauderentur.* Ad ſecuritatem ciuitatis illius pertinet, quòd ait, *portas nunquam claudi:* quia nulla ibi nox. Noctu enim claudi ſolent vrbium portæ propter metum hoſtium. Locus igitur tutiſſimus eſt, ſummæque ſecuritatis, & ſine metu hoſtium. Quare æterna quiete fruantur, qui in ea degunt vrbe, neceſſe eſt. Quia itaque talis eſt illa ciuitas, munda, pura, ſancta, glorioſa, tota aurea, tota lapidibus pretioſis ornata: idcircò nullis etiam immundis, ſed tantùm purgatis ſanguine Chriſti, patebit in eam ingreſſus: Ideò concludit caput, dicens. *Non intrabit in eam quicquam, quod inquinat, aut abominandum quidpiam patrat, vel mendacium loquitur: ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni,* id eſt, electi duntaxat in Chriſto ad æternam vitam. Huc pertinent etiam quæ antè dixerat de nominibus filiorum Iſraël, ſcriptis in ipſius ciuitatis portis. Docet enim non futuram illam ciuitatem niſi verorum Iſraëlitarum, id eſt, electorum, & fœdere æterno cum Chriſto coniunctorum. Angeli enim, qui ſunt in portis, non introducent, niſi quorum nomina in portis ſcripta ſunt. Hoc etiam attinet, quòd vocauit eam *vrbem ſanctam:* Quia ſolis ſanctis deſtinata eſt ciuitas ſancta. Ad deſcriptionem autem felicitatis, quæ futura eſt in illo cœlo electis omnibus, pertinent etiam illa, quæ ſequuntur in capite 22. vbi amœnitas & vbertas rerum omnium, quæ in illa ſunt vrbe, deſcribuntur. Sed non eſt præſentis inſtituti, omnia quæ ad felicitatem illius vrbis pertinent, deſcribere. Nunc enim tantùm loquimur de operibus creationis: inter quæ primum locum tenent Angeli, & Cœlum illud Beatorum, in quo Angelici ſpiritus, creati eſſe dicuntur. De hoc autem Cœlo, quantum ad ea quæ habet à ſui creatione, præcipua capita, ſi non pro dignitate explicata (quis enim id queat?) ſaltem pro virili noſtra breuiter perſtricta à nobis fuerunt, quantum è ſacris literis colligi poſſe iudicauimus: quorum omnium hæc eſt ſumma: ſupra cœlos hoſce omnes nouem, decimum eſſe Cœlum, quod *Beatorum domicilium* vocamus: Hoc cœlum non eſſe ipſum Deum, ſed ſubſtantiam à Deo creatam: Accidens enim ſine ſubiecto eſſe non poteſt: Subſtantiam verò hanc, corpoream eſſe quanquam ſimpliciſſimam & propter qualitates, quaſi ſpiritualem & diuinam. Incorporea enim ſubſtantia videtur eſſe non poſſe, niſi etiam ſit animata, & viuens: eóque etiam ratione prædita. Nullam enim ſubſtantiam nouimus incorpoream, quæ non ſit viuens & ratione prædita: vti ſunt, poſt Deum, Angeli, & animæ humanæ. Eſt autem non ſolùm abſurdum, ſed etiam impium locum vbi futura ſint noſtra corpora, dicere eſſe animatum & ratione præditum. Corporea igitur ſubſtantia eſt. Hæc ſunt, quæ de *Cœlo Beatorum* habui dicere, ſcriptiſque mandare, & quæ nullo modo ſilentio prætereunda eſſe iudicaui. Multum enim intereſt noſtra ſcire, vbinam, & qualis ſit illa patria, in qua cum Chriſto in ſempiternum victuri ſumus: & ad quam dum ſumus in hoc mundo, intendendi ſemper ſunt noſtræ mentis oculi, noſtra ſtudia, noſtra deſideria, noſtra denique opera: iuxta illud, *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens, &c.* Beatus certè ille eſt, qui ex animo dicere poteſt: πολίτευμα noſtrum in Cœlo eſt.

DE OPERIBVS DEI, PARTIS PRIMÆ,

LIBER SECVNDVS:

DE ANGELIS IN GENERE.

Partitio totius tractationis, & de nominibus Angelorum.

CAPVT PRIMVM.

Ex priore parte primi capitis Geneſeos, aliquot locos nobis explicandos ſuſcepimus, quorum duos iam abſoluimus: vnum de *Mundo in genere:* alterum de *Cœlo Beatorum.* Sequitur tertius, qui eſt *de Angelis.* Hos enim, partem eſſe non poſtremam, imò præcipuam huius mundi, quem *cœlorum & terræ* nomine ſignificauit Moſes, extra controuerſiam eſt. Ac recepta etiam eſt ſententia, eos in cœlo, quod Beatorum vocamus creatos fuiſſe: Cùm illud etiam ſedes propriè ſit Angelorum, beatorúmque ſpirituum omnium. Meritò igitur poſt locum de cœlo Beatorum, explicandus occurrit locus de Angelis: quos Philoſophi præter alia nomina, *Subſtantias & Intelligentias abſtractas & ſeparatas* appellare conſueuerunt: Scriptura verò, *Spiritus*, propter naturam: *Angelos* autem propter officium, vocare ſolet. Etſi verò de iis non ſolùm in ſacris literis, quantum nobis ſatis eſt, ſcribitur, verùm etiam apud profanos Scriptores & Philoſophos non pauca diſputantur: Et deinde tum à quibuſdam Patribus, tum verò maximè à Scholaſticis omnibus plura ad diſputandum proponuntur: nos tamen de hiſce ſpiritibus inuiſibilibus, déque illorum natura, ordine, officio, effectis, nihil aſſerturi ſumus, niſi quantum è ſcripturis, firmiſque rationibus edocemur. Magna enim temeritas eſt & audacia, ea de rebus inuiſibilibus affirmare; quæ neque à Deo ſunt reuelata, neque manifeſtis rationibus demonſtrari poſſunt. Proinde prudenter Auguſtinus de iis non multa auſus eſt ſcribere.

Cæterùm quæcunque conſentanea cum ſacris literis apud profanos & Eccleſiaſticos ſcriptores reperiuntur; ea maioris confirmationis cauſſa, teſtimoniis ſcripturarum ſubiicere non grauabimur. Seco autem totum hunc locum de Angelis, tres in partes. Prima fuerit, *de Angelis ſeu ſubſtantiis ſeparatis in genere:* quatenus complectar ea, quæ communia ſunt bonis & malis. Altera, *de Angelis duntaxat bonis.* Tertia *de Angelis malis*, quos recepta voce *Dæmones, Cacodæmones* & *diabolos* appellare conſueuimus.

Prior verò pars hæc habebit capita.

1. *De nominibus Angelorum, tam malorum, quàm bonorum, communibus.*
2. *De vera ipſorum eſſentia: An ſint vera* ὑφιςάμενα *& ſubſtantiæ.*
3. *Quales ſint ſubſtantiæ: corporeæ, an incorporeæ: materiales, an materia expertes.*
4. *An ita ſint immateriales, & ſimplices, vt in eis nulla prorſus ſit compoſitio: an verò & ipſæ ſubſtantiæ ſint compoſitæ: & quibus ex rebus ſint compoſitæ.*
5. *De ipſorum creatione: An ab æterno fuerint, an verò initium habuerint per creationem: & quandónam fuerint creati.*
6. *De ipſorum natura in qua creati fuerunt: & an integra liberáque voluntate præditi ſint, necne.*
7. *An ſint incorruptibiles & immutabiles: an verò mutationi ſua natura obnoxij.*
8. *De ipſorum apparitionibus: An verè & realiter appareant: an verò* κατὰ φαντασίαν*: & an vera aſſumant corpora, cùm appareant: & undénam ſumant.*

9. *An in corporibus aſſumptis opera vitæ exerceant, vt verè edant, bibant, &c.*

10. *De motu ipſorum, déque loco per quem mouentur: An cum mittuntur, localiter moueantur, tranſeantve per medium locum: &, An in tempore, an verò in inſtanti moueantur.*

11. *An Angelus ſit in loco: & an poſſit ſimul eſſe in pluribus locis.*

12. *Contra. An multi ſpiritus ſimul in eodem loco eſſe poſſint.*

13. *De numero etiam proponi quæſtio ſolet; quanquam nimis curioſa eſſe videtur.*

14. *De ordinibus Angelorum, An aliquis ſit inter illos tam bonos, quàm malos ordo.*

De iis omnibus poſſumus aliquid dicere è ſcripturis ſanctis: Verùm non immorabor multa diſputando. Dicam ſimpliciter quæ aut certa ſunt, aut ſaltē probabiliter dici queūt.

DE NOMINIBVS ANGELORVM.

THESIS.

Nominum Angelorum quædam communia ſunt omnibus, tam malis, quàm bonis: quædam bonis tantùm conueniunt. Et alia in malos duntaxat competunt. Omnia verò fermè ſumuntur, aut ab ipſorum eſſentia, & natura: aut a virtute, & potentia, aut ab officio atque operatione.

EXPLICATIO.

EXemplis in medium allatis, facilè hæc videri & explicari poſſunt. Duo ſunt tam in veteri, quàm in nouo Teſtamē to præcipua Angelorum nomina רוחות *Spiritus*, & מלאכים *Angeli*. Et vtrumque coniungit Dauid in Pſal 104 Primum, nempè ſpiritus ad ſignificandam ipſorum eſſentiam atq; naturam, impoſitum illis eſt. Sunt enim Angeli ſubſtantiæ (de communi ferè omnium ſententia) incorporeæ, naturæ ſpiritualis, omniſque materiæ expertes: Et tam de malis quàm de bonis prædicatur hoc nomen ſpiritus. De bonis, vt in Pſ. 104. Et Heb. 1. citatur: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.* De malis. 1. Reg 22. *Egreſſus eſt ſpiritus & ſtetit coram Domino.* Loquitur autem de malo ſpiritu, qui debebat decipere Achab. Et Matth. 8. *Eiiciebat ſpiritus*, (id eſt cacodæmones) *verbo*. Aliquando differentiæ cauſa adduntur Epitheta: vt *Spiritus mali*. 1. Sam. 10. verſ. 10. Act. 19 *Spiritus mali egrediebantur: Spiritus nequam*, 1. Sam. 16. *Exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino: Spiritus mendax & mendacij*, 1. Reg. 22. *Spiritus immundus*, Zach. 13. Et ſæpè apud Euangeliſtas: *Spiritus fornicationum*. Hoſ. 4 *Spiritus dæmoniorum*, Apoc. 6. Contrariis Epithetis, ſolent boni ſpiritus deſignari. Omnes igitur, ſpiritus vocantur, propter naturam incorpoream, & omnis materiæ expertem: Sed aut addita Epitheta, diuerſas ipſorum qualitates, effecta & operationes indicant, aut circumſtantię locorum ſacræ ſcripturæ diſcernunt bonos à malis. Auguſtinus igitur rectè ait in Pſalm. 104. *Nomen ſpiritus, nomen eſſe Naturæ.*

Alterum nomen מלאכים *Angeli*, nomen eſt officij, vt ibidem Auguſtinus apertè docuit: Nuncium enim ſignificat à verbo לאך Sicut etiam Græcis Ἄγγελος, ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν.

Tam malos autem, quàm bonos hoc nomine ſæpè ſignificari, docent exempla ſcripturarum: idq; tam ſi abſolutè ponatur, quàm ſi cum adiectis. De bonis prædicari, nimis notum eſt: vt Geneſ. 28. *Per ſcalam aſcendebant & deſcendebant Angeli.* De malis verò liquet ex 2. Sam. 24. de Angelo populum cædente, & Hieroſolymam perdente: Per malos enim Angelos ſua plerunque ſolitus eſt Deus exercere iudicia, tāquam per ſuos carnifices: Et ideò hos ſolet etiam ſcriptura vocare *Angelos malos*. Vt Pſal. 78. *Miſit eis immiſſionem Angelorum malorum.* Sed ſimpliciter etiam *Angelos* vocat Paulus 1. Corint. 6. *An neſcitis, quod Angelos iudicabimus?* diabolos ſcilicet. Et 2. Pet. 2. *Deus* (inquit) *non pepercit Angelis peccantibus.* Idem & in Epiſtola Iudæ. Matthæi 25. *Angeli ipſius diaboli*, vocantur. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.*

Frequentiùs tamen in ſcripturis pro Angelis bonis accipitur, quàm pro malis, ſi abſolutè nomen *Angeli* ponatur. Ideò Pſal. 104. ait, *Deum ſpiritus* (cœleſtes) *feciſſe Angelos ſuos*, id eſt; ſuos nuncios, & miniſtros. Et Actor. 7. *Cepiſtis legem per diſpoſitionem Angelorum.* Sæpenumerò autem differentiæ cauſa adduntur Epitheta, quibus boni à malis diſcernantur: Sicut etiam de nomine ſpiritus dictum eſt. Angeli enim Domini κατ' ἐξοχὴν, & Angeli Dei vocantur. Actor. 5. *Angeli ſancti.* Act. 10. *Angeli lucis*. 2. Corinth. 11. *Angeli electi*. 1. Corint. 15. *Angeli potentiæ Dei*, 2. Theſſ. Sunt enim nuncij, per quos ſuam exerit potentiam Deus. Nomen igitur *Angeli*, nomen eſt commune omnium horum ſpirituum, de quibus iam diximus: Et nomen eſt officij, non autem naturæ. Qua de re Auguſtinus in Pſal. 104. *Quæris* (inquit) *nomen huius naturæ? Spiritus eſt: quæris officium? Angelus eſt. Vide illud in homine. Nomen naturæ, homo: officij, miles. Nomen naturæ, vir: officij, Prætor.*

Nomen igitur Angeli, nomen eſt officij: id quod inde etiam confirmatur, quia propter idem officium, ſæpenumerò alij quoque, vt Chriſtus & homines, *Angeli* appellantur. Chriſtus enim, quatenus legatus fuit Patris, tam ante, quàm poſt aſſumptam carnem, *Angelus Iehouæ*, & *Angelus Dei*, nempe Patris, ſæpè appellatus eſt. Angelus item teſtamenti apud Malachiam 3. quia nouum Teſtamentum & verbo nunciaturus, & ſanguine confirmaturus erat. Doctores etiam, qui tanquam legati Dei verbum eius annunciant in Eccleſia, *Angeli* vocantur, Malachiæ 2. Sic Iohannes Baptiſta, *Angelus Dei* nominatur, Malach. 3.

Cum nomine Angeli, coniungo nomen *Archangeli*, de quo nomine, 1. Theſſ. 4. *Dominus cum hortationis clangore, & voce Archangeli deſcendet de cœlo.* Sed hoc non legitur vnquam attributum fuiſſe, niſi bonis Angelis. An nomen eſt à principatu ductum: ſiue quòd ſit ordo inter Angelos, qua de re poſtea, ſiue quòd ita vocentur omnes, cùm ad res magnas & arduas vel ſignificandas, vel faciendas mittuntur. Sicut in iis locis, vbi hoc nomen legimus, videre eſt. 1. Theſſal. 4. Iudæ verſ. 9. Vbi Michaël Archangelus certat cum diabolo: ita Apocal. 12. Nam ſic etiam Reges in arduis negotiis vtuntur principibus, non autem vulgaribus hominibus.

Vocantur etiam אלהים *Dij*: vt Pſ. 8. *Minuiſti, ſeu, deficere feciſti eum paululum ab Angelis* כאלהים Apoſtolus ſecutus 70. *de Angelis* interpretatur, & ad Chriſtum accommodat, quod dictum eſt de homine. Hæc autem vox *Elohim*, etiam de malo Angelo prædicatur: vt cùm Satan vocatur Deus huius ſeculi. 2. Corinth. 4. Si autem vocantur à potentia & authoritate, qua donantur à Iehoua: אל enim potentem ſignificat & fortem.

Vocantur item *filij Dei*. Iob. 38. Verùm hoc nomen non lego, niſi de bonis, de quibus loquitur Iob. Sic verò appellātur, non quòd propriè geniti ſint ex Deo (ſolus enim Chriſtus verè genitus eſt ex Patre: Vnde & *vnigenitus* vocatur. Angeli autem ex Deo ſunt per creationem) Sed ideò vocantur filij Dei, quòd adoptati ſint in filios Dei: quod certè de diabolis dici non poteſt.

Id quod de nominibus etiam כרובים & שרפים dictum volo. Neque enim hæc de Angelis malis vnquam prædicantur in ſcripturis; ſed tantùm de bonis. Neque nomina ſunt alicuius ordinis (vt multi voluerunt) & cœleſtis Hierarchiæ: ſed quę Angelis omnibus conuenire poſſunt. Neque id ſemper, vt nomina naturam & ordinarium officium ſignificantia, ſed ad tempus: cùm ſcilicet tales apparent: quales in nominibus ſignificantur.

שרפים ab ardore & incendio dicuntur. Hic autem ardor, vnde ita ſunt appellati, non eſt (vt multi iudicant) ardor caritatis, quòd ſcilicet præ cæteris Angelis quidam ardentiore amore, Deo adhæreant: ſed ardor eſt iræ Dei, quem præ ſe tulerunt Angeli illi, qui apud Ieſaiā Deo in ſolio iudiciario contra populum ſedenti tanquam executores mandatorum illius iudicis, & diuinæ irę vindices, adſtabant. Proinde nullibi reperitur hoc nomen, niſi eo loci Ieſai. 6. Inde apparet, non eſſe nomen alicuius *Hierarchiæ*, neq; naturæ neq; perpetui officij, ſed nomen, quo pręſens affectus illorum Angelorū ſignificabatur. Deus enim ſedebat vt iratus iudex: ipſi quoque Angeli ardore iræ diuinæ accenſi adſtabant, parati ad exequenda Dei iudicia.

Eadem ratio eſt nominis *Cherubim* כרובים quod nomē habemus Gen. 3 Exod. 25. Ezech. 1. & alibi in ſcripturis ſępiſſimè. Somnium autem eſt, nomen hoc, nomen eſſe ordinis certæque Hierarchiæ. Attribuitur enim etiam Regibus apud Ezechielem: Ea notario atque Etymologia idem demonſtrat: quæ duplex eſt. Quidam deriuant à כ litera deſeruiente, & nota ſimilitudinis, Sicut: & à רביא, quæ vox Chaldaica, ſignificat *puerum* & *iuuenem*. Cherubæos itaque appellatos fuiſſe eos Angelos, qui in forma imberbium iuuenum aut puerorum apparuerunt: quales fuiſſe volunt illos, qui arcam tegebant. AEzra ait כרוב ſignificare cuiuſuis formam, ſiue hominis, ſiue bruti animalis. Angelos itaque appellari כרובים quoties hominibus ſub aliqua cuiuſuis animantis forma apparent, Atque hæc ſententia

magis.

magis probatur. Quin etiam Ezechiel pro diuerſis vſurpat figuris nomen כרובים. Itaque apparet figmentum eſſe, quòd ex variis Angelorum nominibus, varios imaginati ſunt ordines, diuerſaſque Hierarchias. Cæterùm neque hæc duo nomina lego in ſacris literis attributa vnquam fuiſſe malis ſpiritibus.

Aliud etiam nomen occurrit apud Iobum cap.38 7. כוכבי בקר *ſtellæ lucis*, id eſt, *lucidæ*, ſeu, vt vulgaris habet editio, *aſtra matutina*: *Vbi eras* (inquit) *cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Volunt enim per poſterius membrum explicari prius. Ita de ſententia omnium ferè interpretum, omnes Angeli vocantur ſtellæ, ſeu aſtra lucida, à natura. Sunt enim lucidiſſimæ ſubſtantiæ, ſcientia & ſapientia plenæ. Neque hoc nomen de bonis tantùm prædicari, verùm etiam de malis, quòd omnes ſua natura tales ſint, euincere videntur ſacræ literæ, Ieſ. 14.12. Comparat Propheta ruinam Regis Babyloniæ, caſui ruinæque Satanę, cum reliquis prauis Angelis & hunc Satanam vocat *luciferum*, hoc eſt, ſtellam manè fulgentem, primámque lucem adferentem. *Quomodo cecidiſti* (inquit) *de cœlo* (nempe ô rex Babyloniæ) *ſicut lucifer* (nempe olim cecidit.) Certum eſt, caſum regis Babyloniæ comparari caſui diaboli de cœlo: Et hunc vocari *luciferum*, ſtellam ſcilicet manè lucentem. Non enim diu ſtetit in ea luce: ſed detruſus eſt in tenebras, & ſeruatur ſub caligine, vt Iudas loquitur. Eodem ſpectat quod & Chriſtus ait, Luc. 10. v. 18. *Spectabam Satanam, inſtar fulguris è cœlo cadentem.*

Dan 4 v. 10 &c. Angeli vocantur עירין *vigiles*, à עיר. Vigiles enim & cuſtodes conſtituti ſunt Mundi. Sed neque hoc lego, niſi de Angelis bonis. Hi enim in cœlo tanquam in ſpecula vigiles, orbem cuſtodiunt.

Nonnunquam à formis virorum, quas aſſumunt, vocantur *viri, & viri Dei*. Gen. 18. *Et ecce tres viri*. Et Iud. 13. verſ. 6. *Venit vir Dei*, id eſt, Angelus. Loquitur enim de Angelo, qui ſibi apparuerat, vxor Manoah.

Pſalmus 104. qui & ab Apoſtolo Hebr. 1 pro Angelis citatur, dat nobis aliud Angelorum nomen: nempe להט אש *ignem flammantem*: vel vt Apoſtolus ex eo citat, πυρὸς φλόγα. Scio quomodo hunc locum explicent Interpretes, quatenus à Dauide ſcriptus eſt Pſalmus: nempe Deum creaſſe ventos, quos vocat *ſpiritus*, vt ſui ſint nuncij, vel iræ, vel fauoris: Et ignem conflagrantem, vt ſui ſint miniſtri, ad ſuam iram aduerſus impios exercendam. Atque hunc genuinum eſſe illius loci ſenſum, non dubito. Verùm, quia Apoſtolus prò Angelis hunc citat verſum, non dubito itidem, quia, ſicut nomen ſpiritus illis competit, quòd non tam ſint ſpirituales ſubſtantiæ, quàm quòd inſtar ventorum velociſſimè moueãtur: ſic etiam optimè in eos quadret nomen ignis flammantis, nempe cùm Deus illorum vtitur opera ad perdendos impios, & igne iræ ſuæ conſumendos. Nomen igitur eſt officij non naturæ, quanquam etiam natura ignei ſunt, hoc eſt, lucidi. Atque hoc nomen coniungendum eſt cum nomine *Seraphim*, hoc eſt, ardentium. Ad hoc nomen alluſiſſe videtur Apoſtolus; cùm ex Pſal. 104. Angelos vocauit *ignem flammantem* ſeu *ardentem*.

Hęc ferè ſunt nomina, quę in veteri Teſtamento de Angelis in genere potui apud Moſen & Prophetas reperire: quanquam vt vidimus, quædam ipſorum de bonis tantùm prædicantur, non item de malis.

Quædam Angelorum nomina in nouo Teſtamento, Principatus, poteſtates, &c.

III. Cæterùm in nouo Teſtamento, quædam etiam alia legimus nomina, quibus Angelos ſignificari, dubium mihi non eſt. Rom. 8. *neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates poterunt me ſeparare.* Voces ſunt ἀρχαὶ, δυνάμεις. Plura etiam Epheſiorum 1. & 3. Apertè enim nominat in 3. cap. ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Proinde locus ille non poteſt ita facilè trahi ad principatus, qui in terris ſunt: ſicut locus ex primo capite: ſed omninò de Angelis cœleſtibus intelligendus eſſe videtur. Sunt igitur ibi principatus, ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι. Etiam diabolus ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου appellatur à Chriſto Ioh. 12. In Epiſtola ad Coloſ. 1. plura etiam adducuntur: vbi nominantur *Throni* κυριότητες, *Dominia*, ἀρχαί, *Principatus* vel *imperia*, ἐξουσίαι *poteſtates*.

Nomina hæc & locos, quos adduximus, variè interpretati ſunt Patres, & alij viri docti. Hier. in primum Epheſ. interpretatus eſt de *principatibus cœleſtibus*, hoc eſt, de Angelis. Ita & Chryſoſt. dicendo: τῶν γὰρ ἄνω δυνάμεων ἀνωτέρας ὄντων ὁ θεὸς ὥστε ἐκεῖ αὐτὸν (Chriſtum) ἀνήγαγε. Hunc ſequitur Theophyl. Hunc Dionyſius, & per hunc Scholaſtici collegerunt ſuas Hierarchias, choros, & ordines Angelorum, & ſuo cuique ordini attribuunt nomina. Auguſtinus magis ſobriè ſcripſit. Interpretatus quidem eſt & ipſe loca iſta de Angelis: ſed adiecit hæc verba: *Quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus vniuerſam ipſam cœleſtem ſocietatẽ videtur Apoſtolus eſſe cõplexus, dicendo, ſiue ſedes* (id eſt, throni) *ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicunt: Ego me illa ignorare confiteor.* Hęc Auguſt. tomo 3 in Enchir. c. 58. Hier. etiam loco ſuprà citato adiecit, ipſorum Angelorum vocabula, nec nos nominare poſſe, nec Paulum ipſum enumerare valuiſſe. Modeſtiores igitur fuerunt Patres in iis rebus, quàm Scholaſtici, & ante hos, Dionyſius ille.

Noſtri ferè ſentiunt, nomina hæc non eſſe ad ordines Angelorum pertrahenda, neque Paulum de illis propriè locutum eſſe, ſed in genere complexum eſſe omnem principatum & omnem potentiam, ſiue illam in cœlis tu fingas, ſiue in terris verè inueniatur: Et concludere voluiſſe, Chriſtum ſic eſſe ad dextram Patris exaltatum in cœleſtibus, vt omniũ, quæ in cœlo ſunt & in terra, ſit conſtitutus Dominus, Rex Regum, Princeps Principum, Dominus dominantium, cœleſtium ſcilicet, terreſtrium, & inferorum: ac proinde ex hoc loco non poſſe colligi certos Angelorum ordines, quorum alij ſint ſuperiores, alij inferiores: Apoſtolum enim non aſſeruiſſe in cœlis eſſe diuerſos hos ordines & principatus: ſed quòd vulgò apud Gentes, & verò etiam apud Iudæos credebatur, ex neſcio quibus traditionibus de Angelorum principatibus: hoc per conceſſionem admiſiſſe, & inde concludere voluiſſe, Chriſtum, etiam quà homo eſt, eſſe ſupra omnes illos cœleſtes principatus.

Cæterùm, quid de Angelorum ordinibus certò ſentiendum ſit, aut probabiliter dici poſſit: aperiam ſuo tempore & loco. In præſentia hoc tantùm dico, & ſatis nobis eſſe debet, iis nominibus mihi omnino videri ſignificatos fuiſſe Angelos, quemadmodum Patres Hieronymus & Chryſoſtomus, Auguſtinus docuerunt: ſiue id affirmatiuè dictum ſit ex ſententia Pauli (quòd magis credo,) ſiue per conceſſionem ex aliorum iudicio, nihil refert. Et ratio, quæ me in Patrum adducit ſententiam, duplex eſt: vna, quòd Apoſtolus de exaltatione Chriſti ad dextram Patris in cœlis loquens, primò ait, *quem* (Chriſtum) *collocauit ad dextram ſuam in cœlis.* Ac nomine *Cœli*, intelligere Apoſtolum cœlum illud, in quod aſcendit Chriſtus, cœlum ſcilicet Beatorum & Angelorum, certo certius eſt. Deinde ſcribit maioris explicationis cauſſa, quàm excelſa ſit iſta Chriſti exaltatio, dicendo: *ſupra omnem principatum, &c.* Quænam autem fuerit amplificatio exaltationis, ſi poſtquam dixit Chriſtum exaltatum eſſe in cœlum, tum diceret ſupra omnem principatum, id eſt, ſupra omnes Reges, & dominos huius mundi, eum fuiſſe exaltatum? Voluit igitur dicere: non ſolùm eleuatus eſt Chriſtus in cœlum vſque ad dexteram Patris cœleſtis; ſed quicquid etiam ſublime eſt in cœlo, ſupra totum illud exaltatus eſt Chriſtus, quà homo eſt: Atque ita verè explicat, quid ſit Chriſtum exaltatum eſſe ad dextram Patris, id eſt: ſupra omnes res creatas eum fuiſſe euectum, & plenum ius in omnia, in quoſuis etiam Angelorũ ordines, accepiſſe. Altera ratio, qua fit, vt non poſſim diſſentire à Patribus, eſt, quia ſubdit apertè. *Et ſupra omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, verùm etiam in futuro.* Exaltatum igitur docet, non ſolùm ſupra Reges & Principes huius mundi, ſed etiam ſupra omnem Principatum & poteſtatem, quæ in cœlis ſit inter Angelos. Quare manifeſtum eſt, his nominibus ſignificari ab Apoſtolo Angelos cœleſtes. Huc accedit, quòd diſertè Epheſ. 3. verſ. 10. collocat in cœlis Apoſtolus ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις: Et in Epiſtola Col. 1. verſ. 16 cùm dixiſſet, *omnia per Chriſtum eſſe condita, viſibilia & inuiſibilia*, poſteà quænam ſint iſta inuiſibilia, ex parte explicat, dicendo: *ſiue dominationes, ſiue poteſtates.* Principatus autem terreni inter viſibilia ſunt. Horum autem explicatio neceſſaria non erat Apoſtolo apud Coloſſ. ſed inuiſibilium duntaxat principatuum, qui in cœlis ſunt. De principatibus igitur cœleſtibus locutus eſt, ſed vſus nominibus, quibus terreni quoque principatus nominantur, ſicut etiam ad Epheſ. fecit. Quinque autem ſunt nomina, quæ de iis Angelis Apoſtolus habet, partim ad Epheſ. partim ad Coloſſ. quibus ſignificatur, neſcio quid regium & principale.

1. Vocantur *Throni*. Quidam intelligunt ipſum Dei ſoliũ. Alij Angelos illos, qui ſemper throno Dei aſſiſtunt.

2. κυριότητες. Hac voce ſignificatur *dominium*, quo authentica fiunt & habentur, quæcunque in hoc mundo Angeli, nomine Dei agunt: perinde atque ſi ipſi abſoluti ſint huius mundi Domini.

3. Ἀρχαί, vnde ἀρχοντες *principatus* ſunt, Reges, Imperatores, ac Principes. Iis ſignificantur Angeli, quatenus regant mundum, & præſunt prouinciis, earúmque curam gerunt.

4. Ἐξουσίαι poteſtates, ἐξουσία eſt ius atque auctoritas, qua Magiſtratibus licet agere, quæ agunt in ſuos ſubditos. Significatur ergo auctoritas, quam a Deo habent Angeli in hæc inferiora.

5. Denique eſt δυνάμεις. Significatur potentia, qua quod decreuit Princeps, illud facilè poteſt executioni mandare & perficere. Ad ſummam, iis nominibus ſi non ſignificantur diuerſi inter ipſos Angelos gradus & dignitates, quibus alij aliis præcellant: ſaltem ſignificari non dubito dignitatem, excellentiam, auctoritatem & potentiam, qua præditi ſunt in cælis Angeli. Nam de diabolis quoque, qui ſunt in hoc aëre aliquid indicauit Apoſtolus, cùm dixit ad Epheſ. ſuſcipiendam nobis eſſe πανοπλίαν Dei: quia nobis non ſit pugna aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας, rectores tenebrarum ſeculi huius, ſpirituales malitias, quæ ſunt in ſublimi. Iis vocibus certè indicauit Apoſtolus potentiam, auctoritatem, dominatum malorum ſpirituum, quem habent in hoc aëre aduerſus homines, Deo hoc illis permittente ad exercitationem fidei noſtræ. Quidni igitur idem ſentiendum eſt, de iiſdem vocibus, cùm hæ prædicantur de bonis Angelis?

Plura ego non potui Angelorum nomina in ſcripturis obſeruare, quàm quæ à nobis explicata iam fuerunt: quorũ ferè omnia tam malorum, quàm bonorum Angelorum communia ſunt: Quæ verò tantum de malis dicuntur, ea ſeorſum referam. Quę etiam videntur certis Angelis, quaſi ipſorum propria attribui, vt *Michael, Raphael, Gabriel*: de iis etiam ſuo dicemus loco.

Nomina Angelorum apud Philoſophos.

IV. Nunc ſubiiciam, quibus etiam nominibus hoſce Spiritus, ſeu Angelos vocarint Philoſophi, atque in primis Platonici: De iis enim plura ipſi ſcripta reliquerunt, quàm alij. Sunt autem multa apud ipſos Angelorum nomina, conſentanea prorſus cum iis, quæ habemus in ſacris literis.

1. Primò, *Dij* appellantur, ſicut etiam in ſcripturis *Elohim*. Nam apud veteres Philoſophos, præſertim, vt dixi, Platonicos, legimus ſæpè nomen *Dei* in ſingulari numero: quem vocare ſolent *Deum altiſſimum*, *Deum Opt. Max. Iouem*, τὸν Δία, τὸν Ζῆνα. Hoc nomine, verum Deum Iehouam, quem vnum eſſe firmis rationibus nouerunt, tum ex fama, libriſque Hebræorum didicerunt, procul dubio ſignificare voluerunt: Quanquam non eum, vt nos, quis ſit & qualis ſit, neque etiam eius voluntatem nouerunt. Huic ſupremo Deo, multos & fermè innumerabiles Deos ſubiecerunt. Quinam verò iſti ſunt? Barbari quidam præter ſupremum Deum, ipſam quoque cæli militiam, Solem, Lunam, ſtellas, adde etiam Terram & Oceanum, & ſerpentes, pro Diis agnouerunt & coluerunt. Iis addiderunt alij, vt Poëtæ cum primis *homines Heroas*, quos in Deorum numero collocarunt. Sed reuera ij non ſunt illi Dij, quos Platonici Deo ſupremo ſubiecerunt. Platonici Dij fuerunt *Dæmones*, partim boni, quos in cœlo beatam ducere vitam atq; etiam è cœlo, cùm opus eſt, terras petere, & res humanas gubernare dixerunt: quos nos *Angelos cæleſtes & Angelos Dei* vocamus: partim etiam mali quos in aëre & in terris vagari, multáq; mala dare, & homines ad maleficia incitare, auctoréſq; eſſe incantationum docuerunt: qui à nobis diaboli & κακοδαίμονες appellantur. Hi ſunt illi multi Dij quos Deo primo, & ſummo Ioui ſubdiderunt Philoſophi: Quanquã Platonici, cùm de Diis ſimpliciter loquuntur, ferè Angelos tantùm bonos intelligunt. Nam Plato in Sympoſio aptè ſcribit, eſſe genus Deorum, qui ceu legati & internuncij inter Deum & homines intercedunt. Et Laërtius de Platone ita ſcribit: εἶναι δὲ καὶ θεοὺς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ δαίμονας εἶναι. Hos certè diſtinguit à Deo, & tamẽ eos in Cœlo collocat, & res humanas curare dicit & legatos eſſe inter Deum & homines. Tametſi igitur nomen *Angelorum* non vſurpet Plato, nomine tamen horum Deorum multorum, nihil aliud intellexiſſe videtur quàm Angelos bonos: quos etiam, vt ſuprà vidimus, ſcriptura vocat *Elohim*: vt in Pſalm. 137. *In conſpectu Angelorum* (in Hebræo eſt *Elohim*) *pſallam tibi*. Ita cùm idem Plato in Dialogo de Sanctitate ait, quòd Sanctitas φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν: nihil aliud nomine τῶν θεῶν intellexit, quàm *Angelos cæleſtes*. In ſumma, quos Plato in Phædone & Phædro, & alibi, *Deos ſemper cæleſtes, ſemperque beatos* vocauit, quibus etiam in Cœlo dedit templa, aureaſque domos, diuinas voluptates, Nectar & Ambroſiam: ii ſunt, quos ſcriptura vocat *Angelos Dei*, & ſæpe etiam *Elohim*.

2. Vocantur item δαίμονες. Erat enim nomen hoc commune omnibus Angelis, tam bonis, quàm malis; Et, vt Græci loquuntur, nomen τὸ δαίμονος ἐν μέσῳ ἐστί, hoc eſt, in vtramque partem ſcilicet, & in malam accipitur. Vnde & Philo teſtatur, quos Philoſophi δαίμονας vocarũt, eos à Moſe appellatos fuiſſe *Elohim*: quanquam in religione Chriſtiana nomen δαίμονος, odioſum eſt, & de malis tantùm Angelis prædicatur. Sed reuera apud Philoſophos, honeſtum eſt nomen: quippe quod à ſcientia deducitur. Eſt enim δαίμων quaſi δαήμων, *ſciens*. Quæ cauſſa eſt, cur auctor allegoriarum Heſiodi Ariſtotelem appellârit δαιμόνιον, hoc eſt, maximę ſapientiæ virum. Et Plutarchus itidem in libro *De liberorum inſtitutione*, Platonem hoc eodem vocauit nomine, quem alij *diuinum* appellare conſueuerunt. Quin & Homerus eandem ob cauſſam, propter admirabilem ſcilicet rerum multarum cognitionem, appellatus fuit à multis, atque in primis à Dionyſio δαιμόνιος. Proinde nõ malè Proclus ſcripſit, *Dæmonem non vno dici modo: alium enim eſſe ipſa eſſentia Dæmonem*. hoc eſt, omnia ſcientem & omnibus proſpicientem (Hic eſt Deus, qui per ſeſe, & ſua eſſentia omnia nouit, quem etiam Plato nõ veritus eſt *magnum δαίμονα*, nuncupare, qui omnium eſt moderator) *alium eſſe Dæmonem comparatione: ſic ſunt Angeli, qui proximè ad Dei ſcientiam accedunt, quod ſuâ naturâ ſint ſcientes: alium habitu: & hunc eſſe animã hominis.* Habitus enim ſcientiarum in animo ſunt, nec alia ratione homines ſunt ſcientes niſi per habitus comparatos. Vnde & Porphyrius, vt Iamblicus ſcribit, proprium cuiuſque Dæmonem, non alium eſſe iudicauit quàm cuiuſque intellectum: Et idem etiam illum eſſe & dici, εὐδαίμονα, qui ſapienti, & prudenti ſit intellectu præditus. Heſiodus verò δαίμονας vocauit homines aurei ſeculi, qui in Deorũ numerum relati fuerunt. Sed hęc ſatis ſunto de nomine & ſignificatione nominis δαίμονες. Quatenus verò nomen hoc vſurpatur tantùm de malis ſpiritibus, plura dicemus ſuo loco.

3. A Latinis dicuntur *Genij à gignendo*; ita appellati, quòd (vt quidam aiunt) *agant & curent, vt gignamur*: Et genitos nos ſuſcipiant & tueantur, tanquam *genitores*. Recepta enim fuit apud omnes gentes ſentẽtia, ſingulis hominibus, ſimul ac concepti ſunt vteris matrum, à ſupremo Deo ſingulos Angelos, qui eos tueantur, aſſignari: atque hinc factum eſſe, vt *Genij* appellentur. Quanquam non defuerunt, ſicut etiam paulò antè de Porphyrio dixi, qui cuiuſque animam, *Geniũ* vocârint quòd ſimul nobiſcum naſcatur. Et ideò dici, *vnumquemque ſuum habere Genium*, hoc eſt, ſuam propriam animam. Sed Euclides Socraticus duplicem cuiq; homini Genium appoſitum eſſe dixit: qui & *Lares* & *Penates*, vocari ſolebant: quòd Domeſtici ſint Dij: Laris, id eſt, foci, ſeu domus, & totius penu cuſtodes. Quanquam Macrobius vult dici *penales*, quòd penitus nobis inſideant quódque per hos penitus ſpiremus & viuamus. Vtut verò ſit de Etymologia, manifeſtum eſt, Angelos tam malos, quàm bonos, Latinis appellatos fuiſſe *Genios*: eóque nomen eſſe ab officio ipſis inauditum.

4. Peripatetici hoſce ſpiritus paſſim vocant, modò *ſubſtantias* modò *intelligentias*, modò *formas abſtractas*, & *ſeparatas*, nempe à materia: quaſi dicant, incorporeas & immateriales ſubſtantias ſimpliceſque formas ac mentes cœleſtes. Nomina hæc ab ipſorum natura ſumpta ſunt. Quid autem iis abſtractis ſubſtantiis attribuant, dicemus ſuo loco. Atque hæc ferè præcipua ſunt vſitatáque Angelorum nomina apud profanos ſcriptores ac Philoſophos, eáque conſentanea cum ſacris literis, quæ Angelos vocant Spiritus. Reliquis nominibus ſuperſedeo, quæ apud Græcos, Gentiliti[illegible] auctores leguntur: quòd omnia exactè recenſere, atque explicare, omninò ſuperuacaneum ſit. Illud tantùm præterire non poſſum, quòd Pſellus ſcribit de Angelis, carmen quoddam à Chaldæis ſumptum explanans: Carmen eſt hoc: νοῦς ἔχει Κόσμος νοερὰς ἀνοχῆας, ἀκαμπεῖς, hoc eſt, *vt Mundus habet intelligentiâ præditos ſuſtentatores, inflexibiles*: Tria hic ſunt Angelorum nomina, quæ illorum, tum naturam, tum officium apprimè explicant: Vnum eſt, νοεροί, alterum, ἀνοχῆες: tertium, ἀκαμπεῖς. Primum nomen indicat illorum ſubſtantias, quòd ſint mentes atque intellectus, ſeu intelligentiæ: eóque ſubſtantiæ, materiæ & craſſi corporis expertes: & ita docti ſubſtantiam Angelorum vocant νοερὰν οὐσίαν. Alterum nomen ἀνοχῆες, ſignificat illorum officium, nempe, quòd Mundum regant ac ſuſtentent: nempe, tanquam Dei Opt. Max. adminiſtri, & inſtrumenta. Ἀνοχεὺς enim eſt ſuſtentator. Huic nomini reſpondent duæ aliæ voces quæ apud Platonem de Angelis leguntur: nempe ἐπιμεληταί, & ἐπιστάται, curatores & præfecti. Tertium ἀκαμπεῖς: indicat illorum conſtantiam ac fortitudinem. Sunt enim inflexibiles, incorrupti, immoti, ac ſtabiles. Duobus aliis nominibus itidem à Pſello vocantur: nempe κοσμαγοί, quòd κόσμον agant & regant: Et δυνάμεις, quòd potentes ſint. Ac de nominibus Angelorum hæc ſatis.

Vtile autem eſt tenere hæc nomina, cùm alias ob cauſſas

multas

multas, tum etiam prôpter hanc quòd ex nominibus, quibus appellantur, facilè etiam dignoſci poſſunt, quid ſint, quales ſint, & quæ illorum ſint officia. Rogo verò ne quiſpiam offendatur, quòd ego Theologus de Angelis ſcribens, quæ ab ipſis etiam profanis ſcriptoribus prodita ſunt, ea in medium miſcens ſacra profanis, adferam. Non enim id temerè ſed honeſtis de cauſſis facio; quarum præcipua fuit, vt, ſi quæ de Angelis erroneæ opiniones, & impiæ ſuperſtitiones in Eccleſiam inuectæ ſunt, vndénam illæ ſint, omnes intelligant. Fuit Eccleſia ex gentibus cumprimis collecta: Quid igitur mirum, ſi multa à Gentibus habemus? Adde, quod etiam Iudæi multa de Angelis fabulati ſunt.

CAPVT II.

NVnc itaque venio ad quæſtionem: *an verè exiſtant Angeli, veráque ſint ὑφιστάμενα veraq; ſubſtantia.*

Olim Sadducæi, vt habemus in Actis à Luca 23. ſicut negabant reſurrectionem mortuorum; ſic etiam inficiebantur, Angelos eſſe, aut ſpiritus. Contendebant verò Angelorum nomine, tam bonorum quàm malorum in ſcripturis, nihil aliud intelligi quàm bonas vel *malas inſpirationes* vt vocant, & motus à Deo in nobis excitatos: aut etiam eas, quas Deus edit virtutes, & portenta coram hominibus. Verum ſomnium hoc Sadducæorum refellitur facilè, tum apertis ſcripturarum teſtimoniis, tum etiam efficaciſſimis rationibus: vt de Philoſophorum placitis nihil dicam. Ergo hæc ei Theſis.

THESIS.

Angeli, tam mali, quàm boni, vera ſunt ὑφιστάμενα, veræque ſubſtantiæ.

CONFIRMATIO.

HOc manifeſtè liquet, primum à certis, quibus appellantur, nominibus in ſacris literis.

1. Vocantur *Elohim*. Nunquam autem nomen hoc in ſcripturis attribui legimus rebus quę non ſunt vera ὑφιστάμενα, veræq; ſubſtantię. Filij etiam Dei dicuntur: quod autem non eſt ſubſtantia, eáque intellectu & ratione prædita, illud adoptari in Filium Dei non poteſt. Et quidem ait ibi Iob: *hos Filios Dei laudare Deum.* Fieri hoc non potuit, niſi à ſubſtantia verè ſubſiſtente. Idem concluditur à nomine ſtellarum lucidarum. Lux enim, tam ſpiritualis, quàm corporalis, non recipitur niſi in veris ſubſtantiis. Vocantur etiam עירין cuſtodes ac vigiles. Quomodo hoc nomen competere poteſt, in rem non verè ſubſiſtentem: cùm ad officium hoc faciendum exigitur facultas intellectus ad cognoſcendum, & voluntatis ad diligenter vigilandum & obſeruandum? Idem euincunt nomina poteſtatum, principatuum, & reliqua, quibus prædicantur Angeli potentes, principes, &c. Prætereo nomina Gētilitia, quibus Philoſophi eos vocarunt, Deorum, δαιμόνων, Geniorum, abſtractarum intelligentiarum, ſubſtātiarum. Quomodo enim ſunt δαίμονες, δαήμονες, ſcientes? Et quomodo Genij ſunt, qui vt gignamur, curent & genitos tueantur, ſi ſubſtantiæ non ſunt? Philoſophi certè omnes, Angelos veras eſſe ſubſtantias docuerunt.

2. A creatione. Creati fuerunt non in alio ſubiecto: Subſtantiæ igitur ſunt.

3. Præditi ſunt voluntate & intellectu, vt paulò pòſt dicetur: Subſtantiæ igitur veræ ſunt.

4. A quorundam peccato, & ab aliorum in veritate conſtantia: Peccarunt aliqui ipſorum, aliqui verò perſtiterunt in veritate, vt ſcripturæ docent: Subſtantiæ igitur ratione & voluntate præditæ.

5. Ab ipſorum officio: Illud eſt, vt Deo adſtent, Deo ſeruiant, Deum laudent, Dei exequantur mandata atque iudicia, & veniant ad nos, moneant voluntatis diuinæ, doceant, tueantur, conſolentur, & ſimilia perficiant. Quomodo autem hæc fieri poſſunt ab iis, quæ non ſunt veræ, hæque intelligentia & voluntate præditæ ſubſtantiæ?

6. Ab apparitionibus, & ſumtione corporum aliiſque effectis. Apparuerunt ſæpe Patribus, corporibus humanis aſſumptis, & iis ſibi vnitis cum eis locuti ſunt, luctati cum Iacobo, comederunt cum Abrahamo, excepti hoſpitio, loti pedes, conſolati afflictos, pertulerunt Lazarum in ſinum Abrahæ, Chriſtum comitati in cœlum, colligent mortuos à 4 angulis terræ, venient cùm Chriſto ad iudicium, lętantur ſuper peccatore pœnitentiam agente, & alia id genus infinita præſtiterunt, ac præſtant. Qui fieri igitur poteſt, vt Sadducæi tam impudenter negārint Angelos vera ὑφιστάμενα, veráſque ſubſtantias eſſe?

7. Quomodo etiam nos erimus in cœlo ſicut Angeli Dei (vt Chriſtus ait) ſi nihil ſunt? num & nos deſinemus eſſe ſubſtantiæ & hæ quidem ratione præditæ? & fiemus nihil?

8. Quid, quod ratio quoque Phyſica, Sadducęorum opinionem, merum eſſe ſomnium euincit? Oportuit Mundum eſſe perfectum, ita vt nihil in eo deſiderari poſſit. Hæc eſt enim definitio perfecti. Proinde Ariſtoteles probat Mundum eſſe perfectum, propterea quòd conſtet ex omnibus illis, quæ in eo deſiderari potuiſſent, quæ ad mundi perfectionem pertinebāt. Atqui ad perfectionem pertinebat, vt tria in eo eſſent ſubſtantiarum genera: primò inuiſibiles, ſecundò viſibiles, tertiò, partim viſibiles, partim inuiſibiles. Secundæ ſunt cœli & elementa, & ex elementis compoſita. Poſtremæ ſunt homines, qui conſtant animo, ſubſtantia inuiſibili, & corpore viſibili. Si Angeli, qui per ſe ſunt inuiſibiles, non eſſent ſubſtantiæ: deeſſent mundo ſubſtantiæ inuiſibiles, & à materia abſtractæ. Et ita Mundus foret imperfectus. Nullæ enim tales reperirentur ſubſtantiæ, ſi hæ non ſunt Angeli ipſi, tam mali, quàm boni. Verùm mundus eſt perfectus vt non ſolùm ſcriptura apertè tradit, verùm etiam Philoſophi demonſtrāt. Sunt igitur Angeli ſubſtantiæ, ſed inuiſibiles & ſpirituales. Et quidem reliquis duobus ſubſtantiarum generibus perfectiores. Dubitandum igitur non eſt, quin reuera exiſtant Angeli, & vera ſint ὑφιστάμενα, veræque ſubſtantiæ, contra Sadducæos. Quare fabulæ non ſunt, quæ tam de diabolis, nobis perpetuò inſidiantibus, nos tentantibus, aduerſus nos pugnantibus: quàm de Angelis nos tuentibus, pro nobis certantibus, tradunt ſcripturæ: ſed omnia veriſſima & certiſſima ſunt. Proinde ſciamus nobis non eſſe colluctationem & pugnam aduerſus phantaſmata, & motus neſcio quos, vt Sadducæi ſomniabant: ſed pugnam nobis eſſe aduerſus ſubſtantias potentes, malignas, perpetuò quidnam agamus, obſeruantes, & ſine intermiſſione nobis inſidias ſtruentes. Itaque munitos nos quoque & vigilantes eſſe oportet, vt Apoſtolus hortatur. Altera etiam ex parte perſuaſum nobis eſſe debet, qui nobis dati ſunt, vt ſint auxilio, aduerſus diabolos, eos non eſſe res inanes, ſed veros Angelos, veras & ſpirituales ſubſtantias, licêt inuiſibiles. Huc ſpectat hæc doctrina de ſubſtantia Angelorum: Et hic eſt eius vſus.

CAPVT III.

CÆTERVM quæſtio alia difficilior eſt, nempe *quales ſint ſubſtantiæ: An Angeli tam boni, quàm mali, ſint prorſus incorporei; an verò naturaliter habeant corpora, ſed inuiſibilia.* Nam an aſſumant corpora, quibus ſeſe nobis viſibiles præbeant, extra controuerſiam apud nos eſt, & poſtea etiam diſputabitur. In præſentia tantùm quæſtio eſt, an aliquo conſtent, quanquam inuiſibili, corpore. Diuerſæ ſunt ſententiæ hac de re, primò inter Philoſophos, Platonicos & Ariſtotelicos. Deinde inter Patres & Scholaſticos. Neque ego is ſum, qui velim aut poſſim rem definire: proinde theſin certam non proponam: ſed tantùm, quid alij ſenſerint, fideliter referam, & quid mihi probabile magis videatur, liberè dicam.

Platonici docent intelligentias ſeu δαίμονας, quos nos *Angelos* vocamus, ſua habere corpuſcula: alios cœleſtia, alios ætherea, alios aërea, alios aquea, alios denique etiam terrea: quorum quidam in luce, vt boni: alij in tenebris habitent: Ac proinde hos poſtremos, nempe diabolos, vocant *δαιμόνια ὄρφνια, Dæmones nigros, obſcuros.* Ariſtoteles verò *ſimplices & abſtractas intelligentias* vocat, & ab iis Cœlum impelli docet: ac nullos præterea alios ſtatuit. Sic etiam Moſes Ægyptius lib. 7. cap. 7. quod eſt de Angelis, de Ariſtotelis ſententia affirmat. Ariſtotelis ſententiam in hac parte ſecuti ſunt Scholaſtici: nimirum Angelos tam bonos, quàm malos, omni prorſus carere corpore, ſua natura: & incorporeas omninò eſſe ſubſtantias: aſſumere autem corpora, cùm ad nos veniunt, & hominibus apparent in viſione, qua de re poſtea dicemus.

II. Verùm Patres aliquot non vulgares, tametſi (vno excepto Origene in libr. περὶ ἀρχῶν, ſi ipſius ſunt) tametſi, inquam, Patres non ſequuntur omni ex parte Platonis opinionem de variis corporibus, cœleſtibus, æthereis, aëreis & aliis, quibus varios Angelos ſeu δαίμονας conſtare dixit: tamen in ea ſunt ſententia, Angelos ſuâ naturâ aliquo modo eſſe corporeos, ſeu corpora habere propria, quanquam rariſſima & ſubtiliſſima, ac penè diuina: Ita vt comparatione aliarum corporatarum rerum, dici meritò poſſint ſubſtantiæ ſpirituales.

[illegible] de carne Chriſti, & contra Prazeam affirmat ape[illegible] los ſua & propria habere corpora. Sed huius ſente[illegible] explicant Scholaſtici, nomine corporis, veras [illegible] ſubſtantias. Fuiſſe enim illi patri in conſuetudine p[illegible]um, vt quicquid vera eſſet ſubſtantia, illud vocaret corpus: idque propterea, quod negotium ipſi erat cum hominibus imperitis, qui nihil iudicabant verè & realiter exiſtere, niſi quod eſſet corpus: quod verò corpus non haberet, illud nihil eſſe: hanc fuiſſe Tertulliani ſententiam, inde liquidò apparere, quia etiam Deo ipſi, quo nihil eſt ſimplicius, corpus attribuit. Verùm ad hanc Scholaſticorum exceptionem facilis eſt reſponſio: nempe Tertullianum non addere Deo corpus, nec dicere, Deum habere corpus, ſicut de Angelis loquitur: ſed Deum vocat corpus, volens ſignificare, Deum veram & perfectiſſimam eſſe ſubſtantiam. Sed Angelorum ſubſtantiæ attribuit corpus. Verba ipſius Tertulliani audiamus contra Prazeam, de Deo ſic loquitur: *Quis negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt?* hoc eſt, *quis negabit, Deum veram eſſe ſubſtantiam, tametſi ſpiritus eſt?* Deum igitur non facit incorporeum: ſed docet, ſe talem eſſe Spiritum, qui vera ſit ſubſtantia. Ideò ſubdit: *Spiritus enim corpus* (ſcilicet eſt) *ſui generis, in ſua effigie*, id eſt, ſpiritus vera eſt ſubſtantia, eóque corpus quoddam in ſuo genere. Ita verò loquitur, quia Spiritus nonnunquam pro re non ſubſtantiali accipitur: vt ſunt dona Spiritus ſancti. At verò de Angelis ſubdit: *ſed etſi inuiſibilia illa quæcunque ſunt, habent apud Deum & ſuum corpus & ſuam formam, per quæ ſoli Deo viſibilia ſunt: quantò magis, quod ex ipſius ſubſtantia miſſum eſt*, (nempe λόγος τοῦ θεοῦ) *ſine ſubſtantia non erit?* Ita concludit, τὸν λόγον, eſſe ſubſtantiam, & veram perſonam. Cùm itaque Angelos dicit ſuum habere corpus, & ſuam formam: de Deo autem non ita loquatur, ſed tantùm dicat, *eum eſſe corpus*: apertè innuit, alio ſenſu ſe Deum vocaſſe corpus: Et alio, dixiſſe, Angelos habere corpora. Apertè conſtat apud Tertullianum, Angelos præter ſpiritualem ſubſtantiam, ſua habere corpora, ſua inquam, hoc eſt, alteris generis, quàm ſint noſtra: Et ſuam habere formam, hoc eſt, effigiem, vt etiam nos noſtram habemus: quanquam diuerſi generis. Verum alios quoque audiamus.

Auguſtinus certè corpora tribuit Angelis, cum aliis in locis permultis, tum etiam tomo 3. de Trinitate, lib. 2. cap. 7. Et lib. 3. cap. 1. Item de eodem tomo 3. de Diuinatione Dæmonum, cap. 3. 5. & alibi. Neque eſt cur quiſpiam excipiat, Auguſtinum non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia ea de Angelis ſcripſiſſe. In libro quidem 8. de Trinitate, cap. 16. vbi ſic definiuit Dæmonas, vt diceret, *eos eſſe genere animantia, animo paſſiua, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna*: ſic definiuit ex Apuleij Mandaurenſis, & Porphyrij ſententia. Sed quæ lib. 2. cap. 7. & quæ lib. 3. cap. 5. & quæ in lib. de Diuinatione Dæmonum ſcripſit, ex ſe ipſo ſcripſiſſe omninò videtur. Sic etiam eandem confirmauit doctrinam lib. 15. cap. 23 de Ciuitate Dei: vbi L. Viues hæc in illud caput ſcribit: Auguſtinum ſenſiſſe, Angelos & Dæmonas corporibus eſſe præditos. Legentibus eius opera, iſtud, videlicet (de Ciuitate Dei) & de natura Dæmonum, & de Geneſi ad literam, certiùs eſt, quàm vt pluribus confirmari debeat. Nec ex aliena ſententia tot locis locutus eſt, vt Petrus Lombardus dicit quoſdam putare, ſed ex ſua ipſius ſecutus nimirum nõ pudendos auctores, Platonicos omnes: Origenem, Lactantium, Baſilium, & conſenſum omnium ferè ſuo tẽpore ſcribentium. Hæc ille. Citat ibidem idem L. Viues Michaëlem Pſellum de Dęmoniis. Pſelli autem libellus iſte, verſus à M. Ficino, eſt inter opera Ficini tomo 2. pag. 19. 39. Pſelli verba hæc ſunt: *Natura Dæmonum non eſt abſque corpore, ſed habet corpus, & verſatur circa corpora: quod & venerandi Patres noſtri indicarunt: Sunt & qui aſſerant, Dæmones propria cum corporibus præſentia ſibi apparuiſſe: Atque vt Baſilius diuinitus myſteriorum nobis occultorum inſpector, non ſolùm Dæmonibus, ſed puris etiam Angelis, corpora tribuit: veluti ſpiritus quoſdam tenues & aëreos, atque puros: Et teſtem adfert Danidem dicentem: Qui facit Angelos eius ſpiritus, & miniſtros eius flammeos. Atq; id quidem neceſſarium eſt. Oportet enim, vt diuinus aſſerit Paulus, ſpiritus miniſtros, qui mittuntur, corpus habere, quo moueantur, gradúmque ſiſtant, palámque appareant. Hæc omnia Pſelli hominis Chriſtiani. Vbi etiam addit hæc verba: ſi alicubi legas in ſcripturis, eos incorporeos appellari: reſpondeo & noſtros, & alios ſolere corpora quidem craſſiora corpora nominare: Corpora verò tenuia, & quæ aſpectum tactumq; effugiunt incorporea frequenter cognominare.* Hæc etiam Pſelli ſunt.

M. Ficinus, qui hunc conuertit libellum, idem planè ſenſit.

Addo hîc quæ Cœlius Rhodiginus Antiquarum lectionum lib. 2. cap. 10. tum de hac quæſtione, tum de ſententia Auguſtini in hac re ſcripta reliquit. Poſteaquam aſſeruiſſet, Dæmones habere corpus, ſubdidit de Auguſtini ſententia, hæc verba: *Porrò* (inquit) *quod obſeruatione dignum eſt, Auguſtinus aſtruere videtur, Angelos omnes ante co[illegible]rmationem [illegible] lapſum corpora habuiſſe aërea, ex puriore ſuperioreque aëris [illegible] te confirmata: Cæterùm ad faciendum idoneos, non item ad patiendum taliáque etiamnum bonis Angelis conſeruata, quæ [illegible] ſum tamen non patiuntur, ni craſſius quidpiam fuerit [illegible]. Malis verò Angelis in lapſu deputata fuiſſe corpora, [illegible] aëris ſpiſſioris qualitatem, vt igne poſſint torqueri.* Super G[illegible] Auguſtinus idem fermè tradit: *Dæmones aërea d[illegible] animantia, quia corporum aëreorum natura vigen[illegible], nec per mortem diſſoluuntur: quoniam præualet in eis Elementum, ad faciendum aptius, quàm ad patiendum.* Hæc Cœlius de Auguſtini ſententia in hac quæſtione. Subiicit quid[illegible]m, quænam aduerſus hęc excipiantur à Scholaſticis, ſed refert: non autem ſignificat, ſe horum exceptiones laudare & probare. De ſententia igitur diui Auguſtini dubitandum non eſt, quin ſenſerit, Angelos naturalia ſua habere corpora.

Adde his quæ Auguſtinus habet tomo tertio, de Geneſi ad literam, libro tertio, capite decimo, vbi ait, *Dæmones Aërea eſſe animalia, & corporum aëreorum natura vigere.*

Bernhardus in Cantica canticorum, ſerm. 5. ab hac doctrina minimè diſſentit. Quatuor enim genera ſpirituum tradit: pecorum, hominum, Angelorum, Dei. Ac docet præter Deũ, omnes ſpiritus opus habuiſſe & habere corporibus, aut propter ſe, aut propter alios: idque vel ad nocendum, vel ad iuuandum. Sic incipit Sermo: *Quatuor ſpirituum genera nota ſunt vobis, pecoris, noſter, Angelicus, & qui condidit iſtos. Non eſt ex omnibus, cui ſiue propter ſe, ſiue propter alium, ſiue propter vtrunque neceſſarium corpus non ſit, corporiſve ſimilitudo, excepto duntaxat illo, cui omnis, tam corporalis, quàm ſpiritualis creatura meritò confitetur & dicit: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, &c.* Ac, poſtquam explicauit, quam neceſſarium fuerit corpus ſpiritui, tum pecorum, tum hominum, ſubiecit de Angelis hæc verba: *Iam quod & ſupercæleſtes ſpiritus, opus corporibus habeãt: illa maximè certos nos facit vera & verè diuina ſententia. Hebr. 1. Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Quonam ergo modo implent miniſterium ſuum abſque corpore? præſertim apud viuentes in corpore? Denique non eſt diſcurrere, nec de loco ad locum tranſire, niſi corporum: quod frequenter Angelos facere tam indubitata, quàm nota probat auctoritas. Ita inferior ſuperiórque ſpiritus, propriis corporibus egent: ſed tamen quibus iuuẽt, non etiam iuuentur.* Hæc D. Bernhardus: vbi tum ex rationibus quas adfert, cur ſint Angelis neceſſaria corpora, tum ex modo dicendi, quo vtitur, dicens, *Eos propriis egere corporibus*, ſatis luculẽter apparet eum ſenſiſſe, *Angelos non ſolùm aliquando aliena aſſumere corpora, ſed etiam propria ſemper, ſicut etiã pecudes & homines naturaliter propriis prædici ſunt corporibus.* Ita apparet reſponſionem Thomæ ad locum hunc Bernhardi, nullam eſſe, cùm ait, *Bernhardi ſententiam eſſe, Angelos opus habere corpore, non naturaliter ſibi adglutinato, ſed ad aliquid aſſumto.* Nam D. Bernhardus clarè loquitur, cùm ait, *Angelos opus habere propriis corporibus: Et quidem vt è loco ad locum moueantur: Quæ autem aſſumuntur & deponuntur, [illegible] ſunt propria, ſed aliena corpora. Deinde, quæ aſſumunt Angeli corpora: ea* (*vt omnes Scholaſtici docent*) *aſſumunt in aëre, aut in terra: Mouentur autem è Cœlo Beatorum, & per reli[illegible] om[illegible]es tranſeunt, antequam ad aërem perueniant. Si a[illegible]tem [illegible] rium eſt corpus ad motum hunc faciendum* (vt ipſe Bernhardus ait) *neceſſe eſt, Angelos præter ea quæ aſſumunt propria ſemper habere corpora.*

Grego. Nazianzenus non auſus fuit definire, an ſint prorſus incorporei Angeli, an verò habeant corpora: Ideò ſermone περὶ τῆς θεολογίας ſecundo, ad calcem ſermonis, ſic ait de Angelo: πλὴν ὑμῖν γε ἀσώματος ἔστω, ἢ ὅτι ἐγγύτατα. *vel incorporeus nobis eſto, vel aliquid proximè.*

Verùm auctor libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui in tertio operum D. Auguſtini tomo collocatur, valde liberè definit, eos eſſe corporeos: ſic enim cap. 19. ſcribit: *Nihil incorporeum & inuiſibile natura credendum, niſi [illegible] Deum, id eſt, Patrem, Filium, & Spiritum San[illegible]um: Qui ideò rectè incorporeus creditur, quia vbique eſt, & omnia implet, itaque conſtringit: ideò & inuiſibil[illegible] omnibus creaturis, quia incorporeus eſt.* Deinde capite 12 [illegible]dit: *Creatura omnis corporea eſt: Angeli, & omnes cæleſte[illegible] [illegible]tes corporea, licet non carne ſubſiſtant: Ex eo autem cor[illegible]reas eſſe credimus Intellectuales creaturas, quòd localiter circumſcribuntur: ſicut etiam anima hu[illegible]ana, quæ carne clauditu[illegible] [illegible] Dæmones, qui per ſubſtantiam Angelicæ naturæ [illegible]* ibi. Sed ad rationem, quam adfert, reſpon[illegible] ſtici, Angelos minimè localiter circumſcr[illegible]

tantùm eſſe definitiua. Verùm quantum etiam valeat hæc reſponſio, aliis iudicandum relinquo. Scio, eos non circumſcribi, vt craſſa corpora; verùm eos moueri è loco ad locum, & in aliquo ita conſiſtere loco, vt certum loci ſpatium occupent, dubium non eſt, ſi iis, quæ de Angelorum miſſionibus, motibúſque ſcriptura narrat, plenam, vt debemus, fidem adhibemus. Hoc autem indicat neſcio quid corporei in Angelis. Ideò etiam Theodoretus in Geneſin ſcribit, *Angelorum naturam eſſe finitam & circumſcriptam, eóque opus habere loco.* Gregorius quoque primus Epiſcopus Roman. tomo 1. Moralium in Iobum, libro 2. cap. 2. diſertè ait, *Angelos loco circumſcribi.* Quæſtionem verò ipſam definiens, idem Gregorius ſcribit in hæc verba: *Eorum itaque* (Angelorum) *ſcientia, comparatione noſtra ſcientiæ, valde dilata eſt: ſed tamen comparatione diuina ſcientiæ, anguſta, ſicut & ipſi illorum ſpiritus, comparatione quidem noſtrorum corporum, ſpiritus ſunt: ſed comparatione ſummi & incircumſcripti ſpiritus, ſunt corpora.*

Beda etiam Presbyter tom. 2. περὶ δισδέξεων, li. 1. pag. 314. vbi de Dæmonibus agit, hanc eandem proponit quæſtionem, *an Dæmones habeant corpora:* & poſt allatas in vtramque partem auctoritates, conciliat eas diſtinctione, ex Gregorio paulò ante allata: cõparatione ſcilicet Dei, eos habere corpora: comparatione noſtri, eſſe ſpiritus: Quanquam Beda maluit eos appellare Spiritus, quàm corpora aut corporibus præditos, quia Scriptura ait Pſalmo centeſimo quarto, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.*

Scholaſtici etiam aliqui propter multas Patrum auctoritates, tandem eadem coguntur vti diſtinctione, quam attulit D. Gregorius, & quam ſecutus eſt Beda: nimirum *comparatione Dei, eſſe corpora, comparatione noſtri, eſſe ſpiritus:* Quæ diſtinctio etiam Damaſceni eſt, cap. περὶ τῶν ἀγγέλων. Ac certum eſt, Angelos non eſſe ſpiritus prorſus ſimplices: quemadmodum Deus eſt ſpiritus ſimpliciſſimus. Deinde infiniti nõ ſunt, neque immenſi, vt Deus. Certis igitur finibus & dimẽſionibus terminantur. Præterea ad rationem à motu locali ductam, (mouentur enim Angeli localiter) nihil video reſponderi, quod alicuius ſit momenti: Moueri autem loco, & tranſire per loca, & per ſpatia locorum, nõ fit ſine corpore, vt ſuprà ex Patribus vidimus. Neque contrà vllam video adferri à Scholaſticis vel auctoritatem, niſi Dionyſij Areopagitæ: vel rationem ita firmam, quæ euincat Angelos ſimplices eſſe Spiritus, ſine vllo prorſus corpore. Probabilior ergo videtur eſſe ſententia Auguſtini & reliquorum, qui ſentiũt, Angelos omnes non eſſe prorſus & ſimpliciter incorporeos: quam Scholaſticorum, qui eos omni prorſus corpore, ſpoliant; cùm tamen neque ipſi recuſent verbum Gregorij: eos ſcilicet comparatione quidem noſtri, eſſe ſpiritus: comparatione autem Dei, eſſe corporeos.

Qualia Angeli habeant corpora.

III. Cæterùm, qualia naturaliter habeant corpora, non tam facilè expediri poteſt. Nam dicere, aëreis prædita eſſe corporibus, non tam mihi probari poſſe videtur, quàm ſi dicamus, alterius generis eſſe corpora Angelorum, quàm ſint corpora, vel aërea, vel cœleſtia. Omnia enim hæc corpora ex materia illa prima ſunt, quam Moſes vocauit תהו ובהו. Ex hac autem creatos eſſe Angelos, quis probare queat? Probabilius igitur eſt, ſicut Cœlum Beatorum, in quo creatos eſſe Angelos, plerique omnes ſentiunt, ſubſtantia eſt corporea, ſed longè diuerſæ rationis, quàm reliqui ſint cœli: ſic etiam hæc, quæ Angelis tribuuntur corpora præſtantioris & ſubtilioris eſſe ſubſtantiæ, quàm ſint, vel aër, vel iſti cœli, qui è Chaos fabricati ſunt. Et ita ſentio, ſubſtantiam corporum, quæ Angelis attribuuntur, ſimiliorem eſſe ſubſtantiæ cœli illius Beatorum, quod ἐμπύρειον dicitur, quàm reliquorum cœlorum ſubſtantiæ.

Retuli fideliter aliorum ſententias. Dixi etiam ingenuè, quæ videatur probabilior. Certum enim eſt, ex iis quæ ſcripturæ tradunt de Angelis, probabiliorem eſſe Patrum ſententiam, quàm Scholaſticorum: vtram tamen ſequaris, non multum peccaueris, nec propterea inter Hæreticos haberi poteris. Hanc ob cauſam, quia nihil hac de re certi definitũ eſt hactenus: nullam certam propoſui Theſin: ſed contentus fui recitatis duabus diuerſis ſententiis dicere, vtra probabilior videretur. Claudo tamen totam hanc quæſtionẽ verbis Damaſceni: primò ait, quid propriè ſit Angelus, & quæ eius ſubſtantia, ſoli Deo notum eſſe. Angelum quidem ſic definiuit ipſe: Ἄγγελος ἐστὶν οὐσία νοερά, ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, ἀσώματος, Θεῷ λειτουργοῦσα, κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφυῖα, ſed ſtatim ſubdit, τῆς οὐσίας τὸ εἶδος καὶ τὸν ὅρον μόνος ὁ κτίσας Θεὸς ἐπίσταται. Poſteà explicat, quo ſenſu vocãtur Angelum ἀσώματον καὶ ἄϋλον, dicendo: ἀσώματος δὲ λέγεται καὶ ἄϋλος, ὅσον πρὸς ἡμᾶς· πᾶν γὰρ συγκρινόμενον πρὸς τὸν Θεὸν τὸν μόνον ἀσύγκριτον, παχύ τε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται· μόνον γὰρ ὄντως ἄϋλον τὸ θεῖόν ἐστι καὶ ἀσώματον. Ac de his ſatis. Hinc facilior fit ad aliam quæſtionem reſponſio, nempe ſimplicitate Angelicæ ſubſtantiæ.

DE SIMPLICITATE ANGELORVM.

CAPVT IV.

QVAERI ſolet, cùm Angeli vocentur in ſacris literis ſpiritus, id eſt, ſpirituales ſubſtantiæ: num ita ſint ſimplices, vt in eis nulla prorſus ſit compoſitio: Et, ſi eſt, qualiſnam illa ſit, & quibus ex rebus ſint compoſiti. Ad hanc quæſtionem hæc noſtra eſto Theſis.

THESIS.

Etiamſi conſideretur Angelos nullis conſtare corporibus: nullo tamen modo dari poteſt, eos ſimplices prorſus eſſe ſubſtantias, in quas nulla cadat compoſitio.

CONFIRMATIO.

RAtio 1. Quia in ſolo Deo, idem ſunt Eſſe & eius eſſentia, ſeu ſubſtantia: eóque ipſe ſolus verè ſimpliciſſimus eſt actus, & ſimpliciſſima eſſentia: ſicut in attributo de ſimplicitate Dei demonſtratum eſt. Proinde nomina, quæ ſimplicem ſignificant eſſentiam, vt nomen ſcilicet *Iehoua*, Et nomen ὁ ὤν, in illum ſolum propriè competunt. Aliud igitur in Angelo eſt Eſſe, & aliud ipſa eſſentia atque ſubſtantia.

2. Deinde, Angeli ſua natura mutabiles ſunt: id quod apparet luculenter, cùm aliqui ipſorum in veritate non ſteterint, vt loquitur Chriſtus. Proinde rectè Damaſcenus, πᾶν κτιστὸν (inquit) τρεπτόν ἐστι. Conſtant igitur Angeli ex actu, quo ſunt: & ex potentia, qua mutari poſſunt, & deſinere eſſe, quod ſunt. Quare ſimplices ſubſtantiæ eſſe non poſſunt, qualis eſt Deus. Aliud item in illis eſt, *eſſe ſimpliciter:* & aliud *eſſe intellectu præditum*, eſſe bonum, eſſe ſapientem. In Deo autem reapſe idem ſunt. Solus igitur verè ſimplex. Ita veriſſimum eſſe videmus, quod Damaſcenus ait: πᾶν συγκρινόμενον πρὸς τὸν Θεὸν μόνον ἀσύγκριτον παχύ τε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται. Μόνον γὰρ ὄντως ἄϋλον τὸ θεῖόν ἐστι καὶ ἀσώματον. Hinc confirmatur quod anteà concluſum eſt: comparatione Dei Angelos eſſe materiales & corporeos.

DE ANGELORVM CREATIONE

CAPVT V.

QVI de horum creatione quærunt, duo quærũt: vnum, *an ſint æterni, An verò initium per creationem habuerint. Alterum, ſi creati fuerunt, quando creati fuerint.*

Ad *primum* quod attinet, Peripatetici voluerunt, Angelos ſubſtantias eſſe æternas. Sed hæc ſententia ſatis abundè refutata à nobis eſt: non ſolùm apertis ſcripturarum teſtimoniis: verùm etiam non infirmis rationibus. Omnia enim per Deum primam cauſam facta ſunt, eóque initium habuerunt. Quare nihil præter Deum æternum eſt. Ita plura non addo.

Ad *alterum*, quando creati ſint Angeli, non eadem eſt omnium ſententia. Nonnulli, & ij quidem non vulgares Doctores iudicarunt, & ſibi è ſcripturis collegiſſe viſi ſunt, creatos fuiſſe ante Mundũ hunc viſibilẽ: Atqui ij fuerunt ferè Græci interpretes: Chryſoſtomus, Nazianzenus, Seuerianus, Baſilius, Damaſcenus, quos etiam ſecutus eſt Hieronymus in Epiſtolam ad Titum. & Eucherius, & plerique omnes, citantes locum ex Iobo: *vbi eras, cùm fundarem terram, & me laudarent aſtra matutina? Et iubilarent omnes filij Dei*, id eſt, Angeli? Chryſoſtomus igitur ſic: *Propter te* (inquit) *ò homo, Deus fecit terram.* οὐδὲ γὰρ ἄγγελοι ταύτης ἐδεήθησαν, (terræ) πῶς γὰρ οἱ καὶ πρὶν ἢ γενέσθαι αὐτὴν, ὄντες; ἦσαν γὰρ ἐκεῖνοι πολλῷ ταύτης πρεσβύτεροι, ἄκουσον τί φησιν τῷ Ἰὼβ ὁ Θεὸς διαλεγόμενος, ὅτε ἐγένοντο ἄστρα, ᾔνεσάν με πάντες ἄγγελοί μου. Sic Seuerianus: ἐγένοντο ἄγγελοι πρὸ τοῦ οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλους, ὁ οὐρανὸς, καὶ τὸ ὑπ' οὐρανοῦ, &c. Et citat eundem Iobi locum. Alij tamen Græci, nedum Latini, hanc oppugnarunt opinionem,

vt Theodoretus & Gennadius. Cæterùm ad locum Iobi quidam ſic reſpondent: Etiamſi de Angelis locum illum interpretari velis, tamen inde non euinci, Angelos fuiſſe ante viſibilem mundum creatos. Ibi enim ordinē tantùm deſcribi creationis, non autem indicari: Ordine autem, ſed eodem initio, creati priùs Angeli, & cœlum Beatorum prædicantur, quàm Terra. Alij, Deum apud Iobum non dicere, *cùm crearem*, ſed, *cùm fundarē terram*: id eſt, cùm aridam firmarem. Non igitur ante creatam, ſed tantùm ante fundatam aridam, fuiſſe creatos Angelos. Infirmo igitur niti fundamento illos qui inde colligunt, Angelos creatos fuiſſe ante mundum viſibilem. Alij ſenſerunt, creatos fuiſſe, cùm iam creatum eſſet chaos: nempe tunc, quando Deus dixit, *Fiat lux*. Nomine enim *Lucis*, intelligi *Angelos*. Hoc ſenſit Auguſtinus, ſed refutata eſt ab omnibus, & meritò hæc ſententia. Alij die ſexto, cùm creatus etiam fuit homo, ſed hæc ineptior eſt, quàm vt egeat refutatione. Alij: ignorari quando creati ſint: quòd huius rei nulla fiat mentio in ſacris literis. Verùm licèt diſertè hoc non tradant literæ: ratiocinatione tamen neceſſaria inde colligi poſſe contendimus. Sententiam itaque noſtram hac Theſi explicamus.

THESIS.

Angeli neque æterni ſunt, ſed per creationem initium habuerunt: neque ante creatam Mundi viſibilis materiam, neque etiam poſt perfecta viſibilis mundi opera, creati fuerunt: eòque non ante cœlum, ſed in ipſo cœlo, nempe Beatorum, conditos illos fuiſſe credimus.

CONFIRMATIO.

FAcilè etiam Theſis hæc demonſtratur. I. Non eſſe æternos ſed per creationem initium habuiſſe, docent ſacræ literæ: Prouerb. 8. *Filius*, qui eſt ſapientia Patris æterna, *Dominus Iehoua*, inquit *poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret, à principio*. Sunt autem Angeli à Deo facti. Pſalm. 148. vbi omnes creatæ res ad laudandum Deum inuitantur, Angelis etiam dicitur, *Laudate eum omnes Angeli eius*. Et mox ſubdit, *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt. mandauit & creata ſunt*. Et Apoſtolus ait, Coloſ. 1. *Omnia per Chriſtum eſſe condita, viſibilia & inuiſibilia, ſiue poteſtates ſiue Angelos*. Non ſunt igitur æterni: ſed cum nihil eſſent, facti ſunt deinde ſubſtantiæ. Solum enim id, quod eſt per ſe Ens & ſubſtantia, æternum eſt: vti eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, verus & vnicus Deus. Quod autem participatione Ens eſt & ſubſtantia, illud poſterius eſt eo, quod per ſe tale eſt. Non poſſunt igitur eſſe æterni Angeli, ſi facti ſunt. Factos eſſe iam demonſtratum eſt è ſcripturis. Præſtantiores etiam Philoſophi id docuerunt, vt ante à nobis demonſtratum fuit.

II. Non fuiſſe verò conditos ante creatam viſibilis mundi materiam, inde liquet: quia Moſes ait, *In principio creauit cœlum & terram*: hoc eſt, omnia, quæ cœlo terráque continentur. Ante igitur illud principium, creati non fuerunt: alioqui principium illud non fuiſſet primum rerum cōditarum principium. Item Gen. 1. & 2. ait Moſes, *intra ſex dies illos, quos recenſuit, perfecta fuiſſe omnia opera Dei*. Id quod repetitur etiam in lege Domini, Exod. 20. *ſex diebus Deum operatum eſſe omnia opera ſua: Die autem ſeptimo quieuiſſe*. Quis autem neget Angelos inter opera creationis contineri? Hinc euincitur, creatos eos fuiſſe intra ſpatium ſex dierum, qui condendis rebus deſtinati fuerunt à Deo. Quare neque ante, neque poſt conditi fuerunt.

Theodoretus alia vtitur ratione, qua probet, Angelos non fuiſſe ante conditum cœlum creatos. Angeli cùm ſint definiti & circumſcripti, opus habent loco, & extra locum eſſe non poſſunt. Ergo πῶς ἐὸν τὸ περιγραφὴν οὐρανῶ, καὶ γῆς τοὺς Ἀγγέλους, οὐ γὰρ ὄντος τῶν φερόντων, πῶς ἦν ἐκεῖ τὸ φερόμενον.

Gennadius etiam contendit, minimè Angelos fuiſſe ante viſibilem mundum conditos: Hoc quidem eſſe dogma Platonis, qui cenſuerit, ante creatum mundum, fuiſſe Deos quoſdam (id eſt, præter Deum Angelos etiam) & νοητὰ τῶν αἰσθητῶν πρεσβύτερα, quia ſint meliora. Sed hanc ait rationem nullam eſſe. Nam etiam Anima corpore melior eſt, & νοητόν τι: Corpus autem αἰσθητόν: Priùs tamen corpus eſt creatum, deinde anima. Credendum igitur Moſi dicenti, *In principio*, id eſt, ante omnia, creauit Deus cœlum & terram. Si in principio, id eſt, ante omnia creatum eſt cœlum & terra: Non igitur ante cœlum conditi ſunt Angeli. Arguit Gennadius illos, qui ideò contendunt ante mundum conditos fuiſſe Angelos, vt eorum opera in condendo mundo vſum fuiſſe Deum doceant. Quaſi verò (inquit) opus habuerit Deus opera Angelorum in condendo mundo: qui nemine opus habuit in condendis ipſis Angelis. Deinde ita arguit: Omnia quę ſunt, aut creator ſunt, aut creata. Solus creator in æternitate eſt: creata omnia ſuo tempore. Tempus autem ante conditum mundum non fuit, ſed aut cum mundo, aut poſt mundum. Si igitur Angeli creati ſunt: fieri non poteſt, vt fuerint ante mundum conditum creati. Ad illud Iobi: *Quando creabam aſtra, laudabant me Angeli*. Reſpōdet Theodoretus, dicendo, *Aſtra quarto die creantur. Quid iuuantur hoc teſtimonio qui creant Angelos ante mundum?* Alij aliam adferunt rationem, à natura partium ductam. Non eſt æquū, vt perfecta pars alicuius totius à ſuo toto, maneat ſeparata & ſeiuncta: Multò verò minùs id conuenit, aut conſentaneū eſt in operibus Dei, quæ perfecta eſſe prædicantur. Non eſt igitur veriſimile, Angelos, qui præcipua & perfecta pars ſunt mundi, fuiſſe ante mundum ita conditos, vt à ſuo toto aliquandiu manſerint ſeparati. Verùm rationes ſupra tum à Patribus, tum à nobis allatæ, longè ſunt firmiora iſtā. Eadem fuit Auguſtini ſententia, tom. 3. de Geneſi ad literam, lib. 5. cap. 19. *Nulla creatura* (inquit) *eſt ante ſecula: ſed à ſeculis cum quibus cœpit: Solus Filius ante ſecula*. Quidam huc accommodant illud ex Siracide, ſeu ex Eccleſiaſtico cap. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*, hoc eſt, eodem initio, tam inuiſibilia, quàm viſibilia creauit. Sed torquetur locus. Non enim Græcè eſt *ſimul*, ſed κοινῇ, *communiter pariter*. Et intelligit, omnia pariter eſſe facta à Deo, & nihil eſſe, quod ſine ipſo factum ſit.

Non ſine cauſſa verò dixi, *ante creatam mundi viſibilis materiam*. Quoniam extra controuerſiam eſt, ante perfectum mundum creatos fuiſſe. Creati enim fuerunt ante ſeptimum diem, cùm iam perfecta fuiſſent omnia Dei opera. Ait enim Moſes ſeptimo die Deum ab omni opere ſuo quieuiſſe. Non igitur poſt ſextum diem creati ſunt. At certum eſt, antequam homo peccaſſet, iam creatos fuiſſe Angelos: Et illorum quoſdam in veritate non ſtetiſſe: ſed eiectos è cœlo, factos fuiſſe diabolos humani generis hoſtes. Nam Eua ſeducta fuit à diabolo in forma ſerpentis apparente, & loquente. Non multum autem temporis interceſſit inter hominis creationem, & eiuſdem peccatum: vt ex Moſis narratione colligi poteſt. Eſt igitur quod in Theſi propoſuimus, ſatis ſuperque manifeſtum: *Angelos neque æternos eſſe, neque ante creatam mundi materiam, neque poſt perfecta mundi viſibilis opera, ſed intra ſex dierum ſpatium, creatos fuiſſe.*

Quoro autem die, etſi certò neſcitur: probabile tamen eſt, primo die, quemadmodum aliàs demonſtrauimus. Et ad hanc confirmandam ſententiam accommodari poteſt Pſalmus 148. vbi cùm opera creationis deſcribantur, & omnia ad laudandum Deum ordine inuitentur: priùs ait, *Laudate omnes Angeli eius*: poſt Angelos verò inuitat Solem & omnia Luminaria, quæ tertio die facti ſunt, dicens *Laudate eum Sol & Luna, laudate omnes ſtellæ luminoſæ*. Sed ratio a nobis antè allata, id euincit. Nam conſtat, cùm dixit, *In principio creauit cœlum & terram*: hac propoſitione complexum eſſe omnia, tam inuiſibilia, quàm viſibilia. Non ſunt igitur ante illud principium creata inuiſibilia. Deſcribit autem in ſingulis diebus operum viſibilium duntaxat creationem. Primo igitur die creata fuiſſe inuiſibilia, innuit Moſes. Sed vt vt ſit de die, liquidò conſtat, non citiùs creatos fuiſſe Angelos, quàm mundi viſibilis materiam: eòque non eſſe vetuſtiores hoc mundo, nedum æternos. Quod ſi quis obiiciat, Chriſtum dixiſſe, *Angelos ſemper videre faciem Patris*: Semper igitur fuiſſe: Quare æternos eſſe: Reſponſio facilis eſt, particula, *ſemper*, non ſignificari æternitatem, ſed temporis perpetuitatem, vt SEMPER ſit, pro omni tempore, iam inde ab initio mundi, & deinceps continenter. At fuítne igitur Deus aliquando ſine miniſterio Angelorum, à quibus laudaretur? Quidni? Ante mundum enim conditum, nihil erat niſi Deus. Ideò verò certo tempore, annis ſcilicet abhinc nondum ſex millibus, creauit cum aliquo mundo etiam Angelos: vt ſignificaret ſe non opus habuiſſe, vel Angelis, vel creatura vlla. Quare, quòd creati ſint & illi, & nos omnes; totum hoc ex ipſius gratia & bonitate ac beneuolentia erga nos, ínque noſtrum, non in ſuum commodum, profectum & factum eſt.

Quonam loco.

IV. Quo verò in loco creati fuerint Angeli, dictum eſt pridem, nempe in *cœlo Beatorum*. Primò hoc innuit Moſes, dicendo, *creauit cœlum*, nempe & omnia, quæ in cœlo ſunt. Secundò, Petrus ait in epiſtola 2. cap. 2. *Angelos qui peccarunt,*

detruſos

detruſos fuiſſe in Tartarum. Vnde detruſi? Ex alto ſc. cœlo. Ibi igitur erant, & ibi creati ſunt: id quod etiam magis explicat Iudas verſ. 6. dicens: *Angelos qui non ſeruata ſua origine, reliquerunt ſuum domicilium, iudicio magni illius diei, vinculis æternis ſub caligine reſeruari.* Docet è loco omnium ſupremo & luminoſiſſimo (hoc autẽ eſt *cœlum*, quod *Empyræum* vocant) detruſos fuiſſe in extremas tenebras, quas *Tartari* nomine ſignificauit Petrus. Adde quòd tum ex Ieſaia, tum ex Chriſti verbis, *Vidi Satanam cadentem de cœlo*, collecta eſt atque recepta ſententia: *Angelos, qui peccarunt, recidiſſe de cœlo.* In illa igitur fuerunt creati. Atque hæc de tempore & de loco creationis.

DE QVALITATE NATVRÆ, IN QVA CREATI FVERVNT Angeli.

CAPVT VI.

HACTENVS dictum eſt de Angelorum vera & reali exiſtentia atque ſubſtantia, & an ea ſit æterna, an verò creata, Et ſi creata, quandónam & vbi creata. Nunc ratio poſtulat, vt dicamus, qualiſnam initio hæc ipſorum ſubſtantia ſeu natura, in qua creati ſunt, fuerit. Principio autem videndum, an omnes creati fuerint ex æquo boni: An verò aliqui boni, aliqui mali. Deinde, an ex æquo omnes & intellectu, & libera voluntate præditi fuerint, necne. Quod ad primum attinet, quidam ſecuti Manichæos, iudicarunt, non omnes fuiſſe ex æquo creatos bonos; ſed eos tantùm, qui ſteterunt in veritate: Qui verò in ea non ſteterunt, eos creatos fuiſſe malos & impios, quòd hos deſtinârit officio tentandi homines ad malum, & æternis pœnis luendis: idque iudicarunt, abuſi tum loco Salomonis, ex Prou. 16. *Deus omnes creauit propter ſemetipſum, etiam impium ad diem malum*: tum quibuſdam Auguſtini verbis, perperam intellectis. Sed ſi locum Salomonis ita cum Manichæis interpreteris, idem de homine affirmandum fuerit, quod de diabolis Manichæi; id quod tamen apertiſſimè pugnat cum ſacris literis: quæ tradunt, hominem creatum fuiſſe rectum, iuſtum, ſanctum, quia ad imaginem Dei: Et peccatum ingreſſum eſſe in mundum, nempe opera diaboli, non autem factum à Deo fuiſſe. Nimis igitur iniquè torſerunt locum Salomonis, qui inde conati ſunt eligere, Angelos, qui nunc mali ſunt: & *Dæmones* vocantur, creatos fuiſſe malos & impios: Et ſimul inſignem intolerabilémque fecerunt iniuriam optimo omnium Creatori. Nihil autem aliud ſignificare voluit Salomon illo dicto, quàm Deum cauſſam eſſe rerum omnium conditarum efficientem, atque etiam finalem. Omnia enim condidiſſe ipſum ad ſuam gloriam. Ac proinde etiam eos omnes, qui impij ſunt & pereunt: tam Angelos, quàm homines, ad certum finem deſtinaſſe: hoc eſt, ad ſumendum de illis propter ſua ſcelera, publicum ſupplicium: quo Dei iuſtitia in illis pateficeret. Peccatum autem & iniquitas non eſt aliquid creatum: *nec cauſſam habet* (vt ſcitè loquitur Auguſtinus) *efficientem, ſed deficientem.* Ergo licèt Deus fecerit etiam impios omnes; eorum tamen impietatem non fecit. Quare fecit quidem impium ſed quatenus homo, aut Angelus eſt: non autem quatenus impius. Abuſos etiam fuiſſe locis quibuſdam Auguſtini, inde manifeſtum eſt: quia Auguſtinus vbique contrariam huic impiæ ſententiæ, tradit doctrinam: Et concludit: voluntate propria Angelos peccaſſe: eóque non à Deo, ſed ſuę voluntatis arbitrio factos eſſe malos. Creatos enim fuiſſe liberos ad bonum, & ad malum: ſicut etiam de homine prædicatur in ſcriptura. Hæc igitur eſto Theſis.

THESIS.

Nemo Angelorum creatus fuit à Deo malus, ſed omnes ex æquo boni, verum, ſicut omnes intellectu ad cognoſcendum præditi, ſic etiam omnes voluntate ad eligendum, vel repudiandum liberi. Quare quod quidam illorum mali ſint: hoc a ſe ipſis, non autem ex Deo habere.

EXPLIC. & CONFIRM.

PRincipio, diſcrimen obſeruandum eſt, inter creatos fuiſſe bonos, & inter confirmatos in bonitate fuiſſe: illud ex æquo commune fuiſſe omnibus, contendo: hoc autẽ proprium electorum Angelorum eſſe dico. Et illud quidem habuerunt omnes, per naturam ita creatam: hoc autem habẽt electi, per gratiam propter Chriſtum in quo electi fuerunt, additam, vt poſteà ſuo loco dicemus. Nunc facilis eſt prioris membri noſtræ Theſeos probatio.

1. Gen. 1. *Omnia, quæ fecerat Deus, erant valdè bona.* Fecerat autem etiam Angelos. Omnes igitur boni ex æquo creati: Et nullus factus à Deo malus.

2. Quomodo verò à Deo ſummè bono, creari poterit aliquid, quod reuera ex ipſa creatione malum ſit?

3. Deinde, ſi exciderunt quidã, & in veritate non ſteterũt: Fuerunt igitur & ipſi creati recti, & in ipſa veritate. Proinde concludit Chriſtus, *Diabolum mendacem eſſe, & mendacij patrem*: hoc eſt, à ſeipſo habere, quoties loquitur mendacium: De ſuo (inquit) loquitur. Et Iudas ait, eos non ſeruaſſe ſuam originem. Fuerunt igitur creati boni & iuſti.

4. Deus iuſto ſuo iudicio vltus eſt ex parte peccatum Angelorum, & in fine mundi vltimum de illis, iuſtúmq; ſumet ſupplicium: vt tum Petrus in Epiſtola 2. cap. 2. tum Iudas apertè docent. Deus igitur non eos creauit malos & iniquos. Sic etiam Apoſtolus argumentatur Rom 3. *Deus iudicabit mundum, puniens iniquitates:* Non eſt igitur iniuſtus: ac proinde neque iniuſtitiæ autor eſſe poteſt, vel in Angelis, vel in hominibus.

5. Denique vbi ſcriptura docet, *Peccatum non eſſe ex Patre*, id eſt, *Deo, ſed ex mundo*, hoc eſt, ex diabolo, mundi principe: & ex hominibus impiis, qui ſæpe nomine *mundi* ſignificantur. Fieri igitur nequit, vt Deus Angelos crearit iniquos.

Huic doctrinæ ſubſcribũt Patres omnes, & Scholaſtici, & noſtri ſeculi Eccleſiæ vniuerſæ ac ſingulæ. Vnum locum adferam ex Auguſtino, tomo 3. de Geneſi ad literam, libro 11. cap. 23. *Quod igitur putatur nunquam diabolus in veritate ſtetiſſe, nunquam cum Angelis beatam vitam duxiſſe, ſed ab ipſo ſuæ conditionis initio cecidiſſe non ſic accipiẽdum eſt, vt non propria volũtate deprauatus, ſed malus à bono Deo creatus putetur: alioquin non ab initio cecidiſſe diceretur. Neque enim cecidit, ſi talis eſt factus, ſed factus continuò ſe à luce veritatis auertit: ſuperbia tumidus, & propria poteſtatis delectatione correptus.*

II. Hinc facilè cõfirmatur alterum noſtræ Theſeos membrum de natura Angelorum: *omnes nimirum à ſui creatione, præditos fuiſſe facultate intelligendi & iudicandi: tum vt liberè eligendi, vel repudiandi, tam bonum quàm malum.*

1. Si enim, cùm omnes creati eſſent boni, & in veritatẽ collocati, quidam eorum à veritate & bonitate exciderunt; aliis in veritate permanentibus, id verò fieri non potuerit, niſi per liberum arbitrium (omne enim peccatum, aut originale eſt, aut actuale: Actuale autem per liberum fit arbitrium: Originale verò nullum fuit aut eſt in Angelis:) efficitur neceſſariò, angelos omnes ab initio ſuæ creationis, naturæ fuiſſe & intellectualis, & libera voluntate prędi-tæ. At certè Chriſtus, cùm de diabolo ait, *in veritate non ſtetit*: docet, veritatem à diabolo fuiſſe cognitam: ſed in ea illũ permanere noluiſſe. Ergo & intellectu, & voluntate præditus fuit.

2. Præterea dignioris & præſtantioris naturæ ſunt angeli, quàm homines, vt non ſolùm Philoſophi docent, verùm etiam ſacræ literæ prædicant: Atqui dignitas naturæ hominis in hoc potiſſimum conſiſtit, quod intellectu & voluntate libera præditus eſt.

3. Denique hanc naturam eſſe angelorũ, euincunt eorum officia, ad quæ deſtinati & creati fuerunt. Quomodo enim Angeli ſeu nũtij eſſe poſſunt, quomodo nos conſolari, nobis volũtatem Dei ſignificare, præſidere vrbibus, adeſſe ſingulis hominibus, prædicere & prænunciare futura: lætari ſuper vno peccatore pœnitentiã agente; aſſumere corpora, & cum hominibus loqui, denique laudare & celebrare Deum, ſi neque intellectu, neque libera voluntate præditi ſunt? Rationes Philoſophicas hîc omitto, quoniam res ita perſpicua eſt è ſacris literis: & apud omnes ſapientes etiam Philoſophos extra controuerſiã eſt: vt ſi diutiùs in hac cõfirmanda velim immorari, non ſine magna culpa & reprehenſione id facturus ſim.

Quare firmum hoc manere debet, non ſolùm neminem Angelorum creatum fuiſſe malum, ſed omnes ex æquo bonos: verùm etiam & intellectu, & libera voluntate præditos omnes fuiſſe: ac proinde quòd quidam in veritate non ſteterint, hoc ex illorum libera voluntate profectum eſſe; Sicut etiam de primo homine, ſuo loco, Deo fauente, dicetur. Ac ex æquo omnes fuiſſe creatos bonos ac iuſtos; omnéſque ex æquo intellectu & voluntate libera præditos, diſertè ſcribit Auguſtinus tomo quarto in quæſtioni-

bus ad Oroſium: q.37. & tomo 5. de Ciuitate Dei, lib.12.c.1. & deinceps.

III. Quamdiu autem in illa, in qua creati fuerunt, permanſerint veritate & bonitate, è ſacris literis facilè colligi poteſt, non diu admodum permanſiſſe. Iam enim demonſtratum eſt, angelos ante Mundum conditos non fuiſſe, ſed intra ſpatium ſex dierum. Conſtat etiam ante peccatum Adæ cecidiſſe Angelos, & defeciſſe à veritate. Malus enim Angelus in ſerpente tentauit & ſeduxit Euam. Quandiu igitur permanſerunt in veritate? Parum admodum: vt verè dixerit Auguſtinus, *paruam morulam intercedentem fuiſſe inter ipſorum creationem & lapſum*. Huc facit quod Chriſtus ait, Iohan.8. *Eum à principio defeciſſe à veritate, & fuiſſe mendacem & homicidam.* Nota illud, *à principio*. Hinc apparet, licet omnia creata ſint à Deo valde bona: valde tamen ſit cuiuſque creaturæ ad peccandum & ad malum propenſio. Nam ſi (vt apud Iobum) etiam in Angelis reperit prauitatem: quid mirum, ſi in nobis etiam inueniatur? Sed de iis aliàs.

DE ANGELORVM MVTABILITATE ET IMMVTABILITATE.

CAPVT VII.

Dvo hac quæſtione proponuntur: vnum, an quo ad ſubſtantiam angeli mutabiles ſint: quod idem eſt, ac ſi dicas, an naturę ſint incorruptibilis & immortalis: alterum, an quoad qualitates, tam bonas, quàm malas mutabiles ſint: hoc eſt, An à bono ad malum, vt Angeli boni, aut à malo ad bonum, vt Angeli mutati poſſint. Ad vtrumque quæſtionis membrum, omiſſis Philoſophorum ſententiis, variiſque opinionibus: ego hac vna & breui reſpondeo Theſi.

THESIS.

Angeli, tam mali, quàm boni, etſi tum natura ſunt incorruptibiles, & immortales, tum etiam à ſtatu, in quo iam ſunt, mutari amplius non poſſunt: tamen neque ſimpliciter, neque per ſe, incommutabiles ſunt, dici poſſunt: Cùm proprium Dei ſit ſimpliciter & per ſe incommutabilem eſſe.

THeſis hæc explicatione magis, quàm confirmatione opus habet. Principio itaque, quod ad ipſorum ſubſtantiam attinet, dicimus, *Angelos natura eſſe incorruptibiles & immutabiles*: propterea quòd Angeli ſubſtantiæ ſunt, & omnis materiæ expertes, & ab omnibus contrariis qualitatibus alienæ. Hęc autem duo, cauſſæ ſunt intrinſecæ corruptionis rerum: compoſitio ſcilicet ex materia, & forma, & qualitatum in eodem ſubiecto contrarietas: quemadmodum in omnibus, quæ corruptioni obnoxia ſunt corporibus, apertè videmus. Angelos igitur ſua natura propriè eſſe incorruptibiles & immortales, cùm in ipſis cauſſa non inſit corruptionis & mortis, manifeſtum eſt. Simpliciter tamen incommutabiles eſſe, & nullo modo interire poſſe; minimè dicimus.

Cùm enim creaturæ ſint ex nihilo conditæ; in nihilum etiam redigi poſſunt ab illo, à quo conditæ ſunt: nempe ſi ſuam duntaxat manum, qua omnia ſuſtentat, ab illis amoueat. Atque hoc eſt, quod Damaſcenus ait, Πᾶν κτιστὸν τρεπτόν ἐστι. Proinde ſolus Deus ſimpliciter dicitur & eſt immutabilis: quia creatus non eſt, ſed omnium creator: neque eſt Ens participatione, ſed per ſe Ens. Huc ſpectat & illud Auguſtini ex tomo 3. de Geneſi ad literam, lib.4. *Sicut in potentia creatoris fuit, vt res eſſent, antequam eſſent in ſeipſis: ita in potentia creatoris eſt, poſtquam ſunt in ſeipſis, vt non ſint.* Optimè igitur hæc duo cohærent: Angelos & naturæ eſſe per ſe incorruptibilis: neque tamen ſimpliciter eſſe ab omni corruptione alienos. Diuerſi enim ſunt reſpectus, diuerſæque cauſæ propter quas vtrumque verum eſt, ſicut iam declaratum fuit & explicatum. Proinde retinenda eſt hæc diſtinctio, aliquid mortale, eóque & corruptibile dici poſſe bifariam: aut per potentiam paſſiuam, quæ in ipſo eſt, corruptioni obnoxium eſſe dicitur: aut per potentiam actiuam, quæ ſit in altero, vnde illius vita & Eſſe dependet. Etſi enim in Angelorum natura nulla propriè eſt potentia paſſiua, propter quam dici poſſint corruptibiles & mortales: propter potentiam tamen Dei actiuam, à quo illorum eſſe & vita dependet, ſimpliciter incorruptibiles dici non poſſunt: quoniam, ſi Deus manum ſubtrahat ſuam, illa ſtatim corruant & pereant, neceſſe eſt. Illud tamen verum eſt, vnumquodque à cauſſa propinqua & intrinſeca denominari, non autem à remota & externa. Non enim vocamur *filij Solis*, quàmquam ad generationem noſtri ipſe concurrat: ſed *filij Petri, Martini &c.* proinde veriùs & magis propriè Angeli vocantur incorruptibiles & immortales, quia tales ſunt natura, quàm propter Dei potentiam, corruptioni aut morti obnoxij. Hoc iam eſt perſpicuum.

Secundo loco diximus, *Angelos, à ſtatu, in quo iam ſunt, tam bonos, quàm malos amoueri & mutari amplius non poſſe.* Hoc contrario modo intelligendum eſt, quàm ſuperius membrũ. Quòd enim incorruptibiles & immortales dicũtur; hoc habent à qualitate naturæ, qua donati ſunt à Deo in creatione: Ideò ſua natura incorruptibiles & immortales ſunt. At verò, quod à ſtatu, in quo ſunt, mutari iã nequeãt: hoc eſt illis ex Dei gratia, voluntate atque decreto. [illegible] confirmauit bonos in gratia, pietate, felicitate, vt excidere ab illa, & fieri mali atque infelices, ampliùs non poſſint. Cõtrà verò ita deſeruit malos, iuſto ſuo iudicio, in ſua malitia, & eos in ſua ipſorum miſeria ac infelicitate firmauit, vt nequeant ampliùs vel fieri boni, vel [illegible]. Cæterũ ſua natura & boni mutari poſſunt in malos: & mali capaces adhuc eſſent boni & felicitatis, ſi Deus vellet illis ſua adeſſe gratia. Proinde adiecimus, ad hanc partẽ quod attinet, eos non eſſe per ſe & ſimpliciter incommutabiles. Sua enim natura ſemper mutabiles ſunt, tum à malo in bonum, tùm à bono in malum: propter potentiã ipſorum paſſiuam, qua mutari nõ poſſunt quanquã diuerſa ratione. Nam boni à bono ad malũ deficere poſſunt per ſe: mali verò à malo ad bonum mutari non poſſunt, niſi per gratiam Dei. Satis iam credo explicatam eſſe Theſim.

II. Nunc confirmandæ huius Theſeos gratia, aliquot ſubdo rationes & teſtimonia. Ac primum quidem, Angelos omnes ſua natura incorruptibiles & immortales eſſe, docet Chriſtus cùm ait Matthæi vigeſimo ſecundo cap. *In reſurrectione*, ſeu in altero ſeculo poſt reſurrectionem, *futuros nos, ſicut ſunt Angeli Dei*, hoc eſt, nos, noſtráque corpora futura omnis corruptionis expertia: quoniam ibi neque nubemus, neque ducemus vxores: ac proinde neque edemus, neque bibemus reficiendi corporis cauſſa: Sicut neque Angeli iis rebus opus habeant incorruptibiles cùm ſint. Vnde Theodoretus Epiſcopus, ex iis verbis ſic intulit: *Angelos ergo, neque vt Græcorum Poetæ & Philoſophi, in Deos referimus: nec in maſculinum & fœmininum ſexum, incorpoream naturam diſtinguimus. Immortalis enim natura ſupernatura eſt generis diuiſio. Neque enim incremento opus habent: cùm non diminuantur.* Hæc ille.

Firmis etiam rationibus eadem cõfirmatur doctrina: quæ certè rationes ad probandam, non tam Angelorum, quam animarum noſtrarum immortalitatem & ἀφθαρσίαν, valent. Has ego breuiter perſtringam.

1. Angelicæ ſubſtantiæ & animæ humanæ, non ſunt ex materia & ex forma: ſed formæ ſunt ſimplices ac per ſe ſubſiſtentes. Corruptioni igitur naturaliter obnoxiæ non ſunt. Omnis enim corruptio per ſeparationem formæ à materia fit: idque aut ſimpliciter, vt cùm forma ſubſtantialis à materia ſeparatur, putà anima à corpore, quę corruptio, mors appellatur: aut κατά τι, vt cùm forma accidentalis, putà albedo, vel valetudo ſeparatur à ſubiecto, atque hæc obtinuit, vt *corruptio ſecundum quid* vocetur. Quęcunque igitur materia carent: ea incorrupta ſint oportet.

2. Eſſe competit per ſe Angelis & omnibus intellectualibus ſubſtantiis, quia per ſe ſubſiſtunt. Quod autem alicui rei per ſe competit, illud ab ea re ſeparari non poteſt: Vt eſſe rotundum per ſe competit circulo: ac proinde circulus eſſe non poteſt, quin etiam ſit rotundus: nec homo eſſe poteſt, quin ſit etiam ratione præditus. Non poſſunt igitur Angeli & animæ humanæ ſubſtantiæ eſſe per ſe ſubſiſtentes: quin enim immortales & incorruptibiles ſint: propterea quòd ſeparari ab illis non poſſit τὸ εἶναι, quod per ſe illis competit.

3. Denique Angeli, & animæ humanæ, non ſunt ex præcedentis materiæ potentia productæ, quemadmodum ſubſtantiæ corporeæ, animæque brutorum: quæ de potentia materiæ, vt loquuntur Philoſophi, educuntur: Sed ſubſtantiæ omnes intellectuales, ex ſola Dei ſunt potentia, qui eas immediatè creauit. Ergo nullius etiam niſi Dei ſolius potentia priuari poſſunt hoc ESSE, & ſua vita. Nam per eandem duntaxat potentiam, vnaquæque res accipit ſuum Eſſe, per quam etiam ſolam accepit, vt eſſet. Cùm igitur in ipſis

Angeli

Angelis nulla inſit cauſa corruptionis, ſed à ſola extra eſſentiam ipſorum poſita Dei potentia, in nihilum redigi poſſint: manifeſtum eſt, eos ſua natura incorruptibiles & immortales eſſe. Suâ naturâ, inquam, ac proinde non ſimpliciter, quoniam Dei potentia euerti poſſunt, vt dictum eſt, ſi tantummodo ſuam manum, qua omnia ſuſtentat, ab eis ſubducat. Atque hac de cauſſa dici poſſunt, & naturæ eſſe incorruptibilis atque incommutabilis, quia cauſſa corruptionis in ipſis nulla eſt: Et tamen impropriè eſſe corruptibiles; quia cùm ſint res creatæ, redigi in nihilum à creatoris potentia poſſunt. Παρ᾽ ὀλίγον, πλὴν οὐκ ἔστι.

III. Ad alterum verò quod attinet membrum noſtræ Theſeos: *Angelos, etſi à ſtatu, in quo iam ſunt, amoueri ampliùs non poſſunt, non eſſe tamen ſimpliciter & per ſe incommutabiles, ſed ſua natura mutabiles*: manifeſtum fit primò ex eo, quòd cùm omnes eſſent in veritate, quidam à Deo auerſi, in illa non perſtiterunt, nec perſtare voluerunt: alij verò Deo adhærentes, in ea ſoli permanere, quàm multorum ſequi exemplum maluerunt. Creati igitur fuerunt mutabiles. Secundò, huic ſententiæ Patres ſubſcribunt. Auguſtin. tomo 1. lib. de vera Religione, capite decimotertio: *Fatendum eſt enim etiam Angelos natura eſſe mutabiles, ſi ſolus Deus eſt incommutabilis: ſed ea voluntate, quo magis Deum, quàm ſe diligunt, firmi & ſtabiles manent in illo.* Idem Auguſtinus tomo 3. De Fide ad Petrum, cap. 23. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam: nec tamen poſſe, quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari: quia ſic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo ſtabiliter perfruuntur, vt ea carere non poſſint: ſed hoc ipſum, quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt gratia diuina largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum conſortio diabolus & eius Angeli cecidiſſent.* Idem habetur eodem tomo 3. libro De Eccleſiaſt. dogm. cap. 61. *Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore fixæ perſtiterunt, lapſis ſuperbientibus Angelis, hoc munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine ſurripientis culpa mordeantur; vt & in contemplatione conditoris ſine felicitatis fine permaneant, & in hoc ſic condita, æterna ſtabilitate perſiſtant.* Item tomo quinto De ciuitate Dei libro 12. cap. 1. & deinceps, capite primo, litera C, ſic ait: *Dicimus itaque immutabile bonum non eſſe, niſi vnum verum Deum beatum: Ea verò, quæ fecit, bona quidem eſſe quod ab illo: Veruntamen mutabilia, quòd non de illo facta ſunt.* Hieronymus tomo 9. in Epiſtolam ad Galatas cap. 1. pag. 161. *Angelos quoque eſſe mutabiles* (nouimus) *qui non ſeruauerunt principatum ſuum.* Item, *Dei ſolius nomen,* eſſe immutabile, *deſcribitur; Tu verò idem ipſe es. Et ipſe de ſe ait: Ego Deus veſter, & non mutor.* Hic etiam nihil eſt ambigui: quare ad alia pergendum eſt.

DE APPARITIONIBVS ANGELORVM.

CAPVT VIII.

De apparitionibus Angelorum hæc quæruntur. Primùm, *An verè ad nos veniant, an verò mera ſint phantaſmata, quæ apparent:* deinde *ſi verè apparent Angeli, an vera aſſumant corpora: Quod ſi vera, vndenam, & qualia ſumant, quidve de illis fiat, cùm redeunt Angeli in Cœlum.*

Ad primum quod attinet: Quidam iudicarunt, Angelos nunquam corpora aſſumſiſſe, aut reuera cuiquam apparuiſſe: ſed quæ de horum apparitionibus leguntur in ſacris literis, ea omnia intelligenda eſſe prophericè, hoc eſt, iuxta illas viſiones, de quibus Numeri duodecimo capite, & ſæpè apud Prophetas: non autem, quòd Angeli reuera è cœlo ad alios deſcenderint, & cum eis locuti ſint. Spectra tantummodò fuiſſe, quæ ſanctorum aut mentibus duntaxat, vt in ſomnis & in ecſtaſi poſitis, aut etiam oculis corporeis, vt in vigilia à Deo offerebantur, & è quibus eos alloquebatur, quaſi Angelus aliquis. Verùm ſententia hæc nimis apertè pugnat cum ſacris literis; quæ permultas Angelorum apparitiones eius generis recenſet, quæ ſimpliciter ſpectra eſſe non potuerunt: Scriptura dicente, *fuiſſe Angelos à Deo miſſos*: quales illi, qui apparuerunt Abrahæ, quibus ipſe lauit pedes, quibus præbuit cibum, qui Lothum vi eduxerunt è Sodomis: quales etiam illi, per quorum miniſterium data fuit lex in Tabulis ſcripta in manum Moſis. Hæc certè non fuerunt ſomnia, neque viſiones Propheticæ: Talia exempla in nouo etiam Teſtamento ſunt permulta. Eſt igitur nimis impudens error iſte, quo negatur Angeli verè & re ipſa aliquando in forma viſibili apparuiſſe ſanctis Patribus: ſed eos ſemper in ſomnis & viſionibus Propheticis apparuiſſe, nonnulli contendunt. Alij præter Prophetica ſomnia & viſiones, concedunt apparuiſſe Angelos, ſed in corporibus phantaſmaticis, quæ ſcilicet viderentur vera eſſe corpora, cùm tamen non eſſent, apparuiſſe nugantur. quale corpus ipſi etiam Domino noſtro Ieſu Chriſto affinxerunt Marcionitæ & Manichæi: Viſum enim eum fuiſſe Iudæis verum habere corpus humanum: cùm reuera non haberet: quale etiam Apoſtoli iudicarunt eſſe poſt reſurrectionem, cùm ingreſſus in cœnaculum, clauſis ianuis, illis apparuit, & ſalutem dixit.

Talia igitur corpora putant nonnulli aſſumi ab Angelis, ſiue bonis, ſiue malis, quæ non ſint vera & ſolida corpora humana; ſed ſpecies quædam & ſimulacra corporum humanorum: Ac proinde videri quidem eos comedere, bibere, & alia veri humani corporis effecta præſtare, cùm tamen non ita ſe res habeat: ſed illudant potiùs hominibus, & eorum oculis, ac phantaſiæ imponant. Et huc trahunt illud Angeli Raphaëlis ex Tob. 12. verſ. 19. *Omnibus diebus apparebam vobis: neque tamen comedebam, neque bibebam, ſed vobis ita videbatur*: vel, vt habet vulgata editio, *videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* Cæterùm hæc ſententia eodem modo refellitur, quo prior. Apparet enim non fuiſſe illuſum Abrahæ ab Angelis, cùm ipſe vigilans eis lauaret pedes, & cum eis ederet: Neque Iacobo, cùm luctaretur cum Angelo, ex qua luctatione manſit ſemper claudus. Atque idem de permultis alijs dico. Proinde, cùm iſtæ contrectationes, luctationes, & ſimiles actiones, non fuerint illuſiones, ſed veræ corporeæ actiones: efficitur, corpora quoque illa, in quibus apparebant Angeli, fuiſſe vera corpora; non autem phantaſmatica. Sic enim Chriſtus eadem ratione demonſtrauit diſcipulis, ſe non eſſe ſpiritum aliquem, cum corpore phantaſmatico, ſed ſe eſſe illum verum Ieſum, qui fuerat crucifixus cum ſuo vero corpore. Quid ita? nempe, quia ſpiritus carnem & oſſa vera non habet, ſicut Apoſtoli re ipſa cernebant & tangebant illum habere. Denique quibus rationibus Tertullianus in lib. De carne Chriſti, & alij Patres euicerunt contra Marcionem & Manichæos, Chriſtum habuiſſe verum corpus: earum permultis nos quoque concludimus, Angelos ſæpè in veris apparuiſſe corporibus.

Ad id, quod afferunt ex Tobia, reſpondet Auguſtinus, tomo 5. de Ciuitate Dei lib. 13. cap. 22. Angeli verba ſic eſſe intelligenda, non quòd oculis impoſuerit Tobiæ, & reliquorum, ſed quòd non ederit eo modo, quo ipſi vel edebant, vel illum edere putabant: nempe neceſſitate nutriendi corporis. Cibos enim, etſi verè dentibus frangebat & edebat Angelus: non tamen eos concoquebat & in alimentum vertebat; ſed diuina virtute conſumebat: qua de re in ſequenti capite dicemus. Alij itaque fatentur, Angelos in veris corporibus, verè & realiter apparuiſſe Patribus: ſed nolunt tamen, Angelos aliena ſumſiſſe corpora, neque etiam noua à Deo creata, eos induiſſe: ſed in ſuiſmet corporibus apparuiſſe. Sua enim quæ habent ſubtiliſſima corpora, ſua potenti virtute, pro ſuo arbitrio, è ſubtiliſſimis, denſiora feciſſe, vel in craſſiorem & viſibilem formam conuertiſſe, atque ita apparuiſſe. Sentiunt enim Angelos, ſua quæ habent corpuſcula, poſſe in quod velint, transformare, & ad id, quod agunt, accommodare. Et huc accommodant dictum Apoſtoli, qui ait, 1. Cor. 11. *Satanam transfigurare ſe in Angelum lucis.* Poſſe itaque illos ſua corpora ſuapte natura ſubtiliſſima ac tenuiſſima, & nobis inuiſibilia, denſiora facere & viſibilia: eáque vel in formam ſtellæ, vt quæ Magos duxit: vel ignis, vt currus igneus Heliæ: vel nubis, vel columbæ, vel cuiuſuis animalis, & præſertim humani corporis, transformare; Et ita diabolos incubos cum mulieribus coiiſſe, ſuis corporibus, ſed craſſioribus effectis, & ad eum vſum accommodatis. Sed hæc ſententia, primùm facilè reiicitur, ab illis, qui ſentiunt, Angelos ſimplices eſſe ſpiritus, & nulla prorſus habere corpora. Deinde, licèt demus, præditos eſſe ſuis tenuiſſimis corporibus; admitti tamen non poteſt hæc opinio: nempe, ea tenuiſſima corpora fieri poſſe pro arbitrio Angelorum, & craſſiora, & viſibilia. Forent enim alterationi & corruptioni obnoxia, quæ certè in Angelorum ſubſtantiam, vt antè viſum eſt, non cadit. D. Auguſtinus tomo tertio, de Trinitate libro 3. cap. 1. ait, excedere vires intentionis ſuæ, nempe definire, an hoc modo Angeli appareant, ſua ſcilicet transformando corpora, in quod velint, & ad id, quod agunt accommodando. Sed, meo iudicio, fieri hoc non poteſt, quin (ſicut dictum eſt) alterationi obnoxia fiant Angelorum corpora. Quòd

citant ex Apoſtolo, illo abutuntur dicto. Paulus enim loquitur de transfiguratione, non ſubſtantiali, quaſi verò diabolus transfiguret ſubſtantiam formámve ſui corporis, in formam corporis Angelici beati: ſed loquitur de transfiguratione, qua miris impoſturis, coloribus, ſuperſtitionibuſque ſimulat hominibus, ſe Angelum eſſe lucis, à Deo miſſum è cœlo. ſua igitur audienda eſſe conſilia. Quare nihil concludunt ex hoc loco de transformatione corporum Angelicorum, in corpora viſibilia & craſſiora. Alij igitur ſenſerunt Angelos vera aſſumpſiſſe corpora & in eis apparuiſſe, ſed ea non fuiſſe talia, qualia eſſe hominibus videbantur, putà verè humana. Fuiſſe enim aërea, vel ignea, vel aquea: ſed denſiora aëre, igne, aquis, effecta. Atque hanc ſententiam quidam è Scholaſticis ſequuntur. Hinc verò Tranſſubſtantiatores ſuam conantur confirmare. *Tranſſubſtantiationem.* Aiunt enim, ſicut Angeli ſæpè videbantur habere corpora verè humana, cùm tamen talia non eſſent, qualia eſſe videbantur: Sic etiam panis & vinum in Miſſa (vt loquuntur) etſi poſt ipſam etiam conſecrationem videtur adhuc eſſe panis & vinum; reuera tamen non ſunt, ſed ipſiſſimum corpus Chriſti: Falluntur enim (inquiunt) ſenſus noſtri. Cæterùm, quia hæc ſententia aliquam impoſturam tribuit Angelis, quæ licet in diabolis admitti poſſit, in bonis tamen nullo modo admitti debet, idcircò hæc etiam refellitur, quippe quæ nullum habet fundamentum in ſcripturis, neque firmis, neque verè probabilibus nititur rationibus. Non inficior, quin ſæpè fallantur noſtri ſenſus, nempe in eis obiectis quæ communia ſunt multis ſenſibus, vt in numeris, magnitudinibus, figuris, quemadmodum apparet in magnitudine corporis ſolaris, cùm tamen longè maius ſit, quàm apparet: & vt liquet, in figura remi, qui in aquis inflexus videtur, cùm ſit tamen rectus: Sed in obiectis cuiúſque ſenſus propriis, ſi neque ſenſus ſint corrupti, neque obiectum nimis procul diſtans, neque aliud adſit impedimentum, quo vera ſenſatio impediatur, dico & phyſicè contendo, proprios ſenſus nunquam decipi: & qui contrarium dicit, dignus eſt plagis: Sicut de Zenone, qui dicebat, *nihil reuera moueri, etiamſi nobis omnia moueri viderentur*, ſcribit Ariſtoteles. Quid enim hoc aliud eſt quàm apertum negare ſenſum, quo nihil certius eſt? Cùm itaque in Cœna Domini certo viſus ſenſu videam panem eſſe panem: & certo guſtus ſenſu eundem percipiam eſſe panem: quę eſt iſthæc inſania, vt dicas non eſſe panem, etiamſi iis ſenſibus videatur eſſe panis; & ſenſus ipſos omnes falli? Idem de corporibus Angelorum dico. Manifeſtè Abrahamus pedes Angelorum videndo & contrectando: ſentiebat humana illa eſſe corpora. Fieri igitur nequit, quin verè hamana habuerint corpora: alioqui neque Chriſtus Apoſtolis ex vero ipſorum contactu, quo ſenſerunt, eum habere carnem, & oſſa & cicatrices, rectè concluſiſſet, ſe ſuum verum & naturale corpus habere. Quare hæc etiam quarta ſententia de corporibus Angelorum, meritò à doctis, & inprimis à Tertulliano lib. De carne Chriſti, refellitur: Et docent, angelos non ſolùm vera habuiſſe corpora, ſed verè talia, qualia eſſe à rectè videntibus & ſentientibus iudicabantur. Hæc igitur eſto Theſis:

THESIS II.

Angeli, qui à Deo ad Patres mittebantur quemadmodum ſæpè in ſomnis & viſionibus Propheticis, ſine veris corporibus apparebant, & loquebantur: Sic etiam nonnunquam aſſumptis veris, & talibus, qualia ab hominibus rectè ſentientibus & iudicantibus eſſe credebantur, corporibus, iiſque vel ex nihilo a Deo creatis: vel ex praiacente materia formatis: vel denique naturalibus, quę anteà quoque extiterint, ſibi copulatis apparere ſolebant.

EXPLICATIO.

PRimùm, tres hîc notantur modi, quibus Angeli apparebant Patribus: Vnus, in ſomnis: alter, in viſione, ſed in ecſtaſin Prophetis extra ſe raptis, ſine vero quidem corpore, ſed tamen non ſine aliqua corporis figura, & ſpecie: tertius; in manifeſta veri corporis aſſumtione. Omnes ij tres modi exprimuntur Numeri duodecimo capite. Deinde tres etiam modi indicantur, quibus in veris corporibus apparebant: nempe, aut in corporibus è nihilo creatis: aut in corporibus ex præexiſtente materia, tunc primùm formatis: aut in alienis corporibus naturalibus, quæ antè fuerunt. De primis duobus non eſt opus exemplis. Nemo enim pius negat, quin vtrumque & fieri poſſit, & ſæpe factum ſit. De tertio exempla extant. Geneſeos 3. cap. Diabolus in vero ſerpente, qui creatus à Deo fuerat, apparuit Euæ, & eam ſeduxit, Angelus bonus in aſina Bileam locutus eſt Bileamo. Zacharias ait, *Angelum fuiſſe locutum in ſe.* docens, interprete Auguſtino, Angelum in ſuum ingreſſum fuiſſe corpus, & in ſe ſibi locutum fuiſſe. Illabuntur enim Angeli, tam boni, quàm mali, etiam in noſtra corpora, vt manifeſtum eſt.

Multis porrò hæc omnia rationibus confirmantur, maximè à Tertulliano lib de carne Chriſti.

1. Scriptura narrat, exempli cauſſa, Angelos ita in forma virorum apparuiſſe Abrahæ, vt ex viſu, colloquio, & contactu ſenſerit eos vere corporatos fuiſſe, & quidem humanis præditos fuiſſe corporibus: Et hanc ob cauſſam, *viros* etiam appellauit. Senſus autem bene diſpoſiti atque affecti, in ſuis obiectis commodè propoſitis, non falluntur. Ergo licèt in iudicio, quod nempe de illis Angelis initio fecerat Abrahamus, cùm ſcilicet à ſenſu tantùm externo iudicauit, veros eſſe homines, falſus fuerit, tamen in eo, quod ſenſus perceperunt, eos nimirum vera, & quidem humana habere corpora, minimè falſus deceptúſve fuiſſe dicendus eſt. Quare verè humanis præditi fuerunt corporibus Angeli illi, inter quos vnus erat ipſe Filius Dei Ieſus Chriſtus.

2. Quin hoc tanquam in confeſſo etiam apud Marcionem poſitum ſupponebat Tertullianus, & inde arguebat: Si Angeli qui inferiores ſunt Deo, vera & verè humana aſſumebant corpora, inque illis apparebant Patribus, Abrahæ, Lotho, Iacobo & aliis: Quid igitur cauſſæ eſt, cur non idem concedatur Filio Dei, illum ſcilicet veram ſumpſiſſe carnem, & verum hominem effectum eſſe, vt ſcriptura docet?

3. Contendit Tertullianus Spiritum ſanctum, cùm apparuit ſuper Ieſum in Baptiſmo, veram, non fictitiam, aut phantaſticam ſumſiſſe columbam. Inde arguit: Quidni igitur & Filius Dei, veram ſibi carnem hypoſtaticè vniuiſſe credendus eſt? Ac ſicut Spiritus veram aſſumendo columbam. non deſiit eſſe, quod erat, nempe ſpiritus: Ita neque Filius Dei, verus fiens homo, deſiit eſſe, quod erat, nempe Filius Dei, Deus. Non me latet, inter Scholaſticos fuiſſe, qui negârint illam columbam, veram fuiſſe columbam. Et contenderint, corpus fuiſſe aëreum, in formam columbini corporis denſatum: ſed ſententiæ Tertulliani ipſe etiam Auguſtinus *Tom.3. de Agone Chriſtiano*, c.22. ſubſcribit, dicens: *Sicut Chriſtus verum ſuſcepit corpus humanū: ſic Spiritum ſanctum verum columba corpus ſuſcepiſſe, vt neuter homines falleret: quāquam Chriſtus corpus de fœmina natum: Spiritus ſanctus antè corpus, non de columba natum: ſed à ſe formatum, veruntamen colūba corpus ſuſcepit. Eadem igitur ratione dicimus, Angelos, vt ne fallerent Abrahamum, & reliquos Patres: vera & verè humana corpora aſſumſiſſe, cùm in illorum formis apparuerunt.*

4. Idem Tertullianus libro tertio contra Marcionem, à tribus ſenſibus, viſu, tactu, auditu, euincit. Chriſtum. cùm apparuit Apoſtolis poſt reſurrectonem, habuiſſe ſuum verum corpus, non autem phantaſticum. Idem igitur nobis de corporibus Angelorum ex iiſdem ſenſibus, quibus Patres ea perceperunt. concludere licet.

5. Proinde Apelles hæreticus victus rationibus Tertulliani, concedebat, Chriſtum habuiſſe quidem veram carnem, ſed eam negabat natam. Delatam verò è cœlo fuiſſe aiebat. Et hoc inde contendebat, quòd etiam corpora, quæ aſſumebant Angeli, vera quidem erant corpora: ſed non erant ex fœminis nata. *Ergo* (inquiebat) *concedam etiam. Chriſtum corpus verū habuiſſe: ſed nō inde efficitur, illud ex fœmina conceptum & natum eſſe.* Verùm Tertullianus optimè refutat argumentum, à cauſſis diuerſis, propter quas Chriſtus factus eſt homo: & propter quas Angeli aſſumebant humana corpora. Quod idem fecit & Auguſtinus tomo tertio, de Agone Chriſtiano. Sed non eſt præſentis inſtituti, eas referre reſponſiones: ſatis ex rationibus Tertulliani fuiſſe euictum Apellem; nempe Chriſtum habuiſſe verè humanum corpus: Et inde etiam concludi, non eſſe rem abſurdam, Angelos vera ſumpſiſſe corpora, & talia quidem, qualia eſſe videbantur, nempe humana: quanquam corpus Chriſti natum ſit de fœmina: Angelorum autem nata non ſint, ſed aut formata ex præiacente materia, aut è nihilo creata.

IV. Quòd ſi interroges, fuerúntne propterea Angeli veri

homines.

homines, quia vera aſſumebant humana corpora? Reſpondeo, ſicut ſcriptura eos vocat, ſic etiam Patribus viſos fuiſſe, viros eſſe, propter veram humani corporis formam in qua apparebant: Interim tamen veros non fuiſſe homines, ſicut contrà Chriſtus fuit verus homo, inde liquet: quia Angeli illa corpora non ſicut Chriſtus humanam naturam quaſi hypoſtaticôs, aſſumſerunt & copularunt: ſed ea, vt Auguſtinus ait, tanquam veſtes ſumebant & deponebãt: quemadmodum etiam fecit Spiritus ſanctus de corpore columbæ. At (inquies) Angeli igitur finxerunt ſe eſſe homines, humanorum corporum aſſumtione, cùm tamen non eſſent, eoque mentiti ſunt, & impoſuerunt Abrahæ, & aliis Patribus, qui eos putarunt eſſe homines. Eſt autem abſurdum impingere ſanctis Angelis mendacium & impoſturam. Reſpond. Falſi quidem fuerunt Patres, cùm ex verè humanis corporibus, quæ aſſumebantur ab Angelis, Angelos ipſos homines eſſe putabant: ſed Angeli non fallebant Patres, nec quidpiam illis mentiebantur. Non enim ideò aſſumebant corpora humana, vt ſimularent ſe eſſe homines, ſed tantùm vt cum hominibus familiariter colloqui, & ſuum miniſterium, ad quod miſſi erant a Deo, perficere poſſent: imo poſtquam apparuiſſent, & cœpiſſent cum Patribus loqui, diſertè ſoliti erant dicere, aut alia ratione declarare, ſe Angelos eſſe à Deo Iehoua miſſos. Ergo licèt initio iudicarentur ab hominibus eſſe homines: tamen, cùm ipſi non dicerent ſe homines eſſe: ſed contrà explicarent, ſe eſſe Angelos Dei: nullum poteſt illis attribui mendacium, neque fictio. Deinde non omnis etiam fictio improbari poteſt, cùm ſine mendacio, & ſine aliorum fraude aut iniuria fieri poſſit. Nam etiam Chriſtus apparuit Mariæ *in forma hortulani*: Et diſcipulis *in forma habituque peregrini*: & fingebat, *ſe longiùs iturum*. Quis tamen dicat Chriſtum mentitum eſſe, aut impoſtorem fuiſſe: Idem de Angelis, dicendum eſt. In eo igitur, quòd apertè præ ſe ferebant Angeli nempe ſe vera habere corpora non fallebant Patres. In eo autem, quòd Patres ex verè humanis corporibus, quibus induti erãt Angeli, ſuo iudicio colligebant, eos eſſe homines, fallebant ipſi ſeſe, non fallebantur autem ab Angelis. Denique ſenſus Patrum externi in diſcernendis corporibus, non fallebantur: ſed mentes ipſorum in iudicando de illius ſpiritibus, hallucinabantur.

V. Hinc apparet, quid reſpondendum ſit, ſi quis interroget, *quid porrò factum ſit de illis corporibus, in quibus apparuerunt Angeli?* Reſponſio eſt: Si ea creata fuerunt ex nihilo, in nihilum etiam potentia Dei fuiſſe redacta: ſic autem ex præiacente materia formata fuerunt reſoluta, aut in nihilũ penitus extincta. Docet hoc Tertullianus, cùm ait, *Columbã, in qua apparuit ſpiritus ſanctus, ſicut ex nihilo fuerat producta: ſic etiam in nihilum fuiſſe ſubductam: & ſicut non fuit eius initiũ viſibile, ſic etiam eiuſdem finem non fuiſſe viſibilem.* Si verò corpora illa anteà fuerunt vera & naturalia alicuius corpora: ea etiã, egreſſis inde Angelis, eadem manſiſſe ſentimus. Exẽplo nobis eſto aſina Balaam, in qua & per quam loquebatur Angelus. Digreſſo enim ab ea Angelo, eadem, quæ antea erat, manſit aſina. Sicut etiam, à quibus eiiciebantur Dæmonia per Chriſtum, illi manebant, quo ad ſubſtantiam & naturam iidem, qui ante fuerant.

Nunc ſummam complectar huius doctrinæ ex Tertulliano. Ille Pater concludit lib. de carne Chriſti, & contra Marcionem, de corporibus Angelorum.

1. Primò, *Angelos, licèt corpora habeant propria, in illis tamen non apparere, quòd nimis tenuia ſint, inuiſibilia, & ſpiritualia: ſed apparere in corporibus alienis & peregrinis.*

2. Secundò, *Aliena, quæ aſſumunt corpora, ea vel ex nihilo creari, vel ex præiacente materia prout Deo viſum fuerit, formari.* Sed nos addimus hîc apparere nonnunquam etiam in naturalibus corporibus, quæ anteà fuerint: In illa enim illabi Angelos, tam bonos quàm malos, prout Deus aut iubet, aut permittit.

3. Tertiò, *Ea corpora, in quibus apparent, non inania, aut ficta, ſed verè ſolida & humana eſſe corpora, ita vt ab hominibus tangi & contrectari poſſint.* Nos diximus hoc fieri *ſæpiſſimè*, ſed *non ſemper*. Sæpe enim etiam ſine veris corporibus, in ſomnis, & in viſione apparuiſſe: quanquam non ſine aliqua corporis ſpecie & forma, in ipſa imaginatione, Propheticaque viſione, formata atque propoſita.

4. Quartò ait, *Corpora, quæ aſſumunt Angeli, poſtquam ſuũ in eis perfecerunt officium, redigi vnde fuerunt formata: vel in nihilum, vel in præiacentem materiam.* Hæc eſt ſumma huius doctrinæ ex Tertulliano. Damaſcenus totum hoc negotium duobus abſoluit verbis, dicens: μεταϲχηματίζονται, πρὸς ὅπερ ἂν ὁ Δεσπότης κελεύσῃ Θεὸς, καὶ οὕτως τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφαίνονται, καὶ τὰ θεῖα αὐτοῖς ἀποκαλύπτουσι μυστήρια. At verò Auguſt. tom. 3. in Enchirid. ad Laur. c. 59. quæſtionem hanc de qualitate corporum ab Angelis aſſumtorum, alia ratione expedit, dicens difficilem eſſe ad intelligendum: *Quis explicet* (inquit) *cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non ſolùm cernerentur, verùm etiam tangerentur?* Et rurſus: *Non ſolidâ corpulentiâ, ſed ſpirituali potentiâ, quaſdam viſiones, non oculis corporeis, ſed ſpiritualibus mentibus ingerant: vel dicant aliquid, non ad aurem extrinſecus, ſed intus in animo hominis, etiam ibidem ipſi conſtituti. Sicut ſcriptum eſt in Prophetarum libro:* Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me. *Non enim ait, qui loquebatur ad me, ſed in me: vel appareãt in ſomnis, & colloquantur more ſomniorum. Habemus quippe in Euangelio.* Ecce Angelus Domini apparuit illi in ſomnis, dicens, &c. *His enim modis, velut indicant Angeli ſe contrectabilia corpora non habere: faciúntque difficillimam quæſtionem, quomodo Patres eis lauerint pedes: quomodo Iacob cũ Angelo tam ſolida contrectatione luctatus ſit? Cũ iſta quæruntur, & ea, ſicut poteſt quiſque, coniectat: non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata: & abſit error opinãtium ſe ſcire, quod neſciunt. Quid enim opus eſt, vt hæc atq; huiuſmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur?* Hæc omnia Auguſtinus qui, vt alias dixi, in quæſtionibus de Angelis ſobrior fuit, & eſſe voluit, quàm plerique alij. Interim tamen hac ſua modeſta reſponſione docet id, quod nos quoq; hactenus docuimus: Angelos aliquando, ſed non ſemper, aſſumere corpora vera, ſolida, contrectabilia, vt qui apparuerunt Abrahæ, Lotho, Iacobo: Nam idẽ Auguſtinus de Ciuitate Dei, Angelos ait verè comediſſe: vera igitur etiã corpora ſuſcepiſſe ſenſit: aliquando ſine corporibus, in ſpectris tantùm & formis corporum apparere, vel in ſomnis, vel in viſione: vt qui apparuerit Ioſepho Matt. 2. & aliis locis. Nonnunquam etiam ſine ſolidis corporibus, & ſine corporum formis, ſua tantùm eſſentia corporibus piorum, vt qui in Zacharia ipſimet Prophetæ intus loquebatur, &c. Vt enim cacodæmones ſæpè occupant corpora impiorum: ita & boni Angeli in corpora piorum penetrant, vt idem Auguſtinus docet. Atque de iis hactenus.

Vſus verò huius doctrinæ magnus & multiplex eſt, ſed huius loci non eſt totum illum explicare: inprimis verò facit ad ſecuritatem carnis abigendam, timorémque Dei retinendum: cùm videamus nos circumdari à diabolis; ac ſi Deus permittat, facilè illis patere aditum in noſtra corpora. Contrà facit ad conſolationem, & ad fiduciam in Deum ſuſtentandam: cùm intelligamus, non minùs bonis, quàm malis facilem eſſe in nos ingreſſum.

CAPVT IX.

VETVS quoq; quæſtio eſt, *an in corporibus aſſumtis, opera vitæ, & quæ eius ſpeciei corporibus conueniunt, perficiant: vt an humanis corporibus veſtiti, ſicut verè loquuntur & canunt, ſic etiam verè comedant, bibant, &c.* Sacræ literæ hæc & ſimilia de bonis Angelis prædicant, vt Geneſeos 18. 19 & alibi.

Cæterùm quidam, neq; ij imperiti, negant eos verè comediſſe, ſed in ſpeciem tantùm: ita vt viſi fuerint hominibus, Abrahæ & Lotho, comedere, cùm tamen reuera non comederint. 1. Et hoc voluiſſe Moſen, cùm dixit, eos comediſſe, in ſpeciem ſcilicet, non autem verè. Sicut enim illos vocat viros, non quòd reuera viri eſſent, ſed quòd tales eſſe viderentur: Sic etiam dixiſſe, eos comediſſe, non quòd verè comederint, ſed quòd comedere viſi fuerint.

2. Et hoc nituntur confirmare verbis Raphaëlis Angeli in lib. Tobiæ cap. 12. *Omnibus apparebam vobis: neque tamen comedebam aut bibebam, ſed ita vobis videbatur.*

3. Huc accedit, quòd aiunt, comedere non eſſe ſolùm cibum dentibus comminuere, & in ventriculum traiicere: ſed ſimul etiam concoquere, & in corporis nutrimentum conuertere: Eſſe autem manifeſtum, Angelos, cùm eſſent ſpiritus, cibos illos non concoxiſſe, neque in corporis aſſumpti ſubſtantiam conuertiſſe: Non igitur verè comediſſe, ſed ſimul ac in eos poſiti fuerunt cibi: eos ſtatim etiam exinanitos fuiſſe: inſtar guttarum aquæ in fornacem ignis ardentis coniectarum. 4. Item corpora illa non erant viuentia: Non igitur opera vitæ exercebant, vti eſt edere, bibere, &c.

Verùm hæ rationes non euincunt, manducationem illam Angelorum fuiſſe tantùm in ſpeciem. 1. Nam, vt ad primam, & deinceps ordine, reſpondeam: Si licet ita arguere, Moſes vocat Angelos illos viros, non quòd viri eſſent, ſed quòd viri eſſe viderentur. Ergo etiam ait illos comediſſe, non quòd verè ederint, ſed quòd edere viſi ſint: Si, inquam, ita licet argumentari, eodem modo nos quoque

inferemus, Angelos illos dictos fuiſſe à Moſe veniſſe ad A-
brahamum, ſediſſe ſub arbore, locutos eſſe cum Patriarcha.
non quod iſta verè egerint, ſed quòd ea egiſſe viſi ſint. Ma-
gna eſt inter hæc diſſimilitudo: Proinde ab vno non licet
argumentari ad aliud. Vocauit enim *viros*, quòd de princi-
pio tales eſſe viſi fuerint Abrahæ & aliis. poſtea verò diſer-
tè explicat fuiſſe Angelos. At vbinam explicat verbum *co-
mederant*, ſe vſurpaſſe, pro *comedere viſi ſunt*? Vbi igitur ſim-
pliciter dixit, *eos veniſſe ad Abrahamum & cum eo locutos eſ-
ſe*, & indicat, reuera hæc contigiſſe, quia non ea interpreta-
tur, quaſi in ſpeciem geſta ſint, & non realiter. Ita cùm ſim-
pliciter dicat, *eos comediſſe*, neque verbum hoc interprete-
tur, pro *viſos fuiſſe comedere*: apertè indicat Moſes eos reue-
ra comediſſe, ſicut etiam verè & realiter locuti ſunt. 2. Se-
cundò ad locum Tobiæ reſponſio eſt de ſententia Auguſti-
ni, ex tomo 5. de Ciuitate Dei. lib. 13. cap. 22. Angeli verba i-
ta intelligenda eſſe, vt dicat ſe non ediſſe, vt ipſi ederant, &
eum etiam ediſſe putârant: nempe neceſſitate naturæ, & nu-
triendi corporis cauſſa, vt reliqua animantia edunt: Aliam
verò fuiſſe cauſam ſuæ, quanquam veræ manducationis:
nempe vt ita agendo, ad tempus celaret, quiſnam eſſet. Et
reuera ita res habuit cùm Angeli nolebant ſtatim agnoſci,
idque vt familiarius poſſent cum piis hominibus colloqui,
& ſuo perfungi officio: tunc enim actiones verè humanas
præſtando, & verè edendo ac bibendo, ſuam celebrant na-
turam. Cùm verò volebant agnoſci pro Angelis, detrecta-
bant etiam rogati, cibum ſumere: ſignificantes apertè hac
detrectatione, ſe non eſſe homines. Huius rei exemplum
habemus Iud. 6 in hiſtoria Gedeonis: Et Iudic. 13. in hiſtoria
Manuæ patris Samſonis. Superioris verò exemplum habe-
mus in hiſtoria Abrahæ & Lothi. Itaque ex hoc loco To-
biæ nihil concluditur pro ficta & ſimulata comeſtione.
3. Neque tertia ratio quicquam concludit. Etſi enim ci-
bum non conuertebant per concoctionem in ſubſtantiam
aſſumpti corporis: Non ſequitur tamen, *verè igitur non co-
mediſſe*: Aliud enim eſt *comedere*, & aliud *cibum comeſtũ con-
coquere, & per membra corporis diſtribuere, inque eius ſubſtan-
tiam conuertere*. Annon etiam Chriſtus verè comedit poſt re-
ſurrectionem cum Apoſtolis? Neque tamen ſentiendum eſt,
cibum illum in ſubſtantiam corporis Chriſti fuiſſe conuer-
ſum. Habebat enim tunc corpus glorioſum, & ab omni al-
teratione alienum. Talis autem cibi concoctio, & in ſub-
ſtantiam corporis conuerſio fieri nequit, ſine corporis alte-
ratione. Vera igitur comeſtio eſſe poteſt ſine cibi concoctio-
ne, & in ſubſtantiam corporis conuerſione. Quot enim ſunt
κακοςόμαχοι & ἀπεψίᾳ laborantes, qui ſtrenuè edunt ne-
que interim tamen concoquunt cibum, aut illum in corpo-
ris nutrimentum conuertunt? Proinde meritò etiam Sco-
tus contendit contra Aquinatem, Angelos, qui apparuerunt
Abrahæ & Lotho, verè & realiter comediſſe: Tametſi ci-
bos per concoctionem in ſubſtantiam corporis non conuer-
tunt. 4. Ad quartam etiam rationem facilis eſt reſponſio.
Etſi enim corpora illa aſſumpta, non erant viuentia, vti no-
ſtra ſunt, quæ ab anima, tanquam à forma viuificantur: Di-
ci tamen non poteſt omni prorſus caruiſſe ſenſu. Corpora
enim erant prædita, ſicut ſenſoriis, ſic etiam certo quo-
dam ſenſuum genere, quibus videbant, audiebant, lo-
quebantur, guſtabant, palpabant, vt ex narratione Mo-
ſaica colligere licet. Vndénam obſecro illi ſenſus? Licet
non ab anima, tanquam à forma. Erant tamen ab Angelis,
tanquam à mouentibus & quodammodo viuificantibus, ea
corpora. Magna eſt enim vis ac potentia Angeli à Deo
tradita in hæc inferiora. Quemadmodum igitur per ea
corpora angeli loquebantur, audiebant, palpabant, & alia
ſimilia effecta præſtabant: Cur non etiam eodem modo
potuerunt per eorundem dentes cibum frangere, guſta-
re, & per linguam in ventriculum traiicere? Hoc autem
eſt verè & realiter comedere. Noſtra igitur hæc eſto Theſis.

THESIS II.

*Angeli, vt vera ac ſolida, veréque humana aſſume-
bant corpora: Et, vt per illa verè loquebantur, videbant,
audiebant: Sic etiam verè comedebant, bibebant, alia-
que veri humanique corporis officia, pro ſua voluntate præ-
ſtabant.*

MAnifeſta hæc eſt Theſis ex ſimplici Moſis & aliorum
diuinorum ſcriptorum de Angelis, déque illorum in
corporibus aſſumptis, actionibus narratione. Neque enim
ficta narrant, ſed quæ verè contigerunt. Neque vnquam ex-
plicant, hæc quæ ſimpliciter narrant, in ſpeciem tantum-
modo contigiſſe, non autem verè. Iniuria igitur fit ſimplici-
tati Scripturæ ſanctæ, ſi quis tales actiones in ſpeciem tan-
tùm, non autem verè contigiſſe interpretetur. 2. Deinde, ſi
Chriſtus poſt reſurrectionem verè comedit & bibit, cum ta-
men propter glorificationem corporis ſui, cibos ſumtos in
ſubſtantiam ſui corporis conuertiſſe minimè credendus ſit.
Non eſt cur idem facere nequiuerint ipſi etiam Angeli in
corporibus aſſumtis.

3. Accedunt teſtimonia Patrum, Tertulliani, Auguſtini, &
aliorum non contemnendorum doctorum. Locus vnus Au-
guſtini ſufficere debet. Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib 13. c. 22. ait
nos omnes poſt reſurrectionem futuros eius conditionis, vt
poſſimus, ſi velimus, cibis veſci, ſine vlla tamen neceſſitate,
poſteà id confirmat exemplo etiam Angelorum, in hæc ver-
ba: *Quòd Angeli quoque viſibiliter & tractabiliter apparentes,
non quia indigebant, ſed quia volebant & poterant, vt homini-
bus congruerent, ſui miniſterij quadam humanitate fecerunt.
Neque enim in phantaſmate Angelos ediſſe credendum eſt: quã-
do eos homines hoſpitio ſuſceperunt: quamuis vtrum Angeli eſ-
ſent, ignorantibus, conſimili nobis indigentia veſci viderentur.
Vnde eſt, quòd ait Angelus in libro Tobiæ: Videbatis me man-
ducare, ſed viſu veſtro videbatis, id eſt, neceſſitate reficiendi
corporis, ſicut vos facitis, me cibum ſumere probatis.* Hæc ille.

Subſcribunt huic ſententiæ noſtri quoque Doctores.

Poſtremò, ſenſit Auguſtin. tom. 5. de Ciuitate Dei lib. 15. c.
23. & alij cum eo permulti, etiam Thomas Aquinas, fieri poſ-
ſe vt cacodæmones ſumant humana corpora, & iis cum mu-
lieribus coeant: aut contrà, vt ſeſe viris, tanquam fœminæ
ſubiiciant. Vnde *incubi* & *ſuccubi* appellati ſunt: qua de re
poſtea dicemus fuſiùs, cùm de Dæmonibus agemus: Neque
inficiantur, quin poſſit fieri, vt ex coitu diaboli cum fœmi-
na aliqua aliquis procreetur fœtus: non quidem per ſemen
proprium diaboli, quod non habet, ſed per ſuppoſititium.
Vnde & quædam ſunt (vt refert Ludouicus Viues in ſuprà
dictum caput & librum Auguſtini) *gentes quæ gloriantur ſe
originem ſuam à Dæmonibus accepiſſe*. Si tales igitur actio-
nes, verè præſtare poſſunt Dæmones, quidni boni potuerint
verè cibos comedere, etiamſi in propriam aſſumpti corporis
ſubſtantiam eos non conuerterint? Quòd ſi interroges, quò
igitur abiit cibus ille, quem Angeli verè comederunt? Ego
viciſſim interrogabo, quid factum eſt de illis corporibus aſ-
ſumptis, poſteaquam Angeli redierunt in cœlum? Dices,
aut in nihilum redacta, aut in præiacentem materiam con-
uerſa ſunt, vt docuit etiam Tertullianus de columba aſſum-
pta à Spiritu ſancto. Bene: idem igitur & ego de cibis di-
co, tam quos Angeli comederunt, quam etiam quos Chri-
ſtus poſt reſurrectionem ediſſe legitur, illos Dei potentia in
nihilum redactos fuiſſe.

DE MOTV ANGELORVM, DEQVE LOCO PER QVEM, ET TEMPORE quo mouentur.

CAPVT X.

QVI A Scriptura tradit, Angelos è cœlo ad nos mit-
ti, duo quæri ſolent: *vnum an cum mittuntur, loca-
liter moueantur, tranſeántne per medium locum. Al-
terum an in tempore, an verò in inſtanti moueantur.*

Ad primum quod attinet, Angelos mitti è cœlo ad nos,
eóque moueri è loco ad locũ, & per intermedia loca tranſi-
re, extra controuerſiam eſt: nõ ſolùm apud pios omnes pro-
pter auctoritatem Scripturarum, quæ ita de miſſione, de-
ſcenſu, aduentu, volatúque Angelorum ad nos, loquitur, vt
apertum illis tribuat motum è loco ad locum, & tranſitum
per loca. Verùm etiam apud Philoſophos & Sophiſtas om-
nes eſt, (vt dixi) in confeſſo: idque propter rationes Philo-
ſophicas, quæ ab ipſorum Angelorum natura atque officio
deducta, manifeſtè totum hoc, quod de ipſorum motu pro-
poſuimus, veriſſimum euincunt. Verùm, quianam modo id
fiat, & qualis ſit ipſorum motus tranſitúſque per loca: non
ita facilè ab omnibus expeditur. Eſt igitur notandum, quæ-
ſtionem hanc bifariam proponi poſſe: aut quatenus Angeli
aſſumtis viſibilibus & craſſis corporibus ad nos veniunt, no-
biſcum gradiuntur, vt faciebant cùm Patribus: aut quatenus
ſine iis corporibus conſiderantur, & ad homines mittuntur:
Sicut motus animæ quoq; noſtræ conſiderari poteſt, vel dũ
eſt in corpore, & in eo & cũ eo mouetur: Vel cùm mouetur
ſeparata à corpore. Si quæſtio proponatur primo modo, ni-
hil habet difficultatis. Conſtat enim ad verum motum cor-
porum aſſumtorum, ipſos etiam Angelos ex accidenti, verè
& localiter motos fuiſſe: quanquam corpora illa velociùs,

citiùs

citiùs & faciliùs, quàm noſtra, vtpote quibus omnia cedebant impedimenta, cùm volebant mouebantur. Sed ſi altero modo proponebatur quæſtio, eſt etiam diſcrimen aliquod obſeruandum. Nam qui attribuunt illis corpora, quamuis tenuiſſima, & propter tenuitatem inuiſibilia, & expeditiſſima: ab iis etiam faciliùs explicatur quæſtio, & ad intelligendum expeditior atque facilior redditur. Facilè enim intelligitur, quòd corpore conſtet, licèt tenuiſſimo, ac proinde, quod etiam aliquo modo circumſcriptum eſt: illud verè & localiter moueri, ſuóque vero, licèt perniciosiſſimo & quaſi ſpirituali motu, loca inter illum vnde, & illum, quo vadit intermedia, realiter pertranſire. Omne enim corpus vtut tenuiſſimum, & in loco eſſe, & localiter moueri, quis non intelligat? An verò, qui iudicant, Angelos ſimplices eſſe ſpiritus, ſine vllo prorſus corpore: maiori cum difficultate ſeſe ab hac quæſtione expediût. Aiunt enim, ſicut Angelus, vtpote ſimplex & incorporeus ſpiritus, non eſt in loco dimenſiua quantitate, qua commenſuretur loco, & contineatur à loco, ſed tantùm contactu & applicatione virtutis actiuæ ad locum, qua virtute potiùs continet locum, quàm vt contineatur à loco, vel ab eo commenſuretur. Ita etiam eundem non moueri in loca, niſi quatenus ſua virtute, diuerſa contingit loca, & in eis operatur idque ſucceſſiuè, operando modò in vno, & modò in alio loco. Fatentur enim & iſti, pluribus in locis ſimul Angelum eſſe non poſſe, quòd ſua virtute finita, nō in multis ſimul locis, ſed tantùm in vno operari poſſit: qui tamen in multis ſucceſſiua actione operatur. Quatenus igitur Angelus ſua virtute & actione deſinit in vno loco operari, & operari incipit in alio, & ita ſucceſſiuè in multis: Eatenus etiam dici illum è loco ad locum, & per loca moueri ac pertranſire. Sed hæc licèt non malè dicantur: quotuſquiſque tamen eſt, qui illa rectè percipiat? Ita apparet, licèt iſti diſertè fateantur, Angelum localiter è loco ad locum & per loca moueri: Interim tamen, quo modo id fiat, fierique poſſit, ita difficulter explicari, vt vix ab ipſis intelligatur. Atque hæc de motu Angelorum, hoc eſt, de priori membro quæſtionis.

II. Ad alterum membrum quæſtionis, quod attinet: nempe, *an moueatur Angelus in inſtanti, an verò in tempore:* Si ſermo ſit de motu Angelorum, extra corpora aſſumpta: difficiliùs itidem explicatur ab illis, qui Angelis nullum concedunt naturale corpus: vt ſunt Peripatetici, & qui eos ſequuntur quàm ab iis, qui illos non ſine certis, licèt tenuiſſimis concreatis corporibus contemplantur: vt Platonici, & Patres, qui ferè Platonem in hac parte ſecuti ſunt. Ij enim, ſicut docent, Angelos propter ſua corpuſcula, eſſe quodammodo circumſcriptos, & verè ac realiter moueri: Sic etiam apertè concludunt, motum hunc fieri non poſſe niſi in tempore, quanquam ita ſubito & momentaneo, vt vix percipi à nobis poſſit: Omne enim, quod verè & localiter mouetur, in tempore moueri. Alteri verò inter ſe non conſentiunt. Sunt enim qui Angelos moueri in inſtanti contendunt: alij in tempore, ſed omninò imperceptibili tradunt. Hæc eſt ſumma eorum quæ de motu Angelorum ſcribuntur: tum à Platonicis Patribus: tum ab Ariſtotelicis Scholaſticis.

Cæterùm ſicut ſummatim noſſe, quid iſti ſenſerint, inutile prorſus non eſt: Ita ſubtiliùs hæc inueſtigare, déque iis diu diſceptare, non ſolùm nihil ad ſalutem prodeſt, ſed etiam multis modis pernicioſum eſt. Nos itaque contenti erimus ſimplicitate Scripturarum, & quæ illæ tradunt de motu Angelorum in iis acquieſcemus. Quare hæc è ſcripturis collecta Theſis noſtra eſto:

THESIS.

Angeli, ſicut vere in loco ſunt, ſic etiam verè loco mouentur, tam ſine corporum aſſumtione, quàm aſſumtis corporibus: Ac ſicut in multis locis ſimul eſſe non poſſunt, ſed modo in vno ſunt, modo in alio: Ita non ſine tempore mouentur. Verùm vt expeditiſſimi ſunt inſtar ventorum, & nihil remorari illorum motum poteſt, neque ipſi vllum laborem aut moleſtiam ex motu perpeti poſſunt: Ita etiam in tempore imperceptibili mouentur.

CONFIRMATIO.

Omnia hæc è ſacris literis facilè demonſtrantur. Tradunt enim Scripturæ ſacræ, Angelos eſſe in loco, nec pluribus in locis ſimul eſſe poſſe, vt demonſtrabitur in Quæſtione ſequenti, de motu verò hæc docent.

1. Angelos è cœlo ad nos in terrā mitti, modò corporibus aſſumtis, modò etiam ſine corporum ſumtione: vt Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ.* Et in genere Hebr. 1. *Omnes* (inquit) *ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi.* Tradunt item: *Angelos è cœlis deſcendere & cœlos aſcendere: vt in ſcala Iacob, venire ad nos, & redire in cœlum: eundem Angelum mutare loca: Et quoſdam è cœlo Beatorum præcipitatos eſſe in locum caliginoſum: comitari ſanctos in ſuis profectionibus: eoſque deducere: & animas fidelium deportare in cœlum in ſinum Abrahæ.* Verè igitur mouentur loco Angeli, etiam ſine corporibus aſſumptis.

2. Docent ſacræ literæ conſentaneè cum Natura, nihil in mundo fieri, quod non menſuretur tempore: ita vt neque Mundus ipſe factus à Deo fuerit, niſi in tempore, & intra ſpatium 6. dierum: & quidquid fit, habere ſuum prius & poſterius: quia antequam fiat, non eſt, & cùm incipit fieri, nondum eſt: Et cùm eſt factum, iam eſt, quod non erat, eóque omnia per aliquam fieri ſucceſſionem ſub cœlo. *Generatio vna præterit* (ait Salomon) *& generatio altera aduenit. Ita motus cuiuſque rei, vnus præterit, alter ſuccedit.* Et cap. 3 *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo.* Et Angeli modo loquuntur, modò tacent, modò apparent, modò è conſpectu tolluntur. Mouentur igitur, & ſua perficiunt officia Angeli intra aliquod temporis ſpatium.

3. Sed eadem ſcriptura viciſſim prædicat, Angelos iam potentes, celeres; expeditóſque eſſe ſpiritus, vt nihil eos à ſuis actionibus & motibus remorari, ac retardare queat: eóque è veſtigio è cœlo ad nos deſcendere, & adeſſe illis, ad quos mittuntur. Act. 13. *Angelus Domini per noctem aperit ianuas carceris, in quo cuſtodiebantur Apoſtoli, eóſque inde ſine mora educit.* Et cap. 12. *Angelus Domini adſiſtit Petro in carcere vincto. Et excuſſis catenis, aperitque vltro ad nutum Angeli portis inde educit Petrum.* Nihil igitur motum Angeli retardare poteſt. Ideircò dicuntur in ſcripturis *volare, & alas habere:* quibus vocibus ſignificant ſcripturæ, velociſſimum eſſe Angelorum motum: quòd inſtar velociſſimarum auium ad nos ſtatim volent, & etiam ſint in cœlo, & ſtatim etiam in terra, Et nunc hic, atque confeſtim alibi. Ergo, etſi mouentur in tempore, Tempus tamen illud ſæpenumero ita breue eſt, vt vix percipi poſſit. Atque vt aurora, ſimulac comparet, ſtatim ſua luce, totum mundi huius ſpatium implet, tametſi hoc non ſine tempore fiat; Ita Angeli tempore imperceptibili è cœlo nobis in terram aduolant. Hæc omnia certa & perſpicua ſunt è ſacris literis de apparitionibus & motibus Angelorum: Hæc igitur nobis retinenda, reliqua otioſis hominibus relinquenda ſunt.

DE LOCO ANGELORVM.

CAPVT XI.

QVAERI etiam ſolet, *an Angeli verè ſint in loco, & an pluribus in locis ſimul vnus & idem Angelus eſſe poſſit.* Tricis non caret hæc Quæſtio apud Sophiſtas, ſed expedita res eſt in ſacris literis. Quæ bona illi de hac re ſcripta reliquerunt, & quæ meo iudicio non parum ad propoſitam faciunt quæſtionem, hæc ſunt.

1. Nomen *loci*, non ſemper eodem modo accipi: aliquando enim propriè & phyſicè, de quo Ariſtot. Phyſ. 4. locum hoc modo nihil aliud eſſe docent, quàm vltimam ſuperficiem corporis continentis, quatenus tangit ſuperficiem corporis locati; quæ tamen ſuperficies corporis continentis, duplex eſt; vna communis multis corporibus, vt templum aliquod verbi gratia, & totum hoc aëris ſpatium, locus eſt communis omnibus nobis. Altera particularia & propria cuiuſque corporis; Ita tantùm aëris, quantum ſua ſuperficie vltimam ſuperficiem mei corporis ambit, meus eſſe proprius dicitur locus. Hoc ſanè pacto Angeli ſine corporibus aſſumptis, ſi propriis etiam careant, & ſimplices ſint ſpiritus, in loco propriè eſſe dici non poſſunt etiam in terris cùm ſunt. Ideò rectè aiunt, *Angelos, ſi ſimplices ſunt ſpiritus in loco eſſe non poſſe* phyſicè accepto, niſi definitiuè. Si verò Angeli propria habent corpora, & ita ſuo modo, ſed verè ſint circumſcripti, faciliùs intelligitur quomodo ſint in loco; non ſolùm ſcilicet definitiuè, verùm etiam quodammodo circumſcriptiuè. Dico, *quodammodo*, quoniam ne ſic quidem vltima ſuperficies aëris continet propriè, & circumſcribit Angelum. Eſt enim eius corpus proprium, ſpiritualius & tenuius, quàm vt propriè poſſit ab aëre

contineri & circumſcribi. Atque hoc ſenſu verum ſcripſiſſe Ariſtotelem aiunt, cùm dixit, *extra vltimam ſphæram, nullum eſſe locum.* Aliquando verò accipi locum impropriè pro omni ſpatio, quodcunque illud ſit, in quo aliquid contineatur omnes conſentienter docent: Atque hoc ſanè ſenſu extra cœlum ſtellarum, in cœlo Beatorũ eſſe locum. Nam ibi beatos vigere ſpiritus, & τὸ θεῖον habitare etiam Ariſtoteles faſſus eſt. Hac igitur ratione & hoc ſenſu Angelos ſemper eſſe in loco, ſiue in cœlis ſint, ſiue in terris; Et ſiue ſpiritus ſimplices, ſiue corporibus præditi eſſe dicantur. Nam ita etiam Anima dicitur eſſe in corpore; tanquam in ſuo domicilio: quanquam non propriè contineatur in corpore, ſed potiùs contineat corpus. Et Deus dicitur eſſe in omnibus locis, cœlumque & terram complere, imò etiam extra cœlum eſſe: quia & omnia continet loca ac ſpatia: & etiam vltra omnia eſt ſpatia: quanquam reuera impropriiſſimè dicitur Deus eſſe in loco. At verò corpus Chriſti veriſſimè in loco eſſe dicitur, etiam nunc exiſtens in cœlo. Eſt enim verè circumſcriptum: & in cœlo contineri ait Petrus in Actis.

2. Deinde, ex iis quæ de loco dicta ſunt, ſcribunt trifariam aliquid dici poſſe in loco: *aut circumſcriptiuè, aut definitiuè, aut repletiuè. Circumſcriptiuè*, vt omnia corpora inferiora in loco propriè ſunt. Quæſtio enim mouetur de vltima Sphæra, quæ ſupra ſe, de Ariſtotelis ſententia, nullam habet ſuperficiem, à qua ambiatur: & idcircò aiunt Philoſophi, eam eſſe in loco per accidens. *Definitiuè* autem nihil aliud eſt, quàm eſſe in loco ſine ſpatij occupatione, ſed operatione duntaxat. Ita Angelos ſimplices ſpiritus, & animas eſſe aiunt in loco. Vbi enim operantur, ibi ita eſſe definiuntur, vt alibi ſimul eſſe non poſſunt. Sunt enim finiti ſpiritus & ideò finitæ etiam virtutis: ac proinde non poſſunt eam vbique aut multis in locis ſimul, vt paulò pòſt dicetur, exercere. Hinc fit, vt minimè dici poſſint, vel circumſcriptiuè, vel definitiuè vbique eſſe. At verò Deus, quia & verè ſimpliciſſimus eſt, & virtutis & eſſentiæ infinitæ atque immenſæ, omnia implens intra Mundum, & extra Mundum exiſtens: idcircò neque circumſcriptiuè, neque definitiuè in loco eſſe dici propriè poteſt, ſed tantùm repletiuè. Hæc omnia tradunt Scholaſtici, neque certè inutiliter.

II. Ad explicationem verò alterius membri huius Quæſtionis quod attinet, nempe, *an Angelus ſimul in pluribus eſſe locis queat*: Principio negant hoc fieri poſſe. Deinde confirmationis cauſſa hoc in ſumma ſcribunt & argumentum eſt non contemnendum. Quicquid aut quantitatis, aut virtutis eſt finitæ, illud pluribus in locis eſſe non poteſt. Nam quod quantitatis eſt finitæ, (Nulla autem reperitur quantitas infinita) in eo tantùm loco circumſcriptiuè eſſe dicitur, à cuius ſuperficie res ipſa quanta continetur: Quod verò virtutis finitæ eſt, multis in locis ſimul operari & virtutem ſuam exercere nequit, ſed tantùm ſucceſſiuè in vno loco poſt aliũ. Quatenus autem ſubſtantia incorporea operatur vno loco, & non in alio, eatenus etiam dicitur in vno eſſe loco, & non in alio. Nulla igitur res creata (omnes enim finitæ ſunt) multis in locis, ſimul eſſe dicive poteſt: multò verò minùs vbique. Quare ſolum Deum concludunt Scholaſtici & multis in locis, & vbique eſſe, dici meritò poſſe. Hæc omnia doctè & piè, quia conſentanea ſunt cum ſacris literis, & cum doctrina Patrum: quanquam Patres liberiùs etiam loquuntur: Aiunt enim Angelos circumſcriptæ eſſe ſubſtantiæ, vt anteà ex parte oſtendimus. Et à Damaſceno vocantur περίγραπτοι. Et Gregor. primus tom. 1. in Iob. lib. 2. cap. 2. in hæc ſcribit verba: *Angelorum ſpiritus, loco quidem circumſcripti ſunt*, &c. Hæc igitur Theſis eſto.

THESIS.

Angelus quiſque ſemper in loco eſt: ſed in multis ſimul locis nullus vnquam eſſe poteſt.

THeſis eſt explicata & confirmata ſatis: quædam tantùm addo Patrum teſtimonia. Damaſcen. ὅτι γὰρ (inquit) εἰσὶν ἐν οὐρανῷ καὶ εἰσὶν ἐν τῇ γῇ. Καὶ εἰς τὴν γῆν ὑπὸ Θεοῦ ἀποστελλόμενοι, οὐκ ἐναπομένουσιν ἐν τῷ οὐρανῷ. Sed ne putes ita circumſcriptos eſſe, vti noſtra corpora, ſubdit, dicendo: νοεροὶ δὲ ὄντες, ἐν νοητοῖς καὶ τόποις εἰσὶν, οὐ σωματικῶς περιγραφόμενοι· οὐ γὰρ σωματικῶς κατὰ φύσιν σχηματίζονται. Item: οὐδὲ τριχῇ διαστατοί εἰσιν, ἀλλὰ τῷ νοητῶς παρεῖναι καὶ ἐνεργεῖν ἔνθα ἂν προσταχθῶσι. Καὶ μὴ δύνασθαι κατὰ ταυτὸν, ὧδε κἀκεῖσε εἶναι καὶ ἐνεργεῖν. Et Ambroſius idem confirmat tom. 2. de S.S. lib. 1. cap. 7. Concludit enim omnem creaturam, etiam Angelos, finitæ & circumſcriptæ eſſe ſubſtantiæ atque virtutis: ac proinde non poſſe in pluribus eſſe locis. Cùm itaque Spiritus S. vbique eſſe prædicetur, & orbem terrarum replere: euincit Spiritum S. non eſſe creaturam. Baſilius idem fecit libr. de Spiritu ſancto, cap. 22. *Nam Angelus* (inquit) *qui adſtitit Cornelio, non erat in eodem loco etiam apud Philippum: nec qui ab altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore etiam in Cœlo propriam ſedem ac ſtationem implebat. At verò Spiritus ſanctus ſimul & in Habacuc, & in Daniele in Babylonia operari creditus eſt.* Poſtea infert. *Qui verò vbique eſt, & Deo adeſt: eum qualis naturæ putare conuenit? Eiuſne, quæ omnia complectitur, aut eius, quæ particularibus locis includitur, quàm eſſe Angelorum naturam ſcriptura ipſa oſtendit?* Hæc Baſilius. Ait, Angelos particularibus locis includi. Eadem ferè, quæ ij duo, etiam Didimus ſcripta reliquit in libr. de Spiritu ſancto. *Si vna eſſet* (nempe Spiritus ſanctus,) *de creaturis: ſaltem circumſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut vniuerſa quæ facta ſunt.* Et paulò poſt probat, Angelos non habere incircumſcriptam ſubſtantiam, ſicut Spiritus ſanctus, dicendo: *Angelus quippe, qui aderat, verbi gratia, Apoſtolo in Aſia, non poterat ſimul eodémque tempore adeſſe aliis, in cæteris partibus conſtitutis.* Legantur etiam illa, quæ Auguſtinus, tomo 3. lib. de Spiritu & anima, cap. 18. ſcribit. Ibi docet, quomodo intellectuales naturæ Angeli & animæ, & in loco eſſe, & locales dicantur: quia ſcilicet loco circumſcribuntur, non tamen ſicut corpora, eóque in multis locis ſimul eſſe non poſſunt. Denique Patres omnes vno conſenſu docēt, nullius eſſe creaturæ, vt ſit multis in locis ſimul aut vbique. Rectè igitur concludunt Scholaſtici, omnino eſſe impoſſibile, vt Angelus in multis ſimul ſit locis, quia & virtutis & eſſentiæ eſt finitæ: ac proinde eam virtutem non poſſe ſe ad omnia, neque ad multa ſimul extendere. Solum verò Deum ſua virtute omnia contingere, & ideo non ſolum in pluribus locis, ſed vbique eſſe: quia ſola Dei virtus & eſſentia infinita eſt, & ad omnia extenditur.

III. Quòd ſi excipias, docuit Damaſcenus, Angelum ibi eſſe; vbi operatur: Atqui fieri poteſt, vt Angelus multis in locis operetur; putà cùm Angelus vnus mouet totum aliquem cœleſtem orbem. Et vt cùm duo perderent incendio Sodomam; Erant igitur in omni parte & loco vrbis ſimul: Ad hoc reſpondent Scholaſtici, quod aſſumis non eſſe verum. Nam cùm Angelus mouet orbem, virtus Angeli non applicatur, niſi ad id, quod primò ab ipſo mouetur. Vna autem eſt pars cœli, in qua primò fit motus ab Angelo, nempe pars orientis; vt etiam Philoſophus docet in Phyſ. libro 8. Mota verò per virtutem Angeli parte orientis; totus deinceps orbis ex conſequenti mouetur; Vt, qui mouet eam rotæ partem, quæ ſibi eſt vicinior, is totam etiam mouet rotam. Idem de incendio Sodomę dicendum eſt. In vnam vrbis partem iniecerunt ignem cœleſtem; Deinde vel ex illa deriuatus eſt ignis in alias partes; vel ipſi Angeli celerrimè vnam poſt aliam vrbis partem, igne incenderunt. Itaque nunquam euinci poterit, Angelum in multis ſimul locis eſſe poſſe, ſua vel eſſentia, vel virtute cum vtraque ſit finita. Quanquam illud etiam non diſſimulabo, antequam finem faciam, non debuiſſe, qui ſenſerint, Angelum, etiamſi non operetur alicubi, ibi tamen eſſe poſſe ſua eſſentia; ſed in vno duntaxat loco, ſiue eſſentia; ſiue operatione. Et ita ſemel tempore Henrici Gandauenſis definitum fuit Lutetiæ à Theologis & ab Epiſcopo Pariſienſi; addita excommunicatione aduerſus eos, qui aliter dicerent. Inſigne pietatis ſtudium. Atque hęc etiam de hac quæſtione ſatis.

CAPVT XII.

ALIA quoque agitata fuit Quæſtio in præcedenti diuerſa; nempe *an plures Angeli in vno & eodem loco eſſe poſſint.* Negant Scholaſtici, & rectè quidem: nempe ſi nomen loci ſtrictius accipiamus, nimirũ pro eo, quo ſubſtãtiæ creatæ, ſuo quęq; ac proprio continētur ſpatio. Cùm enim ipſi quoque Angeli, tam boni, quàm mali ſubſtantiæ ſint finitæ; certis etiam quiſq; finibus terminetur, neceſſe eſt. Quid autē hoc aliud eſt, quàm ſpiritualis quædam cuiuſque propria dimenſio? Quare vbi vnus eſt Angelus, ibi propriè loquendo, hoc eſt, in eodem loci ſpatio, ſimul & ſemel alius eſſe non poteſt. Quòd ſi hæc doctrina vera eſt, in ipſis quoq; ſpiritualibus ſubſtantiis; quantò magis cùm de corporatis ſermo eſt, veriſſima atq; certiſſima eſſe deprehendetur? Si autem nomen loci, pro ſpatio multorum communi accipias, quis dubitet, plures Angelos vno in loco eſſe poſſe? Præter verò alia prope infinita locorum genera multis communia, in cœlo, in terra & ſubtus terram; ipſe etiam homo μικρόκοσμος, in animo & corpore multum ſpatij, multis ſpiritualibus ſubſtantiis tam bonis, quàm malis excipiendis præbere poteſt. Scriptura certè de multis tradit, multa in eis ſimul fuiſſe dæmonia, ac ſeruatorem

noſtrum

noſtrum Ieſum Chriſtum, multa è multis eieciſſe. In vno igitur & eodem homine, tanquam in loco multorum communi plures ſpiritus ſimul & ſemel habitare poſſunt. Quare turpiter falluntur doctrinam hanc oppugnantes, qui ſic argumentantur: *Duæ animæ non poſſunt ſimul eſſe in eodem corpore. Ergo neque duo Angeli in eodem homine & loco.* Sed quam firma ſit hæc ratio, facilè eſt iudicare. Principio ſunt qui aſſumtum negent, & contendant, duas animas eſſe in humano corpore. Deinde non eſt eadem cauſſa, cur duæ animæ eſſe nequeant in vno corpore: Et cur duo Angeli non poſſint eſſe in eodem loco. Cauſſa illius eſt, quoniam vnius corporis duæ eſſe non poſſunt ſubſtantiales formæ: At verò Angelum nemo docet eſſe in loco, tanquam illius formam, ſed tanquam agentem operantémque cauſam. Cur autem non poſſint multi in eodem loco agere & operari? Sed excipiunt, poſſe quidem multos Angelos, & motores imperfectos in eodem operari loco: & eandem rem mouere (quia enim vnius virtus non ſufficit, idcirco multos adhiberi: vt cum ideo multi ad idem trahendum pondus adhibentur: quia vnus ſua virtute non ſufficit) ſed duo (inquiunt) perfecti motores, proximi eiuſdem rei motæ, motores eſſe non poſſunt. Angelus autem in loco eſſe dicitur, quatenus perfectè & proximè ſua virtute mouente & efficiente aliquid tangit & mouet. Sed neque hoc, quod aiunt, firmum eſt. Certè multi Cacodæmones perfecti agentes in vna & eadem fœmina habitaſſe, eámque agitaſſe leguntur. Ergo omiſſis iis inutilibus Sophiſmatis, intra terminos ſcripturarum nos contineamus: quæ luce clarius docent, in vno & eodem homine ſimul & ſemel plures malos ſpiritus ineſſe poſſe: Quid enim clarius illa hiſtoria, quæ eſt Matth. 5. Chriſtus quendam immundum ſpiritum, à quo occupatur, & ſupra modum vexabatur quidam miſer homo, interrogabat, quódnam tibi eſt nomen? reſpondit ille, *Legio mihi eſt nomen.* Qua voce ſignificauit ſpiritus ille, non ſe vnum tantùm, in eo homine miſero: ſed ſecum ingentem aliorum malorum Spirituum turbam, inſtar numeroſiſſimi exercitus inhabitare. Ac rem ita ſe habere, hoc eſt, non vnum tantùm in illo homine fuiſſe diabolum, ſed eum pluri mos, docent ea quæ ſequuntur. Euangeliſta enim mutato nomine vnius in multos, ait, *dæmones omnes deprecatos fuiſſe Chriſtum, ne ſe emitteret extra regionem*: Et Chriſtum hoc illis permiſiſſe. Ingreſſos igitur fuiſſe illos immundos ſpiritus, qui anteà in vno tantùm erant homine, in magnam porcorum, duorum ferè millium, multitudinem. Quid hic docent Sophiſtæ? Docéntne omnes hos fuiſſe imperfectos motores: nec vnum fuiſſe vexando & cruciando illi miſero homini idoneum: cóque omnes vnius motoris & perfecti diaboli, loco fuiſſe? At videmus vnumquemque ipſorum fortem fuiſſe atque potentem ad ſingulos porcos in mare præcipitandos. In vno igitur & eodem homine multa diabolorum millia habitare poſſunt: ac proinde videmus, quanta vigilantia, ſtudio & inuocatione nobis opus ſit, qui nouimus hominem vnum tot hoſtium millibus obnoxium eſſe, ſi Spiritu Dei deſtituatur. Ex hoc etiam loco Matth. refellitur illorum opinio, qui ſentiũt, ſingulis hominibus vnum duntaxat bonum Angelum auxilij cauſſa, & vnum duntaxat malum vexandi & affligendi gratia, à Deo aſſignari. Videmus enim hîc aliquot millia dæmonum vni cruciando deſtinata fuiſſe: Contra alibi legimus vnum Angelum infinitis propè millibus hominum perdendis, toti ſcilicet Regis Aſſyriorum exercitui miſſum fuiſſe. Quidni igitur etiam vni homini dari poſſint multi boni Angeli, qui eius curam gerant? Certè Pſalmus cuique pro cuſtodiendo, multos deſtinari Angelos docet, cùm ait: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*: quanquam quid hîc reſponderi poſſit non ignoro; nimirum adhibita diſtinctione, quòd ordinariè vnus, ſed extra ordinem multi adhibeantur. Sed de iis aliàs. In præſentia ſatis eſt apertis ſcripturarum teſtimoniis & exemplis monſtraſſe, plures ſpiritus, tam bonos, quàm malos, in vno homine, eſſe poſſe.

DE NVMERO ANGELORVM.

CAPVT XIIII.

PAVCIS etiam expedienda eſt alia curioſa quæſtio, *de numero* Angelorum, *tam bonorum, quàm malorum.* Quærunt enim nonnulli *an magnus ſit Angelorum numerus*: Alij verò, *an ſciri à nobis poſſit aliquo modo, quantus ſit iſte numerus.* Ac reperti ſunt homines tam audaces, qui auſi fuerint, quótnam ſint numero Angeli, quos *ſubſtantias abſtractas, menteſ'que* appellant, vtcunque pronunciare. Platonici enim videntur primi omnium ſtatuiſſe, tot eſſe ſubſtantias ſeparatas, quot ſunt rerum ſenſibilium ſpecies. Dicuntur enim (vt Ariſtotelici illis attribuunt) ſic definiuiſſe ſubſtantias ſeparatas, vt nihil aliud ſint, quàm ſpecies rerum ſenſibilium: putà humana natura, abſtracta à ſingularibus hominibus; Angelus fuerit vnus, quem vocauit *αὐτ' ἄνθρωπον*: eſſentia ligni fuerit omnis ligni Angelus, & *αὐτόξυλον*. Ariſtoteles verò: tot eſſe intelligentias abſtractas, quot ſunt orbes, ſeu corpora cœleſtia, docuit. Aliud enim officium non dedit iis abſtractis intelligentiis, quàm mouendi orbes cœleſtes: & hoc motu regendi mundum: Vnicuique autem orbi mouendo, vnam ſufficere intelligentiam iudicauit. Ita admodum pauci forent Angeli, contra ſcripturam, quæ ait, millia millium miniſtrabant ei: Et decies centena millia aſſiſtebant illi. Sed is etiam hac in parte hallucinatus eſt vehementer. Alia ſunt enim officia Angelorum ex verbo Dei, quàm mouere orbes. Rabbi autem Moſes Ægyptius li. 2. cap. 7 multa Angelorum genera eſſe voluit. Omnium enim rerum, tam inferiorum, quàm ſuperiorum, virtutes ac potentias Angelos eſſe. Quot igitur ſunt virtutes rerum ſupercœleſtiũ, virtutes cœlorum cœleſtiúmque aſtrorum, virtutes rerũ ſubcœleſtium: tot etiam ille conſtituit Angelos. Exempli cauſſa, virtus ignis, Angelus illi eſt: vis generandi in animalibus, Angelus eſt. Et ita de reliquis: quãquam *κατ' ἐξοχὴν* intelligentias abſtractas & ſupercœleſtes agnoſcit propriè pro veris Angelis. Verùm is etiam inſaniuit: quia non ſe continuit in verbo Dei. Nuſquam enim legimus, ſingularum rerum etiam rationis expertium virtutes, Angelos in ſcripturis appellari. Thomas Aquinas ſenſit numerum Angelorum, ſiue ſubſtantiarum materia carentium, quaſi incomparabiliter (vt loquitur) excedere multitudinem ſubſtantiarum materialium. Et poſt citatum teſtimonium Dionyſij Areopagitæ ex cap. 9. cœleſt. Hierarch. hanc adfert rationem: Quo aliqua ſunt reliquis perfectiora, eò etiam illa ſunt in maiori, vel magnitudine (id eſt, quantitate continua) vel numero (id eſt, quantitate diſcreta.) Nam cùm id, quod in rerum creatione ſpectauit Deus, ſit totius vniuerſi perfectio: neceſſe eſt, vt quę sũt perfectiora, ea excedant imperfectiora. Exceſſus autem iſte, aut in magnitudine conſiſtit, aut in numero. In magnitudine quidem, ſi res ſint corporeæ: In numero autem, ſi incorporeæ. Nam manifeſtum eſt, corpora incorruptibilia, qualia ſunt cœli, longè maiora eſſe corporibus corruptibilibus, quæ ſunt infra Lunã. Cùm igitur ſubſtãtiæ abſtractæ & immateriales perfectiores ſint ſubſtantiis materiâ conſtantibus, neque illæ has excedant magnitudine, cùm ſint incorporeæ: conſequens eſt, vt eas excedant numero. Quare plures ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, id eſt, angeli, quàm ſubſtantiæ cum materia coniunctæ: Ita verò ſibi videtur egregiè concluſiſſe Thomas, cùm nihil tamen ſit ſtultius, quàm iſtis friuolis rationibus de ſubſtantiarum abſtractarum numero velle definire. Sunt, qui numerum contrahant, & comparatione tantùm hominum definiant: idque, ſi Deo placet, ex Euangelio. Chriſtus Luc. 15. Parabolam paſtoris propoſuit, cui ſint centum oues. Is ſi vna è grege auulſa vagetur, & ſibi pereat: relictis 99. in deſerto, abit quæſitum illam vnam. Hanc *vnam ouem* interpretantur *humanum genus*: *Nonaginta autem nouem, ipſos Angelos beatos*, quos Chriſtus paſtor reliquit in cœlis, & venit in Mundum, vt quæreret, & recuperaret ſibi homines, qui perierant. Sunt igitur Angeli beati in cœlo, eò plures ſunt nonaginta nouem oues, vnâ: Quibus ſi accedant etiam Dæmones, qui, vt videbimus, etiam ſunt penè innumerabiles: quantus fuerit numerus horum ſpirituum, quos *Angelos* vocamus? Scio Auguſtinum tom. 6. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum, lib. 2. cap. 9. hoc ſimili ex Euangelio vſum fuiſſe, quo oſtenderet, longè maiorem eſſe numerum Angelorum, numero hominum (verba enim ipſius hæc ſunt: *Creator Angelorum fecit Angelos, Archangelos, ſedes, dominationes, principatus, poteſtates, Cherubin, Seraphin. Ad quorum multitudinem, vt legimus in Euangelio, omne genus humanum ad vnam comparauit ouem, dicens: relictis 99. in montibus, venit quærere vnam errantem.*) Scio, inquam, quid hîc ſibi voluerit Auguſtinus. Sed inde inferre, tam plures eſſe Angelos hominibus, quàm plures etiam ſunt nonaginta nouem oues vna oue, quanta eſt audacia? vt taceam de argumento Auguſtini, quod ex illa elicit parabola quanti ſit ponderis. Quanquam ille nihil aliud concludere voluiſſe videtur, quàm plures eſſe Angelos, ipſis hominibus. Idem ſenſit Hieronymus, neque longiùs progreſſus eſt. Sed nihil eſt ſatius, quàm quæ tacuit Spiritus ſanctus, & ignorare nos voluit: ea etiam curioſiùs non inquirere. Quæ verò reuelauit, in iis firmiter acquieſcere. Quid autem de numero Angelo-

rum reuelauit Dominus, & quid tacuit? Magnum eſſe nu-
merum,& nobis incomprehenſibilem, docuit: Quantus au-
tem, & quónam millium numerus iſte ſit, omninò tacuit.
Hæc igitur eſto noſtra Theſis:

THESIS.

Numerus Angelorum, tam bonorum, quàm malorum, etſi maximus & penè incomprehenſibilis eſt: quantus tamen ſit, neque generatim, neque ſpeciatim ſciri a nobis in præſentia poteſt.

MAximum & penè innumerabilem eſſe docent ſcriptu-
ræ: Dan.7. *mille millia miniſtrabant ei: Et decies mille myriades ſtabant ante illum.* Eſt autem certus numerus pro
incerto,& definitus,pro indefinito Sic Chriſtus Mat.20. *An non putas quòd poſſim Patrem rogare: Et mittet mihi plus quã duodecim legiones Angelorum?* Et Apoſtolus Hebr.12 *Acceſ-ſiſtis ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem & ad in-numerabilium Angelorum cœtum.* Quantus autem ſit, neque
generatim, neque ſpeciatim ſciri à nobis in præſentia poſſe,
inde liquet, quia naturaliter intelligi hoc non poteſt: quo-
niam ſi naturaliter vix ſciri poteſt,an ſint Angeli: quomodo
quot ſint, percipi à nobis naturaliter? Neque etiam per re-
uelationem: Deus enim in ſcripturis non reuelauit. Extra
ſcripturas autem nihil de iis, quæ ad aliud pertinent ſeculũ,
déque rebus inuiſibilibus credendum eſt, aut tradere fas eſt.
Quis igitur queat definire,quot numero ſint Angeli? *In præ-ſentia verò dixi hoc neſciri*, hoc eſt, in hoc ſeculo: quoniam
in cœlo nos & hoc, & alia infinita cognituros, non ſolùm
non dubito, ſed firmiſſima etiam fide credo & ſpero. Inte-
rim tantam eſſe Angelorum bonorum multitudinem, quan-
ta ſatis,ſupérque ſit ad miniſterium noſtræ ſalutis perficien-
dum,& ad omnes diabolos expugnandos. Et longè etiam, i-
mò infinities ferè ampliùs è ſacris literis nouimus. Hoc ſa-
tis eſſe debet. Quod verò de numero Angelorum dictum eſt:
idem dictum volo de Dæmonum multitudine: qua tamen
de re ſeorſum nonnulla, ſuo loco nobis dicenda erunt.

Ex reſponſione verò ad quæſtionem hanc de numero An-
gelorum, data, apparet,vana quoque eſſe, quæ multi de cer-
to numero Hierarchiarum Angelicarum, déque certo nu-
mero Angelicorum ordinum in vnaquaque Hierarchia, &
de gradibus in vnoquoque ordine, ſcripta reliquerunt. De
iis illi rebus tam aſſeueranter ſcripſerunt: quaſi in cœlis ipſi
fuerint, ſingulâſque Hierarchias,& ſingulos ordines perlu-
ſtrarint, & in familiari colloquio, cum omnibus angelis
in cœleſti aliquo conuiuio fuerint: Nam è Scripturis hæc
didiciſſe non potuerunt: cùm Scripturæ ſacræ nullam prorſus de talibus Hierarchiis talibúſque ordinibus,mentionem
faciant: Quanquam iſti boni viri conantur è certis Angelo-
rum nominibus quæ legerunt in ſacris literis, ſua ſomnia
confirmare,ſed quàm prudenter & ſcitè,mox videbimus.

DE HIERARCHIIS ORDINIBVSQVE ANGELORUM.

CAPVT XIV.

DE ordine inter Angelos poſito, bifariam diſputari
poteſt: nimirum aut de illo, in quo creati fuiſſe
creduntur: Non eſt enim Deus auctor confuſio-
nis, ſed ordinis: aut de illo, qui poſt lapſum inter
dæmones conſecutus eſt, vt ſcripturæ docent: quemadmo-
dum ſuo loco videbimus. De priori nunc nobis aliquid di-
cendum eſt. Quæſtio itaque proponitur, *an inter Angelos aliquis à Deo conſtitutus fuerit ordo, necne: Etſi fuit, quiſ-nam ille ſit.*

Eſſe & ſemper fuiſſe aliquem inter Angelos ordinem, ne-
mo vnquam eruditus dubitauit. Ordo enim & diſtinctio in
rebus omnibus, res eſt præſtantiſſima & verè diuina. Vide-
mus autem in omni rerum à Deo conditarum genere, ordi-
nem pulcherrimum ſimul & vtiliſſimum, citra quem omnia
funditus perderentur, à Deo poſitum, perpetuò ſeruari: quo
nimirum alia aliis ſuperiora ſint, alia inferiora: alia maiora
& digniora, alia minora & minùs digna: *Et ſtella* (inquit
Paulus) *differt à ſtella in claritate.* Inter homines præſertim,
hunc ordinem voluit eſſe Deus, inter quos nulla ſocietas,vel
domeſtica,vel politica, vel Eccleſiaſtica ſine ordine, quo alij
præſint aliis, alij ſuperiores ſint aliis, perdurare diu poteſt.

Imò conſtat è ſcripturis,inter diabolos etiam,vt videbimus.
aliquem reperiri ordinem, principatum,poteſtatem,vt eſt ad
Epheſ. *Quidni igitur & inter Angelos nulla ἀταξία, ſed pulcer-rima diſtinctio atque εὐταξία eſſe ſempérque fuiſſe credenda eſt.*
Sic Patres omnes, ſic noſtri etiam docuerunt. Eſt igitur hoc
primum membrum quæſtionis extra controuerſiam.

II. Cæterùm, quiſnam & qualis ſit iſte ordo atque di-
ſtinctio,non inter omnes conuenit. Platonici tres dæmonũ
omnium, quos, vt antè dictum eſt, Angelos non vocamus,
ordines ſtatuerunt: eóſque in tribus locorum generibus col-
locârunt: & ab iis etiam illos denominarunt: nempe, alios
ſupra cœlos hoſce noſtros. Vnde & *ſupercœleſtes* appellarũt:
alios in hiſce cœlis: proinde *cœleſtes* fuerunt vocati: Poſtre-
mos verò *ſubcœleſtes*, in hac vltima mundi parte,quæ eſt in-
fra Lunarem ſphæram, in profundum vſque terræ: in igne,
in aëre, in aquis,in terra: quos proinde vocarũt alios *igneos*,
alios *aëreos*, alios *aqueos*, alios *terreos*: Ac diuerſis iſtis tri-
bus ordinibus dæmonum, diuerſa etiam aſſignarunt offi-
cia

Primi ordinis *dæmones*, qui etiã *κατ᾽ ἐξοχὴν Dij* præ cæte-
ris appellantur, propter quandã ſingularem diuinitatis par-
ticipationem, de Platonicorum ſententia, nullum aliud ha-
bent officium, quàm ſemper adſtandi Deo,Deum laudandi,
celebrandi, colendi; Deinde verò acceptum à Deo lumen
inferioribus ordinibus impertiendi; ſingulíſque ſingula offi-
cia diſtribuendi,prætereà nihil; in ſumma beatitudine & fœ-
licitate conſtituti.

Alter ordo, vt illi volunt præeſt cœlis mouendis; ſtelliſ-
que regendis,eóque toti orbi,omnibúſque elemẽtis,per cœ-
lorum motum & ſtellarum influxus moderandis, ac tempe-
randis. Inde fit,vt horum tot genera eſſe dicerent, quot ſunt
cœli, & quot in cœlis ſtellæ, imò & quot ſunt motus ſtella-
rum,partéſque cœlorum, à quibus etiam cœlis & ſtellis no-
mina acceperunt. Etenim alios vocarunt *Saturneos*, eos ſci-
licet,qui præſunt cœlo Saturni, Saturnóq; ipſi; alios *Ioueos*,
qui præſunt cœlo Ioui & Ioui ipſi; & ita de reliquis. Innu-
merabiles igitur Angelos,quos propriè *cœleſtes intelligẽtias*,
Mundanóſque dæmonas vocabant,in cœlis collocarunt;iuxta
numerum ſcilicet non ſolùm cœlorum & Planetarum, ſed
ſingularum etiam ſtellarũ, quæ ſunt in cœlo ſtellifero. Imò
& motuum & influxuum, & ſingularum cœli particularũ è
quibus varij oriuntur influxus in inferiora. Inter hos verò
dæmonas: varios cõſtituerũt principes *δυνάμεις* & *ἐπιστάτας*.
Primò, duodecim, qui præſint duodecim Zodiaci ſignis;de-
inde ſeptem inter ſeptem Planetas; item quatuor, qui qua-
tuor præſint Elementis. Et alios complurimos; quos recen-
ſere ſuperuacaneum eſt. Hic fuit ſecundus dæmonum ordo
apud Platonicos.

Tertio verò ordini,ea quæ infra cœlum Lunæ diſponenda
ſunt, credita & commiſſa à ſummo Deo fuiſſe, affirmant;
quos etiam Origenes totus in hac parte Platonicus,*inuiſibi-les virtutes vocat*. Horum alios variis præeſſe regnis,prouin-
ciis,vrbibus,domibus,ſingulíſque hominibus,ab iis excitari
ventos,tempeſtates, nubes, pluuias & omnia meteora,ab iis
noſtra dirigi negotia, itinera, conſilia; hos intereſſe prælis,
dare aliis fœlices ſucceſſus, aliis infelices,Dei tamen ordina-
tione; Denique nullam eſſe Mundi partem,quantumuis mi-
nimam,in qua permulti non ſint dæmones; in igne,vt dixi,
in aëre,in aquis,in terra,in nubibus,in planicie, in ſyluis in
fluminibus. Inde alios vocarunt non ſolùm *igneos, aereos, a-queos, terreos* quorum multa faciunt genera; ſed alios etiam
montanos, vt qui in montibus degunt; alios *ſyluestres*: alios
campeſtres: alios *domeſticos*. Hinc Syluanis Fauni, Satyri, *Pa-nes. Nymphæ, Naiades, Nereides*, & alia dæmonum apud Poë-
tas genera: & totidem dicuntur eſſe horum dæmonum le-
giones, quot ſunt in cœlo ſtellæ. Alia etiam complurima à
Platonicis, de ordinibus, generibus, officiis, & numero dæ-
monum ſcripta fuerunt, quę lubens prætereo, quòd ad nos
nihil pertineant, ſed quæ dixi pauca,ea ſummam continent
omnium. Tolerabilis certè fuiſſet illa triplex diſtinctio, in
ſupercœleſtes, cœleſtes, & ſubcœleſtes, ſi longius non fuiſſent
progreſſi: ſed quæ iis addiderunt, mera ſunt hominum fig-
menta atque ſomnia, nulla fulta ratione. Neque in alium fi-
nem hæc pauca recitaui, quàm, vt quanta ſit hominum te-
meritas atque audacia, videremus: nihílque eſſe erroris, &
monſtri, quòd humanum ingenium, ſi careat lumine verbi
Dei, non fabricetur, & illud tanquam diuinum,non adoret.
Proinde magis laudandus eſt Ariſtoteles in hac parte, qui
tantùm licentiæ ſibi ſumere noluit, ſed contentus fuit ſuis
cœleſtibus intelligentiis.

III. Ex hoc fonte Platonico fluxêre proculdubio, quæ-
cunque alij etiam inter Chriſtianos ſcripſerunt de Hierar-
chiis, & Hierarchiarum ordinibus; præſertim quæ ſcripta
reliquit Dionyſius ille Areopagita. Is de Angelis duntaxat
bonis

bonis, qui in cœlo ſunt, loquens, tres facit illorum Hierarchias: Et in ſingulis Hierarchiis tres collocat ordines, quorũ ordinum, ſinguli multa contineant Angelorum millia, variósque gradus. In prima Hierarchia collocat *Seraphinos, Cherubinos & Thronos*: In ſecunda, *Dominationes, virtutes, poteſtates*: In tertia: *principatus, Archangelos, Angelos*. Et quid inter ſe diſtent ſinguli ij ordines. Et quodnam ſit cuiuſq; proprium officium, explicat mira verboſitate. Hunc ſecutus eſt Damaſcenus in capit. de Angelis, quanquam ſummatim tantùm ſententiam Dionyſij recitat, & probat. Deinde Magiſter Sentent lib. 2. diſt. 9. Hunc eundem ſecuti ſunt omnes Scholaſtici; Et Aquinas laborat in reddenda ſingulorum ratione. Legatur in prima parte magnæ ſummæ quæſt. 108. Videntur autem omnes iſti niti quibuſdam ſcripturarum locis, vbi iſta varia habemus Angelorum nomina, ſed malè intellectis; vt poſteà videbimus.

De Dionyſio Areopagita.

Cæterùm, vt quantæ ſint & eſſe debeant in Eccleſia autoritatis, libri huius Dionyſij intelligatur; notandum eſt, tres tantùm illuſtres *Dionyſios* celebrari apud hiſtoricos Eccleſiaſticos, in quorum numero iſte, de quo eſt quæſtio, eſſe non potuit. Primus fuit ille *Dionyſius Areopagita*, de quo Actor. 17. in fine capitis: *Is duxit creaturas prædicatione Pauli, & Paulo adhæſit*. Multi putant hunc Dionyſium, cuius habemus librum *de cœleſt. Hierarch.* fuiſſe illum Pauli diſcipulum: ſed falluntur etiamque, toto cœlo. De diſcipulo enim Pauli Euſeb. Cæſar. in hiſtor. lib. 4. cap. 23. ſcribit factum eum fuiſſe Epiſcopum Athenienſis Eccleſiæ: Et cùm ſingulorum Patrum ſi quid ſcriptum reliquerunt, diligenter libros recenſeat: Horum autem librorum, qui Dionyſij Areopagitæ eſſe dicuntur, nullam planè faciat mentionem: apparet, illum primum Dionyſium, non fuiſſe horum librorum auctorem.

Alter fuit *Corinthiorum Epiſcopus*, qui in Eccleſia Chriſti illuſtris fuit, & magni nominis vir, circiter annum Domini 166. quo ferè tẽpore etiam fuit Iuſtinus Martyr, ſub Antonino Philoſopho. De hoc Dionyſio multa ſcribit Euſeb. Cæſar. libr. 4. capit. 23. & huius Epiſtolas aliquot recenſet. Nullam verò horum librorum mentionem facit: quòd certe non neglexiſſet, ſi horum ille fuiſſet auctor. Tertius fuit *Origenis diſcipulus*, qui Origenes ſtatuit circiter annum Domini 217. Fuit hic Dionyſius, Epiſcopus Alexandrinus: De quo multa Euſeb. Cæſar. libr. 6. cap. 40. 41. 44. 45. 46. Et libr. 7. cap. 1. At quónam libros ſcripſerit, narrat idem Euſeb. lib. 6. cap. 46. De iis verò libris, qui Dionyſ. Areopag. inſcribuntur, οὐ χὺ quidem. Quanquam nonnulli ſunt, qui hunc velint horum librorum auctorem fuiſſe, ſed nullo firmo nituntur argumento. Contrà verò inde concludi poteſt, eum non fuiſſe horum auctorem: quia nec Hieronymus, nec Euſeb. qui alia huius tertij Dionyſij opera recenſent, hos præſentes libros illi adſcribunt. Fuit igitur aliquis alius Dionyſius, recentior & obſcurior. Certè recentiorem eſſe Auguſtino, liquet: cùm de hoc nulla apud eum fiat mentio. Hinc apparet, librum hunc de Cœleſt. Hierarch. non eſſe tantæ auctoritatis, vt illius teſtimonio quiſpiam moueri debeat.

IV. Vetuſtiores Patres, Hieronymus, Auguſtinus, & alij eius ætatis Doctores, videntur quidem & ipſi aliquid Platonizaſſe, ſed ſobriè tamen hiſce de rebus diſputarunt. Hieronymus, tom. 9. in Epiſtolam ad Epheſ. cap. 2. in ea verba; *Et ſedere eum fecit in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem*, in hæc ſcribit verba. *Nunc quærendum eſt, vbi Apoſtolus hæc quatuor nomina, principatum loquor, poteſtatem & virtutem, & dominationem, ſcripta reppererit & in medium vnde protulerit. Neque enim fas eſt, eum, qui diuina lectione fuerat inſtructus, aliquid locutum putare, quod in ſanctis voluminibus non habetur. Arbitror itaque illum, aut de traditionibus Hebræorum, ea quæ ſecreta ſunt, in medium protuliſſe: aut certè, quæ quaſi iuxta hiſtoriam ſcripta ſunt, cùm intelligeret, legem eſſe ſpiritualem, ſenſiſſe ſublimius. Et quod de Regibus atque Principibus, Ducibus quoque, Tribunis & centurionibus, in Numeris, & in Regnorum libris refertur, imaginem aliorũ Principum, Regúmq; cognouiſſe. quod ſcilicet in cœleſtibus ſint principatus, ſint poteſtates, ſint dominationes atque virtutes, & cætera miniſteriorum vocabula: quæ nec nos poſſumus nominare, nec ipſum Paulum puto, vt in graui corpuſculo conſtitutũ, enumerare voluiſſe.* Hęc omnia Hieronymi: quę talia ſunt, vt improbari omninò nequeant. Sed quæ ſequuntur, non ita facile probari poſſunt. Sequelę enim ſunt, quas ipſe facit, (ſi tamen ipſe fecit, & non alius quiſpiam,) ex verbis Apoſtoli. ſed non neceſſarias. Sic enim ait: *Si autem ſunt principatus ac poteſtates & virtutes & dominationes neceſſe eſt, vt & ſubiectos habeant, & timentes, & ſeruientes ſibi & eos, qui ſua fortitudine ne roborentur.* Hæc ſequela neceſſaria non eſt. Fortè enim principes & poteſtates dicuntur, reſpectu noſtri, & terrum noſtrarum: quia præſunt alij regnis, alij aliis creaturis: Et in malos etiam Dæmonas imperium habent. Quare non eſt neceſſe, vt alij Angeli boni, Angelis aliis præſint in cœlo. Pergit Hieronymus dicendo: *Quæ diſtributione [illegible], non ſolùm in præſentiarum, ſed etiam in futuro ſe [illegible], vt per ſingulos profectus, & honores & aſcenſiones & [illegible], vel creſcat aliquis, vel decreſcat. Et ſub alia atque alia poteſtate, virtute, principatu & dominatione fiat.* Hæc ille. Sed totùm hoc eſt ipſius, ſine vllo ſcripturarum teſtimonio. Sequitur confirmatio a ſimili ſed quæ nil probat: *Nos (vnquam) homines. [illegible], cùm in cinerem & puluerem diſſoluendi, ſi conſenſu hominum leuemur in Reges, tam ut habeamus miniſtrorum diuerſitates & multitudinem, quantas facimus poſſumus ſentire, quàm dicere. Et hic a[illegible] Deum Dominum Dominorum, & Regem Regnantium, ſimplici tantum miniſterio eſſe contentum.* Senſus eſt: ſicut reges apud nos non ſunt contenti ſimplici hominum vulgarium miniſterio: ſed volunt etiam ad ſuum obſequium & ſeruitutem, Principes, Duces, Marchiones habere: Ita etiam Deus non ſimplici Angelorum vulgarium miniſterio contentus eſſe voluit, proinde conſtituit alios principatus, alios poteſtates, &c. Sic ille ſenſit, ſed quàm rectè, nouit iam ipſe. Nam quòd alij Angeli boni in alios bonos imperium habeant, in ſcripturis non lego: ſed quòd hoc habeant in malos, colligi è ſcripturis facilè poteſt. Itaque hæc, quæ hîc ſcripſit Hieronymus, cùm à Ruffino carperentur, quaſi Origenica, Hieronymus tuetur in tom. 2. in apol. aduerſus Ruffinum, & Pammachium, & Marcellinum, pag. 205. Et diuerſa eſſe hæc ſua ab iis, quæ ſcripſit Origenes, oſtendit. Hoc mihi ibi perplacet, quòd natura æquales facit Angelos omnes, miniſteriis autem impares. Et hæc dominationum, & principatuum nomina eſſe officiorum docet: Angelos enim diuerſa officiorum genera eſſe ſortitos. Sed quod hanc officiorum diuerſitatem adſcribit diuerſis Angelorum meritis in libr. contra Iouinianum. 2. pagin. 89. non autem beneplacito voluntatis diuinæ: prorſus alienum eſt à doctrina Chriſtiana. Hoc verò videmus. & in Hieronymo, & in aliis eius ætatis Patribus omninò laudandum, quòd non auſi fuerint certas Hierarchias, & in ſingulis Hierarchiis, certos ordines conſtituere, vt fecit is, neſcio quis Dionyſius. Noſtra itaque hæc eſto Theſis.

THESIS V.

Tametſi Angeli natura; naturalique dignitate, pares omnes eſſe creduntur: diuerſis tamen officiorum generibus, eos & eſſe, & in finem vſque mundi futuros eſſe impares, eoque diſtinctos, inter illos eſſe ordines, diſtinctaſque dignitates: non ſolùm veriſimile eſt, ſed etiam è ſcripturis probabile. Certas verò Hierarchias, certóſque in ſingulis Hierarchiis ordines & tales dignitatum gradus, quibus perpetuò alij aliis præemineant: alij verò aliis ſubiecti inſeruiant, inter Angelos conſtituere: temerarium eſt, & a ſcripturarum ſimplicitate alieniſſimum.

PRincipio, *pares omnes natura & naturali dignitate concedimus*, quemadmodum anteà demonſtratum à nobis fuit, Vt enim omnes homines natura, naturalique dignitate pares ſunt, ex accidenti verò alij aliis digniores: Ita etiam Angeli. Omnes enim ex æquo ſubſtantiæ ſunt ſpirituales: omnes ex æquo facultate intelligendi, volendi, eligendi, præditi ſunt; omnes denique ex æquo creati boni, & ſua natura perfecti, quemadmodum ipſi quoque ſaniores Scholaſtici docent; *Sentent. lib. 2. diſtinct. 4.* Proinde ſcriptura omnes ex æquo vocat ſpiritus, & quidem omnes adminiſtratorios ſpiritus: & omnes ex æquo Angelos.

Deinde dicimus, *impares eſſe diuerſis officiorum generibus; quibus funguntur*, ſiue inter ſe ſe, quod tamen incertum eſt, *ſiue erga nos*, qua de re non dubitamus; cùm alij præficiantur cœlis (ſi Philoſophis credendum eſt) mouendis: alij diabolis, ne noceant, reprimendis, vt Tob. 8. alij Regnis conſeruandis, & eorum tyrannis in ordine retinendis, vt Dan. 10. alij Eccleſiæ alicui, alij Apoſtolis atque Paſtoribus, alij priuatis hominibus regendis præponantur. Ex hac enim officiorum diuerſitate, quorum alia aliis ſunt nobiliora, fieri omninò perſuaſum habeo, vt alij vocentur *ſimplices Angeli*; alij præter hoc *Archangeli*, alij *virtutes*, alij *dominationes*,

alij *principatus*, quemadmodum & Hieronymus diſertè explicauit. ſed in eo, meo quidem iudicio fallitur, quòd facit hæc officia, eóque & dignitates perpetuas: cùm Deus (teſte Apoſtolo) euacuaturus ſit omnem principatum & poteſtatem. Neque enim dicit Apoſtolus, *euacuabit in terris*: ſed ſimpliciter dicit, *omnem principatum*. Ergo etiam in cœlis inter Angelos euacuabit, vt vnus ſolus Deus emineat. Imò ne hoc quidem probari è ſcripturis poteſt, eundem Angelum eodem ſemper fungi officio: tantum abeſt, vt in perpetuum frui debeat. Sed prout ex Dei voluntate variis Angelis varia committuntur officia: Ita etiam varia ſortiuntur nomina: modò τῶν Ἀρχαγγέλων, modò τῶν ἐξουσιῶν, &c. Videmus hoc in 1. Regum lib. cap. 22. Cùm multi eſſent ſpiritus coram Domino. *Quis* (inquit Iehouah) *decipiet Achab, vt aſcendat in Ramoth? Vnus adſtitit, dicendo: Ego decipiam*. Non igitur erat certus aliquis ſpiritus, qui hoc perpetuum haberet officium tentandi, & decipiendi Regem illum: ſed prout ſeſe offerebat occaſio, demandabantur & demandātur hæc officia, quibus vult Deus, Angelis. Hoc enim exemplo ſatis apertè docemur, quid de aliis quoque ſentiendum ſit. Fallitur ergo Hieronymus, cùm ait, *etiam poſt hanc vitam manſuras has poteſtates*. Si ſuum imperium deponit Chriſtus, quà Mediator, 1 Cor. 15. Quomodo Angeli retinebunt ſuas poteſtates? Quòd verò probat idem Hieronymus hominum exemplo varias eſſe inter Angelos dignitates, quibus fiat, vt alij aliis imperent, & alij ſeruiant: nihil efficit. Eſt enim longè diſſimilis vtriuſque, Angeli ſcilicet & hominis conditio. Homo propter corruptam naturam opus habet Magiſtratu, à quo retineatur in ordine atque officio: Et idcirco ad finem vſque Mundi durant Magiſtratus & principatus in Mundo, non vltra. At verò Angeli, perfecti cùm ſint, & confirmati, ne deficere poſſint: non opus habent his principatibus, ſua cauſſâ, ſed tantùm noſtra. Quare non propter ſe, ſed propter nos, principatus ſunt in Cœlo. Ad nomina autem illa nouem quod attinet, vnde *nouem choros Angelorum* conficiunt: quid infirmius hoc fundamento? Imò concludere etiam nobis licebit, multò plures eſſe Angelorum choros, quàm nouem: quia multò etiam plura reperiuntur ipſorum nomina, quàm nouem. Addendus enim fuerit illis nouem, etiam ordo militantium ſeu pugnantium, quia inuenitur nomen *exercitus cœleſtis*. Luc. 2. Item, *ordo vigilum*, quia vigiles etiam habemus apud Danielem. Item *chorus ſtellarum matutinarum*, quia ſic vocantur apud Iobum; *Chorus* item *Elohim*. *Chorus filiorum Dei*. Nihil igitur ineptius, quàm ex nouem quibuſdam nominibus, quæ de Angelis prædicantur, nouem conſtituere choros Angelorum. Et quidem ita illos diſtribuere, vt tres ſint in ſingulis Hierarchiis: quemadmodū illi ſine vlla dubitatione ſic eſſe diſtribuēdos affirmant. Et Thomas Aquinas aſſeuerāter ſcribit, *Prima parte q. 113. n. 3. Angelos præfectos eſſe ſingulis hominibus cuſtodiendis: Archangelos prouinciis principatus, toti humanæ naturæ: virtutes, corporibus: poteſtates imperium habere in Cacodæmones: Dominationes verò bonos curare ſpiritus*. Sed vnde hęc didicit? è quibus ſcripturis hauſit? Melius Auguſtinus, qui tom. 3 in Enchir. ad Laur. c. 29. ſic ait: *Quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus vniuerſam illam ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus: dicendo: ſiue Throni ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicūt. Ego me iſta ignorare confiteor*. Et tom. 6. lib. ad Oroſium contra Priſcil. & Origenem cap. XI. ait: *eſſe ſecundum Apoſtolum ſedes* (id eſt, thronos) *Dominationes, principatus, poteſtates in cœleſtibus apparatibus, firmiſſimè credo. Et differre inter ſe aliquid: ſed quo me contemnas, quem magnum putas eſſe doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio. Nec ea ſanè ignorantia periclitari me puto*. Hæc omnia Auguſtini. Vtinam omnes contenti eſſent iſta humili modeſtáque Auguſtini reſponſione. Sunt tamen, qui ſic ea nomina interpretentur, vt non ineptè inferant ex iis nominibus nullo modo colligi poſſe, vel diuerſos ordines Angelorum, vel diuerſa eorundem in ſingulis ordinibus officia. Nam, vt à nomine *Angeli* incipiamus, Angelum ſignificare nuncium: Omnes autem mitti tanquam Dei nuncios, teſtatur Apoſtolus Hebr. 2. Non igitur certus ordo Angelorum: ſed omnibus conuenit hæc appellatio. *Archangelus* autem appellari videtur ille, qui ad præclarum, ſed arduum ſimul, & difficile opus mittitur, vt apparet de illo, qui diſceptabat cum Satana de corpore Moſis, in Epiſtola Iudæ. Et de illo, de quo 1. Theſſ. 4 quòd Chriſtus deſcendet in voce Archangeli. Conuenit igitur omnibus illis, qui ad munus aliquod difficile & arduū mitti ſolent, tam Seraphinis, & Cherubinis, quàm alteri, vt Scholaſtici cum Dionyſio volunt, ordini. Sunt enim hæc duo nomina officij, quod tam vnis, quàm aliis Angelis demandari poteſt. De Cherubin & Seraphin dictum anteà eſt, quid ſignificent. Et conſtare videtur, non eſſe nomina ordinum; tum formarum corporearum, quibus apparent Angeli. Reliqua nomina Throni, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominia, ſumta omninò eſſe videntur à rebus humanis, per ſimilitudinem: ad ſignificandam tum dignitatem Angelorum (ſunt enim comparatione Dæmonum, noſtrique omnium inſtar Principum & potentiſſimorum Regum) tum etiam illorum officia, & quàm multas magnáſq; res Deus per hos perficiat in Mundo. Hæc autem omnia in omnes conuenire Angelos poſſunt. Illorum verò ſententia mihi certè probatur qui aiunt, Apoſtolum illis nouem nominibus nihil minùs voluiſſe, quā nouem indicare Angelorum ordines in tres Hierarchias diſtributos atque diſtinctos. Neque enim hæc nouem nomina ſimul protulit: quod certè feciſſet, ſi tales choros ſignificare nobis voluiſſet. Sed quid voluit? primum quidem quicquid ſublime & excelſum atque diuinum eſt in cœlo: ſupra omne illud exaltatum fuiſſe Chriſtum, quà homo eſt: eóque excelſiorem eſſe cœlis omnibus, & Angelis vniuerſis. Deinde ſimul etiam voluit indicare, quanta ſit Dei prouidentia, qua noſtri curam gerit: quantáque ſit eius erga nos beneuolentia, qua nos in Chriſto complexus eſt: quippe qui omnes, quos in cœlo habet Angelos, vtvt magnos, potentes, excelſos, nobiles: omnes tamen ad noſtri curam ordinauit, vt Heb. 2. dicitur: Et cum opus eſt, illos mittit, qui tam vrbes ipſas, & regna tueantur, quàm etiam nos è periculis eripiant, in mediis afflictionibus conſolentur, Cacodæmones propellant: Et quæcunque præſtari poſſunt officia ad ſalutem noſtram ſpectantia, illa præſtant. Quę omnia ſimpliciter ab Apoſtolo, & ab aliis Prophetis atque Apoſtolis tradita, incredibilem adferunt piis conſolationem, erigunt animos, ſuſtentant fidem: Et in amorem Dei accendunt: fortes in afflictionibus reddunt: Denique beatos nos etiam in hoc ſeculo efficiunt. Sentimus igitur Angelos, principatus, poteſtates, & aliis horum ſimilibus nominibus appellari, propter officia, quæ habent à Deo erga nos aduerſus Dæmonas, & in omnes inferiores creaturas: Non autem quòd more noſtro, in cœlo ſint alij ſubiecti, alij dominentur, alij potentiores, alij minùs potentes, alij nobiliores, alij minus nobiles: quando de huiuſcemodi rebus nihil certi è ſacris literis colligi poteſt. Temerarium autem eſt, vt ſuprà diximus, de rebus inuiſibilibus atque cœleſtibus aliquid certi, ſine verbo Dei definire & aſſeuerare.

DE OPERIBVS DEI, PARTIS PRIMÆ,

LIBER TERTIVS.

De Angelis bonis.

QVAE communia ſunt tam malis, quàm boni Angelis, ea ferè omnia ſuperiori libro complexi ſumus. In hoc itaque tertio, quæ propria ſunt bonorum, ea nobis breuiter pertractanda reſtant: dicturis porrò *de malis*, hoc eſt, de illis, qui in veritate non perſtiterunt: Et quos tum *diabolus*, tum *Cacodæmones* appellare ſolemus. Conſtat enim omnes creatos fuiſſe bonos, ſed aliis in veritate perſiſtentibus, aliqui defecerunt, factique ſunt mali, omniſque malitiæ auctores. Ipſorum verò aliquos peccaſſe, & in veritate non perſtitiſſe, quos proptereà etiam *malos Angelos* vocamus & *cacodæmonas*: alios verò in veritate perſtitiſſe, atque ita perſtitiſſe, vt iam in ea ſint confirmati, nec peccare amplius queant: quos: proinde etiam *Angelos bonos*, & *beatos ſpiritus* vocare conſueuimus: extra controuerſiam eſt. De iis autem, qui Deo adhærentes in veritate perſtiterunt, & in ea confirmati ſunt: ac proinde quos *beatos ſpiritus*, *ſanctoſque Angelos* vocamus; Hæc nobis ordine dicenda explicandáque ſunt.

1. Primum quæſtiuncula de propriis ipſorum nominibus.

2. Deinde, quænam fuerit cauſſa, cur aliis à veritate deficientibus, iſti in veritate perſtiterint.

3. De ipſorum confirmatione in gratia.

4 Num, quia peccare amplius non poſſunt, ideò deſierint liberi eſſe arbitrij. Et quænam in ipſis manſerit.

5. De Angelorum cognitione, & quotuplex ea ſit.

6. De modo, quo aliquid cognoſcunt.

7. Num præuenerint & aliorum defectionem, & ſuam in veritate conſtantiam.

8 Num cognoſcant res materiales & ſingula quæ hìc fiunt.

9. Num cogitationes etiam cordium noſtrorum, deſideria & affectus noſtros.

10. An futura quoque contingentia, myſteriáque gratiæ & Euangelij: vt quinam ſint vocandi atque ſeruandi, &c.

11. Quàm perfecta ſit eorum cognitio: Et num poſſit fieri perfectior.

12. De ipſorum voluntate: An adhuc verè ſint liberi arbitrij, & voluntatis.

13. De amore, odio, lætitia, triſtitia & aliis ſimilibus affectibus: Et, an nos poſt Deum ament; Et, an doleant de peccatis noſtris: Contrà verò lætentur de pœnitentia noſtra, & omni noſtro bono, coniugiis, precibus, &c. Hæc enim teſtimonia ſunt amoris.

14. De officiis Angelorum erga nos, atque in primis de cuſtodia, qua nos cuſtodiunt. Déque iis, quæ hanc conſequuntur, effectis.

15. An ſingulis hominibus ſinguli Angeli boni dati ſint: An verò & plures, & quos vult Deus.

16. An aliquando diſcordia atque diſceptatio oriatur inter Angelos, nō tam bonos & malos, quàm etiam inter ipſos bonos, noſtra cauſſa.

17. An vnquam nos deſerant ſua cuſtodia.

18. De potentia & robore Angelorū in creaturas irrationales: Et an poſſint edere miracula. Itē: An imperiū & poteſtatē habeant, nō ſolum in res ratione carentes, verū etiam in homines, & in diabolos. Denique de potentia Angelorū in homines, poſſint ne ſensū, imaginationē, intellectum, voluntatē immutare.

19. De lingua ſeu locutione Angelorum, tum inter ſe, tum apud homines.

20. De miſſionibus & apparitionibus Angelorum ad nos in mundum: Et qui fiat, quòd aliàs ſæpè apparebant viſibilibus corporibus noſtris aſſumtis: Nunc autem nunquam ſoliti ſint apparere.

21. An Angeli boni opus habuerint Chriſto: & quatenus Chriſtus ad illos pertineat.

22. An ſint inuocandi, quia tam excellentes ſpiritus: Et tot tantáque per illos efficit Deus erga nos.

DE PROPRIIS ANGELORUM nominibus.

CAPVT I.

QVÆRVNT diſputatores, num ſinguli Angeli boni propria habeāt nomina, Deo quidem notiſſima, nobis verò ignota. Ac ſunt, qui id affirmare audeant, his adductis rationibus: Quidam propriis nominibus nominantur in ſacris literis, & ab aliis diſcernuntur. Dubitandum igitur non eſt, quin ſinguli ſua habeant nomina, licèt nobis ignota. Aſſumptum ita explicatur: Quædam in ſcripturis propria Angelorum nomina leguntur: quanquam hæc, an à Deo immediatè, an verò à Prophetis, Dei amanuenſibus, fuerint illis impoſita. An verò Angeli ipſi ſeſe talibus nominibus pro rei opportunitate appellauerint, ignoratur. Vnum habemus Danielis 8. & 9. nempe *Gabrielis* nomen, quod etiam in nouo Teſtamento reperitur. Luc. 2. ſignificat autem גבריאל *Virtutem ſeu fortitudinem Dei*, quod per eum Angelum Deus vim & potentiam ſuam exereret. Aliud quoque habemus apud eundem Prophetam, nomen ſcilicet *Michaelis* cap. 10. & 11. Item in Iudæ Epiſtola, Et Apocalypſ. Significatio autem מיכאל eſt, *Quis ſicut Deus: nempe potens & fortis, vt cum eo queat pugnare?* Introducitur enim Angelus iſte pugnans nomine Dei, contra diabolum pro populo Dei, ſaluteque Eccleſiæ. In libro Tobiæ, cap. 3. *Raphaelis*, nomen רפאל habemus: *à medendo, ſeu ſanando*, dictum: id quod Tobias explicat, dicens: *Et miſſus eſt ſanctus Angelus Domini Raphael ad ſanandum vtrumque.* In lib. 4. Eſdræ cap. 4. mentio fit Angeli, cui nomen *Vriel* אוריאל. Eſt autem nomen aut à *flamma ignis*, aut à *luce* deductum. Venerat enim, vt illuminaret, inſtrueréque Eſdram. Idem 5. repetitur in eodem li. & c. 4. *Ieremiel*. Et reſpondit ad ea Ieremiel Archangelus. Eſt autē ירחמאל *miſericordia Dei*, vel *dilectio Dei*. In eodē 4. Eſdræ li. c. 15. nomen *Sealthiel*. *Venit ad me Sealthiel, dux populi.* Eſt שאלתיאל poſtulatus ſeu commendatus Dei. Hæc in ſcripturis partim Canonicis, partim Apocryphis, nomina bonorum Angelorum propria legi. Nam nomen Aſmodæ Tob. 3. cacodæmonis nomen eſt. De quibus poſtea.

II. Plura verò apud Hebræos leguntur. Nomina enim Angelorum propria permulta, quaſi ex Patrum traditionibus accepta habent. Qui. n. præſident ſeptem Planetis cæleſtibus: eos, his aiunt vocari nominibus qui Saturno *Zaphiel*, qui Ioui *Zadkiel*: qui Marti *Camuel*: qui Soli *Raphael*, qui Veneri *Haniel*: qui Mercurio *Michael*: qui Lunæ *Gabriel*. Atquihoc eſſe illos ſeptem ſpiritus, qui ſemper adſtant in conſpectu Dei: E quibus credita eſt diſpoſitio totius regni cœleſtis & terreni. Et hos ſeptem quidam aiunt, eſſe illos quos Triſmegiſtus vocat *ſeptem mundi gubernatores*. Quibus de rebus fusè ſcripſit Abbas Trithemius ad Imperatorē Maximilianum. Qui verò præſunt duodecim ſignis Zodiaci: hos iis contendunt nominibus appellari. Qui Arieti, *Malchedael*: qui Tauro, *Aſmodel*. qui Geminis, *Ambriel*: qui Cancro, *Muriel*: qui Leoni, *Verchiel*: qui Virgini, *Hamaliel*: qui Libræ, *Zuriel*: qui Scorpioni *Barchiel*: qui Sagittario, *Adnachiel*: qui Capricorno, *Hanael*: qui Aquario, *Gambiel*: qui Piſcibus, *Barchiel*. Ad hæc tradunt Angelos 28. dominari in 28 Lunæ manſionibus: Et hos ſuis propriis vocant nominibus ex Patrum traditione: Quibus recitandis, ne ſim prolixus, ſuperſedeo. Quatuor item angelorum principes præficiunt quatuor ventis: & 4 Mundi partibus. & qui præfectus eſt vento orientali, aiunt vocari *Michaelem*: qui occidentali: *Raphaelem*: qui Boreali *Gabrielem*. qui Auſtrali. *Narielem*. Præterea alios quatuor principes aiunt præfectos eſſe quatuor Elementis: quorum qui præeſt igni, *Seraph* vocari: qui verò Aeri, *Cherub*: qui Aquæ, *Tharſis*: qui Terræ, *Ariel*: Et hós omnes Angelos bonos eſſe, & magnos eſſe principes inter alios Angelos: quòd & multis aliis dominentur legionibus angelorum: Et quòd multum habeant autoritatis & poteſtatis, in ſuos Planetas, in ſua ſigna, in ſua Elementa, in ſuos ventos, quibus à Deo præfecti ſunt. Tradunt præterea Hebræorum *Mecubales ſeu Cabaliſtæ* regulas, quibus è ſcripturis elici nomina Angelorum docent: Ac contendunt omnia Angelorum nomina in ſcripturis contineri, ſed myſteriosè.

Et ſi verò hæc omnia, quæ modò ex Hebræorum libris retuli, (vt apud Tritemium, & Agrippam & alios leg.) mera ſint & vaniſſima ſomnia: nonnulli tamen probabilia eſſe iudicant: ea eſt hominum cæcitas atque inſania. Quæ verò è ſcripturis allata ſunt nomina, nihil minùs quàm quod iſti volunt, concludunt, vt videbimus: ſed prius alia audiamus argumenta.

2. Citant ex Pſal. 147. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus illis nomina vocat, ſeu indit.* Quantò magis igitur (inquit) ſingulis Angelis ſuis ſua indidit nomina Deus?

3. Item ſi Adamus omnibus animalibus, & rebus aliis, quæ ad ipſum fuerunt adductæ, nomina indidit, vnicuique rei iuxta ipſius naturam, ingenium, proprietatem, quantò magis Deus ſuis Angelis? Quanquam Hebræi plerique (vt ſunt in mendaciis excogitandis audaces) volunt nomina ipſis quoque Angelis ab Adamo fuiſſe indita.

4. Adducunt præterea: *Omnium electorum hominum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: Ergo etiam Electorum, ſanctorúmque Angelorum.* Quare ſua ſinguli habent nomina in cœlo: quanquam nobis ignota.

5. Item, *Angeli inter ſe loquuntur: & vnus ſolet alterum appellare, ad illum loqui, eum ad laudes Dei inuitare.* Vt etiam Ieſa. 6. Seraphini clamabant alter ad alterum. Nominibus igitur propriis inter ſe diſcernantur, oportet.

6 Item, *Chriſtus paſtor ſuas omnes oues nouit, & nominatim vocat*, Io. 10. Sunt autem & Angeli oues Chriſti, ſignificatæ per illas 99. quas reliquit in montibus, vt quæreret vnam, id eſt, homines electos. Ergo tam Angeli, quàm homines ſua propria habent nomina.

7. Denique, ſi apertè videmus in ſacris literis quoſdam Angelos ſuis propriis ſignificatos fuiſſe nominibus: Quidni idem de reliquis omnibus ſentiendum eſt: quanquam non omnium ſint reuelata? Hæc fermè ſunt quæ pro illorum ſententia afferri poſſint.

Verùm ad hæc facilis eſt reſponſio: vt manifeſtè appareat iis rationibus nihil certi hac de re concludi poſſe.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, ipſa nominum illorum ſignificatione ſatis apertè indicari, nomina non fuiſſe quorundam propria, ſed cum aliis etiam, qui eadem officia illis nominibus ſignificata, præſtare ſoliti ſunt, aut potuerunt eſſe communia. Neque enim vnus tantùm curandis morbis præfectus eſt, ſed alij etiam ad idem faciendum mitti ſolent, certè poſſunt.

Nomen igitur *Raphaelis* nomen vnius Angeli proprium eſſe credendum non eſt. Idem de aliis dicendum eſſe, qu s dubitet?

2. Ad illud ex Pſalm 147. phraſis eſt figurata, qua apud Hebræos in ſcripturis ſignificatur certiſſima & clariſſima cognitio. Quibus enim nomina indimus: ea vt ſint nobis planè cognita oportet. Senſus namque Prophetæ eſt, Deo perfatile eſſe Iſraelitas omnes, vtut diſperſi ſint per omnes terræ regiones, colligere: quòd omnes habeat in numerato, & omnes probè cognoſcat & diſcernat ab hoſtibus. Nam etiam ſtellas ipſas per amplum cœli ſpatium diſperſas, perſpectas habere ſingulas: perinde atque ſi ſingulis ſua indidiſſet nomina. Ex figurata igitur locutione, nihil certi de nominibus verè inditis, euinci poteſt.

3. Simile Adami eſt valdè diſſimile. Cauſa enim erat neceſſaria, cur in hoc Mundo rebus ſingulis imponi debuerint nomina, nempe, vt poſſent à nobis diſcerni, & aliis etiam ſignificari. At hæc cauſa in Cœlis non habet locum, neque apud Deum, neque apud Angelos. Non ſolum enim Deus perſpectos habet ſibi omnes Angelos, ſed etiam ſinguli ſingulos norunt: Neque vt vnus alteri ſe aut alium ſignificet opus eſt nominibus, aut voce vlla, ſine qua nomina explicari non poſſint. Spiritualiter enim & per arcanas diuináſque reuelationes, ibi omnia fiunt & cognoſcuntur. Sugit etiam ſpongia aquam ex aliquo vaſe ſine ſtrepitu.

4. Quod de electorum nominibus in libro vitæ ſcriptis dicitur, totum illud eſt figuratè dictum, próque certa & indelebili notitia atque firmiſſimo decreto accipitur: quemadmodum & illud Pſal. 147.

5. Ad quintum, de loquela Angelorum reſponſio ex reſponſione ad ſecundum liquet: nimirum ſine voce & ſine nominibus ſeſe mutuò appellare Angelos. Annon etiam ſæpè inter nos idem vſu venit, vt alter alterum compellet, nullo expreſſo nomine, ipſo tantùm nutu?

6. Quod adducitur de Chriſto paſtore; totum etiam figura eſt. Nihil enim aliud ſignificat, quàm ſe curam habere ſingularum ſuarum ouium, eaſque appimè noſſe, & ad ſeſe etiam ſuo tempore vocare, & eas vocatas ad ſe venire. Ad ſummam nihil adducitur, vnde concludi poſſit, certis Angelis, certa nomina indita à Deo in Cœlo fuiſſe, & in perpetuum: ſed tantùm cùm hominibus apparerent ad tempus: & iiſdem nominibus alios quoque alio tempore, cùm ad ſimilia officia facienda miſſa ſunt, ornatos fuiſſe. Theſis igitur noſtra hæc eſto:

THESIS.

Angeli ſinguli an propria habeant nomina: ſicut è ſcripturis demonſtrari non poteſt: ita humanis rationibus velle definire, temerarium eſt.

TOta hæc Theſis negatiua eſt: proinde non opus habet vlla vel explicatione vel confirmatione. Qui contrarium ſentiunt, adferant ipſi rationes: nos ad eas reſpondebimus.

DE CAVSA, CVR ALIIS CADENtibus, alij in veritate perſtiterint.

CAPVT II.

QVAERVNT præterea Theologi omnes, quænam fuerit cauſa, cur aliis deficientibus à veritate, alij in ea perſtiterint. Ac non defuerunt, qui putârunt, quoſdam tales fuiſſe in veritate creatos, vt peccare, & à veritate deficere non potuerint: alios verò tales, qui in veritate nunquam fuerint, eóque nec in ea perſiſtere potuerint. Sed opinio hæc principio pugnat cum iis, quæ ſuperiori libro, de Natura Angelorum diximus. Manichæi enim ſenſerunt, quoſdam creatos ita bonos, vt à bono ad malum deficere non poſſent: Quoſdam verò ita malos, vt contrà à malo ad bonum non potuerint conuerti. Nos verò oſtendimus manifeſtis ſcripturarum teſtimoniis & rationibus, omnes ex æquo creatos fuiſſe bonos: ac cùm Chriſtus diſertè dicat, *Diabolum in veritate non ſtetiſſe*, apertè etiam docere, illum in ipſa veritate creatum fuiſſe. Quomodo enim poteſt dici non ſtetiſſe, vbi nunquam fuit? Et Iudas ait in Epiſtola, *Angelos malos originem ſui reliquiſſe*. Nemo igitur malus, aut in mendacio creatus: ſed omnes boni, & in veritate creati. Proinde diabolus etiam à Chriſto vocatur *mendacij pater*: propterea quod creatus non fuit à Deo mendax, ſed ſui mendacij ipſemet pater & auctor eſt.

2. Pugnat deinde cum illa arbitrij libertate, qua omnes ex æquo ab ipſo creationis initio, præditos fuiſſe diximus. Tales enim creatos fuiſſe monſtrabimus, vt quiſque potuerit, ſi voluiſſet, aut in veritate perſiſtere, aut ab ea deficere, idque ideo factum fuiſſe ſingulari Dei prouidentia, vt porrò ex quorundam lapſu appareret, quid per ſe valeret liberum arbitrium. Ex aliorum verò ad Deum conuerſione, & in bono perſeuerantia innoteſceret neceſſitas gratiæ. Quo pertinet illud Auguſtini tom. 7. de Corr. & gratia, c. 10. *Saluberrimè confitemur & firmiſſimè credimus, Deum, qui creauit omnia valde bona, & mala ex bonis exoritura præſciuiſſe, ſciuiſſeque ad omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere magis, quàm mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, vt in ea primo oſtenderet, quid eorum poſſet liberum arbitrium. Deinde, quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, iuſtitiæ quoque iudicium.*

3. Tertiò, ex aliorum ſententia ſequeretur, Angelorum alios fuiſſe creatos beatos, alios verò infelices & miſeros. Bonorum enim beatitudo vera hæc eſt, quòd ita in gratia Dei, & in veritate firmati ſint, vt ab ea excidere ampliùs nullo modo poſſint: Malorũ verò miſeria atque infelicitas, quòd ad veritatem redire, & ad Deum conuerti, nulla poſſunt ratione. Atqui falſum eſt, quoſdam creatos fuiſſe beatos. Forent enim beati naturaliter, non autem per gratiam Dei, & propter Chriſtum, quod cum ſacris literis pugnat, vt ſuo oſtendimus loco: *Quia ſolus ſuapte natura beatus & felix eſt*: vt oſtendit Paulus, 1. Tim. 6. *Reliqui omnes per gratiam, & propter Chriſtum omnium beatorum caput, beati ſunt.* Alterum verò minùs verum eſt, quoſdam creatos fuiſſe miſeros atque infelices: Scriptura dicente, *Quæcunque creauit Deus, ea valde bona fuiſſe*. quod certè dictum, tam de Angelis, quã de hominib. & reliquis creaturis, imò cùm primis de Angelis intelligendum eſt. Quomodo igitur creati fuerunt valdè boni? Deinde miſeria & infelicitas conſequitur peccatum, tanquam illius pœna, eáque debita ac iuſta. Si igitur creati fuiſſent miſeri: poſt creationem verò, vt manifeſtum eſt, peccarunt, & in veritate, in qua creati fuerant, non perſtiterunt; pœna præceſſiſſet culpam: quod ſentire impium atque ſacrilegum eſt, pugnãs ex diametro cum iuſtitia Dei. Ergo impia itidem, & ſacrilega eſt opinio, cauſam, cur aliis cadentibus, alij in veritate perſtiterunt, hanc fuiſſe, quòd quidam tales fuerint creati, qui peccare non potuerint: Et alij contra tales, qui non peccare non valuerint, & in veritate ſtare nequiuerint, vtpote in qua nunquam fuerint.

II. Altera igitur ſententia eſt, ideò aliis cadentibus, alios in veritate ſtetiſſe: quia ſicut illi à veritate deficere voluerunt, ſic iſti in ea perſeuerare decreuerunt. Omnes enim (vt anteà demonſtratum eſt) ex æquo creati fuerunt ad peccandum, & ad non peccandum liberi. Qui ergo peccarunt, voluntate libera peccarunt: Et qui non peccarunt, ideò non peccarunt, quia peccare noluerunt. Huc pertinet Auguſtini dictum, paulò antè ex libro de Corr. & gratia, à nobis citatum. Vnde & ibidem ſubdit: *Denique Angeli quidam, quorum princeps eſt & dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt.* Et hac de re nulla eſt inter doctos, tam Patres & noſtros, quàm etiam Scholaſticos, controuerſia. Verùm Ariſtoteles nunquam admiſerit, Intelligentias illas potuiſſe vnquam aut poſſe peccare, quoniam ſenſit, in illas ſubſtantias ſeparatas, neque errorem, neque malitiam cadere poſſe. Sic pronunciauit ſed ex cuiuſnam oraculo, niſi diaboli? Contrarium enim apertè docet Deus ipſe in ſuis libris. Quia ex re liquidò apparet, quod ſcripſit Moſes Ægyptius de Ariſtotele, eum de iis, quæ infra orbem Lunarem ſunt, ſapientiſſime locutum fuiſſe, & diſputaſſe. Sed de iis, quæ in cœlis, & ſupra cœlos ſunt, ſæpiſſimè delirasſe: illud veriſſimum eſſe. Rationes etiam aliquot adferuntur à Sophiſtis, quibus in ſpeciem videtur Angelos non potuiſſe peccare: Verùm ad has reſpondebitur, cùm de peccato malorum Angelorum diſſeremus. In præſentia hoc ſatis eſto, in confeſſo eſſe apud pios, Angelos omnes huius fuiſſe & eſſe naturæ, vt potuerint & etiamnum poſſint, à ſua natura peccare. Quare qui non peccarunt, ideò non peccaſſe, quia peccare noluerunt, ſed in veritate perſeuerare maluerunt.

III Cæterùm, etſi omnes in hoc conſentiunt, Angelos ideò in veritate perſtitiſſe, Deóque firmè adhæſiſſe, quia ſic liberè voluerunt: Non omnium tamen vnus atque idem eſt huius propoſitionis ſenſus. Quidam enim exiſtimant, Angelos, ſicut ad peccandum, ita fuerunt liberi, vt ſola ſua naturali voluntate peccare potuerint, ſine vllo aduentitio ad peccatum admittendum irritamento. Sic etiam

etiam ad bonum ita fuiſſe liberos, vt ſolis naturalibus voluntatis viribus, ſine vllo gratiæ diuinæ auxilio naturæ addito, in veritate perſiſtere, Deóque ſemper adhærere potuerint. Sed hæc opinio derogat gratiæ Dei, & gloriæ Chriſti. Quod enim Chriſtus dixit Apoſtolis, *ſine me nihil poteſtis facere*: Et quæcunque in ſcripturis habentur de neceſſitate gratiæ Chriſti, ad bonam etiam voluntatem (quippe qui operatur in nobis velle & perficere) eadem etiam in Angelos competunt: Sicut etiam Auguſtinus loco ſuprà citato, ex lib. de Cor. & gratia, manifeſtè docet: cùm ait: *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, vt in ea primò oſtenderet, quid eorum* (ſcilicet tam Angelorum, quàm hominum) *poſſet liberum arbitrium: Deinde, quid poſſet* (ſcilicet tam in Angelis quàm in hominibus) *gratiæ ſuæ beneficium.* Item tomo 5. de Ciuitate Dei, libro 12. cap. 9. *Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, qui illi adhærent, creauit: Simul in eis & condens naturam & largiens gratiam?* Magiſter quoque Sententiarum libro 2. diſtinct. 5. Et meliores, doctioréſque inter Scholaſticos, ſecuti Auguſtinum, docent, Angelis bonis præter naturalem libertatem, naturæque perfectionem: neceſſariam fuiſſe gratiam Dei: non qua iuſtificarentur, remitterentúrque illis peccata, quia nulla habebant: ſed qua ad Deum verè amandum, & ad ei perfectè obediendum, eóque ad conſtanter in veritate perſiſtendum, adiuuarentur. Et hoc ipſi etiam aſſerunt: Quæ ſunt ſupra naturam: ea aſſequi nemo poteſt, niſi ſupernaturali gratia ad id aſſequendum iuuetur. Fuit autem hoc Angelorum opus ſupernaturale. Item, gratia Dei, vita æterna. Vitam autem æternam aſſecuti ſunt, cùm in veritate perſtiterunt.

IV. Tertia itaque ſententia, cur aliis cadentibus, alij in veritate perſtiterint, eſt: quoniā illis in ſua duntaxat naturali libertate & facultate relictis, ij donati fuerunt ſupernaturali gratiā Dei, idque propter Chriſtum: qua naturalis ipſorum voluntas ad ſupernaturale bonum eligendum, & in eo perſiſtendum, adiuta fuit. Quod enim de nobis dicit Apoſtolus, *Deus operatur in nobis velle & perficere*: idem etiam in ſanctis Angelis impletum eſt.

Hoc verò res ipſa confirmat, nempe, quia in veritate perſtiterunt. Quibus autem viribus hoc factum ab Angelis fuit? Nunquid naturalibus, naturalíque ſui arbitrij libertate? At ſi aliud non acceſſiſſet: Sicut alij ſibi, ſuiſque viribus relicti, ab ea defecerunt: Ita iſti etiam pariter defeciſſent. Vbi enim vna & eadem eſt cauſa: ibi quoque idem ſequatur effectus, oportet: Atque hoc eſt, quod dicit Auguſtinus, *Deum, ſicut hominum, ita etiam Angelorum, vitam ordinaſſe, vt in eis appareret primum quidem, quid poſſet liberum arbitrium: Deinde quid gratiæ beneficium.* Senſus eſt: Ideo Deum creaſſe Angelos omnes (vt iam de homine taceamus) libero præditos arbitrio: Et eorum quoſdam ſui arbitrij viribus relictos, permiſiſſe in peccatum labi: vt inde liquidò appareret quid per ſe valeret liberum eorum arbitrium: nempe, nihil niſi peccare. Ergo quòd alij non peccarint, ſed in veritate perſtiterint: hoc habuerunt, non à ſuo libero arbitrio, ſed à gratia Dei: Atque ita in vnis elucet, quantum valeat liberum arbitrium: in alteris quantum gratiæ beneficium. Nihil igitur certius hac ſententia: ideò aliis cadentibus, alios in veritate perſtitiſſe: quia illis ſibi ipſis, ſuóque arbitrio relictis iſtis addita fuit gratia, qua in veritate perſiſtere voluerunt.

V. Verùm enim verò vlteriùs progreditur humanum ingenium, & quærit: *Qui factum eſt, quòd Deus his ſuam largitus ſit gratiam, qua potuerint velle in veritate perſiſtere: aliis autem non ſit largitus?* Ac ſunt qui putent, aliquid meriti in vnis præceſſiſſe, in aliis autem nihil. Aliquid enim illos ſuis naturalibus viribus egiſſe boni, propter quod Deus ſua porrò gratia dignatus illos fuerit: alios autem non egiſſe: qua de cauſa factum ſit, vt neque digni fuerint iudicati gratia Dei. Sed hæc ſententia præterquam quòd impia eſt atque ſacrilega: inepta quoque eſt, & contradictionem implicat. Gratia enim & meritum opponuntur, vt Apoſtolus docet ad Rom. 11. cap. dicens, *Si ex gratia, iam non ex operibus: Si ex operibus, iam non ex gratia.* Quomodo igitur data eſt gratia ſecundùm merita, quæ cum meritis conſiſtere nequit? Deinde, primum opus, quod præſtare potuerunt Angeli, fuit opus voluntatis quo ſcilicet, poſtquam vidiſſent ſe in veritate creatos fuiſſe in ea perſeuerare voluerint. De hac autem prima voluntatis actione, aſſenſu, opere, quæſtio eſt propoſita, an voluerint ſuas propriis viribus: an verò per gratiam Dei, naturæ adiunctam. Cùm igitur concluſum ſit, illos per gratiam Dei hoc voluiſſe, quodnam opus ac meritum præcedere hoc primum opus voluntatis potuit? Prima enim voluntatis actione, primóque opere, nulla eiuſdem voluntatis actio prior eſſe potuit: ac proinde nullum præcedere meritum in Angelis potuit, propter quod gratia porrò illi donari debuerint: alioqui contradictio implicabitur.

Ac fortè (inquies) non propter merita præcedentia, quæ nulla habuerint, ſed propter futura, quæ præuidebantur à Deo, donati fuerunt gratia in veritate perſiſtendi. Sed hæc etiam præuiſa merita excludit Apoſtolus, cum ait *Si ex operibus iam non ex gratia: Si ex gratia, non igitur ex operibus.* Excludit enim à gratia Dei omnia merita noſtra Apoſtolus, tam futura & præuiſa, quàm præcedentia. Nam etiam quæ poſt acceptam gratiam, bona opera operamur, ea ex gratia proficiſcuntur: Et magis opera ſunt gratiæ & Dei, quàm noſtri liberi arbitrii. Ideò Apoſtolus ait, *nos quidem velle, ſed Deum eſſe, qui operetur in nobis iſtud velle*, Philip. 2. Et nos quidem eſſe, qui perficimus, ſed Deum eſſe, qui in nobis operetur iſtud perficere. Et 1. ad Corinth. cap. 15. cùm dixiſſet, *ſe plus quàm cæteros Apoſtolos laboraſſe in Euangelio*: correxit ſeſe & dixit: *Non ego tamen ſed gratia Dei, quæ mecum eſt*, ſcilicet operata eſt. Ergo neque propter futura bona opera, tanquam propter merita, quibus Deus ad dandam gratiam permoueatur, datur gratia: ſed propter futura bona opera, tanquam propter finalem cauſam, nempe, vt poſſimus bona præſtare opera, datur gratia. Quare fieri nequit, vt Angeli conſecuti ſint gratiam, qua voluerunt in veritate perſiſtere, vllis ſuis meritis, vel præcedentibus, vel ſubſequentibus.

Quid igitur illud eſt, vnde (vt ita loquar) permotus fuit Deus, vt his ſuam donauerit gratiam: eadem aliis denegata? Bona illius & gratuita erga illos voluntas, & iuſtum de iſtis beneplacitum. Docet hoc Apoſtolus Philip. 2. *Deus operatur in nobis velle & perficere, pro bona ipſius voluntate* ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, hoc eſt, pro gratuita beneuolentia. Ac reuera ita ſe res habet, conſentientibus omnibus ſcripturis, Auguſtino omnibúſque eius diſcipulis: Denique & melioribus Scholaſticis.

VI. Quarta itaque ſententia de cauſa, cur Angeli perſtiterint in gratia, eſt, quia bona Dei voluntate, data fuit illis gratia, qua poſſent velle perſiſtere eóque & perſtiterunt: aliis quibus hæc gratia non fuit communicata perſiſtere nolentibus, eóque à veritate ſua culpa deficientibus. Neque enim huius defectionis culpa in alio, quàm in ipſis deſertoribus hæſit aut hæret.

VII. Etſi verò totum hoc veriſſimum eſt; altiùs tamen aſcendit humani ingenij acumen, atque interrogat: Vndenā, ſeu ex quo fonte profluxerit hæc diuerſa Dei voluntas, qua voluit aliis ſuam largiri gratiam: aliis autem non largiri? Quòd enim creatis Angelis voluerit, horum alios ſua dignari gratia, alios non dignari, aliquā habet altiorem cauſā.

Verùm ſi quis fortè voluntatem, qua Deus creatos Angelos voluit ſua donare gratia, nouam aliquam fuiſſe voluntatem in Deo exiſtimet, ac proinde eam, tanquam nouum effectum ex alia præcedente fluxiſſe cauſa putet: is fallitur. Nihil enim Deus tunc voluit quod non etiam inde ab æterno voluerit: cùm in Deum nulla cadat mutatio, neque ſucceſſio. Æterna igitur fuit illa voluntas, non autem noua. Quid autem aliud eſt æterna Dei voluntas, quàm æternum decretum, ab æterna ſua ſapientia profectum? Hoc autem eſt id, quod vocamus *æternam Electionem & Reprobationem*, vtramque gratuitam: hoc eſt, factam à Deo, non ex præuiſis illis meritis, vel noſtris, vel Angelorum, ſed ex ſolo Dei beneplacito: Vt Apoſtolus docet ad Romanos, & ad Epheſios, Et nos fuſè egimus, tum in attributo *De prædeſtinatione*, *tum in Miſcellaneis*. Vltra verò illud æternum decretum aſcendi non poteſt.

VIII. Proinde, Quinta ſententia, eáque compendioſa ad propoſitam quæſtionem eſt: ideo cadentibus malis, bonos perſtitiſſe, quia ij ad hanc gratiam perſiſtendi in veritate, electi & prædeſtinati fuerunt: Reliqui verò ab hac gratia reiecti ac reprobati. Eſt etiam hæc ſententia atque reſponſio, vt expedita: ita etiam veriſſima atque certiſſima. De electione enim Angelorum locus eſt apertus 1. Tim. 5. *Obteſtor*, inquit, *in conſpectu Dei, & Domini Ieſu Chriſti, & electorum Angelorum.* Si electi: Ergo aliqui, non omnes. Quare reliqui ſunt reprobati. Electionem autem, cauſam eſſe primam omnium bonorum in nobis, cognitionum, deſideriorum, voluntatum, operationum: docet Apoſtolus Rom. 8. Epheſ. 1. & alibi. Eſt igitur vera & expedita reſponſio: Angelos ſanctos, ideò cadentibus aliis perſtitiſſe in veritate: quia ad hanc perſeuerantiam electi & prædeſtinati fuerunt. Cæterùm reliquæ ſententiæ priore excepta, etiam veræ ſunt, neque ab hac poſtrema diſſentaneæ, imò maximè contentaneæ; quia ab hac vna pendent reliquæ omnes. Ergo hæc eſto Theſis,

Cur Angelorum, alijs à veritate deficientibus, alij in veritate perſtiterint, cauſa non vna fuit, ſed multiplex: Bona ipſorum Angelorum voluntas: auxilium gratiæ Dei, gratuita Dei erga illos beneuolentia: & æterna gratuitáque Electio, ſeu eligendi propoſitum, fons & cauſa reliquarum omnium.

EXPLIC. & CONFIRMATIO.

PRimam diximus fuiſſe voluntatem ipſorum bonam. Hęc eſt enim illa, qua immediatè voluerunt in veritate perſiſtere: idcirco proximam & immediatam cauſam hanc eſſe dicimus. Quod enim volumus, voluntate noſtra: Si malum, mala: Si bonum, bona. Sed vt dictum eſt, bona, quæ noſtram ſeparant naturam per nos ipſi noſtriſque naturalibus viribus, neque velle, neque perficere poſſumus: idcircò opus eſt, ſupernaturali diuinę gratiæ auxilio. Merito igitur ſecundum, ſed ſuperiorem locum in hac cauſarum analyſi damus gratiæ Dei: qua voluntas Angelorum adiuta fuit, vt poſſet velle in veritate perſiſtere. Cæterùm hoc gratiæ auxilium aliunde non proficiſcitur, quàm à bona Dei erga nos voluntate: Non autem ex ipſorum meritis, vel præcedentibus, vel ſubſequentibus. Quare iure optimo fontem gratiæ & auxilij diuini facimus ipſam bonam & gratuitam Dei erga Angelos & erga nos voluntatem: eóque huic tertius datus eſt locus.

Quod verò Deus iam alicui ita bene velit, vt omninò eũ reapſe ſuo donet auxilio: quanquam bona voluntas non eſt in Deo: Ordine tamen (vt loquuntur) naturæ, totum hoc inde pendet, quod firmum ac immutabile eſt decretum, & beneplacitum Dei æternum ab ipſius ſapientia profectum: quo hunc aut illum ad gratiæ ſuæ communionem elegit ac prædeſtinauit, aliis pro ſuo etiam iuſto beneplacito ab æterno reiectis. Æternum verò iſtud beneplacitum Dei, nihil ſupra ſe habet, ſed radix & fons eſt omnis gratiæ, omnis bonæ voluntatis; omnium denique eorum, quæ ad ſalutem aliqua ratione conducunt. Totam hanc doctrinam tradunt paſſim ſacræ literæ. De prædeſtinatione tanquam de fonte totius ſalutis, Chriſtus ait Patri, Matthæi 11. cap. *Gratias tibi ago, Pater quòd abſcondiſti hæc à prudentibus, & reuelaſti paruulis. Ita pater, quia ſic placitum eſt ante te.* Iohannis 16. cap. *Omne, quod dedit mihi Pater, ad me veniet:* quaſi dicat, Ij ſoli veniunt, nec poterunt non venire, qui mihi dati ſunt à Patre: Reliqui non venient, nec venire poterunt. Ergo etiam ex Angelis illi adhæſerunt Chriſto, qui dati fuerunt ei à Patre. Electionem autem omninò excludere merita & includere εὐδοκίαν ac gratuitam beneuolentiam docet idem Apoſtolus ad Romanos 8. & 11. cap. Et ad Epheſios 1. capite, & alibi. Gratiæ verò auxilium ita eſſe neceſſarium, vt ſine hoc ne voluntas quidem ſuapte natura bona & verè libera poſſit velle illud bonum quod ad ſalutem vitámque æternã pertinet: tam longè latéque patet in ſcripturis, vt ſuperuacaneũ ſit adferre teſtimonia. *Nemo venit ad me*, ait Chriſtus, *niſi Pater meus traxerit eũ. Sine me*, ait idē *nihil poteſtis facere.* Interim tamen homines non trahi ad Chriſtum vt truncos, neque ſeruari vt lapides, ſed ex cognitione Dei, & ex voluntate bona: docent eædem ſcripturæ. Primum à præceptis, vbicunque Deus cognitionem & voluntatem à nobis exigit, qua ſe cognoſcamus, voluntatémque ſuam faciamus. Secundò à promiſſionibus conditionalibus, vbicunque promittit ſalutem cum conditione, *ſi velimus ſuam ſeruare voluntatem.* Tertiò, vbicunque ſine conditione promittit abſolutè, ſe daturũ eor nouum, ſéque effecturũ, vt velimus & ſeruemus ſua mandata & ambulemus in præceptis ſuis. Quartò, vbicũq; etiam talem promiſſionē impleri audimus: vt cùm ait Apoſtolus, *Deus operatur in nobis velle.* Et cùm docet ſcriptura, *Deum facere nos de nolentibus, volentes.*

Cauſa ſalutis Angelorum.

Omnibus iis & ſimilibus locis docet Spiritus ſanctus, Deum non ſeruare homines (de adultis loquimur) vt truncos ſine ipſorum cognitione, ſinéque voluntate: multò minùs inuitos, ſed ſcientes & volentes: Imò quoniam nos noſtra natura neque intelligere poſſumus, quæ ſit Dei voluntas, & multò minùs poſſumus velle eam ſeruare: idcircò docet Deum efficere, & vt cognoſcamus, & vt velimus: Vſque adeò non vult quempiam ſeruari prorſus neſcientem & inuitum. Hæ igitur ſunt cauſæ ſalutis: ac proinde etiam cur Angelis quibuſdam cadentibus, alij in veritate perſtiterint. Prima & immediata & proxima eſt, quoniam aliis nolentibus, ipſi voluerunt perſiſtere in veritate. Secunda, ideò verò alij voluerunt perſiſtere, quoniam iis communicata fuit gratia, qua vellent perſiſtere: Deo in ipſis operante, & vt vellent, & perſiſterent. Tertia, ideo autem operatus eſt in illis Deus velle, non quòd hoc illi vllis vel præcedentibus, vel futuris præuiſis operibus promeriti fuerint, ſed tantùm pro ſua bona erga eos voluntate, hoc eſt, quia gratis & ſimpliciter hoc voluit Deus. Quarta, ideò autem nunc voluit ipſis hanc gratiam cõmunicare, quia electi iam erant ab æterno ad hanc gratiam, eóque ad ſalutem, ſecundùm beneplacitum immutabile voluntatis ſuæ. Hæc eſt indiſſolubilis catena cauſarum ſalutis noſtræ & Angelorum: quarum fons & origo, eóque prima ac principalis in earum connexione, eſt æterna electio (inde enim reliquæ omnes) In reſolutione verò, prima eſt voluntas noſtra: Hæc enim refertur, reſoluitúrque in gratiam Dei, qua ſit bona, ipſiúſque operatio; pendet à gratia Dei, à voluntate Dei: Denique ab æterna electione Dei in Chriſto facta, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Quibus ex rebus, & ex qua catena liquidò apparet, totam ſalutis iam noſtræ, quàm Angelorum laudem & gloriam vni ſoli Deo in Chriſto eſſe attribuendam.

DE CONFIRMATIONE ANgelorum in gratia.

CAPVT III.

DE confirmatione Angelorum in gratia, & æterna felicitate conſentiunt inter ſe Theologi omnes: ſimpliciter ergò, ſine diſputatione hęc proponitur Theſis.

THESIS.

Angeli, poſteaquam gratia adiuti conſtanter & omninò voluerunt in veritate perſiſtere: ita confirmati fuerunt in gratia, & in dono perſeuerantiæ, beatíque effecti ſunt, vt à ſummo illo bono, cui adhæſerunt, ad aliquod malum ſua voluntate deficere, eóque peccare minime amplius poſſint.

VSque adeò perſpicua eſt Theſis, vt nulla opus habeat explicatione: paucis tantùm eſt confirmanda.

1. Chriſtus apertè ait, *Angelos ſemper videre faciem Patris.* Nomine autem huius *viſionis*, totam Beatitudinem cõplectitur, cuius prima ac præcipua pars in viſione Dei perfecta conſiſtit. Proinde docet, Angelos ita videre Patrem, vt nullum ſupra omnia ament, colant, laudent, idque perfectiſſimè, ſine vllo defectu, aut peccato, quemadmodum hic fit à nobis: eóque ſignificat Chriſtus illos ita videre & amare Deum, vt ad eius voluntatem ſe totos penitùs accommodent. Aduerbio autem, SEMPER, incommutabilem æternitatem ſignificat: eóque apertè docet, Angelos in Cœlo ita confirmatos eſſe in viſione & amore Dei, vt peccare amplius non poſſint: Et ita conſtanter in veritate perſiſtere, vt ab ea deficere amplius nequeant.

2. Item, cùm iuſſit nos ita precari *vt fiat voluntas Dei in terra*, nempe à nobis, *ſicut fit in cœlo*, nempe ab Angelis: quid aliud docuit, quã Angelos ita ſemper & perfectè facere voluntatem Dei, vt ab ea, ne pilum quidem declinent vnquam: ac proinde nunquam peccare, neque peccare poſſe?

3. Quid & illud ſibi vult, quòd nobis promittit Chriſtus, futuros nos in cœlo, ſicut ſunt Angeli Dei? Tales certè nos futuros in cœlo docet: quales ſunt & Angeli: eóque & Angelos tales eſſe in cœlo, quales nos quoque futuri ſumus. Atqui tales futuri ſumus nos, vt non amplius poſſimus peccare, quia Deus erit omnia in omnibus. Tales igitur etiam nunc ſunt Angeli, taléſque fuerunt ab eo tempore, quo aliis cadentibus, ipſi in veritate perſtiterunt.

4. Ac firmiſſima ratio idem euincit. Eatenus enim alicuius voluntas, vel reiicit bonum, vel eligit malum (hoc autem eſt peccatum voluntatis) quatenus aut, quod bonum eſt, videtur illi malum eſſe: Aut contrà, quod malum eſt, illud tanquam bonum vel ſimpliciter, vel ex parte apprehendit. Quod enim tanquam ſimpliciter malum apprehendit, illud velle nequit: quia obiectum voluntatis eſt bonum. Atqui in cœlo Angelis non poteſt vlla ratione, quod bonum eſt, videri malum: neque quod malum, bonum: Vident enim Deum facie ad faciem: Et in eo luculentiſſime perſpiciunt, quid verè bonum ſit.

5. Quomodo

5. Quomodo verò beati eſſent, ſi adhuc peccare & miſeri fieri poſſent? Beatitudo enim omnia excludit mala. & bonorum omnium plena eſt & perfecta poſſeſſio Si ergo per gratiam beati: in ea gratia confirmati ſint, oportet.

6. Neque aliam ob cauſſam credo eos tam frequenter in ſcripturis, ſanctos Angelos κατ' ἐξοχὴν, appellari quàm quia ita retinent ſanctitatem, in qua creati fuerunt, vt peccare ampliùs, & impij fieri non poſſint. Horum exemplo factum eſt, vt & pij homines, qui in cœlum migrarunt, κατ' ἐξοχὴν vocentur *ſancti*: quoniam in ſanctitate ita ſunt confirmati, vt fieri ampliùs non poſſint è ſanctis, non ſancti.

Huic doctrinæ ſubſcribunt Patres omnes, noſtri omnes, Scholaſtici omnes. Legatur Auguſtinus Tomo 3. in Enchirid. ad Laurent. capite ſeptimo, vbi affirmat, poſtquam diabolus cum ſuis cecidit è cœlis: nullum ibi ampliùs eſſe malum. Et neminem præterea inde cecidiſſe, aut caſurum eſſe. Et eodem tomo libro de Eccleſiaſtic. Dogmat. capite quinquageſimo nono, non ſolùm docet. Angelos perſeuerare in ſua bonitate & ſanctitate: Verùm etiam explicat, vndenam ipſorum in bono & in Deo ſtabilitas ac firmitudo: nimirum non à natura, ſed à gratia Eadem traduntur in libro de Fide ad Petrum, capite vigeſimo tertio: *Coger verba ipſa recitare, quia digna ſunt quæ ... entur. Firmiſſimè te te & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam eſſe nec tamen poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari quia ſic acceperunt æternam beatitudinem qua Deo ſtabiliter perfruuntur, vt ea carere non poſſint: Sed ... ipſum, quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt mutari in æternum nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum: Sed poſtquam creati ſunt, gratia diuina largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent: nunquam de eorum conſortio Diabolus & eius Angeli cecidiſſent.* Atque hæc, quod ad confirmationem huius Theſeos attinet.

II. At nonnulla obiici poſſunt, quæ explicationem deſiderant.

1. Hieronymus tomo 3. in tractat. de Filio prodigo ad Damaſum Papam, ad calcem tractatus, pag. 134. *Solus Deus* (inquit) *eſt, in quem peccatum non cadit: Cætera cùm ſint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, in vtramque partem flectere ſuam poſſunt voluntatem.* Hæc ille. Aut igitur Angeli non ſunt ampliùs liberi arbitrij, aut adhuc flecti poſſunt, tam ad malum, quàm ad bonum. Cum hoc Hieronymi loco conſentit, quod Philoſophi docent, *Naturas ratione præditas ad oppoſita ſeſe habere & flecti poſſe:* Et quod Damaſcenus ait: Πᾶν κτιστὸν τρεπτόν ἐστι.

Reſpond. In Angelis, ſicut etiam in nobis aliud eſſe *Naturam*, aliud *Gratiam*. Naturâ non dicimus eos peccare non poſſe, aut immutabiles eſſe, ſed tantùm gratiâ Quæ autem ex Hieronymo & aliis adducta ſunt, adduci vt poſſunt, ea de Natura loquuntur, non de gratia. Atque hoc etiam diſertè explicauit Auguſtinus locis antè citatis, præſertim de Fide ad Petrum: Et Iſidorus ſcriptor antiquus, libro primo, de ſummo bono, capite decimo: *Angeli* (inquit) *etſi mutabiles ſunt naturâ: non tamen ſinit eos contemplatio diuina mutari:* quaſi dicat, immutabiles ſunt gratia. *Ex eo enim, quòd vident faciem Dei: fit, vt mutari non permittantur.*

Deinde notandum eſt diſcrimen inter finem & media ad finem. Ad media quod attinet, rationalis creatura flecti poteſt ad oppoſita, vt aut hoc, aut illud medium eligat: ſed quod attinet ad finem eúmque probè cognitum, alio ſeſe habet modo. Non poteſt enim non in illum naturaliter ferri, quando nulla eſſe poteſt vel electio, vel reiectio finis, ſed eorum duntaxat, quæ ſunt ad finem. Omnia enim naturaliter ſuum appetunt finem, tanquam ſummum ſuum bonum: Contrarium verò naturaliter fugiunt. Proinde finium non eſt electio, ſed mediorum. Cùm itaque Angeli optimè intelligant Deum ſuum eſſe finem, & illum iam aſſecuti ſint perfectè: fieri nequit, vt illum deſerant. De mediis autem non ſunt ampliùs ſoliciti, cùm aſſecuti ſint finem. Quare non eſt, cur in illis eligendis ſuum exerceant liberum Arbitrium.

At, ſi peccare ampliùs non poſſunt: quòd igitur non peccent, non eſt in illis laude dignum. Hinc Eccleſiaſt. capite 31. ille tantummodo laudatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit. Reſpond. De iis, qui in hoc ſtatu ſunt, & tam ad malum, quàm ad bonum liberi ſunt, loquitur Siracides: Non autem ibi ſermo eſt de iis, qui in cœlo ſunt: Alioqui minùs Deus laudari poſſet, quàm quiuis alius Is enim nullo modo peccare, & mala facere poteſt. Firma igitur manet Theſis: *ita confirmatos eſſe Angelos in gratia, vt peccare ampliùs Dei beneficio & gratia propter Chriſtum non poſſint: eóque verè beati ſunt, cùm fieri nequeant miſeri* Proinde Scripturæ tradunt, *hoſce Angelos ſtare ſemper in conſpectu Dei: ſemper videre faciem Patris: ſemper Deum laudare & celebrare.* Neque hæc faciunt inuiti. verùm ſumma cum voluptate: Et non minùs prompta, quàm conſtanti voluntate. Atque hæc eſt vera beatitudo, & vera eorum libertas. Hinc verò ſequitur reſponſio ad aliam quæſtionem.

DE LIBERO ANGELORVM ARBITRIO.

CAPVT IV.

QVAERI etiam ſolet, *an, quia Angeli peccare ampliùs non poſſunt; idcircò deſierint liberi eſſe arbitrij.*

Qui putant veram libertatem arbitrij in eo conſiſtere, quod quis ſit tam ad malum, quàm ad bonum aliquod eligendum liber, ſeu, vt meliùs Græcè dicam, ... ij omnino aliter concludere nequeunt, quàm Angelos eſſe quidem beatos, ſed non ampliùs verè, ſicut antea erant, liberos. Sed iſti falluntur in definitione liberi arbitrij, dum putant eius libertatem in eo conſiſtere, vt homo ſit tam ad malum, quàm ad bonum eligendum liber. Non inficior, quin hæc aliqua ſit libertatis ſpecies, quatenus quæ ad oppoſita flecti poſſunt, reponuntur illis, quæ ad vnum tantùm valent. & vno atque eodem ſemper agunt modo. Hanc enim ob cauſſam, illa dici ſolent agere liberè & contingenter: hæc autem ex neceſſitate. Sed hæc non eſt vera ratio, cur alicuius voluntas verè libera, ipſeque liberi arbitrij verè eſſe dicatur. Cuius enim voluntas obſecro, magis eſt libera, quàm Dei? Ita certè liber eſt, vt etiam nos ideò liberi eſſe dicamur, quia ad imaginem Dei conditi ſumus, vt Hieronymus ait: cùm Deus non ſolùm efficiens, ſed etiam exemplaris cauſa ſit omnis liberi arbitrij. Interim tamen Deus neque velle peccare poteſt. Poſſe igitur peccare: ad veram libertatem non pertinet. Imò hanc peccandi facultatem, Chriſtus vocat *ſeruitutem*, dicens, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati:* Et Apoſtolus, tametſi vt renatus odiſſet peccatum, quia tamen adhuc in eo erat ſtatu, in quo poterat peccare, & ſæpè peccabat agendo quod nolebat: *miſerum ſe & captiuum* appellabat: ac tum demùm ſe verè liberum fore putabat, ſi ad eum ſtatum peruenire poſſet, in quo non ampliùs poſſet peccare. Rurſus Chriſtus dicebat Iudæis, *verè liberi eritis, ſi vos filius hominis liberauerit,* A quanam ſeruitute? peccati ſeu à facultate libertatéque peccandi. De hac enim re loquebatur. Ideò non ſimpliciter dixit, *liberi eritis*, ſed *verè liberi eritis, ſi filius, &c.* hac particula docens, eos quidem fuiſſe aliquo modo liberos, quia homines erant libero ad peccandum præditi arbitrio, ſed hanc non eſſe veram libertatem: Veram potiùs libertatem eam eſſe, qua quis liberatus à peccato, peccare ampliùs non poteſt: In qua certè conditione ac ſtatu nunc ſunt Angeli, ac nos quoque Dei beneficio futuri ſumus propter Chriſtum.

Ita vera libertas eſt, ſi quis liberetur libertate vocandi, Quare tantùm abeſt, vt Angeli, quia ita confirmati ſunt in gratia, & in veritate, vt peccare ampliùs non queant, dici poſſint ac debeant deſiiſſe liberi eſſe arbitrij, vt contrà potiùs nunc magis liberi ſint, & maiori præditi libertate arbitrij, quàm initio ſuæ creationis fuerint, quando peccare poterant & non peccare. Hæc itaque eſto

THESIS.

Angeli poſt confirmationem in gratia, qua fit vt peccare miſerique fieri ampliùs non poſſint: non ſolùm non deſierunt liberi eſſe arbitrij, verùm etiam magis liberi ſunt, quàm antè, cùm poterant peccare & non peccare.

THeſis hæc, ſi bene explicetur; non opus habebit longa confirmatione. D. Itaque Bernhardus, qui multa certè piè & eruditè ſcripſit, præter alia tractatum etiam *de gratia & libero Arbitrio* ſcriptum reliquit. In eo autem libro, definiturus liberum Arbitrium: inueſtigat comprimis, quænam ſit vera ratio, cur noſtrum liberum Arbitrium, dicatur *liberum*: ſeu, vt meliùs explicem, quænam ſit vera libertas humanæ voluntatis. Triplicem autem oſtendit è ſacris literis libertatem: quarum vnam vocat *libertatem à peccato*: de qua Dominus, *Verè* (inquit) *liberi eritis, ſi vos filius hominis liberauerit:* Et Apoſtolus 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini*

ibi libertas: Alteram *à miſeria*, de qua Apoſtolus Rom. 8. *Omnis creatura Dei vanitati ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam, in ſpe, quòd & ipſa liberanda ſit à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Tertiam appellat *libertatem à neceſſitate*: Sed nomen *neceſſitatis*, accipit pro coactione: vt manifeſtè ex tota illa diſputatione apparet. Hanc enim neceſſitatem opponit voluntario: Voluntario autem non opponitur propriè neceſſitas, ſed neceſſarium, ſed voluntatis coactio & inuoluntarium. Nam & diabolus, & homo impius neceſſariò peccant: quia non poſſunt non peccare, vt Chriſtus docet de arbore mala, quæ non poteſt non malos fructus ferre. Quis tamen diabolum & hominem impium voluntariè, eóque liberè peccare neget? Contrà Deus neceſſariò vult bonum, & amat iuſtitiam: qui non poteſt velle malum, & non odiſſe iuſtitiam: Quis tamen Deum non velle liberè bonum, nec liberè amare iuſtitiam, dicere audeat? Neceſſarium igitur non opponitur voluntario, neque neceſſitas voluntatis, libertati. Sed quid opponitur? Coactio, qua voluntas cogatur velle, quod non vult: id quod ſimpliciter ἀδύνατον eſt, quoniam contradictionem implicat. Fieret enim, vt voluntas reſpectu eiuſdem, & ſecundum idem, & eodem tempore eſſet volens & nolens, ſi cogi poſſet, vt quod vult, ſimul etiam nolit: & quod non vult, ſimul etiam velit. Poteſt quidem ſuauiter flecti, vt quod iam vult, idem poſteà nolit: ideóque fieri poteſt de volente, nolens, & de nolente, volens. Sed vt, quod iam vult, eodem tempore nolle cogatur, ita vt inuita velit & nolit: tam fieri poteſt, quam etiam, vt Deus, Deus ſit, & non Deus. Non enim ampliùs eſſet libera voluntas. Ita apparet, quæ ſit iſta tertia, voluntatis libertas: libertas nimirum à coactione, non autem ſimpliciter è neceſſitate. Neque aliter ſenſit Bernardus. Quærit igitur, quænam harum trium libertatum illa ſit, propter quam homo verè & eſſentialiter dicatur liberi eſſe arbitrij, in hoc etiam Mundo. Num illa, quæ dicitur à peccato? *At quis* (inquit) *in carne peccati, à peccato ſibi vendicat libertatem? Hæc ergo libertas* (inquit Bernardus) *meritò nequaquam dictum arbitror liberum Arbitrium. Qua igitur libertate dicitur liberum? Num illa, quæ eſt à miſeria, ſeu à ſeruitute corruptionis? Sed nunquid & iſtam* (ait) *ſibi quiſpiam in hac mortalitate præſumit*? Et hac itaque (concludit) liberum nominari arbitrium, non immeritò abnuimus. Reſtat igitur, vt liberum eſſe dicatur tertio libertatis genere, quia ſcilicet cogi non poteſt voluntas, quin quicquid vult, ſiue bonum, ſiue malum: illud liberè, ſponte, libenter, auidè, & cum oblatione velit: id quod certè quiſque noſtrûm experitur. Cùm enim aliquid volumus, ſiue bonum, per Dei gratiam, ſiue malum, per noſtram naturam: Ita in illud fertur lubens voluntas noſtra, vt qui illud nobis velit eripere: ei ſtatim iraſcamur, & voluntas repugnet. Vnde hoc? quia voluntas ita libera eſt, vt vim ferre nequeat. Hæc eſt itaque natura voluntatis, & hoc eſt ingenium liberi Arbitrij, vt ſe cogi non ſuſtineat. Cogi quidem poteſt homo ipſe, vt aliquid inuitus agat. Sed voluntas cogi non poteſt, vt aliquid inuita & nolens velit: ſed quicquid vult, liberè, hoc eſt, volens vult. Itaque concludit Bernardus, hanc à coactione libertatem, eſſe illam, qua propriè & realiter homo dicitur eſſe liberi arbitrij. Proinde, quia hæc naturalis eſt & eſſentialis (vt ita loquar) libertas voluntatis noſtræ, & cuiuſuis creaturæ rationalis: idcircò etiam perpetua eſt. Quæ enim alicui creaturæ incorruptibili & ſempiternæ naturalia ſunt; ea etiam cum ſua natura æterna ſunt. Eſſe autem hanc à coactione libertatem, creaturæ rationali naturalem, inde liquet, quia ab ipſa creatione omnibus eiuſdem ſpeciei creaturis indita fuit, & in ſingulis indiuiduis ſpectatur atque re ipſa ſentitur. Æterna igitur eſt, & tolli nunquam poteſt. Reliquæ duæ libertates, à peccato ſcilicet & à miſeria: neque à creatione inditę fuerunt, neque in omnibus ſemper habent locum. Non fuiſſe ab æternitate inditas inde liquet: quia licèt homo creatus fuerit ſine peccato & expers miſeriæ ac corruptionis, & mortis: cum tali tamen potentia creatus fuit, qua poſſet & peccare & miſer fieri. Itaque licèt actu neque peccatum habuerit, neque miſer eſſet; potentia tamen vtrumque habuit. Non eſſe verò iſtis duabus libertatibus in omnibus Indiuiduis locum, perſpicuum eſt: Quia quicunque in hoc mortali viuimus corpore: & peccato & morti obnoxij ſumus. Hæ igitur duæ libertates, nequaquam ſunt naturales rationalis creaturæ libertates. Proinde rectè has tres libertates inter ſe conferens Bernardus, ſubiungit hæc verba: quæ, quia elegantia ſunt, illa præterire non poſſum: *Cùm igitur* (inquit) *prout interim potuit nobis occurrere, triplex ſit propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate* (id eſt, coactione) *hanc vltimo loco poſitam contulit nobis in conditione Naturæ. In primam* (quę ſcilicet eſt à peccato) *reſtauramur à Gratia. Media* (quæ eſt à miſeria) *nobis reſeruatur in Patria. Dicatur igitur prima libertas Naturæ. Secunda Gratiæ: Tertia Vitæ, vel gloriæ.* Hæc omnia Bernardi. Quæ verò hîc tradit Bernardus: ea multis in locis antea quoque docuerat Auguſtinus in libris contra Pelagianos, vt ſuo loco dicetur, cùm de homine agemus. Hæc cùm ita ſe habeant, facilè apparet noſtræ Theſeos veritas.

Primum membrum fuit, *eos non deſiiſſe liberi eſſe arbitrij.* Quódnam autem erat verum illorum liberum arbitrium, ante gratiæ confirmationem? Illud certè quod liberum à coactione. Illorum enim voluntas neque cogebatur, neque cogi poterat, hoc vel illud velle, ſeu eligere: ſed liberè voluerunt quicquid voluerunt, ſiue bonum, ſiue malum. Hoc inde apparet: quia tam liberè voluerunt alij in veritate perſiſtere, quàm liberè etiam alij voluerunt ab ea deficere. Erat igitur omnium Natura libera à coactione. Cedo verò, an non etiam nunc, quicquid volunt, liberè volunt? Si enim inuiti & coacti; præterquàm quòd hoc ex diametro pugnat cum Natura voluntatis, vt dictum eſt: Conſequitur etiam, illos non eſſe beatos. Quæ eſt enim iſta beatitudo, quòd velis & agas, hoc te inuitum velle & agere? Si verò beati ſunt, vt ſunt, verè liberi ſint, liberáque præditi voluntate, neceſſe eſt.

Alterum fuit, eos nunc liberiores eſſe & præſtantiori præditos libero arbitrio, quàm antea fuerint. Hoc iam patet ex conſideratione duarum reliquarum libertatum. Antea enim, etſi liberi erant actu à peccato, & à miſeria, qui creati fuerant ſine peccato, iuſti, boni, & felices, omniſque miſeriæ expertes: potentiâ tamen à neutro erant liberi. Poterant enim peccare, & ita ſerui fieri peccati, & miſeri atque infelices, ſicut quibuſdam contigit: Nunc verò ita liberi ſunt à peccato, vt ne peccare quidem poſſint: Et à miſeria, vt non queant amplius eſſe miſeri. Annon igitur nunc liberiores, & perfectiori voluntate præditi ſunt, quàm antea?

At interim (inquies) non ſunt ita liberi, ſicut anteà, cùm non poſſint iam peccare, ſicut anteà poterant. Reſpond. 1. Verùm eſt, non eſſe eos ita liberos, ſicut antè, id eſt, ita imperfectè & miſerè liberos, ſicut erant: poſſe enim peccare, derogat veræ libertati, non autem ad illam pertinet, iuxta illud Chriſti: *Verè liberi eritis, ſi vos filius hominis liberauerit.* 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, nempe vera. Deinde dico, ſi ſpectes naturam, nunc perinde illos poſſe peccare, atque antè, eóque ita liberos nunc eſſe, ſicut & antè. Nam quod nunc peccare non poſſint, à natura non habent, ſed à gratia. Quicquid igitur ſophiſticetur hic humanum ingenium, nunquam tamen efficiet, quin Angeli poſt confirmationem in gratia, eandem naturalem quam anteà habuerant libertatem, retineant: quanquam & ea facta eſt melior, & alia perfectior illi addita eſt. Addita eſt enim libertas, tum à peccandi facultate, tum ab omni miſeria. Et ſanctiſſimi facti ſunt ſimul, & feliciſſimi. Atque hæc iudico in præſentia ſatis eſſe ad præſentem quæſtionem quod attinet.

DE COGNITIONE ANGELORVM.

CAPVT V.

ANGELOS, beatos, præditos eſſe cognitione, extra controuerſiam eſt: quotuplex verò ea ſit, diſputatur. Ex hac autem & aliis, quæ ſequuntur de cognitione Angelorum, quæſtionibus, magis ac magis conſtabit, tantùm abeſſe, vt propter confirmationem in gratia amiſerint liberum arbitrium Angeli: vt inde potiùs etiam atque etiam appareat, illud fuiſſe confirmatum, nam antequam perſiſtere in veritate decreuiſſent: naturali tantùm cognitione præditi erant, quæ tamen magna atque excellens procul proculdubio fuit. At verò addita fuit gratia voluntati, qua conſtanter voluerunt perſiſtere in veritate aliis ab ea deficientibus: Sicut & naturali, quam excellentem habebant cognitioni; addita fuit ſupernaturalis, hoc eſt ea quam per lumen ſupernaturale ſibi præ aliis donatum aſſecuti ſunt. Ab arbitrio, id eſt, à cognitione atque iudicio & à voluntate, nomen liberi arbitrij deductum eſt. Commodùm igitur quæſtiones de cognitione Angelorum ſequuntur: Quarum prima eſt, *quotuplex ea ſit.*

Auguſtinus tom 3. de Geneſi ad literam, lib. 4. cap 22. 23. 24. 28. Et tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 11. cap. 29. Principio dat

dat Angelis naturalem cognitionem, qua Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum vident, hoc eſt, cognoſcunt. Deinde cognitionem, quam de rebus à Deo creatis habent, duplicem facit: Vnam vocat *matutinam*, & verò etiam *diurnā*, ita vocatam, quòd clarior ſit altera: alteram verò *veſpertinam*, quòd ſit obſcurior priore: ac quænam vtraque ſit, explicat. *Matutinam* ait eſſe eam, qua res à Deo conditas in Verbo, hoc eſt, in Filio, per quem facta ſunt omnia, & in quo rerum omnium ſunt ideæ & rationes, intuentur ac vident. *Veſpertinam* verò ait eſſe eam, qua eaſdem res in ſuis ipſarum naturis, quaſi oculis à λόγῳ in eas conuerſis conſpiciunt: Et vtramque ſimili accommodato explicat. Eſſe enim ait perinde atque ſi quis quid ſit linea, quidve circulus, primum intelligat mente ex libris & doctrina Euclidis, vbi perfectiſſima linea, perfectiſſimus circulus demonſtratur. Deinde verò idem diſcipulus, & lineam & circulum in puluere (vt antiqui ſolebāt) impreſſos, oculis corporis intueatur. Cognitio certè hæc imperfectior eſt illa priore: quia in puluere nunquam imprimetur linea vel circulus ſine vitio: In rationibus autem Mathematicorum perfectiſſima linea, perfectiſſimuſque circulus intelligitur. Talem igitur eſſe naturæ cognitionem, qua donati ſunt Angeli. Ideò libro ſupra citato de Ciuitate Dei, c.29. poſtquam dediſſet Angelis perfectam Dei viſionem; De cognitione rerum creatarū hæc ſubiicit verba, *Ipſam quoque creaturam meliùs ibi, hoc eſt, in ſapientia Dei, tanquam in arte qua facta eſt, quàm in ea ipſa creatura ſciunt: ac per hoc & ſeipſos ibi meliùs, quàm in ſeipſis. Verumtamen & in ſeipſis ſciunt. Facti ſunt enim & aliud ſunt, quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna: In ſe ipſis autem tanquam in veſpertina, ſicut iam ſuprà diximus*, (nempe res vident) Hæc Auguſtinus. Poſtea de differentia vtriuſque huius cognitionis ſubiungit, dicendo, *Multū autem differt, vtrum in ea ratione cognoſcatur aliquid, ſecundum quam factum eſt, an in ſeipſo. Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum ſeu veritas figurarum, cùm intellectu conſpicitur: aliter cùm in puluere ſcribitur: Et aliter iuſtitia deſcribitur in veritate incommutabili: aliter in anima iuſti*, &c. Poſtea concludit de omnibus rerum creatarum generibus: *Omnia hæc aliter in verbo Dei cognoſcūtur ab Angelis, vbi habent cauſas rationeſq́; ſuas*, (i. ſecundum quas factæ ſunt) *incommutabiliter, permanentes: aliter in ſeipſis: Illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis atq; operum.* Hæc omnia Auguſtini. Hanc porrò diſtinctionem ſecuti ſunt Scholaſtici, Magiſter Sentent. lib.2. diſt.4. quæſt. Thomas tamen Aquinas multis in locis iis duabus addit tertiam, & ita triplicem in Angelis ſtatuit rerum cognitionem: Vnam, qua eas *in Verbo, in Filio ſcilicet Dei vident*: Alteram, *qua eas cernunt in ipſarum naturis*: Tertiam, *qua eas norunt in ſuis ipſorum mentibus*: idque iuxta triplex Eſſe, quod habent res. Auguſtinus enim docet tomo 3. lib.2. ſupra Geneſ. ad literam, res omnes triplex habere Eſſe. *vnum in verbo: alterum in propria natura: tertium in mente Angelica.* Ergo iuxta hoc triplex rerum Eſſe: triplex etiam eſt ipſorum cognitio in Angelis.

II. Quidam ſimpliciùs de iis rebus diſſerentes, triplicē colligunt è ſcripturis Angelorum cognitionem: Vnam *naturalem* eſſe illis volunt. Et hanc eam eſſe, quæ illis ab initio, cùm crearentur, fuit à Deo indita. Magna enim & Dei, & rerum omnium cognitione donatos fuiſſe Angelos in ipſa creatione: docet Chriſtus, cùm ait, *alios in veritate ſtetiſſe alios non ſtetiſſe.* In vera igitur & excellenti veritatis cognitione creatos fuiſſe omnes euincitur. *Vide Thomam in 1 parte quæſt.56. artic.3.* Alteram verò eſſe aiunt *ex reuelatione*: Succeſſu enim temporis multa Angelis à Deo reuelari, quæ antea ignorabant, docent iidem ſacræ literæ, vt in Prophetis videre eſt, Dan.8. & 9. reuelatur Angelo Gabrieli myſterium 70. hebdomadarum. Sic apud alios ſæpe: Et in Apocalypſi multa reuelantur Angelis à Deo, vt ipſi ea nobis annuncient. Tertiam aiunt oriri *ab experientia*. Ex iis enim, quæ fiunt in hoc Mundo ab hominibus præſertim in Eccleſia: multa percipiunt Angeli, ex quibus quænam ſit Dei voluntas & diſpenſatio intelligunt. Huius generis eſt, quòd Epheſ.3. Apoſtolus ſcribit, *variam ſapientiam Dei de Gentium vocatione ad communionem Euangelij, innotuiſſe Angelis per Eccleſiam.* Et Chriſtus, Luc. 15. ait, *Angelos lætari, cùm aliquis peccator reſipiſcit.* Docet igitur illos obſeruare, & experientia diſcere, quando quis reſipiſcat necne. Partitio hæc ſolidior eſt, & magis conſentanea cum ſacris literis, quàm illæ duæ priores. Aliquid tamen in hac etiam ego deſidero. Mentionem enim tantùm facit *cognitionis naturalis*: quæ ab initio fuit omnibus indita: *reuelata*, item, qua multa myſteria in dies Angelis reuelantur: & eius, quæ oritur *ab experientia*. Ego verò aliam neceſſariò addendam eſſe omnino video, nempe *ſupernaturalem*, qua electi Angeli duntaxat, non autem reprobi, donati fuerunt, non in creatione, ſed poſt creationem: ac proinde qua ipſi electi Angeli multò præſtantiùs nouerunt, & adhuc cognoſcunt Deum, quàm reprobi. Sicut enim electi Angeli donati fuerunt ſpeciali & ſupernaturali gratia, qua voluerunt perſiſtere in veritate, non autem reprobi: Ita etiam donati fuerunt ſupernaturali lumine & cognitione, qua longè meliùs & perfectiùs nouerunt ipſum Deum, & veritatem, quàm reprobi Angeli. Neque enim voluntas ipſorum magis quàm reliquorum in veritatem, & ad perſiſtendum in ea inclinaſſet, niſi ipſorum etiam intellectus & mens fuiſſet maior, hoc eſt, ſupernaturali diuinóque lumine illuſtrata, quàm reproborum. Et hoc diſcrimen inde colligo, quia de reprobis nunquam legimus, quod de vniuerſis ſanctis Angelis pronunciat Chriſtus, nimirum quòd *ſemper videant faciem Patris*. Quid eſt videre faciem Patris? Eſt *perfectè Deum cognoſcere*. Sicut Paulus etiam docet, dicens: *Nos nunc videre in ſpeculo, & cognoſcere ex parte: Tunc autem facie ad faciem*, id eſt, perfectè nos Deum cognituros. Vbi verò hoc vnquam legitur de reprobis Angelis? Ergo præter naturalem cognitionem, qua iam reprobi æquè ac electi cognouerunt ab initio & cognoſcunt Deum, ita vt ſint inexcuſabiles: aliam quoque præſtantiorem, hoc eſt, *ſupernaturalem cognitionem* donatam fuiſſe Angelis electis, qua & initio, & deinceps, ſemper Deum ita perfectè cognoſcunt, vt in ea cognitione ſita ſit ipſorum beatitudo, vel ſaltem radix & fundamentum totius beatitudinis tum noſtræ, tum Angelorum, luculenter docuit Dominus Ieſus. Ex hac enim ſupernaturali cognitione Dei fit, vt Angeli ſicut Deo adhæſerunt: Sic etiam ab eo deficere amplius non poſſint. Hæc igitur eſto Theſis, quæ iam ſatis explicata & confirmata mihi eſſe videtur.

THESIS III.

Electorum Angelorum cognitio quadruplex eſt: vna vocatur naturalis, *tam reprobis, quàm ipſis à Deo in ipſorum creatione indita: qua omnes ita nouerunt Deum, vt qui ei non adhæſerunt, nullam ignorantiæ excuſationem obtendere poſſint: Altera* ſupernaturalis, *ipſorum ſanctorum Angelorum propria: qua ita perfectè Deum vident, vt ab eo deficere minimè velint, aut velle poſſint: Tertia,* reuelata, *qua multa olim, & fortè etiam nunc myſteria ſibi à Deo reuelata, ab ipſis intelliguntur: Poſtrema (vt ita loquar)* experimentalis: *qua ex iis rebus, quæ à nobis hìc fiunt, obſeruatis, multa in dies ipſa experientia diſcunt.*

HÆc partitio omnia cognitionis Angelicæ genera complectitur. Nam ſub naturali continentur etiam illæ duæ, de quibus ex Auguſtino initio diximus. Duo enim ſunt modi, quibus naturaliter Angeli nouerunt res creatas, nempe, in verbo, tanquam in ſuis cauſis & rationibus: Et in ipſarum rerum naturis. Imò continetur & tertia, quam addit Aquinas, nempe, *qua res cognoſcunt naturaliter per ſpecies in ſuis mentibus innatas.*

Cognitionem verò ſupernaturalem addendam eſſe, præter ea quæ dicta ſunt, hinc etiam confirmatur, quòd Chriſtus ait, *Nos futuros Angelis ſimiles.* Atqui nos Deum videbimus facie ad faciem, non certè naturali lumine, ſed ſupernaturali & cœleſti atque diuino, vt ſcripturæ paſſim docent: quia tota vita æterna, gratia Dei eſt: Et Dauid apertè ait Pſalmo 36. *In lumine tuo* (ſupernaturali: ideò non ait *noſtro*, ſed *tuo*) *videbimus lumen*, id eſt, beatitudinem æternam conſequemur, & videbimus te, ô Deus, qui lux es in qua nullæ ſunt tenebræ.

DE MODO, QVO ANGELVS COGNOSCIT: AN PER ESSENTIAM ſuam, vt Deus: an verò per ſpecies & ideas, à rebus cognitis, abſtractas, vt nos.

CAPVT VI.

SCIO, quæſtionem hanc & alias nonnullas de cognitione Angelorum, non eſſe ad pietatem, ſalutémque noſtram neceſſarias: vtiles tamen eſſe negari non poteſt: præſertim ſi breuiter & perſpicuè, vt nos facturos confido: explicentur.

Ex harum enim cognitione, præter alia, hoc etiam vtilitatis capimus, quod videndo diſcrimen, quod eſt inter cognitionem, qua Deus omnia nouit: & eam, qua Angelus & nos cognoſcimus: Itémque diſcrimen illud, quod inter noſtram & Angeli cognitionem intercedit, videmus Deum ita perfectum eſſe in omnibus, vt nihil ei comparari poſſit: Angelum autem longè ſua natura nobis perfectiorem: Nos verò infimum inter ſubſtantias ratione præditas, locum tenere: ac proinde nos ſemper habere, cur humiliter de nobis ſentiamus, & ſimul deſideremus Angelis quàm primùm ſimiles fieri. Hanc igitur Theſin breuiter ſtatuo.

THESIS.

Angelus neque omnia per ſuam eſſentiam, vt Deus: neque etiam omnia per ſpecies ſeu imagines rerum, vt nos: ſed quædam ſua eſſentia, & alia per ſpecies atque imagines rerum, non tamen a rebus abſtractas, vt nos, ſed ſibi à Deo inditas, quòd Angelorum proprium eſt, intelligit atque cognoſcit.

CONFIRMATIO.

NOn eſt hîc opus longa confirmatione, ſed tantùm explicatione: Res enim explicata & probè intellecta per ſeſe certa redditur. Eſt autem huius explicatio petenda, (quemadmodum diuina Ariſtotelis methodus docet) ab iis, quæ notiora ſunt nobis: hoc eſt, à ſenſu, à quo etiam omnis noſtra intellectualis cognitio initium habet. Nec quiſpiam hanc contemnat explicationem, tametſi tota ferè ſit Philoſophica. Quæ enim docet Natura minimè cum verbo Dei pugnantia, docet Deus: Inter ſenſus autem noſtros, nullus eſt ad hanc rem explicandam accommodatior ſenſu viſus. Magna enim ſimilitudo eſt inter viſus & intellectus operationem: Vnde & quæ probè intelligimus, ea nos *videre* dicimur: Et ſic etiam ſcriptura loquitur, *Angelos videre faciem Dei*, id eſt, perfectè cognoſcere. Vt enim ſe habet viſus ad ſua obiecta videnda: Ita ferè etiam intellectus ad ſua intelligenda: quanquam longè perfectiori modo intellectus ſua intelligat, quàm viſus ſua videat. Ad viſionem autem tria præcipuè requiruntur: facultas in oculo videndi, obiectúmque percipiendi: lumen intermedium, quo obiectum viſibile cum facultate videndi coniungi ſuo modo poſſit. Et denique ipſa rei viſibilis extra oculum poſitæ ſpecies ſeu imago, à re viſibili, mediante lumine abſtracta, & ad oculum perlata atque in eo recepta. Per hanc enim ſpeciem in oculo receptam, res viſibilis extra oculum poſita videtur: res, inquam, viſibilis extra oculum poſita, quoniam ſi in ipſo inſit oculo, ea res non per ſpeciem ſeu imaginem ſui, ſed per ſuam eſſentiam ſine imagine videtur: Vt lux, quia in oculo ipſo eſt, non per aliquam lucis imaginem, ſed per ſe ipſam ab oculo videtur. Sed ſi obiectum viſibile extra oculum penitùs ſit, ſpecies illa ſeu imago viſibilis obiecti neceſſaria omnino eſt, qua obiectum viſibile præſens fiat oculo, eique vniatur, & quodammodo tangatur. Omnis enim ſenſatio fit per aliquem contractum rei ſenſibilis, & ipſius ſenſus. Hæc itaque tria ad viſionem perficiendam requiruntur: *Vis videndi in oculo: lumen intermedium: & rei viſibilis extra oculum poſita ſpecies ſeu imago atque idea.* Eundem ad modum tria ad intelligendum & cognoſcendum aliquid exiguntur: Primùm vis ipſa intelligendi, quæ eſt facultas intellectus. Deinde lumen, quo intellectus ad obiectum ſuum percipiendum illuſtratur: poſtremò ſpecies ſeu imago rei præſertim extra intellectum poſitæ, per quam imaginem res ipſa intelligenda præſens fiat, & ſuo modo vniatur intellectui, & ita intelligatur. Eſt enim neceſſe, vt ſi res intelligenda extra intellectum ſit: ea per aliquam ſui imaginem in ipſum penetret intellectum, præſénſque ei fiat & vniatur, atque ita percipiatur, hoc eſt, intelligatur: vnde & *percipere* pro *intelligere* vſurpatur. Dixi verò *hanc rei ſpeciem eſſe neceſſariam*, ſi præſertim res extra intellectum ſit: quoniam ſunt, qui velint humano intellectui, ſicut etiam Angelico, ad ſui ipſius cognitionem, non eſſe opus aliqua ſui imagine: Sed ſicut oculus lucem, quæ in ipſo eſt, videt immediatè per ſeſe, & per ipſam lucis eſſentiam, non autem per lucis imaginem: Ita etiam tam humanum, quàm Angelicum intellectum ſe ipſum cognoſcere per ſuam eſſentiam ſine aliqua ſui imagine: quanquam doctiores hoc quidem fatentur de Angelico, ſed negant de humano intellectu. Verùm de cognitione rerum extra intellectum, tam Angeli, quàm homines exiſtentium, nulla eſt controuerſia, quin rerum ipſarum ſpecies ad earum cognitionem neceſſariæ ſint & Angelis & hominibus: licèt non eodem modo, vt videbimus, & vt in Theſi poſuimus: Species enim has inditas eſſe Angelis ex Deo: in hominibus autem abſtrahi à rebus contendunt: qua de re mox dicemus. Satis eſt iam vidiſſe ad rerum extra intellectum propoſitarum cognitionem, tria illa cumprimis requiri: *vim intelligendi: lumen, quo intelligitur: Et imaginem rei, per quam res intelligatur.*

II. Porrò de facultate intelligendi in Angelo, déque lumine tam naturali, quàm ſupernaturali, quo intelligit, anteà dictum eſt: Nunc igitur in hac quæſtione tantùm videndum eſt, *per quid intelligat: an ſemper & omnia per ſpecies rerum: an verò aliquando per eſſentiam ſine ſpecie*: idque facimus in ſimili viſus perſiſtendo. Sed quo meliùs omnia intelligantur, Theſin in ſua membra diſtinguo: Multæ enim propoſitiones in hac vna continentur.

Primum membrum & prima concluſio eſt: *Deum omnia cognoſcere per ſuam eſſentiam.* Hac de re diſſeruimus in attributo de ſcientia & præſcientia Dei. Ratio verò huius perſpicua eſt: nimirum quoniam Deus omnia in ſe continet: Et ipſius eſſentia exemplar eſt & ſimilitudo rerum omnium: idcircò non opus habet vllis rerum imaginibus ad eas cognoſcendas, ſed ſua ſibi eſſentia ſufficit, quam videndo, videt omnia. Omnis enim cognitio per aliquam fit ſimilitudinem: Dei autem (vt dixi) eſſentia, ſimilitudo eſt rerum omnium: qua omnium eſt efficiens & exemplaris cauſſa.

Alterum membrum, eóque altera propoſitio eſt: *Angelum* (multò verò minùs hominem) *non omnia cognoſcere per ſuam eſſentiam ſicut Deus facit.* Ratio huius propoſitionis manifeſta ex iis, quæ iam dicta ſunt: Omnis enim cognitio per aliquam fit ſimilitudinem. Si igitur cognoſceret omnia per ſuam eſſentiam Angelus: oporteret ipſius Angeli eſſentiam eſſe rerum omnium imaginem & exemplarem cauſſam: Hoc autem impoſſibile eſt, quia talis rerum omnium perfecta imago infinita ſit neceſſe eſt: quo poſſit omnes res & omnes earum differentias referre: tam quę exiſtunt, quàm quæ exiſtere poſſunt: Eſſentia autem Angeli finita eſt. Proinde ſolius Dei eſt omnia per eſſentiam ſuam cognoſcere. Res autem extra creatum ſpiritum, à creato ſpiritu cognoſci non poſſunt, niſi per varias ſui ſimilitudines talibus ſpiritibus ſeu intellectibus coniungantur. Niſi enim per ſpecies coniungantur cum vtroque, Angelico nimirum & humano intellectu, eiſque fiant præſentes: percipi, hoc eſt, intelligi non poſſunt.

Tertium membrum, eóque tertia propoſitio eſt: *Angelum aliquid per ſuam cognoſcere eſſentiam*: Quidnam verò illud ſit, declaro. Primùm quidem naturali ſuo lumine Angelus ſeipſum perfectè cognoſcit, per ſuam naturam ſeu per ſuam eſſentiam: Et huius rei hanc adferunt rationem Philoſophi & Scholaſtici: quoniam in Angelo intellectus, quo ſemper actu intelligit, & res quæ intelligitur: & ipſum intelligere vnum atque idem ſunt. Negant enim in Angelo eſſe intellectum poſſibilem. Non igitur opus habet Angelus ad ſui cognitionem, ſuæ eſſentiæ imagine, per quam ſe cognoſcat: ſed ſicut oculus videt lucem, quæ in ipſo eſt, per lucis eſſentiam, non per lucis imaginem: Ita Angelus ſe ipſum per ſuam eſſentiam, non per ſuæ eſſentiæ imaginem intelligit. *Thom. 1. p. quæſt. 56. artic. 3. 6* Deinde, Angelus (vt idem ſcribunt) lumine ſupernaturali videt Deum (quanquam eum non comprehendat, nec comprehendere poſſit) videt, inquam, Deum immediatè ſine imagine, ſed per ipſius eſſentiam: Et hoc ſignificari docent illa phraſi: *Angeli ſemper vident faciem Patris*: nempe facie ad faciem & immediatè. Sed lumine naturali Deum ab illis non cognoſci tradunt, niſi per imaginem Dei, quæ in ipſorum eſſentia impreſſa eſt. quatenus illorum eſſentia imago quædam eſt diuinæ eſſentiæ: ideóque cognoſcendo ſe per ſuam eſſentiam: Deum etiam eodem modo naturaliter cognoſcunt: qualis fuit omnium Angelorum, etiam malorum ante peccatum cognitio, & qualis etiam nunc eſt: quanquam obſcurata in ipſis diabolis. Vnde etiam apparet, cognitione hac naturali non potuiſſe Angelos eſſe beatos: ſed ad beatitudinem opus fuiſſe ſupernaturali lumine & cognitione, vt ſuprà dictum eſt.

Quartum membrum, eóque quarta propoſitio eſt: *Nos omnia intelligere per ſimilitudines & imagines rerum, per quas res ipſa præſentes fiunt intellectui noſtro.* Intelligo hoc in hac tantummodò vita. Nam in cœlo non minùs, quàm Angeli videbimus Deum facie ad faciem, hoc eſt, ſine media imagine aut ſimilitudine Dei, Deum ipſius eſſentia cognoſcemus, vt Paulus ad Corinthios docet: quanquam neq; nos illum comprehendere poterimus, vt ſcriptura docet. Ceterùm

in hac

in hac vita omnia per imaginem cognoſcimus: Deum, tam naturali, quàm ſupernaturali lumine: nos ipſos & res extra nos omnes. De cognitione, qua naturaliter Deum cognoſcimus: manifeſtum eſt ex Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quę facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: æterna eius potentia, atque diuinitas. Docet enim Apoſtolus in ſingulis rebus, præſertim verò in homine, ſimilitudinem quandam & imaginem Dei bonitatis ſcilicet ipſius, potentiæ & diuinitatis, impreſſam eſſe. Nos verò contemplando hanc in rebus creatis ſimilitudinem, Deum cognoſcere naturaliter. De cognitione verò ſupernaturali, manifeſtum idem eſt ex eodem Apoſtolo. 2. Corinth. 3. *Nos autem omnes reuelata facie, gloriam Domini, tanquam in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, tanquam à Domini ſpiritu.* Docet Euangelium eſſe inſtar ſpeculi, quo diuina maieſtas, gloria, bonitas, potentia. Denique totus Deus ipſe relucet: Sicut imago etiam alicuius hominis in ſpeculo refulget, ita vt qui videt imaginem illius, videat hominem ipſum: non in eius ſubſtantia, ſed in imagine, ſeu per imaginem in ſpeculo reſplendentem. Ita nos in Euangelio Deum videmus non per eius eſſentiam, ſed per imaginem in Euangelio reſplendentem, ſeu per quandam bonitatis & diuinitatis ipſius ſplendorem, in Euangelio reſultantem & radiantem. In hoc igitur Mundo nemo hominum videre poteſt Deum per ipſius eſſentiam, ſed tantùm per imaginem, tam in Euangelio, quàm in creaturis. Intellectus etiam noſter (vt illi docent, C. l. 2. ca 98.) ſeipſum non poteſt cognoſcere, niſi per ſpeciem ſui intelligibilem. Cuius rei hanc afferunt rationem: quia intellectus, (qui quatenus aliquid actu non intelligit, ſed intelligere poteſt, intellectus poſſibilis nominatur:) actu intelligens, niſi per imaginem rei intelligendæ intelligibilem tanquam per ſuam formam fieri non poteſt. Sicut enim materia prima, putà in ligno, quatenus in potentia eſt ad formam ignis, ea ignis eſt non actu, ſed potentia, per formam verò ignis, actu fit ignis & res ſenſibilis: Ita (inquiunt) intellectus, qui antequam actu intelligat, poſſibilis tantùm dicitur, & potentia intelligens non poteſt fieri actu intelligens, niſi per ſpeciem rei intelligibilem, tanquam per formam quandam, per quam ex poſſibili intellectu, (vt loquuntur) fiat intellectus agens. Atque hanc eſſe cauſam docent, cur Angelicus quidem intellectus intelligat ſeipſum per ſuam eſſentiam ſine imagine. Humanus autem non niſi per ſui imaginem poſſit. Quòd verò intellectus noſter res extra ſe poſitas, per ſpecies tantùm intelligat: res eſt apertiſſima.

Quintum membrum noſtræ Theſeos, eóque quinta concluſio eſt: *Angelum, quæcunque intelligit extra ſe, per ſimilitudines rerum ipſarum: Ea ab ipſo intelligi per imagines, non à rebus abſtractas, vt à nobis intelliguntur ſed per ſpecies à Deo inditas:* quod proprium eſt Angelorum. Ratio huius eſt: quoniam, quod nos intelligamus per ſpecies à rebus abſtractas illud inde fit, quia omnis noſtra cognitio incipit à ſenſu eóque per abſtractionem fit, quaſi per quandam defæcationem, à materia rerum ſenſibili ad ſpecies ſenſibiles: & à ſenſibilibus ſpeciebus ad phãtaſmata, & à phantaſmatib. ad ſpecies intelligibiles: vt notum eſt omnibus in Philoſophia non mediocriter verſatis. Hæc eſt cauſa, cur intellectus noſter non niſi per ſpecies à rebus abſtractas intelligat. At verò cauſa hæc non habet locum in Angelo. Carent enim Angeli ſenſibus & externis & internis. Oportet tamen, vt ipſi quoque res intelligant per varias ſpecies: quia, vt ſuprà dictum eſt, *Omnis naturalis cognitio, per aliquam fit ſimilitudinem:* Solus autem Deus eſt perfecta rerum omnium imago & exemplar: ac proinde ſolus etiam Deus per hanc vnicam imaginem, quæ eſt ipſius eſſentia, omnia intelligit. Cùm igitur cogatur Angelus intelligere per varias rerum imagines: Et hæ non abſtrahantur à rebus per Angelos, qui carent ſenſibus: efficitur neceſſario, Angelum res creatas intelligere per ſpecies inditas. Hæc eſt Theſeos noſtræ, de modo, quo Angeli cognoſcunt, explicatio, quam credo perſpicuam eſſe omnibus, qui (vt dixi) vel prioribus labiis deguſtarint libros Ariſtotelis de Anima. Etſi verò de iis rebus apertè non diſſerunt ſacræ literæ, ſed tantùm quædam (vt oſtendimus) innuant: tamen quia (vt alias dixi) vox *natura*, quando non repugnat ſacris literis, vox Dei eſt: ideirco hæc contemnenda non ſunt.

III. Ad ſummam, & vt in cõpendium omnia contraham: Trifariam aliquid cognoſci poteſt. 1. *aut per ſuæ eſſentiæ in ipſo cognoſcente, præſentiam:* quemadmodum lux in oculo ſuo exiſtens eſſentia, & nullam ſui præbens ſimilitudinem, per ipſammet ſuam eſſentiam ab oculo videtur. Talis autem eſt cognitio *ſupernaturalis*, qua Deus ab Angelo cognoſcitur, & qua etiam à nobis in cœlo cognoſcetur. Coram enim intuebimur immediatè Deum ipſius faciem: præſentes ad Dominum, vt loquitur Apoſtolus. Talis quoque eſt cognitio qua ſe ipſum Angelus cognoſcit. Hic eſt primus cognoſcendi modus. Aut cognoſcitur aliquid, per ſuæ non eſſentiæ, ſed ſimilitudinis, imaginíve eſſentiæ in ipſa cognoſcẽdi facultate præſentiam: vti homo ab alio homine videtur: non quòd homo viſus, ſit ſua eſſentia in oculo videntis: ſed tantùm, quòd vnius imago & ſpecies (vt Philoſophi loquuntur) in alterius oculo præſens obſeruatur. Ac talis eſt cognitio, qua Angeli ſua naturali cognitione Deum cognoſcunt. Deum enim naturaliter cognoſcunt, non immediatè per eſſentiam Dei, ſed per imaginem eſſentiæ Dei, quæ in ipſa eſſentia Angelica expreſſa eſt: imò, quæ eſt ipſamet Angelorum natura atque eſſentia. Angelica enim natura, diuinam naturam repræſentat. Talis quoque eſt cognitio, qua cætera omnia, quæ extra Angelos, & extra Deum ſunt, cognoſcunt Angeli: per ipſarum enim rerum ſpecies & imagines in ipſis Angelis inditas, res omnes creatæ ab Angelis cognoſcuntur. Et huius generis etiam eſt cognitio qua nos res creatas omnes cognoſcimus: per illarum ſcilicet imagines, non quidem in nobis inditas, ſed ab ipſis rebus acceptas atque abſtractas. Imò ad hunc quoque cognitionis modum referri & accommodari poteſt cognitio, qua Deus creata omnia nouit. Nouit enim omnia per vnam imaginem, non aut à rebus acceptam, vt nos, aut in Deo inditam: vt Angeli: ſed per vnam imaginem, quæ rerum ipſarum effectrix eſt. Et hæc eſt ipſius Dei eſſentia, per quam omnia videt. Eſt enim ea non ſolùm effectrix, vt antea dictum eſt, verùm etiam exemplaris rerum omnium cauſa: atque hic eſt alter cognoſcendi modus. Aut denique aliquid cognoſcitur, neque per præſentiam ſuæ eſſentiæ, neque per præſentiam imaginis eſſentialis in cognoſcente, ſed per ſimilitudinem rei cognitæ, non à re ipſa immediatè, ſed ab alia, in qua reſplendet atque reſultat, acceptam: quo modo hominem, cuius ſubſtantiam ſeu corpus non cernimus, ſed tantùm eius imaginem in ſpeculo ſplendentem videmus, noſſe & videre dicimur. Huic cognitioni ſimilis eſt illa, qua nos Deum in hoc mundo cognoſcimus: tam naturaliter per creaturas, in quibus ſimilitudines & veſtigia diuinæ eſſentiæ, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, ſpectantur, de qua in epiſtola ad Romanos primo capite, quàm ſupernaturaliter per fidem Euangelij, in quo lucidiſſimè imago Dei, quis & qualis ſit, reſplendet: de qua in Epiſtola poſteriore ad Corinthios tertio capite. Hæc eſt ſumma primi membri huius Quæſtionis de modo quo Angeli cognoſcunt: *An ſcilicet per eſſentiam, an per ſpecies rerum.*

IV. An verò (quod fuit alterum præſentis quæſtionis mẽbrum) intelligant Angeli diſcurrendo ſeu ratiocinando: componendo diuidendóque, vt nos: An verò ſimplici intuitu: Reſpondemus hac Theſi.

THESIS II.

Angelos neque ratiocinando, neque componendo, aut diuidendo, vt nos, intelligere ferè omnia quæ intelligunt, veroſimile eſt.

CONfirmationem huius Theſeos è ſacris literis nullam habeo: niſi fortè quis vel illo abuti loco: *Angeli ſemper vident faciem Patris.* Vno igitur & eodem intuitu vident in Patre omnia, iuxta dictum Gregorij primi, dicentis: *Qui videntem omnia, videt,* (Deum ſcilicet) *quomodo non in illo omnia videt?* Sed quàm falſum ſit hoc aſſumptum, aliàs demonſtrabimus fuſiùs. Certè Chriſtus ait, *Angelos ignorare diem iudicij.* Etſi igitur vident Deum, qui omnia videt: non inde tamen efficitur, ipſos quoque omnia in Deo videre. Quare è ſcripturis euinci non poteſt, *Angelos quæ cognoſcunt, ea ſine ratiocinatione, compoſitione ac diuiſione, ſed ſimplici intuitu cognoſcere.* Probabilis tamẽ ratio affertur à Scholaſticis: Et petitur à vi intellectus Angelici longè præſtantiore, quàm ſit acumen cuiuſuis ingenij humani. Inter homines autem apparet, quò quis acutiori & præſtantiori ingenio præditus eſt, eò etiam plura eum, ſimulac medium duntaxat (vt vocant) terminum audierit, ſtatim ſine aperta ratiocinatione intelligere: plura, inquam, & citiùs hunc intelligere, quàm qui hebetioris eſt ingenij. Vt ſi tantũ dicas, *Deus eſt Iehoua*, qui maiori Theologiæ ſpiritu illuſtratus eſt, & præſtantioris eſt ingenij vir, is ſine longo diſcurſu, actutum videbit in illa breui propoſitione multas alias concluſiones, nempe Deum eſſe primum & per ſe Ens, à quo omnia Entia: In Deo omnes Entium omnium perfectiones ineſſe, eáſque perfectiſſimè, & perfectiſſimo modo, eóque eſſe ſapientiſſimum, potentiſſimum, optimum: imò ipſam ſa-

pientiam, omnipotentiam, bonitatem, iuſtitiam, eóque regi ab ipſo Mundum, iuſtos curari, malos puniri. Et alia id genus infinita, quæ per ſe in illa propoſitione, *Deus eſt Iehoua* continentur: Et quæ facilè iis, qui ſunt rudioris ingenij, & qui hæc per ſe non vident, demonſtrari ex illa poſſunt Theſi. At qui præ acumine ingenij in Theſi nunc propoſita videt omnes illas concluſiones: Is non opus habet demonſtratione aut vlla ratiocinatione: Id quod etiam dictum volo de cognitione, quæ per compoſitionem & diuiſionem ſubiecti & prædicati acquiritur. Qui enim præſtantiori ingenio præditi ſunt, ij cognita aliqua re, quid ſit, imò audito tantum eius nomine confeſtim omnia, quæ aut ſubiecto illi attribui, & cum eo componi poſſunt, aut ab eo debent ſeparari, optimè norunt. Et acutus exercitatúſque mercator, aut quiuis peritus Arithmeticus audito tantùm pretio, quo quęuis medimnum tritici emeris, & numero medimnorum, quos emeris (etiamſi 300. ſint millia) ſtatim ſine longa ſupputatione, compoſitione, partitione, intelliget & dicet, quanta ſit ſumma totius pretij, id quod certè harum rerum imperitior & hebetior præſtare non poterit ſine longa partitione ac ſupputatione. Eſt igitur res per ſe manifeſtiſſima, quò quis acutioris eſt ingenij: eò plura etiam illum, ex vna tantùm audita propoſitione, aut vno (vt vocant) termino, ſtatim collecturum eſſe, quàm qui tardior eſt. Proinde Deus Opt. Max. qui ipſa eſt ſapientia infinita, per vnam ſuam duntaxat eſſentiam, omnia & quæ ſunt, & quæ fieri poſſunt, nouit, vnóque omnia intuitu videt.

Cùm itaque Angeli multis hominibus præſtantiori & acutiori ſint intellectu præditi, quàm homines, quò fit vt etiã κατ᾽ ἐξοχὴν mentes & intellectus abſtracti appellentur: manifeſtum eſt, eos plura & citiùs noſſe, quàm nos. Probabile verò eſt, eos, ſi non omnia, ſaltem quàm plurima, perſpectis tantùm vniuerſalibus rerum imaginibus in ſe inditis, citra omnem compoſitionem, diuiſionem, ratiocinationem, intelligere: ea ſcilicet, quæ in illis vniuerſalibus rerum imaginibus virtute continentur. Confirmant hoc ſimili: *Vt corpora, inquiunt, cœleſtia ita perfecta creata fuerunt, vt ſuapte natura, iam inde à creatione, ſine motu, ſuam habuerint perfectionem, cum tamen ſuam inferiora corpora, non niſi per motum, & per mutationem cõſequantur. Ita etiam inferiores mentes humanæ ſcilicet animæ, non niſi per motum quendã ſpiritualem, componendo ſcilicet prædicata cũ ſubiectis, & à principijs ratiocinando ad cõcluſiones, perfectionem ſui, quæ in veritatis cognitione conſiſtit, adipiſcuntur: Superiores verò, hoc eſt, Angeli, ſine vllo diſcurſu, aut compoſitione & diuiſione, in ijs, quæ naturaliter norunt, alia quoque infinita ſtatim inſpiciunt & intelligũt. Talis n. proportio eſt inter mẽtes Angelicas cœleſteſque, & inter mentes humanas: qualis eſt inter cœleſtia corpora & terrena.* Probabilia igitur ſunt hæc, ſed minimè demonſtratiua. Multa quidem hoc modo ab Angelis, quæ certè à nobis ſine ratiocinatione cognoſci nequeunt, facilè dederim. At ſemper & omnia ab illis ita percipi, quaſi ſimplici intuitu, non facilè dandum eſt: cùm neque ſcripturæ hoc tradant, neque firmis rationibus demonſtrari poſſit. Quare hoc ſatis eſſe debet, Angelos, ſicut nõ omnia ſimplici intuitu, per ſuam eſſentiam ſibi notam perſpiciunt, vt facit Deus, ſic etiam quæ intelligunt, ea ferè neque ſyllogizando, neque componendo, aut diuidendo, vt nos ab ipſis intelligi. Dico *ferè*, quoniam nonnulla etiam cognoſcere videntur ex vno ad aliud ratiocinando: Vt ex apertis effectis, cauſas occultas: & contrà, per apertas cauſas occulta effecta. Nam præterquam quod Auguſtinus, permultique alij docent, diabolos ex iis, quæ externè à nobis fieri vident, qualéſnam intus in animo lateant affectus, cognoſcere, liquet, ab Angelis etiam bonis cogitationes deſideriáque cordium noſtrorum immediatè non cognoſci, ſed eatenus tantùm, quatenus per ſigna & effecta, in ſenſibus vel interioribus, vel exterioribus apparentia, illa ſeſe produnt, aut à Deo reuelantur. Dixi verò, *vt nos*, quoniam, etiamſi Angeli aliqua ratiocinando intelligunt: Non tamen ita craſſè, difficulter, & diu, id faciunt, ſicut nos: quippe qui perſpicaciſſimis ſunt ingenijs. Atque hinc etiam fit, vt multa, quæ nos non niſi ſucceſſiuè: vnum poſt aliud intelligimus, illi naturaliter ſimul omnia percipiant: illa, inquam, omnia, quæ ab vno pendet principio, & in eo tanquam partes in ſuo toto continentur: non autem omnia ſimpliciter, quod ſolius Dei eſt. Deus enim omnia ſimpliciter, vno ſimul intuitu intelligit: Angeli permulta, homines pauciora. Atque hæc de modo, quo Angeli cognoſcunt, ſatis ſupérque ſunto.

DE IIS QVÆ NORVNT ANGELI.

CAPVT VII.

NVNC, *quænam ab Angelis cognoſcantur*, videndum eſt, An in genere cognoſcant Deum, & ſe ipſi mutuò, & quiſque ſeipſum, atque alia à ſe diuerſa, non diſputamus: partim, quia hoc eſt extra controuerſiam, partim quia in præcedentibus quæſtionibus explicatum fuit. De alijs igitur nonnullis peculiaribus rebus nunc dicendum eſt. Ac primùm, *An ante reliquorum Angelorum peccatum præter Deum, & ſe, quales tunc erant, prænouerint etiam tum ſuam in veritate futuram conſtantiam, tum aliorum lapſum.* Tractatur hæc quæſtio in 2. Senten. diſtinctione quarta, ex quibuſdam Auguſtini locis. Auguſtinus enim Tomo 3. de Geneſi ad literam, lib. 11. cap. 23. affirmare videtur, Angelos quidem reprobos ſuum futurum lapſum, futuráſque ruinam non præſciuiſſe: quòd hoc naturaliter præſcire non potuerint: Deus autem non legitur hanc illis reuelaſſe: electos autem Angelos, ſuam in veritate conſtantiam præuidiſſe: non quidem naturaliter, ſed Deo reuelante. Rationem adfert probabilem: nimirum, *quia beati alioqui non fuiſſent, ſi de ſua conſtantia certi & perſuaſi non fuerunt.* Erant autem beati. Sed ratio hæc infirma eſt. Quid enim, ſi negem, vt nego, ante confirmationem in gratia, eos fuiſſe verè beatos? Niſi fortè beatitudinem vocet *ſtatum perfectum*, in quo creati fuerunt. At hoc modo etiam reprobi fuerunt beati. An verò Angeli boni præuiderint caſum aliorum, non ita definit. Pendebat enim ille caſus ex aliorum arbitrio. Cæterùm, vt me citò ex hac expediam quæſtione: probabilior mihi videtur eorum ſententia, qui docent, *neque Angelos malos ante ſuum lapſum, ſui caſus præſcios fuiſſe*: id quod cum Auguſtino Bernardus etiam ſermone de gradibus humilitatis affirmat: & Anſelmus ſubſcribit. Neque etiam Angelos bonos ante confirmationem, ſuam præuidiſſe conſtantiam. Ratio eſt, quoniam naturali lumine præſciri non potuit, alioqui etiam mali, ſuum potuiſſent præuidere peccatum: cùm non minùs ij, quàm illi perfecta natura creati fuerint: ſed quæ ex libero alterius pendent arbitrio, ea præuideri à nemine poſſunt, niſi à Deo. Lumine igitur naturali, aut ſuam conſtantiam quæ pendebat à voluntate Dei, aut aliorum caſum, qui ex alieno pendebat arbitrio, nequaquam præſciuerunt. Lumine autem ſupernaturali, hoc illos præſciuiſſe, neque conſtat ex ſcripturis, neque probabile eſt. Simulac enim lumine ſpirituali donati fuerunt, Deo adhærentes confirmati fuerunt in veritate. Non priùs igitur præuiderunt ſuam conſtantiam, quàm facti ſint in veritate confirmati, & conſtantiæ gratia donati, eóque verè beati effecti. Si verò lumine ſupernaturali conſtantiam non præuiderunt: neque etiam aliorum lapſum præuidiſſe credendi ſunt: cùm hoc planè nihil vel ad gloriam Dei, vel ad ipſorum ſalutem pertineret. *Dion. lib. 2. ſent. diſt. 4. quæſt. 3.* Atque hæc eſto breuis ad hanc curioſam quæſtionem reſponſio. Sequitur alia.

AN SINGVLARIA, ET QVÆCVNQVE HIC FIVNT AB ANgelis cognoſcantur.

CAPVT VIII.

TRIA capita habet hæc Quæſtio: vnum, *an res in genere cognoſcant, quæ ſunt in Mundo vt humanum genus & ſingulas rerum ſpecies*: Alterum, *an ſingulas etiam res*: Vt Angelus vnus, ſingulos homines: Tertium, *an ſingulas etiam cuiuſque hominis actiones, verba, &c.*

Quòd ad primum attinet, iſtud extra controuerſiam eſt. Duplici enim ratione hoc ita manifeſtum eſt, vt negari non poſſit, quarum prima eſt: quòd quicquid boni poteſt inferior virtus, illud etiam & perfectiori modo, poteſt ſuperior. Superiora enim in rebus à Deo conditis, perfectiora ſunt inferioribus: Superiora & cœleſtia corpora, inferioribus & terreſtribus corporibus: Et cœleſtes ſpiritus, humanis. Cùm itaque homines cognoſcant ſingulas ſpecies, quas Deus condidit: quomodo hac cognitione priuari poſſunt Angeli? Nullum igitur eſt creaturæ genus, vel in cœlo, vel in terra, vel in mari, quod Angeli non cognoſcant, atque apprimè & perfectè: omnes ſcilicet cuiuſque rei vires, proprietates, naturas: Altera ratio eſt, quoniam in Angelis inditæ ſunt à Deo iam inde ab ipſorum creatione vniuerſales rerum omnium imagines ſeu ideæ, vt antè explicatum eſt, & docti omnes fatentur, ſpeciatim D. Auguſtinus, tomo 3. de Ge-

de Geneſi ad literam, li. 2. Vt igitur homines per ſpecies rerum abſtractas, res ipſas intelligunt, ita & multo quidem excellentiùs Angeli per eaſdem ſibi naturaliter inditas, omnia rerum genera, eſſentias, proprietates, virtutes naturaliter cognoſcunt. Taceo hic, quòd in *Verbo* etiam, hoc eſt, in Filio eadem omnia clariùs ac dilucidiùs videant. Quæ cognitio, *cognitio matutina* ab Auguſtino appellatur: cùm eorumdem cognitio, quatenus habetur per ſpecies rerum, *veſpertina* vocetur.

II. Alterum caput difficilius eſt ad intelligendum: *An & quomodo Angeli ſinguli, ſingulas res, putà ſingulos homines, qui fuerunt & ſunt, cognitos habeant: præſertim cùm careant ſenſibus:* cognitio autem ſingularium, ad ſenſus pertineat: ſicut vniuerſalium ad intellectum, iuxta illud vulgatum in Scholis Philoſophorum; *Senſus eſt ſingularium: Ratio verò & intellectus vniuerſalium.* Hac de cauſa quidam penitus negarunt in Angelis cognitionem ſingularium: & vniuerſalium duntaxat illis conceſſerunt.

1. Sed hoc pugnat cum ſacris literis, quæ docent, *Angelos eſſe adminiſtratorios ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, i. propter electos. Quomodo autem poſſunt ſingulis hominibus miniſtrare, ſi eos non norunt? & Pſ. *Angelis ſuis Deus mandauit de te* (hoc eſt, de ſingulis electis hominibus) *vt cuſtodiant te in omnib. vijs tuis.*

2. Deinde ſinguli Angeli ſe mutuum ita cognoſcunt, vt nullus in cœlo ſit, qui alteri ſit ignotus: alioqui non verè eſſent beati, ſi qui in cœlo ſunt, non ſe mutuò omnes cognoſcerent: imò ne vllus quidem diabolus eſt, vel in aëre, vel in mari, vel in terris, vel ſubtus terram, quem Angeli boni non norint: id quod neceſſe eſt, vt eis, inſidias nobis ſtruentibus, reſiſtere poſſint. *Thom. 1.p.quæ.86.art.2.G.lib.2.c.98.*

2. Quin & Philoſophi hoc norunt, vnde in libro de cauſſis hæc quoque legitur ſententia: *Omnis intelligentia nouit res quæ non corrumpuntur.* Quo ex loco efficitur, ſingulorum etiam hominum animas, quippe quæ incorruptibiles ſunt, perſpectas eſſe Angelis, qui intelligentiarum nomine intelliguntur. Si igitur ſinguli Angeli, qui tamen ſunt innumerabiles, vt ait Apoſtolus, ſingulos norunt Angelos, & ſingulos Dæmones, & ſingulas hominum animas: Quid abſurdi eſt, ſi dicatur, ſingulos homines ſingulaſque res à Deo conditas, perſpectas eſſe Angelis? Quod ex Scholis Philoſophicis adfertur, *ſenſum eſſe ſingularium, Intellectum autem vniuerſalium:* Illud ſcriptum reliquit Ariſtoteles de intellectu humano, & docuit, quomodo homo rerum cognitionem acquirat: nempe per ſenſum, qui ſingularia percipit abſtrahendo à materia: & ſpecies ſenſiles ad phantaſiam remittendo, & inde à conditionibus ſingularium repurgatas, & vniuerſales effectas ad intellectum tranſmittendo. Quare torquetur hic locus quando ad Angelos quoque, & in alienum ſenſum transfertur. Etſi igitur careant ſenſibus Angeli: non inde tamen efficitur, quin ſingularium cognitio locum in eis habere poſſit. Alij itaque victi iis aliiſque rationibus, dederunt Angelis cognitionem non ſolùm vniuerſalium, ſed etiam ſingularium: verùm in vniuerſali, hoc ſenſu: nimirum quòd cognoſcendo, puta quid ſit homo, animal ſcilicet ratione præditum, corruptibile, mortale, ſalutis capax: ex conſequenti ſingulos homines tales eſſe & talis naturæ, intelligant: quanquam ſingularim hunc vel illum hominem minimè norint: Quemadmodum etiam Aſtrologus ex ſitu & diſpoſitione cœleſtium aſtrorum & motuum cognoſcit in genere futuram eclipſin: quanquam eam ſingulariter & propriè nec videt ipſe, nec aliis monſtrare poteſt: niſi poſtquam contigerit, illam ſenſu percipiat. Talem igitur admittunt in Angelis rerum ſingularum cognitionem. Verùm quòd dicunt, nihil eſt: Et abſurda, quæ ipſi etiam doctiores Philoſophi adferunt, ſi ſubſtantiæ abſtractæ ſingularia non intelligant, minimè tollunt. Nam cognoſcere ſingularia, vt iſti docent, in ſuis tantùm cauſſis & naturis vniuerſalibus, non eſt ea cognoſcere, vt ſingularia, quatenus ſunt hoc vel illud, hîc vel ibi, nunc vel aliàs: ſed hoc nihil aliud eſt, quàm cognoſcere ſingularia tanquam in vniuerſali quodam modo contenta, non autem reapſe per ſe ſubſiſtunt. Rationes autem partim à nobis paulò antè allatæ, partim quæ à Philoſophia adferuntur, euincunt ſingularia, quatenus ſingularia ab Angelis cognoſci. Angeli enim miniſtrant huic & illi electo. Angelus ducebat Petrum non in vniuerſali, ſed vt ſingularem hominem è carcere, & eum comitabatur. Sexcenta huiuſmodi extant exempla in ſacris literis. Communis itaque & recepta ſententia eſt, Angelos perſpectas habere non ſolùm rerum omnium ſpecies, & totius vniuerſi ordinem, ſitum, loca: verùm etiam ſingulas res à Deo conditas: non ſolùm in vniuerſali, ſed etiam in particulari & propriè, quatenus ſingularia ſunt. Ac præter rationes ante allatas, hæc etiam adfertur à Philoſophis: *Cœli mouentur ab Angelis quos ſubſtantias vocant ſeparatas: Et mouent ſcientes ac volentes: Cœli autem ſinguli, ſunt quædam ſingularia corporea, Ergo, &c.* Mouent item hos cœlos non fruſtrà, ſed in hunc finem, vt per horum motum res infra cœlos generentur, conſeruentur, operentur, & actæ agant: Generantur autem non vniuerſalia, ſed ſingularia aut particularia. Norunt igitur Angeli ſingularia quatenus ſingularia. At, quomodo inquies, hoc fieri poteſt? At enim per ſpecies vniuerſales aut per ſingulares ſibi inditas norunt. Non per ſingulares: Non enim inditæ ſunt Angelis certæ ſingularum rerum ſpecies & imagines: quæ infinitæ ſunt, ſed tantùm vniuerſales, vt omnes docent: alioqui quotidie nouæ inderentur cùm nouæ ſemper res fiant. Neque per vniuerſales: Vniuerſales enim non niſi vniuerſalia repræſentant, non autem particularia, niſi quatenus continentur in vniuerſalibus. Quomodo igitur ſingularia, quatenus ſingularia norunt? Reſp. Per ſpecies rerum vniuerſales non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam particularia, ac ſingularia, quatenus ſingularia ſunt, ab Angelis cognoſci dicimus. Hoc ita explicatur & confirmatur.

Principio, Annon Deus per vnam rerum omnium ſimilitudinem atque imaginem, hoc eſt, per ſuam eſſentiam, cauſam rerum omnium effectricem, finalem & exemplarem, omnia non ſolùm vniuerſalia, verùm etiam ſingularia & minima quæque nouit? Omnino, ſicut abundè in attributo de ſcientia Dei demonſtratum eſt. Ergo etiam abſurdum non eſt, quòd Angeli per vniuerſales multas rerum ſpecies atque ideas ſibi à Deo inditas, non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam particularia, quatenus particularia, cognoſcant. Sic enim ſe habet rerum à Deo conditarum ordo, quòd quò aliquid ſuperius & præſtantius eſt: eò etiam vim ſuam magis vnitam & ad plura ſeſe exerentem & extendentem habet. Perſpicuum eſt hoc in nobis ipſis, qui præditi ſumus ſenſibus externis multis: ſenſibus autem internis paucioribus, & intellectu vno. Videmus autem quæ quinque ſenſibus externis ſuſcipimus: ea omnia, imò & plura vno communi ſenſu interno à nobis apprehendi. Intellectus verò, quæ multa ſunt in ſenſu & phantaſia phantaſmata: Ea ipſe ad vnam ſpeciem intelligibilem redigit: Et per eam vnam, omnia illa intelligit. Ita apparet, quò aliqua res eſt ſuperior & excellentior: Eò etiam eius virtutem magis vnitam, efficaciorem, & longiùs latiúſque ſeſe exerentem & explicantem eſſe. Ergo cùm Angelus ordine naturæ ſuperior ſit & præſtantior homine: cum ordine naturæ pugnat, ſi quis dicat, Angelum ſuo vnico intellectu per vniuerſales rerum imagines non intelligere, quæ homo ſuis ſenſibus multis percipit, nempe ſingularia.

Cæterùm quia Angelus medius eſt inter Deum & homines: iccircò fit vt quæ Deus, qui ſupra omnes eſt, per vnam duntaxat imaginem, quæ eſt ſua eſſentia, cognoſcit: Ea cognoſcat Angelus per multas ſpecies, quæ ab eius differunt eſſentia. Et ſicut homo, qui infrà eſt, percipit ſingularia ſenſibus per ſpecies ſingulares à rebus abſtractas: Ita Angelus eadem per pauciores mente percipit. *C.lib.2.cap.*100. Proinde diligenter obſeruandum eſt ſpecies rerum per quas res ipſæ intelliguntur, contrario ordine ad noſtrum intellectum peruenire, quàm in Intellectum Angelicum perueniunt. Nos enim primò ſenſibus res percipimus abſtrahendo à materia: Deinde ſenſu communi poſtremò intellectu magis ſemper ac magis abſtrahendo & à conditionibus materialibus res repurgando & defæcando: Angeli autem illa ex Deo inditas habent, quatenus ipſorum natura imago eſt Dei multis repræſentatis, quod in Deo vnum eſt: ac proinde quæ in Deo vna eſt omnium ſimilitudo, ea in Angelis multiplex eſt. Quare quorum imago, eſt vnica Dei eſſentia: Ea etiam per multas rerum imagines, quæ in Angelis ſunt, referuntur. Eſſentia autem Dei non tam vniuerſalium, quàm particularium & ſingularium rerum, ſimilitudo eſt & exemplaris cauſſa. Singularia igitur etiam ab Angelis per vniuerſales rerum ſpecies intelliguntur. Totum etiam hoc ſecundum caput propoſitæ quæſtionis, ex iis quæ dicta ſunt, perſpicuum eſſe arbitror.

III. Sed tertium membrum difficilius eſt: nempe an Angeli cognoſcant non ſolùm ſingulas quaſque res à Deo conditas: verùm etiam ſingularum actiones, quid agant, quid dicant, quid patiantur, & id genus alia. Neque verò hic in quæſtionem vertitur: *An Angeli illorum hominum, quorum curam gerunt, actiones & verba norint.* Si enim certis hominibus cuſtodiendis deputati ſunt: Eorum etiam actiones

& paſſiones obſeruent neceſſe eſt. Proinde Tob.12. Angelus dicebat, *ſe preces Tobiæ obſeruaſſe, & obtuliſſe Domino*. Et in Actis Angelus dixit Centurioni, *Eleemoſyna tua aſcenderunt in conſpectum Dei*: Et alia huiuſmodi exempla in ſacris literis idem docent. De qua igitur re eſt quæſtio? Nempe. *An ſinguli Angeli ſingulorum etiam hominum verba & actiones* (vt de reliquarum creaturarum, quæ propriè infinitæ ſunt, actionibus taceam:) *obſeruent & cognoſcant, necne*: De hoc inter omnes conuenit. Imò neq; an poſſint, modò quid iſte, modò quid ille agat ſi velint, intelligere, diſputatur: ſed hoc diſputatur: *An actu & re ipſa ſingulas cuiuſque rei creatæ actiones cognoſcant, nec ne cognoſcant.* Quidam affirmant, Dionyſius enim Areopag. De diuinat. nominibus cap.5. ait, *Angelos ea ſcire eloquia, quæ fiunt in terra: non per ſenſuũ apprehenſionem, ſed ſecundùm propriam Deiformis mentis virtutem.* Vocat autem *mentem Deiformem*, intellectum Angeli, propter ſimilitudinem, quam cum Deo habet maximã: atque inprimis, quod rerum omnium ideæ, quæ in Deo ſunt ipſa vna eius eſſentia, in Angelis multiplicatæ effulgent, perque eas res omnes cognoſcunt. Et inter opera tomo 9. eſt liber de cognitione vitæ veræ: ibi cap.6. præter alia ſcribitur de Angelis, *quæcunque in rebus inſenſibilibus, vel creaturis ſenſibilibus geruntur, per Angelos adminiſtrari: ac proinde eos cuncta nobis occulta poſſe nter noſſe.* Hæc ille.

Cæterùm, vt ingenuè dicam, quod ſentio, ego hoc malim negare, quàm aſſeuerare. Solius enim Dei hoc mihi omninò eſſe videtur, quæcunque fiunt & dicuntur vbique locorum: ea ſimul videre, audire, intelligere. Ideò Hebr.4. *Soli Deo datur, quòd omnia ſint ei nota & aperta.* Proinde etiam Eraſm. meritò notat, *librum De cognitione veræ vitæ* non eſſe Auguſtini: Et auctorem nimiùm tribuere Angelorum cognitioni, quod nuſquam facit Auguſtinus. Item infinita ſunt, quæ in mundo fiunt & dicuntur. Quomodo igitur mens finita omnia ſimul nouit, & capit? Noſtra igitur hæc eſto

THESIS.

Singulos Angelos præterquam quòd & Deum vident, & reliquos tam malos, quàm bonos ſpiritus noſſe creduntur: omnia etiam rerum conditarum genera, naturas & vires noniſſe, credere fas eſt: ſingula autem rerum indiuidua illis eſſe nota, probabile eſt: ſingulorum verò actiones, & quæcunque in mundo fiunt ac dicuntur, ab illis ſimul cognoſci, affirmare, non ſolùm temerarium, ſed etiam impium eſſe iudicamus. Cæterùm quæcunque fiunt & dicuntur ab illis, quorum cuſtodiæ ſunt deputati, ea ab illis obſeruari & videri, extra controuerſiam eſt.

HOrum omnium rationes & confirmationes antea allatę ſunt: proinde venio ad alia.

AN ANGELI COGITATIONES NOſtras, deſideria, & affectus intelligant.

CAPVT IX.

AD quæſtionem hanc ſic breuiter reſpondemus:

THESIS.

Quæ in nobis ſunt cogitationes, deſideria & affectus niſi per externa vel effecta, vel ſigna ſeſe vtcunque prodant, vel à Deo reuelentur, cognoſci ab Angelis minimè poſſunt.

EXPLIC. & CONFIRMATIO.

DIxi, *niſi vel ſeſe prodant per effecta & ſigna, aut niſi à Deo reuelentur*: quoniam ſi quid Angelis reueletur, illud eis notum eſſe: quis dubitet? Illud quoque extra controuerſiam eſt externa, hoc eſt, quæ extra mentem & cor, ſeu voluntatem à nobis fiunt: ea ab Angelis, videri & obſeruari poſſe: & quidem actu videri & obſeruari ab illis, qui nobis cuſtodiendis aſſignati ſunt. Si autem per externa effecta, & ſigna, quæ intus latent in animo, cognoſcere alicuius affectus nos poſſumus, atque ita poſſumus, vt ſæpè etiam Medici intelligant, ex pulſu à quibuſdam affectibus aliquis occupetur, vt an amet, necne: Quantò magis id poſſunt Angeli, & verò etiam Dæmones? Id Auguſtinus quoque fatetur, tom. 3. libro de Dæmonum diuinatione, c.5. Cæteroqui cognoſci nequeunt ab vlla creatura quę in animo cuiuſque latent: niſi vt dictum eſt, reuelentur, 1.Corint.2 *Nemo* (ſcilicet vel hominum, vel Angelorum) *nouit quæ ſunt hominis: niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.* Præterea ſcriptura paſſim affirmat, hoc eſſe ſolius Dei, *ſcrutari corda, videre cogitationes cordis noſtri*, &c. 2.Par.6 *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Ier. 17. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile & quis cognoſcet illud? Ego Deus ſcrutans renes & corda* &c. Hac de cauſſa euincitur etiam Chriſtum verum eſſe Deum: quia *ſcrutatur corda & renes*, vt eſt in Apo. & alibi. Subſcribunt omnes huic ſententiæ: proinde non eſt cur dubitemus. Hic verò admiranda eſt Dei ſapientia & bonitas, qui talis naturæ condidit Angelos & homines, vt noluit cogitationes & deſideria noſtra vlli creaturæ, quantumuis excellenti ingenio præditæ, eſſe perſpecta: niſi vel ipſe reuelet, vel nos per ſigna aut per effecta, verbáq; ea prodamus, & in lucem proferamus.

AN COGNITIONEM FVTVRORVM, ET myſteriorum gratiæ teneant.

CAPVT X.

QVæri etiam ſolet, *an futura contingentia & myſteria gratiæ, vt quinam ſeruandi, qui damnandi ſint, norint.*

Duo hic ſunt membra. Vnum de cognitione futurorum contingentium: alterum de cognitione myſteriorum gratiæ. De primo hæc eſto

THESIS.

Futura verè contingentia, & quæ à libera voluntate pendent, niſi à Deo reuelentur cognoſci ab Angelis non poſſunt.

EXPLIC. & CONFIRMATIO.

PRincipio dico, *verè contingentia*, quæ ſcilicet rarò & in paucioribus fiunt, vt quæ *caſualia* & *fortuita* vocantur. Et cum iis coniungo, *quæ à libera proficiſcuntur voluntate*: ideò notanda eſt vulgaris eorum, quæ fiunt, partitio. Alia ſunt, *quæ fiunt ſemper & nunquam non fiunt, neq; aliter fiunt, eóque neceſſarias habent cauſſas*: Vt quòd Sol ſingulis diebus manè oriatur, & veſperi occidat: Vt, quòd æſtati ſuccedat autumnus, autumno hyems, & hyemi ver: Alia ſunt *quæ fiunt ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον* (inquit Ariſtoteles) & in pluribus: eóque cauſſas habent non ſimpliciter neceſſarias, ſed neque etiam fortuitas aut caſuales: verùm ita contingentes, vt tamen ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον effectum ſuum conſequantur, vt quòd ex ſumptione cibi & potus alantur corpora animalium: vt, quòd ex conſortio impiorum corrumpantur pij: Et quòd corrumpant bonos mores conſortia mala. Quædam verò ſunt quæ fiunt rarò & in paucioribus, eóque cauſſas habent verè contingentes, vt quæ *fortuna* & *caſus*, appellantur. Et huiuſcemodi effecta ſunt verè contingentia: vt, quòd quis naſcatur duobus capitibus, cum ſex digitis in manu. Item, quòd Saul rediens ex agro cum bobus eſſet ſpiritu Dei ornandus: Et paulò poſt Rex ſuper Iſrael creandus, 1.Sam.11. Hæc ſunt verè contingentia. Adde iam iis quartum genus, nimirum ea, quæ pendent ex libera voluntate. Nam etiam hæc ſunt verè contingentia. Atque hęc etiam ſunt, de quibus in Theſi.

Secundo loco non tacendum eſt, *aliquid cognoſci poſſe bifariam aut in ſuis cauſſis ſeu per ſuas cauſſas, aut in ſeipſis.* Ad alterum igitur cognitionis modum quod attinet, qui eſt, vt res futuræ in ſeipſis cognoſcantur, hoc eſt, quaſi præſentes & quaſi coram cernantur: Theologi fatentur, nullas res futuras, quæcunque illæ ſint, in ſe ipſis præuideri ab angelis poſſe, ſed tantùm à Deo *Tho.1.p.q.57.art.3.* Et rationem adferunt, quoniam ſolus Deus verè æternus cùm ſit, ſolus etiam omnia habet ſibi præſentia. Proinde tam futura, quàm quæ iam reipſa exiſtunt, coram Deo præſentia ſunt. Et is vno intuitu tam illa, quàm iſta videt. Atque de hoc cognitionis modo loqui Prophetam Ieſaiam volunt, cùm totius populi Dei nomine Deos gentium irridens, ita ait: *Dicite nobis futura, & cognoſcemus quòd Dij eſtis.* Hanc enim futurorum in ſeipſis cognitionem ſolius Dei eſſe.

II. Sed ad primum modum, quod attinet, qui eſt cognoſcere res futuras in ſuis cauſſis: eam contendunt communem eſſe etiam creaturis quanquam diuerſa ratione. Sic igitur diſtinguunt & docent iuxta illa quatuor rerum genera, paulò antè explicata. Primùm docent, futurorum quæ ex cauſſis proueniunt ſimpliciter neceſſariis, certam haberi præſcientiam, ab ipſis etiam hominibus, nedum ab Angelis: vt, quòd poſt noctis tenebras, ſecuta ſit lux diei.

Hæc

Hæc igitur & alia id genus futura, certò præuidentur ab Angelis. Deinde verò, quæ ex cauſſis oriuntur talibus, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, & in pluribus ſimilia ſolent parere effecta: ea cognoſci à nobis certò non poſſe: ſed tantùm ex probabilibus coniecturis: Vt, an ex ſumptione medicinæ aliquis non lethaliter decumbens, ſit conualiturus, necne. Et an Salomon ex conſortio & amore concubinarum idololatrarum lapſurus ſit in idololatriam, necne lapſurus. Hoc etiam rectè de nobis concluditur. Cæterùm, volunt hæc huiuſq; generis futura ab Angelis certò etiam cognoſci: propterea quòd cauſas horum futurorum optimè norint: Et quæ nobis probabiles ſũt cõiecturę: ea Angelis ſint certiſſima τεκμήρια. Hæc igitur tantò certius ab Angelis præcognoſci, quàm à nobis: quantò etiam meliùs norunt ipſas rerum cauſas. Hoc etiam non admodum oppugnarim. Meliùs enim ipſi norunt rerum cauſas, quàm nos: ac proinde certiùs etiam præcognoſcunt effecta. Sequitur tertium effectorum futurorum genus. Quæ itaque ex tertio cauſarum genere proficiſcuntur, ac proinde quæ fortuita & caſualia vocantur, eóque verè contingentia ſunt, ea nobis penitus ignota eſſe dubium non eſt, ſed certam horum quoque futurorum cognitionem attribuunt Angelis, quòd ij cauſas horum quoque effectorum probè teneant: eóque in cauſſis hæc futura effecta certò præuideant. Atque hoc quidam adſtruunt dictum ex tomo tertio operum Auguſtini, ex li. de cognitione veræ vitæ cap. 6. de quo paulò antè: Et hoc voluiſſe etiam indicare Chriſtum, cùm dixit: *De die autem illa, nemo ſcit, neque Angeli Dei:* quaſi dicat, etſi Angeli Dei nihil aliarum rerum ignorant: De die tamen illa, quando futura ſit, neſciunt. Voluiſſe enim his verbis attribuere Angelis omnium rerum futurarum cognitionem, dum cognitionem illius diei adimit.

Cæterùm ego hoc tertium non auſim affirmare, nempe citra reuelationem diuinam, ſed naturaliter futura omnia verè contingentia ab Angelis cognoſci. Vtque non auſim hoc affirmare, his adducor rationibus. Quòd quis ſit diu aut paruo tempore victurus, & an ex vno aut ex alio morbo moriturus, nimirum vel morte naturali, vel violenta, hoc certè eſt ex numero verè contingentium. Interrogo autem, an hoc etiam naturaliter cognoſcant Angeli de cuiuſquam vita vel morte? ſi tu affirmes, Angelus quidam negat. Nam 4. Eſd. 4 ad finem, Eſdræ interroganti Angelum, *an eſſet ipſe victurus vſque ad illos dies, de quibus locutus fuerat Angelus. Et quidnam futurum eſſet in illis diebus:* reſpondit ei Angelus in hæc verba: *De ſignis, de quibus me interrogas, ex parte poſſum tibi dicere: de vita autem tua non ſum miſſus dicere tibi, ſed neſcio.* Notanda verba: primùm dicit *de futuris ſignis ex parte ſe poſſe dicere.* Non igitur omnia futura ſigna tenebat, ſed ex parte tantùm. 2. Quid porrò euenturum eſſet Eſdræ, & quando moriturus, ait, ſe neſcire, multò minùs etiam, quo mortis genere. Deinde, quónam & quanta poſt Iohannem Euangeliſtam euentura erant Eccleſiæ Chriſti? Ea tamen dicitur Chriſtus, quæ à Patre tanquam homo acceperat, reuelaſſe Angelo: Et per Angelum Iohanni. Si nouerat hæc Angelus per reuelationem: Non igitur in ipſorum cauſſis naturaliter præuiderat. 3. Ad hæc ſi Chriſtus quæ reuelauit Angelo, & per Angelum Iohanni, ea quà homo accepit à Patre, & à ſua Deitate, non autem præuidit in cauſis, cur demus hoc Angelis? Quaſi verò ipſi præſtantiori & plurium rerum ſcientia præditi ſint, quàm Chriſtus homo glorioſus in cœlo. Nihil detraho Angelis: ſed cum Apoſtolo dico, *Chriſtum etiam qua homo eſt, excellere etiam rerum cognitione ipſis Angelis.* 4. Certè Chriſtus homo plura in cœlo nouit & excellentiùs, quàm nos cogniturі ſimus. Sumus autem cognitione etiam, ſicut aliis rebus æquales futuri Angelis. 5. Item Eſ. 14. cognitionem rerum futurarum omnium ſimpliciter attribuit Deo, & propriam eſſe Dei docet, dicendo: *Dicite nobis futura, & cognoſcemus, quod Dij eſtis.* At reſpondent Scholaſtici hoc intelligendum eſſe de rerum futurarum cognitione in ipſis rebus futuris: non in ipſarum cauſis: ſolum Deum futura in ſeipſis præuidere, quæcunque illa ſint: At verò in cauſis ipſorum omnia eſſe nota Angelis Dei. Reſpond. Damus, res futuras in ſeipſis non videri, niſi à Deo: ſed quòd etiam fortuita ab Angelis præuideantur in cauſſis ſuis, ſcriptura non tradit. Et Propheta ſimpliciter horum cognitionem dat ſoli Deo, dicendo: *Dicite nobis futura, &c.* Non ait, *Dicite ſi ea noſtis in ſe ipſis vel in cauſis:* ſed ſimpliciter, *Dicite futura,* nempe ſi vllo modo per vos ipſi noſtis: *Et dicemus, quòd Dij eſtis.* Docet igitur ſolius Dei proprium eſſe, noſſe omnia futura.

III. Quod adferunt ex libro de cognitione veræ vitæ: Auguſtini liber non eſt, vt meritò notauit Eraſmus: Et vt ipſe ait, hoc ipſum docet, librum non eſſe Auguſtini, quòd tradit rerum omnium ſcientiam & præſcientiam Angelis: id quod nuſquam facit Auguſtinus, cùm hoc ſit Dei propriũ. Dictum Chriſti non concludit, Angelos omnia noſſe præter diem illũ. Nam alia quoq; permulta ignorant: vt partim eſt demonſtratum de iis, quæ ſunt in animis hominum latentia, partim etiam mox demonſtrabitur: ſolùm tribuit Angelis eximiam rerum cognitionem: Et docet, præter alia ipſum etiam diem vltimum illis ignotum eſſe. Deinde, etſi inde euinceres, teſtimonio Chriſti indicari, Angelos reliqua omnia noſſe, nihil tamen efficeret. Nã mox reſpondebimus, eos omnia noſſe ex reuelatione, non autem naturaliter in rerum cauſis: Diem verò iudicij neq; ex reuelatione nouiſſe, quia Deus non reuelet: neq; etiam ex cauſarum cognitione, cùm nulla eius ſit cauſa, niſi voluntas Dei arcana, vt Act. 1. videre eſt. Atque hæc de tertio rerum futurarum genere ſatis ſunto, nempe euinci non poſſe, Angelos naturaliter omnia futura contingentia certò nouiſſe, neque in rebus ipſis, neque in ipſarum cauſis.

IV. Ad quartum genus quod attinet, eorum ſcilicet, quæ ex libera vel hominum, vel aliorum Angelorum pendent voluntate: omnes vno conſenſu docent, ea ab Angelis certa ſcientia præcognoſci non poſſe: ſed vel per reuelationem, vel per effecta & ſigna, per quæ res illæ in animo occultæ ſeſe prodant. Effecta enim ipſa videri non poſſunt per ſe ipſa, cùm nondum exiſtunt, ſed futura ſunt. Neque in ſuis cauſis præcognoſci queunt, cùm lateant in animis eorũ, qui ea volunt. Nullo igitur modo, niſi per reuelationem hæc præcognoſci ab vlla poſſunt creatura. Atq; hæc de primo membro propoſitæ quæſtionis. Hinc facilis ſequitur reſponſio ad alterum membrum. De altero igitur hæc eſto altera theſis.

THESIS.

Myſteria ſalutis ab Angelis cognoſci non poſſunt, niſi per diuinam reuelationem.

PRimò, *Myſteria ſalutis* vocamus quæcunq; Deus pro ſalute noſtra conſtituit æterno ſuo decreto atque conſilio. Ideo enim *myſteria* vocantur, quia in Deo ſunt abſcondita. Cùm verò vel promittuntur, vel executioni mandantur promiſſiones: non ampliùs propriè myſteria ſunt, quantum ad id, quod manifeſtum eſt factum. Proinde electio imprimis in hoc nomine continetur. Non autem ipſa vel vocatio, vel iuſtificatio, vel glorificatio iam facta, aut etiam promiſſa.

Secundò, cùm dicimus, *niſi per reuelationem*, ſecludimus naturalem cognoſcendi modum, qui eſt per lumen naturale, & per ſpecies rerum inditas. Hoc enim modo penetrare in Dei voluntatem non poſſunt Angeli: Vt quoſnam elegerit ad vitam, & quænam pro ſalute noſtra decreuerit, videre poſſint: ſed quicquid horum myſteriorum nouerunt, illud aut per reuelationem ipſis in cœlo & in ſpeculo Verbi factam, aut per promiſſiones nobis in ſcripturis vel factas verbo, vel reipſa completas atque perfectas nouerunt. Per reuelationem quidem, vt quòd Angeli quibus noſtri cura & cuſtodia commiſſa eſt: norint nos eſſe electos ad æternam vitam. *Sunt enim* (vt eſt ad Heb.) *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Et in Pſal. Vbi de cuſtodia electorum loquitur Dauid, legitur, *Deus mandaſſe Angelis de nobis, vt nos cuſtodiant in omnibus viis noſtris:* Norunt igitur per reuelationem, eos eſſe electos, ad quos mittuntur: Nam naturali lumine non poſſunt, cùm hoc ſolius ſit Dei, noſſe qui ſint ſui. Per promiſſiones autem nobis in ſcripturis factas: vt quòd iam inde ab initio norint Filio Dei carnem ſumpturum fuiſſe, & ſacrificio corporis ſui nos redempturum, & alia id genus. Per promiſſionum verò complementum, vt cùm Gentes ad gratiam Euangelij vocatas, tam magno numero ad Eccleſiam Chriſti confluere re ipſa viderent. Etſi enim propter promiſſiones de vocatione Gentium factas Prophetis nouerunt in genere vocatum iri gentes; multas tamen eius vocationis circumſtantias ignorabant: puta tantum numerum, tale tempus, talem modum mediúmque, quo erant vocandi: Et quòd tam facilè, tam citò vocandi eſſent. Quis enim norat per vnius Pauli miniſterium tam breui temporis ſpatio tantam Gentium multitudinem, efficaciter vocatum iri, tátoque animi ardore ad Chriſtum conuolaturam fuiſſe? Quam ob cauſam Eph. 3. ait Apoſtolus, *myſterium hoc*, de vocatione ſcilicet Gentium per ſuum Apoſtolatum, *abſconditum fuiſſe à ſeculis in Deo: Nunc autem ex horum vocatione patefactam eſſe multiformem illã Dei ſapientiam:* qua ſcilicet decreuerat etiam Gentes tam multas ſeruare: patefactum, inquam, hoc eſſe ipſis etiam poteſtatibus in cœlis per Eccleſiam. Hæc eſt Theſeos explicatio perſpicua atque certa: ac proinde quæ non opus habet longa probatione. Apoſtolus enim ait 1. Cor. 2. *Quis hominum nouit quæ ſũt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Ita

Cur Angelorum, alijs à veritate deficientibus, alij in veritate perſtiterint, cauſa non vna fuit, ſed multiplex: Bona ipſorum Angelorum voluntas: auxilium gratiæ Dei, gratuita Dei erga illos beneuolentia: & æterna gratuitáque Electio, ſeu eligendi propoſitum, fons & cauſa reliquarum omnium.

EXPLIC. & CONFIRMATIO.

PRimam diximus fuiſſe voluntatem ipſorum bonam. Hæc eſt enim illa, qua immediatè voluerunt in veritate perſiſtere: idcirco proximam & immediatam cauſam hanc eſſe dicimus. Quod enim volumus, voluntate noſtra: Si malum, mala: Si bonum, bona. Sed vt dictum eſt, bona, quæ noſtram ſeparant naturam per nos ipſi noſtriſque naturalibus viribus, neque velle, neque perficere poſſumus: idcircò opus eſt, ſupernaturali diuinę gratiæ auxilio. Meritò igitur ſecundum, ſed ſuperiorem locum in hac cauſarum analyſi damus gratiæ Dei: qua voluntas Angelorum adiuta fuit, vt poſſet velle in veritate perſiſtere. Cæterùm hoc gratiæ auxilium aliunde non proficiſcitur, quàm à bona Dei erga nos voluntate: Non autem ex ipſorum meritis, vel præcedentibus, vel ſubſequentibus. Quare iure optimo fontem gratiæ & auxilij diuini facimus ipſam bonam & gratuitam Dei erga Angelos & erga nos voluntatem: eóque huic tertius datus eſt locus.

Quod verò Deus iam alicui ita bene velit, vt omninò eũ reapſe ſuo donet auxilio: quanquam noua voluntas non eſt in Deo: Ordine tamen (vt loquuntur) naturæ, totum hoc inde pendet, quod firmum ac immutabile eſt decretum, & beneplacitum Dei æternum ab ipſius ſapientia profectum: quo hunc aut illum ad gratiæ ſuæ communionem elegit ac prædeſtinauit, aliis pro ſuo etiam iuſto beneplacito ab æterno rejectis. Æternum verò iſtud beneplacitum Dei, nihil ſupra ſe habet: ſed radix & fons eſt omnis gratiæ, omnis bonæ voluntatis: omnium denique eorum, quæ ad ſalutem aliqua ratione conducunt. Totam hanc doctrinam tradunt paſſim ſacræ literæ. De prædeſtinatione tanquam de fonte totius ſalutis, Chriſtus ait Patri, Matthæi 11. cap. *Gratias tibi ago, Pater quòd abſcondiſti hæc à prudentibus, & reuelaſti paruulis. Ita pater, quia ſic placitum eſt ante te.* Iohannis 16. cap. *Omne, quod dedit mihi Pater, ad me veniet:* quaſi dicat, Ij ſoli venient, nec poterunt non venire, qui mihi dati ſunt à Patre: Reliqui non venient, nec venire poterunt. Ergo etiam ex Angelis illi adhæſerunt Chriſto, qui dati fuerunt ei à Patre. Electionem autem omninò excludere merita & includere εὐδοκίαν ac gratuitam beneuolentiam docet idem Apoſtolus ad Romanos 8. & 11 cap. Et ad Epheſios 1. capite, & alibi. Gratiæ verò auxilium ita eſſe neceſſarium, vt ſine hoc ne voluntas quidem ſuapte natura bona & verè libera poſſit velle illud bonum quod ad ſalutem vitámque æternã pertinet: tam longè latéque patet in ſcripturis, vt ſuperuacaneũ ſit adferre teſtimonia. *Nemo venit ad me*, ait Chriſtus, *niſi Pater meus traxerit eũ. Sine me*, ait idẽ, *nihil poteſtis facere.* Interim tamen homines non trahi ad Chriſtum vt truncos, neque ſeruari vt lapides, ſed ex cognitione Dei, & ex voluntate bona: docent eædem ſcripturæ. Primum à præceptis, vbicunque Deus cognitionem & voluntatem à nobis exigit, qua ſe cognoſcamus, voluntatémque ſuam faciamus. Secundò à promiſſionibus conditionalibus, vbicunque promittit ſalutem cum conditione, *ſi velimus ſuam ſeruare voluntatem.* Tertiò, vbicunque ſine conditione promittit abſolutè, ſe daturũ cor nouum, ſéque effecturũ, vt velimus & ſequemus ſua mandata & ambulemus in præceptis ſuis. Quartò, vbicũq; etiam talem promiſſionẽ impleri audimus: vt cùm ait Apoſtolus, *Deus operatur in nobis velle.* Et cùm docet ſcriptura, *Deum facere nos de nolentibus, volentes.*

Cauſa ſalutis Angelorum.

Omnibus iis & ſimilibus locis docet Spiritus ſanctus, Deum non ſeruare homines (de adultis loquimur) vt truncos ſine ipſorum cognitione, ſinéque voluntate: multò minùs inuitos, ſed ſcientes & volentes: Imò quoniam nos noſtra natura neque intelligere poſſumus, quæ ſit Dei voluntas, & multò minùs poſſumus velle eam ſeruare: idcircò docet Deum efficere, & vt cognoſcamus, & vt velimus: Vſque adeò non vult quempiam ſeruari prorſus neſcientem & inuitum. Hæ igitur ſunt cauſæ ſalutis: ac proinde etiam cur Angelis quibuſdam cadentibus, alij in veritate perſtiterint. Prima & immediata & proxima eſt, quoniam aliis nolentibus, ipſi voluerunt perſiſtere in veritate. Secunda, ideò verò alij voluerunt perſiſtere, quoniam iis communicata fuit gratia, qua vellent perſiſtere: Deo in ipſis operante, & vt vellent, & perſiſterent. Tertia, ideo autem operatus eſt in illis Deus velle, non quòd hoc illi vllis vel præcedentibus, vel futuris præuiſis operibus promeriti fuerint, ſed tantùm pro ſua bona erga eos voluntate, hoc eſt, quia gratis & ſimpliciter hoc voluit Deus. Quarta, ideò autem iuno voluit ipſis hanc gratiam cõmunicare, quia electi iam erant ab æterno ad hanc gratiam, eóque ad ſalutem, ſecundùm beneplacitum immutabile voluntatis ſuæ. Hæc eſt indiſſolubilis catena cauſarum ſalutis noſtræ & Angelorum: quarum fons & origo, eóque prima ac principalis in earum connexione, eſt æterna electio (inde enim reliquæ omnes) In reſolutione verò, prima eſt voluntas noſtra: Hæc enim refertur, reſoluitúrque in gratiam Dei, qua fit bona, ipſiúſque operatio; pendet à gratia Dei, à voluntate Dei: Denique ab æterna electione Dei in Chriſto facta, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Quibus ex rebus, & ex qua catena liquidò apparet, totam ſalutis tam noſtræ, quàm Angelorum laudem & gloriam vni ſoli Deo in Chriſto eſſe attribuendam.

DE CONFIRMATIONE ANgelorum in gratia.

CAPVT III.

DE confirmatione Angelorum in gratia, & æterna felicitate conſentiunt inter ſe Theologi omnes: ſimpliciter ergò, ſine diſputatione hæc proponitur Theſis.

THESIS.

Angeli, poſteaquam gratia adiuti conſtanter & omninò voluerunt in veritate perſiſtere: ita confirmati fuerunt in gratia, & in dono perſeuerantiæ, beatíque effecti ſunt, vt a ſummo illo bono, cui adhæſerunt, ad aliquod malum ſua voluntate deficere, eóque peccare minime ampliùs poſſint.

VSque adeò perſpicua eſt Theſis, vt nulla opus habeat explicatione: paucis tantùm eſt confirmanda.

1. Chriſtus apertè ait, *Angelos ſemper videre faciem Patris.* Nomine autem huius visionis, totam Beatitudinem cõplectitur, cuius prima ac præcipua pars in viſione Dei perfecta conſiſtit. Proinde docet, Angelos ita videre Patrem, vt nullum ſupra omnia ament, colant, laudent, idque perfectiſſimè, ſine vllo defectu, aut peccato, quemadmodum hic fit à nobis: eóque ſignificat Chriſtus illos ita videre & amare Deum, vt ad eius voluntatem ſe totos penitùs accommodent. Aduerbio autem, SEMPER, incommutabilem æternitatem ſignificat: eóque apertè docet, Angelos in Cœlo ita confirmatos eſſe in viſione & amore Dei, vt peccare ampliùs non poſſint: Et ita conſtanter in veritate perſiſtere, vt ab ea deficere ampliùs nequeant.

2. Item, cùm iuſſit nos ita precari *vt fiat voluntas Dei in terra*, nempe à nobis, ſicut fit in cœlo, nempe ab Angelis: quid aliud docuit, quã Angelos ita ſemper & perfectè facere voluntatem Dei, vt ab ea, ne pilum quidem declinent vnquam: ac proinde nunquam peccare, neque peccare poſſe?

3. Quid & illud ſibi vult, quòd nobis promittit Chriſtus, futuros nos in cœlo, ſicut ſunt Angeli Dei? Tales certè nos futuros in cœlo docet: quales ſunt & Angeli: eóque & Angelos tales eſſe in cœlo, quales nos quoque futuri ſumus. Atqui tales futuri ſumus nos, vt non ampliùs poſſimus peccare, quia Deus erit omnia in omnibus. Tales igitur etiam nunc ſunt Angeli, taléſque fuerunt ab eo tempore, quo aliis cadentibus, ipſi in veritate perſtiterunt.

4. Ac firmiſſima ratio idem euincit. Eatenus enim alicuius volũtas, vel reiicit bonum, vel eligit malum (hoc autẽ eſt peccatum volũtatis) quatenus aut, quod bonum eſt, videtur illi malum eſſe: Aut contrà, quod malum eſt, illud tanquam bonum vel ſimpliciter, vel ex parte apprehendit. Quod enim tanquam ſimpliciter malum apprehendit, illud velle nequit: quia obiectum voluntatis eſt bonum. Atqui in cœlo Angelis non poteſt vlla ratione, quod bonum eſt, videri malum: neque quod malum, bonum: Vident enim Deum facie ad faciem: Et in eò luculentiſſime perſpiciunt, quid verò bonum ſit.

5. Quomodo

5. Quomodo verò beati eſſent, ſi adhuc peccare & miſeri fieri poſſent? Beatitudo enim omnia excludit mala, & bonorum omnium plena eſt & perfecta poſſeſſio. Si ergo per gratiam beati: in ea gratia confirmati ſint, oportet.

6. Neque aliam ob cauſſam credo eos tam frequenter in ſcripturis, ſanctos Angelos κατ' ἐξοχὴν, appellari quàm quia ita retinent ſanctitatem, in qua creati fuerunt, vt peccare ampliùs, & impij fieri non poſſint. Horum exemplo factum eſt, vt & pij homines, qui in cœlum migrarunt, κατ' ἐξοχὴν vocentur *ſancti*: quoniam in ſanctitate ita ſunt confirmati, vt fieri ampliùs non poſſint è ſanctis, non ſancti.

Huic doctrinæ ſubſcribunt Patres omnes, noſtri omnes, Scholaſtici omnes. Legatur Auguſtinus Tomo 3. in Enchirid. ad Laurent. capite ſeptimo, vbi affirmat, poſtquam diabolus cum ſuis cecidit è cœlis: nullum ibi ampliùs eſſe malum. Et neminem præterea inde cecidiſſe, aut caſurum eſſe. Et eodem tomo libro de Eccleſiaſtic. Dogmat. capite quinquageſimo nono, non ſolùm docet, Angelos perſeuerare in ſua bonitate & ſanctitate: Verùm etiam explicat, vndenam ipſorum in bono & in Deo ſtabilitas ac firmitudo: nimirum non à natura, ſed à gratia. Eadem traduntur in libro de Fide ad Petrum, capite vigeſimo tertio: *Coger verba ipſa recitare, quia digna ſunt quæ [illegible]entur: Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam eſſe: nec tamen poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari: qui ſic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo ſtabiliter perfruuntur, vt ea carere non poſſint: Sed hoc ipſum, quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum: Sed poſtquam creati ſunt, gratiæ diuinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent: nunquam de eorum conſortio Diabolus & eius Angeli cecidiſſent.* Atque hæc, quod ad confirmationem huius Theſeos attinet.

II. At nonnulla obiici poſſunt, quæ explicationem deſiderant.

1. Hieronymus tomo 3. in tractat. de Filio prodigo ad Damaſum Papam, ad calcem tractatus, pag. 134. *Solus Deus* (inquit) *eſt, in quem peccatum non cadit: Cætera cùm ſint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, in vtramque partem flectere ſuam poſſunt voluntatem.* Hæc ille. Aut igitur Angeli non ſunt ampliùs liberi arbitrij, aut adhuc flecti poſſunt, tam ad malum, quàm ad bonum. Cum hoc Hieronymi loco conſentit, quod Philoſophi docent, *Naturas ratione præditas ad oppoſita ſeſe haberi & flecti poſſe*: Et quod Damaſcenus ait: Πᾶν κτιστὸν τρεπτόν.

Reſpond. In Angelis, ſicut etiam in nobis aliud eſſe *Naturam*, aliud *Gratiam*. Naturâ non dicimus eos peccare non poſſe, aut immutabiles eſſe, ſed tantùm gratiâ. Quæ autem ex Hieronymo & aliis adducta ſunt, adduci verò poſſunt, ea de Natura loquuntur, non de gratia. Atque hoc etiam diſertè explicauit Auguſtinus locis antè citatis, præſertim de Fide ad Petrum. Et Iſidorus ſcriptor antiquus, libro primo, de ſummo bono, capite decimo: *Angeli* (inquit) *etſi mutabiles ſunt naturâ: non tamen ſinit eos contemplatio diuina mutari*: quaſi dicat, immutabiles ſunt gratia. *Ex eo enim, quod vident faciem Dei, fit, vt mutari non permittantur.*

Deinde notandum eſt diſcrimen inter finem & media ad finem. Ad media quod attinet, rationalis creatura flecti poteſt ad oppoſita, vt aut hoc, aut illud medium eligat: ſed quod attinet ad finem eúmque probè cognitum, alio ſeſe habet modo. Non poteſt enim non in illum naturaliter ferri, quando nulla eſſe poteſt vel electio, vel reiectio finis, ſed eorum duntaxat, quæ ſunt ad finem. Omnia enim naturaliter ſuum appetunt finem, tanquam ſummum ſuum bonum: Contrarium verò naturaliter fugiunt. Proinde finium non eſt electio, ſed mediorum. Cùm itaque Angeli optimè intelligant, Deum ſuum eſſe finem, & illum iam aſſecuti ſint perfectè: fieri nequit, vt illum deſerant. De mediis autem non ſunt ampliùs ſoliciti, cùm aſſecuti ſint finem. Quare non eſt, cur in illis eligendis ſuum exerceant liberum Arbitrium.

At, ſi peccare ampliùs non poſſunt: quòd igitur non peccent, non eſt in illis laude dignum. Hinc Eccleſiaſt. capite 31. ille tantummodo laudatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit. Reſpond. De iis, qui in hoc ſtatu ſunt, & tam ad malum, quàm ad bonum liberi ſunt, loquitur Siracides. Non autem ibi ſermo eſt de iis, qui in cœlo ſunt: Alioqui minùs Deus laudari poſſet, quàm quiuis alius. Is enim nullo modo peccare, & mala facere poteſt. Firma igitur manet Theſis: *ita confirmatos eſſe Angelos in gratia, vt peccare ampliùs Dei beneficio & gratia propter Chriſtum non poſſint: eóque verè beati ſint, cùm fieri nequeant miſeri.* Proinde Scripturæ tradunt, *hoſce Angelos ſtare ſemper in conſpectu Dei: ſemper videre faciem Patris: ſemper Deum laudare & celebrare.* Neque hæc faciunt inuiti, verùm ſumma cum voluptate: Et non minùs prompta, quàm conſtanti voluntate. Atque hæc eſt vera beatitudo, & vera eorum libertas. Hinc verò ſequitur reſponſio ad aliam quæſtionem.

DE LIBERO ANGELORVM ARBITRIO.

CAPVT IV.

QVAERI etiam ſolet, *an, quia Angeli peccare ampliùs non poſſunt; idcircò deſierint liberi eſſe arbitrij.*

Qui putant veram libertatem arbitrij in eo conſiſtere, quod quis ſit tam ad malum, quàm ad bonum aliquod eligendum liber, ſeu, vt meliùs Græcè dicam, [illegible]: ij omnino aliter concludere nequeunt, quàm Angelos eſſe quidem beatos, ſed non ampliùs verè, ſicut antea erant, liberos. Sed iſti falluntur in definitione liberi arbitrij, dum putant eius libertatem in eo conſiſtere, vt homo ſit tam ad malum, quàm ad bonum eligendum liber. Non inficior, quin hæc aliqua ſit libertatis ſpecies, quatenus quæ ad oppoſita flecti poſſunt, reponuntur illis, quæ ad vnum tantùm valent, & vno atque eodem ſemper agunt modo. Hanc enim ob cauſſam illa dici ſolent agere liberè & contingenter: hæc autem ex neceſſitate. Sed hæc non eſt vera ratio, cur alicuius voluntas verè libera, ipſeque liberi arbitrij verè eſſe dicatur. Cuius enim voluntas obſecro, magis eſt libera, quàm Dei? Ita certè liber eſt, vt etiam nos ideò liberi eſſe dicamur, quia ad imaginem Dei conditi ſumus, vt Hieronymus ait: cùm Deus non ſolùm efficiens, ſed etiam exemplaris cauſa ſit omnis liberi arbitrij. Interim tamen Deus neque velle peccare poteſt. Poſſe igitur peccare: ad veram libertatem non pertinet: Imò hanc peccandi facultatem, Chriſtus vocat *ſeruitutem*, dicens, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*: Et Apoſtolus, tametſi vt renatus odiſſet peccatum, quia tamen adhuc in eo erat ſtatu, in quo poterat peccare, & ſæpè peccabat agendo quod nolebat: *miſerum ſe & captiuum* appellabat: ac tum demùm ſe verè liberum fore putabat, ſi ad eum ſtatum peruenire poſſet, in quo non ampliùs poſſet peccare. Rurſus Chriſtus dicebat Iudæis, *verè liberi eritis, ſi vos filius hominis liberauerit*, A quanam ſeruitute? peccati ſeu à facultate libertateque peccandi. De hac enim re loquebatur. Ideò non ſimpliciter dixit, *liberi eritis*, ſed *verè liberi eritis, ſi filius, &c.* hac particula docens, eos quidem fuiſſe aliquo modo liberos, quia homines erant libero ad peccandum præditi arbitrio, ſed hanc non eſſe veram libertatem: Veram potiùs libertatem eam eſſe, qua quis liberatus à peccato, peccare ampliùs non poteſt: In qua certè conditione ac ſtatu nunc ſunt Angeli, ac nos quoque Dei beneficio futuri ſumus propter Chriſtum.

Ita vera libertas eſt, ſi quis liberetur libertate vocandi. Quare tantùm abeſt, vt Angeli, quia ita confirmati ſunt in gratia, & in veritate, vt peccare ampliùs non queant, dici poſſint ac debeant deſiiſſe liberi eſſe arbitrij, vt contrà potiùs nunc magis liberi ſint, & maiori præditi libertate arbitrij, quàm initio ſuæ creationis fuerint, quando peccare poterant & non peccare. Hæc itaque eſto

THESIS.

Angeli poſt confirmationem in gratia, qua fit vt peccare miſerique fieri ampliùs non poſſint: non ſolùm non deſierunt liberi eſſe arbitrij, verùm etiam magis liberi ſunt, quàm ante, cùm poterant peccare & non peccare.

THeſis hæc, ſi bene explicetur; non opus habebit longa confirmatione. D. Itaque Bernhardus, qui multa certè piè & eruditè ſcripſit, præter alia tractatum etiam *de gratia & libero Arbitrio* ſcriptum reliquit. In eo autem libro, definiturus liberum Arbitrium: inueſtigat cumprimis, quænam ſit vera ratio, cur noſtrum liberum Arbitrium, dicatur *liberum*. ſeu, vt meliùs explicem, quænam ſit vera libertas humanæ voluntatis. Triplicem autem oſtendit è ſacris literis libertatem: quarum vnam vocat *libertatem à peccato*: de qua Dominus, *Verè* (inquit) *liberi eritis, ſi vos filius hominis liberauerit*: Et Apoſtolus 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini*

ibi libertas: Alteram à *miſeria*, de qua Apoſtolus Rom. 8. *Omnis creatura Dei vanitati ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam, in ſpe, quòd & ipſa liberanda ſit à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Tertiam appellat *libertatem à neceſſitate*: Sed nomen *neceſſitatis*, accipit pro coactione: vt manifeſtè ex tota illa diſputatione apparet. Hanc enim neceſſitatem opponit voluntario: Voluntario autem non opponitur propriè neceſſitas, ſed neceſſarium, ſed voluntatis coactio & inuoluntarium. Nam & diabolus, & homo impius neceſſariò peccant: quia non poſſunt non peccare, vt Chriſtus docet de arbore mala, quæ non poteſt non malos fructus ferre. Quis tamen diabolum & hominem impium voluntariè, eóque liberè peccare neget? Contrà Deus neceſſariò vult bonum, & amat iuſtitiam: qui non poteſt velle malum, & non odiſſe iuſtitiam: Quis tamen Deum non velle liberè bonum, nec liberè amare iuſtitiam, dicere audeat? Neceſſarium igitur non opponitur voluntario, neque neceſſitas voluntatis, libertati. Sed quid opponitur? Coactio, qua voluntas cogatur velle, quod non vult: id quod ſimpliciter ἀδύνατον eſt, quoniam contradictionem implicat. Fieret enim, vt voluntas reſpectu eiuſdem, & ſecundum idem, & eodem tempore eſſet volens & nolens, ſi cogi poſſet, vt quod vult, ſimul etiam nolit: & quod non vult, ſimul etiam velit. Poteſt quidem ſuauiter flecti, vt quod iam vult, idem poſteà nolit: ideóque fieri poteſt de volente, nolens, & de nolente, volens. Sed vt, quod iam vult, eodem tempore nolle cogatur, ita vt inuita velit & nolit: tam fieri poteſt, quam etiam, vt Deus, Deus ſit, & non Deus. Non enim ampliùs eſſet libera voluntas. Ita apparet, quæ ſit iſta tertia, voluntatis libertas: libertas nimirum à coactione, non autem ſimpliciter è neceſſitate.

Neque aliter ſenſit Bernardus. Quærit igitur, quænam harum trium libertatum illa ſit, propter quam homo verè & eſſentialiter dicatur liberi eſſe arbitrij, in hoc etiam Mundo. Num illa, quæ dicitur à peccato? *At quis* (inquit) *in carne peccati, à peccato ſibi vendicat libertatem? Hac ergo libertate* (inquit Bernardus) *meritò nequaquam dictum arbitror liberum Arbitrium. Qua igitur libertate dicitur liberum? Num illa, quæ eſt à miſeria, ſeu à ſeruitute corruptionis? Sed nunquid & iſtam* (ait) *ſibi quiſpiam in hac mortalitate præſumit?* Et hac itaque (concludit) liberum nominari arbitrium, non immeritò abnuimus. Reſtat igitur, vt liberum eſſe dicatur tertio libertatis genere, quia ſcilicet cogi non poteſt voluntas, quin quicquid vult, ſiue bonum, ſiue malum: illud liberè, ſponte, libenter, auidè, & cum oblatione velit: id quod certè quiſque noſtrûm experitur. Cùm enim aliquid volumus, ſiue bonum, per Dei gratiam, ſiue malum, per noſtram naturam: Ita in illud fertur lubens voluntas noſtra, vt qui illud nobis velit eripere: ei ſtatim iraſcamur, & voluntas repugnet. Vnde hoc? quia voluntas ita libera eſt, vt vim ferre nequeat. Hæc eſt itaque natura voluntatis, & hoc eſt ingenium liberi Arbitrij, vt *ſe* cogi non ſuſtineat. Cogi quidem poteſt homo ipſe, vt aliquid inuitus agat. Sed voluntas cogi non poteſt, vt aliquid inuita & nolens velit: ſed quicquid vult, liberè, hoc eſt, volens vult. Itaque concludit Bernardus, hanc à coactione libertatem, eſſe illam, qua propriè & realiter homo dicitur eſſe liberi arbitrij. Proinde, quia hæc naturalis eſt & eſſentialis (vt ita loquar) libertas voluntatis noſtræ, & cuiuſuis creaturæ rationalis: idcircò etiam perpetua eſt. Quæ enim alicui creaturæ incorruptibili & ſempiternæ naturalia ſunt; ea etiam cum ſua natura æterna ſunt. Eſſe autem hanc à coactione libertatem, creaturæ rationali naturalem, inde liquet, quia ab ipſa creatione omnibus eiuſdem ſpeciei creaturis indita fuit, & in ſingulis indiuiduis ſpectatur atque re ipſa ſentitur. Æterna igitur eſt, & tolli nunquam poteſt. Reliquæ duæ libertates, à peccato ſcilicet & à miſeria: neque à creatione inditę fuerunt, neque in omnibus ſemper habent locum. Non fuiſſe ab æternitate inditas inde liquet: quia licèt homo creatus fuerit ſine peccato & expers miſeriæ ac corruptionis, & mortis: cum tali tamen potentia creatus fuit, qua poſſet & peccare & miſer fieri. Itaque licèt actu neque peccatum habuerit, neque miſer eſſet; potentia tamen vtrumque habuit. Non eſſe verò iſtis duabus libertatibus in omnibus Indiuiduis locum, perſpicuum eſt: Quia quicunque in hoc mortali viuimus corpore: & peccato & morti obnoxij ſumus. Hæ igitur duæ libertates, nequaquam ſunt naturales rationalis creaturæ libertates. Proinde rectè has tres libertates inter ſe conferens Bernardus, ſubiungit hæc verba: quæ, quia elegantia ſunt, illa prætereite non poſſum: *Cùm igitur* (inquit) *prout interim potuit nobis occurrere, triplex ſit propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate* (id eſt, coactione) *hanc vltimo loco poſitam contulit nobis in conditione Naturæ. In primam* (quę ſcilicet eſt à peccato) *reſtauramur à Gratia. Media* (quæ eſt à miſeria) *nobis reſeruatur in Patria. Dicatur igitur prima libertas Naturæ: Secunda Gratiæ: Tertia Vitæ, vel gloriæ*. Hæc omnia Bernardi. Quæ verò hic tradit Bernardus: ea multis in locis antea quoque docuerat Auguſtinus in libris contra Pelagianos, vt ſuo loco dicetur, cùm de homine agemus. Hæc cùm ita ſe habeant, facilè apparet noſtræ Theſeos veritas.

Primum membrum fuit, *eos non def[ui]ſſe liberi eſſe arbitrij*. Quódnam autem erat verum illorum liberum arbitrium, ante gratiæ confirmationem? Illud certè quod liberum à coactione. Illorum enim voluntas neque cogebatur, neque cogi poterat, hoc vel illud velle, ſeu eligere: ſed liberè voluerunt quicquid voluerunt, ſiue bonum, ſiue malum. Hoc inde apparet: quia tam liberè voluerunt alij in veritate perſiſtere, quàm liberè etiam alij voluerunt ab ea deficere. Erat igitur omnium Natura libera à coactione. Cedo verò, an non etiam nunc, quicquid volunt, liberè volunt? Si enim inuiti & coacti; præterquàm quòd hoc ex diametro pugnat cum Natura voluntatis, vt dictum eſt: Conſequitur etiam, illos non eſſe beatos. Quæ eſt enim iſta beatitudo, quòd velis & agas, hoc te inuitum velle & agere? Si verò beati ſunt, vt ſunt, verè liberi ſint, liberáque præditi voluntate, neceſſe eſt.

Alterum fuit, eos nunc liberiores eſſe & præſtantiori præditos libero arbitrio, quam antea fuerint. Hoc iam patet ex conſideratione duarum reliquarum libertatum. Antea enim, etſi liberi erant actu à peccato, & à miſeria, qui creati fuerant ſine peccato, iuſti, boni, & felices, omniſque miſeriæ expertes: potentiâ tamen à neutro erant liberi. Poterant enim peccare, & ita ſerui fieri peccati, & miſeri atque infelices, ſicut quibuſdam contigit: Nunc verò ita liberi ſunt à peccato, vt ne peccare quidem poſſint: Et à miſeria, vt non queant amplius eſſe miſeri. Annon igitur nunc liberiores, & perfectiori voluntate præditi ſunt, quàm antea?

At interim (inquies) non ſunt ita liberi, ſicut anteà; cùm non poſſint iam peccare, ſicut anteà poterant. Reſpondeo. Verùm eſt, non eſſe eos ita liberos, ſicut antè, id eſt, ita imperfectè & miſerè liberos, ſicut erant: poſſe enim peccare, derogat veræ libertati, non autem ad illam pertinet, iuxta illud Chriſti. *Verè liberi eritis, ſi vos filius hominis liberauerit* 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, nempe vera. Deinde dico, ſi ſpectes naturam, nunc perinde illos poſſe peccare, atque antè, eóque ita liberos nunc eſſe, ſicut & antè. Nam quod nunc peccare non poſſint, à natura non habent, ſed à gratia. Quicquid igitur ſophiſticetur hic humanum ingenium, nunquam tamen efficiet, quin Angeli poſt confirmationem in gratia, eandem naturalem quam anteà habuerant libertatem, retineant: quanquam & ea facta eſt melior, & alia perfectior illi addita eſt. Addita eſt enim libertas, tum à peccandi facultate, tum ab omni miſeria. Et ſanctiſſimi facti ſunt ſimul, & feliciſſimi. Atque hæc iudico in præſentia ſatis eſſe ad præſentem quæſtionem quod attinet.

DE COGNITIONE ANGELORVM.

CAPVT V.

ANGELOS, beatos, præditos eſſe cognitione, extra controuerſiam eſt: quotuplex verò ea ſit, diſputatur. Ex hac autem & aliis, quæ ſequuntur de cognitione Angelorum, quæſtionibus, magis ac magis conſtabit, tantùm abeſſe, vt propter confirmationem in gratia amiſerint liberum arbitrium Angeli: vt inde potiùs etiam atque etiam appareat, illud fuiſſe confirmatum, nam antequam perſiſtere in veritate decreuiſſent: naturali tantùm cognitione præditi erant, quæ tamen magna atque excellens procul proculdubio fuit. At verò addita fuit gratia voluntati, qua conſtanter voluerunt perſiſtere in veritate aliis ab ea deficientibus: Sicut & naturali, quam excellentem habebant cognitioni; addita fuit ſupernaturalis, hoc eſt ea quam per lumen ſupernaturale ſibi præ aliis donatum aſſecuti ſunt. Ab arbitrio, id eſt, à cognitione atque iudicio & à voluntate, nomen liberi arbitrij deductum eſt. Commodiùs igitur quæſtiones de cognitione Angelorum ſequuntur: Quarum prima eſt, *quotuplex ea ſit*.

Auguſtinus tom 3. de Geneſi ad literam, lib 4. cap 22. 23. 24. 28. Et tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 11. cap. 29. Principio dæ

dat Angelis naturalem cognitionem, qua Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum vident, hoc eſt, cognoſcunt. Deinde cognitionem, quam de rebus à Deo creatis habent, duplicem facit: Vnam vocat *matutinam*, & verò etiam *diurnā*, ita vocatam, quòd clarior ſit altera: alteram vero *veſpertinam*, quòd ſit obſcurior priore: ac quænam vtraque ſit, explicat. *Matutinam* ait eſſe eam, qua res à Deo conditas in Verbo, hoc eſt, in Filio, per quem facta ſunt omnia, & in quo rerum omnium ſunt ideæ & rationes, intuentur ac vident. *Veſpertinam* verò ait eſſe eam, qua eaſdem res in ſuis ipſarum naturis, quaſi oculis à λόγῳ in eas conuerſis conſpiciunt: Et vtramque ſimili accommodato explicat. Eſſe enim ait perinde atque ſi quis quid ſit linea, quídve circulus, primum intelligat mente ex libris & doctrina Euclidis, vbi perfectiſſima linea, perfectiſſimus circulus demonſtratur. Deinde verò idem diſcipulus, & lineam & circulum in puluere (vt antiqui ſolebāt) impreſſos, oculis corporis intueatur. Cognitio certè hæc imperfectior eſt illa priore: quia in puluere nunquam imprimetur linea vel circulus ſine vitio: In rationibus autem Mathematicorum perfectiſſima linea, perfectiſſimúſque circulus intelligitur. Talem igitur eſſe naturæ cognitionem, qua donati ſunt Angeli. Ideò libro ſupra citato de Ciuitate Dei, c. 29. poſtquam dediſſet Angelis perfectam Dei viſionem; De cognitione rerum creatarū hæc ſubiicit verba, *Ipſam quoque creaturam meliùs ibi, hoc eſt, in ſapientia Dei, tanquam in arte qua facta eſt, quam in ea ipſa creatura ſciunt: ac per hoc & ſeipſos ibi meliùs, quàm in ſeipſis. Verumtamen & in ſeipſis ſciunt. Facti ſunt enim & aliud ſunt, quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna: In ſeipſis autem tanquam in veſpertina, ſicut iam ſuprà diximus*, (nempe res vident) Hæc Auguſtinus. Poſtea de differentia vtriuſque huius cognitionis ſubiungit, dicendo, *Multū autem differt, vtrum in ea ratione cognoſcatur aliquid, ſecundum quam factum eſt, an in ſeipſo. Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum ſeu veritas figurarum, cùm intellecta conſpicitur: aliter cùm in puluere ſcribitur: Et aliter iuſtitia deſcribitur in veritate incommutabili: aliter in anima iuſti, &c.* Poſtea concludit de omnibus rerum creatarum generibus: *Omnia hæc aliter in verbo Dei cognoſcūtur ab Angelis, vbi habent cauſas rationéſq; ſuas*, (ſ. ſecundum quas factæ ſunt) *incommutabiliter, permanentes: aliter in ſeipſis: Illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis atq; operum.* Hæc omnia Auguſtini. Hanc porrò diſtinctionem ſecuti ſunt Scholaſtici, Magiſter Sentent. lib. 2. diſt. 4. quæſt. Thomas tamen Aquinas multis in locis iis duabus addit tertiam, & ita triplicem in Angelis ſtatuit rerum cognitionem: Vnam, qua eas *in Verbo, in Filio ſcilicet Dei vident*: Alteram, *qua eas cernunt in ipſarum naturis*: Tertiam, *qua eas norunt in ſuis ipſorum mentibus*: idque iuxta triplex Eſſe, quod habent res. Auguſtinus enim docet tomo 3. lib. 2. ſupra Geneſ. ad literam, res omnes triplex habere Eſſe. *vnum in verbo: alterum in propria natura: tertium in mente Angelica.* Ergo iuxta hoc triplex rerum Eſſe: triplex etiam eſt ipſorum cognitio in Angelis.

II. Quidam ſimpliciùs de iis rebus differentes, triplicē colligunt è ſcripturis Angelorum cognitionem: Vnam *naturalem* eſſe illis volunt. Et hanc eam eſſe, quæ illis ab initio, cùm crearentur, fuit à Deo indita. Magna enim & Dei, & rerum omnium cognitione donatos fuiſſe Angelos in ipſa creatione: docet Chriſtus, cùm ait, *alios in veritate ſtetiſſe alios non ſtetiſſe.* In vera igitur & excellenti veritatis cognitione creatos fuiſſe omnes euincitur. *Vide Thomam in 1 parte quæſt. 56. artic. 3.* Alteram verò eſſe aiunt *ex reuelatione*: Succeſſu enim temporis multa Angelis à Deo reuelari, quæ antea ignorabant, docent iidem ſacræ literæ, vt in Prophetis videre eſt, Dan. 8. & 9. reuelatur Angelo Gabrieli myſterium 70. hebdomadarum. Sic apud alios ſæpe: Et in Apocalypſi multa reuelantur Angelis à Deo, vt ipſi ea nobis annuncient. Tertiam aiunt oriri *ab experientia*. Ex iis enim, quæ fiunt in hoc Mundo ab hominibus præſertim in Eccleſia: multa percipiunt Angeli, ex quibus quænam ſit Dei voluntas & diſpenſatio intelligunt. Huius generis eſt, quòd Epheſ. 3. Apoſtolus ſcribit, *variam ſapientiam Dei de Gentium vocatione ad communionem Euangelij, innotuiſſe Angelis per Eccleſiam.* Et Chriſtus, Luc. 15. ait, *Angelos lætari, cùm aliquis peccator reſipiſcit.* Docet igitur illos obſeruare, & experientia diſcere, quando quis reſipiſcat necne. Partitio hæc ſolidior eſt, & magis conſentanea cum ſacris literis, quàm illæ duæ priores. Aliquid tamen in hac etiam ego deſidero. Mentionem enim tantùm facit *cognitionis naturalis*: quæ ab initio fuit omnibus indita: *reuelatæ*, item, qua multa myſteria in dies Angelis reuelantur: & eius, quæ oritur *ab experientia.* Ego verò aliam neceſſariò addendam eſſe omnino video, nempe *ſupernaturalem*, qua electi Angeli duntaxat, non autem reprobi, donati fuerunt, non in creatione, ſed poſt creationem: ac proinde qua ipſi electi Angeli multò præſtantiùs nouerunt, & adhuc cognoſcunt Deum, quàm reprobi. Sicut enim electi Angeli donati fuerunt ſpeciali & ſupernaturali gratia, qua voluerunt perſiſtere in veritate, non autem reprobi: Ita etiam donati fuerunt ſupernaturali lumine & cognitione, qua longè meliùs & perfectiùs nouerunt ipſum Deum, & veritatem, quàm reprobi Angeli. Neque enim voluntas ipſorum magis quàm reliquorum in veritatem, & ad perſiſtendum in ea inclinaſſet, niſi ipſorum etiam intellectus & mens fuiſſet maiore, hoc eſt, ſupernaturali diuinóque lumine illuſtrata, quàm reproborum. Et hoc diſcrimen inde colligo, quia de reprobis nunquam legimus, quod de vniuerſis ſanctis Angelis pronunciat Chriſtus, nimirum quòd *ſemper videant faciem Patris.* Quid eſt videre faciem Patris? Eſt *perfectè Deum cognoſcere.* Sicut Paulus etiam docet, dicens: *Nos nunc videre in ſpeculo, & cognoſcere ex parte: Tunc autem facie ad faciem*, id eſt, perfectè nos Deum cognituros. Vbi verò hoc vnquam legitur de reprobis Angelis? Ergo præter naturalem cognitionem, qua iam reprobi æquè ac electi cognouerunt ab initio & cognoſcunt Deum, ita vt ſint inexcuſabiles: aliam quoque præſtantiorem, hoc eſt, *ſupernaturalem cognitionem* donatam fuiſſe Angelis electis, qua & initio, & deinceps, ſemper Deum ita perfectè cognoſcunt, vt in ea cognitione ſita ſit ipſorum beatitudo, vel ſaltem radix & fundamentum totius beatitudinis tum noſtræ, tum Angelorum, luculenter docuit Dominus Ieſus. Ea hac enim ſupernaturali cognitione Dei fit, vt Angeli ſicut Deo adhæſerunt: Sic etiam ab eo deficere amplius non poſſint. Hæc igitur eſto Theſis, quæ iam ſatis explicata & confirmata mihi eſſe videtur.

THESIS III.

Electorum Angelorum cognitio quadruplex eſt: vna vocatur naturalis, *tam reprobis, quàm ipſis à Deo in ipſorum creatione indita: qua omnes ita nouerunt Deum, vt qui ei non adhæſerunt, nullam ignorantiæ excuſationem obtendere poſſint: Altera* ſupernaturalis, *ipſorum ſanctorum Angelorum propria: qua ita perfectè Deum vident, vt ab eo deficere minimè velint, aut velle poſſint: Tertia,* reuelata, *qua multa olim, & fortè etiam nunc myſteria ſibi à Deo reuelata, ab ipſis intelliguntur: Poſtrema (vt ita loquar)* experimentalis: *qua ex iis rebus, quæ a nobis hic fiunt, obſeruatis, multa in dies ipſa experientia diſcunt.*

HÆc partitio omnia cognitionis Angelicæ genera complectitur. Nam ſub naturali continentur etiam illæ duæ, de quibus ex Auguſtino initio diximus. Duo enim ſunt modi, quibus naturaliter Angeli nouerunt res creatas, nempe, in verbo, tanquam in ſuis cauſis & rationibus: Et in ipſarum rerum naturis. Imò continetur & tertia, quam addit Aquinas, nempe, *qua res cognoſcunt naturaliter per ſpecies in ſuis mentibus innatas.*

Cognitionem verò ſupernaturalem addendam eſſe, præter ea quæ dicta ſunt, hinc etiam confirmatur, quòd Chriſtus ait, *Nos futuros Angelis ſimiles.* Atqui nos Deum videbimus facie ad faciem, non certè naturali lumine, ſed ſupernaturali & cœleſti atque diuino, vt ſcripturæ paſſim docent: quia tota vita æterna, gratia Dei eſt: Et Dauid apertè ait Pſalmo 36. *In lumine tuo* (ſupernaturali: ideò non ait *noſtro*, ſed *tuo*) *videbimus lumen*, id eſt, beatitudinem æternam conſequemur, & videbimus te, ô Deus, qui lux es, in qua nullæ ſunt tenebræ.

DE MODO, QVO ANGELVS COGNOSCIT: AN PER ESSENTIAM ſuam, vt Deus: an verò per ſpecies & ideas, à rebus cognitis, abſtractas, vt nos.

CAPVT VI.

SCio, quæſtionem hanc & alias nonnullas de cognitione Angelorum, non eſſe ad pietatem, ſalutémque noſtram neceſſarias: vtiles tamen eſſe negari non poteſt; præſertim ſi breuiter & perſpicuè, vt nos facturos confido: explicentur;

Ex harum enim cognitione, præter alia, hoc etiam vtilitatis capimus, quod videndo diſcrimen, quod eſt inter cognitionem, qua Deus omnia nouit: & eam, qua Angelus & nos cognoſcimus: Itémque diſcrimen illud, quod inter noſtram & Angeli cognitionem intercedit videmus Deum ita perfectum eſſe in omnibus, vt nihil ei comparari poſſit: Angelum autem longè ſua natura nobis perfectiorem: Nos verò infimum inter ſubſtantias ratione præditas, locum tenere: ac proinde nos ſemper habere, cur humiliter de nobis ſentiamus, & ſimul deſideremus Angelis quàm primùm ſimiles fieri. Hanc igitur Theſin breuiter ſtatuo.

THESIS.

Angelus neque omnia per ſuam eſſentiam, vt Deus: neque etiam omnia per ſpecies ſeu imagines rerum, vt nos: ſed quædam ſua eſſentia, & alia per ſpecies atque imagines rerum, non tamen à rebus abſtractas, vt nos, ſed ſibi à Deo inditas, quod Angelorum proprium eſt, intelligit atque cognoſcit.

CONFIRMATIO.

NOn eſt hîc opus longa confirmatione, ſed tantùm explicatione: Res enim explicata & probè intellecta per ſe certa reddetur. Eſt autem huius explicatio petenda, (quemadmodum diuina Ariſtotelis methodus docet) ab iis, quæ notiora ſunt nobis: hoc eſt, à ſenſu, à quo etiam omnis noſtra intellectualis cognitio initium habet. Nec quiſpiam hanc contemnat explicationem, tametſi tota ferè ſit Philoſophica. Quæ enim docet Natura minimè cum verbo Dei pugnantia, docet Deus: Inter ſenſus autem noſtros, nullus eſt ad hanc rem explicandam accommodatior ſenſu viſus. Magna enim ſimilitudo eſt inter viſus & intellectus operationem: Vnde & quæ probè intelligimus, ea nos *videre* dicimus: Et ſic etiam ſcriptura loquitur, *Angelos videre faciem Dei*, id eſt, perfectè cognoſcere. Vt enim ſe habet viſus ad ſua obiecta videnda: Ita ferè etiam intellectus ad ſua intelligenda: quanquam longè perfectiori modo intellectus ſua intelligat, quam viſus ſua videat. Ad viſionem autem tria præcipuè requiruntur: facultas in oculo videndi, obiectúmque percipiendi: lumen intermedium, quo obiectum viſibile cum facultate videndi coniungi ſuo modo poſſit. Et denique ipſa rei viſibilis extra oculum poſitæ ſpecies ſeu imago, à re viſibili, mediante lumine abſtracta, & ad oculum perlata atque in eo recepta. Per hanc enim ſpeciem in oculo receptam, res viſibilis extra oculum poſita videtur: res, inquam, viſibilis extra oculum poſita, quoniam ſi in ipſo inſit oculo, ea res non per ſpeciem ſeu imaginem ſui, ſed per ſuam eſſentiam ſine imagine videtur: Vt lux, quia in oculo ipſo eſt, non per aliquam lucis imaginem, ſed per ſe ipſam ab oculo videtur. Sed ſi obiectum viſibile extra oculum penitùs ſit, ſpecies illa ſeu imago viſibilis obiecti neceſſaria omnino eſt, qua obiectum viſibile præſens fiat oculo, eique vniatur, & quodammodo tangatur. Omnis enim ſenſatio fit per aliquem contactum rei ſenſibilis, & ipſius ſenſus. Hæc itaque tria ad viſionem perficiendam requiruntur: *Vis videndi in oculo: lumen intermedium: & rei viſibilis extra oculum poſita ſpecies ſeu imago atque idea.* Eundem ad modum tria ad intelligendum & cognoſcendum aliquid exiguntur: Primùm vis ipſa intelligendi, quæ eſt facultas intellectus. Deinde lumen, quo intellectus ad obiectum ſuum percipiendum illuſtratur: poſtremò ſpecies ſeu imago rei præſertim extra intellectum poſitæ, per quam imaginem res ipſa intelligenda præſens fiat, & ſuo modo vniatur intellectui, & ita intelligatur. Eſt enim neceſſe, vt ſi res intelligenda extra intellectum ſit: ea per aliquam ſui imaginem in ipſum penetret intellectum, præſénſque ei fiat & vniatur, atque ita percipiatur, hoc eſt, intelligatur: vnde & *percipere* pro *intelligere* vſurpatur. Dixi verò *hanc rei ſpeciem eſſe neceſſariam*, ſi præſertim res extra intellectum ſit: quoniam ſunt, qui velint humano intellectui, ſicut etiam Angelico, ad ſui ipſius cognitionem, non eſſe opus aliqua ſui imagine: Sed ſicut oculus lucem, quæ in ipſo eſt, videt immediatè per ſeſe, & per ipſam lucis eſſentiam, non autem per lucis imaginem: Ita etiam tam humanum, quàm Angelicum intellectum ſe ipſum cognoſcere per ſuam eſſentiam ſine aliqua ſui imagine: quanquam doctiores hoc quidem fatentur de Angelico, ſed negant de humano intellecta. Verùm de cognitione rerum extra intellectum, tam Angeli, quàm homines exiſtentium, nulla eſt controuerſia, quin rerum ipſarum ſpecies ad earum cognitionem neceſſariæ ſint & Angelis & hominibus: licèt non eodem modo, vt videbimus, & vt in Theſi poſuimus: Species enim has inditas eſſe Angelis ex Deo: in hominibus autem abſtrahi à rebus contendunt: qua de re mox dicemus. Satis eſt iam vidiſſe ad rerum extra intellectum propoſitarum cognitionem, tria illa cumprimis requiri: *vim intelligendi: lumen, quo intelligitur: Et imaginem rei, per quam res intelligatur.*

II. Porrò de facultate intelligendi in Angelo, déque lumine tam naturali, quàm ſupernaturali, quo intelligit, anteà dictum eſt: Nunc igitur in hac quæſtione tantùm videndum eſt, *per quid intelligat: an ſemper & omnia per ſpecies rerum: an verò aliquando per eſſentiam ſine ſpecie*: idque facimus in ſimili viſus perſiſtendo. Sed quo meliùs omnia intelligantur, Theſin in ſua membra diſtinguo: Multæ enim propoſitiones in hac vna continentur.

Primum membrum & prima concluſio eſt: *Deum omnia cognoſcere per ſuam eſſentiam.* Hac de re diſſeruimus in attributo de ſcientia & præſcientia Dei. Ratio verò huius perſpicua eſt: nimirum quoniam Deus omnia in ſe continet: Et ipſius eſſentia exemplar eſt & ſimilitudo rerum omnium: idcircò non opus habet vllis rerum imaginibus ad eas cognoſcendas, ſed ſua ſibi eſſentia ſufficit, quam videndo, videt omnia. Omnis enim cognitio per aliquam fit ſimilitudinem: Dei autem (vt dixi) eſſentia, ſimilitudo eſt rerum omnium: qua omnium eſt efficiens & exemplaris cauſſa.

Alterum membrum, eóque altera propoſitio eſt: *Angelum* (multò verò minùs hominem) *non omnia cognoſcere per ſuam eſſentiam ſicut Deus facit.* Ratio huius propoſitionis manifeſta ex iis, quæ iam dicta ſunt: Omnis enim cognitio per aliquam fit ſimilitudinem. Si igitur cognoſceret omnia per ſuam eſſentiam Angelus: oporteret ipſius Angeli eſſentiam eſſe rerum omnium imaginem & exemplarem cauſſam: Hoc autem impoſſibile eſt, quia talis rerum omnium perfecta imago infinita ſit neceſſe eſt: quo poſſit omnes res & omnes earum differentias referre: tam quę exiſtunt, quàm quæ exiſtere poſſunt: Eſſentia autem Angeli finita eſt. Proinde ſolius Dei eſt omnia per eſſentiam ſuam cognoſcere. Res autem extra creatum ſpiritum, à creato ſpiritu cognoſci non poſſunt, niſi per varias ſui ſimilitudines talibus ſpiritibus ſeu intellectibus coniungantur. Niſi enim per ſpecies coniungantur cum vtroque, Angelico nimirum & humano intellectu, eíſque fiant præſentes: percipi, hoc eſt, intelligi non poſſunt.

Tertium membrum, eóque tertia propoſitio eſt: *Angelum aliquid per ſuam cognoſcere eſſentiam*: Quidnam verò illud ſit, declaro. Primùm quidem naturali ſuo lumine Angelus ſeipſum perfectè cognoſcit, per ſuam naturam ſeu per ſuam eſſentiam: Et huius rei hanc adferunt rationem Philoſophi & Scholaſtici: quoniam in Angelo intellectus, quo ſemper actu intelligit, & res quæ intelligitur: & ipſum intelligere vnum atque idem ſunt. Negant enim in Angelo eſſe intellectum poſſibilem. Non igitur opus habet Angelus ad ſui cognitionem, ſuæ eſſentiæ imagine, per quam ſe cognoſcat: ſed ſicut oculus videt lucem, quæ in ipſo eſt, per lucis eſſentiam, non per lucis imaginem. Ita Angelus ſe ipſum per ſuam eſſentiam, non per ſuæ eſſentiæ imaginem intelligit. *Thom. 1. p. quæſt. 56. artic. 3. 6.* Deinde, Angelus (vt idem ſcribunt) lumine ſupernaturali videt Deum (quanquam eum non comprehendat, nec comprehendere poſſit) videt, inquam, Deum immediatè ſine imagine, ſed per ipſius eſſentiam. Et hoc ſignificari docent illa phraſi: *Angeli ſemper vident faciem Patris*: nempe facie ad faciem & immediatè. Sed lumine naturali Deum ab illis non cognoſci tradunt, niſi per imaginem Dei, quæ in ipſorum eſſentia impreſſa eſt: quatenus illorum eſſentia imago quædam eſt diuinæ eſſentiæ: ideóque cognoſcendo ſe per ſuam eſſentiam: Deum etiam eodem modo naturaliter cognoſcunt: qualis fuit omnium Angelorum, etiam malorum ante peccatum cognitio, & qualis etiam nunc eſt: quanquam obſcurata in ipſis diabolis. Vnde etiam apparet, cognitione hac naturali non potuiſſe Angelos eſſe beatos: ſed ad beatitudinem opus fuiſſe ſupernaturali lumine & cognitione, vt ſuprà dictum eſt.

Quartum membrum, eóque quarta propoſitio eſt: *Nos omnia intelligere per ſimilitudines & imagines rerum, per quas res ipſæ præſentes fiunt intellectui noſtro.* Intelligo hoc in hac tantummodò vita. Nam in cœlo non minùs, quàm Angeli videbimus Deum facie ad faciem, hoc eſt, ſine media imagine aut ſimilitudine Dei, Deum ipſius eſſentia cognoſcemus, vt Paulus ad Corinthios docet: quanquam neq; nos illum comprehendere poterimus, vt ſcriptura docet. Cęterùm

in hac

in hac vita omnia per imaginem cognoſcimus: Deum, tam naturali, quàm ſupernaturali lumine: nos ipſos & res extra nos omnes. De cognitione, qua naturaliter Deum cognoſcimus: manifeſtum eſt ex Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quę facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: æterna eius potentia, atque diuinitas. Docet enim Apoſtolus in ſingulis rebus, præſertim verò in homine, ſimilitudinem quandam & imaginem Dei bonitatis ſcilicet ipſius, potentiæ & diuinitatis, impreſſam eſſe. Nos verò intuendo hanc in rebus creatis ſimilitudinem, Deum cognoſcere naturaliter. De cognitione verò ſupernaturali, manifeſtum idem eſt ex eodem Apoſtolo. 2. Corinth 3. *Nos autem omnes reuelata facie, gloriam Domini, tanquam in ſpeculo intuentes: in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, tanquam à Domini ſpiritu.* Docet Euangelium eſſe inſtar ſpeculi, quo diuina maieſtas, gloria, bonitas, potentia. Denique totus Deus ipſe relucet: ſicut imago etiam alicuius hominis in ſpeculo refulget, ita vt qui videt imaginem illius, videat hominem ipſum: non in eius ſubſtantia, ſed in imagine, ſeu per imaginem in ſpeculo reſplendentem. Ita nos in Euangelio Deum videmus, non per eius eſſentiam, ſed per imaginem in Euangelio reſplendentem, ſeu per quandam bonitatis & diuinitatis ipſius ſplendorem, in Euangelio reſultantem & radiantem. In hoc igitur Mundo nemo hominum videre poteſt Deum per ipſius eſſentiam, ſed tantùm per imaginem, tam in Euangelio, quàm in creaturis. Intellectus etiam noſter (vt illi docent, C. l. 2. ca. 98.) ſeipſum non poteſt cognoſcere, niſi per ſpeciem ſui intelligibilem. Cuius rei hanc afferunt rationem: quia intellectus, (qui quatenus aliquid actu non intelligit, ſed intelligere poteſt, intellectus poſſibilis nominatur:) actu intelligens, niſi per imaginem rei intelligendæ intelligibilem tanquam per ſuam formam fieri non poteſt. Sicut enim materia prima, putà in ligno, quatenus in potentia eſt ad formam ignis, ea ignis eſt non actu, ſed potentia, per formam verò ignis, actu fit ignis & res ſenſibilis: Ita (inquiunt) intellectus, qui antequam actu intelligat, poſſibilis tantum dicitur, & potentia intelligens non poteſt fieri actu intelligens, niſi per ſpeciem rei intelligibilem, tanquam per formam quandam, per quam ex poſſibili intellectu, (vt loquuntur) fiat intellectus agens. Atque hanc eſſe cauſam docent, cur Angelicus quidem intellectus intelligat ſeipſum per ſuam eſſentiam ſine imagine. Humanus autem non niſi per ſui imaginem poſſit. Quòd verò intellectus noſter res extra ſe poſitas, per ſpecies tantùm intelligat: res eſt apertiſſima.

Quintum membrum noſtræ Theſeos, eóque quinta concluſio eſt: *Angelum, quæcunque intelligit extra ſe, per ſimilitudines rerum ipſarum: Ea ab ipſo intelligi per imagines, non à rebus abſtractas, vt à nobis intelliguntur, ſed per ſpecies à Deo inditas:* quod proprium eſt Angelorum. Ratio huius eſt: quoniam, quod nos intelligamus per ſpecies à rebus abſtractas illud inde fit, quia omnis noſtra cognitio incipit à ſenſu eóque per abſtractionem fit, quaſi per quandam defæcationem, à materia rerum ſenſibili. ad ſpecies ſenſibiles: & à ſenſibilibus ſpeciebus ad phãtaſmata, & à phantaſmatib. ad ſpecies intelligibiles: vt notum eſt omnibus in Philoſophia non mediocriter verſatis. Hæc eſt cauſa, cur intellectus noſter non niſi per ſpecies à rebus abſtractas intelligat. At verò cauſa hæc non habet locum in Angelo. Carent enim Angeli ſenſibus & externis & internis. Oportet tamen, vt ipſi quoque res intelligant per varias ſpecies: quia, vt ſuprà dictum eſt, *Omnis naturalis cognitio, per aliquam fit ſimilitudinem:* Solus autem Deus eſt perfecta rerum omnium imago & exemplar: ac proinde ſolus etiam Deus per hanc vnicam imaginem, quæ eſt ipſius eſſentia, omnia intelligit. Cùm igitur cogatur Angelus intelligere per varias rerum imagines: Et hæ non abſtrahantur à rebus per Angelos, qui carent ſenſibus: efficitur neceſſario, Angelum res creatas intelligere per ſpecies inditas. Hæc eſt Theſeos noſtræ, de modo, quo Angeli cognoſcunt, explicatio, quam credo perſpicuam eſſe omnibus, qui (vt dixi) vel primoribus labiis degustarint libros Ariſtotelis de Anima. Etſi verò de iis rebus apertè non diſſerunt ſacræ literæ, ſed tantùm quædam (vt oſtendimus) innuant: tamen quia (vt alias dixi) vox *natura*, quando non repugnat ſacris literis, vox Dei eſt: idcirco hæc contemnenda non ſunt.

III. Ad ſummam, & vt in cõpendium omnia contraham: Trifariam aliquid cognoſci poteſt. 1. *aut per ſuam eſſentiam in ipſo cognoſcente, præſentiam:* quemadmodum lux in oculo ſuo exiſtens eſſentia, & nullam ſui præbens ſimilitudinem, per ipſammet ſuam eſſentiam ab oculo videtur. Talis autem eſt cognitio *ſupernaturalis*, qua Deus ab Angelo cognoſcitur, & qua etiam à nobis in cœlo cognoſcetur. Coram enim intuebimur immediatè in ipſius faciem: præſentes ad Dominum, vt loquitur Apoſtolus. Talis quoque eſt cognitio qua ſe ipſum Angelus cognoſcit. Hic eſt primus cognoſcendi modus. Aut cognoſcitur aliquid, per ſuæ non eſſentiæ, ſed ſimilitudinis, imaginiſve eſſentiæ in ipſa cognoſcẽdi facultate præſentiam: vti homo ab alio homine videtur non quòd homo viſus, ſit ſua eſſentia in oculo videntis; ſed tantùm, quòd vnius imago & ſpecies (vt Philoſophi loquuntur) in alterius oculo præſens obiectatur. Ac talis eſt cognitio, qua Angeli ſua naturali cognitione Deum cognoſcunt. Deum enim naturaliter cognoſcunt, non immediatè per eſſentiam Dei, ſed per imaginem eſſentiæ Dei, quæ in ipſa eſſentia Angelica expreſſa eſt: imò, quæ eſt ipſamet Angelorum natura atque eſſentia. Angelica enim natura, diuinam naturam repræſentat. Talis quoque eſt cognitio, qua cætera omnia, quæ extra Angelos, & extra Deum ſunt, cognoſcunt Angeli: per ipſarum enim rerum ſpecies & imagines in ipſis Angelis inditas, res omnes creatæ ab Angelis cognoſcuntur. Et huius generis etiam eſt cognitio qua nos res creatas omnes cognoſcimus: per illarum ſcilicet imagines, non quidem in nobis inditas, ſed ab ipſis rebus acceptas atque abſtractas. Imò ad hunc quoque cognitionis modum referri & accommodari poteſt cognitio, qua Deus creata omnia nouit. Nouit enim omnia per vnam imaginem, non aut à rebus acceptam, vt nos, aut in Deo inditam: vt Angeli: ſed per vnam imaginem, quæ rerum iſtarum effectrix eſt. Et hæc eſt ipſius Dei eſſentia, per quam omnia videt. Eſt enim ea non ſolùm effectrix, vt antea dictum eſt, verùm etiam exemplaris rerum omnium cauſa: atque hic eſt alter cognoſcendi modus. Aut denique aliquid cognoſcitur, neque per præſentiam ſuę eſſentiæ, neque per præſentiam imaginis eſſentialis in cognoſcente, ſed per ſimilitudinem rei cognitæ, non à re ipſa immediatè, ſed ab alia, in qua reſplendet atque reſultat, acceptam: quo modo hominem, cuius ſubſtantiam ſeu corpus non cernimus, ſed tantùm eius imaginem in ſpeculo ſplendentem videmus, noſſe & videre dicimur. Huic cognitioni ſimilis eſt illa, qua nos Deum in hoc mundo cognoſcimus: tam naturaliter per creaturas, in quibus ſimilitudines & veſtigia diuinæ eſſentiæ, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, ſpectantur, de qua in epiſtola ad Romanos primo capite, quam ſupernaturaliter per fidem Euangelij, in quo lucidiſſimè imago Dei, quis & qualis ſit, reſplendet: de qua in Epiſtola poſteriore ad Corinthios tertio capite. Hæc eſt ſumma primi membri huius Quæſtionis de modo quo Angeli cognoſcunt: *An ſcilicet per eſſentiam, an per ſpecies rerum.*

IV. An verò (quod fuit alterum præſentis quæſtionis mẽbrum) intelligant Angeli diſcurrendo ſeu ratiocinando: componendo diuidendóque, vt nos: An verò ſimplici intuitu: Reſpondemus hac Theſi.

THESIS II.

Angelos neque ratiocinando, neque componendo, aut diuidendo, vt nos, intelligere ferè omnia quæ intelligunt, vero ſimile eſt.

Confirmationem huius Theſeos è ſacris literis nullam habeo: niſi fortè quis vel illo abuti loco: *Angeli ſemper vident faciem Patris.* Vno igitur & eodem intuitu vident in Patre omnia, iuxta dictum Gregorij primi, dicentis: *Quid videntem omnia, videt.* (Deum ſcilicet) *quomodo non in illo omnia videt?* Sed quàm falſum ſit hoc argumentum, alias demonſtrabimus fuſiùs. Certè Chriſtus ait, *Angelos ignorare diem iudicij.* Etſi igitur vident Deum, qui omnia videt: non inde tamen efficitur, ipſos quoque omnia in Deo videre. Quare è ſcripturis euinci non poteſt, *Angelos quæ cognoſcunt, ea ſine ratiocinatione, compoſitione ac diuiſione, ſed ſimplici intuitu cognoſcere.* Probabilis tamẽ ratio affertur à Scholaſticis: Et petitur à vi intellectus Angelici longè præſtantiore, quàm ſit acumen cuiuſuis ingenij humani. Inter homines autem apparet, quò quis acutiori & præſtantiori ingenio præditus eſt, eò etiam plura eum, ſimulac medium duntaxat (vt vocant) terminum audierit, ſtatim ſine aperta ratiocinatione intelligere: plura, inquam, & citiùs hunc intelligere, quàm qui hebetioris eſt ingenij. Vt ſi tantũ dicas, *Deus eſt Iehoua*, qui maioris Theologiæ ſpiritu illuſtratus eſt, & præſtantioris eſt ingenij vir, is ſine longo diſcurſu, actutum videbit in illa breui propoſitione multas alias concluſiones, nempe Deum eſſe primum & per ſe Ens, à quo omnia Entia: In Deo omnes Entium omnium perfectiones ineſſe, eáſque perfectiſſimè, & perfectiſſimo modo, eóque eſſe ſapientiſſimum, potentiſſimum, optimum: imò ipſam ſa-

pientiam, omnipotentiam, bonitatem, iuſtitiam, eóque regi ab ipſo Mundum, iuſtos curari, malos puniri. Et alia id genus infinita, quæ per ſe in illa propoſitione, *Deus eſt Iehoua* continentur: Et quæ facilè iis, qui ſunt rudioris ingenij, & qui hæc per ſe non vident, demonſtrari ex illa poſſunt Theſi. At qui præ acumine ingenij in Theſi nunc propoſita videt omnes iſtas concluſiones: Is non opus habet demonſtratione aut vlla ratiocinatione: Id quod etiam dictum volo de cognitione, quæ per compoſitionem & diuiſionem ſubiecti & prædicati acquiritur. Qui enim præſtantiori ingenio præditi ſunt, ij cognita aliqua re, quid ſit, imò audito tantùm eius nomine confeſtim omnia, quæ aut ſubiecto illi attribui, & cum eo componi poſſunt, aut ab eo debent ſeparari, optimè norunt. Et acutus exercitatúſque mercator, aut quiuis peritus Arithmeticus audito tantùm pretio, quo quéuis medimnum tritici emeris, & numero medimnorum, quos emeris (etiamſi 300. ſint millia) ſtatim ſine longa ſupputatione, compoſitione, partitione, intelliget & dicet, quanta ſit ſumma totius pretij, id quod certè harum rerum imperitior & hebetior præſtare non poterit ſine longa partitione ac ſupputatione. Eſt igitur res per ſe manifeſtiſſima, quò quis acutioris eſt ingenij: eò plura etiam illum, ex vna tantùm audita propoſitione, aut vno (vt vocant) termino, ſtatim collecturum eſſe, quam qui tardior eſt. Proinde Deus Opt. Max. qui ipſa eſt ſapientia infinita, per vnam ſuam duntaxat eſſentiam, omnia & quæ ſunt, & quæ fieri poſſunt, nouit, vnóque omnia intuitu videt.

Cùm itaque Angeli multis hominibus præſtantiori & acutiori ſint intellectu præditi, quàm homines, quò fit vt etiã κατ' ἐξοχὴν mentes & intellectus abſtracti appellentur: manifeſtum eſt, eos plura & citiùs noſſe, quàm nos. Probabile verò eſt, eos, ſi non omnia, ſaltem quàm plurima, perſpectis tantùm vniuerſalibus rerum imaginibus in ſe inditis: citra omnem compoſitionem, diuiſionem, ratiocinationem, intelligere: ea ſcilicet, quæ in illis vniuerſalibus rerum imaginibus virtute continentur. Confirmant hoc ſimili: *Vt corpora, inquiunt, cœleſtia ita perfecta creata fuerunt, vt ſuapte natura, iam inde à creatione, ſine motu, ſuam habuerint perfectionem, cum tamen ſuam inferiora corpora, non niſi per motum, & per mutationem cõſequantur. Ita etiam inferiores mentes humanæ ſcilicet animæ, non niſi per motum quendã ſpiritualem, componendo ſcilicèt prædicata cũ ſubiectis, & à principijs ratiocinando ad cõcluſiones, perfectionem ſui, quæ in veritatis cognitione conſiſtit, adipiſcuntur: Superiores verò, hoc eſt, Angeli, ſine vllo diſcurſu, aut compoſitione & diuiſione, in ijs, quæ naturaliter norunt, alia quoque infinita ſtatim inſpiciunt & intelligũt. Talis n. proportio eſt inter mẽtes Angelicas cœleſtéſque, & inter mentes humanas: qualis eſt inter cœleſtia corpora & terrena.* Probabilia igitur ſunt hæc, ſed minimè demonſtratiua. Multa quidem hoc modo ab Angelis, quæ certè à nobis ſine ratiocinatione cognoſci nequeunt, facilè dederim. At ſemper & omnia ab illis ita percipi, quaſi ſimplici intuitu, non facilè dandum eſt: cùm neque ſcripturæ hoc tradant, neque firmis rationibus demonſtrari poſſit. Quare hoc ſatis eſſe debet, Angelos, ſicut nõ omnia ſimplici intuitu, per ſuam eſſentiam ſibi notam perſpiciunt, vt facit Deus, ſic etiam quæ intelligunt, ea ferè neque ſyllogizando, neque componendo, aut diuidendo, vt nos ab ipſis intelligi. Dico *ferè*, quoniam nonnulla etiam cognoſcere videntur ex vno ad aliud ratiocinando: Vt ex apertis effectis, cauſas occultas: & contrà, per apertas cauſas occulta effecta. Nam præterquam quod Auguſtinus, permultíque alij docent, diabolos ex iis, quæ externè à nobis fieri vident, qualéſnam intus in animo lateant affectus, cognoſcere, liquet, ab Angelis etiam bonis cogitationes deſideriáque cordium noſtrorum immediatè non cognoſci, ſed eatenus tantùm, quatenus per ſigna & effecta, in ſenſibus vel interioribus, vel exterioribus apparentia, illa ſeſe produnt, aut à Deo reuelantur. Dixi verò, *vt nos*, quoniam, etiamſi Angeli aliqua ratiocinando intelligunt: Non tamen ita craſſè, difficulter, & diu, id faciunt, ſicut nos: quippe qui perſpicaciſſimis ſunt ingenijs. Atque hinc etiam fit, vt multa, quæ nos non niſi ſucceſſiuè: vnum poſt aliud intelligimus, illi naturaliter ſimul omnia percipiant: illa, inquam, omnia, quæ ab vno pendet principio, & in eo tanquam partes in ſuo toto continentur: non autem omnia ſimpliciter, quod ſolius Dei eſt. Deus enim omnia ſimpliciter, vno ſimul intuitu intelligit. Angeli permulta, homines pauciora. Atque hæc de modo, quo Angeli cognoſcunt, ſatis ſupérque ſunto.

DE IIS QVÆ NORVNT ANGELI.

CAPVT VII.

NVNC, *quænam ab Angelis cognoſcantur*, videndum eſt. An in genere cognoſcant Deum, & ſe ipſi mutuò, & quiſque ſeipſum, atque alia à ſe diuerſa, non diſputamus: partim, quia hoc eſt extra controuerſiam, partim quia in præcedentibus quæſtionibus explicatum fuit. De aliis igitur nonnullis peculiaribus rebus nunc dicendum eſt. Ac primùm, *An ante reliquorum Angelorum peccatum præter Deum, & ſe, quales tunc erant, prænouerint etiam tum ſuam in veritate futuram conſtantiam, tum aliorum lapſum.* Tractatur hæc quæſtio in 2. Senten. diſtinctione quarta, ex quibuſdam Auguſtini locis. Auguſtinus enim Tomo 3. de Geneſi ad literam, lib. 11. cap. 23. affirmare videtur, Angelos quidem reprobos ſuum futurum lapſum, futurámque ruinam non præſciuiſſe: quòd hoc naturaliter præſcire non potuerint: Deus autem non legitur hanc illis reuelaſſe: electos autem Angelos, ſuam in veritate conſtantiam præuidiſſe: non quidem naturaliter, ſed Deo reuelante. Rationem adfert probabilem: nimirum, *quia beati alioqui non fuiſſent, ſi de ſua conſtantia certi & perſuaſi non fuerunt.* Erant autem beati. Sed ratio hæc infirma eſt. Quid enim, ſi negem, vt nego, ante confirmationem in gratia, eos fuiſſe verè beatos? Niſi fortè beatitudinem vocet *ſtatum perfectum*, in quo creati fuerunt. At hoc modo etiam reprobi fuerunt beati. An verò Angeli boni præuiderint caſum aliorum, non ita definit. Pendebat enim ille caſus ex aliorum arbitrio. Cæterùm, vt me citò ex hac expediam quæſtione: probabilior mihi videtur eorum ſententia, qui docent, *neque Angelos malos ante ſuum lapſum, ſui caſus præſcios fuiſſe*: id quod cum Auguſtino Bernardus etiam ſermone de gradibus humilitatis affirmat: & Anſelmus ſubſcribit. Neque etiam Angelos bonos ante confirmationem, ſuam præuidiſſe conſtantiam. Ratio eſt, quoniam naturali lumine præſciri non potuit, alioqui etiam mali, ſuum potuiſſent præuidere peccatum: cùm non minùs ij, quàm illi perfecta natura creati fuerint: ſed quæ ex libero alterius pendent arbitrio, ea præuideri à nemine poſſunt, niſi à Deo. Lumine igitur naturali, aut ſuam conſtantiam quæ pendebat à voluntate Dei, aut aliorum caſum, qui ex alieno pendebat arbitrio, nequaquam præſciuerunt. Lumine autem ſupernaturali, hoc illos præſciuiſſe, neque conſtat ex ſcripturis, neque probabile eſt. Simulac enim lumine ſpirituali donati fuerunt, Deo adhærentes confirmati fuerunt in veritate. Non priùs igitur præuiderunt ſuam conſtantiam, quàm fuerint in veritate confirmati, & conſtantiæ gratia donati, eóque verè beati effecti. Si verò lumine ſupernaturali conſtantiam non præuiderunt: neque etiam aliorum lapſum præuidiſſe credendi ſunt: cùm hoc planè nihil vel ad gloriam Dei, vel ad ipſorum ſalutem pertineret. *Dion. lib. 2. ſent. diſt. 4. quæſt. 3.* Atque hæc eſto breuis ad hanc curioſam quæſtionem reſponſio. Sequitur alia.

AN SINGVLARIA, ET QVÆCVNQVE HIC FIVNT AB ANgelis cognoſcantur.

CAPVT VIII.

TRIA capita habet hæc Quæſtio: vnum, *an res in genere cognoſcant, quæ ſunt in Mundo vt humanum genus & ſingulas rerum ſpecies*: Alterum, *an ſingulas etiam res*: Vt Angelus vnus, ſingulos homines: Tertium, *an ſingulas etiam cuiuſque hominis actiones, verba, &c.*

Quòd ad primum attinet, iſtud extra controuerſiam eſt. Duplici enim ratione hoc ita manifeſtum eſt, vt negari non poſſit, quarum prima eſt: quòd quicquid boni poteſt inferior virtus, illud etiam & perfectiori modo, poteſt ſuperior. Superiora enim in rebus à Deo conditis, perfectiora ſunt inferioribus: Superiora & cœleſtia corpora, inferioribus & terreſtribus corporibus: Et cœleſtes ſpiritus, humanis. Cùm itaque homines cognoſcant ſingulas ſpecies, quas Deus condidit: quomodo hac cognitione priuari poſſunt Angeli? Nullum igitur eſt creaturæ genus, vel in cœlo, vel in terra, vel in mari, quod Angeli non cognoſcant, atque apprimè & perfectè: omnes ſcilicet cuiuſque rei vires, proprietates, naturas: Altera ratio eſt, quoniam in Angelis inditæ ſunt à Deo iam inde ab ipſorum creatione vniuerſales rerum omnium imagines ſeu ideæ, vt antè explicatum eſt, & docti omnes fatentur, ſpeciatim D. Auguſtinus, tomo 3.

de Ge-

de Geneſi ad literam, li. 2. Vt igitur homines per ſpecies rerum abſtractas, res ipſas intelligunt, ita & multo quidem excellentiùs Angeli per eaſdem ſibi naturaliter inditas, omnia rerum genera, eſſentias, proprietates, virtutes naturaliter cognoſcunt. Taceo hic, quòd in *Verbo* etiam, hoc eſt, in Filio eadem omnia clariùs ac dilucidiùs vident: Quæ cognitio, *cognitio matutina* ab Auguſtino appellatur: cùm eorumdem cognitio, quatenus habetur per ſpecies rerum, *veſpertina* vocetur.

II. Alterum caput difficilius eſt ad intelligendum: *An & quomodo Angeli ſinguli, ſingulas res, puta ſingulos homines, qui fuerunt & ſunt, cognitos habeant: præſertim cùm careant ſenſibus: cognitio autem ſingularium, ad ſenſus pertineat: ſicut vniuerſalium ad intellectum, iuxta illud vulgatum in Scholis Philoſophorum; Senſus eſt ſingularium: Ratio verò & intellectus vniuerſalium.* Hac de cauſa quidam penitus negarunt in Angelis cognitionem ſingularium: & vniuerſalium duntaxat illis conceſſerunt.

1. Sed hoc pugnat cum ſacris literis, quæ docent, *Angelos eſſe adminiſtratorios ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, id eſt propter electos. Quomodo autem poſſunt ſingulis hominibus miniſtrare, ſi eos non norunt? & Pſ. *Angelis ſuis Deus mandauit de te* (hoc eſt, de ſingulis electis hominibus) *vt cuſtodiát te in omnib. viis tuis.*

2. Deinde ſinguli Angeli ſe mutuò ita cognoſcunt, vt nullus in cœlo ſit, qui alteri ſit ignotus: aliòqui non verè eſſent beati, ſi qui in cœlo ſunt, non ſe mutuò omnes cognoſcerent: imò ne vllus quidem diabolus eſt, vel in aëre, vel in mari, vel in terris, vel ſubtus terram, quem Angeli boni non norint: id quod neceſſe eſt, vt eis, inſidias nobis ſtruentibus, reſiſtere poſſint. *Thom 1.p.quæ 86.art.2.G.lib.2 c.98.*

2. Quin & Philoſophi hoc nouerunt, vnde in libro de cauſſis hæc quoque legitur ſententia: *Omnia intelligentia nouit res quæ non corrumpuntur.* Quo ex loco efficitur, ſingulorum etiam hominum animas, quippe quæ incorruptibiles ſunt, perſpectas eſſe Angelis, qui intelligentiarum nomine intelliguntur. Si igitur ſinguli Angeli, qui tamen ſunt innumerabiles, vt ait Apoſtolus, ſingulos norunt Angelos, & ſingulos Dæmones, & ſingulas hominum animas: Quid abſurdi eſt, ſi dicatur, ſingulos homines ſingulaſque res à Deo conditas, perſpectas eſſe Angelis? Quod ex Scholis Philoſophicis adfertur, *ſenſum eſſe ſingularium, Intellectum autem vniuerſalium:* Illud ſcriptum reliquit Ariſtoteles de intellectu humano, & docuit, quomodo homo rerum cognitionem acquirat: nempe per ſenſum, qui ſingularia percipit abſtrahendo à materia: & ſpecies ſenſiles ad phantaſiam remittendo, & inde à conditionibus ſingularium repurgatas, & vniuerſales effectas ad intellectum tranſmittendo. Quare torquetur hic locus quando ad Angelos quoque, & in alienum ſenſum transfertur. Etſi igitur careant ſenſibus Angeli non inde tamen efficitur, quin ſingularium cognitio locum in eis habere poſſit. Alij itaque victi iis aliíſque rationibus, dederunt Angelis cognitionem non ſolùm vniuerſalium, ſed etiam ſingularium: verùm in vniuerſali, hoc ſenſu: nimirum quòd cognoſcendo, puta quid ſit homo, animal ſcilicet ratione præditum, corruptibile, mortale, ſalutis capax: ex conſequenti ſingulos homines tales eſſe & talis naturæ, intelligant: quanquam ſigillatim hunc vel illum hominem minimè norint: Quemadmodum etiam Aſtrologus ex ſitu & diſpoſitione cœleſtium aſtrorum & motuum cognoſcit in genere futuram eclipſin: quanquam eam ſingulatim & propriè nec videt ipſe, nec aliis monſtrare poteſt: niſi poſtquam contigerit, illam ſenſu percipiat. Talem igitur admittunt in Angelis rerum ſingularum cognitionem. Verùm quòd dicunt, nihil eſt: Et abſurda, quæ ipſi etiam doctiores Philoſophi adferunt, ſi ſubſtantiæ abſtractæ ſingularia non intelligant, minimè tollunt. Nam cognoſcere ſingularia, vt iſti docent, in ſuis tantùm cauſſis & naturis vniuerſalibus, non eſt ea cognoſcere, vt ſingularia, quatenus ſunt hoc vel illud, hic vel ibi, nunc vel aliàs: ſed hoc nihil aliud eſt, quàm cognoſcere ſingularia tanquam in vniuerſali quodam modo contenta, non autem reaple per ſe ſubſiſtunt. Rationes autem partim à nobis paulò antè allatæ, partim quæ à Philoſophis adferuntur, euincunt ſingularia, quatenus ſingularia ab Angelis cognoſci. Angeli enim miniſtrant huic & illi electo. Angelus ducebat Petrum non in vniuerſali, ſed vt ſingularem hominem è carcere, & eum comitabatur. Sexcenta huiuſmodi extant exempla in ſacris literis. Communis itaque & recepta ſententia eſt, Angelos perſpectas habere non ſolùm rerum omnium ſpecies, & totius vniuerſi ordinem, ſitum, loca: verùm etiam ſingulas res à Deo conditas: non ſolùm in vniuerſali, ſed etiam in particulari & propriè, quatenus ſingularia ſunt. Ac præterea rationes ante allatas, hæc etiam adfertur à Philoſophis: *Cœli mouentur ab Angelis quos ſubſtantias vocant ſeparatas: Et mouent ſcientes ac volentes: Cœli autem ſinguli, ſunt quædam ſingularia corpora, Ergo, &c.* Mouent item hos cœlos non fruſtrà, ſed in hunc finem, vt per horum motum res infra cœlos generentur, conſeruentur, operentur, & actæ agant: Generantur autem non vniuerſalia, ſed ſingularia aut particularia. Norunt igitur Angeli ſingularia quatenus ſingularia. At, quomodo inquies, hoc fieri poteſt? At enim per ſpecies vniuerſales aut per ſingulares ſibi inditas norunt. Non per ſingulares: Non enim inditæ ſunt Angelis certæ ſingularum rerum ſpecies & imagines: quæ infinitæ ſunt, ſed tantùm vniuerſales, vt omnes docent: alioqui quotidie nouæ inderentur cùm nouæ ſemper res fiant. Neque per vniuerſales: Vniuerſales enim non niſi vniuerſalia repræſentant, non autem particularia, niſi quatenus continentur in vniuerſalibus. Quomodo igitur ſingularia, quatenus ſingularia norunt? Reſp. Per ſpecies rerum vniuerſales non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam particularia, ac ſingularia, quatenus ſingularia ſunt, ab Angelis cognoſci dicimus. Hoc ita explicatur & confirmatur.

Principio, Annon Deus per vnam rerum omnium ſimilitudinem atque imaginem, hoc eſt, per ſuam eſſentiam, cauſam rerum omnium effectricem, finalem & exemplarem, omnia non ſolùm vniuerſalia, verùm etiam ſingularia & minima quæque nouit? Omnino, ſicut abundè in attributo de ſcientia Dei demonſtratum eſt. Ergo etiam abſurdum non eſt, quòd Angeli per vniuerſales multas rerum ſpecies atque ideas ſibi à Deo inditas, non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam particularia, quatenus particularia, cognoſcant. Sic enim ſe habet rerum à Deo conditarum ordo, quòd quò aliquid ſuperius & præſtantius eſt: eò etiam vim ſuam magis vnitam & ad plura ſeſe extendentem & extendentem habet. Perſpicuum eſt hoc in nobis ipſis, qui præditi ſumus ſenſibus externis multis: ſenſibus autem internis paucioribus, & intellectu vno. Videmus autem quæ quinque ſenſibus externis ſuſcipimus: ea omnia, imò & plura vno communi ſenſu interno à nobis apprehendi. Intellectus verò, quæ multa ſunt in ſenſu & phantaſia phantaſmata: Ea ipſe ad vnam ſpeciem intelligibilem redigit: Et per eam vnam, omnia illa intelligit. Ita apparet, quò aliqua res eſt ſuperior & excellentior: Eò etiam eius virtutem magis vnitam, efficaciorem, & longiùs latiúſque ſeſe exerentem & explicantem eſſe. Ergo cùm Angelus ordine naturæ ſuperior ſit & præſtantior homine: cum ordine naturæ pugnat, ſi quis dicat, Angelum ſuo vno intellectu per vniuerſales rerum imagines non intelligere, quæ homo ſuis ſenſibus multis percipit, nempe ſingularia.

Cæterùm quia Angelus medius eſt inter Deum & homines: idcircò fit vt quæ Deus, qui ſupra omnes eſt, per vnam duntaxat imaginem, quæ eſt ſua eſſentia, cognoſcit: Ea cognoſcat Angelus per multas ſpecies, quæ ab eius differunt eſſentia. Et ſicut homo, qui infra eſt, percipit ſingularia ſenſibus per ſpecies ſingulares à rebus abſtractas: Ita Angelus eadem per pauciores mente percipit. *C.lib.2.cap.100.* Proinde diligenter obſeruandum eſt ſpecies rerum per quas res ipſæ intelliguntur, contrario ordine ad noſtrum intellectum peruenire, quàm in Intellectum Angelicum perueniunt. Nos enim primò ſenſibus res percipimus abſtrahendo à materia: Deinde ſenſu communi poſtremò intellectu magis ſemper ac magis abſtrahendo & à conditionibus materialibus res repurgando & defæcando: Angeli autem illa ex Deo inditas habent, quatenus ipſorum natura imago eſt Dei multis repræſentatis, quod in Deo vnum eſt: ac proinde quæ in Deo vna eſt omnium ſimilitudo, ea in Angelis multiplex eſt. Quare quorum imago, eſt vnica Dei eſſentia: Ea etiam per multas rerum imagines, quæ in Angelis ſunt, referuntur. Eſſentia autem Dei non tam vniuerſalium, quàm particularium & ſingularium rerum, ſimilitudo eſt & exemplaris cauſſa. Singularia igitur etiam ab Angelis per vniuerſales rerum ſpecies intelliguntur. Totum etiam hoc ſecundum caput propoſitæ quæſtionis, ex iis quæ dicta ſunt, perſpicuum eſſe arbitror.

III. Sed tertium membrum difficilius eſt: nempe an Angeli cognoſcant non ſolùm ſingulas quaſque res à Deo conditas: verùm etiam ſingularum actiones, quid agant, quid dicant, quid patiantur, & id genus alia. Neque verò hic in quæſtionem vertitur: *An Angeli illorum hominum, quorum curam gerunt, actiones & verba norint.* Si enim certis hominibus cuſtodiendis deputati ſunt: Eorum etiam actiones

Hæc igitur & alia id genus futura, certò præuidentur ab Angelis. Deinde verò, quæ ex cauſſis oriuntur talibus, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. & in pluribus ſimilia ſolent parere effecta: ea cognoſci à nobis certò non poſſe: ſed tantùm ex probabilibus coniecturis: Vt, an ex ſumptione medicinæ aliquis non lethaliter decumbens, ſit conualiturus, necne. Et an Salomon ex conſortio & amore concubinarum idololatrarum lapſurus ſit in idololatriam, necne lapſurus. Hoc etiam rectè de nobis concluditur. Cæterùm, volunt hæc huiuſq; generis futura ab Angelis certò etiam cognoſci: propterea quòd cauſas horum futurorum optimè norint: Et quæ nobis probabiles sũt cõiecturę: ea Angelis ſint certiſſima τεκμήρια. Hæc igitur tantò certius ab Angelis præcognoſci, quàm à nobis: quantò etiam meliùs norunt ipſas rerum cauſas. Hoc etiam non admodum oppugnarim. Meliùs enim ipſi norunt rerum cauſas, quàm nos: ac proinde certiùs etiam præcognoſcunt effecta. Sequitur tertium effectorum futurorum genus. Quæ itaque ex tertio cauſarum genere proficiſcuntur, ac proinde quæ fortuita & caſualia vocantur, eóque verè contingentia ſunt, ea nobis penitus ignota eſſe dubium non eſt, ſed certam horum quoque futurorum cognitionem attribuunt Angelis, quòd ij cauſas horum quoque effectorum probè teneant: eóque in cauſſis hæc futura effecta certò præuideant. Atque huc quidam adferunt dictum ex tomo tertio operum Auguſtini. ex li. de cognitione veræ vitæ cap. 6. de quo paulò antè: Et hoc voluiſſe etiam indicare Chriſtum, cùm dixit: *De die autem illa, nemo ſcit, neque Angeli Dei:* quaſi dicat, etſi Angeli Dei nihil aliarum rerum ignorant: De die tamen illa, quando futura ſit, neſciunt. Voluiſſe enim iis verbis attribuere Angelis omnium rerum futurarum cognitionem, dum cognitionem illius diei adimit.

Cæterùm ego hoc tertium non auſim affirmare, nempe citra reuelationem diuinam, ſed naturaliter futura omnia verè contingentia ab Angelis cognoſci. Vtque non auſim hoc affirmare, iis adducor rationibus. Quòd quis ſit diu aut paruo tempore victurus, & an ex vno aut ex alio morbo moriturus, nimirum vel morte naturali, vel violenta, hoc certè eſt ex numero verè contingentium. Interrogo autem, an hoc etiam naturaliter cognoſcant Angeli de cuiuſquam vita vel morte? ſi tu affirmes, Angelus quidam negat. Nam 4. Eſd. 4 ad finem, Eſdræ interroganti Angelum, *an eſſet ipſe victurus vſque ad illos dies, de quibus locutus fuerat Angelus. Et quidnam futurum eſſet in illis diebus:* reſpondit ei Angelus in hæc verba: *De ſignis, de quibus me interrogas, ex parte poſſum tibi dicere: de vita autem tua non ſum miſſus dicere tibi, ſed neſcio.* Notanda verba: primùm dicit *de futuris ſignis ex parte ſe poſſe dicere.* Non igitur omnia futura ſigna tenebat, ſed ex parte tantùm. 2. Quid porrò euenturum eſſet Eſdræ, & quando moriturus, ait, ſe neſcire, multò minùs etiam, quo mortis genere. Deinde, quónam & quanta poſt Iohannem Euangeliſtam euentura erant Eccleſiæ Chriſti? Ea tamen dicitur Chriſtus, quæ à Patre tanquam homo acceperat, reuelaſſe Angelo: Et per Angelum Iohanni. Si nouerat hæc Angelus per reuelationem: Non igitur in ipſorum cauſſis naturaliter præuiderat. 3. Ad hæc ſi Chriſtus quæ reuelauit Angelo, & per Angelum Iohanni, ea quà homo accepit à Patre, & à ſua Deitate non autem præuidit in cauſis, cur demus hoc Angelis? Quaſi verò ipſi præſtantiori & plurium rerum ſcientia præditi ſint, quàm Chriſtus homo glorioſus in cœlo. Nihil detraho Angelis: ſed cum Apoſtolo dico, *Chriſtum etiam qua homo eſt, excellere etiam rerum cognitione ipſis Angelis.* 4. Certè Chriſtus homo plura in cœlo nouit & excellentiùs, quàm nos cogniturі ſimus. Sumus autem cognitione etiam, ſicut aliis rebus æquales futuri angelis. 5. Item Ieſ. 14. cognitionem rerum futurarum omnium ſimpliciter attribuit Deo, & propriam eſſe Dei docet, dicendo: *Dicite nobis futura, & cognoſcemus, quod Dij eſtis.* At reſpondent Scholaſtici hoc intelligendum eſſe de rerum futurarum cognitione in ipſis rebus futuris: non in ipſarum cauſis: ſolum Deum futura in ſeipſis præuidere, quæcunque illa ſint: At verò in cauſis ipſorum omnia eſſe nota Angelis Dei. Reſpond. Damus, res futuras in ſeipſis non videri, non à Deo: ſed quòd etiam fortuita ab Angelis præuideantur in cauſſis ſuis, ſcriptura non tradit: Et Propheta ſimpliciter horum cognitionem dat ſoli Deo, dicendo: *Dicite nobis futura, &c.* Non ait, *Dicite ſi ea noſtis in ſe ipſis vel in cauſis:* ſed ſimpliciter, *Dicite futura,* nempe ſi vllo modo per vos ipſi noſtis: *Et dicemus, quòd Dij eſtis.* Docet igitur ſolius Dei proprium eſſe, noſſe omnia futura.

III. Quod adferunt ex libro de cognitione veræ vitæ: Auguſtini liber non eſt, vt meritò notauit Eraſmus: Et vt ipſe ait, hoc ipſum docet, librum non eſſe Auguſtini, quòd tradit rerum omnium ſcientiam & præſcientiam Angelis: id quod nuſquam facit Auguſtinus, cùm hoc ſit Dei propriũ. Dictum Chriſti non concludit, Angelos omnia noſſe præter diem illũ. Nam alia quoq; permulta ignorant: vt partim eſt demonſtratum de iis, quæ ſunt in animis hominum latentia, partim etiam mox demonſtrabitur: ſolùm tribuit Angelis eximiam rerum cognitionem: Et docet, præter alia ipſum etiam diem vltimum illis ignotum eſſe. Deinde, etſi inde euinceres, teſtimonio Chriſti indicari, Angelos reliqua omnia noſſe, nihil tamen efficeres. Nã mox reſpondebimus, eos omnia noſſe ex reuelatione, non autem naturaliter in rerum cauſis: Diem verò iudicij neq; ex reuelatione nouiſſe, quia Deus non reuelet: neq; etiam ex cauſarum cognitione, cùm nulla eius ſit cauſa, niſi voluntas Dei arcana, vt Act. 1. videre eſt. Atque hæc de tertio rerum futurarum genere ſatis ſunto, nempe euinci non poſſe, Angelos naturaliter omnia futura contingentia certò nouiſſe, neque in rebus ipſis, neque in ipſarum cauſis.

IV. Ad quartum genus quod attinet, eorum ſcilicet, quæ ex libera vel hominum, vel aliorum Angelorum pendent voluntate: omnes vno conſenſu docent, ea ab Angelis certa ſcientia præcognoſci non poſſe: ſed vel per reuelationem, vel per effecta & ſigna, per quæ res illæ in animo occultæ ſeſe prodant. Effecta enim ipſa videri non poſſunt per ſe ipſa, cùm nondum exiſtunt, ſed futura ſunt. Neque in ſuis cauſis præcognoſci queunt, cùm lateant in animis eorũ, qui ea volunt. Nullo igitur modo, niſi per reuelationem hæc præcognoſci ab vlla poſſunt creatura. Atq; hæc de primo membro propoſitæ quæſtionis. Hinc facilis ſequitur reſponſio ad alterum membrum. De altero igitur hæc eſto altera theſis.

THESIS.

Myſteria ſalutis ab Angelis cognoſci non poſſunt, niſi per diuinam reuelationem.

PRimò, *Myſteria ſalutis* vocamus quæcunq; Deus pro ſalute noſtri conſtituit æterno ſuo decreto atque conſilio. Ideo enim *myſteria* vocantur, quia in Deo ſunt abſcondita. Cùm verò vel promittuntur, vel executioni mandantur promiſſiones: non ampliùs propriè myſteria ſunt, quantum ad id, quod manifeſtum eſt factum. Proinde electio imprimis in hoc nomine continetur. Non autem ipſa vel vocatio, vel iuſtificatio, vel glorificatio iam facta, aut etiam promiſſa.

Secundò, cùm dicimus, *niſi per reuelationem*, ſecludimus naturalem cognoſcendi modum, qui eſt per lumen naturale, & per ſpecies rerum inditas. Hoc enim modo penetrare in Dei voluntatem non poſſunt Angeli: Vt quoſnam elegerit ad vitam, & quænam pro ſalute noſtra decreuerit, videre poſſint: ſed quicquid horum myſteriorum nouerunt, illud aut per reuelationem ipſis in cœlo & in ſpeculo Verbi factam, aut per promiſſiones nobis in ſcripturis vel factas verbo, vel reipſa completas atque perfectas nouerunt. Per reuelationem quidem, vt quòd Angeli quibus noſtri cura & cuſtodia commiſſa eſt: norint nos eſſe electos ad æternam vitam. *Sunt enim* (vt eſt ad Heb.) *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Et in Pſal. Vbi de cuſtodia electorum loquitur Dauid, legitur, *Deus mandaſſe Angelis de nobis, vt nos cuſtodiant in omnibus viis noſtris:* Norunt igitur per reuelationem, eos eſſe electos, ad quos mittuntur: Nam naturali lumine non poſſunt, cùm hoc ſolius ſit Dei, noſſe qui ſint ſui. Per promiſſiones autem nobis in ſcripturis factas: vt quòd iam inde ab initio norint Filio Dei carnem ſumturum fuiſſe, & ſacrificio corporis ſui nos redempturum, & alia id genus. Per promiſſionum verò complementum, vt cùm Gentes ad gratiam Euangelij vocatas, tam magno numero ad Eccleſiam Chriſti confluere re ipſa viderent. Etſi enim propter promiſſiones de vocatione Gentium factas Prophetis nouerunt in genere vocatum iri gentes; multas tamen eius vocationis circumſtantias ignorabant: puta tantum numerum, tale tempus, talem modum mediúmque, quo erant vocandi: Et quòd tam facilè, tam citò vocandi eſſent. Quis enim notat per vnius Pauli miniſterium tam breui temporis ſpatio tantam Gentium multitudinem, efficaciter vocatum iri, tãtóque animi ardore ad Chriſtum conuolaturam fuiſſe? Quam ob cauſam Eph. 3. ait Apoſtolus, *myſterium hoc*, de vocatione ſcilicet Gentium per ſuum Apoſtolatum, *abſconditum fuiſſe à ſeculis in Deo: Nunc autem ex horum vocatione patefactam eſſe multiformem illã Dei ſapientiam*: qua ſcilicet decreuerat etiam Gentes tam multas ſeruare: patefactum, inquam, hoc eſſe ipſis etiam poteſtatibus in cœlis per Eccleſiam. Hæc eſt Theſeos explicatio perſpicua atque certa: ac proinde quæ non opus habet longa probatione. Apoſtolus enim ait 1. Cor. 2. *Quis hominũ nouit quæ sũt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Ita

et à nemo nouit quę ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei. Myſteria igitur ſalutis quatenus in æterno Dei conſilio decreta fuerunt per ſe, non norunt Angeli. Sed quomodo nouerunt? Apoſtolus ait *ea nobis reuelari per Spiritum ſanctum*. Ergo etiam Angeli ea norunt per reuelationem eiuſdem ſpiritus. Et in Verbo, h.e. Filio. Deinde (vt dictum eſt) non videntur nouiſſe, niſi in genere, ignoratis circumſtantiis multis, temporis, modi, numeri, & aliis quas poſtea nouerunt ipſa experiẽtia, vqi viderunt prædicatione Euangelij per Paulum, tantam Gentium multitudinem ad Chriſtum confluxiſſe: ſicut idem Apoſtolus teſtatur non ſolùm de Angelis, verùm etiam de hominibus, qui ante Chriſtum fuerunt, cùm ait Epheſ. 3 *poteſtis attendentes intelligere cognitionem meam in myſterio Chriſti, quod aliis ſeculis non innotuit filiis hominum, quemadmodum nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius & Prophetis per Spiritum S.* Myſterium Chriſti quid vocat? Vocationem Gentium ad Chriſtum poſt ipſius aduentum. Hoc enim explicat dicens: *Gentes eſſe cohæredes & concorpores, conſortéſque promiſſionis eius in Chriſto per Euangelium.* Quomodo hoc fuit ignotum prioribus ſeculis etiam Prophetis illis prioribus, cũ tamen per Prophetas hæc fuerit prædicta? Hieronymus in hunc locum multas affert reſponſiones, vnum colligit ex voce *Filiis hominum*, quaſi dicat Apoſtolus, ignotum fuiſſe non filiis Dei, ſanctiſque Prophetis, ſed tantum filiis hominum, id eſt, carnalibus. Sed hæc nihil ad rem. Alterum igitur accepit ex voce, *quemadmodum nunc ſanctis Apoſtolis reuelatum eſt*: quaſi dicat, norant quidem in genere, & è longinquo futura prævidentes: ſed Apoſtoli ſpeciatim & per omnes circumſtantias, tanquam rem præſentem oſtendentes. Norant igitur Prophetæ & alij in genere myſterium hoc, vocandas ſcilicet fuiſſe Gentes ad Chriſtum: ſed in ſpecie multa ignorabant, vt antè explicatum eſt. Quare quod de ſanctis Patriarchis & Prophetis aliiſque Patribus omnibus ante Chriſti aduentum dixit Apoſtolus: idem de Angelis etiam intelligendum eſt: Eos præſcnouiſſe in genere hoc myſterium per reuelationem, ſed ignoraſſe, iuxta circumſtantias & in ſpecie: Tum demum verò etiam hoc, quòd antea latuerat illos didiciſſe, cùm viderunt re ipſa, Gentes ad Chriſtum in Eccleſiã prædicatione Euangelij per Paulum cumprimis alióſque Apoſtolos publicata, confluere. Eſt igitur etiam hæc quæſtio, quantum ſatis eſt, explicata & confirmata. Nunc ſi quis obiiciat: *At quomodo non norunt omnia exactè Angeli Dei iam inde ab initio, qui ſapientiam æternam, in qua tanquam in ſpeculo omnia lucent, ſemper viderunt & vident?* Reſponſio facilis eſt: Etſi omnia in ſapientia diuina, ſeu in verbo, tanquam in ſpeculo relucent, Angelos tamen Dei nõ omnia in illo ſpeculo videre: tum quoniam, licèt intueantur in ipſum ſpeculum, ipſum tamen propter ſuam immẽſitatem totum videre ſeu comprehendere non poſſunt: tum quoniam ſpeculum illud diuinum, non eſt vt iſta materialia noſtra, expertia ſcilicet voluntatis & cognitionis, ſed tale eſt, vt eatenus aliquid in ipſo reſplendeat Angelis Dei, quatenus ipſum ſpeculum vult, in ſe Angelis illud ſplendere, & patefieri. An non dies etiam iudicij in eo ſplendet ſpeculo, cùm in eo ſint rerum omnium ideæ? Ipſis tamen Angelis non reſplendet: Illum enim ignorant, ait Chriſtus. Cur verò non reſplendet Angelis? Quia Deus non vult. Aliquid igitur eatenus vident in verbo Angeli, quatenus Deus ipſe, & eius ſapientia ab illis videri vult. Atque hac reſponſione diluitur argumentum, quo Pontificij conantur perſuadere, ſanctos in cœlo intelligere & videre orationes & vota noſtra: quia ſcilicet Deum vident, in quo omnia lucent. Ex Gregorio hoc acceperunt in Dial. lib. 2. cap. 2. Sed quis illis reuelauit, Deum velle preces noſtras ſanctis in verbo patefieri? Quanquam ad hoc etiam Gregorij dictum, Pet. Lom. reſpondet, *intelligendum eſſe de iis, quorum cognitio beatum facit cognitorem.* Hæc autem eſt cognitio Dei Patris, Filij & Spiritus ſancti. Legantur Sent. lib. 2. diſt. 11 Bonauentura autem ſic exponit verba Gregorij, dictum hoc eſſe per æquiualentiam intelligendum, h.e. talem ac tantam eſſe cognitionẽ, quam habent de Verbo, h.e. Chriſto, vt hæc eis loco ſit cognitionis aliarum omnium rerum, eàque ſufficiat.

AN PERFECTA SIT ANGELORVM COGNITIO.

CAPVT XI.

HINC facilè ad quæſtionem reſponderi poteſt, qua quæritur: *An cognitio Angelorum ſit perfecta, ita vt nihil in ea deſiderari poſſit:* Et ex conſequenti, *An quæcunque intelligunt, ea actu intelligant ſicut Deus: an verò δυνάμει etiam, ſicut nos. ſeu an proficiant quotidie in cognitione, ita vt ſemper aliquid noui cognoſcant.*

Nec defuerunt, qui ſenſerint, ita perfectam eſſe Angelorum cognitionem, vt in ea nihil proficiant, nihilque noui addiſcant. Et quidem actu eos ſemper intelligere quæ intelligunt, nunquam autem δυνάμει tantum: quòd alioqui nõ fuiſſent de principio beati, neque etiam nunc eſſent: ſed in fine duntaxat mundi fortaſſis forent perfectè beati atque felices: Eſt enim Beatitudo bonorum omniũ ſimul & perfecta poſſeſſio. Adducunt etiam auctoritates ex Patribus. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono, cap. 10. *Angeli* (inquit) *in verbo Dei omnia ſciunt antequam fiant.* Et Gregorius tomo 1. in libris moral. lib. 2. cap. 2. de ſcientia Angelorum loquens ait: *Quid enim de iis, quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcientẽ omnia ſciunt?* Eadem habet in Dial. lib. 4. cap. 33. de cognitione beatorum. Sed cum hac ſententia pugnare videntur multa ſcripturarum teſtimonia, quibus apertè demonſtratur cognitio Angelorum ita perfecta neque ab initio fuiſſe, neque etiam nũc eſſe: quin multa noua deinceps cognouerint & ſemper cognoſcant. Certè quæ Chriſtus reuelauit Angelo in Apocalypſi poſt ſuam aſcenſionem euentura Eccleſiæ: ea ante non nouerat Angelus ille: Et quæ de vocatione Gentium didicerunt per Eccleſiam, tempore Pauli, vt ipſe docet ad Epheſ. antea ignorabant. Patrum etiam ſententiæ non deſunt, quibus hoc idem confirmetur. Hieronymus certè in Ieſ. 36. & in Pſalm. 23. & alibi ſcribit: *Angelos ignoraſſe aliquando myſterium incarnationis Chriſti, & redemptionis per Chriſtum:* intellige quo ad circumſtantias multas, vt ante declaratum eſt. Sunt & firmæ rationes, quibus idem cõfirmatur, vt mox videbimus. Neq; tamen prior ſententia ſimpliciter falſa eſt quanquam neque ſimpliciter vera. Proinde Theſin affero, qua vtraque ſententia concilietur.

THESIS.

Cognitionem, in qua beatitudo Angelorum propriè conſiſtit, ita perfectam ab initio (poſt confirmationem ſcilicet in gratia atque gloria) aſſecutos ſuiſſe: vt ipſi in ea neque vnquam proficiant, neque etiam ea vnquam deficiantur. Reliqua autem cognitio, non ita perfecta eſt, quin in ea multis modis proficere poſſint, & reipſa proficiant: Et modo potentia ſeu δυνάμει, modo actu cognoſcant.

EXPLIC. & CONFIRMATIO.

COgnitionem, in qua Angelorum ſita eſt felicitas, cognitionem illam vocamus, qua ſupernaturaliter Deum norunt & vident, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. In hac enim propriè vita conſiſtit æterna & vera felicitas, vt etiam Chriſtus docuit: & ſcriptura paſſim in viſione Dei, quę fuerit facie ad faciem, Beatitudinem collocant. De hac cognitione duo dicimus.

1. Primum, hanc ita ſemper fuiſſe & eſſe in Angelis perfectam, vt in ea nihil deſiderari, proficique poſſit. Id autem firmum eſt ratione à definitione beatitudinis vtræque felicitatis ducta: quemadmodum qui priorem ſententiam ſequuntur, demonſtrant. Quomodo enim de principio verè beati fuiſſent Angeli, aut etiam nunc eſſent, ſi cognitio illa, in qua beatitudo conſiſtit, imperfecta illis eſſet? Eſſet autem imperfecta, ſi in ea proficere quotidie poſſent.

2. Nos quoque tunc fore beatos & felices prædicãt ſcripturæ, cùm in cœlis videbimus Deum facie ad faciem, & fuerimus ſicut Angeli Dei. Tunc autem in cognitione Dei proficere non poterimus, ſicut nunc proficimus. Docet vtique Apoſtolus 1 Cor. 13 dicens: *Nunc videre nos ex parte:* ergo imperfectè, ac proinde proficimus, dum ſumus in hac vita: *tunc autem viſuros eum ſicuti eſt.* h.e. non ex parte, ſed in totum & perfectè: quantum ſcilicet cognitionis Dei capere poteſt mens creata. Non igitur tunc proficiemus, quia perfectè cognoſcemus. Quòd ſi noſtra futura eſt ita perfecta: quidni igitur & Angelorum ita perfectam eſſe fateamur, vt augeri in eis, perfectiórque fieri nequeat? Ergo quod ad qualitatem & quantitatem cognitionis illius attinet, perfectam eam adepti ſunt Angeli iam inde ab initio, poſtquam ſcilicet perſtiterunt in veritate, vt perfectior fieri non poſſit. Hoc eſt vnum.

II. Sequitur alterum. Dicimus igitur ſecundo loco, *Angelos actu ſemper, nunquam autem δυνάμει tantùm Deũ cognoſcere & videre*: ita vt neque, quod ad hãc partem attinet, imperfecta aliquando eſſe queat. 1. Hoc apertè docet Chriſtus, cùm ait, *Angelos ſemper videre faciem Patris.* Cũ ait, *videre*, ſignificat eos videre actu, nõ δυνάμει tantũ. Cùm vero ait *ſemper*, indicat, eos nũquã nõ videre actu. Idẽ aliæ ſcripturæ

teſtantur

teſtantur, cùm docent, *Angelos ſemper ſtare in conſpectu Domini, & illi miniſtrare.* Et enim aliis id genus locutionibus vtuntur. Proinde, etiamſi ſæpè permulti ipſorum huc ad nos mittantur: nunquam tamen deſinunt videre faciem Patris: illáque actualis & beatifica cognitio eos nunquam deficit. Etſi enim illi mutant locum: Deus tamen ſemper vbique illis præſens eſt, vt ab Angelis, vbicunque locorum ſint, videri poſſit. 2. Atque hoc optimè & obſeruauit & explicauit Gregorius primus Papa tomo 1. in Iob. lib. 2. cap. 2. *Quomodo* (inquit) *aut ſemper adſiſtere, aut ſemper videre faciem Patris poſſunt Angeli: ſi ad miniſteriũ exterius pro noſtra ſalute mittuntur?* Reſpondet, docens: *Neque ſic à diuina viſione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur: quia ſi conditoris aſpectũ, abeuntes amitterent: nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare poſſent fontémque lucis, quem egredientes ipſi perderent, cæcis nullatenus propinarent.* Poſt à ſubdit dicendo: *Angelorum ſpiritus loco quidem circumſcripti ſunt, ſed tamen eorum ſcientia longè, ſuper nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriuſque ſciendo diffuſi ſunt, quia ipſum fontem ſcientiæ contemplantur.* Hæc ille. 3. Actu igitur ſemper vident Deum Angeli & Beati omnes: id quod etiam ratio beatitudinis euincit: Beatitudo enim, de ſententia etiam Philoſophorum, vt Ariſt. in Ethic. lib. 1 docet, non conſiſtit in potentia, vel etiam in habitu, ſed in actione. Hæc itaque eſt Angelorum beatitudo atque felicitas, quòd Deum perfectè norunt ac vident, idque ſemper & actu: ita vt eum nunquam non videant: Et actualis hæc viſio atque cognitio eos nunquam deficiat, nec deficere poſſit. Hæc de prima Angelorum cognitione, nimirum beatifica, ſatis.

III. Alteram verò eam eſſe cognitionem dicimus, qua poſt Deum reliquas res cognoſcunt, ſiue quæ creatæ fuerunt, ſiue quæ fiunt & quotidie contingunt, tam ad præſentem vitam, quàm ad futuram æternámque ſalutem pertinentes: veluti ſunt myſteria gratiæ & ſalutis. De hac duo etiam dicimus: vnum, hanc non ita eſſe perfectam, quin in ea ſemper proficere poſſint, & re ipſa proficiant: idque aut noua ſemper diſcendo, aut quæ ſemel nouerunt, ea meliùs etiam intelligendo. Hoc primum manifeſtum eſt, partim ex iis, quæ in ſuperiorum quæſtionum explicatione dicta ſunt: partim ex iis, quæ dicturi ſumus.

1. Ac primum, ſibi inuicem loquuntur Angeli, ſicut etiam in ſcripturis ſæpè introducuntur inter ſe loquentes, & alij alios monentes. Qui igitur audiunt, ij noui aliquid intelligunt.

2. Deinde, Deus multa illis reuelat indies, vt è ſcripturis iisdem manifeſtum eſt: præſertim apud Prophetas, & in Apocalypſi.

3. Scientia quoque experimentali, ſeu ex rerum euentu, norunt, quæ anteà ignorabant: vt de vocatione Gentium teſtatur Apoſtolus Epheſ. 3. *Et diem iudicij, quem nunc ignorant, tandem cognoſcent, vbi ad rem ipſam ventum fuerit.*

4. Multa item, quæ in animis noſtris latent deſideria, conſilia, cogitata, ex ipſorum patefactione, vel per reuelationem, vel per ſigna tandem cognoſcunt.

5. Multa etiam quotidie fiunt in Mundo & contingunt fortuitò (vt loquuntur) atque caſu: quæ antequam eueniſſent, præcognita fuiſſe Angelis, non conceditur: vbi verò contingunt, ea non ignorari in vniuerſum ab Angelis, omnibus in confeſſo eſt. Diſcunt igitur aliquid noui.

6. Scribit inſuper Petrus, 1. Pet. 1. *In quæ deſiderant* (inquit) *Angeli proſpicere*, h. e. eos cupere videre complementum regni Chriſti: id quod certè fiet, cùm poſt iudicium vniuerſale, omnes Electi recepti fuerint in cœlum. Nihil igitur certius eſt, quàm alterum Angelicæ cognitionis genus, quo ſcilicet poſt Deum, & quæ in Deo ſunt, reliqua intelligunt: non ita perfectum eſſe, quin in hoc cognitionis genere, quotidie proficere poſſint, noui ſemper aliquid diſcendo, & nouo modo cognoſcendo. Cui ſententiæ ſubſcribunt etiam tum Patres, tum Scholaſtici.

Alterum quod de hoc cognitionis genere diximus, eſt, Angelos non ita perfectè omnia poſt Deum cognoſcere: vt quæ intelligunt, actu ſemper ea intelligere dicendi ſint: ſed quædam δυνάμει, alia ἐνεργείᾳ. Vt hoc intelligatur, priori loco notandum eſt ex Ariſtotele, intellectum bifariam dici poſſe *potentia, ſeu δυνάμει intelligere*: nempe primùm quidẽ quatenus ad aliquid, quod iam actu prorſus ignorat, intelligendum ſeu cognoſcendum idoneus eſt ſuapte natura. Sic pueri δυνάμει docti ſunt & periti: quanquam reaple & actu indoctiſſimi ſunt & imperitiſſimi. Talis enim ſunt naturæ, vt fieri poſſint docti & rerum periti: id quod certè de brutis, aut de ſtirpibus dici non poteſt. Ita qui nondum habitum ſcientiæ ſibi comparauit, puta, qui nondum Theologiam aſſecuti ſunt: ij ad eam dicuntur eſſe in potentia, & Theologi ſunt δυνάμει. Deinde intellectus in potentia ad aliquid intelligendum eſſe dicitur, quatenus etſi habitum rem ipſam tenet, actu tamen eam non conſiderat, ſed faciliè poteſt conſiderare, vt qui iam Theologus eſt, aut Philoſophus, certè propter habitum ſcientiæ, quem iam ſibi comparauit, etiam cùm dormit, & actu non conſiderat, ea tamen quæ ad Theologiam, vel Philoſophiam pertinent, intelligere & cognoſcere dicitur: non δυνάμει ſimpliciter, ſicut ille, qui nondum Philoſophus eſt factus, ſed κατά τι, hoc eſt, quatenus actu non ea in animo voluit nec perpendit: ſed perpendere & actu cõſiderare poteſt. Ita fideles: qui vera Dei cognitione donati ſunt, etiam cùm dormiunt, & actu de Deo non cogitãt, Deum tamen cognoſcere dicuntur: actu quidem, propter donum cognitionis & diuinæ ſapientiæ infuſum: Δυνάμει verò, quatenus facilè, quæ Dei ſunt, conſiderare & contemplari poſſunt. Hi duo modi, quibus intellectus eſſe in potentia ad aliquid intelligendum dicitur, tenendi ſunt: quorum vnus eſt ante habitum ſcientiæ vel acquiſitum, vel infuſum, alter poſt habitum.

Secundo loco reuocanda eſt in memoriam diſtinctio cognitionis Angelicæ: vnam ſcilicet eſſe, in qua ipſorum fœlicitas conſiſtit: Hæc eſt *ſupernaturalis Dei cognitio.* Ad hanc quod attinet, neutro modo Angelus dicitur eſſe in potentia. Non primo, quia iam actu Deum beatifica viſione cognoſcit: Neque altero, ſicut qui habitu duntaxat ſcientiam aliquam tenent. Semper enim actu vident Deum, ſi verè beati ſunt: quoniam felicitas in actu conſiſtit. Alteram cognitionem diximus eſſe eam in qua *Beatitudo Angeli propriè poſita non eſt.* Quæ etiam duplex eſt: vna eorum, quæ naturaliter iam inde ab initio ſuæ creationis cognouit & cognoſcit, ſiue per ſuam eſſentiam, vt quiſque ſe ipſum, ſiue per ſpecies ſibi inditas, vt res alias creatas. Ad hanc alteram quod attinet: licèt Angeli non ſint in potentia primo modo, ſicut qui aliquid nondum prorſus nouit: altero tamen modo in potentia eſſe dicuntur. Nam neque verbum Dei docet, neque vna ratio euincit, Angelos, quæcunque naturaliter cognoſcunt, ea ſemper actu conſiderare & intelligere: imò contrarium potiùs euincitur. Si enim vniuerſa & ſingula, quæ naturaliter cognoſcunt, actu ſemper ſimul conſiderarent & cognoſcerent: per vnam omnium ſpeciem, ſeu ideam, ſeu ſimilitudinem intelligerent: ſicut etiam Deus per ſuam eſſentiam vnicam, tanquam per vnam omnium ſpeciem, vno actu intuetur ſingula & vniuerſa: Et ſicut etiam Angeli ſupernaturaliter in verbo, hoc eſt, in æterna ſapientia, tanquã in vno ſpeculo, ſimul omnia actu vident, quæ Deus vult ab illis videri: (videntur enim omnia in Deo, tanquam vnum quoddam, non tanquam multa,) ideò etiam per vnam ſpeciem, quæ eſt Dei eſſentia: non per multas videntur. Verùm naturaliter hæc non intelligũt Angeli; niſi per multas ſibi inditas rerum ſpecies: quæ cùm fermè infinitæ ſint, vno actu non poteſt mens finita, ea, quorum hæc ſunt ſpecies, complecti & intelligere. Itaque neceſſe eſt, vt cùm aliqua conſiderant actu, alia non conſiderent. Neque enim Angeli ſunt Deus ipſe: eóque talis cognitio, quæ propria Dei eſt, danda illis non eſt.

Altera ſpecies cognitionis non beatificæ, eſt eorum, quæ Angeli cognoſcunt aut ſupernaturaliter & per diuinam reuelationem, aut ſi non ſupernaturaliter, non tamen etiam per innatas ſpecies, ſed per experientiam, nouámque ex euentu & externis ſignis patefactionem cognoſcunt: veluti, quæ priùs latebant in animis noſtris, & res futuræ verè contingentes, poſtquam contigerunt: ſicut antè explicatum à nobis fuit. Ad hæc cognoſcenda aliquando ſunt in potentia primo modo, nempe antequam eorum vllam prorſus habeant cognitionem: qualiter Angeli in potentia ſunt ad cognoſcendum vltimi iudicij diem. Ita apparet, ſolius Dei cognitionem modis omnibus ſimpliciter verè perfectam eſſe. Reliquarum autem mentium, tam Angelicarum quam humanarum cognitiones omnes, multis modis eſſe imperfectas. Nam etiam ea, in qua beatitudo conſiſtit, nempe cognitio Dei ſupernaturalis, imperfecta eſt, quatenus Deus comprehendi intelligentia, neque a nobis, neque etiam ab Angelis poteſt: quanquam alio reſpectu perfecta eſt, nimirum quatenus talis & tanta eſt, qualis & quanta eſſe poteſt in mente creata: ita vt in ea profici non poſſit ab iis, qui ſunt in cœlo. Vſque adeò plenè & perfectè vident Deum. Atque huc ferè ſpectant omnia, quæ hactenus de cognitione Angelica ſubtiliùs fortaſſe & prolixiùs, quàm par erat, diſſeruimus: nimirum, vt intelligamus, quantum diſcrimen ſit, primùm inter cognitionem, qua nos hic donamur, tam naturalem, quàm ſupernaturalem: & inter vtramque cognitionem Angelorum. Deinde quantum etiam ſit inter has noſtras Angelorúmque: Et inter illam, quæ eſt Dei optimi maximi. Noſtra quidem magna & excellens eſt: Et comparatione reliquorum animalium penè diuina eſt: Angelorum

tamen longè excellentior atque perfectior eſt: ſed Dei excellentiſſima, & omnibus numeris perfectiſſima: imò huius comparatione, cognitio noſtra & Angelorum nulla eſt, ſed mera potiùs ignorantia, quàm ſcientia. Eſt enim cognitio Dei inſtar lucis ſolaris, quæ omnia retegit, & vnde reliquæ omnes ſunt luces: Angelica inſtar eſt lucis alicuius aſtri: humana verò inſtar lucis exiguæ candelæ.

IV. Vſus verò huius doctrinæ multiplex eſt, ſed is non poſtremus eſt, quem iam explico: nempe, vt ſciamus non ſolùm à Deo excellentiſſimè & perfectiſſimè: verùm etiam ab Angelis perfectiùs, quam à nobis noſtras cognoſci iniquitates, corruptionem naturæ, ſtudia, verba, factáque praua: Denique nihil à nobis dici vel fieri, quod etiam ab Angelis, præſertim ab iis, qui nobis cuſtodiendis deputati ſunt, non obſeruetur, ac proinde non ſolùm propter Deum omnia etiã intima cordis intuentem: verùm etiam propter Angelos, nos noſtráque obſeruantes, pudeat nos aliquid aut facere aut loqui, quod nos alioqui puderet coram honeſtis viris admittere: ſicut etiam Apoſtolus 1. Cor. 11. docebat, *debere mulieres velatum habere caput in Eccleſia, honeſtatis & decori cauſſa, & nihil indecori nihil ve turpe admittere: ſi non propter homines, ſaltem propter Angelos*, noſtra ſcilicet & noſtrarum actionum obſeruatores ac ſpectatores: qui ſicut oblectantur noſtra modeſtia, honeſtiſque moribus: ſic contrà noſtris minùs honeſtis verbis, actionibus, veſtimentis, contriſtantur. Atque hæc de cognitione ſcientiáq; Angelorum ſatis ſunto.

DE LIBERA VOLVNTATE DEque virtutibus Angelorum.

CAPVT XII.

METHODVS docendi poſtulat, vt poſt quæſtiones de intellectu cognitioneque Angelorum: de eorũ etiam voluntate liberóq; arbitrio, éque iis, quæ in voluntate cũprimis ſedẽ habẽt, virtutib. agamus. Vbi.n. intellectus, ibi & volũtas. Quando vbicunque eſt cognitio aliqua, ibi etiam ſit appetitus, vel ſenſitiuus, vel rationalis, qui eſt ipſa voluntas, oportet. Ergo licèt ſuperiùs cap. 4. nonnulla de libero arbitrio Angelorum dixerimus: ex profeſſo tamen argumentum hoc non tractauimus, ſed quædam tantummodo obiecti cuiuſdam diluendi cauſſa, obiter attigimus: nempe licèt Angelus in gratia confirmatus, peccare non poſſit ampliùs, non idcirco tamen eum deſiiſſe liberi eſſe arbitrij: imò nunc magis liberum eſſe, quàm anteà. Hæc fuit ſumma. Nunc itaque reſtat, vt quæ de illorum voluntate, déq; actionibus voluntatis & virtutibus, quarum ſubiectum eſt voluntas, hactenus tradita non ſunt: hic ſeorſum breuiter à nobis explicentur. Explicabo autem hæc omnia vna breui propoſita Theſi.

THESIS.

Tametſi Angeli beati ſunt, ipſóque fruuntur ſummo bono, ac proinde neque à bono ad malum deficere, neque miſeri eſſe ampliùs poſſunt, verè tamen & liberam habere voluntatem liberúmque arbitrium, & deſiderare atque ſperare: Et moralibus virtutibus præditi eſſe dicuntur.

PRimùm quidem Theſin, hac propoſuimus forma, nimirum: *Tametſi beati ſunt Angeli: tamen*, &c. propterea quòd pugnare quodammodo videntur iſta: nempe beatum eſſe, & tamen liberam adhuc habere voluntatem & electionem, deſiderare & ſperare: præditum eſſe prudentia, fortitudine, temperantia, iuſtitia, & aliis id genus virtutibus: quæ propriæ videntur eorum duntaxat eſſe qui adhuc ſunt in via, & in Eccleſia militante: non autem eorum, qui extra omnes moleſtias poſiti, triumphant in cœlo. Operæpretium igitur me facturum iudicaui, ſi hæc quomodo in Angelis inſint, quanquam beatis, breuiter explicem.

2. Secundo igitur loco notandum eſt, *an Angeli beati liberam habeant voluntatem atque electionem*; hoc inter eruditos & aliquo iudicio præditos non controuerti. Et ratio eſt; quia ſubſtantiæ ſunt naturæque intelligentia & ratione præditæ, vt ſuprà demonſtratum eſt. Vbicunque enim intellectus eſt, quo bonum & malum verè cognoſcitur; ibi liberam eſſe voluntatem liberúmque arbitrium, neceſſe eſt: Quid eſt enim voluntas aliud, quã libera ab omni coactione facultas: qua in bonum cognitum naturaliter propenſi ferimur, malúmque auerſamur atq; reiicimus? Vt enim propenſio ad bonum in iis ſubſtantiis, quæ omni prorſus cognitione carent, *appetitus naturalis* appellatur: (omnia enim naturaliter appetunt bonum:) & eadem propenſio in iis ſubſtantiis, quæ ſenſuum duntaxat cognitione, ſingulare bonum ſibi obiectum percipiunt, *appetitus ſenſitiuus* dicitur: Ita eadem propenſio in ſubſtantiis, quæ mente & intellectu vniuerſale bonum, ipſámque boni rationem apprehendunt, vnde poſtea de ſingularibus obiectis, bonis & malis liberè iudicare & diſcernere queant, *voluntas* appellari conſueuit: Ac propter vtrumque, nempe propter talem boni & mali cognitionem atque iudicium: Et propter hanc in bonum ex tali iudicio propenſionem: id genus ſubſtantiæ, liberi eſſe arbitrij, & ex libero agere arbitrio dicuntur. Sunt autem Angeli ſua natura (vt ſuprà oſtenſum eſt) ſubſtantiæ inter omnes res creatas præſtantiſſimo intellectu, eóque optimo iudicio præditæ: neméque poſt Deum meliùs ipſis, bonum à malo diſcernere poteſt. Neceſſum eſt igitur, ipſos quàm maximè libera præditos eſſe voluntate, qua in bonum cognitũ propendeant atque ferantur: contrà verò malum auerſentur, omniáque ex verè libero agant arbitrio: Et eo quidem liberiorem nunc eos habere voluntatem, quàm initio, quo nunc etiam meliùs, lumine ſcilicet ſupernaturali cognoſcũt ſummum verúmque bonum, hoc eſt, Deum, quàm cùm illud lumine tantùm naturali perciperent. Ratio hæc à cognitione intellectus ducta, ad probandam liberam voluntatem, diligenter notanda eſt, ac retinenda. Hinc enim luculentiſſimè apparet, in quibúſnam liberior ſit voluntas, nempe in illis, qui etiam præſtantiori intellectu bonum cognoſcunt. Proinde Deus inprimis & maximè omnium, liberam habere voluntatem, & liberi eſſe arbitrij dicitur: quia is etiam omnium optimè nouit bona & mala. Deinde ſpiritus beati, qui ita bonum perfectè cognoſcunt, & in illud toto propendent animo atque affectu, vt ab eo declinare deficeréque non poſſint, verè libera voluntate præditi eſſe iudicantur. Poſtremò, nos homines in hac mortali carne poſiti, eóque intellectu variis tenebris, quaſi ſole variis nubibus obducto, præditi, liberi eſſe arbitrij dicimur: ac inter nos qui plus habent luminis Spiritus ſancti, meliúſque Deum ſummum bonum cognoſcit, is etiam liberior eſt. *Vbi enim ſpiritus Domini, ibi libertas*, ait Apoſtolus.

Neque enim libertas in eo conſiſtit, quòd quis poſſit à bono ad malum deficere, & tam malum, quàm bonum velle: ſed contrà potius ſita eſt in eo, vt quis ita perfectè bonum cognoſcat & à malo diſcernat, vt in bonum feratur: atque ita feratur & conſtanter velit, vt non poſſit velle cõtrarium, ſicut etiam aliàs declaratum eſt. Proinde illi rectè ſentiunt, qui ſcribunt: *liberum arbitrium Angeli medium eſſe inter diuinum & humanum*. Diuinum enim nunquam à bono ad malum mutari poteſt: ideò perfectiſſimè liberum eſt. Humanum ſemper poteſt, dum ſcilicet ſumus in hac vita. Angelicum potuit ante primam electionem, eóque ante confirmationem: Nunc non poteſt, ideóque minùs liberũ eſt, quàm diuinum, quàm humanum. Quare tantum abeſt, vt idcircò Angeli negandi ſint liberam habere voluntatem, quia beati ſunt, & quia fruuntur Deo ſummo bono, vt ab eo deficere ad malum non poſſint; Vt contrà potiùs hinc magis ac magis confirmetur libera ipſorum natura & voluntas. Liberum enim eſt quod liberum eſt à malo, nõ quod ad malum. Hoc eſt alterum, quod, quia ſuperiùs etiam explicatum fuit: idcircò diutiùs in hoc vel explicando, vel confirmando, non immorabor.

3. Tertio loco dicimus non pugnare cum Angelorum beatitudine, quòd dicuntur deſiderare, & ex conſequenti etiam ſperare: quæ actiones ſunt voluntatis. Qui enim deſiderat, ſi rem poſſibilem deſiderat: illam etiam ſperat atque exſpectat. Angelos autem affici deſiderio ſeu deſiderare, Petrus fatetur: in Epiſtola priori Petri primo capite: *In qua* (inquit) *deſiderant Angeli proſpicere.* Etſi enim beati ſunt Angeli, beatitudo autem plena eſt & perfecta ſimul poſſeſſio bonorum non abſentium, ſed præſentium: Deſiderium verò & ſpes bonorum ſunt abſentium: hæc tamen inter ſe in Angelis non pugnant. Ratio eſt, quoniam id, quod ipſi Angeli beati ſunt, propriè neq; deſiderant, neq; ſperãt. Præſens enim habent illud bonum, & præſenti fruuntur, nempe Deo. Deſiderant verò idem bonum aliis, hoc eſt, nobis electis omnibus qui illud nondum ſumus ita aſſecuti, vt ſimus eum ipſis beati; Et cùm hoc nobis deſiderent ex charitate & amore, quo ſunt erga nos affecti, certóque ſciant, nos tandem idem illud ſummum bonum conſecuturos propter Chriſtum: idcirco illud etiam ſperare, non ſibi, ſed nobis, dicuntur. Apparet igitur in Angelis quoque eſſe deſiderium & ſpem; non reſpectu ſui, ſed noſtri. At (inquies) Apoſtolus docet ad Corint. *omnem ſpem deſituram, ſicut etiam fidem, at charitatem ſolam manſuram*, quod hæc

nunquam

nunquam excidat. Reſponſio facilis eſt, Apoſtolum loqui de ſpe, qua nobis ipſi beatitudinem ſperamus, cœleſtiáque bona nobis cum patientia expectamus. Talem ſpem in Angelis non collocamus. (Quod enim quis videt, quid ſperet?) Sed eam tantùm, qua id, quod ipſi iam poſſident, nobis quoque certò expectant & ſperant. Imò ex loco Apoſtoli magis confirmatur noſtra ſententia. Si enim charitas nunquam excidit, ac proinde Angeli nos ſemper & ſincerè amant: efficitur illos nobis cupere, eóq; & ſperare eandem, qua & ipſi fruuntur, bonam æternámque vitam. Hoc etiam eſt perſpicuum.

4. Quarto loco aſſeruimus in Theſi, *Angelos præditos eſſe virtutibus, non tam ijs, quas vocant intellectuales*, hoc eſt, *διανοητικάς*, vti eſt ſapientia, ſcientia, intellectus, τῶν ἠθικῶν. de quibus non tanta eſt diſceptatio, an ſint in Angelis: *ſed præditos eſſe etiam diximus, virtutibus, quæ propriè morales vocantur*, iam quæ circa paſſiones: quàm quæ circa actiones verſantur. quarum hæ quatuor, quia præcipuæ ſunt, *cardinales*, ab Ambroſio, & à multis alijs vocari ſolent: nempe, *iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia*. Videntur enim hæ cadere non poſſe in beatum, præſertim in Angelum, qui neque paſſionibus obnoxius eſt, vt opus habeat fortitudine & temperantia. Neque verſantur circa actiones politicas & perplexas atque difficiles, vt neceſſaria ſit illis prudentia & iuſtitia. Deinde neque iraſcibilis, quæ obiectum eſt temperantiæ: in Angelos cadunt: cùm hi affectus, paſſiones ſint partis ſenſitiuæ, qua carent Angeli.

Quomodo igitur, inquies, tales virtutes in Angelis à te conſtituuntur? Reſponſio eſt, haſce virtutes, quatenus deſcribuntur ab Ariſtotele in Ethicis, à nobis non conſtitui in Angelis. A Philoſophis enim non definiuntur & conſiderantur, niſi quatenus ad præſentem hanc vitam bene beatéque viuendam & traducendam, nobis neceſſariæ ſunt: quando etiam nos, cùm tum ex carne, tum varijs paſſionibus atque affectionibus, tum diuerſis, quæ extrinſecus accidunt, vel imminent malis, obnoxij ſumus: aduerſus quæ omnia opus eſt hiſce virtutibus moralibus, prout à Philoſophis deſcribuntur, & in ſacris etiam literis commendantur.

Cæterùm, negari etiam non poteſt, quin quicquid virtutis in nobis eſt: illud etiam ſit in Angelis, ſed præſtantius, præſtantioríque modo. Omnia enim bona, quæ reperiuntur in inferioribus ſubſtantiis ſunt etiam in ſuperioribus, & quidem perfectiora atque plura. Annon enim quicquid virtutis & perfectionis in creaturis, quæcunque illæ ſint, ſpectatur: totum illud meritò confitemur eſſe in Deo? Omninò: ſed longè perfectiùs & perfectiori ratione in Deo eſt, quã in nobis aliiſve creatis rebus. Abſurdum igitur non eſt, neque cum vera beatitudine pugnat, quòd dicimus, virtutes omnes etiam immortales in Angelis eſſe: cùm non tales, nec eo modo in ipſis eſſe dicamus, quales & quomodo in nobis ſunt, ſed perfectiores & perfectiori modo: ab omni nimirum eo, quod imperfectionem ſignificat, defæcatas & repurgatas. Nam tales etiam erunt in nobis, cùm ad eam peruenerimus beatitudinem, in qua & Angeli ſunt: quemadmodum ſcitè & eleganter explicat Auguſtinus tomo 3. De Trinit. lib. 14. c. 9. Et poſt Auguſtinum Beda tomo 3. in Exodi cap 26. Quæ ſcribit Auguſtinus, prolixiora ſunt, quàm vt poſſint ſine moleſtia aliqua & tædio recitari: Summa eſt, Futuram ibi fortitudinem, ſine moleſtia tolerandorum malorum: Temperantiam, ſine repugnatione libidinum: Fortitudo enim erit ibi, quia firmiſſimè Deo cohærebimus: Temperantia erit ibi, quia nullo defectu noxio delectabimur: Prudentia erit ibi, quia Deo nullum bonum præponemus, aut æquabimus, atque ita de reliquis. Idem igitur dicimus etiam de Angelis. Proinde rectè Beda in hæc verba ſcribit, loco ſuprà citato: *Columnæ, ante quas expanſum eſt velum, poteſtates ſunt cœli, quatuor eximiis virtutibus præclaræ, hoc eſt fortitudine, prudentia, temperantia, iuſtitia: quæ aliter in cœlis ſeruantur ab Angelis & animabus ſanctis, quàm hic à fidelibus.* Ita quæcunque vel in ſcripturis, vel in profanis ſcriptoribus de virtutibus Angelorum leguntur, vt de eorum liberalitate, fortitudine, humanitate, iuſtitia, aliiſque id genus virtutibus: ea intelligenda ſunt eo ſenſu, quem iam declarauimus: nempe virtutes has eſſe in Angelis, non tales, quales vel in nobis ſpectantur, vel à Philoſophis definiuntur. Sed ita perfectas, vt & careant omni vitio, & nullum adferant laborem, moleſtiam, difficultatem: Et in animis tantùm eas reſidere, non autem in vllo corporeo affectu: cùm careant omnibus iis rebus ſpirituales Angelicæque ſubſtantiæ: & effecta potiùs virtutum in Angelis eſſe dicendum eſt, quàm virtutes ipſas propriè acceptas. Hinc facilis ſuppeditatur reſponſio ad quæſtiones inſequentes, quæ ſunt de affectibus Angelorum, amore, odio, ira, gaudio, &c.

DE AFFECTIONIBVS, AMORE, ODIO, IRA, &c.

CAPVT XIII.

QVæri etiam ſolet, *quo ſenſu intelligendæ ſint ſcripturæ, cùm Angelis attribuunt affectiones, amorem, odium, lætitiam, triſtitiam* & alia huius generis. Nos breuiter reſpondemus.

THESIS.

Tametſi Angeli verè dicuntur amare Deum, ſeſe mutuò & nos, omniáque bona, odiſſe autem mala: gaudere item noſtra reſipiſcentia & ſalute: contra verò triſtari noſtris peccatis, & angere calamitates noſtras. Et quæ nobis præſtant officia, non ſolùm vt Deo obediant, verùm etiam ex amore erga nos, ea aliáque id genus, quæ affectum aliquem ſignificant, præſtare prædicantur: tales tamen affectus, quibus nos in hac mortali vita obnoxij ſumus, in Angelis fingendi non ſunt, ſed omnia pro ratione Angelicæ & ſpiritualis ſubſtantiæ cœleſtiſque vitæ intelligi debent.

CONFIRMATIO.

Theſis perſpicua eſt per ſe & certa. Ne tamen eam nudam eſſe ſinamus, teſtimoniis aliquot & rationibus muniemus atque ornabimus. Sunt autem quatuor Theſeos membra.

Principio, de amore Angelorum erga Deum, non eſt, cur cũ Scholaſticis diu diſputemus. Mirabiles enim illi proponũt quæſtiones, vanas nimirum & inutiles, ne quid deterius dicam. Nobis ſatis eſſe debet, *Deum ſuper omnia ab Angelis amari*. Hoc enim certiſſimum eſt de ſacris literis. 1. Nam Deus iubet, idque lege naturali atq; æterna ſanciuit, vt priori loco, ſe toto corde, tota anima, totis viribus, hoc eſt, perfectiſſimo amore, & ſuper omnia, tam Angeli, quàm nos amemus. Huius autem legi non poſſunt non conſentire & ipſa ex animo obtemperare beati omnes. Vſque adeò enim voluntates ſuas conformatas habent ad voluntatem diuinã, & cùm illa conſentientes, vt ſi vel minima in parte ab ea diſſentiant, beati eſſe non poſſint. Qualis enim beatitudo, ſi nolint, quòd vult Deus, & velint, quod ille non vult? Pugnat hoc cum vera amicitia, quæ præcipua pars eſt beatitudinis. Amicorum enim idem eſt velle & nolle. Ratione igitur à beatitudine Angelorum ducta, euincitur, fieri non poſſe, quin Deum ſuper omnia, & perfectiſſimo amore complectantur. 2. Cognoſcunt item ac vident facie ad faciem Deum ſummum bonum. Amant igitur eum ſuper omnia. Voluntas enim naturaliter in ſummum cognitum obiectum fertur: Et, vt ſe habet cognitio, ita & amor. 3. Denique præceptum de dilectione perfectè à nobis implebitur in patria, quia Deus erit omnia in omnibus, hoc eſt, regnabit in omnibus nobis, citra omnem contradictionem concupiſcentiæ. Ergo etiam ab Angelis impletur. Huc referenda ſunt omnia, quæ de obſequiis Angelorum leguntur, & quòd ſtent in conſpectu Dei, quòd eum laudent, quòd ei miniſtrent. Omnia enim teſtimonia ſunt amoris erga Deum.

Deinde de amore erga nos, nempe quòd non minùs nos, quàm ſeſe ipſi ament, noſtramque cupiunt ſalutem, atque vt eam aſſequamur, nihil non agant: iiſdem rationibus facilè euincitur. *Beati ſunt*: volunt igitur quod Deus: & amant, quos à Deo electos, & per Chriſtum redemptos, ab vtroque amari norunt. Vident autem in verbo, & tum ex reuelatione, tum ex effectis ſciunt nos amari a Deo ad æternam vitam & electos eſſe, vt ipſorum fratres conſortéſque cœleſtis hæreditatis eſſemus. 2. Cognoſcunt etiam hoc eſſe bonum, & ad ſuam quoque ipſorum felicitatem pertinere, vt nos in locum malorum Angelorum, qui è Cœlo propter ſuam iniuſtitiam in locũ tenebrarum, detruſi ſunt, ſuccedamus. Hoc igitur volunt & amant. 3. Ac ſicut in Cœlo fit ab ipſis volũtas Dei in hac parte, quòd ſcilicet Deum diligant ſuper omnia, vt lex iubet: Ita etiam in hac altera parte eadem Dei voluntas ab ipſis impletur, vt ſcilicet nos diligant ſicut ſeipſos. Atque hoc eſt, quod precamur quotidie, dicendo: *Fiat voluntas tua* (ſcilicet à nobis) *ſicut in cœlo*, nempe ab Angelis iiſq; beatis, vt ſcilicet tuam ſeruemus legem: te ſuper omnia amando, &

noſtrum proximum, ſicut nos ipſi, diligendo: quemadmodum & illi perfectè vtrumque in Cœlo faciunt.

4. Denique ab effectis amoris, tam internis, quæ ſunt, cupere nobis ſalutem, & eam nobis partam gaudere, & contrà triſtari noſtra impœnitentia, peccatis, aliiſque malis: quàm externis, quæ ſunt, noſtri curam gerere, cuſtodire, omnia officia præſtare, quibus noſtra promoueri poſſit ſalus, vt mox videbimus. Ex iis, inquam, amoris, tam internis, quàm externis effectis, liquidò etiam apparet, quanto nos amore proſequantur Angeli. Quæ enim nobis præſtant officia: ea non ſolùm ex amore erga Deum, & vt eius voluntati obtemperent: Verùm etiam ex beneuolentia erga nos, & vt noſtram promoueant ſalutem, præſtant atque perficiunt.

Nam, vt ad *tertium* accedamus membrũ, Angelos noſtram cupere & ſitire ſalutem: lætari noſtra reſipiſcentia & contrà triſtari noſtris peccatis, gaudere noſtra gaudia & felicitatẽ, & dolere noſtros dolores atque mala: abundè docent ſcripturæ. Petrus ait Epiſtola 1. capite 1. *Angelos teneri deſiderio proſpiciendo in ea, quæ nobis præparata fuerunt, & annunciata per Euangelium, noſtram ſcilicet redemptionem æternámque ſalutem.* Hac de cauſa, cùm peccamus, ſicut Spiritus ſanctus contriſtatur, vt docet Apoſtolus, *Epheſ.* 4. Sic etiam Angeli dolore quodam afficiuntur: Contra verò, cùm à peccatis reſipiſcimus, quia reſipiſcentia vident noſtram promoueri ſalutem, gaudent & lætantur, vt docet Chriſtus Lucæ 15. Et ob quam obſecro cauſam prædicantur in ſcripturis *laudare ſemper Dominum*? 1. Laudant certè Deum, quia per ſe laude dignus eſt: Laudant item, quòd is erga ſe bonus & beneficus ſit: Laudant quoque, quia illius ſapientiam & bonitatem erga omnes declaratam vident. Sed non poſtremo quoque loco laudant noſtróque nomine gratias agunt, quòd nos elegerit, quod amarit à conſtitutione Mundi, quòd redemerit per Filium, quòd ſanctificet ſuo Spiritu, quod denique ſeruet & ſuis cumulet benedictionibus. Et huc ſpectant alíquot Pſalmi, in quibus inuitantur Angeli à Propheta ad laudandum Deum pro beneficiis ſiue ſibi in ſe & in nos à Deo collatis. Nihil igitur certius quàm Angelos noſtra ſalute delectari, & ex noſtra reſipiſcentia lætitiam capere non paruam. Turbari verò noſtris peccatis, noſtráque perditione & omnibus aduerſis.

3. At ſi Gen. 6. *Deum legimus tactum dolore cordis*, intrinſecus pœnituiſſe, *quod fecerit hominem*: Etſi, cùm peccemus, dicimur contriſtare Spiritum S. Quidni de Angelis idem ſentiendum, & dicendum eſt? Atque hæc de electorum, vel peccatis, vel reſipiſcentia & ſalute manifeſta ſunt. Sed an Angeli triſtentur propter reproborum impœnitentiam, & an illorum perditionem ac damnationem doleant, necne, controuertitur. Nam ſunt, qui ſentiunt, ſimpliciter horum quoque interitum Angelos dolere, & impœnitentia contriſtari, iis adducti rationibus.

1. Quoniam, cùm Deum ardentiſſimè diligant, eiúſque cupiant promoueri gloriam, cultum & honorem fieri non poteſt, quin contrà maxima afficiantur triſtitia ob contumelias & iniurias, quas Deo fieri à reprobis vident.

2. Quoniam quod de Deo legimus Gen. 6. *cum dolore cordis tactum pœnituiſſe, quod fecerit hominem*. hoc non tam ad peccata electorum, quàm etiam reproborum refertur. Ergo etiam Angeli non ſolùm de peccatis & calamitatibus electorum, verùm etiam de ſceleribus reproborum dolorem & triſtitiam capiunt. 3. Angeli item omni pietate & charitate abundant: Fieri igitur nequit, quin ipſorum quoque reproborum, quos vt Dei creaturas & imagines amant peccata & interitum doleant.

Contrà alij ſcribunt, *Thom. 1. par. queſt. 113. art. 7.* Angelos nulla affici commiſeratione erga reprobos propter ipſorum interitum: ac proinde neque illorum impœnitentiam dolere. Rationem adferunt, quoniam triſtitia & dolor non ſunt, niſi de iis, quæ opponuntur & repugnant voluntati: vt ſcitè præter Philoſophos, etiam Auguſtinus docet. Cur enim dolemus vt iacturam bonorum vel noſtri nominis traductionem, vel malam corporis valetudinem, vel animæ interitum? Quia pugnant cum voluntate noſtra. Vellemus enim eſſe ſani, diuites, honorati: vnde etiam qui verè dolent de peccatis, apertiſſimum dant teſtimonium, ſuam ipſorum voluntatem eſſe bonam: Et peccata ipſa cum ſua ipſorum voluntate pugnare. Eſt autem manifeſtum, Angelorum voluntatem conformatam eſſe prorſus ad voluntatem diuinam, eaque velle, quæ & Deus. Deus autem ex æterno ſuo decreto vult reproborum mortem, & quæcunque illis accidunt aduerſa. Non poſſunt igitur Angeli dolere reproborum interitum. Et propter ipſorum impœnitentiam triſtitia affici. Huc ſpectat quod etiam Gregorius primus in Homilia de Lazaro & diuite ex Lucæ 16. ſcribit: *Iuſtorum* (inquit) *anima, quamuis in ſua bonitate natura miſericordiam habeat, tamen auctoris ſui iuſtitia iam vnita, tanta rectitudine conſtringuntur, vt nulla ad reprobos compaſſione conſtringantur.* Hæc ille ex eo, quod neque Abrahamus compatiebatur epuloni diuiti in inferno exiſtenti. Imò eadem ratione concludunt, Angelis nullam etiam ex peccatis & pœnis electorum accedere triſtitiam vel dolorem: propterea, quòd nihil electis accidit, niſi ex voluntate diuina. Nam licet auctor non ſit illis vt peccent, ſed peccatum potiùs illis prohibeat: quod tamen permittit illos peccare, non niſi volens permittit: ac quòd illorum peccata vlciſcatur, omnino volens ex ſua iuſtitia vlciſcitur. Angeli autem, vt dictum eſt, volunt in omnibus & per omnia (vt dici ſolet) quod vult Deus. Concludunt: Ergo, neque de hominum culpis, neque cuiuſpiam damnatione triſtantur Angeli: ſed vtrobique lætantur de diuina iuſtitia & iuſta eius permiſſione, ac debita prauorum punitione.

Verùm, vt paucis ex hac quæſtione me expediam: tenenda eſt diſtinctio voluntatis diuinæ, aliàs in attributo de voluntate Dei tradita. Vnica quidem eſt volũtas Dei, ſed quatenus partim eſt reuelata in lege, partim non reuelata, catenus duplex eſſe dicitur: vna *reuelata*, altera *arcana*. Si itaque ſpectes voluntatem reuelatam, vbi omnia prohibentur ſcelera, & vbi eam ſeruantibus promittitur vita æterna, non ſeruantibus autem æternum prædicitur exitium: vbi deniq; quiſque etiam iubetur ſuum diligere proximum ſicut ſeipſum, & Dei gloriam promouere peccataq; tum ſua, tum aliorum deplorare, quia ea etiam cum gloria Dei pugnant & cauſa ſunt exitij, malorúmque omnium proximi noſtri. Si itaque hanc ſpectes voluntatem: dici aliter non poteſt ex ſcripturarum conſuetudine, quàm Angelos dolere, deplorareque cuiuſque hominis tum ſcelera, tum exitium: quemadmodum prior habet ſententia: Et iure. *Si enim ſcriptura* ait *peccatis noſtris contriſtari Spiritum ſanctum.* Epheſ. 4. Et, *Deum tactum fuiſſe dolore cordis, cùm vidiſſet tantam hominum malitiam ſuper terram:* Et, *eum non delectari perditione peccatorũ: ſed potius velle vt reſipiſcat & viuat:* Et aliis ſimilibus ſæpenumerò phraſibus vtitur ſcriptura de Deo: Cur non eadem de Angelis dicenda ſunt: quippe qui amant legem Dei & eius gloriam noſtrámque ſalutem?

Cæterùm, ſi ſpectes voluntatem Dei arcanam, qui ſemper ſit, & iuſtiſſima eſt: certum eſt, Angelos quoque velle quicquid Deus vult, & complemento illius voluntatis delectari: Et illud gratulari iuſtitiæ Dei: ſicut altera definit ſententia: Ac proinde, ſicut ſimpliciter & abſolutè loquendo, nihil in mundo fit ſine volũtate Patris: ſic etiam nihil fieri dicimus, quod quodammodo nolint & Angeli? Ac quod dico, doctrina etiam Philoſophorum confirmo. Tradit Ariſtoteles in 3. Ethic. abſurdum nõ eſſe, vt quædam dicantur ἀκούσια, καὶ ἑκούσια *inuoluntaria & voluntaria*. diuerſis reſpectibus, nempe ſimpliciter, & ſecũdũ quid, ſeu in genere abſolutéque & propter certos particulares reſpectus: atque ita ſpectari in nobis duplicem quodammodo voluntatem: Vnam quidem, qua in genere aliquid nolumus: alterã verò, qua in ſingulari, & propter ſingulares cauſas idem velimus. Exempla adfert præter alia nautæ, qui propter exortam tempeſtatem, in mare conijcit merces omnes, vt vita ſua & aliorũ ſeruetur. Ἑκουσίως ne, ἀκουσίως hoc fit à natura? Vtroque ſanè modo, voluntariè & inuoluntariè propter diuerſos reſpectus. In genere quidem & ſimpliciter, non vult iacturam mercium: At in particulari eam vult, propter maiorem vtilitatẽ, quàm ſit mercium in naui conſeruatio: ac proinde actio hæc magis eſt voluntaria, quàm inuoluntaria, propterea quòd illud propriè & ſimpliciter videtur voluntarium, quod in particulari omnibus ſpectatis circumſtantiis tandem volumus & facimus. Sic igitur etiam dicimus, Angelos in vniuerſum quidem nolle, ſed deteſtari hominum omnium peccata, & odiſſe ac dolere cuiuſque mortem atque exitium, quæ reuera ſimpliciter per ſe & in genere bona non ſunt, Sed in ſingulari, ſpectata Dei iuſtitia atque voluntate, qua & iuſtè permittit peccata fieri, & iuſtiſſimè ea porrò vlciſcitur: verè dicuntur ea velle omnia, nempe in illis, in quibus eadem etiam vult Deus. Quare abſurdum non eſt dicere diuerſis reſpectibus, Angelos eandem rem velle & nolle, dolere & non dolere, triſtitia affici & non affici.

4. Quod ſiquis in vniuerſum obiiciat, fieri non poſſe, vt in Angelos vllus cadat dolor aut triſtitia, cùm ſint beati, & cùm ſcriptura apertè dicat Apocal. 21. *In Patria illa cœleſti ſicut nulla eſt mors: ita etiam nullam futuram eſſe triſtitiam, clamorem, dolorem*: Reſponſio facilè ſuppeditatur ex Theſi noſtra, nullum ibi cogitandum eſſe dolorem, triſtitiam, imò neque gaudium aut lætitiam, vllumve affectum carnalẽ. Sed hæc in Angelis conſideranda & intelligenda eſſe pro natura

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ ſpiritualis, cœleſtis, beatæ, glorioſæ. Vt enim ibi eſt fortitudo (ſicut ex Auguſtino oſtendimus) ſine moleſtia tolerandorum malorum: Et temperantia ſine repugnatione libidinum: Ita ibi eſt dolor de peccatis noſtris, ſine paſſione, ſine triſtitia, ſine affectione, atque ita de reliquis. Impropriè enim iſti affectus de ſubſtantiis illis beatis prædicantur. A ſcripturæ tamen conſuetudine recedendum non eſt, ſed vt loquitur Spiritus ſanctus: ita nobis quoque notandum eſt.

DE OFFICIIS ANGELORVM: déque finibus, propter quos Deus ipſorum vtatur operis & miniſterio.

CAPVT XIV.

DOCTRINA de officiis Angelorum, déque illorum miniſterio, vtiliſſima eſt. De iis itaque hæc eſto

THESIS.

Multa & varia ſunt Angelorum officia, quibus Deus, cùm ad alia multa, tum præſertim ad Electorum ſalutem vtitur, idque neque ex neceſſitate, neque ex Angelorum meritis, ſed pro ſua bonitate & gratia, partim ſuæ gloriæ magis ac magis illuſtrandæ cauſa, partim in bonum ipſorum Angelorum, partim propter ordinem totius vniuerſi, partim ad maiorem noſtri conſolationem, partim denique amicitiæ inter nos & illos magis ac magis conſeruandæ & augendæ gratia facit.

EXPLICATIO.

QVatuor ſunt membra huius Theſeos. *Primum* eſt *de officiis ipſis Angelorum*, ea nimirum *eſſe multa & varia*. Sunt enim *miniſtri Dei* Pſ.104. & Hebr.2. & Pſ.103. *Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Sunt miniſtri Chriſti*: quà homo & Meſſias eſt. Matth.4. & alibi in nouo Teſtamento. *Sunt miniſtri noſtri*, Hebr.1. & multa nobis præſtant officia, quæ poſtea ſummatim explicabuntur. Meritò igitur diximus, eorum officia eſſe multa & varia. Hoc eſt primum.

Alterum membrum eſt *de vſu, ad quáſnam res vtatur ipſorum miniſterio Deus*: nempe ad multas, ſed præſertim ad electorum ſalutem. Vtitur enim ad ſui gloriam celebrandam, & ad ſuam voluntatem exequendam. Ideò Pſalm.103. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonis eius*: & Ieſ.6. *Seraphin clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, &c. Vtitur item ad totius mundi gubernationem & conſeruationem: vt etiam Philoſophi docuerunt, per *Angelos moueri cœlos*, & hæc inferiora temperari ac conſeruari. Atque huc etiam facit, quod Cherubini leguntur poſiti fuiſſe ad cuſtodiendum Paradiſum, Gen.3. Inprimis verò vtitur Angelorum miniſterio ad ſalutem noſtram promouendam. Ideò Apoſtolus contentus fuit hunc vnum vſum explicare, quòd ſciret, hunc eſſe præcipuum dicendo Hebr.1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Id verò maxime apparet in ſacris literis, vbi ferè, cùm mentio fit Angelorum, officia aliquot nobis præſtita commemorantur, & ad nos mitti dicuntur. Cùm verò *ſalutem noſtram* dico, non ſolùm animæ, verùm etiam corporis ſalutem intelligo: quanquam imprimis animæ. Nam cum diaboli hoſtes noſtri ſint capitales, & nos circumſtent, niſi Angeli boni, ex mandato Dei, & pro ſua erga nos amore, nos aduerſus illos tuerentur, diaboli irruerent in nos, & ipſa etiam corpora noſtra variis afficerent malis; quemadmodum ante aduentum Chriſti, & ante factam redemptionem legimus frequenter contigiſſe. Multorum enim corpora obſidebantur à diabolis, multò frequentiùs, quàm poſt perfectum opus redemptionis in cruce. Sed propter Chriſtum per Angelos bonos nunc detinentur dæmones, ne hæc & alia multa mala hominibus inferant. Vt verè dixerit Chriſtus: *Nunc princeps mundi eyicietur foràs*: Eiectus enim fuit foràs per Chriſtum, vinctus catenis, vt non poſſit pro ſua libidine nobis nocere. Manet quidem adhuc in mundo, & quidem in hoc aëre, vt Apoſtolus docet; Sed adempta eſt illi per Chriſtum tanta poteſtas, quanta antea vtebatur. Angeli itaque noſtra quoque tuentur corpora aduerſus malos ſpiritus: Sed imprimis ad ſalutem animæ promouendam, illorum miniſterium ordinauit Deus.

Tertium membrum Theſeos cauſas continet impulſiuas: quarum duæ excluduntur, neceſſitas Dei, & merita Angelorum: & duæ iis contrariæ opponuntur, bonitas Dei & eiuſdem gratia. Nam primùm Deus non opus habet vlla re, neque vllius creaturæ, eóque nec Angelorum miniſterio, vel ad ſuam gloriam illuſtrandam, vel ad mundum regendum, vel ad ſalutem noſtram promouendam, vel iudicia exequenda, cùm omnia poſſit ipſe ſuo nutu & verbo: ſicut etiam omnia verbo condidit, & verbo etiam regit, vt Hebr.1. loquitur: *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ*. Sed pro ſua bonitate immenſa dignatur ſibi adhibere coadiutores & miniſtros ad mundi & Eccleſiæ gubernationem. Deinde Angeli honorem hunc & dignitatem non ſunt promeriti. Nam ad hæc officia illos deſtinârat, antequam crearentur: Et ad hæc porrò creauit Deus, vt Dauid canit Pſalm.104. *Qui creat Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Ex ſua igitur gratia & ſua εὐδοκίᾳ ad omnia, quibus funguntur, miniſteria, ſicut etiam ad æternam felicitatem elegit Angelos ſuos Deus.

Quartum & poſtremum membrum continet cauſas finales, propter quas Deus Angelorum officiis & miniſterio ad ſuprà dictos vſus vtitur. Sunt autem quinque: Prima ac princeps cauſa eſt gloria Dei: Sicut etiam hæc eadem cauſa eſt finalis reliquarum rerum omnium. *Omnia enim propter ſemetipſum creauit Deus: Et fecit & facit: Et vult etiam vt nos faciamus. Omnia*, (inquit Apoſtolus) *in gloriam Dei facite.* Gloria enim Dei maximè relucet ex miniſterio Angelorum. Proinde Daniel oſtenſurus gloriam & maieſtatem Dei, miniſterium tot millium Angelorum in medium protulit, dicendo: c.7. *Millia millium aſſiſtebant ei: Et decies centena millia miniſtrabant ei.* Vnde primum etiam ac principale officium Angelorum eſt, vt Deum laudent, eius gloriam, bonitatem, potentiam, ſapientiam prædicando. Sicut in Pſalmis apparet, ſic etiam in natiuitate Chriſti priori loco gloriam Dei prædicarunt, Deinde ſalutem mundi nunciarunt: dicentes; *Gloria in Excelſis Deo*, &c. Hic igitur *primus* ac princeps finis eſt totius miniſterij Angelici gloria Dei.

Alter eſt, bonum ipſorum Angelorū. Quòd enim Deus vtatur illorum miniſterio ad res tam multas, tā magnas, tam bonas, tam præſtantes, tam honorificas: annon illis cedit in magnam dignitatem, honorem, vtilitatem? Annon hæc eſt Angelorum beatitas & felicitas, quòd digni facti ſint, qui Deo perpetuò adſiſtant, qui eum videant, qui eius iuſſa capeſſant, qui eius iudicia exequantur, qui denique ei in mundo regendo, nobíſque ſeruandis miniſtrent, & quaſi coadiutores & συνεργοὶ ſint facti? Habent igitur, cur perpetuò agant gratias Deo, illúmque benedicant, pro officiis, quibus ſe dignatus eſt.

Tertius finis eſt ordo & pulchritudo vniuerſi. Hoc enim poſtulabat εὐταξία mundi, vt per ſuperiores, eóque præſtantiores ſubſtantias inferiores regerentur, tam cœli & elemēta, quàm homines. Nihil enim in mundo voluit eſſe Deus otioſum: cùm neque ipſe vnquam otietur, ſed ſemper operetur, vt Chriſtus teſtatur apud Iohannē, 5. dicens: *Pater meus operatur & ego operor.* Officia autem ſunt ſingulis rebus à Deo diſtributa, pro ſua immenſa ſapientia, & cuiuſque rei natura, qualitate, & dignitate: quemadmodum facilè eſt videre, ſi diligenter ſingula rerum genera contemplemur. Terra, quia ſolida eſt, & inſtar pauimenti totius huius domus, ſuſtentat animalia, recipit ſementes, & profert fructus multos atque varios, ad quam rem neque aqua, neque aër, neque ignis idonei ſunt. Aqua verò ad piſces gignendos, continendos, fouendos, ad terram humectandam, ad cibos è fructibus terræ parandos, ad animalia potanda & recreanda, ad ſordes tollendas, & ad alios vſus pro ſua natura accommodata eſt. Idem de aëre, igne, cœlis, aliiſque rebus dico. Hunc autem ordinem à Deo in Natura poſitum eſſe, vt ſuperiora influant in inferiora, & per illa regantur illa, præterquā quòd res eſt manifeſta, id docuit Hoſeæ 2. cap. Deus, dicendo: *Ego exaudiam cœlum, cœlum exaudiet terram, Terra exaudiet frumentum* & cætera. Ordo igitur vniuerſi poſtulabat, vt Angelis hæc tribuerentur officia, quæ attributa eſſe videmus in ſacris literis.

Quartus finis fuit, vt maior inde nobis accederet conſolatio. Magnum certè incredibiléque ſolatium eſt nobis hominibus noſſe certò, nos omnino curæ eſſe Deo: ita vt nihil nobis contingat, & ne capillus quidem cadat de capite noſtro ſine voluntate Patris noſtri Dei, in quo viuimus, mouemur & ſumus, & qui oculos ſuper nos ſemper intentos habet. Sed quoniam hoc addit conſolationem quòd è ſcripturis nouimus, nos vſque adeò caros eſſe Deo

Patri, vt non ſolùm cœlos omnéſque corporeas viſibiléſque ſubſtantias noſtra cauſa crearit, noſtróque vſui tradiderit: verùm etiam Angelos omnes, qui ſunt innumerabiles, ſubſtantias nimirum ſuapte natura nobis longè præſtantiores, deinde etiam beatas & felices, nobis cuſtodiendis, regendis, contra hoſtes tuendis, & omni officiorum genere afficiendis deſtinârit? Sunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. Iis mandauit, vt cuſtodiant nos in omnibus vijs noſtris: Si diabolus accedit, vt nos infeſtet & tentet, ij pro nobis illi reſiſtunt, nóſque tuentur, & alia innumera, vt mox videbimus, nobis præſtent officia, ac beneficia. Atque hæc cauſa eſt, cur ſubinde in ſcripturis mentio fiat Angelorum, eorum explicentur officia, & exempla paſſim proponantur eorum, quibus apparuerunt, adfuerunt, opem tulerunt & inſeruierunt Angeli noſtræ ſcilicet conſolationis gratia, vt ſciamus propter Chriſtum, Angelos, licèt noſtris oculis inuiſibiles, nobis tamen ſemper adeſſe, vt tanquam miniſtri Dei, nobis in omni neceſſitate inſeruiant. Ita fit, vt ſi reliqua omnia (de ſententia Pauli) quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus: Hæc etiam omnia, quæ de officijs Angelorum in ſcripturis traduntur, ad noſtram maximè pertineant conſolationem. Dum enim viuimus, Angeli cuſtodiunt nos, iuxta illud, *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Cum morimur, deferunt illi animas noſtras in Cœlum, vt Lucæ decimo ſexto docemur exemplo Lazari mendici. Ab Angelis enim importatus fuiſſe legitur in ſinum Abrahæ. In fine autem ſeculi, oſſa noſtra omnia colligent vt animis denuò vnita reſurgant ad vitam, ſicut Chriſtus docet Matthæi vigeſimo quarto. In cœlis verò erimus cum Angelis, & ſicut Angeli Dei. Ita ab initio vitæ noſtræ ad finem vſque nobis ſemper inſeruiunt.

Quare hæc non poſtrema eſt cauſa, cur Deus, cùm per ſe ſolum poſſit omnia, miniſterio tamen vti velit Angelorum, ad ſalutem noſtram promouendam: nempe vt hinc maxima nobis accedat conſolatio, quòd videamus tam excellentes creaturas propter nos eſſe creatas, & ad obſequia noſtra deſtinatas. Quantus obſecro eſt hic honor, quo nos afficit Deus, quòd Angelos nobis dedit famulos? Neque dubium eſt, Apoſtolum huc ſpectaſſe, hoc eſt ad conſolationem fidelium, cùm dixit, *Angelos omnes eſſe ſpiritus adminiſtratorios in miniſterium miſſos, propter eos, qui hereditatem capient ſalutis*. Hæc eſt quarta finalis cauſa. Neque etiam obſcura eſt quinta & vltima, quam attulimus, cur ſcilicet Deus Angelorum miniſterio erga nos cuſtodiendos, regendos, ſeruandos, vtatur: nempe, vt hinc magis ac magis amicitia inter nos & Angelos, per Chriſtum conciliata conſeruetur & augeatur. Beneficiorum enim collatione & receptione amicitia coaleſcere & augeri ſolet. Nam principio, tum Philoſophorum ſententia, tum ipſa experientia hoc conſtat, amorem, quo magis officijs, obſequijs & beneficijs erga perſonam amatam exercetur: eò etiam ſemper fieri maiorem. Vnde & ad quæſtionem, vter magis amet, qui beneficium confert, an qui accipit, reſponſum eſt à ſapientibus, illum qui confert. Et quò quis diutiùs alicui inſeruit, ſi præſertim hoc faciat ex animo, & ex amore, vt Angeli certè nobis inſeruiunt: eò etiam in dies maiori erga eum, cui inſeruit, amore afficitur: ſiue Doctor erga ſuam ſcholam, ſiue Paſtor erga Eccleſiam, ſiue pędagogus erga ſuũ diſcipulũ, ſiue aliquis ciuis erga ſuum Principem, ſiue mater & pater erga ſuos liberos: ſiue denique famulus aut ancilla erga ſuum herum atque dominam. Dubitãdum igitur non eſt, quin ex tam multis diuturníſque & magnis Angelorum officijs, ipſorum erga nos amor, ſuo quodammodo, indies augeatur. Deinde verò, ſi nos quoque, quantus ſit erga nos ipſorum amor, qualiaue & quanta nobis præſtent obſequia ac beneficia, diligenter perpenderemus, fieri non poſſet, quin viciſſim erga illos magis ac magis afficeremur amore & reuerentia. Quod verò non afficiamur, in cauſa eſt infidelitas, vel ſaltem incogitantia noſtra, quod ſcilicet vel non credimus, vel non cogitamus, Angelos nobis ſemper aſſiſtere, adeſſe, inſeruire, innumeráque beneficia ſingulis diebus & horis præſtare, eaque ex ſummo erga nos amore. Interim noſtra ſtupiditas non impedit, quin finalis hæc cauſa firma maneat: nempe idcirco Deum voluiſſe & velle Angelos noſtros eſſe miniſtros & famulos, vt ex liberali illorum famulatu amor tum ipſorum erga nos, tum noſter erga illos in dies augeretur. Et ita amicitia inter nos magis ac magis coaleſceret: ad quod ſi in præſentia, ad nos quod attinet, non fit, fiet certè vbi hinc exceſſerimus, & cum illis in cœlo æterna fruemur Dei viſione. Tunc enim re ipſa ſentiemus, quanta fuerit ipſorum erga nos beneuolentia. Et quot quantáque beneficia nobis præſtiterunt. Nam eadem eſt cauſſa, cur etiam in præſentia non ita amemus Chriſtum, vt debemus, amaturi tandem toto corde in cœlo: quoniam ſcilicet nunc aut non credimus, aut non perpendimus, quantus ſit ipſius Chriſti erga nos amor, quot quantíſque nos beneficijs donârit, & quotidie donet, hoc tandem perfectè in cœlo cognituri. Nunc tenemus explicationem & confirmationem noſtræ Theſeos.

II. Reſtat vt quoniam in genere tantùm diximus, multa variáque eſſe Angelorum officia: aliquid ſpeciatim de ipſis dicamus. Non ſumus autem dicturi de officijs, quibus apud Deum in cœlo funguntur: Neque enim hæc in ſcripturis explicantur, ſed tantùm generatim docent, *Angelos Dei eſſe miniſtros, eos ſtare in conſpectu Dei, eique miniſtrare, eum celebrare ac glorificare, viuere & contemplari*. *Pſalm*. 104. *Ezech*. 10. *Dan*. 7. *Zach*. 12. *Tob*. 11. *Luc*. 1. *Pſal*. 103. 148. *Ieſ*. 6. *Apoc*. 5. *Matth*. 18. Neque etiam dicturi ſumus, quomodo Chriſto, non ſolum cùm hic eſſet in terris, miniſtrarint, vt liquet Matthæi quarto capite, & alibi apud Euangeliſtas, ſed etiam nunc in Cœlis ei cantica & laudes canunt, Apoc. 5. Quæ omnia, quomodo fiant, videbimus, Chriſti beneficio, in cœlis ipſis.

Cæterùm, quatenus nobis inſeruiunt, diligenter & copioſè eorum officia in ſcripturis explicantur. De iis itaque duntaxat dicturi ſumus. Ne autem ſingula, quæ de horum officiis in ſcripturis traduntur, commemoremus (ſunt enim propè infinita.) Primùm dicam, quibuſnam comparentur Angeli, quatenus nobis cuſtodiendis traditi ſunt: Deinde hinc capita quædam proponam, ad quæ omnia illorum officia referri poſſint.

In Pſalmo 91. comparantur ſimpliciter *cuſtodibus*, quales ſunt nutrices & pædagogi, qui pueros ſibi commiſſos in omnibus actionibus & greſſibus obſeruant atque cuſtodiunt, ne qua offendant & lædantur. Sic enim ait *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. In alijs verò quàm plurimis locis, vt paulò pòſt videbimus, datur illis officium, voluntatem Dei Patris nobis ſignificandi: nos noſtri officij monendi, & ad illud faciendum incitandi: de futuris flagellis, niſi reſipiſcamus, præmonendi: ad Eccleſiæ doctores, tanquam ad ſcholam, vbi erudiamur deducendi: Denique nos à malo dehortandi, & contrà ad bonum extimulandi: ab hoſtibus etiam, & ab omnibus periculis vitam noſtram tuendi. Quibus ex omnibus videntur mihi optimè comparari, primùm quidem *nutricibus*, quibus filij alicuius magni Principis lactandi, curandi, cuſtodiendi creduntur: Deinde *Pædagogis*, quibus iidem filij ſimulac ablactati ſunt, committuntur cuſtodiendi, erudiendi, monendi, inſtruendi, corrigendi, conſolandi, defendendi, ad ſcholam ducendi: Denique ab omni malo tuendi, & ad omne bonum promouendi. Imò, vt quod res eſt, dicam, nos ſumus vt filij ruſticorum naturâ, ſed per gratiam & propter Chriſtum adoptati in Filios Dei: Angeli verò ſunt ſua natura nobiliſſimi. Deus itaque his nobiliſſimis Cœlicolis nos cuſtodiẽdos & curandos, tanquam pædagogis filiolos commiſit: Ipſi verò, quia vident nos ita caros eſſe Deo, vt pro ſalute noſtra filio etiam proprio non pepercerit: ita ex animo curandos ſuſceperunt, vt nihil officiorum erga nos, ſimulac nati ſumus ad finem vſque vitæ prætermittant. Sunt autem tria præcipua ipſorum erga nos, ſicut etiam omnium nutritorum & pædagogorum erga filios, quos educandos ſuſcipiunt, officia. Primum, vt ſimulac nati ſumus, ad finem vſque vitæ, nos noſtrámque vitam hanc, quantum ex Dei voluntate vtile nobis eſſe intelligunt, ab omnibus diaboli inſidijs atque vi, cuſtodiant ac tueantur: pro nobis excubias contra omnes hoſtes agant; nos noſtráque actiones, tam priuatas, quàm publicas, & ſermones omnes obſeruent: cauentes, ne quid nobis aduerſi contingat: à malo nos noſtráque tuentes, & totum vitæ noſtræ curſum iuxta voluntatem Patris dirigentes: quemadmodum Pſalm. 91. legimus: *Angelis ſuis Deus mandauit de te*, &c. Id quod & tradunt, et exempla ſcripturarum declarant, & noſtri ſic experimur. Matthæi 18. apertè Dominus docet, Angelos nobis pueris, nempè cuſtodiendis & regendis à Patre præfectos eſſe: a proinde minatur illis, qui vnum ex his paruis offendet: *Angeli enim* (inquit) *eorum ſemper vident faciem Patris*. Cùm ait, *eorum*, docet, Angelos nobis tanquam cuſtodes aſſignatos eſſe. In Apocalypſi 12. capite legimus, *Michaëlem pugnaſſe cum Dracone*: nempe pro defenſione Eccleſiæ & ſingulorum piorum aduerſus omnes diaboli inſidias atque iniurias. Sic etiam Iudas ſcribit, *Michaëlem cum diabolo diſ-*

[illegible]aſſe

gnaſſe cum diabolo de corpore Moſis. Obſeruari autem ab ipſis omnes noſtras actiones, docet Apoſtolus in epiſtola priori ad Corinthios 11. capite, vbi iubetur *mulier velare caput in ſacris cœtibus propter Angelos*: præſentes ſcilicet, & noſtrarum actionum ſpectatores obſeruatoréſque. Actor.10. capite, legimus Cornelio oranti adfuiſſe Angelum, & eum monuiſſe, vt Petrum aduocaret. Docemur, quicquid agimus vel boni, vel mali, illud ab Angelis cuſtodibus noſtris ſpectari & obſeruari. Hoc idem confirmant & hic & alij loci, vbi legimus, preces noſtras deferri in conſpectum Dei per Angelos, vt Tobiæ 12. capite. Ego (inquit) obtuli orationem tuam Domino, Geneſ.32. cap. Iacob, cùm fratrem Eſauum valde metueret, Angelos ſibi obuiam venientes videt, atque hinc Angelos ad ſe miſſos eſſe, vt ſibi ſint ſuæ viæ duces, & contra ferociam fratris cuſtodes, apertè cognoſcit. Geneſeos 24. capite, Abrahamus de hac Angelorum cuſtodia in omnib. viis noſtris perſuaſus, dixerat ſeruo ſuo, *Dominus Deus cœli, qui dixit, ſemini tuo dabo terram iſtam, ipſe mittet Angelum ſuum ante te* (nempe qui dirigat viam tuam, & te tueatur ab omni malo) *& accipies inde vxorem filio meo.* Sic Exodi 33. cap. Moſi promiſit ſe factururm Deus, dicendo: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, vt cuſtodiat te in via, & introducat in locum, quem preparaui*: Quanquam hic nomine *Angeli*, Chriſtus intelligitur, *qui Angelus Iehoua* καθ' ἐξοχὴν vocatur. Hic enim eduxit populum ex Ægypto. 2. Regum 6. inſignis eſt hiſtoria de cuſtodia Angelorum, qua pios in medijs etiam hoſtibus & in manifeſtiſſimis periculis cuſtodiunt ac ſeruant. Cùm enim obſideretur vrbs Dothan, in qua erat Heliſæus, à rege Syriæ, vt Prophetam caperet, & hanc ob cauſſam miniſter Prophetæ angeretur animi, & præceptoris ſui ſortem deploraret: dixit Heliſæus ad hunc ſuum famulum, *ne timeas: Eorum enim, qui nobiſcum ſunt, plures ſunt* (intelligebat autem Angelos) *quàm qui cum iſtis*, ſcilicet Syris, hoſtibus noſtris. Id quod mox Prophetæ famulus ſuis ipſius oculis videt: In Actis etiam Apoſtolicis non deſunt exempla, quibus demonſtratur, Angelis curam noſtri demandatam eſſe, vt nos cuſtodiant, e[illegible] vitam noſtram tueantur, à periculis ſeruent, è manibus hoſtium eripiant, & vias noſtras dirigant. Sic enim illos ſe geſſiſſe, tum erga omnes Apoſtolos, tum ſpeciatim erga Petrum legimus non ſemel. Quare de hoc primo Angelorum erga nos officio, quod totius vitæ noſtræ conſeruationem, & contra hoſtes protectionem, atque quantum expedit, cuſtodiam ſpectat, dubitandum non eſt.

III. Alterum eſt, vt non ſolùm nos noſtrámque vitam hanc obſeruent, & ab hoſtibus, atque à periculis, tueantur: verùm etiam (idque comprimis) vt curam animorum noſtrorum gerant, ſalutaria nos docendo, voluntatem Dei patefaciendo, myſteria ſalutis, cùm ille vult, reuelando: Et vt in lege Domini erudiamur, & veritas Euangelij propagetur, curando, eóque modo noſtram promoueant ſalutem: id quod aliàs vel in ſomnis per internam ſignificationem, vel in vigilia, aſſumptis corporibus, per diſertos ſermones, ſæpe feciſſe leguntur: Nunc autem tacitè mentes noſtras mouendo, & ad lectionem, auditionem, obedientiamq; legis diuinæ adhortando efficiunt.

Nunquam enim Angeli boni, aliquid ſuggerunt à lege Dei diuerſum: támque poſſibile eſt, vt aliam nobis à Prophetica & Apoſtolica ſuggerant doctrinam, quàm etiam fieri poteſt, vt iam à veritate excidant, & anathema à Chriſto fiant, vt ex epiſtolæ ad Galatas 1. capite liquet. Hoc etiam alterum officium abundè in ſcripturis; exemplis & teſtimoniis demonſtrari poteſt. Hebr.1. *Adminiſtratorij ſpiritus ſunt in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* Illorũ igitur miniſterium ad promouendam in primis noſtram, hoc eſt, electorum ſalutem, ordinatum eſt. *Lex item Dei æterna per ipſos miniſtrata eſt*, ad Galatas 3. Actorum 7. ad Hebræos 2. cap. Nihil igitur ſuggerunt & Eccleſiæ proponunt, quod cũ verbo Dei conſentaneum non ſit. Luc.1. per Angelum reuelatur virgini decretum Patris de Filio incarnando, vt per eum ſaluus fiat populus. Et alij Angeli prædicant natiuitatem ſeruatoris Mundi. Horum igitur officium eſt, ea nobis ſignificare & ad ea hortari, quæ ad ſalutem noſtram pertinẽt. Actor.1. docent Apoſtolos de reditu Chriſti ad iudiciũ vniuerſale. Apocal.19. & 22. prædicant adorandum eũ ſolũm, qui fecit cœlum & terrã, hoc eſt, Deum: Et ſe adorari omnino prohibent: ſeſe conſeruos Prophetarum & Apoſtolorum vocantes. Non eſt igitur Angelica aut cœleſtis doctrina, doctrina de adorandis & inuocandis creaturis: cùm officium Angelorum ſit, vt ad ſolum Deum adorandum nos hortentur: Sed doctrina eſt dæmoniorum, ſicut etiam doctrina de abſtinendo à certis cibis & à coniugio, religionis cauſſa, vt Paulus docet 1. Timot.4. Et Iudas in Epiſtola docet Angelũ *Michaelem contendiſſe cum diabolo de corpore Moſis.* Nolebat enim Angelus ſciri, vbinã eſſet, ne forte adoraretur, id quod ſtudebat & conabatur facere Satan. Eſt igitur bonorum Angelorum officium, curare, vt tollantur & impediantur idololatriæ omnes, & cultus reliquiarum (vt vocãt) ſanctorum: Contrà verò, vt hæc adorentur, curãt Diaboli. Actor.5. Angeli è carcere Apoſtolos liberãt, & in templo docere iubẽt. Et cap.12. Per Angelum educitur Petrus è carcere, ne interficiatur ab Herode Agrippa, ſed vt poſtò prædicare Euangelium poſſit. Officium igitur Angelorum eſt ſeruando & cuſtodiendo in Eccleſia miniſtros verbi, curare, vt veritas Euangelij propagetur. Actor.8. Angelus ducit Philippum ad Eunuchum, qui legebat Ieſaiam, ſed non intelligebat, vt ei explicet & interpretetur ſcripturas, cùm tamen ipſe quoque Angelus potuiſſet, ſumto corpore idem præſtare, idque maiori cùm autoritate. Officium igitur Angelorum eſt, inſtitutum in Eccleſia miniſterium non ſibi vſurpare, ſed inter homines conſeruare, & ad electos homines ſcripturarum imperitos ex mandato Dei mittere doctores, qui eos veritatem doceant, & Euangelium prædicent eſurientibus iuſtitiam & veritatis cognitionem. Actor. 10. Angelus apparet Cornelio Centurioni: & mandatum Dei exponit, nempe vt Petrum acceſſat, à quo inſtituatur & doceatur, quid facto opus ſit ad ſui ſalutem. Hoc etiam exemplo idem officium, quod ſuprà, confirmatur: Angelis ſcilicet cordi eſſe, curent, vt electi per veros Doctores viam ſalutis doceantur, & veritas Euangelij propagetur. Atque huc pertinent exempla, quibus in ſcripturis docemur, Angelos ſæpe pugnaſſe cum diabolis Eccleſiam infeſtantibus: vt apud Danielem & in Apocalyp. & in Epiſtola Iudæ. Cùm enim diaboli variis aſtutiis, vt falſis doctrinis, per Pſeudoprophetas, vt per ſecutionibus per Tyrannos, vt illecebris per homines ſceleratos, aliíſque modis permultis ſemper curent perdendam Eccleſiam: Contrà boni Angeli reſiſtunt diabolo, tyrannis, Antichriſtis, ne Eccleſia perdatur: Sed puritas verbi Dei, ſinceritas cultus diuini & vera diſciplina Chriſti, ad ſalutem noſtram in Eccleſia ſeruetur. Ac ſicut Satan ſemper circuit, quærens quem deuoret, & ad varia ſcelera nos tentat atque ſollicitat: contrà boni Angeli nobis ſuggerunt bonas & pias cogitationes, & ad ſtudium ſanctæ vitæ ſæpe excitant, tanquam legati & miniſtri Dei, ad hæc officiâ deſtinati, vt Hebr.1. docet Apoſtolus. Interim (vt ſ. prædictum eſt) miniſterium docendi in Eccleſia, & prædicandi Euangelium, iniunctum non eſt Angelis, ſed Apoſtolis & aliis hominibus ad id vocatis: Tantùm verò Angeli tanquam ordinis diuini & miniſterij in Eccleſia per Chriſtum conſtituti, amantes & ſtudioſi, curant, vt homines in Eccleſia per alios homines doceantur: vel doctores ad populos viam Domini ignorantes, mittantur: ſic ut in Actis 16. alio etiam docetur exemplo. Ibi enim Angelus in forma viri Macedonis legitur ſtetiſſe ante Paulum, & eum deprecatus fuiſſe, vt profectus in Macedoniam, Macedonibus ſuccurreret, viam ſcilicet ſalutis patefaciendo, & Euangelium prædicando. An non potuit hoc per ſeipſum facere Angelus? Maximè potuit, ſed noluit; quia hoc miniſteriũ iniunctũ Angelis non eſt, ſed hominibus ad id deſtinatis. Neque id immeritò, aut ſine cauſa. Voluit enim cauere Dominus Eccleſiæ, ne falſa & impia doctrina à malis Angelis, qui ſeſe trãſfigurare ſolent in Angelos lucis, pro vera & pia obtruderetur; Et hac ratione decreuit viam præcludere omnibus Enthuſiaſmis & reuelationibus, cum Euangelio doctrináque Apoſtolorum pugnantibus. Proinde voluit verbum ſalutis manere in Eccleſia, & per homines prædicari; non autem quaeri in cœlis, aut per Angelos annunciari. Hoc idem etiam Angeli volunt. Quare non ipſi illud prædicant, ſed vt per homines prædicetur, quibus opus eſt, ſtudent. Ad ſummam; Officium Angelorum eſt, quæ Deus propter noſtram ſalutem ordinauit, ea omnia ſeruanda curare, & nihil præterea innouare. Et ita ſalutem noſtram legitimis rationibus promouere. Et in huius rei teſtimonium ac ſymbolum voluit Deus, vt Angeli miniſtri fuerint legis in monte Sinaï, & vt in Nouo Teſtamento homines ſemper docendos, & erudiendos mitterẽt ad Apoſtolos, vt inde nos certiores fieremus, Angelos nullam vnquam doctrinam cum Prophetica & Apoſtolica pugnantem Eccleſiæ propoſituros eſſe: ac proinde ſi quid tale fiat, id non eſſe ab Angelis Dei, ſed à diabolo & ab Antichriſtis. Credo hoc etiam officium ſatis abundè eſſe explicatum: Ita primum pertinet ad præſentem vitam tuendam: alterum ad æternam ſalutem promouendam.

IV. Tertium eſt, vt in afflictionibus, tam animi, quàm corporis, & tam ad ſpiritualem, quàm ad corporalem vi-

tam pertinentibus, non conſolentur, confortent, erigant, ſalutaribus conſiliis; piíſque auxiliis. Nam hoc etiam officium eſt tum nutricum erga infantes; tum bonorum pædagogorum & curatorum erga filios ſibi creditos. Habet etiam hoc officium teſtimonia & exempla permulta in ſcripturis. Gen. 16. Agar eiectam ex ædibus Abrahami grauidam & errantem in ſolitudine, conſolatur Angelus, ſalutare ei præbens conſilium: nempe, *vt redeat ad dominam ſuam, & ei ſeſe humiliet.* 1. Melach. 19. Eliæ profugo Angelus Domini cibum & potum miniſtrat, eúmque conſolatur: Et 2. Melach. 1. eundem Eliam iubet animo eſſe bono, & ſine metu accedere Regem Ochoziam eiúmque increpare. Act. 27. Paulo & per Paulum omnibus, qui erant in naui, conſolationem attulit Angelus Domini: cùm ſcilicet ſignificauit, neminem eorum, qui in naui erant cum Paulo, periturum. Atque in hûc etiam finem, noſtræ videlicet conſolationis & reſpirationis cauſa, non ſolùm nos eripiunt è periculis & è manibus hoſtium, ſed etiam ſæpenumerò ex mandato Dei hoſtes ipſos palàm vlciſcuntur. Executores enim ſunt Angeli diuinæ iuſtitiæ. Geneſ. 19. non ſolum eripiunt Lothum & eius familiam è manibus Sodomitarum: ſed etiam Sodomitas ipſos primùm cæcitate percutiunt: Deinde totam vrbem, immiſſo igne de cœlo funditus perdunt: vt inde intelligeret Lothus, quàm gratus & cordi eſſet Deo. Et 2. Melach. 19. quanta conſolatione affecit populum Angelus, cùm vna nocte totum Regis Aſſyriorum exercitum diſſipauit, interfectis ex eo centum & octoginta quinque millibus? Innumera huiuſmodi exempla non ſolum in ſcripturis leguntur: verùm etiam hac ætate quotidie inueniuntur. Videmus enim, quas pœnas ſolitus ſit & ſoleat Deus, per Angelos ſuos de impiis, tam hæreticis, quàm tyrannis, noſtræ conſolationis cauſa ſumere: vt nimirum intelligamus, cùm videntur quaſi omnia deſperata, nos tamen curæ eſſe Deo: Et eum omninò velle ſuam conſiſtere Eccleſiam. Sunt enim Angeli miniſtri Dei in omnibus ipſius iudiciis patefaciendis & executioni mandandis: quanquam à nobis illi non videantur, ſed tantummodò homines, quorum opera illi vtuntur. Inprimis verò Angeli piis omnibus ex hac vita diſceſſuris & animam agentibus adſunt, & eos conſolantur: eorúmque animas corporibus ſolutas deferunt in Cœlum: quemadmodum in exemplo Lazari apud Lucam 16. manifeſtè apparet. Denique in fine ſeculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis: pios verò introducent in regnum cœlorum. Matth. 13. De officiis Angelorum vide Auguſtin. tom. 9. Solil. cap. 27. pulchrè pagin. 777. Hæc ſunt præcipua Angelorum erga nos officia: quorum primum ſalutem corporis præſentémque vitam, quantum nobis ex conſilio Dei vtile eſt, reſpicit: Alterum ad ſalutem animæ, vitámque æternam pertinet: Tertium verò conſolationes omnes, tam animæ, quàm corporis, & tam ad futuram, ſpiritualémque, quàm ad præſentem & corporalem vitam pertinentes, continet. Ad hæc autem tria reuocari facilè poſſunt & debent reliqua omnia, quæ ſparſim in ſcripturis inueniuntur officia. Cùm enim Angeli præfecti nobis ſint, vt noſtri ſint cuſtodes: omnia illorum officia eò ſpectant, vt aut a malis corporalibus, præſentiſque vitæ, imminentibus, nos cuſtodiant: Et contrà ad bona ſaluté nq; huius vitæ, quantum nobis expedit, ſeruent. Et ita primum habemus officium: Aut à malis ſpiritualibus & ad animam pertinentibus ſeruandos curent: contrà verò ſalutem animæ æternam promoueant. Et ita habemus alterum, aut denique in quauis afflictione tam animi, quàm corporis poſitos, ad mortem vſque conſolentur: atque hoc tertium eſt illorum officium. Ad hæc tria verò reliqua omnia referri poſſe, nemo ſapiens non videt.

V. Hæc porrò omnia, quæ è ſacris ſcripturis explicauimus, Angelorum officia, eò ſpectant, vt inde diſcamus: Primùm quidem agnoſcere, quanta ſit Dei erga nos beneuolentia, qui tot tantóſque & diuinos ſpiritus propter nos potiſſimùm creauerit, & nobis regendis cuſtodiendiſque præfecerit. O magnam dignitatem noſtram! Deinde & hinc Deũ timere ſimul & amare diſcamus. Timere quidem, vt qui tot habeat exercitus Angelorum ad omnia vlciſcenda ſcelera: Amare verò, vtpote tam bonum, qui omnia velit nobis etiam Angelos ipſos ſeruire. Tertiò, diſcamus etiam pudere, cùm ad aliquod obſcœnum & indecorum admittendum à Satana ſolicitamur, ſcientes, actiones noſtras omnes ab Angelis obſeruari, atque ſpectari. Quartò, fulciamus nos ſi le in omnibus aduerſis, cum ſciamus, Angelos nobis ſemper, nomine Dei Patris, adeſſe, qui conſolentur & è periculis eripiant, quantum nobis vtile eſſe cognouerint: præſertim verò ne metuamus mortem, quoniam Chriſtus cum ſuis Angelis adeſt piis morientibus, vt eos contra Satanam tueantur, & in regnum cœlorum importent: At tunc cumprimis dulciſſima illa verba Heliſei nobis ſuccurrant: *Qui nobiſcum ſunt, plures ſunt, quàm qui contra nos ſunt.*

AN CVIQVE HOMINI CERtus Angelus, qui curet, deſtinatus ſit.

CAPVT XV.

HACTENVS demonſtratum eſt, Deum ex ſua bonitate & gratia Angelos omnes creaſſe, & conſtituiſſe nobis miniſtros atque cuſtodes: Ac proinde officia Angelorum erga nos omnia huc ſpectare, vt noſtri curam gerant: Et tam corporis, quàm etiam animæ, quantum norunt eſſe ex re noſtra iuxta voluntatem Dei, ſalutem promoueant: Ac cur etiam, cùm Deus per ſeſe poſſit, quæcunque per Angelos facit, efficere: vti voluerit & velit Angelorum miniſterio, explicata fuit ratio; nempe ad maiorem noſtri conſolationem, & ad amicitiam inter Angelos & nos magis ac magis conſeruandam & augendam. Hæc ſunt perſpicua & extra omnem controuerſiam. Cæterùm, ex iis, quæ dicta ſunt, oritur quæſtio, quæ & ab antiquis agitata fuit, & à noſtris etiam non fuit neglecta. Ea eſt: *An ſingulis electis, aut etiam ſingulis hominibus ad perpetuam cuſtodiam, vnus certus Angelus aſſignatus ſit: an verò plures & diuerſi, prout Deo placet, & quando vult, ad eos cuſtodiendos & iuuandos mittantur.*

Ac quod de ſingulis hominibus dicimus, idem etiam de ſingulis prouinciis & vrbibus proponi ſolet; Cum hac coniungunt etiam hanc plerique omnes: An ſicut vel Angelus, vel Angeli boni ſingulis hominibus deſtinantur ad cuſtodiam: ſic etiam iiſdem tentandis, vel certus cacodæmon, vel certi cacodæmones, per quos in pugna illi exerceantur, deſtinati ſint, necne.

Ita tria ſunt membra huius Quæſtionis. Vnum, *de cuſtodia cuiuſque hominis, vel per certum Angelum, vel per multos & diuerſos.* Alterum, *de cuſtodia & protectione regnorum, vrbiũ, aliorúmque locorum, vel per vnum itidem, vel per plures Angelos.* Tertium, *an ſingulis, tum hominibus, tum vrbibus deputentur Angeli, minimum duo: vnus bonus ad cuſtodiendum, alter malus ad tentandum.*

1. Ac quod ad primum attinet, quorundam fuit ſententia, nempe Ægyptiorum, quam Platonici nonnulli ſecuti ſunt, tres vnicuique homini dæmones, h. e. bonos Angelos, cuſtodes dari, qui diuerſa erga eundem hominem officia obeant, vnum, qui animam rationalem regat, cogitationes bonas in mente ſemper excitando, eam illuminando, ſalutaria conſilia ſuppeditando, ad illáque perſequenda, voluntatem incitando; Et in ſumma, quo ad diuinam ſacrámque perfectionẽ adducamur, operam dando; qua de cauſſa *ſacer Dæmon*, ab ipſis appellari conſueuit; atque hunc immediatè à Deo immitti dixerunt. Ac licèt Spiritus iſte, ſeu Dæmon, non ab omnibus quidem, neq; ſemper, veluti, cum variis curis agitamur, obſeruetur; ab iis tamen, qui tranquillo ſunt animo, & à curia mundi vacuo, manifeſtè ſentiri. Illum enim nobiſcũ, quanquam ſine voce, intus in animo loqui, &c. Alterum à cœlorum diſpoſitione, ſiderúmq; circuitibus qui in generatione (vt illi ſentiũt) viſuntur deſcendere; Ex Dei tamẽ ordinatione. Hunc itaque deputari & dari homini quaſi in tutelam, ſimulac natus eſt, qui vitæ ſit cuſtos, & hominẽ ad ea adiuuet, ad quæ natus & deſtinatus eſt à Deo, vel (vt illi loquuntur) à cœlis ſiue ad proſperam ſecundámque fortunam, ſiue ad aduerſam; Vnde & *Genius* appellatur, quòd ſcilicet à natiuitate cuique detur; & qui bonum Genium à natiuitate conſequitur, hunc in ſuis actionibus & operibus feliciter ſe gerere, fieri ingenioſum, ad virtutes propenſum, fortem, ſapientem, fortunatum; Vnde etiam tales à prophanis: *bene natos & fortunatos, bonáque omnia ſortitos* eſſe dicuntur. Tertium verò Dæmonem ſeu ſpiritum, *profeſſionis ſpiritum* appellant; quòd homini, qui iam incipit ad aliquam artem animum adiicere: & eam profiteri, aſſignetur, vt eum ad talem profeſſionem adiuuet; ſiue ad literarum ſtudia, ſiue ad artes mechanicas, ſiue ad militiam. Ac ſi contingat, vt aliquis ei arti & profeſſioni, ad quam ſua natura & genio natus & propenſus eſt, ſeſe addicat; hunc fieri in ea re excellentem, propterea quòd duos ad eam rem ſeſe iuuantes habeat Angelos; Genium ſcilicet, à quo ad talem artem inclinatur, & ſpiritum profeſſionis ei additum, à quo iuuetur. Si verò contra Genium natiuitatis artem aliquam, ad quam propenſus non eſt ſua natura profiteatur; hunc, tametſi à Dæmone profeſſionis iuuetur multum; in ea tamen arte nunquam excellere; propterea quòd contra Genium, hoc eſt, contra naturam id agat

agat: Vnde etiam tales dicuntur, vel *inuita Minerua*, vel *contra ſuũ Genium aliquid facere*. Sic illi ſentiunt & ſcribunt. Atque hæc delibaſſe ſuffiriat propter eos, qui fortè lectori ſunt profanos ſcriptores: Non quòd hæc probem, ſed quòd hæc non ignorare, vtile eſt.

II. Alij verò (vt ad noſtros, hoc eſt, ad Chriſtianos ſcriptores veniam) ſentiunt, cuique homini, iam inde à natiuitate, certum bonum aſſignari à Deo Angelum, qui & vitæ ſit cuſtos, & ad virtutem extimulet, & perpetuus ſit eius comes: & defendat ſe à malo contra diabolum, & ad bonum, quoad eius fieri poteſt, incitans: Cuique, inquam, homini, etiam reprobo, & Antichriſto ipſi dari, vt ſi Angeli huius tacitis admonitionibus atque conſiliis non obtemperent, fiant magis inexcuſabiles. In hac ſententia præter Platonem, fuerunt etiam nonnulli Patres. Sunt etiam Scholaſtici, qui accommodant nonnulla ſcripturarum loca, vt illud Pſalmi nonageſimi noni: *Angelis ſuis*, &c. Item illud Actor. 12. de Angelo Petri.

Cæterùm, hæc ſententia, cuique homini reprobo, bonum aſſignari Angelum, è ſcripturis confirmari non poteſt. Nam quæ adferunt loca, de electis & fidelibus tantùm intelliguntur: Et Hebr. 1. Apoſtolus eſt interpres apertus: cùm ait: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, id eſt, propter electos. Pſalm. quoq; 91. apertè de fidelibus eſt, qui fidũt Deo, & habitant ſub adiutorio & protectione altiſſimi; Non inficior, quin etiam reprobi per bonos Angelos à multis malis, ſic Deo volente & ordinante, propter ſuam φιλανθρωπίαν, defendantur, ſed ita his aſſignari bonos Angelos, ſicut electis, dico è ſcripturis, mea quidem ſententia, probari non poſſe. Ac ſi quis etiam Patrum teſtimonia diligenter examinet: is videbit ea de fidelibus tantùm, omnino eſſe intelligenda. Sunt igitur, qui totam hanc doctrinam ad electos reſtringant, & meritò: ſed negent cuique electo certum & perpetuum Angelum, plures autem & varios, pro libera Dei voluntate, & quando & quatenus ille nobis expedire iudicat, ad cuſtodiam mitti, daique eiont. At pro ſuæ ſententiæ confirmatione adſerunt locum ex Luc. 15. vbi legimus in plurali, *Angelis Dei natum eſſe gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis.* Item Luc. 16. *Multi Angeli leguntur portaſſe Lazarum in ſinum Abrahæ, non vnus:* Item, ſicut multi dæmones, vnum nonnunquam occupant hominem, vt de Maria legitur in Euangelio, è qua eiecti fuerunt ſeptem Dæmones: & de illo, qui obſidebatur à legionibus Dæmonum: Sic etiam non vnus tantùm Angelus, ſed multi electos cuſtodire dicendi ſunt. Verùm neque his particularibus locis euinci poſſe videtur, plures ſingulis electis cuſtodiendis Angelos ſemper deputari.

III. Ego itaque ſentio hac Theſi, quam ſubiicimus, has diuerſas ſententias conciliari facilè poſſe, nempe:

THESIS.

Cuique electo ordinariè certum propriúmque Angelũ, qui perpetuus ſit eius cuſtos & comes, iam inde à natiuitate, vſque ad finem vitæ à Deo aſſignari: Extra ordinem verò plures etiam nonnunquam ad eum pro Dei beneplacito maioris conſolationis cauſa mitti, vero ſimile eſt, & cum ſacris literis magis conſentaneum.

IN hanc deſcendo ſententiam ſine cuiuſpiam præiudicio, his adductus rationibus. Primùm quidem, quia cuiq; certum Angelum aſſignari, loci illi, qui priori loco è ſcripturis adducti ſunt: & alij ſimiles probare omninò videntur. Cùm enim Matth. 18. Chriſtus dicit de infantibus, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*: quid aliud monuere voluit, quã ſingulis pueris, ac proinde etiam adultis, certos Angelos, tãquam pædagogos & tectores traditos & conſtitutos eſſe: Et hos, quicquid iniuriarum ſit ſuis pueris, obſeruare & à Deo vltionem impetrare facilè poſſe? Et ſic etiam Patres multi hunc locum interpretati ſunt, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, & alij. Idem omninò confirmat alter locus ex Act. 12. *Angelus* (inquiunt) *ipſius eſt*, (de Petro autem erat ſermo.) Loquebantur enim mulieres illæ iuxta receptam in populo Dei ſententiam. Fuit autem Hebræorum, & adhuc eſt ſententia, cuique fideli ſuum certum aſſignatum eſſe Angelum: id quod inde confirmatur, quia quæ apud Gẽtiles de Angelis propagata fuerant: ea ab Hebræis ferè demanarunt, vt Iuſtinus & Euſebius teſtantur, quãquam multa porrò corrupta fuerunt. Apud ſapientes verò Gentiles recepta erat hæc ſententia de certo Angelo cuique homini deputato. Hac illud Menandri antiquiſſimi Poëtæ. Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου ἀγαθός: cuique homini ſimul ac natus eſt, ſtatim aſſiſtit dæmon, ductor vitæ bonus. Et Arianus in Epictetũ ita ſcriptum reliquit: Καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα (Deus) καὶ παρέδωκε φυλάττειν αὐτὸν αὐτῷ: & τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον. hoc eſt: *Et cuſtodem vel procuratorem adhibuit vnicuique dæmonem: & eum tradidit illi cuſtodiendum: Et quidem cuſtodem peruigilem & incorruptum*, qui nimirum non ſinat ſe ab officio ſuo vllis abduci rationibus.

Patrum verò communis & conſtans conſenſus, multum apud me habet ponderis & auctoritatis, niſi ſacræ literæ contrarium apertè doceant. In hac autem ſententia, quã magis probabilem eſſe diximus, omnes fuiſſe videntur. Orig. tomo primo, in Numeros, homilia prima, pag. 234. ait, *Apoſtolos ſingulos ſuis vti Angelis, tanquam coadiutoribus ad explendum ſuæ prædicationis munus & opus Euangelij conſummandum*: (poſtea ſubdens, ait.) *Sic enim dicebantur in Actis Apoſtolorum, quòd Angelus Petri eſſet, qui pulſaret ad oſtium. Similiter ergo intelligitur eſſe & alius Angelus ſicut eſt Petri: & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.* Idem tomo ſecundo, in Matthæum, Tractatu quinto, pagina ſexageſima ſexta, proponit quæſtionem, quandónam ſingulis pueris ſui proprij aſſignentur Angeli: poſt natiuitatem, an verò poſt Baptiſmum: ac pro vtraque ſententia adfert rationes & teſtimonia. Affirmat autem cuique certum aſſignari Angelum: ſi non ſtatim antè, ſaltem ſimulac per lauacrum regenerationis liberatus è diaboli manibus, receptus eſt in numerum filiorum Dei.

Chryſoſtomus tomo ſecundo in Matth. decimo octauo, homil. 60. apertè docet, *ſingulos ſanctos ſuos habere Angelos*. Idem in Matt. 4. homil. quinta, pagina 785. Baſilius in Pſ. 33. concione 9. pag. 101. *Omni credenti in Dominum, Angelus aſſidet, ſi non ipſum nos per praua opera fugauerimus.* Idem cõtra Eunom. lib. 3. pag. 359. *Omnes Angeli, ſicut appellationem vnam, ſic etiam naturam omninò eandem habent: attamen alij ipſorum Gentibus præſident: alij ſingulos credentes conſequuntur*: οἱ δ' ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν. Theod. tomo primo, in Danielem, oratione decima, pag. 715. ex loco Matth. 18. confirmat cuique noſtrũm vnum præeſſe Angelum.

Hieronymus tomo 9. in Matth. cap. 18. B. *Magna dignitas eſt*, inquit *animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum.* Idem ſcribit tomo 5. in Iſ. ca. 66. pag. 258 B. multis docens, *vnumquemque noſtrũ ſuum habere Angelum cuſtodem.* Idem tomo 1. ad Euſtochium pag. 170. dat Paulæ demortuæ, quæ mater fuerat Euſtochij, proprium Angelum; Et ait cum fuiſſe illius cuſtodem & comitem. Fuit eadem etiam Auguſtini ſententia, tomo 9. lib. Medit. cap. 12. colum. 746. 2. Verba eius ad Deum hæc ſunt: *Maximum etiam & illud fuiſſe beneficium, quòd Angelũ pacis ab ortu natiuitatis meæ ad me cuſtodiendum vſq; ad finem meum, mihi dediſti.* Vnde quidem ſanctus (Hieronymus) ait *Magna eſt dignitas animarum, vt quæque habeat ab ortu natiuitatis ad cuſtodiam ſui, Angelum delegatum.*

Diuus Bernardus de conſideratione lib. 5. *Putamus Angelos dici, qui ſingulis hominibus dati creduntur, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; de quibus Saluator, Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Cùm ait, *qui creduntur ſingulis dati eſſe hominibus*; docet, hanc fuiſſe communem receptámque in Eccleſia fidem, ſingulis fidelibus certum aliquem proprium dari Angelum ad cuſtodiam. De aliis igitur non eſt cur dicam. Eſt enim certiſſimum, non aliam fuiſſe poſteriorum ſententiam. Apparet itaque conſentaneum eſſe cum ſcripturis, quia vniuerſa Eccleſia ſemper ſic ſenſit, cuique fideli ordinariè certum aliquem Angelum, tanquam cuſtodem & curatorem aſſignatum eſſe.

Quòd verò extra ordinem plures etiam & diuerſi mittantur ad vnumquemque fidelem, cùm opus eſt; & ſcripturæ, vt ſuprà viſum eſt, docent, & nemo ex Patribus, aut etiam ex Scholaſticis, vnquam inficiatus eſt. Ita Theſis de primo membro manifeſta eſt. Videtur autem mihi hæc doctrina vtiliſſima & conſolationis plena: nempe, vt quiſque ſciat, ſibi certum ſemper adeſſe cuſtodem & comitem Angelum.

IV. Ad ſecundum verò quod attinet, an ſingulis prouinciis ſingulis præſint Angeli, eodem modo reſpondendum eſſe cenſeo hac altera theſi.

THESIS II.

Singulis prouinciis certos ordinariè præfectos eſſe Angelos: extra ordinem verò plures quoque,

& diuerſos ad eas mitti, vero ſimile & conſentaneum cum ſacris literis eſſe videtur.

DAn.10.& 11. inducuntur Angelus Perſarum, & Angelus Græcorum, quorum quiſque curam ſui gerebat Regni, & cauſam tuebatur. Hinc Hieronymus & alij omnes collegerunt, ſingulis prouinciis certum aliquem præfectum eſſe Angelum. Et idem etiam ex 2.Melachim 9. vbi Angelus vnus pugnabat pro Iſrael. Clem.Alex.Strom.lib.6.pag.227.B. affirmat per ſingulas gentes ciuitatéſq; diſtributas eſſe Angelorum præfecturas: Theodor.tomo 1.in Dan.oratione 10. pag.715.ait: *ſicut vnicuique noſtrum vnus deſignatus eſt Angelus: Sic cuique prouincia vnum præfectum eſſe Archãgelum.* Hieronymus tomo 5. in Dan.cap.10.pag.597.ait, *ſingulis prouinciis ſingulos Angelos præfectos eſſe.* Idem tradit in Ieſa.cap. 25.pag.105. B. Auguſtinus nil diuerſum docet tomo 10. de Temper.ſer.103.pag.819.A.Orig.tomo 1.in Geneſin,cap.47. pag.53.vnicuique genti Angelorum ſtatuit principatum. Atque hæc omnia ordinariè. Extra ordinem porrò plures mitti,extra controuerſiam eſt.

V. De tertio membro, an cuique tam fideli, quàm prouinciæ, ſicut ordinariè præficitur certus aliquis bonus Angelus, ſic etiam certus aliquis malus deſtinetur: non ita cõuenit inter Doctores. Platonici hoc affirmarunt, ſicut etiam multi alij inter Gentes: quò illud ſpectat Empedoclis, vt refert Plutarchus in vita M. Antonij, Διτταί τινες ἡμῶν ἕκαστον παραλαμβάνουσι. Καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες ἐνθεῖα χθονία τε. h.e. *Duplices quemcunq; noſtrum excipiunt ducúntque ſortes & dæmones diuini & terreſtres.* Hos ſecuti aliquot Patres, idem dixerunt.

Orig. tomo 1. περὶ ἀρχῶν lib.3. pag 817. ad calcem, *cuique dat Angelum bonum & malum à Deo aſſignatum.* Idem tom. 2. in Lu.hom.12. *Vnicuique,* inquit, *duo aſſiſtunt Angeli, alter iuſtitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde noſtro fuerint, & in animo iuſtitia pullularit: haud dubium, quin nobis loquatur Angelus Domini: Si verò mala fuerint in corde noſtro verſata, loquitur nobis Angelus diaboli. Quomodo igitur per ſingulos homines boni ſunt Angeli: Sic opinor & in ſingulis diſpares eſſe prouinciis, vt ſint & boni, ſint & mali.* Hæc Origenes, quæ exemplis etiam ſcripturarum explicare conatur. Chryſoſt. idem tradit tomo 2. in Matth.cap.4. homil.5. colum.787. Gregorius etiam primus citatur in hanc ſententiam à Magiſtro ſententiarum, lib.2.diſtinct.11.

Cæterùm, è ſcripturis confirmari hoc non poteſt. Exempla tantum habemus, quo pacto Deus permittat, modò vni ſpiritui, vt vnum vexet hominem, ſicut Satanæ Iobum: modò, vt vnus vexet multos, vt 2.Paralip.18. *Vnus ſpiritus decepit plures Prophetas, malus malos*: Nonnunquam, vt vnus homo vexetur à pluribus, vt Matth.5.Luc.8.Marc.6. Nullus autem locus (quantum ego potui obſeruare) reperitur, vnde colligi poſſit, cuique deſtinatum eſſe à Deo Angelum malum, à quo tentetur, & vexetur. Tentant igitur nos quiuis dæmones permiſſu Dei: non autem quòd cuique tentando, certus aliquis ſit deputatus.

DE DISSIDIIS ANGELORVM.

CAPVT XVI.

An noſtra cauſa oriantur aliquando inter Angelos diſcordiæ & diſceptationes.

HVic quæſtioni occaſionem dedit locus ille cumprimis, qui eſt apud Dan.cap.10. vbi legimus Danielem, poſteaquam vidiſſet tempus ab Hierem. Propheta de fine captiuitatis Iſraeliticæ prædictũ, completum fuiſſe: oraſſe Deum, vt iuxta promiſſionem, totum populum liberaret, & concederet, vt reædificato templo, poſſent ibi eum colere Iſraelitæ. Ac cùm oraſſet per 21.dies, & neque populum liberari videret, neque templum ædificari, ſed crudeli Cambyſis edicto, magis, quàm antè, opprimi, neq; vllum etiam accepiſſet reſponſum: ac proinde vehementer cruciaretur & angeretur animi: tandẽ Angelum, qui ſolitus erat Danieli apparere & loqui, & qui pro populo Dei intercedebat, ſibi apparuiſſe ſcribit, & rationem, cur hactenus non reſpondiſſet, hanc attuliſſe, nempe nõ quòd neglecta vel à Deo, vel à ſe fuiſſet deprecatio Prophetæ: ſed quòd per iſtos 21. dies occupatus ipſe fuiſſet cum Principe Perſarum ceu in quadam altercatione & conflictu, quòd ille nollet populum dimitti, ipſe autem vellet; tandem verò acceſſiſſe Michaëlem Angelum, & opem ſibi tuliſſe aduerſus Principem Perſarum, & ita viciſſe. Se itaque veniſſe ad Prophetam, vt eum conſoletur, & quid futurum ſit, ſignificet: rediturum ſe tamen ad Regem Perſarum; à quo, vbi ipſe digreſſus fuerit, venturum aduerſus eundem alium Principẽ, Principem ſcilicet Græcorum. Hæc Dan.ca.10. Vbi nomine *Principis Perſarum*, & nomine *Principis Græcorum*, omnes interpretes, tam Græci, quàm Latini, adde & Hebræi, intellexerunt *Angelos*, vnum regno Perſarum, alterũ regno Græcorum præfectos. Angelum itaque, qui cauſam agebat populi Dei, & qui loquebatur cum Daniele, priori loco altercatum fuiſſe, & quaſi pugnaſſe cum Angelo præfecto Perſidi: qui cauſa Perſarum ſuſcepta, contendebat, populum adhuc in captiuitate eſſe detinendum. Deinde alium Angelum Michaëlem ſcilicet acceſſiſſe, & opem Angelo Iudæorũ, aduerſus Angelum Perſarum tuliſſe. Tertiò, venturum etiam fuiſſe aduerſus eundem Angelum Perſarum alium Angelum, Angelum videlicet præfectum regno Græcorum. Si itaque veterem hanc, communémque & vulgarem interpretationem ſequamur, vt nomine *Principis Perſarum*, & *Principis Græcorum*, intelligamus *Angelos*, illis regnis Præfectos: manifeſtum eſt, diſcordiam pugnámq; fuiſſe inter Angelos, id quod videtur abſurdiſſimum: nempe ſi Angelum & præfectum Perſidi, Angelum bonum interpreteris. Nam ſi intelligas Angelum malum præfectum fuiſſe illi regno, vt quidam faciunt tollendæ abſurditatis cauſa; non ita abſurdum videtur, inter malos & bonos Angelos, orta fuiſſe diſſidia & pugnas: quia hoc idem legitur alibi in ipſa etiam Epiſtola Iudæ, in Apocalypſi, quanquam aliud poſtea ſequebatur abſurdum: nimirum Angelos præfectos eſſe à Deo certis regnis. Etſi enim Hieronymus & alij nonnulli affirment, ſingulis regnis præfectos eſſe duos Angelos, vnum bonum, & alterum malum: tamen, vt ſuprà vidimus, hoc demonſtrari è ſcripturis nõ poteſt, neque vero ſimile videtur. Cæterùm, ſi (vt plerique omnes faciunt) pro *Principe Perſarum*, accipias *Angelum bonum*, præfectum Perſarum regno: abſurdiſſimum omnino videtur, inter bonos Angelos vllam aut potuiſſe, aut poſſe oriri diſceptationem, aut pugnam excitari, cùm omnes ſint beati: inter beatos autem ſumma ſit pax & conſenſio. Ex illa igitur veterum, & verò etiam multorum recentium interpretatione, factum eſt, vt non immeritò Quæſtio hæc inter Theologos fuerit agitata: *An inter Angelos bonos, oriri poſſit aliqua diſcordia & diſceptatio.* Doctiſſimus tamen Interpres talem huic loco Danielis dedit interpretationem, eámque ſanè genuinam, vtpote cum hiſtoriis conſentaneam, vt huic quæſtioni nullus hinc relinquatur locus. Nam pro Principibus Perſarum & Græcorum, minimè intelligendos eſſe Angelos, iſtis regnis Præfectos, docet; ſed ipſos homines, illorum regnorum tunc temporis Principes. Senſus itaque illius loci hic eſt; Angelum pugnaſſe contra Cambyſen Regem Perſarum per dies 21. hoc eſt, crudelia illius conſilia, & tyrannica edicta contra populum Dei facta impediuiſſe. Cambyſes enim Cyri filius ſua alioqui natura turbulentus & crudelis, cùm ipſius parens, traiecto mari pugnaret in Aſia & contra Scythas, inſtigatus ab hoſtibus populi Dei, edictum Patris, de populo liberè demittendo, & de templo illis reædificando, reuocauerat, & aliud crudele, de magis videlicet ac magis opprimendo populo fecerat. Angelus itaque in Perſide permanens pugnabat contra Cambyſen, illius furorem reprimendo, & edicta eius contra populum, ne executioni mandarentur, impediendo. Deinde etiam dicit, venturum poſt ſe, contra eundem Perſarum Principem (non quidem contra Cambyſen ipſum, ſed contra alios, eo ſublato, Perſarum Reges) venturum, inquam, Principem Græcorum, qualis fuit Alexander, qui aliorum quoque Perſidis Regum furorem contra populum Dei accenſum, compeſceret, atque extingueret. Et quidem rem ita ſeſe habuiſſe, docent hiſtoriæ. Hæc eſt illius interpretatio, ita vera & genuina, vt eam etiam porrò ſecuti ſint alij doctiſſimi viri. Ita apparet ex hoc loco, nullum dari locum præſenti quæſtioni, de diſſidio & conflictu Angelorum bonorum inter ſe.

II. Quia tamen vetus eſt hæc quæſtio, breuiter etiã, quid ad eam reſponderi ſoleat, explicabo. Scholaſtici hanc tractant in libr.2.Sent.diſtin.11. Et Thomas Aquinas in magna ſumma, parte prima, quæſtione 13.art.8. Summa reſponſionis Scholaſticorum eſt hæc: *Inter Angelos nulla eſt, aut eſſe poteſt diſcordia voluntatũ, ſi ſpectes nimirum id, quod verè volunt: Volunt enim omnes, quod vult Deus: ſed diuerſitas quædã nonnũquam in ipſorum iudiciis atque ſententiis eſſe videtur, quatenus ſcil. ignorato Dei decreto: vnus ex vna cauſſa iudicat ſic eſſe faciendum: alter contrà ex alia cauſa, cenſet non ita eſſe agendum.* Atque hanc ſententiarum & iudicio[rum] in Angelis diuerſitatem, aiunt diſcordiam & pugnam appellati. Exemplum adferunt ex hoc Danielis loco iuxta vete-

rem interpretationem. Angelus qui ſtabat pro populo Iſrael, iudicabat dimittendum omnino eſſe populum, iuxta petitionem & preces Danielis, quod completum iam eſſet tẽpus captiuitati præfixum: Contra Angelus præfectus regno Perſarum, ſentiebat, non eſſe dimittendum adhuc, propterea quod nondum populus verè reſipuiſſet, purgatúſve eſſet ſed adhuc duræ eſſet ceruicis, & peccatis obrutus: atque in primis, quòd alienigenas vxores duxiſſent, & adhuc eas retinerent. Iſta itaque iudiciorum inter ſe diuerſitas & communicatio, *diſcordia & pugna* appellatur: Diuerſitas autem opinionum, non tollit amicitiam, neque veræ repugnat concordiæ: ſed tantum contrarietas voluntatum repugnat. Vterque autem volebat, quod decreuerat Deus: ſed decretũ hoc, de ſententia illorum, ignorabant Angeli. Hæc eſt illorum ſententia. Ex noſtris ſunt, qui ſentiant, eſſe proſopopœiam quandam. Propter imbecillitatem enim captus noſtri, cœlum comparari aulæ alicuius Monarchæ potentiſſimi, in qua legati ex diuerſis regionibus diuerſas ſuorum populorum agant cauſas. Sic enim debere nos animo concipere, Deum vnicum regnorum omnium Dominum, omnium etiam audire cauſas & omnium res agere. Angelos autem pro nutu & voluntate Dei, Deo ipſi miniſtrare: cùm iis vtatur diſpenſatoribus & miniſtris ad Mundi gubernationem: interpretatio hæc facilis eſt & vſitata in ſcripturis. Theſis igitur noſtra hæc eſto.

THESIS.

Etſi inter bonos & malos Angelos verum diſſidium, & verum bellum, modo tamen Angelico nonnunquam ortum eſt, & oriri poteſt. inter bonos tamen diuerſitas quidem iudiciorum eſſe poteſt, ſed diſſenſio voluntatum & diſcordia propriè accepta, nullo modo poteſt.

PRimum membrum manifeſtum eſt ex multis ſcripturis, vt Apoc. 12. & in Iudæ Epiſtola. Alterum patet ex iis, quæ de ſcientia Angelorum dicta ſunt, & modò diximus. Tertium quoque apertum eſt, quia inter Angelos bonos talis eſt amicitia & pax, vt nullam admittere queat diſcordiã.

DE ANGELORVM DESERTIONE.

CAPVT XVII.

An vnquam Angeli deſerant eos, quibus cuſtodiendis & regendis traditi ſunt: non caret dubitatione.

NOnnulli adferuntur à Scholaſticis loci, tum è ſcripturis, tum ex Patribus: quibus probari poſſe videtur, nos ab Angelis, quorum curæ traditi ſumus, nonnunquam deſeri. Ieremiæ 51. Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eã, & eamus vnuſquiſq; in terram ſuam. Sed re vera locus ille violenter torquetur, dum fingimus hos eſſe ſermones Angelorum: cùm potius Propheta loquatur hic per proſopopœiã de illis hominibus exteris, qui aut tolerandam opem Babylonis, ſed fruſtrà, aut libenter tuliſſent, ſi vidiſſent eam vrbem poſſe defendi & ſeruari. Adferunt etiam ex Ieſa. 5. illud: *Auferam ſepem eius, & erit in conculcationem*, id eſt, auferam Angelorum cuſtodiam, vt gloſſa habet ordinaria. Hic locus plus habet coloris, quia nomine ſepis, Propheta diuinam protectionem intellexit, quæ ſæpe fit per Angelos. Item Ioſephus de bello Iud. lib. 2. cap. 12. refert, cùm templum ſecundum vaſtaretur, auditas fuiſſe voces Angelorum ibi, dicentium, *Tranſeamus ab iis ſedibus.* Alij etiam referunt idem contigiſſe tempore, quo Chriſtus crucifigebatur: Auditas enim fuiſſe voces Angelorum in aëre, *Tranſeamus ab iis ſedibus.* Diuus etiam Baſilius Pſalm. 33. *Omni credenti in Dominum Angelus aſſidet, ſi non ipſum nos per praua opera fugauerimus.* D. Bernardus in ſuis ſermonibus non ſemel docuit, Angelos à ſomnolentis & pigris diſcedere propter ipſorum torpores. Illud quoque adferunt, Deus ſæpe deſerit homines propter ipſorum peccata: Quidni igitur & Angeli Dei miniſtri?

Sed contrà alij loci docent, nos nunquam deſeri ab Angelis cuſtodibus noſtris. Eſſe enim illis mandatum, vt ſemper nos cuſtodiant, *Pſal.* 91. Et ſupra idem nos oſtendimus abũdè, cuique electo dari proprium Angelum, vt perpetuus & indiuiduus ſit eius comes & cuſtos. Et huc faciunt multa Patrũ teſtimonia ſuprà citata: vt illud Auguſtini ex tom. 9. lib. Medit. cap. 12. *Maximum æſtimo & illud fuiſſe beneficium, quod Angelum pacis ab ortu natiuitatis meæ, ad finem vſque meum mihi, ad cuſtodiendum me, dediſti.* Idque meritò. Nam ſi diabolus nunquam nos ita deſerit, quin ſemper nouo tentationis genere nos vexet, vt docet Petrus. Et ſi ſemper illius obnoxij ſumus inſidiis: Quidni debent Angeli nos ſemper cuſtodire & tueri? væ nobis, ſi prorſus deſereremur. Theſis igitur hæc eſto.

THESIS.

Angeli, quorum curam ex Dei mandato gerunt: Eos nunquam penitus, omniue officij genere deſerunt.

PEnitus, dico, & *omni officiorum genere*, quoniam fateor, ex parte & ſecundùm quid, vt loquuntur, nos nonnunquam ab ipſis, pro Dei voluntate & iuxta eius mirabilia iuſtiſſimáque iudicia, deſeri. Quò ſpectant omnia argumenta, quæ priori loco allata ſunt.

Hieronymus quoque tomo 6. in Zachariam, cap. 4. initio capitis in ea verba: *Et reuerſus eſt Angelus*, ita ſcribit: *Quò abierat, vt reuerteretur, maximè, qui loquebatur in Propheta, qui abſq. eo, in quo loquebatur, eſſe non poterat?* Sed, inquit, *quotieſcunque humana fragilitas ſuæ relinquitur imbecillitati: Dei à nobis & Angelorum eius auxilium abire credendum eſt.* Ita docet Hieronymus non penitus Angelos à nobis recedere, ſed ex parte, quatenus ſcilicet nos noſtræ relinquimus imbecillitati: idque etiam ad ſalutem noſtram. Quemadmodum & mater nonnũquam ſinit infantem per ſeſe gradi, ſuæ relictum imbecillitati: Nunquid ne propterea deſeruiſſe filium dicenda eſt? Notandũ igitur eſt, Angelorum cuſtodiam nihil aliud eſſe, quàm certam quandam diuinæ prouidentiæ executionem. Eſt autem manifeſtum, nihil eorum quæ ſunt, multò minùs hominem penitus deſeri à prouidẽtia diuina, ſed omnia per illam regi. Verùm eatenus dicitur Deus ſecundùm ordinem ſuæ prouidentiæ hominem deſerere (vt ſæpe in Pſalm legimus, & Chriſtus dicebat, *vt quid dereliquiſti me?*) quatenus pro ſuo ſapientiſſimo & iuſtiſſimo iudicio, permittit eũ in malum aliquid incurrere: nempe vel in malum culpæ, vel in malũ pœnæ, h. e. vel peccare, vel pœnas dare peccatorum. Sed hæc etiam permiſſio, eadem Dei prouidentia, tandem cedit electis in ſalutem & in gloriam Dei deſinit: ita fit, vt nemo vnquam penitus deſeratur à Deo. Ergo neque ab Angelis, quorum Deus opera ad electorum ſalutem, & ad ſuam gloriam vtitur, penitus deſeri poteſt: ſed ſicut Deus vult, ita permittit electum vel labi in peccata, vel alicui malo obnoxium fieri, & in illud incurrere. Proinde reuocanda ſunt in memoriam tria illa, de quibus ſuprà, Angelorum officia: vnum circa corpus tantum: alterum circa animæ duntaxat ſalutem: tertium circa vtriuſq; ſimul conſolationem verſans. Ad primum quod attinet, nunquam deſerit Angelus, quem cuſtodit, penitus: quin vitam noſtram cuſtodiat, ne à Satana opprimamur, & funditus perdamur. Huc Pſalm. 91. *Deus enim mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnib. viis tuis.* Nota illud, *in omnibus.* Quod ad ſecundum: Etiamſi noſtris peccatis efficimus, quantum in nobis eſt, vt Angeli debeant nos penitus deſerere: illi tamen, tum propter mandatum Dei, tum propter ſuam erga nos beneuolentiam, hoc non faciunt: ſed ita ſe erga nos peccantes gerunt, vt Medicus erga ægrotum propter varia & pudenda vlcera fœtentem. Is occluſis naribus eum patientia pergit illi facere medicinam, ne penitus pereat: Ita Angeli tantum abeſt, vt nos penitus deſerant, vt potius, quanquam valde offenſi inſtent: & cogitationes bonas de pœnitentia & fide in Chriſtum ſuggerendo, vrgeant, vt à peccatis reſipiſcamus, reuertamur ad Dominum & proficiamus in via ſalutis.

DE POTENTIA ANGELORVM.

CAPVT XVIII.

DE officiis Angelorum, atque inprimis de cuſtodia, qua nos omnibus viis noſtris, vt loquitur ſcriptura, cuſtodiunt, hactenus diſputatum eſt. Reſtat vt iam de ipſorum vi atque potentia in res creatas, tum ratione carentes, tum etiam ratione præditas, vti ſumus nos: atque etiam Cacodæmones, dicamus. Dicam autem priori loco de vi & potentia in res corporeas rationiſque expertes: Deinde quid poſſint in homines, inque animas noſtras. Poſtremò de ipſorum etiã potẽtia atque imperio in

malos Angelos. Hæc omnia breuitatis cauſa, vnica quæſtione, ſed Theſibus quatuor à nobis explicabuntur.

THESIS I.

Ea eſt Angelorum in omnes res corporeas, naturalis vis atque potentia: vt quicquid eis in natura contingere, ab aliiſque rebus creatis fieri poteſt: illud ipſi quoque vel immediatè per ſe, vel per naturalia agentia à ſe mota, naturaliter in eas efficere poſſint: quanquam re ipſa nihil niſi ex Dei ordinatione atque mandato, præſtare ſoliti ſunt, aut etiam poſſunt.

DVo ſunt præcipua huius Theſeos membra, vnum de naturali Angelorum potentia in res corporeas: Eos ſcilicet poſſe quicquid corporibus in natura, & à rebus naturalibus, contingere poteſt. Alterum de efficacitate huius Angelicæ potentiæ: Eam ſcilicet ita ſubditam eſſe potentiæ & voluntati diuinæ, vt nihil re ipſa valeat, niſi quantum Deus velit atque præſcribat. Explico ſimul & confirmo vtrumque Theſeos membrum.

1. Dicimus, *Angelos poſſe in res corporeas, quæcunque illis à natura contingere poſſunt.* Hanc idcirco particulam adiecimus: quoniam quæ ſupernaturaliter eueniunt, quæ etiam *miracula* appellari ſolent: ea fieri non poſſe ab Angelis naturali ipſorum virtute, ſed virtute tantum diuina, extra ordinem quandoque illis conceſſa, ſentimus. Neque enim, exempli cauſa, Angeli ſicut cœlos mouent, ſic etiam ne moueantur, ſua naturali virtute efficere poſſunt. Illud enim naturale cœlis eſt, hoc autem non niſi ſupernaturaliter, eóque à ſolo Deo fieri poteſt. Ita mortem quidem inferre homini poſſunt, quoniam hoc cum natura hominis conſentaneum eſt: at eundem à mortuis in vitam reuocare non poſſunt.

1. Proinde rectè concludunt Scholaſtici, rationibus & autoritatibus Patrum, omnia corporalia per Angelos, tanquam Dei miniſtros regi: ſed fieri ab eis miracula poſſe, negant: niſi quatenus Deus illorum miniſterio in edendis miraculis vti ſolet: quemadmodum cùm opera Angeli vtebatur ad commouendam aquam in piſcina: Io.5. eóque ad curandos eos, qui prius in eam deſcendebant: Et quemadmodum in fine ſeculi vtetur illorum opera ad colligendos mortuorum cineres & cadauera, eóque ad mortuos in vitam reuocandos. 1. *part. quæſt.* 110. *art.* 1. *&* 4. Solus enim Deus, verus miraculorum autor eſt, vt ſcriptura docet, dicendo: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Angeli verò & aliæ res creatæ, inſtrumenta tantùm ſunt Dei ad hęc facienda: id quod liquidò etiam apparet, ſi, quid ſit miraculum, rectè intelligatur. *Miraculum* illud eſſe dicitur, non quod ſimpliciter fit præter ordinem particularis alicuius naturæ, vt nonnulli malè definiunt. (Nam alioqui miraculum etiam foret, ſi lapidem quis ſurſum proiiciat. Hoc enim præter ordinem & contra naturam lapidis ei contingit:) ſed miraculum propriè eſt & verè dicitur, quod præter ordinem totius creatæ naturæ contingit, vt ſi lapis ſurſum à nulla motus creatura, hoc eſt, ſine vlla vi, ſed ſponte moueatur. Hoc enim à ſolo Deo præſtari poteſt lapidi: Et in vniuerſum, quicquid præter ordinem totius naturæ creatæ contingit, illud à ſolo Deo eſt. Nam quicquid vel Angelus, vel aliqua alia res creata ſua propria facit virtute: illud fit ex ordine, non autem ſupra ordinem totius naturæ creatæ. Proinde quòd tempore Moſis interfecta fuerint, vna nocte omnia primogenita Ægyptiorum, id Angelo datur. Occidi enim & mori non fuit illis præter ordinem totius naturæ. Nam ab alia etiam re naturali potuiſſent interimi. Sed quòd aquæ maris ſuum firmarint curſum, & tandiu ita inſtar muri ſteterint, donec totus Iſraëliticus populus, ſiccis pedibus tranſiret, ſoli Deo meritò adſcribitur: quoniam hoc præter ordinem totius naturæ contigit: Et nemo hoc niſi Deus efficere potuiſſet. Ita quòd Sol ſteterit immotus tempore Ioſuæ, à ſolo Deo fuit: At quòd Iſraëlitæ fortes facti in prælio, reportârint victoriam: rectè Angelis etiam datur, Ioſu.5. Angelus enim cum euaginato gladio apparuit, vt iuuaret Iſraëlitas in prælio: Ita de aliis ſentiendum & dicendum eſt. Nunc igitur videmus, cur dictum à nobis ſit in Theſi, *Angelos ſua naturali potentia poſſe ea tantùm quæ rebus à natura, non autem præter ordinem totius naturæ, contingere poſſunt.* Naturæ enim ordinem immutare Angeli naturali virtute non poſſunt.

2. Secundo loco diximus, hæc illos *poſſe vel per ſe immediatè, vel per naturalia agentia à ſe mota.* Immediatè per ſe, vt quòd aliquid moueant locali motu: vt quòd vnus Angelus totum ferè Sennacheribi exercitum interfecerit, & reliquos in fugam verterit: vt quòd Petrum & reliquos Apoſtolos è carcere eduxerit, Act.5.12. Immediatè hæc & alia ſimilia ab Angelis facta ſunt, & fieri poſſunt. Ita etiam Philoſophi ſenſerunt, omnem creaturam corporalem, immediatè à natura ſpirituali moueri poſſe localiter: vt cœli à ſubſtantiis abſtractis & ſpiritualibus: Et vt anima noſtra immediatè & primò ac principaliter corpus mouet. Poſſunt itaque Angeli immediatè & per ſe omnia mobilia corpora, locali motu mouere, quocunque volunt: vt hominem aliquem, vno ferè momento transferre è loco ad locum: ſicut de Philippo, & de aliis alibi legimus, vt etiam excitare ventos, ciere aquas, tempeſtatémque in mari commouere, & alia innumera. At verò plura etiam ſunt, quæ per ſe non poſſunt Angeli, ſed per agentia naturalia à ſe permota. Vt, exempli cauſa, generare homines, aut aliud animal non poteſt Angelus per ſe: Generatio enim fit à ſimili ſpecie: At verò poteſt in animali vno vim gignendi excitare, & in altero vim concipiendi, & ea ſimul vt coëant, efficere: atque ita per hæc animalia à ſe mota & ad generationem præparata, animal aliud generare. Ita ex ligno immediatè & per ſe ignem facere non poteſt Angelus, naturali ſua virtute. Hoc enim eſt præter ordinem totius naturæ: Et ideò ad miracula pertinet, eóque ſolius Dei eſt: ſed ignem ligno admouere, atque ita per ignis actionem lignum ipſum, vel lapidem in ignem conuertere poteſt perfacilè. Neque enim nutu ſuo immediatè facere poſſunt Angeli, quæcunque volunt, ſicut Deus & Chriſtus: ſed quædam per ſe, vt quæ ad motum localem pertinent: quædam per naturalia media à ſe immediatè rebus admota, vt quæ ad alios motus ſpectant. Ideo Tob.11. non legimus, Angelum immediatè & per ſe cœcum Tobiā illuminaſſe, ſicut Chriſtus multos per ſe viſu donauit: ſed per collyrium ex felle piſcis confectum & oculis admotum. Solius enim Dei eſt, omnia immediatè per ſeſe poſſe. Videmus igitur verum eſſe, quod diximus, *Angelos quæ poſſunt in res corporeas, ea poſſe partim immediatè per ſe, partim per naturalia media à ſe, rebus & corporibus admota.*

3. Quod verò tertio loco adieci, licèt ita ſint potentes, *eos tamen nihil re ipſa hac ſua potentia poſſe, niſi quantum Deus illis præſcribit, & ipſi vident eſſe ex Dei voluntate:* Hoc iccirco adiectum fuit, vt intelligamus, nihil in mundo, ſiue ab Angelis, ſiue à diabolis & hominibus, ſine Dei voluntate fieri: Et agnoſcamus, omnia diuina regi prouidentia, ad quā ordinati ſunt inprimis Angeli, & deinde cauſæ aliæ omnes, vt vocant, *ſecundæ.* Quàm verò hoc certum ſit: docent paſſim ſacræ literæ, & nos abundè demonſtrauimus in attributo *De prouidentia Dei.* Neque enim Angeli quicquam aut agunt, aut agere volunt: niſi quod ex Dei eſſe voluntate intelligunt. Idcirco in Pſalm.103. cum potentia & vi Angelorum coniunxit Propheta etiam mandata Dei, dicendo, *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes voluntatem illius, ad audiendam vocem promiſſionum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, qui facitis voluntatem eius.* Et in oratione Domini ea precamur Deum, efficiat, *vt à nobis in terris fiat eius voluntas, ſicut etiam in cœlo fit,* nempe ab Angelis. Hæc cùm ita ſe habeant: docemur Angelos inſtrumenta tantùm eſſe Dei, eiúſq; miniſtros in Mundi adminiſtratione, & in ope nobis ferenda. Deum autem illum eſſe, qui propriè nobis opem ferat, qui Mundum regat, qui omnia denique operetur in omnibus, vt ſcriptura paſſim docet. Vnde & *Angeli* propriè vocātur *adminiſtratorij ſpiritus:* quia nimirum ad Deum nos ducunt. Quare in Angelis hæc ſita non eſt atque in illorum potentia: ſed in Deo, eiúſque omnipotentia. Et ſcripturæ, cùm aliquid ab Angelis factum commemorant, præmittere ſolent, eos miſſos fuiſſe à Deo, ad id faciendum, vt Act.12. *miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit Petrum de manu Herodis, &c.* Atque ita etiam Chriſtus docuit: *An non potuiſſem rogare Patrem, Et dediſſet mihi plus quàm 12. legiones Angelorum?* Etſi igitur magna eſt Angelorum in omnia corpora vis atque potentia: ea tamen ita diuinæ voluntatis finibus circumſcripta eſt, vt nihil reipſa efficere poſſint, niſi quantum Deus ab illis & per illos fieri vult. Atque hæc de prima Theſi ſatis.

II. Quid verò ſpeciatim valeant Angeli in homines ipſos, nunc inquirendum eſt. Dicam autem prius de potentia, non tam in corpora noſtra, quàm in noſtros etiam ſenſus, tum internos, tum externos: Deinde de eorundem potentia in animas noſtras, & in voluntatem, & in intellectum. Altera igitur Theſis hæc eſto.

THESIS II.

Ea eſt Angelorum in noſtra corpora ſenſúſque corpo-

corporeos, tam internos, quàm externos, virtus ac poteſtas, vt non ſolùm corpora ipſa localiter mouere, & in ea, quæ & in reliqua, agere: verùm etiam tum externos, tum internos ſenſus immutare poſſint.

TRia ſunt membra huius Theſeos: primum de vi Angelorum in noſtra corpora ſimpliciter: alterum de eadem vi in ſenſus externos: tertium; de eadem in internos.

Ad primum membrum quod attinet, non eſt opus vlla vel explicatione, vel probatione. Eadem enim Angelis eſt naturalis potentia in corpora noſtra, quæ & in reliqua, eo quo ſuprà dictum eſt modo. De potentia verò in ſenſus externos, non eſt itidem magna controuerſia. Sunt enim ſcripturæ apertæ, ſæpenumero per Angelos immutatos fuiſſe in hominibus externos ſenſus. Vt cùm Angeli oculos Sodomitarum ſua virtute perſtrinxerunt, ita vt Sodomitæ cernere non potuerint oſtium domus Lothi, *Gen.* 19. Idem de Syris legimus 4. Melach. 6. & alia permulta extant exempla.

Bifariam autem immutare poſſunt Angeli humanos ſenſus. Primùm externo ſenſui nouum aliquod obiectum, vel à natura, vel à ſe formatum obiiciendo: quo res alias videre non poſſimus. Sic factum legimus 4. Melach. 7. cùm in fugam verſus eſt exercitus Regis Syriæ. Dominus enim ſonitum quaſi multorum equorum multitúmque armatorum per Angelos excitauit in caſtris Regis Syriæ: ita vt ſibi viderentur audire ſtrepitum virorum, curruum, equorum & numeroſiſſimi exercitus. Hoc nouo obiecto in aëre per Angelos formato, & ad aures Syrorum perlato, factum eſt, vt immutato Syrorum auditu, aufugerint, & vrbem, quam diu obſederant, & quæ fame ſupra modum premebatur, deſeruerint: Et ita Prophetæ Eliſæi verbum, quod pridie dixerat, *foret*, ſcilicet *vt poſtridie modius ſimilæ vno ſtatere in vrbe venderetur*, impletum fuerit. Sic etiam factum eſt, cùm ipſi Angeli corpora ſumpſerunt ignea: ita vt videretur mons plenus curruum & equorum igneorum. 4. Melach. 6. Similia exempla multa ſunt in ſcripturis; cùm videlicet Angeli aliqua re noua, vel auribus, vel oculis hominum obiecta, eorum ſenſus immutarunt & perſtrinxerunt, ne poſſent alia vel audire, vel videre.

Deinde immutant etiam externos noſtros ſenſus, humores intus in corpore commouendo & ſpiritus excitando, internáque aliqua alia ratione externos ſenſus perſtringendo. Sic enim ſæpenumero fit, vt commotis variis internis humoribus & nouis excitatis ſpiritibus & affectibus, externi etiam ſenſus, aures, oculi immutentur, & videamur nobis vel videre nouas rerum formas, montes aureos, Centauros, & id genus alia: vel nouos audire ſonos: vt contingit phreneſi laborantibus: Et illis, qui humore aliquo laborant melancholico, alijſque id genus hominibus. Habent autem vim Angeli in corpora noſtra ita vt intus etiam excitare humores & ſpiritus poſſint varios: atque ita efficere, vt multa videamur videre tanquam vera corpora, quæ tamen non ſunt: Et varia audire, tanquam varias harmonias & humanas voces, quæ tamen nihil minus ſunt, quàm quod eſſe nobis videntur. Sunt etiam hæc perſpicua, & omnium doctorum conſenſu recepta.

Quid verò de internis ſenſibus, vt de imaginatrice facultate dicemus? Num hanc quoque mouere poſſunt Angeli? Hoc certè affirmant nobiſcum doctiſſimi quique inter Scholaſticos & Philoſophos, vt de Auguſtino & aliis Patribus taceam: imò è ſacris literis colligitur manifeſtiſſimè. Conſtat enim è ſcripturis, Angelos ſæpe apparuiſſe Patribus in ſomnis, & multa illis oſtendiſſe & reuelaſſe. Sic Matth. 2. *Apparuit Angelus Domini in ſomnis ipſi Ioſepho, &c.* Quæ autem in ſomnis videntur & audiuntur, imaginaria viſione & auditione videntur & audiuntur. Senſus enim externi ita obligati ſunt cùm dormimus: vt eis neque videre, neque audire, multò minùs diſcernere poſſimus. Angeli igitur cùm in ſomnis apparent & loquuntur cum hominibus: cùm totum hoc fiat in phantaſia, ſed verè & ſine ſimulatione: Phantaſiam ipſam ab eis moueri, & in eam agi manifeſtè euincitur.

Deinde extra controuerſiam eſt apud Philoſophos, vt apud Ariſtot. De ſomno & vigilia. Et in libr. De inſomniis: per naturalem humorum in ſomnis commotionem, varios motus in phantaſia excitari, & rerum interdiu auditarum vel inſpectarum phantaſmata in ea congregari: atque ita varia inſomnia generari. Atque antea demonſtratum eſt, per Angelos excitari in nobis poſſe varios humores & ſpiritus: actionem enim habent in omnes res corporeas. Dubium igitur non eſt, quin in phantaſia multa excitari poſſint ab Angelis, tam in malis, quàm bonis phantaſmata. An non ſæpenumero ſentimus, nobis etiam inuitis recurrere in memoriam & in phantaſiam multa, quæ alioqui obliuione penitus deleta & ſepulta eſſe putabamus? Ab aliquo certè agente excitantur & in memoriam reuocantur: Non hoc fit à nobis ſponte & vltrò vt manifeſtum eſt. Non poſſumus igitur inficiari, quin Deus hoc per ſuos Angelos efficiat. Denique nos voluntate noſtra ſolemus ſomnus in memoriam multa reuocare: Et phantaſiam ad aliquid abſens apprehendendum excitare. Si anima noſtra habet vim habet in ſenſus corporeos: mirum videri non debet, ſi & Angelica ſubſtantia idem ſua poſſit virtute: mouere nimirum phantaſiam, & in ea varia excitare phantaſmata. Quicquid enim inferior virtus poteſt, idem poteſt & ſuperior, idque præſtantiori modo. Præſertim quia nos non attribuimus Angelis, quod Deo: nempe vt nouas prorſus, & nunquam ſenſu aliquo perceptas rerum formas in mentem immittere poſſint (nunquam enim efficit Angelus, sua naturali virtute, vt cæcus natus de coloribus ſomniet, & eorum differentias imaginetur.) ſed tantùm, quòd quæ aliqua de ſenſibus externis percepta fuerunt: Et quorum ſpecies relictæ ſunt in ſenſu communi: Eorum phantaſmata in phantaſia moueant, ſ fricent, excitent, commoueant: libertate ſemper voluntati relicta: an velit illis aſſentire, vel diſſentire, vt poſtea dicemus. Adde, quòd Angelus vim habet in noſtrum intellectum, cum ſcilicet illuminandi, docendi, vt mox dicemus: Multò magis igitur in phantaſiam.

THESIS III.

Tametſi Deus propriè ille eſt, qui & mentes noſtras illuminat ac docet ſuo ſpiritu, & voluntates flectit, quocunque vult: Si quis tamen dicat illum ad vtrumque opus Angelorum opera vti ſolere, ita vt ipſi quoque, ſed ſuo modo, in noſtras tum mentes, tum voluntates, agere dicantur: is contra ſcripturas nihil dixerit.

PErſpicua eſt Theſis, ita vt explicatione opus non habeat, niſi illa particula, *ſed ſuo modo*. Diſcrimen itaque facio hac particula inter modum, eóque inter vim, qua Deus agit in animos, præſertimque voluntatem: Et inter modum, eámque potentiam, qua Angelus tanquam miniſter, Deo in eoſdem animos cooperari dicitur. Ac primum quidem ad intellectum quod attinet, duo in eius illuminatione, qua veritatem rerum præſertim diuinarum percipiat, ſpectanda ſunt: vnum eſt mentis ipſius illuſtratio ad veritatem percipiendam: alterum veritatis ipſius oblatio ac patefactio. Vtrumque autem fit per lumen, non angelicum, ſed diuinum, ac Spiritus ſancti, vt paſſim ſcripturæ docent. Ac proinde, & mentis illuſtratio, & veritatis patefactio ac perſuaſio propriè à Spiritu S. eſt, qui ſuo lumine & afflatu vtrumque efficit: Ab Angelis verò tanquam ab inſtrumentis & cooperatoribus Spiritus Sancti internis eſſe haud impiè dici poteſt: qui excitatis verbi auditi phantaſmatibus hominibus, tum veritatem menti proponant, tum mentem, vt in veritatem propoſitam intueatur, neque aſſentiatur, commonefaciant, illuſtrent, atque confortent. Simili explico: Vt oculus colorarum quiddam videat, duo ad hoc requiruntur; vnum; vt res colorata oculo proponatur videnda: alterum, vt oculus ad videndum illuſtretur. Vtrumque fit per lumen vel Solis, vel candelæ. Lumine enim & oculus ſimul illuminatur, ad videndum diſponitur atque afficitur: Et res colorata oculo obiicitur, videndáque proponitur. Quòd itaque oculus videat: non totum hoc, quod ad externas attinet cauſas, debetur propriè actioni ſolis; qui ſuo lumine vtrumque præſtitit. Cæterùm, ſi&c vt eius oculus lumine ſolis illuſtrandus eſt, is dormiat, & occlusos habeat oculos: aliquis verò accedat, & eum à ſomno ad lucem percipiendam, coloréſque viſendos excitet: is certè diceretur cooperator ſolis ad illius viri oculum illuſtrandum, coloréſque patefaciendos fuiſſe. Nam is etiam ad oculi illuſtrationem, eoque ad rei coloratæ manifeſtationem nonnihil egit: Tametſi propriè & illuſtratio oculi, & rei coloratæ patefactio, ſolis actioni debetur. Non diſſimili modo ſe habere Deum & Angelum in actione, quâ mens noſtra ad veritatem percipiendam illuminatur, probabiliter dici poteſt. Propria & verè efficiés cauſa Deus ipſe eſt, ſuo ſpiritu, ſuóque diuino lumine: Cooperator fuerit Angelus. Huius enim opera vti dignatur Deus, certè potens, ad veritatem menti intus proponendam: Et ad mentem, vt in eos ceu oculos oblatæ

veritati & propoſito lumini aperiat, excitandam.

Prophetæ & Apoſtoli omnéſque miniſtri in prædicando perſuadendóque Electis Euangelio, quod hic dicimus, perſpicuè confirmant & explicant. Quis enim propriè fideles docet Euangelium, illorúmq; mentes ad cognitionem veritatis illuſtrat, & eam illis perſuadet? Deus ſuo interno ſpiritu. Solius enim Dei donum eſt fides, veráque Dei cognitio. Apoſtoli tamen & Prophetæ cooperatores ſunt Dei in hoc opere: ita vt ipſi quoque tanquam cooperatores ſuam habeant actionem in animos fidelium. Fides enim eſt ex auditu: auditus autem per verbum Dei, per homines ſcilicet prædicatum. Vt igitur Deus externo vtitur miniſterio hominum ad mentes electorum illuminandas, & ad veritatem illis patefaciendam ac perſuadendam: Sic etiam internè & inuiſibiliter vtitur eandem ad rem miniſterio Angelorum: ita vt & ipſi ſuam habeant actionem in mentes electorum, cùm à Deo illuminantur. Nunc ergo tenemus diſcrimen inter modum, quo Deus agit in mentes noſtras, & quo Angeli. Ac proinde manifeſtum etiam eſt Angelorum vim & actiones in mentes vſque penetrare, ſed ſuo modo, vt dictum eſt. Non diſſimile diſcrimen inter modum, quo Deus, & inter eum, quo Angeli agunt in voluntates noſtras, inuenitur. Solus enim Deus propriè agit in voluntates noſtras, eáſque mouet & flectit, quò vult: Angeli verò, vt cooperatores, & qui hortentur potius externis rationibus, quàm qui flectant internis actionibus. Nam bifariam moueri & flecti voluntas noſtra poteſt, aut ab interiori principio atque agente; aut ab exteriori. Interiorem mouentem & flectentem non habet voluntas, niſi Deum. Quid eſt enim motus voluntatis? Nihil aliud, quàm ipſius inclinatio, in id quod vult: Et ſic Latini loquuntur. Cùm enim ſignificare volunt ſuam voluntatem ad aliquid moueri & flecti: aiunt, *animam in rem aliquam inclinare & inclinari.* A quo igitur vim habet, qua inclinatur ad aliquid voluntas: is etiam eſt verus & interior voluntatis motor. A quo verò vim hanc habet voluntas? A ſolo Deo voluntatis creatore. Sicut enim omnis naturalis cuiuſuis rei inclinatio à ſolo Deo creatore eſt: id quod nemo hominum inficiari poteſt. Sic etiam inclinatio voluntatis, non niſi à Deo eſt, voluntatis auctore. A quo enim quis habet naturam & voluntatem: ab eodem etiam habeat naturalem & voluntariam inclinationem, neceſſe eſt. Solus igitur Deus internus eſt, eóque verus voluntatis noſtræ motor, eam'áque inflectens. Vt hoc explicaret Salomon, dixit Prouerb. 21. *Cor Regis eſſe in manu Dei:* hoc eſt, in plena eius, abſolutáque poteſtate: ac proinde hoc ab illo inclinari, quocunque vult. Apertè ſignificauit: in nullius creaturæ manu & poteſtate eſſe corda voluntatéſque hominum flectere: ſed hoc ſolius eſſe Dei: Et Prophetæ dicunt, Deum *corda ex ferreis, facere carnea,* hoc eſt, ex duris facere mollia: ex peruicacibus, obſequentia, & flexibilia in voluntatem Dei. Si cauſam igitur agentem intrinſecam, vnde propriè mouetur & flectitur voluntas, ſpectemus; Deus ille vnus eſt, qui mouet & flectit quocunque vult: Nulla verò creatura talem habet in voluntates noſtras actionem. Si verò externam ſpectes rationem, qua voluntas ad aliquid promouetur: Ea duplex eſt. vna eſt ipſum voluntatis obiectum, bonũ ſcilicet, ab intellectu apprehenſum, & voluntati efficaciter oblatum. Vnaquæque enim animæ facultas, à ſuo mouetur obiecto, non oblato tantùm, ſed etiam apprehenſo. Altera ratio in ipſis eſt paſſionibus, quæ in appetitu degunt ſenſitiuo, vt eſt ira, concupiſcentia. Ex iis enim mouetur ſæpiſſimè voluntas, ad aliquid volendum, eligendum, imperandũ. Efficiunt enim paſſiones tanquam Sophiſtæ, vt quod alioqui malum eſt, videatur voluntati bonum, atque ita in illud inclinet magis, quàm in verum bonum, quod ab intellectu apprehenſum, ei offertur: veluti videmus in Dauide, Petro, & aliis: imò & quotidie in nobis experimur ipſi. Quatenus igitur aliquis ſua actione, vel alia ratione, aut efficit, vt intellectus bonum voluntatis obiectum intelligat, apprehendat, & voluntati offerat: aut quatenus commouet paſſiones in appetitu ſenſitiuo, iram, odium, concupiſcentiam, à quibus voluntas in aliquid inclinetur: eatenus is dicitur permouere voluntatem. Eſt autem manifeſtum ex iis, quæ antè dicta ſunt, Angelos poſſe partim intellectui proponere verum ac bonum, ad vtrumque percipiendum eum illuminare, eóque efficere, vt hoc vnum voluntati proponatur eligendum: partim etiam poſſe paſſiones in noſtris ſenſibus excitare. Conſtat enim de Angelis malis, eos ad malum nos inſtigare: atque ita ſæpenumero efficere, vt ad malum noſtra inclinet voluntas. Eatenus igitur etiam boni Angeli dicuntur in noſtras agere voluntates, eáſque ad aliquod bonum permouere: nempe non ſimpliciter & abſolutè vt Deus, qui ſolus efficaciter flectit voluntatem quocunque vult: ſed ſecundum quid, & quatenus externis rationibus inſtar conſiliariorum ſuadent aliquid voluntati. Neque enim eam vel cogere poſſunt, cùm eius ſit naturæ, quæ cogi nequeat, vt inuita aliquid velit: neque efficaciter pro ſuo arbitrio eam permouere valent, cùm hoc ſolius ſit Dei. Suadendo igitur duntaxat, & internè quaſi loquendo, & agendo, Angeli mouere voluntatem dici poſſunt: Deus verò vt cauſa efficiens, efficaciter flectendo, eam mouere, omnino dicendus eſt. Nunc tenemus diſcrimen inter modum, quo Deus voluntatem mouet & flectit, & eum, quo Angeli illam mouere dici poſſunt. 2. Quod autem de actionibus Angelorum tum in intellectum, tum in voluntatem, eo quo explicatum eſt modo, diximus, haud malè confirmari poteſt dicto Apoſtoli ad Hebr. c. 1. vbi ait, *eos eſſe adminiſtratorios ſpiritus, in miniſterium miſſos,* &c. Quibus enim obſecro, actionibus ſalutem nobis adminiſtrant? Num tantum externis, quæ corpora duntaxat concernunt? Annon potius actionibus? quæ in ipſas quoque mentes noſtras penetrent? Et David ait, *Qui facit Angelos ſuos, ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Si hos ſpiritus cœleſtes, ſuos Angelos, id eſt, nuncios facit Deus: Non ſemper autem in aures corporeas loquuntur: In mentes igitur ſeſe inſinuant, & ſæpe ita iis voluntatem Dei nunciant, vt etiam perſuadeant. Quid hoc autem aliud eſt, quàm voluntatem flectere? 3. Præterea, ſi ſunt ſicut flamma ignis: flammæ autem ignis duplex eſt actio, vna illuminare, altera calefacere & accendere. An non igitur Propheta indicat, Angelorum erga nos actiones, & in intellectu illuminando, & in voluntate ad amorem Dei accendenda verſari? Neque enim ratione corporum noſtrorum, ſed animorum potius, iſtis nominibus appellantur. Atque vt Angelus monuit Ioſephum in ſomniis, Matth. 2. Sic etiam nos intus docent, tanquam miniſtri Dei, & pædagogi noſtri inuiſibiles ac ſpirituales: docent inquam, intus in animis, quid vitandum, quidve perſequendum nobis ſit: & ad bonum ſemper ſtimulant. Hæc eſt Angelorum in animos noſtros potentia. De potentia & actionibus κακοδαιμόνων ſeorſum dicemus ſuo loco.

THESIS IV.

Angeli boni imperium in Dæmones habent: illorúmque potentia maior eſt horum.

DOcent hoc aperta ſcripturarum teſtimonia, & ratio ipſa confirmat. Etſi enim omnes æqualis naturæ creati fuerant, eóque & æquali potentia præditi, tamen cùm ij reprobi ſponte defecerint à Deo, nec ſteterint in veritate: iuſtitia & æquitas poſtulauit, vt in pœnam peccati, ſicut reliqua dona quibus ornati erant, ſic etiam vis & potentia, qua erant præditi, infirmaretur, & iis ſuperiores fierent boni, ſicut aliis donis, ſic etiam potentia. Indicarunt hoc Petrus in altera Epiſtola, & Iudas in ſua: cùm ſcribunt, Angelos ſcilicet malos in tartarum detruſos & catenis vinctos eſſe, damnationíque ſeruari. Si vincti ſunt: Infirmata eſt igitur ipſorum potentia, vt non poſſint, quicquid velint. Et vbique in ſcripturis legimus, Cacodæmones ſemper fuiſſe victos ab Angelis bonis, ſi quando narratur, inter ipſos pugnatum fuiſſe: vt in Dan. & in Apocal. legitur. Et Tob 8. dicitur Angelus Tobiæ Dæmonem vinculis conſtrinxiſſe. Proinde Auguſtinus tomo 3. de Trinit. lib. 3. c. 3. in hæc ſcribit verba: *Sed quemadmodum corpora craſſiora & inferiora, per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: Ita omnia corpora per ſpiritum vitæ: Et ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitæ rationalem: Et ſpiritus vitæ rationalis deſertor atq; peccator, per ſpiritum vitæ rationalem, pium & iuſtum. Et ille per ipſum Deum. Ac ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atque inſtituta eſt.* En quomodo Angelos malos ſpiritus deteriores ſubiicit Angelis ſpiritibus bonis & iuſtis. Sic Gregorius ait, *poteſtati Angelorum ſubiectas eſſe virtutes aduerſas, hoc eſt, Dæmones.* Manifeſtum igitur eſt, Angelos bonos, per quos cuſtodimur, longè potentiores eſſe Angelis malis, à quibus oppugnamur: cùm ij ſubiecti ſint illis. Pertinent autem hæc omnia ad noſtri conſolationem: quòd ad noſtri curam tam potentes deſtinati ſint à Patre cuſtodes: ac proinde niſi velimus expugnari à diabolis, non debemus peccatis noſtris contriſtare Spiritum ſanctum: Et à nobis propellere hoſce Angelos bonos, qui nobis cuſtodiendis, & contra Satanam defendendis traditi ſunt.

DE

DE LINGVIS AC LOCVTIONIBVS ANGELORVM.

CAPVT XIX.

VETVS quæſtio eſt, non à Scholaſticis tantùm, verùm etiam à Patribus & aliis doctis agitata viris: *quânam lingua vtantur Angeli apud Deum, dùm eũ laudare, eique canere dicuntur*: tum inter ſe, dum ſibi inuicem loqui prædicantur: tum denique apud homines, vel in ſomnis, vel in viſione loquuntur. Nam etiam Apoſtolus dare illis linguam videtur, cùm ait 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. Etſi enim propriè ita non loquitur Apoſtolus, ſed hyperbolicῶs, & per conceſſionem, ſeu ex hypotheſi, vt dicunt: tamen non pauci ex veteribus, ita hunc locum ſunt interpretati, vt hinc etiam occaſionem acceperint de Linguis Angelorum diſputandi. Hieronymus tomo 7. in Iobum, cap. 24. pag. 187. ita ſcribit: *Illud immobiliter tenendum eſt, nullo modo in ſilentio agi militiæ cæleſtis officia: cum legamus Angelicas poteſtates ante ſedem Domini, in laudem gloriæ eius, indefeſſis vocibus perſonare: neque vllo modo dixiſſet Apoſtolus*, Si linguis hominum loquar & Angelorum, *niſi ſic eſſent Angelorum linguæ, ſicut & hominum: quamuis Angelicæ diſſimiles ſint humanis.* Hæc ille. Tamen tomo 9. in Epiſtolam ad Corinth. aliter affirmat, ſed locum Apoſtoli per hypotheſin interpretatur, dicendo: *Si quæ ſint Angelorum linguæ*, &c. quanquam ne in Iobum quidem, loco iam citato, definit, quales ſint linguæ Angelorum, ſed tantùm eos habere linguas, quibus laudent Dominum, aſſerit. Auguſtinus verò tomo 3. in Enchir. cap. 59. docet, *neque ſciri, neque affirmari poſſe, quânam ratione Angeli vel ad aurem forinſecus, vel in animo intus hominibus loquantur, aut aliquando locuti ſint.* Locutos tamen fuiſſe etiam in animis Prophetarum, manifeſtum eſt: quoniam dicit Zachar. 1. *Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me.*

Cæterùm Scholaſtici audacius de hac re diſputant in 2. Sentent. diſtinct. 10 quæſt. 2. Et Thom. Aquinas in parte 1. quæſt. 107. Tam verò liberè multi de hac re diſputant & ſecurè atque affirmatiuè loquuntur; perinde atque ſi ipſos Angelos inter ſe colloquentes audiuiſſent: Ea eſt hominũ audacia atque præſumptio. Ac ſunt, qui licèt Angeli non talia habeant corpora qualia nos, eóque nec linguam, nec dentes, nec palatum: ſonoro tamen neſcio quo modo, in ipſis etiam cœlis, eos Hebraicè loqui exiſtiment. O impiam hominum audaciam. In corporibus quidem aſſumptis, cùm mitterentur ad veros Hebræos, locutos fuiſſe Hebraicè, non dubitamus: quia hoc Scriptura tradit, quibus nam verbis tunc fuerint vſi. Neque etiam dubium nobis eſt, eos loqui in cœlo, nẽpe ſuo, h. e. Angelico & ſpirituali modo: ſed qualiſnam ſit ipſorum lingua, ſummæ eſt temeritatis, impiæque audaciæ velle definire. Nouimus etiam è ſacris literis, Angelos noſtras audire preces, cùm eas etiam dicantur deferre in cœlum, & noſtras ſpectare actiones: Vnde & Apoſtolus dicebat, *debere mulierẽ velatum habere caput in Eccleſia, ſaltẽ propter Angelos*: verùm quibus oculis hæc videant, & qualibus auribus audiant, quis niſi fatuus definire audeat? Num ex iſtis locis colligere audebimus, Angelis corporeos eſſe oculos & corporeas aures? Multa certè ſunt animalia, quæ carent auribus: & tamen ab eis percipi ſonos & ſtrepitus, manifeſtum eſt. Quidni igitur etiam Angelis demus cum ſacris literis, certum auditum, certum viſum, certam loquelam: ſed ſine corporeis auribus, ſine oculis, ſine lingua? Qui corpora ſpiritualia & tenuiſſima attribuunt Angelis, horum nonnulli noſtras actiones & voces ab illis, toto corpore ſuo ſubtiliſſimo percipi idque abſque medio, ſentiunt: Quo modo etiam exempli causa, ſpongiæ vinum & aquam toto ſuo corpore exhauriunt: ac ſic etiam eoſdem cùm volunt, toto ſuo illo tenuiſſimo corpore, formare voces & loqui.

Cæterùm, cùm hoc etiam totum careat teſtimonio ſcripturarum, & nulla firma fulciatur ratione: quis ſanæ mentis probare queat? Probabilior, & cum natura Angelorum ſpirituali congruentior, & cum ſcripturis minimè pugnans illorum eſt ſententia: qui linguam & loquelam Angelorum, qua inter ſe, & qua etiam in animis piorum loqui dicuntur, nihil aliud eſſe docent, quàm ſpiritualem quandã eius, quod quiſque ſecum in ſuo intellectu verſat & nouit, in alterius Angeli, vel hominis intellectum, inſinuationem, inſtillationem, ac communicationem. Nam in ſcripturis ſæpe etiam verbum *dicendi ac loquendi* apud ſe, ad animum transfertur, & ſignificat, *cogitare & conſiderare*, veluti illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo.* Et ſic alibi. Ergo loqui ad alterum, quid aliud fuerit inter ſpirituales ſubſtantias, quàm ſpiritum vnum, quæ ipſe nouit & cogitauit, ea alteri ſpirituali modo ſpirituali ſignificare, & communicare, & quaſi ex vnius mente in alterius mentem inſinuare, & vt Prophetæ loquuntur, inſtillare? *Thom. 1. part. quæſt. 107. art. 1.* Damaſcenus, poſtquam dixiſſet, Deum eſſe primum φῶς, lucem, vnde omnia ſunt lumina: Et Angelos eſſe φῶς δεύτερον νοερὸν, ſic ſcribit: φῶς δεύτερον νοερὸν ἐκ τοῦ πρώτου καὶ ἀνάρχου φωτὸς τὸν φωτισμὸν ἔχοντα· οὐ γλώσσης καὶ ἀκοῆς δεόμενοι, ἀλλὰ ἄνευ λόγου προφορικοῦ μεταδιδόντες ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα καὶ βουλεύματα. Quod igitur nos facimus ſenſibili voce: idem Angeli in Cœlis & animæ inter ſe, imò & Dæmones in inferno & in hoc aëre, ſine voce, ſpiritualiter, faciunt: imprimendo mentis verbique interni conceptum in mentes illorum, quibus loqui dicuntur: idque ſpirituali, vt dictum eſt, melioriquе modo, quàm ſi per audibilem vocem & prolatitium ſermonem exprimeretur. Sic ſentio, rectè & piè explicari poſſe quæſtionem hanc. Itaque noſtra hæc eſto

THESIS.

Angeli extra corpora aſſumta, tametſi tum Deum laudare, tum inter ſe & in animis etiam piorum hominum loqui verè dicuntur: quæ tamen & qualis ſit ipſorum lingua atque locutio, nihil aliud à nobis affirmari poteſt: quàm eam non eſſe corpoream & carnalem, ſed ſpiritualem atque cæleſtem, qua ſine voce & ſtrepitu, ſua quiſque ſenſa, quæ vult, explicat. In corporibus autem aſſumptis, ſicut vera vitæ officia aliquando exercuerunt, & adhuc exercere poſſunt: ſic etiam vera vſi ſunt, & adhuc vti poſſunt lingua ac locutione: quæ nimirum ab illis, quibuſcum loquebantur, aut loqui volunt, intelligi poſſit.

TAmetſi Theſis, & per ſe, & ex iis quæ dicta ſunt, perſpicua & certa eſt: placet tamen maioris explicationis & confirmationis gratia, quædam hîc ſubiicere. Extra controuerſiam eſſe diximus, linguas & locutiones, quibus & Deum laudent, & inter ſe, nobiſque loquantur: idque tam extra corpora, quàm in aſſumptis corporibus: Angelis in ſacris literis dari. Sunt enim hac de re apertiſſima in Veteri & Nouo fœdere teſtimonia.

1. Eos etiam in corporibus aſſumptis vſos fuiſſe & adhuc vti poſſe linguis corporeis & talibus locutionibus, quæ ab iis, quibuſcum loquuntur intelligi queant: hoc itidem caret controuerſia.

3. Neque illud vllam habet dubitationem, Angelos extra corpora, quæ aſſumere ſolent, nulla vti lingua corporea. Qui enim vterentur, cùm eam neque ex ſe habeant, neque aliunde aſſumptam? Nunc ergo tantum reſtat, vt quomodo loquantur, videamus. Ex nobis autem ipſis hoc explicandum eſt.

Principio, dicimur nobis ipſis in animo loqui, cùm aliquid actu cogitamus, & in animo voluimus. Cogitamus autem actu ex voluntatis imperio, hoc eſt, cùm volumus: quanquam non unquam etiam inuitis obrepant cogitationes. Ita voluntas eſt ceu oſtium, quo quæ habitu tenemus in intellectu: ea ad actum, & quaſi in lucem proferuntur, aut non proferuntur. Quæcunque enim ſunt in intellectu, hoc eſt, quæ nouimus: ea aut habitu tenemus, aut actu conſideramus: Et quæ habitu tenemus, ea per impetum voluntatis ad actum perducuntur: Et tunc dicimur nobis ipſis loqui. Itaque vnum tantum eſt oſtium, quo vel aperto, vel clauſo, quę habitu occulta manent in intellectu, ea nobis, ceu in lucem actu proferuntur, nempe voluntas.

Duo verò ſunt (aliorum reſpectu) oſtia, quorum niſi vtrumque à te reſeretur: fieri non poteſt, vt quæ tu habes in intellectu ac corde tuo occulta, ea alius homo videre & cognoſcere queat. Quis enim nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Quæ verò ſunt hæc oſtia? Vnum ex parte animi eſt voluntas: Niſi enim quæ occulta latent in corde tuo, ea velis aliis patefieri, quis ea percipiat? Alterum oſtium eſt ipſum corpus carneum atque oſſeum, quo ita anima, & quæ in anima ſunt, teguntur & cuſtodiuntur: vt à nemine mortalium ea videri poſſint. Ac proinde licèt quaſi aperto priori interiorique oſtio, velis quæ in animo voluis, alicui patefacere-

re: niſi tamen hoc etiam alterum oſtium externum referes: hoc eſt, vel ore aperto, lingua ac voce explices, vel ſigno aliquo viſibili, vti ſunt ſcriptiones, geſtus, nutus & alia id genus ſignifices: nullo modo ab aliis hominibus cognoſci poterunt. Hoc igitur etiam alterum oſtium aperiri neceſſe eſt. Hinc oritur neceſſitas humanæ linguæ apud præſentes: Et ſcriptionis apud abſentes, dum ſumus in hoc corpore, ſi velimus quæ in animo latent, aliis explicare. Sunt enim voces earum quæ ſunt in animo paſſionum, notæ. At extra corpus vnum tantum ſupereſt oſtium, voluntas nimirum noſtra.

Quoniam igitur Angeli iis carent, craſſis corporibus; idcirco nihil impedit, quo minus quę vnus Angelus in ſua verſat mente, ea alter videat, niſi eius voluntas. Si enim ea nolit ab altero reſciri: nunquam niſi Deo reuelante, reſcientur.

Nam etiam in Angelis verum eſt, quod ait Apoſtolus: *Nemo nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt & cui voluerit reuelare.* Contrà igitur ſimulac voluerit Angelus vnus, quæ ipſe nouit ea ab altero intelligi, ſtatim intelligentur, & quaſi in aperto ſpeculo perſpicientur, ſine vllo externo & corporali verbo, vel ſigno, quæ locum in Angelis non habent. Hinc apparet, quænam qualiſve ſit Angelorum lingua: nihil ſanè aliud, quàm ſpiritualis quædam virtus eſſe videtur, qua ſimulac quis vult, ſtatim quæ nouit ipſe, ea alteri nota facit. Quomodo? Ea in ſuo intellectu, ceu in aperto ſpeculo intuenda alteri monſtrando. Si enim nihil impedit quo minus, quæ ſpiritus vnus in mente habet incluſa, ea ab altero videantur, niſi volũtas: Ergo ſimulac quis vult ſua patefieri, ea in ipſa eius mente, quaſi depicta alteri innoteſcunt. Quare, vt breuiter concludam, nihil aliud Angelorum linguam eſſe iudico, quàm mentis ex imperio voluntatis factam explicationem. Atque hæc de Angelorum lingua, qua inter ſe loquuntur, probabiliter dicuntur.

III. *Quomodo verò dicantur loqui cum Deo, cùm nihil ei patefacere poſſint, cui omnia ſunt perſpicua*, breuiter dicam. Loqui cum Deo dicuntur, cùm ei omnia intuenti, ij ſi ſponte volentes & ſcientes, quæcunque habent ab ipſo bona (habent autem omnia) ea norunt, & accepta Deo ferunt: illius bonitatem, ſapientiam, potentiam, admirantes, ſuſpicientes, adorantes. Nihil enim ibi carnaliter, nihil corporaliter fit: ſed omnia ſpiritualiter, Angelicè, diuinè. Proinde faceſſere à nobis noſtriſque mentibus debẽt omnes cogitationes carnales, de linguis Angelorum: *Et ſpiritualia* (vt docet Apoſtolus) *ſpiritualibus comparando, ſpiritualiter intelligenda ſunt.* Nec definire audeamus, quæ Deus nec patefecit, nec patefacere vult in hoc ſeculo. Multa enim nobis cognoſcenda in cœlo reſeruauit. Ergo in illud vſque tempus, quò perueniemus in cœlum, perfecta huius quæſtionis de linguis Angelorum & animorum beatorum in cœlis, explicatio differenda nobis eſt.

DE MISSIONIBVS ANGELORVM AD NOS: DEQVE EORVM APPARITIONIBUS.

CAPVT XX.

MVLTA hiſce de rebus diſputarunt Scholaſtici: ſed non pauca admodum curioſè, & inutiliter. Ac primũ *an militantes in miniſterium, & cùm Deus vult, in corporibus etiam aſſumptis appareant*, quærere ſtultum eſt. Hæc enim ita manifeſta ſunt, vt nihil certius ſit in ſacris literis.

2. Sed præterea quærunt an omnes mittantur, an verò quidam ſemper in cœlo maneant. Hìc verò inſaniunt omnes Scholaſtici pluris facientes dictum quoddam Dionyſij, quàm aperta Apoſtoli verba. Apoſtolus enim apertè ad Hebræos ſcribit: *omnes* (ſine vlla exceptione) *adminiſtratorios eſſe ſpiritus, qui in miniſterium mittuntur, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Ille verò Dionyſius definit, ſuperiores Angelos nunquam ad exterius miniſterium mitti. Verum Apoſtolus hoc diſcrimen non fecit: ſed ſimpliciter ait: *omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*: non addit, *vel internum vel externum.* Quæ igitur fuit iſtius hominis audacia, vt ſine teſtimonio ſcripturarum definierit, *certos quoſdam*, non autem, *omnes ad miniſterium externum*: certos verò alios ad internum mitti? Apparet, an fuerit diſcipulus Pauli necne fuerit: qui, contra quam præceptor docuit de Angelorum miniſterio, definire auſus eſt. Sed hic error profectus eſt ex alio errore: nempe ex illis ſuis multis diſtinctiſque Hierarchiis atque ordinibus Angelorũ. Quid igitur ad illum Apoſtoli locum? *Hebr.* 1. Cùm ad hunc reſpondendum eſt, torquent ſe omnes. Thomas duplicẽ adfert reſponſionem: quarum vna de duplici eſt miniſterio, interno ac ſpirituali: & externo ac corporali. Sed quoniam vidit hanc non omnibus probatum iri, cùm Apoſtolus tale diſcrimen non faciat, ſed ſimpliciter dicat: *Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*, &c. Idcirco alteram adfert hæc in verba: *vel aliter dicendum, quod Apoſtolus inducit illud ad probandum, quòd Chriſtus ſit maior Angelis, per quos data eſt lex: Vt ſic oſtendat excellentiam nouæ legis ad veterem. Vnde non oportet, quod intelligatur, niſi de Angelis miniſterij per quos data eſt lex.* Hæc ille. Egregiam verò interpretationem. Verum eſt Apoſtolum verba illa protuliſſe, vt oſtenderet, Chriſtum ſupra omnes eſſe Angelos: vtpote vnicum Dei Patris Filium: Sed quibuſnam Angelis ſuperiorem demonſtrat Chriſtum Apoſtolus? Nunquid illis tantùm, per quos data eſt lex, qui, de Scholaſticorum ſententia, ex infimo fuerunt Angelorum ordine? abſit: Apoſtolus enim ad Coloſſ. & Epheſ. ait, *Chriſtum eſſe ſupra Cherubinos & omnes principatus ac poteſtates*, &c. Et ad Roman. *Deum eſſe ſupra omnia benedictum.* Imò in hoc cap. ad Hebræos ait: *Ad quem autem Angelorum dixit: Filius meus es tu?* Supra omnes igitur effert Chriſtum. Quòd ſi ita res ſe habet. Cur ergo, cùm Apoſtolus concludit: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*: Thomas dictum hoc reſtringit, ad neſcio quos infimos ordines Angelorum, per quos data ſit lex? Videmus, quò abducantur homines, cùm ſemel audent propter aliorum hominum autoritates, à verbo Dei declinare. Impia igitur eſt hæc Dionyſij & Scholaſticorum definitio, de iis qui mittantur, & non mittantur in miniſterium Angeli.

1. Si enim omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & omnes mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: Ergo ſine diſcrimine, tam vni, quàm alteri mitti ſolent à Deo in miniſterium ſiue externum, ſiue internum, prout ſalus electorum poſtulat, & ſuæ placet voluntati.

2. Ac ſi Angelus Iehouę Iehoua, Filius Dei etiam ante aſſumptam carnem, ſumere ſolebat corpora, & in iis viſibiliter apparere Patribus, & corporaliter illis miniſtrare: Quis audeat affirmare tam excellentes reperiri Angelos in ſupremis, neſcio quibus Hierarchiis, qui nunquam ſint miſſi, aut mitti ſoleant vel debeant ad miniſterium externum? Quaſi verò præſtantiores ipſi ſint Filio Dei. Fefellit iſtos homines illa falſa opinio: quòd qui in ſcripturis vocantur Angeli, putarunt, eos differre ſua natura, vel perpetuo officio ab Archangelis principatibus & poteſtatibus: Et eos eſſe in inferiori Hierarchia exiſtimarunt. Itaque cùm non legant mitti *Seraphinos, Cherubinos & poteſtates*, ſed *Angelos*, vel *aliquem Archangelum*: inde concluſerunt, non mitti ſuperiores, præſertim ad miniſterium externum & viſibile, in aſſumptis corporibus: ſed tantummodo Angelos inferioris Hierarchię. Quãquam in aſſumpto etiam falluntur. An non fuit Seraphinus, qui venit ad Iſaiam cum forcipe & tetigit labia eius? Ieſa. 6. Faceſſant igitur tales ineptiæ atque impiæ opiniones. Nos ex verbo Dei ſic ſentimus.

THESIS.

Cùm, de Apoſtoli ſententia, omnes Angeli ſpiritus ſint adminiſtratorij, in miniſterium quodcunque illud ſit, miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: pietas poſtulat, vt ſimpliciter credamus, nullum eſſe Angelum quem Deus non mittat in miniſterium, ſiue internum & inuiſibile, ſiue externum & viſibile, prout Deo placet, & ſalus electorum exigit.

VEritas huius propoſitionis, & per ſe, & ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſta eſt.

II. Quòd ſi excipias, apud Danielem, *millia millium Angelorum legi aſſiſtere Deo, & ei miniſtrare, Eos igitur non mitti ad nos.* Reſponſio facilis eſt, hæc inter ſe non pugnare: aliquem aſſiſtere Deo eique miniſtrare, & eundem mitti ad nos: Quaſi verò Deus vbique non ſit, ita vt licèt Angelus aliquis ad nos mittatur, non idem tamen maneat apud Deum: Et quaſi non per vices mitti poſſint Angeli ad nos: etiam qui ſpeciatim dicuntur ſtare ante thronum Dei. Certè Tob. 12. Raphaël dixit ſe vnum eſſe ex iis qui ſtant ante Deum: idem tamen miſſus fuit ad Tobiam in miniſterium viſibile. Atque hoc etiam confirmauit Gregorius primus, in quadam homilia, dicendo: *Et mittuntur Angeli, & aſſiſtunt (nempe Deo) quia etſi circumſcriptus eſt Angelicus ſpiritus: Summus tamen ſpiritus, qui Deus eſt, circumſcriptus non eſt, Licèt ſpiritus Angelicus.*

Angelicus, ſpiritus ſit finitus & circumſcriptus, ita vt cùm in vno eſt loco, in alio ſimul eſſe non poſſit: hoc tamen non impedit quin & Deo aſſiſtere, & ſimul etiam ad nos mitti poſſit. Ratio eſt: quoniam Deus circumſcriptus non eſt, ſed vbique eſt: ita vt ab eo nunquam recedant Angeli, etiamſi à loco ad locum mittantur. Nihil igitur pugnat cum noſtra Theſi allata exceptio. Ac cùm nihil præterea videam, quod obiici poſſit: firma maneat atque certa ſententia noſtra. De corporibus verò, in quibus apparere ſolebant, déque illorum motu, cùm mittebantur: dictum eſt ſuprà, de Angelis in genere, libr. 2. c. 8. 9. & 10.

III. Reſtat nunc, vt tantùm videamus, quî fiat, quòd cùm ſoliti fuerint Angeli ſæpe Patribus apparere in humana forma & ſimilitudine, & familiariter cum illis verſari & colloqui: nunc id non efficiant amplius. Nam ſolitos fuiſſe apparere, conſtat in ſacris literis: imò etiam apud profanos ſcriptores: vt videre eſt in eorum libris, vt apud Platonem ſæpe & alios. Philo in 1 Dial. ſcribit: *παλαιὸς λόγος, ὅτι τὸ θεῖον ἀνθρώποις εἰκαζόμενον, ἀλλά τε ἄλλοις ἀμειβόμενον τὰς πόλεις ἐν κύκλῳ τάς τε ἀδικίας καὶ εὐνομίας ἐξετάζον*: id eſt, *Vetus fama eſt, Deum hominibus ſimilem effectum* (hoc eſt, in humana forma) *modò hoc, modò illo habitu obambulaſſe vrbes, ſpectatum æquitatem & iniquitatem.* Cauſa verò quæritur, cur Deus non ampliùs mittat Angelos, qui ita familiariter appareant, vt anteà ſolebant. Quidam hoc adſcribunt peccatis & impietati hominum: ita Catullus:

Præſentes namque ante domos inuiſere caſtas
Cælicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant:
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando:
Iuſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudêre manus fraterno ſanguine fratres.
Deſtitit extinctos natus lugere parentes:
Optauit genitor primæui funera nati,
Liber vt innuptæ potiretur flore nouercæ,
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt diuos ſcelerare penates:
Omnia fanda nefanda, malo permixta furori:
Iuſtificam nobis mentem auertere Deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Hæc ille. Poëta fuit veræ doctrinæ & pietatis ignarus: idcircò, quam potuit, attulit cauſſam, cur Angeli non ampliùs nos, à Deo miſſi, inuiſant.

Cæterùm, aliam ego eſſe iudico: nempe, quia Deus, ſicut ſe vult à nobis in ſpiritu adorari; ſic etiam vult, nos ſpiritu ambulare, & verſari in cœlo, vbi Chriſtus eſt, in dextra Dei.

In veteri Teſtamento pueri erant. Ideò ſicut ceremoniis externis, ſic etiam externis apparitionibus Angelorum egebant ad ſui conſolationem. Nunc incarnato Chriſto & ſedente in cœlis, donatóque largiter ſuo Spiritu, non mittit ampliùs, ſed vult, vt conuerſatio noſtra in cœlis ſit: non autem Angelorum in terris. Deinde initio Eccleſiæ opus erat talibus confirmationibus cœleſtibus: nunc ſatis confirmatum eſt verbum Dei.

AN ANGELI OPVS HABVERINT CRISTO MEDIATORE.

CAPVT XXI.

QVAESTIO non contemnenda proponi ſolet de gratuito beneficio Chriſti: num Angeli quoque illo opus habuerint, & ad quid, & quatenus.

Quidam ſentiunt, Angelis non opus fuiſſe Chriſto, hoc eſt, eius incarnatione, paſſione, redemptione: idque hac de cauſſa, quia non peccarunt, ſed vitam degebant æternam. Chriſtus autem venit, vt peccatores ſaluos faceret, inimicos Patri reconciliaret: mortuos viuificaret, à mortuis reſuſcitaret, vitáque æterna donaret. Atque huc facere videntur ſcripturæ, quæ vbique prædicant Chriſtum incarnatum eſſe pro nobis, paſſum pro nobis: nunquam autem hoc de Angelis dicunt. Et Hebr. 2. *non ſumſit Angelos, ſed ſemen Abrahæ*: Item parabola Matthæi 18. de Paſtore, qui relictis 99. ouibus, venit quæſitum vnam, quæ perierat: Et apertè dicitur 1. Timoth. 2. *Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Ieſus.* Hîc verò nulla Angelorum mentio. Sic etiam Auguſtinus tomo 4. in Expoſit. Epiſt. ad Gal. col. 1226. *Angeli porrò, qui non lapſi ſunt à conſpectu Dei: mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item Angeli, qui nullo ſuadente, ſpontanea præuaricatione prolapſi ſunt: per Mediatorem non reconciliantur. Reſtat igitur, vt,* &c. cõcludit ex verbis Apoſtoli, *Chriſtum Mediatorem eſſe inter Deum duntaxat & inter homines*, Et tom. 3. in Enchir. cap. 61. apertè ait, *Chriſtum pro Angelis mortuum non eſſe.* Sic Patres reliqui omnes. His atque aliis ſcripturarum autoritatibus Patrúmq; teſtimoniis, omnino videntur Angeli beati, non eguiſſe Chriſto: Et Chriſti beneficium ad illos non pertinere.

Altera ex parte ſunt, qui affirmẽt, ipſis quoque Angelis opus fuiſſe Chriſto, Chriſtique beneficium ad ipſos etiam pertinere: idque affirmant fulti & ipſi tum ſacrarum literarum, tum etiam Patrum teſtimoniis, Epheſ. 1. ait: *patefactum nobis eſſe myſterium voluntatis Dei, ſecundùm gratuitam ſuam beneuolentiam, quam propoſuerat in ſeſe.* (nempe) *vt in pleni temporis diſpenſatione, colligeret omnia in Chriſto, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terris.* Quæ autem erant in Cœlis colligenda, niſi Angeli? Clariùs etiam ad Coloſſ. primo ait placuiſſe Patri, vt in Chriſto omnis plenitudo habitaret: Et vt pace per ſanguinem crucis eius facta, per eum reconciliaret ſibi omnia: tum quæ in terra, tum quæ in Cœlis.

Auguſtinus tomo 3. in Enchir. cap. 61 & 62. Sic loca hæc duo iam citata interpretatur: vt doceat, Chriſti beneficium ad ipſos quoque Angelos pertinere. Idem fecit Chryſoſtomus & Theophyl. quos ſequuntur ex noſtris non pauci, neque vulgares viri, Bucerus & Caluinus, duo ſingularia Eccleſiæ lumina, vt de aliis taceam. Quomodo igitur conciliabuntur hæc diuerſa loca, diuerſæque ſententiæ? Conciliatio pendet ex vera & genuina horum duorum locorum Apoſtoli interpretatione, quæ ex Epheſ. 1. & Coloſſ. 1. adductà ſunt. Diuerſas recitabo ſententias, vt indè tandem, quæ ſit vera, luculentiùs appareat. Sunt igitur in hæc loca duo præcipua interpretum genera.

Primum eſt eorum, qui particulam *omnia quæ in cœlis, & quæ in terris*, ad omnes rationales creatùras, tam Angelos, quàm homines, tàm malos (hoc eſt, vt nos loquimur) reprobos, quàm bonos, hoc eſt, electos, ſine vlla exceptione extendant. Sed diuerſa ratione, verba *reconciliandi*, & item *recolligendi* vel *reſtaurandi* interpretentur. Quidam verbum vtrumque, nempe & ἀνακεφαλαιώσασθαι (quod *reſtaurare, & in ſuum reſtituere ordinem* interpretantur:) & *reconciliare*, intelligunt efficaciter. Ac proinde etiam diabolos omnéſque homines in vniuerſum per Chriſtum ita reconciliatos eſſe Deo, vt omnes futuri ſint tandem ſalui: quanquam interim multi in inferno propter ſua peccata plectantur, & in igne probentur. Hæc fuit Origenis ſententia, vel potiùs delirium, pugnans apertiſſimè cum ſacris literis: quæ docent, *diabolum cum Angelis ſuis & omnibus reprobis manſurum in igne, pœniſque æternis.*

Alij extendunt itidem gratiam hanc Chriſti ad omnes in vniuerſum homines & Angelos, quicunque illi ſint: Sed verba *reconciliandi & inſtaurandi* ita interpretantur, vt dicant, Chriſtum quidem efficaciter, quod ad ſe attinet, ſuum feciſſe officium, omnes reconciliaſſe & inſtauraſſe: Sed quòd hæc efficacitas reconciliationis & ſalutis non ad omnes penetret, neque in omnibus habeat locum: hoc proficiſci ex hominum & Angelorum malorum infidelitate, quia nimirum non credant in Chriſtum, eóque fide non accipiant fructum reconciliationis ex fonte, hoc eſt, ex Chriſto. Sic multi non vulgares viri. Sic etiam Scholaſtici multi: quanquam aliter locuti ſunt. Aiunt enim, Chriſtum ſufficienter pro omnibus mortuum eſſe, licèt non prò omnibus efficaciter. Sed neque hæc eſt ſententia Apoſtoli. De effectu enim loquitur ipſe; non de virtute tantùm ſanguinis Chriſti. Affirmat enim; Deum per ſanguinem Chriſti reconciliaſſe ſibi omnia, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris. Coloſſ. 1. Et omnia inſtauraſſe, vel potiùs quæ diuulſa erant, in vnum collegiſſe, & ſeruaſſe in Chriſto, Epheſ. 1. Item conſtat etiam, Chriſtum non rogaſſe pro mundo, vt ipſe apertè dixit Iohan. 17. *non rogo pro mundo*, hoc eſt, pro reprobis incredulis, ſed tantùm pro electis. Ergo neque pro omnibus effudit ſanguinem ſecundùm propoſitum Dei, ſed tantùm pro multis, id eſt, pro electis: Vt ipſe apertè dixit in Cœna: *Hic eſt ſanguis, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Et Apoſtolus ad Hebræos 9. ait. *Chriſtum ſemel oblatum eſſe ad multorum exhaurienda peccata*: Non ait *omnium ſimpliciter*, ſed *multorum*.

Quòd ſi alicubi legitur, vt legitur *pro omnibus mortuus eſſe*: Particula *pro omnibus*, intelligitur pro iſtis multis omnibus, id eſt, pro omnibus electis. Quare neque hæc altera interpretatio quanquam ex quadam pietate profecta eſſe videatur, Apoſtolica eſt ſententia.

Ab hac non multum diuerſa eſt quorundam interpretatio, qui excluſis Angelis omnibus, de omnibus tantùm hominibus interpretantur: idque in vniuerſum eo ſenſu, quo iam explicatus eſt; nempe vt Chriſtus ſufficienter, & quantum ad ſe attinet, ſuo ſanguine reconciliârit omnes & ſeruârit: quanquam non omnes participes ſint ſalutis propter

ipſorum impœnitentiam & infidelitatem. Et ita accipiunt ſemper has particulas *omnia* & *omnes*, ſimpliciter pro omnibus in vniuerſum hominibus. Sed iam ſatis refutata eſt. Hoc eſt primum genus interpretum.

Alterum itaque genus eorum eſt, qui ab iis particulis *omnia*, & *omnes*, excludūt reprobos omnes, tam Angelos, quàm homines: Et verba *reconciliandi* & *recolligendi* ſeu *inſtaurandi*, ita de efficacitate ſanguinis Chriſti interpretantur, vt intelligant omnes, quos Chriſtus ſuo ſanguine reconciliaſſe dicitur, eos eſſe reapſe Deo reconciliatos & recollectos: eóque donatos fide & perſeuerantia, quas etiam illis ſuo ſanguine & precatione impertauit: tandem ſeruati. Sed iſti etiam inter ſe non vſquequaque conſentiunt.

1. Quidam particulas *omnes* & *omnia*, ad ſolos electos ex humano genere reſtringunt, excluſis electis angelis, propter loca de principio à nobis adducta: quibus euincitur, Chriſtum non eſſe Mediatorem, niſi Dei & hominum. Angelos enim non eguiſſe redemptione, nec reconciliatione, nec recollectione per Chriſtum, cùm nunquam peccarint, nec auulſi à Deo fuerint. Quod verò Apoſtolus ait, tam ad Epheſios, quàm ad Coloſſ. *Omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, per Chriſtum eſſe Deo Patri reconciliata & recollecta*, nempe in vnum corpus ſub Chriſto capite: Nomine *eorum quæ ſunt in cœlis*, intelligunt ſpiritus hominum electorum, qui à condito orbe vſque ad Chriſti paſſionem ſoluti corporibus immigrauerant iam in cœlum. Nomine autem *eorum, quæ ſunt in terris*, illos electos ſignificari aiunt, quos partim Chriſtus reperit, partim qui futuri erant in terris, vſque ad finem mundi: Atque ita Apoſtolum hac periphraſi complecti omnes electos homines, quorum alij erant & ſunt in cœlis: alij adhuc ſunt in terris. Nec ſine cauſa locutum eſſe Apoſtolum. Voluiſſe enim oſtendere per Chriſtum ſolum non tantùm, qui ſuo erant tempore in terris, & qui deinceps futuri erant, ſeruari, ſed etiam illos, qui à condito orbe migrârant iam in cœlum: per ſolum eundem Chriſtum ſeruatos, reconciliatos & recollectos fuiſſe ad Deum. Hæc itaq; ſentētia excludit Angelos à beneficio ἀνακεφαλαιώσεως, recollectionis & reconciliationis per Chriſtum factæ.

2. Etſi verò interpretationem hanc non improbo: magis tamen placet illorum ſententia, qui electos quoque Angelos comprehendi in verbis Apoſtoli, & nomine *eorum, qui ſunt in cœlis*, ſignificari contendunt. Quomodo verò hæc ſententia cohæreat cum illis locis, qui docent, Chriſtum Mediatorem tantùm eſſe Dei & hominum: Et Chriſtum paſſum eſſe, non pro Angelis, ſed tantùm pro electis hominibus. Ex iiſdem interpretibus explicabitur.

Auguſtinus itaque tomo 3. in Enchir. cap. 61. ſic ſcribit in ſumma: *Primum, Eccleſiam quæ eſt vnum corpus, & cuius totius caput eſt Chriſtus, conſtare non ſolùm ex electis hominibus, ſed etiam ex ſanctis Angelis.* Et hoc manifeſtum eſt etiam ad Hebr. 12. verſ. 22. 23. Secundò ait, *ſolos quidem homines electos fuiſſe Chriſti, ſanguine à peccatis redemtos:* (pro Angelis enim non eſſe mortuum Chriſtum, quia nullum habuerunt peccatum, quod ſanguine Chriſti eſſet expiādum.) *Interim tamen beneficium hoc Chriſti, quodam modo pertinere etiam ad Angelos duplici nomine. Primùm, quoniam factum eſt beneficio redemtionis, vt reconciliatis electis cum Deo, amicitia quoque inter Angelos & homines renouata ſit. Deinde quòd ex hominum redemtione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparentur. Succedunt enim electi homines in locum Angelorum, qui è cœlo eiecti fuerunt.*

Deinde in cap. 62. idem confirmat, verba Apoſtoli ad Epheſ. explicans in hanc formam: *Propter quod, ait Apoſtolus, inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt & in terris. In ipſo quoque inſtaurantur quæ in cœlis ſunt, cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Inſtaurantur autem, quæ in terris ſunt, cum ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt ad æternam vitam, à corruptionis vetuſtate renouantur. Ac ſic per illud ſingulare ſacrificium in quo Mediator eſt immolatus, pacificantur cœleſtia cum terreſtribus: & terreſtria cum cœleſtibus. Quoniam ſicut idem Apoſtolus dicit, in ipſo complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis ſunt, ſiue quæ in terris.* Hæc Auguſtinus. Poſtremò de hac pace per ſacrificium Chriſti inter nos in terris, & inter Angelos in cœlis facta, ſubdit in cap. 63. *Pax* (inquit) *hæc præcellit, ſicut ſcriptum eſt, omnem intellectum, neque ſciri à nobis, niſi cùm ad eam venerimus, poteſt. Quomodo enim pacificantur cœleſtia niſi in nobis, id eſt, concordando nobiſcum?* Legantur reliqua, quia digna ſunt lectu. Vult dicere Auguſtinus, propter merita Chriſti, nos iam eſſe certos de beneuolentia Angelorum erga nos: ac proinde nos quoque viciſſim amaturos illos, vt & illi nos: Et pacem culturos in cœlis.

Aliorum interpretatio, vt Chryſoſtomi, eadem eſt cū Auguſtini explicatione. Itaq; breuitatis cauſſa non repeto. Bucer. in Epiſt. ad Epheſ. breuiter iis verbis explicat Apoſtoli verba: ἀνακεφαλαιώσασθαι, id eſt, *vt ſummatim omnia inſtauraret in vnum Chriſtum, & quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra.* Huius Græci verbi ea eſt vis, vt indicet Chriſto glorificato, Angelos & homines ſub vnum caput Chriſtum inſtaurari primum cœpiſſe: Atque eſt verbum ab epilogantibus ſumtum, vt putat Chryſoſt. Hieronymus verò ab Arithmeticis in ſummam multos numeros redigentibus. *Hic maieſtatem Chriſti ſuſpiciamus, quem Deus cœleſtium & terreſtrium inſtauratorem conſtituit: qui homines ſeruat, & perficit ſocietatem Angelorum, conſortio hominum: cumulátque illos gaudio quo afficiuntur ſuper conuerſione peccatoris. Neq; tantùm ſunt inſtaurati Angeli ratione modo dicta, & quod per Chriſtum cœpit, ruina per malos ſpiritus facta, inſtauratur, cuius maximo deſiderio tenebantur: verùm etiam ſunt ampliori cognitione Dei inſtaurati, & ab Eccleſia edocti, vt infrà 3. cap. dicetur. Itaque pleniorem Dei cognitionem ſimul accumulatoria gaudia per Chriſtum accipiunt.* Hęc ſanctus ille, & magnus Theologus, M. Buc. Docet in ſumma: Etſi Angeli dici non poſſunt redēti à peccatis, quæ nulla habebant, per ſanguinem Chriſti: Ac proinde quod ad hanc redemtionem attinet, Chriſtus Mediator tantùm ſit Dei & hominum: tamen multis nominibus, ipſos quoque fuiſſe inſtauratos per Chriſtum. 1. Quòd ipſi quoque ſub eodem capite Chriſto, vnà cum reliquis electis collecti fuerūt. Eſt enim Chriſtus caput totius Eccleſię: Eccleſia autem conſtat ex Angelis & hominibus. 2. Item, quòd perficiatur per Chriſtum ipſorum ſocietas conſortio hominum, ſanguine Chriſti redemtorum (ſicut etiam Auguſtinus dixit) ruináq; per malos Spiritus facta, per Chriſtum inſtauretur. 3. Quòd ex cōuerſione & ſalute hominum per Chriſtum redemtorum, ipſi Angeli maximo afficiantur & cumulentur gaudio. 4. Quòd propter beneficium Chriſti, quo Gentes etiam ſeruantur, maiore & ampliore Dei cognitione donentur, & inſtaurentur. Ita apparet, ad Angelos quoque maximè pertinere beneficium Chriſti: quanquam non eo prorſus modo, quo ad homines.

Neque diuerſa ſcribit Caluinus in cap. 1. ad Epheſ. & ad Coloſſ. niſi quòd videtur melius verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι interpretari: Et ad exceptiones, quæ fieri poſſent, ſolidè & dilucidè reſpondet. Summam refero. Primùm, verbum hoc pro *recolligere* accipit. Et quę diſſipata erant, in ordinem redigere, & quaſi in vnum corpus diſiectas & diuulſas à ſuo capite & à ſe inuicem partes, denuò cōiungere. Extra Chriſtum autem nihil eſſe, niſi meras ruinas: ac ſpeciatim homines per peccatum fuiſſe à Deo auulſos atque diſiectos. Rectum autem creaturarum omnium ſtatum eſſe, vt Deo adhæreant. In Chriſto igitur per ipſius ſanguinem ἀνακεφαλαίωσιν eſſe factam: cùm in eius corpus coaleſcendo omnes & Deo vnimur, & inter nos mutuò ſumus coniuncti: Ac cùm totus mundus ſine Chriſto nihil aliud ſit, quàm deforme chaos & mera confuſio: per hunc vnum, in veram vnitatem ſumus collecti. Hoc eſt primùm.

Deinde quærit cur Apoſtolus in hoc numero ponat cœleſtes creaturas, cùm Angeli nunquam fuerint à Deo ſeparati, eóque nec diſperſi. Ac primò refert opinionem (eſt autem Auguſtini) quam & Bucerus ſecutus eſt: eámque non probat ſolum, ſed etiam ſimili illuſtrat. Quemadmodum enim aliquod ædificium, quod non omnibus, ſed multis tantum partibus ruinoſum erat & collapſum, ſi poſtea inſtauretur, dicere ſolemus, totū eſſe inſtauratum; Sic etiā de toto corpore Eccleſiæ, quod conſtat ex Angelis & hominibus, quorū illi nūquam à Deo auerſi, ſed iſti tantùm, vt loquitur Apoſtolus, cùm ait: *omnia per Chriſtum, tā quæ in cœlis, quàm quæ in terris, eſſe inſtaurata.* Addit tamē aliam etiam cauſam, nempe Angelos dici recollectos, non quòd vnquam fuerint diſſipati, ſed quòd per Chriſtum perfectius, quàm vnquam, vniti ſunt Deo: Et ita vniti, vt ab eo nunquam auelli poſſint amplius. Neque enim ita perfectè vniri eos potuiſſe Deo ſine Mediatore: creaturæ cùm ſint & ipſi, in infinitum à Deo diſtantes, & ſua natura mutationi obnoxiæ. Poſteà cōcludit iis verbis: *Quis ergo neget, tam Angelos, quàm homines in firmum ordinem, Chriſti gratia fuiſſe redactos? Homines enim perditi erant: Angeli verò non erant extra periculum. Vtroſque igitur Chriſtus in corpus ſuum coadunando, Deo Patri coniunxit: vt vera harmonia in cœlo & in terra conſtaret.* Hæc magnus ille Caluinus ad Epheſ. Nec diuerſa tradit in Epiſtola ad Coloſſ. niſi quòd propter verbum *reconciliationis*, quod non ita in Angelos, ſicut ſuperius verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι cōpetere poſſe videbatur, diligentius tractat quęſtionē, *quomodo poſſint dici Angeli reconciliati per Chriſtum Deo cùm nunquam fuerit inter illos & Deum diſſidium aut ſimultas.* Sic autem in ſumma concludit, duabus de cauſis Angelos dici pacificatos eſſe cum Deo per Chriſtum: Vna, quia cùm

nos

non eſſent extra periculum lapſus, per gratiam Chriſti ſunt ita confirmati, vt fixum retineant ſtatum in iuſtitia, & perpetuam cum Deo pacem: Altera, quòd ipſorum obedientia, quam Deo præſtant ſuapte natura, imperfecta, & quæ venia opus habebat propter Chriſti perfectiſſimam obedientiam & merita, pro perfectiſſima reputatur in conſpectu Dei. Non enim in Angelis tantùm eſſe iuſtitiæ, quod ad plenam cum Deo coniunctionem ſufficiat: quemadmodum etiam Iob. docuit c. 4. dicendo: *In Angelis ſuis reperiet iniquitatem:* Quod dictum non de malis Angelis, ſed de bonis interpretatur Caluinus, ſicut & A. Ez. & Kimhi. Tandem conclud it iis verbis: *Itaque pacificatore opus habent: per cuius gratiam penitus Deo adhæreant.* Vnde rectè Paulus, qui in ſolis hominibus negat reſidere Chriſti gratiam, ſed Angelis etiam communé facit. Hæc ille. Videmus igitur, quàm congruè loca iſta duo Apoſtoli intelligi poſſint de gratia Chriſti: non hominibus ſolum electis, ſed etiam electis Angelis communicata: quanquam diuerſa ratione, vt dictum eſt. Addam ad extremum quandam aliam interpretationem, quæ ad rem noſtram facit.

Muſc. in Epiſt. ad Epheſ. ἀνακεφαλαιώσασθαι, pro: *ad ſuum primum principium aliquid reuocare* accipit. Vt enim Hebræis ראש non ſolum eſt *caput:*, ſed etiam *principium*: ſic etiam Græcis Κεφάλαιον, vnde verbum κεφαλαιοῦσθαι & ἀνακεφαλαιώσασθαι, ſignificat non ſolum *caput*, ſed etiam *principium*. Proinde ἀνακεφαλαιώσασθαι pro aliquid ad ſuum primum principium, primamque conditionem & ſtatum reuocare accipitur. Et ſic Cyrillus in Ioh. lib. 9. c. 47. explicans hunc Apoſtoli locum ad Epheſ. interpretatur. Et ita cum hac ſignificatione congruit verſio vulgata, quæ habet *inſtaurare*. Sentiunt itaque, omnem creaturam, tam corporeá, quàm incorpoream: tam cœleſtem, quàm terreſtrem, ab integritate ſui principij nonnihil defeciſſe iam inde paulò poſt initium ſuæ creationis, & neſcio quid deliquij paſſam fuiſſe. Apparet quidem hoc manifeſtè in Angelis, qui lapſi ſunt & non perſtiterunt in veritate. Et in hominibus, qui omnes iam inde ab initio peccarunt: Sed aliis quoque omnibus aliquam (licet omnino diſſimilem) à ſuo primo principio declinationem, & (vt vocant) deliquium contigiſſe, inde colligunt: Primò quòd Apoſtolus non ait hic, *per Chriſtum inſtauratos eſſe omnes nos, vel omnes homines, aut Angelos*: ſed ſimpliciter, *omnia*, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris: quibus duobus nominibus, omnia à Deo condita cóprehenduntur. Secundò, quod Propheta Ieſaias ait, futurum *Cœlum nouum*, & *terram nouam*, id eſt, omnia renouatum iri. Si omnia ſunt renouanda: aliquid igitur defectionis à ſuo primo principio paſſa ſunt omnia.

Cæterùm, qualis illa ſit vniuerſalis & in omnibus rebus defectio, ignorari aiunt: Satis verò eſſe ex promiſſione renouandi cœli, & renouandæ terræ, colligi, omnia tam cœleſtia, quàm terreſtria, aliquid paſſa propter quod opus habeāt aliqua inſtauratione. Neque hoc mirum videri debere. Omnia enim, vt ex nihilo condita ſunt: Sic etiam in nihilum ſua natura tendunt, & quodam modo à ſua prima conditione deficiunt. De Angelis certè bonis loquitur Iobus cap. 4. cùm ait: *Ecce in ſeruis ſuis* לא יאמין *non credidit*, ſeu (vt vertunt omnes) *non inuenit veritatem*: hoc eſt, ſtabilem & immutabilem naturam non habent, ſicut Deus. *Et in Angelis ſuis* ישים תהלה *poſuit defectum*, vt A. Ez. & Kimhi interpretantur, hoc eſt, naturam, quę ad defectum per ſe tendit. Nam quòd ſtant perſiſtúntque in veritate, hoc habent ex gratia addita, non ex natura creata. Apoſtolus quoque ad Rom. 8. de omni creatura in genere loqui videtur, cùm ait: *omnem rerum creatam vanitati ſubiectam eſſe*: Item quòd & ipſæ vindicandæ ſint ex ſeruitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei: Et omnes ſuſpirare & parturire vſque adhuc. Concludunt ad ſummam, omnia à ſua prima origine nonnihil defeciſſe: ac proinde omnia opus habuiſſe, aut etiam habere aliqua inſtauratione. Deum itaque conſtituiſſe omnia per Chriſtum renouare, inſtaurare, ad ſua prima principia reuocare: Hoc verò promiſiſſe per Prophetas: tandem autem per Chriſtum perfeciſſe. Atque hoc eſſe, quod dixit Iohannes in Apocalypſ. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam*. Item, *Ecce noua facio omnia*: Atque hoc etiam eſſe, quod hic ait Apoſtolus Epheſ. 1. *Deum propoſuiſſe omnia in Chriſto* ἀνακεφαλαιώσασθαι. Et idem etiam ſignificari Coloſſ. 1. verbo *reconciliandi*.

Qualis ſit inſtauratio hominum electorum per Chriſtum facta, intelligimus. Sed quænam futura ſit reliquarum creaturarum, definiri non poteſt, quia ſcripturæ non explicant. Satis eſt, nos nouiſſe, futurum cœlum nouum & terram nouam: Et omnem creaturam liberatum iri à vanitate, cui obnoxia eſt ſua natura, non volens: liberatum, inquam, iri per Chriſtum. Ex hac etiam interpretatione facilè eſt colligere, ad Angelos quoque pertinere beneficium Chriſti: quanquam non eo planè modo, quo ad nos homines pertinet.

Scholaſtici quoque ſentiunt, Angelos bonos participes eſſe factos beneficij Chriſti: tum quia Chriſtus, etiam quâ homo factus eſt illis caput, ſub quo vniti ſunt, & tota cum ipſis Eccleſia: tum etiam, quia quâ homo eſt, iſtos illuminat, & cognitione auget: tum denique, quia ſua paſſione & obedientia promeruit illis præmia in cœlis permulta. Itaque hæc eſto

THESIS.

Gratia & beneficium Chriſti, tametſi non ex æquo ad Angelos & ad homines deriuatur, cùm illi non vt nos redemtione ac remiſſione peccatorum opus habeant: ad ipſos tamen magna ex parte ſpectat, & eius facti ſunt participes.

EXPLICATIO.

Illud tantùm ſummatim & diſtinctè ex iis, quæ ſuprà fuſiùs dicta ſunt, explico, quomodo nimirum facti ſint Angeli participes beneficij Chriſti. 1. Quoniam ipſi quoque ſub eodem capite Chriſto collecti fuerunt: quando Chriſtus factus eſt caput totius Eccleſiæ, cuius & ipſi Angeli membra ſunt. 2 Quoniam per Chriſtum amicitia inter homines & Angelos renouata eſt 3. Quia per Chriſtum perficitur ipſorum Angelorum ſocietas, conſortio hominum ſanguine Chriſti redemtorum; Et ruina per Angelos malos facta, hominibus per Chriſtum redemptis, & in eorum locum ſuffectis, inſtauratur. 4. Quia ex conuerſione hominum per Chriſtum redemtorum, ipſi Angeli cumulantur & augentur gaudio. 5. Quia ex redemtione electorum hominum omnium, per Chriſtum facta, cognitione myſteriorum Dei ampliore indies per Chriſtum donantur. 6. Quia cùm non eſſent extra periculum lapſus (quippe qui creaturæ ſunt ex nihilo conditæ, eóque mutabiles) per Chriſti gratiam ita ſunt confirmati: vt fixum retineant ſtatum in iuſtitia: & perpetuam cum Deo pacem. Poſtremò, quia cum ipſorum obedientia, quam Deo præſtant ſuapte natura, imperfecta ſit, & indigna quæ coram Deo compareat, eóque venia opus habeat: propter obedientiam Chriſti perfectiſſimam, pro perfectiſſima reputatur in conſpectu Domini. Atque ita per Chriſtum & iuſtiſſimi ſunt, & in ſempiternum beatiſſimi. Vt meritò, quidquid habent perfectæ iuſtitiæ, & veræ felicitatis: illud ipſi Chriſto acceptum ferre debeant: eúmque vt caput non tam noſtrum, quàm etiam ſuum adorare.

Confirmationis gratia, ſubdo locum Bernardi in Cantica, Sermon. 22. col. 835. Poſteaquam demonſtraſſet, Chriſtum factum eſſe omnibus nobis ſicut ante Angelis fuerat, ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem: obiicit ſibi de Angelis in hæc verba: *At de Angelis*, inquies, *quomodo fuerit redemtio, non video. Nec enim autoritas ſcripturarum vſpiam aſſentire videtur, eos aliquando, aut peccato extitiſſe captiuos, aut morti obnoxios: vt neceſſariam haberent redemptionem:* (loquitur de bonis) *reſpondeo: Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur: ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemtio: ſoluens illum, & ſeruans iſtum. Liquet ergo, ſanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemtionem, ſicut iuſtitiam, ſicut ſapientiam, ſicut ſanctificationem;* &c. Et mox: *Sic ergo omne, quod erat Angelis, factus eſt nobis.* Quid? Sapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio: Sapientia in prædicatione: Iuſtitia in abſolutione peccatorum Sanctificatio in conuerſatione, quam habuit cum peccatoribus: Redemtio, in paſſione, quam ſuſtinuit pro peccatoribus. Hæc eſt illa ratio quam attulimus ex Cal. Angelos accepiſſe, vt penitius & firmius inhæreant Deo, quàm ante, cum extra periculum lapſus non eſſent.

DE ANGELORVM INVOCATIONE.

CAPVT XXII.

RESTAT poſtrema quæſtio explicanda. Ea eſt: *An Angeli ſint nobis inuocandi & religioſo cultu colendi.* Videri enim hoc poſſet multis pium eſſe, ſicut aliis quoque ſæpe viſum eſt, ipſorum etiam Apoſtolorum temporibus, idque propterea, quòd & Spiritus ſunt excellentes, qui ſemper Deo adſtant: & illo-

rum opera vtitur Deus in nobis cuſtodiendis, multáque per illos nobis beneficia præſtat. Denique, quia dicuntur ferre preces noſtras in conſpectum Domini. Cæterum, id minimè nobis licere, docent ſcripturæ, & Angeli ipſi: Et confirmant Patres. Itaque hæc eſto

THESIS.

Angeli, vt adorandi nobis non ſunt, ſic neque inuocandi, ſed ſolus Deus.

MAtthæi 4. Ex lege Dei ſic loquitur Chriſtus, *Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles.* Præcipua autem cultus diuini pars, ipſa eſt inuocatio: atque ita præcipua eſt illius pars, vt ſæpe in ſcripturis pro toto cultu vſurpetur ſolum *inuocationis nomen.* Vnde Apoſtolus Rom. 10 *Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Non eſt igitur, cur quiſpiam gloſſas addat impias huic præcepto tam claro, tam certo, tam perſpicuo: quo vnus ſolus Deus adorari & inuocari iubetur: Et cuiuſuis puræ creaturæ inuocatio prohibetur. Proinde Apoſtolus Col. 2. apertè cultum Angelorum damnat, ac monet, *ne vllo vel humilitatis vel pietatis prætextu ſinamus nos ſeduci, vt Angelos colamus, vel inuocemus.*

Act. 12. ait, Angelum Domini ſibi adſtitiſſe: ſe tamen colere Deum proteſtatur, quaſi dicat, *ſolum*, non Angelos. Et quis vnquam Sanctorum, vel Prophetarum, vel Apoſtolorum inuocaſſe, coluiſſe ve Angelos legitur? quanquam maxima & mirabilia per eos beneficia acceperint?

Ac ſi quis id voluit facere per imprudentiam: & neſcio quem zelum præpoſterámque pietatem, vetitus fuit ab Angelis ſuis, atque reprehenſus. Iud 13. Angelus Manoæ ait: *Si feceris holocauſtum, Iehouæ offeres illud.* Non enim volebat ſibi offerri, ſed tantùm Iehouæ. Ita Apoc. 19. Cùm Ioh. neſcio qua religione, de improuiſo ex aſpectu Angeli motus, v.1. let Angelum adorare, hoc eſt, genua illi flectere, reprehenſus fuit ab Angelo, dicente, *vide ne feceris.* Nec ſimpliciter illud honoris ſibi deferri prohibet Angelus: verùm etiam ſubdit rationem, dicendo: *Conſeruus enim tuus ſum: Deum adora:* quaſi dicat, *ſolus omnium Dominus adorandus eſt à ſuis ſeruis: non autem conſeruus à conſeruis. Atqui ego non ſum Dominus tuus, ſed conſeruus. Ergo ne feceris.* Retinendus eſt hic ſyllogiſmus aduerſus omnes Angelorum & Sanctorum demortuorum adorationes & inuocationes. Idem fermè legitur in cap. 22. Capite verò 14. eadem ratio explicatur ab Angelo, dicente, *adorate eum, qui fecit cœlum & terram:* quaſi dicat, illum ſolum. Quoniam huic ſoli debetur adoratio & omnis gloria, qui etiam ſolus cœli & terræ conditor eſt & conſeruator, eóque auctor bonorum omnium: Angeli miniſtri tantùm ſunt Dei, in donis communicandis. Meritò igitur, qui cœlum & terram non fecerunt: ij adorandi, inuocandique non ſunt, ſed ſolus Deus. Neque ab hac doctrina diſſentiunt Patres.

II. Lact. lib. Inſt. 2. cap. 17. ait, Angelos bonos, vt non patiuntur ſe vocari Deos: ſic neque honorem, qui ſoli debetur Deo, ſibi deferri permittere. Malos verò ſpiritus vtrumque ab hominibus exigere. *Neque Angeli,* inquit, *cùm ſint immortales, dici ſe Deos aut patiuntur, aut volunt: quorum vnum ſolumque officium eſt ſeruire nutibus Dei. Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt: quorum honor in Deo eſt. Illi autem qui deſciuerunt à Dei miniſterio, qui ſunt veritatis inimici, & præuaricatores, Dei nomen ſibi, & cultum Deorum vendicare conantur.* Hæc ille. Ex quibus apparet, an tempore Conſtantini obtinuerit in Eccleſia, nec ne obtinuerit execrabilis hæc conſuetudo inuocandi Angelos atque colendi, templáque iis dicandi. Sed neque poſt illa tempora, per multa ſecula obtinuit. Nam D. Auguſtinus quoque hunc cultum improbat. Tom. 1. lib. de vera Religione cap. 55. pulcerrimus eſt locus contra religioſum cuiuſuis puræ creaturæ cultum. De Sanctis demortuis ſic ſcribit: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, vt tales quærant honores: ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, vbicunque ſint, non ſunt colendi.* Poſtea de Angelis ſubdit: *Quare honoramus eos* (Angelos) *caritate, non ſeruitute. Nec eis templa conſtruimus. Nolunt enim ſic ſe honorari à nobis: quia nos ipſos, cùm boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe nouerunt. Rectè itaque ſcribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne ſe adoraret: ſed vnum Deum, ſub quo eſſet & ille conſeruus.* Reliqua legantur. Docet enim, hoc eſſe proprium diabolorum, quærere ſe adorari & coli. Item eodem tomo Confeſſ. lib. 10. cap. 42. *Quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? qua prece, quibus ſacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentauerunt hæc: Et inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum: Et digni habiti ſunt illuſionibus. Diabolus enim erat transfigurans ſe in Angelum lucis,* &c. legantur reliqua. Docet, ſolum Chriſtum interceſſorem eſſe omnium, eóque ſolum Deum per vnicum Ieſum Chriſtum eſſe inuocandum. Item tomo 5. de ciuit. Dei lib. 10. cap. 7. docet, Angelos nolle ſibi ſacrificium vllum offerri, ſed ſoli Deo. *Quid eſt autem inuocatio niſi ſacrificium, vt ſcriptura vocat, ſacrificium laudis? Meritò illi,* inquit, *in cœleſtibus ſedibus conſtituti, immortales & beati: qui creatoris ſui participatione congaudent: cuius æternitate firmi, cuius veritate certi: cuius munere ſancti ſunt: quoniam nos mortales & miſeros, vt immortales beatique ſimus, miſericorditer diligunt: nolunt nos ſibi ſacrificare. ſed ei, cuius & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe eſſe nouerunt. Cum ipſis enim ſumus vna ciuitas Dei.* Eadem tradit, ſed fuſiſſimè lib. eodem cap. 16. docet in ſumma: *Qui ſibi petunt ſacrificari: hos non eſſe Angelos bonos, ſed malos & diabolos.* Item tomo 6 contra Fauſtum Manich. lib. 20. cap. 21. *Ipſi ſancti vel homines, vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaones, tanquam Diis immolare voluerunt. Conſciſſis enim veſtimentis ſuis confitentes & perſuadentes ſe Deos non eſſe: iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, ſicut etiam in Apocalyp. legimus, Angelum ſe adorari prohibentem, ac dicentem adoratori ſuo, Conſeruus tuus ſum. &c. Iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus & Angeli eius, ſicut per omnia templa & ſacra Gentilium.* Hæc Auguſtinus. Idem tomo 6. contra Maxim. Arian. Epiſcop. lib. 1. cap. *Nónne ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus: anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei: quoniam creaturæ exhiberemus eam ſeruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo? Si ergo ſacrilegi eſſemus faciendo templum cuicunque creaturæ: Quomodo non eſt Deus verus, cui non templum facimus, ſed nos ipſi templum ſumus?* Hæc ibi. Idem tomo 8. in Pſalm. 96. in illum verſum: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia:* egregiè explicat hanc doctrinam, & dehortatur à cultu, tum ſanctorum hominum, tum beatorum Angelorum: ac dicit, Angelos bonos, quia milites ſunt, eos non quærere gloriam, niſi imperatoris ſui: diabolum autem & Angelos eius arrogare ſibi honorem diuinum: Et concludit ex Angeli ſententia in Apoc. illum ſolum eſſe adorandum, qui fecit cœlum & terram. Idem tom. 6. de Hæreſ. ad Quod vult Deum, hæreſ. 39. inter hæreticos commemorat, qui in cultu Angelorum occupantur: eóſque hæreticos, Angelicos vocat.

Et Chryſoſtom. tomo 4. in Epiſt. ad Heb. c. 1. Hom. 3. reprehendit eos, qui Angelos ſuſcipiunt, colunt, inuocant: cùm noſtri ſint conſerui, & ſpiritus adminiſtratorij.

Res igitur & è ſcripturis & ex Patribus certiſſima eſt, ſummam eſſe impietatem, Angelos diuino afficere honore, hoc eſt, inuocare, colere, adorare. Quòd ſi hos non licet inuocare, qui non audiunt, noſtráque ſpectant, & nos curant: Quomodo igitur demortuos homines?

Quare conuincuntur manifeſtiſſimæ idololatriæ, qui colunt ſanctos demortuos & Angelos, eíſque templa dedicant atque conſecrant. Eant igitur & dicant ſe errare non poſſe in iis, quæ ad fidem & religionem pertinent.

Da, Domine Deus, vt quando non ſolùm docuiſti nos, quid & quales ſint Angeli tui: quot quantáque per illos erga nos præſtes: verùm etiam licet tales ſint, eos tamen non eſſe adorandos neque inuocandos, ſed te vnum ſolum per Ieſum Chriſtum. Da, inquam, vt ſicut non te ſolum, verùm etiam Angelos amare debemus: ſic te vnum ſemper adoremus, colamus, inuocemus: Et hac re teſtificemur; te ſolum verum eſſe Deum, noſtrúmque ſeruatorem, ſicut etiam creatorem, ad gloriam nominis tui, & ædificationem Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DE OPERIBVS DEI, PARTIS PRIMAE, LIBER QVARTVS:

Qui eſt,

De Angelis malis.

VT cognitio doctrinæ de Angelis bonis nobis ad multa, preſertim verò ad fiduciam in Deo collocandam; quippe qui vſque adeò nos amat: vt etiam noſtra cauſſa tot præſtantes & excellentes ſpiritus crearit, eóſq; nobis cuſtodiendis & curãdis adminiſtros dederit, vtiliſſima eſt. Ita doctrina *de Angelis malis*, ad hoc neceſſaria nobis eſſe videtur, vt agnita illorum malitia & odio aduerſus Deum, Chriſtum & Eccleſiam, perceptáque illorum aſtutia, calliditate, potentia, ſedulitate in nobis oppugnandis: Nos & ad præcauendas eorum inſidias atque conatus ſoliciti ſiamus: Et vt iis armis, quæ ad propulſandos tam potentes hoſtes ſatis firma ſint atque valida, nos ipſi inſtruamus. Hic eſt enim finis, propter quem Deus, qui & quales ſint Dæmones, in ſacris literis reuelauit. Docent hoc adhortationes Apoſtolicæ, quæ doctrinæ de Dæmoniis vel ſubiiciuntur, vel præponuntur, Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio & pugna aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*, &c. Quapropter aſſumite omnem illam armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere tempore aduerſo: Et 1. Petri 5. *Fratres ſobrij eſtote & vigilate: Quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens, quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Apparet igitur, quis ſit ſcopus traditę de diabolis doctrinę: nempe, vt agnitis hoſtibus, qui & quales ſint, nos ſimus in excubiis, & fortiter illis reſiſtamus. Idcircò variis nominibus deſcribuntur: Et quales fuerint ab initio, ſempérque ſint, mendaces nimirum & homicidæ, declarantur. Neque nobis eſſe pugnandum cum vno, ſed cum infinita dæmonum turba, docemur. Eſſe quidem vnum ſummum imperatorem inter illos: ſed eum ſecum habere numeroſiſſimum & potentiſſimum exercitum diabolorum: Neque vno die eſſe nobis pugnandum cum talibus hoſtibus; ſed toto vitæ noſtræ tempore, monemur: Et quidem cauſſam belli eſſe gloriam Dei & ſalutem noſtram: Vtramque enim peti & oppugnari à Satana hoſte Dei & Eccleſiæ. Sed ne concidamus animis, eædem ſcripturæ docent, nihil diabolum poſſe aduerſus nos, niſi quantum Deus illi permittit: Chriſtum verò, vt ſemel cum in ſua perſona vicit: Sic etiam ſemper in nobis vincere & expugnare. Deũm enim nolle, vt à Satana ſuperemur, & captiui fiamus: ſed tantùm, vt ad patientiam, ad carnis mortificationem, & ad maiorem gloriam ac ſalutem noſtram, per eum exerceamur: Quanquam impij & reprobi ab illo penitus opprimuntur, & cum ipſo in orcum præcipites dantur, à iuſto iudice Deo. Vtiliſſima igitur piis hominibus & perneceſſaria eſt hæc doctrina: qua de re fuſiùs ad finem dicetur. Nunc quæ de iis ſpiritibus malis ſparſa ſunt in Scripturis: ea, vt antè quoque fecimus, in certos locos colligemus.

II. Quia verò in ſuperioribus libris, cùm de Angelis in genere ageremus, explicatum eſt, an vera ſint ὑφιστάμενα veræque ſubſtantiæ, nec ne, contra Sadducæos alióſque fanaticos ſpiritus: Item quales ſint ſubſtantiæ, corporeæne an incorporeæ: Et an præditi ſint intellectu & libera voluntate: Denique an creati fuerint boni ſicut & reliqui: Et vbinam, nempe in cœlo: idcircò iis omiſſis, reliqua quæ de hiſce malis Angelis cognoſcenda in ſacris literis proponuntur, viginti capitibus complectemur.

Primum fuerit de ipſorum malorum Angelorum nominibus.

2. *De ipſorum peccato & lapſu in cœlo.*

3. *An magna multitudo Angelorum peccarit.*

4. *De pœna peccati Angelorum. Ac primùm de loco, in quem coniecti ſunt, & in quo detinentur: déque illo, in quem omnes ad extremum detrudendi ſunt.*

5. *De ſpirituali pœna totius illorum naturæ, hoc eſt, de extrema malitia & immunditia, qua ſemper polluti & affecti ſunt.*

6. *De pœna in voluntate: An ita pertinaces facti ſint, vt non poſſint amplius velle reſipiſcere & ad Deum conuerti: An verò tandem aliquando ſint ad Deum redituri.*

7. *De pœna in intellectu. An excæcati penitus & omni cognitione Dei, Chriſti, iuſti & iniuſti deſtituti ſint: An verò aliquam adhuc Dei, aliarúmque rerum cognitionem retineant: Ac proinde, an cadere in eos poſſit error & deceptio.*

8. *An futura cognoſcant, & ea prædicere certò poſſint: ébque de Diuinatione Dæmonum.*

9. *An cordium noſtrorum cogitationes cognoſcant.*

10. *De ipſorum vi atque potentia in res creatas: An poſſint aliena corpora localiter pro ſuo arbitrio mouere: Et verò etiam tranſmutare: Ac quomodo inuadant homines, & in eorum agant corporibus.*

11. *De vi in animas: An poſſint mouere & immutare ſenſus, phantaſiam, intellectum, voluntatem.*

12. *An etiam miracula edere poſſint.*

13. *An poſſint, quicquid volunt: An verò definita ſit ipſorum potentia, & certis limitibus terminata.*

14. *De ipſorum operibus & ſtudiis, quænam illa ſint, & quid agant atque moliantur ſemper.*

15. *Speciatim, an auctores ſint Magiæ, incantationum, faſcinorum, præſtigiarum: Et quomodo hæc fieri curent.*

16. *An aſſumant corpora: Et fiant incubi & ſuccubi.*

17. *An ſint inter illos diſtincti ordines, diſtinctáque officia.*

18. *Quodnam & quotuplex ſit ipſorum officium, ad quod eos in ſumma Deus ordinauit.*

19. *De paſſione & dolore: An aliquo dolore & paſſione afficiantur: Et qualiſnam in illis ſit dolor atque cruciatus.*

20. *De vſibus huius doctrinæ: cùm his coniungemus & hoc, quod eſt de noſtro aduerſus Dæmones officio. Ergo*

21. *De pugna, quam habemus, & habere vult Deus cum Satana: illiúſque exercitu.*

DE NOMINIBVS DÆMOMVM.

CAPVT I.

NOMINVM, quibus mali Dæmones nominantur in Scripturis, quædam ſunt omnium communia: quædam quorundam propria. Omnia verò illis ſunt impoſita, aut à natura, qua conditi ſunt, vt eſt nomen ſpiritus: aut à comparatis qualitatibus, quibus præditi ſunt, vt cùm vocantur *ſpiritus immundi*: aut ab officiis & effectis, quæ præſtant. Vt nomen *diaboli*, quia calumniatores ſunt: nomen *Satanæ*: aut à figuris & formis, quibus aliquando apparent: vt nomen *piloſi* apud Ieſaiam & *ſerpentis*, &c. Recitabo igitur nomina, quæ habemus in ſacris literis. Iis enim voluit Deus ipſorum naturas, malitias, ſtudia, conatus, nobis indicare: vt vel auditis iis nominibus, mox intelligamus, quos & qualeſnam hoſtes habeamus: atque ita vigilantes ſimus, & cauti, ne nos ab ipſis opprimi ſinamus. Sunto igitur nobis hæc Dæmonum nomina ceu breues tabulæ, in quibus videamus, quales ſint hoſtes noſtri, quídve aduerſus nos tentent: Et iis noſtri moneamur officij.

I. Primum, quo nominatus fuit diabolus, nomen fuit נחש *ſerpentis*, Geneſ. 3. quo poſtea alibi quoque vſus eſt Spiritus ſanctus, à forma nimirum, in qua apparuit Euæ, eámque ſeduxit: Quamquam hoc etiam nomine natura diaboli aſtuta & ſagax & venenata ſignificatur. Quin etiam eius officium & ſtudium indicatur. Eſt enim à radice נחש quod & *augurari* ac *diuinare* & *tentare* ſignificat. Eſt autem *Satan* autor omnium impiarum diuinationum & auguriorum: Et καθ' ἐξοχὴν vocatur in nouo Teſtamento ὁ πειράζων, *Tentator*.

II. שעירים Leuitici 17. 7. Vertunt *Dæmones*: ſed propriè ſignificat *hircos*. Ergo ſignificantur illi Dæmones, qui inſtar hircorum apparebant idololatriis ſuis, hirſuti & villoſi: quos gentes vocarunt *Satyros*. A forma igitur, in qua apparebant ita vocati ſunt.

III. שדים Deut. 32. 17. immolauerunt לשדים Dæmoniis: Et non Deo, à שד *mamma*. A forma, qua apparebant in forma beſtiæ mammoſæ: vt capræ, vel canis.

IV. שטן *Aduerſarius*, 1. Malach. 5. Et ideò Zach. 3. ait *Satan ſtabat à dextris eius*: nempe tanquam aduerſarius. Ab officio eſt, quo nobis ſemper aduerſatur.

V. רוח Simpliciter *ſpiritus*, 1. Malach. 22. verſ. 22. *Egreſſus eſt ſpiritus*: ſcilicet malignus. A natura qua conditus eſt, nomen eſt impoſitum.

V I. רוח רעה *Spiritus malus*, 1.Samuel. 18.10. Hanc verò dictionem רעה vertunt interpretes Bibliorum modò *malum*, modò *peſſimum*, modò *nequā*: Eſt à qualitate cōparata.

V I I. Item רוח שקר *Spiritus mendacij*, *ac mendax*, I.Malach.22.à natura, officio & effectu. Eſt enim mendax & auctor mendacij: vt Chriſtus docuit, Ioh.8.

V I I I. רוח הטמאה *ſpiritus immundiciei*.Zachar.13.2. Vertunt *immundum*, à qualitate, & officio. Eſt enim per ſe immundus: Et auctor immundiciei in aliis.

I X. רוח זנונים Hoſ.4. 12. *Spiritus fornicationum*, id eſt, *idololatriarum*. Ab officio & effectu: quòd ſcilicet ad idololatriam impellat & eius auctor ſit.

X. רוח עועים Ieſa.19.14.*Spiritus peruerſitatum*: ab officio, quòd huius opera vtatur Deus ad peruertēda hominū, quos vult punire, iudicia. Vertunt interpretes *ſpiritum vertiginis*.

X I. Item ſimpliciter שעירים *piloſi*.Ieſ.13.21.Vertunt *Dæmones Satyros* ſunt Poëtarum A forma, in qua apparent inſtar hircorum piloſorum, ſic vocati ſunt.

X I I. *Aſmodeus* proprium nomen Tob.3. Ἀσμοδαῖος *malus dæmon* Hæc ex veteri Teſtamento.

In nouo autem Teſtamento Græcè hæc legimus.

1. Πνεύματα ſimpliciter *ſpiritus*. Matth.18. *Eijciebat ſpiritus* ſcilicet malos, à natura. Quia ſpiritualis ſunt ſubſtantiæ. Lu. 10. *Spiritus ſubijciantur vobis.*

2. *Spiritus immundi*, πνεύματα ἀκάθαρτα. A qualitate comparata: & ab officio: quia & immundi ipſi ſunt: & immundarum cogitationum atq; actionū auctores. Sicut cōtrà *Spiritus S.* & in ſe ſanctus eſt, & omnis ſanctitatis auctor.

3. Δαιμόνιοι idque ſæpiſſimè. A ſcientia & ſapientia, in qua creati ſunt, & qua adhuc præditi ſunt ex parte. De hac dictione alias diximus in libro *De Angelis* in genere. Eſt enim omnibus commune, tam bonis, quàm malis apud profanos ſcriptores: ſed ſpeciatim refertur ad malos propter aſtutiam. Ideò 1.Tim.4.1. *Doctores aſtutos*, qui falſas ſpargūt doctrinas, *Spiritus Dæmoniorum* vocat Apoſtolus.

4. Πειράζων, *Tentator*, ſeu, *ille tentans*. Matth.4. Ab officio. Tentat enim ad malum.

5. *Satanas*, Matth.4. & alibi ſæpè. Hebraica vox eſt, de qua antè. Eſt enim aduerſarius noſter, vt Petrus ait, 1.Petri 5.

6. *Beelzebub* ſæpe apud Euangeliſtas, *Princeps Dæmoniorum* ita vocatur a Chriſto. *Dominus ac princeps Muſcarum* ab idolo *Accaronitarum*, ſic vocatur.

7. Πονηρός, κατ' ἐξοχὴν, *malus*, Matth.13. & alibi, à qualitate comparata: & ab officio. Eſt enim malus: & omnis mali, id eſt, peccati auctor.

8. *Inimicus*, ἐχθρός. Eſt enim inimicus omnium bonorum: Dei, rerum diuinarum, noſtrique omnium.

9. *Fortis armatus*, Matth.12. à potentia, qua valet in homines, præſertim impios.

10. *Pater impiorum*, Ioh.8. *Vos ex patre diabolo eſtis: Et deſideria patris veſtri vultis facere.* Ab officio: Eſt enim auctor omnis impietatis.

11. *Princeps Mundi*, Iohan.12. A poteſtate, quam ei permittit Deus in homines, maximè in reprobos, in quos tyrannidem exercet.

12. *Angelus* ſimpliciter, vt 1. Cor.6. *Angelos iudicabimus.* Ita 2.Pet.2. & Iudæ ab officio, ad quod de principio creati fuerunt omnes, ita appellantur.

13. *Spiritus Pythonis*, Act.16. Eſt enim auctor omnium iſtarum præſtigiarum & incantationum, falſorúmque oraculorum, Nomen Gentilitium eſt.

14. *Diabolus*, Διάβολος ſæpiſſimè. Ab officio eſt. Calumniator enim eſt à principio.

15. *Draco*, Apocalyp. 12. & *ſerpens antiquus*. A forma in qua apparuit: Et ab aſtutia atque officio. Eſt enim omnium aſtutiſſimus, & omnium impiarum aſtutiarum auctor.

16. *Deus huiuſce ſeculi*. 2.Cor.4. tum à ſuperbia, quia ſibi arrogat honorem Dei. Et vult adorari vt Deus: Tum à potentia, quia hoc obtinet in reprobis, qui ſunt maior pars huius ſeculi. Item vocantur,

17. *Principes & poteſtates huius aeris*, Epheſ.6. Quia ibi habitant & regnant: indéque nobis inſidiantur, bellúmque faciunt.

18. *Mundi huius rectores*, Epheſ.6. Quia regunt impios ad ſuam libidinem.

19. *Leo rugiens* (1.Pet.5.) A potētia & ferocia ſic nominatur.

20. *Homicida*, Iohan.8. Auctor enim mortis noſtræ; & omnium homicidiorum iniquè perpetratorum: Item odiorum: quæ Iohannes vocat *homicidia*.

21. *Belial*. 2. Cor.6. *Quæ conſenſio Chriſti & Belial?* Significat irregularem ſine iugo & diſciplina: Et tales reddit ſuos.

Hæc in ſacris literis Cacodæmonum nomina reperiuntur, quæ noſſe vtile eſt omnibus, præſertim ſacrarum literarum ſtudioſis. Quæ apud profanos ſcriptores leguntur: Vndenam deſumta, & quę illorum ſint ſignificata & etymologiæ, non eſt neceſſe, nos in præſentia de iis diſſerere. Si quis velit hæc etiam noſſe, legat præter alios Cæl. Rhod. *Lect. antiq.lib.1. cap.*23. per aliquot capita. Et Agrippam de occul. Philoſoph. lib.3. cap.24. & in ſequentibus, vbi tamen multa ſcribit verè diabolica.

DE PECCATO ANGELORVM.

CAPVT II.

NVNC quæſtionem explicaturis, quæ eſt de malorum Angelorum peccato & caſu; reuocanda ſunt in memoriam, quæ in altero huiuſce partis libro, de omnium Angelorum creatione, ſubſtantia atque natura dicta ſunt. Nimirum, primùm quidem omnes fuiſſe à Deo creatos, veras ſubſtantias. Deinde, omnes Spiritus Angelicos, creatos fuiſſe ſua natura bonos, intelligentia & libera voluntate præditos. Proinde, quòd iam ſint ex illis quàm plurimi mali, iniqui, immundi, mendaces: hoc illos non habere à Deo in ſui creatione, ſed à ſe ipſis: quòd ſcilicet, cùm eſſent libera voluntate præditi, propria voluntate peccârunt, deficientes à veritate, voluntatique diuinæ reluctantes. *Thom.1.q.16. art.2. Item 1.par.q. 63.art.4.* De quo peccato nunc dicturi ſumus. Summa enim iniuria affecerunt olim rerum omnium creatorem Manichæi, & poſt hos Priſcillianiſtæ, cùm diabolos tales fuiſſe creatos, quales iam ſunt, malos ſcilicet & immundos, prędicarunt. Quomodo enim à ſummo bono creari potuit aliquid mali? Certè cùm Iudas ait, *Diabolum ſuam deſeruiſſe originem* docet, eum creatum fuiſſe bonum. Et in iuſtitia, veràque probitate aliquādo fuiſſe, ſed poſtea defeciſſe. Nam quod afferebant ex Iohan. 8. *illum fuiſſe homicidam ab initio* quis non videat nihil ad rem facere? Docet enim Chriſtus, tunc primum fuiſſe factum homicidam, cùm hominem aggreſſus, illum in peccatum, eóque in mortem pertraxit. Quibus de rebus optimè diſputauit D. Auguſtinus tomo 3. de Geneſi ad literam, lib. 11 cap.20. per aliquot capita: Et tomo 5 de Ciuitate Dei, lib.11. cap 1.2 3.& lib.12. cap.1. Legatur etiam tomus 1. de vera religione, cap. 13. Et in Iohan. Tractat. 42. Quare quæcunque leguntur nomina malorum Angelorum, quibus ipſorum malitia & impietas ſignificatur: ea nequaquam illis conueniunt φυσικῶς & à natura: ſed à qualitatibus, quas ſibi propria voluntate acceſſiuerunt, & à ſtudiis, in quæ voluntariè incumbunt: quemadmodum paulùm antè à nobis explicatum fuit. Cùm hæc ita ſe habeant, nunc videndum eſt de ipſorum peccato, quandónam peccarint; Et quodnam illud fuerit peccatum: quoniam iam conſtat, tales non eos fuiſſe ab initio ſuæ ipſorum creationis. De peccato autem Angelorum multa quærunt Scholaſtici Doctores, quorum quædam contemnenda non ſunt: plura tamen ſilentio præteriri, quàm in quæſtionem vocare præſtitiſſet.

1. Quærunt primùm: *An in Angelos cadere potuerit peccatum.* Sed cùm Scriptura apertè tradat illos peccaſſe: quorſum quæritur an potuerint peccare? Imò ſimulac audimus, Angelos creatos fuiſſe ex nihilo: ſtatim inferre licet, ſuapte igitur natura omnes peccare potuiſſe, atque etiam nunc poſſe. Quòd enim quidam non peccent: hoc habent à gratia, non à natura. Quid eſt enim aliud peccare, quàm à rectitudine, ſiue internæ ſiue externæ actionis, quam quælibet res habere debet, declinare, & à ſcopo aberrare, præſcriptáſque lineas (vt Cicero etiam docuit) tranſilire? Omnis autem res creata ex nihilo, niſi à ſuperiore cauſa, hoc eſt, à Deo retineatur & conſeruetur, deficere à natura recta, in qua creata eſt, & in nihilum tendere poteſt. Proinde ſi qui non poſſunt amplius peccare, hoc à ſe ſeu à ſua natura non habent, ſed à gratia Dei, qui eos non ſinit peccare. Ita in ſolū Deum cadere non poteſt peccatū. Proinde Deus ſua ſapientiſſima iuſtiſſimáq; voluntate (vt etiam docet Auguſtinus) permiſit ex Angelis quoſdam ſuæ ipſorū naturæ, hoc eſt, liberæ voluntati, & ita liberè peccare: vt voluntariè peccando, appareret, quid liberum Angeli, ſed ſine gratia Dei, valeat arbitrium: Reliquos verò ſua retinuit gratia, ne peccarent, vt inde pateſieret, quàm neceſſaria ſit, tam ad malum vitandum, quàm ad bonum faciēdum gratia Dei Ergo de illis, qui peccarūt, quærere an potuerit peccare, vanum eſt: imò reliquos etiam, qui non peccarunt, ſua natura potuiſſe & poſſe peccare, ex ſolo aliorum exemplo, manifeſtiſſimum eſt.

2. Quęrūt prætereà, *an vnus aliquis prior Angelus peccarit, & deinde alij eū ſecuti ſint: An verò, qui peccarūt, omnes ſimul peccarint.*

peccarint. Cùm hæc quæſtio certa in ſcripturis non habeat teſtimonia, inutilis eſt: eóque nobis negligenda. Etſi enim probabilius eſt, vnum ex præcipuis priori loco peccaſſe: Deinde in idem peccatum reliquos ſecum pertraxiſſe, propterea quòd Dominus quoque vnum quaſi principalẽ inter omnes diabolos ſtatuere videtur, cùm ait ſe iniquis dicturum: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius*: Nihil tamen certi hac de re è ſacris literis definiri poteſt. Scriptura tantùm affirmat in genere, Angelos peccaſſe, 2. Petri ſecundo, & in Iudæ Epiſtola, & Iohan. octauo. Nam quod in ſingulari numero alicubi legimus, vt Iohan. 8. *Diabolum in veritate non ſtetiſſe*: Nomine *vnius diaboli* omnes intelligi manifeſtum eſt: Sicut etiam ſæpe nomine *hominis*, omnes homines: vt ibi, *Quid eſt homo, quòd magnificas eum?* Cùm igitur ſcriptura hac de re nihil tradat certi: neque nos quidpiam tanquam certum & neceſſarium affirmare debemus.

3. Ad hæc quærunt: *An tot peccarint, quot etiam permanſerunt. An verò plures permanſerint in veritate.* Sed quis hoc etiam definite queat, cùm ſcriptura taceat? Concludunt quidem Scholaſtici, plures permanſiſſe, quia in 2. Malac. ca. 6. Propheta dixerit, *plures nobiſcum ſunt*: ſcilicet Angeli boni, quàm cum illis, nempe ſint Angeli mali: ſed quis non videat torqueri ſcripturã? Quaſi verò Propheta locutus ſit de Angelis malis, cùm dixit, *quàm cum illis*: Et quaſi dicere voluerit, omnes bonos Angelos ſtetiſſe à ſua parte, omnes autem malos à parte hoſtium: ac plures fuiſſe bonos, quàm malos.

4. Quærunt inſuper de tempore, *quandónam peccarint: An ſtatim poſt ipſorum creationem: an verò aliquod temporis ſpatium interceſſerit inter creationem & peccatum.* Atque etiam qui doctiores eſſe videntur, in eam inclinant ſententiam: quòd Angeli, ſimul ac creati fuerũt, ſtatim etiam peccarint, prima ſuæ propriæ voluntatis actione. Verùm ratio, quam adferunt, nulla eſt. E ſcripturis verò nullum adferunt teſtimonium: quia non poſſunt: è ſacris literis hoc tantum neceſſario colligitur, Angelos peccaſſe, antequam peccaſſet Eua & Adamus. Malus enim quidam Angelus in forma ſerpentis ſeduxit Euam ſuo mendacio, eámque in mortem pertraxit. Vnde Chriſtus ait, Ioh. 8. *Diabolum ab initio fuiſſe homicidam.* Item, *patrem eſſe mendacij.* De tempore peccati Angelorum, nihil præterea in ſacris literis legimus.

5. De loco, *vbi peccauerint, quærunt nonnulli: An in Cœlo, quod nos beatorum vocamus. an verò alibi, vt in aëre, vbi iam ferè habitant Dæmones.* Ac non defuerunt, inter quos ipſe quoque Auguſtinus Steuchus, Epiſcopus Eugubinus, *De per. Phil. lib. 8. c. 38.* qui voluerint, eos Angelos qui peccarunt, nũquam fuiſſe in illo beatorum Cœlo: ſed creatos in aëre, ibi etiam peccaſſe, rationibus quibuſdam adducti, ſed admodũ friuolis. Adducunt Diuum Auguſtinum pro ſua ſententia: ſed fit illi ſancto viro inſignis iniuria: cũ Auguſtinus tantũ referat, quid nonnulli ſenſerint, non antẽ quid ipſe è ſacris literis tenendum eſſe iudicauerit. Pugnat certè ea ſententia cum ſacris literis, quæ docent, Angelos, qui peccarunt, recto ſuo domicilio, luceque cœleſti, detruſos fuiſſe in Barathrũ, hoc eſt, in hunc aërem, qui præ luce cœleſti, nihil aliud eſt quàm tenebræ: Et præ amplitudine cœli nihil aliud eſt quàm anguſtus carcer.

Petrus certè in altera Epiſtola, cap. 2. ait, *Deum Angelis qui peccarunt, non peperciſſe, ſed in Tartarum detruſiſſe*: hoc eſt, in has infimas regiones, nempe in aërem. *Princeps* enim *aëris* dicitur eſſe Satan, ad Eph. 2. Et ad Epheſ. 6. ait, *nobis eſſe pugnam aduerſus ſpirituales militias, quæ ſunt in cœleſtibus*, hoc eſt, in aëre. Et Iudas ait, *Angelos ſuũ reliquiſſe domicilium: Etiam ſub caligine, iudicio magni illius diei reſeruari.* Si igitur *detruſi ſunt* (vt ait Petrus) *in Tartarum*: Et ſi (vt ait Iuda) *ſub caligine reſeruãtur, relicto ſuo priore domicilio*: Euincit, eos priùs fuiſſe in cœlo, ibique peccaſſe: Inde verò in hunc aërem caliginoſum præcipitatos fuiſſe. Ac mirabile eſt, quod ſcribit Steuchus, malos illos ſpiritus vocatos fuiſſe olim ab Empedocle οὐρανοπετεῖς *cœlos ruentes.* Et Cœl. Rhod. antiquarũ lectionũ lib. 1. c. 28. ait, hoc idẽ ſignificare voluiſſe Pythagorã, cũ ſcripſit, *Animam fractis alis, è cœlo labi, &c.* Vndénã hæc illi acceperunt, niſi ex traditionibus Hebræorum? Sed nos ſcripturas habemus apertas, quibus docemur, è cœlo præcipitatos fuiſſe, & ſuũ reliquiſſe domicilium: ac proinde quibus concludere licet, in cœlo & creatos fuiſſe, & ſuum admiſiſſe peccatum.

II. Cæterùm, (vt ad præcipuam & poſtremam veniamus quæſtionem, eámque non inutilem:) *quódnam Angelorum peccatum*, diuerſæ ſunt hominum ſententiæ.

Auguſtinus Steuchus de per. Phil. lib. 8. ca. 36. tres recitat.

Prima illorum eſt, qui dixerunt ſimpliciter fuiſſe rebellionem contra Deum, quod ſuo opifici ſubdi noluerint: Sed quia hoc non potuit proficiſci, niſi ex ſuperbia: proinde nõnulli dixerunt, peccatum diaboli fuiſſe ſuperbiam: Atque huc accommodant illud ex Siracide ſeu ex Eccleſiaſtico, ca. 10. *Initium omnis peccati, eſt ſuperbia.* Et D. Apoſtolus in Quæſt. Vet. Teſt. ait, *Diabolum elatione inflatum, voluiſſe nominari Deum.*

Altera eſt eorum, qui ſcriptum reliquerunt, peccatum Angelorum nihil aliud fuiſſe, quàm inuidiam, qua homini donum, quod à Deo acceperat, qua ad imaginem Dei factus erat, inuiderunt. Et citant Athenagoram pro hac ſententia. Et Petrum Alexandrinum, & verò etiam Auguſtinum. Huc ſpectat dictum in libro Sap. cap. 2. *Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Sed hæc inuidia potuit conſiſtere cum ſuperbia, & ex ea ſequi. Quare optimè cohærent hæc, *Angelum priùs ſuperbia elatum, noluiſſe Deo ſubijci, illiúſque ferre imperium.* Et deinde, *inuidia etiam hominis laboraſſe.*

Tertia, quam adfert Steuchus, nimis ſtulta eſt: Peccatum ſcilicet Angelorum fuiſſe, quòd fœminas appetierint. Cæterùm, quia Chriſtus Ioann. 8. videtur peccatum Angelorum in hoc poſuiſſe, quòd *in veritate non ſteterint*. huic pro varia huius vocis interpretatione, variè etiam docti viri definierunt primum Angelorum peccatum. Primùm, veritatem quidam accipiunt pro fide ſeu fidelitate, quam debent ſubditi ſuo Principi & Regi. Ἀλήθεια enim Græcis & אמונה Hebræis idem ſunt. אמונה autem ſæpè ſignificat hanc, de qua diximus, fidelitatem. Sentiunt itaque hoc fuiſſe Angelorum peccatum, quòd debitam Deo fidelitatem non ſeruarint. Deinde veritas ſignificat integritatem, ſicut apud Iobum in c. 2. v. 3. Aiunt ergo iſti hoc fuiſſe Angelorum peccatũ, quòd *non ſteterint in veritate*, hoc eſt, in illa integritate naturæ, in qua conditi fuerant. Et hanc ſententiam cõfirmare videtur Iudas in ſua Epiſtola, cùm ait, *Angelos ſuam non ſeruaſſe originem*: hoc eſt, originalem iuſtitiam, ſanctitatem, perfectionem, integritatem. Hæc omnia vera ſunt, ſed generalia. Non enim propriè explicant, quódnã fuerit peccatum; nempe aut quanam in re fidelitatem non ſeruarint: aut quomodo ſuam originalem integritatem amiſerint. Hæc enim amiſſio videtur potiùs pœna eſſe peccati, quàm peccatum: Tertio itaque loco veritas accipitur quatenus opponitur mendacio. Ita quidam iudicant hoc primum fuiſſe Angeli peccatum quòd excogitarit mendacium, quo falleret Euam: Huius rei cauſſa dicitur à Chriſto mendacij pater eſſe, id eſt, primus auctor. Atque hoc fuiſſe peccatum Diaboli, videtur Chriſtus quaſi voluiſſe ſignificare. Nã poſtquam dixiſſet, *in veritate non ſtetit*: ſubiecit quaſi explicationis cauſſa: *Nam non eſt veritas in eo. Quando loquitur mendacium, ex proprijs*, (hoc eſt, ex ſe) *loquitur.* Eſt enim mendax & mendacij pater. Sed hoc non fuiſſet primum peccatum. Inuidia enim præceſſiſſet, cauſa excogitati mendacij. Vtrumque verò ſimul peccatum fuiſſe Diaboli, dubium non eſt, quoniam de inuidia teſtimonium ex libro Sa. 2. contemnendum non eſt. De mendacio autem excogitato, & dicto ac perſuaſo Chriſtus hîc eſt teſtis.

III. Ad extremum igitur refero hîc quandam ſententiam, quæ mihi probabilis admodum videtur, & conſentiens cum omnibus illis locis, qui adferri ſolent de peccato Angelorum: præſertim cum illo Chriſti loco Iohan. 8. Et quæ tum illorum ſuperbiam ac rebellionem, tum inuidiam complectitur. Ea hæc eſt. Dubium non eſt, quin quod poſtea toti Mundo patefactum eſt de Chriſto myſterium: illud decreuerit & ſtabiliuerit Deus ſuo æterno conſilio, ac proinde quin illud veritas fuerit æterna atque certiſſima & immutabilis. Eſt autẽ hæc huiuſce veritatis ſumma: nempe Filiũ debuiſſe non Angelos aſſumere, ſed ſemen Abrahæ, & factum hominem, fieri caput, quà etiam homo eſt, omnium quoque Angelorum, totámque hanc humanam naturam ſupra omnes Angelos exaltandam fuiſſe: Et neminem, tam Angelorum, quàm hominum futurum beatum, niſi per gratiam Chriſti, & propter Chriſtũ: ita vt omnia bona à Chriſto eſſent expectãda. Hæc ſumma, eáque è ſacris literis hauſta. Eſt verò probabile & conſentaneum veritati: quanquam non totum myſterium Chriſti (multa enim didicerunt per Eccleſiam Angeli Epheſ. 3.) ſummam tamen hanc, quam diximus, propoſitam ac reuelatam fuiſſe de principio ipſis Angelis. Adde iam & compone ſyllogiſmum: Quæcunque nunc & ab initio mundi deteſtantur & damnant & perſequuntur, tam per Tyrannos, quàm per hæreticos, mali Angeli: eadem reiecta & damnata fuiſſe ab iiſdem, iam inde ab initio hoc eſt, ſimulac patefacta illis fuerunt, credendum eſt: Ac de quibus bella nunc ſunt inter malos & bonos

veritati & propoſito Domini aperiat, excitandam.

Prophetæ & Apoſtoli omnéſque miniſtri in prædicando perſuadendóque Electis Euangelio, quod hic dicimus, perſpicuè confirmant & explicant. Quis enim propriè fideles docet Euangelium, illorúmque mentes ad cognitionem veritatis illuſtrat, & eam illis perſuadet? Deus ſuo interno ſpiritu. Solius enim Dei donum eſt fides, veráque Dei cognitio. Apoſtoli tamen & Prophetæ cooperatores ſunt Dei in hoc opere: ita vt ipſi quoque tanquam cooperatores ſuam habeant actionem in animos fidelium. Fides enim eſt ex auditu: auditus autem per verbum Dei, per homines ſcilicet prædicatum. Vt igitur Deus externo vtitur miniſterio hominum ad mentes electorum illuminandas, & ad veritatem illis patefaciendam ac perſuadendam: Sic etiam internè & inuiſibiliter vtitur eandem ad rem miniſterio Angelorum: ita vt & ipſi ſuam habeant actionem in mentes electorum, cùm à Deo illuminantur. Nunc ergo tenemus diſcrimen inter modum, quo Deus agit in mentes noſtras, & quo Angeli. Ac proinde manifeſtum etiam eſt Angelorum vim & actiones in mentes vſque penetrare, ſed ſuo modo, vt dictum eſt. Non diſſimile diſcrimen inter modum, quo Deus, & inter eum, quo Angeli agunt in voluntates noſtras, inuenimus. Solus enim Deus propriè agit in voluntates noſtras, eáſque mouet & flectit, quò vult: Angeli verò, vt cooperatores, & qui hortentur potius externis rationibus, quàm qui flectant internis actionibus. Nam bifariam moueri & flecti voluntas noſtra poteſt, aut ab interiori principio atque agente; aut ab exteriori. Interiorem mouentem & flectentem non habet voluntas, niſi Deum. Quid eſt enim motus voluntatis? Nihil aliud, quàm ipſius inclinatio, in id quod vult: Et ſic Latini loquuntur. Cùm enim ſignificare volunt ſuam voluntatem ad aliquid moueri & flecti: aiunt, *animam in rem aliquam inclinare & inclinari.* A quo igitur vim habet, qua inclinatur ad aliquid voluntas: is etiam eſt verus & interior voluntatis motor. A quo verò vim hanc habet voluntas? A ſolo Deo voluntatis creatore. Sicut enim omnis naturalis cuiuſuis rei inclinatio à ſolo Deo creatore eſt: id quod nemo hominum inficiari poteſt. Sic etiam inclinatio voluntatis, non niſi à Deo eſt, voluntatis auctore. A quo enim quis habet naturam & voluntatem: ab eodem etiam habeat naturalem & voluntariam inclinationem, neceſſe eſt. Solus igitur Deus internus eſt, eóque verus voluntatis noſtræ motor, cauſáque inflectens. Vt hoc explicaret Salomon, dixit Prouerb. 21. *Cor Regis eſſe in manu Dei:* hoc eſt, in plena eius, abſolutáque poteſtate: ac proinde hoc ab illo inclinari, quocunque vult. Apertè ſignificauit: in nullius creaturæ manu & poteſtate eſſe corda voluntatéſque hominum flectere: ſed hoc ſolius eſſe Dei: Et Prophetæ dicunt, Deum *corda ex ferreis, facere carnea,* hoc eſt, ex duris facere mollia: ex pertinacibus, obſequentia, & flexibilia in voluntatem Dei. Si cauſam igitur agentem intrinſecam, vnde propriè mouetur & flectitur voluntas, ſpectemus; Deus ille vnus eſt, qui mouet & flectit quocunque vult: Nulla verò creatura talem habet in voluntates noſtras actionem. Si verò externam ſpectes rationem, qua voluntas ad aliquid promouetur: Ea duplex eſt, vna eſt ipſum voluntatis obiectum, bonū ſcilicet, ab intellectu apprehenſum, & voluntati efficaciter oblatum. Vnaquæque enim animæ facultas, à ſuo mouetur obiecto, non oblato tantùm, ſed etiam apprehenſo. Altera ratio in ipſis eſt paſſionibus, quæ in appetitu degunt ſenſitiuo, vt eſt ira, concupiſcentia. Ex iis enim mouetur ſæpiſſimè voluntas, ad aliquid volendum, eligendum, imperandū. Efficiunt enim paſſiones tanquam Sophiſtæ, vt quod alioqui malum eſt, videatur voluntati bonum, atque ita in illud inclinet magis, quàm in verum bonum, quod ab intellectu apprehenſum, ei offertur: veluti videmus in Dauide, Petro, & aliis: imò & quotidie in nobis experimur ipſi. Quatenus igitur aliquis ſua actione, vel alia ratione, aut efficit, vt intellectus bonum voluntatis obiectum intelligat, apprehendat, & voluntati offerat: aut quatenus commouet paſſiones in appetitu ſenſitiuo, iram, odium, concupiſcentiam, à quibus voluntas in aliquid inclinetur: eatenus is dicitur permouere voluntatem. Eſt autem manifeſtum ex iis, quæ antè dicta ſunt, Angelos poſſe partim intellectui proponere verum ac bonum, ad vtrumque percipiendum eum illuminare, eóque efficere, vt hoc vnum voluntati proponatur eligendum: partim etiam poſſe paſſiones in noſtris ſenſibus excitare. Conſtat enim de Angelis malis, eos ad malum nos inſtigare: atque ita ſæpenumero efficere, vt ad malum noſtra inclinet voluntas. Eatenus igitur etiam boni Angeli dicuntur in noſtras agere voluntates, eáſque ad aliquod bonum permouere: nempe non ſimpliciter & abſolutè vt Deus, qui ſolus efficaciter flectit voluntatem quocunque vult: ſed ſecundùm quid, & quatenus externis rationibus inſtar conſiliariorum ſuadent aliquid voluntati. Neque enim eam vel cogere poſſunt, cùm eius ſit naturæ, quæ cogi nequeat, vt inuita aliquid velit: neque efficaciter pro ſuo arbitrio eam permouere valent, cùm hoc ſolius ſit Dei. Suadendo igitur duntaxat, & internè quaſi loquendo, & agendo, Angeli mouere voluntatem dici poſſunt: Deus verò vt cauſa efficiens, efficaciter flectendo, eam mouere, omnino dicendus eſt. Nunc tenemus diſcrimen inter modum, quo Deus voluntatem mouet & flectit, & eum, quo Angeli illam mouere dici poſſunt. 1. Quod autem de actionibus Angelorum tum in intellectum, tum in voluntatem, eo quo explicatum eſt modo, diximus, haud malè confirmari poteſt dicto Apoſtoli ad Hebr. c. 1. vbi ait, *eos eſſe adminiſtratorios ſpiritus, in miniſterium miſſos,* &c. Quibus enim obſecro, actionibus ſalutem nobis adminiſtrant? Num tantum externis, quæ corpora duntaxat concernunt? Annon potius actionibus, quæ in ipſas quoque mentes noſtras penetrent? 2. Et David ait, *Qui facit Angelos ſuos, ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Et hos ſpiritus cœleſtes, ſuos Angelos, id eſt, nuncios facit Deus: Non ſemper autem in aures corporeas loquuntur: In mentes igitur ſeſe inſinuant, & ſæpe ita iis voluntatem Dei nunciant, vt etiam perſuadeant. Quid hoc autem aliud eſt, quàm voluntatem flectere? 3. Præterea, ſi ſunt ſicut flamma ignis: flammæ autem ignis duplex eſt actio, vna illuminare, altera calefacere & accendere. An non igitur Propheta indicat, Angelorum erga nos actiones, & in intellectu illuminando, & in voluntate ad amorem Dei accendenda verſari? Neque enim ratione corporum noſtrorum, ſed animorum potius, illis nominibus appellantur. Atque vt Angelus mouit Ioſephum in ſomniis, Matth. 2. Sic etiam nos intus docent, tanquam miniſtri Dei, & pædagogi noſtri inuiſibiles ac ſpirituales: docent inquam, intus in animis, quid vitandum, quidve perſequendum nobis ſit: & ad bonum ſemper ſtimulant. Hæc eſt Angelorum in animos noſtros potentia. De potentia & actionibus κακοδαιμόνων ſeorſum dicemus ſuo loco.

THESIS IV.

Angeli boni imperium in Dæmones habent: illorúmque potentia maior eſt horum.

Docent hoc aperta ſcripturarum teſtimonia, & ratio ipſa confirmat. Etſi enim omnes æqualis naturæ creati fuerant, eóque & æquali potentia præditi, tamen cùm ij reprobi ſponte defecerint à Deo, nec ſteterint in veritate: iuſtitia & æquitas poſtulauit, vt in pœnam peccati, ſicut reliqua dona quibus ornati erant, ſic etiam vis & potentia, qua erant præditi, infirmaretur, & iis ſuperiores fierent boni, ſicut aliis donis, ſic etiam potentia. Indicarunt hoc Petrus in altera Epiſtola, & Iudas in ſua: cùm ſcribunt, Angelos ſcilicet malos in tartarum detruſos & catenis vinctos eſſe, damnationique ſeruari. Si vincti ſunt: Infirmata eſt igitur ipſorum potentia, vt non poſſint, quicquid velint. Et vbique in ſcripturis legimus, Cacodæmones ſemper fuiſſe victos ab Angelis bonis, ſi quando narratur, inter ipſos pugnatum fuiſſe: vt in Dan. & in Apocal. legitur. Et Tob. 8. dicitur Angelus Tobiæ Dæmonem vinculis conſtrinxiſſe. Proinde Auguſtinus tomo 3. de Trinit. lib. 3. c. 3. in hæc ſcribit verba. *Sed quemadmodum corpora craſſiora & inferiora, per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: Ita omnia corpora, per ſpiritum vitæ: Et ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitæ rationalem: Et ſpiritus vitæ rationalis deſertor atque peccator, per ſpiritum vitæ rationalem, pium & iuſtum. Et ille per ipſum Deum. Ac ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atque inſtituta eſt.* En quomodo Angelos malos ſpiritus deſertores ſubiicit Angelis ſpiritibus bonis & iuſtis. Sic Gregorius ait, *poteſtati Angelorum ſubiectas eſſe virtutes aduerſas, hoc eſt, Dæmones.* Manifeſtum igitur eſt, Angelos bonos, per quos cuſtodimur, longè potentiores eſſe Angelis malis, à quibus oppugnamur: cùm ij ſubiecti ſint illis. Pertinent autem hæc omnia ad noſtri conſolationem: quòd ad noſtri curam tam potentes deſtinati ſint à Patre cuſtodes: ac proinde niſi velimus expugnari à diabolis, non debemus peccatis noſtris contriſtare Spiritum ſanctum: & à nobis propellere hoſce Angelos bonos, qui nobis cuſtodiendis, & contra Satanam defendendis traditi ſunt.

DE LINGVIS AC LOCVTIONIBVS ANGELORVM.

CAPVT XIX.

VETVS quæſtio eſt, non à Scholaſticis tantùm, verùm etiam à Patribus & aliis doctis agitata viris: *quânam lingua vtantur Angeli apud Deum, dum eum laudare, eique canere dicuntur*: tum inter ſe, dum ſibi inuicem loqui prædicantur: tum denique apud homines, vel in ſomnis, vel in viſione loquuntur. Nam etiam Apoſtolus dare illis linguam videtur, cùm ait 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. Etſi enim propriè non loquitur Apoſtolus, ſed hyperbolicè, & per conceſſionem, ſeu ex hypotheſi, vt dicunt: tamen non pauci ex veteribus, ita hunc locum ſunt interpretati, vt hinc etiam occaſionem acceperint de Linguis Angelorum diſputandi. Hieronymus tomo 7. in Iobum cap. 24. pag. 187. ita ſcribit: *Illud immobiliter tenendum eſt, nullo modo in ſilentio agi militia cæleſtis officia: cum legamus Angelicas poteſtates ante ſedem Domini, in laudem gloriæ eius, indefeſſis vocibus perſonare: neque vllo modo dixiſſet Apoſtolus, Si linguis hominum loquar & Angelorum, niſi ſic eſſent Angelorum linguæ, ſicut & hominum quamuis Angelicæ diſſimiles ſint humanis.* Hæc ille. Tamen tomo 9. in Epiſtolam ad Corinth. nihil affirmat, ſed locum Apoſtoli per hypotheſin interpretatur, dicendo: *Si quæ ſint Angelorum linguæ*, &c. quanquam nec in Iobum quidem, loco iam citato, definit, quales ſint linguæ Angelorum, ſed tantùm eos habere linguas, quibus laudent Dominum, aſſerit. Auguſtinus verò tomo 3. in Enchir. cap. 59. docet, *neque ſciri, neque affirmari poſſe, quânam ratione Angeli vel ad aurem forinſecus, vel in animo intus hominibus loquantur, aut aliquando locuti ſint.* Locutos tamen fuiſſe etiam in animis Prophetarum, manifeſtum eſt: quoniam dicit Zacharias 2. *Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me.*

Cæterùm Scholaſtici audacius de hac re diſputant in 2. Sentent. diſtinct. 10 quæſt. 2. Et Thom. Aquinas in parte 1. quæſt. 107. Tam verò liberè multi de hac re diſputant & ſecurè atque affirmatiuè loquuntur: perinde atque ſi ipſos Angelos inter ſe colloquentes audiuiſſent: Ea eſt hominũ audacia atque præſumptio. Ac ſunt, qui licèt Angeli non talia habeant corpora qualia nos, eòque nec linguam, nec dentes, nec palatum: ſonoro tamen neſcio quo modo, in ipſis etiam cœlis, eos Hebraicè loqui exiſtiment. O impiam hominum audaciam. In corporibus quidem aſſumptis, cùm mitterentur ad veros Hebræos, locutos fuiſſe Hebraice, non dubitamus: quia hoc Scriptura tradit, quibũ nam verbis tunc fuerint vſi. Neque etiam dubium nobis eſt, eos loqui in cœlo, nẽpe ſuo, h. e. Angelico & ſpirituali modo: ſed qualiſnam ſit ipſorum lingua, ſummæ eſt temeritatis, impiæque audaciæ velle definire. Nouimus etiam è ſacris literis, Angelos noſtras audire preces, cùm eas etiam dicantur deferre in cœlum, & noſtras ſpectare actiones: Vnde & Apoſtolus decebat, *debere mulierẽ velatum habere caput in Eccleſia, ſaltẽ propter Angelos*: verùm quibus oculis hæc videant, & qualibus auribus audiant, quis niſi fatuus definire audeat? Num ex iſtis locis colligere audebimus, Angelis corporeos eſſe oculos & corporeas aures? Multa certè ſunt animalia, quæ carent auribus: & tamen ab eis percipi ſonos & ſtrepitus, manifeſtum eſt. Quidni igitur etiam Angelis demus cum ſacris literis, certum auditum, certum viſum, certam loquelam: ſed ſine corporeis auribus, ſine oculis, ſine lingua? Qui corpora ſpiritualia & tenuiſſima attribuunt Angelis, horum nonnulli noſtras actiones & voces ab illis, toto corpore ſuo ſubtiliſſimo percipi idque abſque medio, ſentiunt: Quo modo etiam exempli cauſa, ſpongiæ vinum & aquam toto ſuo corpore exhauriunt: ac ſic etiam eoſdem cùm volunt, toto ſuo illo tenuiſſimo corpore, formare voces & loqui.

Cæterùm, cùm hoc etiam totum careat teſtimonio ſcripturarum, & nulla firma fulciatur ratione: quis ſanæ mentis probare queat? Probabilior, & cum natura Angelorum ſpirituali congruentior, & cum ſcripturis minimè pugnans illorum eſt ſententia: qui linguam & loquelam Angelorum, qua inter ſe, & qua etiam in animis piorum loqui dicuntur, nihil aliud eſſe docent, quàm ſpiritualem quandã eius, quod quiſque ſecum in ſuo intellectu verſat & nouit, in alterius Angeli, vel hominis intellectum, inſinuationem, inſtillationem, ac communicationem. Nam in ſcripturis ſæpe etiam verbum *dicendi ac loquendi* apud ſe, ad animum transfertur, & ſignificat, *cogitare & conſiderare*, veluti illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo.* Et ſic alibi. Ergo loqui ad alterum, quid aliud fuerit inter ſpirituales ſubſtantias, quàm ſpiritum vnum, quæ ipſe nouit & cogitauit, ea alteri ſpiritui, modo ſpirituali ſignificare, & communicare, & quaſi ex vnius mente in alterius mentem inſinuare, & vt Prophetæ loquuntur, inſtillare? *Thom 1. part. quæſt* 107. *art* 1. Damaſcenus, poſtquam dixiſſet, Deum eſſe primum φῶς, lucem, vnde omnia ſunt lumina: Et Angelos eſſe φῶτα δεύτερα νοερὰ, ſic ſcribit: φῶτα δεύτερα νοερὰ ἐκ τοῦ πρώτου καὶ ἀνάρχου φωτὸς τὸν φωτισμὸν ἔχοντα· οὐ γλώττης καὶ ἀκοῆς δεόμενοι, ἀλλὰ ἄνευ λόγου προφορικοῦ μεταδιδόντες ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα καὶ βουλεύματα. Quod igitur nos facimus ſenſibili voce: idem Angeli in Cœlis & animæ inter ſe, imò & Dæmones in inferno & in hoc aëre, ſine voce, ſpiritualiter, faciunt: imprimendo mentis verbique interni conceptum in mentes illorum, quibus loqui dicuntur: idque ſpirituali, vt dictum eſt, melioríque modo, quàm ſi per audibilem vocem & prolatitium ſermonem exprimeretur. Sic ſentio, rectè & piè explicari poſſe quæſtionem hanc. Itaque noſtra hæc eſto

THESIS.

Angeli extra corpora aſſumpta, tametſi tum Deum laudare, tum inter ſe & in animis etiam piorum hominum loqui verè dicuntur: quæ tamen & qualis ſit ipſorum lingua atque locutio, nihil aliud à nobis affirmari poteſt: quàm eam non eſſe corpoream & carnalem, ſed ſpiritualem atque cœleſtem, qua ſine voce & ſtrepitu, ſua quiſque ſenſa, quæ vult, explicat. In corporibus autem aſſumptis, ſicut vera vitæ officia aliquando exercuerunt, & adhuc exercere poſſunt: ſic etiam vera vſi ſunt, & adhuc vti poſſunt lingua ac locutione: quæ nimirum ab illis, quibuſcum loquebantur, aut loqui volunt, intelligi poſſit.

TAmetſi Theſis, & per ſe, & ex iis quæ dicta ſunt, perſpicua & certa eſt: placet tamen maioris explicationis & confirmationis gratia, quædam hîc ſubiicere. Extra controuerſiam eſſe diximus, linguas & locutiones, quibus & Deum laudent, & inter ſe, nobiſque loquantur: idque tam extra corpora, quàm in aſſumptis corporibus: Angelis in ſacris literis dari. Sunt enim hac de re apertiſſima in Veteri & Nouo fœdere teſtimonia.

2. Eos etiam in corporibus aſſumptis vſos fuiſſe & adhuc vti poſſe linguis corporeis & talibus locutionibus, quæ ab iis, quibuſcum loquuntur intelligi queant: hoc itidem caret controuerſia.

3. Neque illud vllam habet dubitationem, Angelos extra corpora, quæ aſſumere ſolent, nulla vti lingua corporea. Qui enim vtantur, cùm eam neque ex ſe habeant, neque aliunde aſſumptam? Nunc ergo tantum reſtat, vt quomodo loquantur, videamus. Ex nobis autem ipſis hoc explicandum eſt.

Principio, dicimur nobis ipſis in animo loqui, cùm aliquid actu cogitamus, & in animo voluimus. Cogitamus autem actu ex voluntatis imperio, hoc eſt, cùm volumus: quanquam non unquam etiam inuitis obrepant cogitationes. Ita voluntas eſt ceu oſtium, quo quæ habitu tenemus in intellectu: ea ad actum, & quaſi in lucem proferuntur, aut non proferuntur. Quæcunque enim ſunt in intellectu, hoc eſt, quæ nouimus: ea aut habitu tenemus, aut actu conſideramus: Et quæ habitu tenemus, ea per imperium voluntatis ad actum perducuntur: Et tunc dicimur nobis ipſis loqui. Itaque vnum tantum eſt oſtium, quo vel aperto, vel clauſo, quę habitu occulta manent in intellectu, ea nobis, ceu in lucem actu proferuntur, nempe voluntas.

Duo verò ſunt (aliorum reſpectu) oſtia, quorum niſi vtrumque à te reſeretur: fieri non poteſt, vt quæ tu habes in intellectu ac corde tuo occulta, ea alius homo videre & cognoſcere queat. Quis enim nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Quæ verò ſunt hæc oſtia? Vnum ex parte animi eſt voluntas: Niſi enim quæ occulta latent in corde tuo, ea velis aliis patefieri, quis ea percipiat? Alterum oſtium eſt ipſum corpus carneum atque oſſeum, quo ita anima, & quæ in anima ſunt, teguntur & cuſtodiuntur: vt à nemine mortalium ea videri poſſint. Ac proinde licèt quaſi aperto priori interioriſque oſtio, velis quæ in animo voluis, alicui patefacere

re: niſi tamen hoc etiam alterum oſtium externum referes: hoc eſt, vel ore aperto, lingua ac voce explices, vel ſigno aliquo viſibili, vti ſunt ſcriptiones, geſtus, nutus & alia id genus ſignifices: nullo modo ab aliis hominibus cognoſci poterunt. Hoc igitur etiam alterum oſtium aperiri neceſſe eſt. Hinc oritur neceſſitas humanæ linguæ apud præſentes: Et ſcriptionis apud abſentes, dum ſumus in hoc corpore, ſi volumus quæ in animo latent, aliis explicare. Sunt enim voces earum quæ ſunt in animo paſſionum, notæ. At extra corpus vnum tantum ſupereſt oſtium, voluntas nimirum noſtra.

Quoniam igitur Angeli iis carent, craſſis corporibus; idcirco nihil impedit, quo minus quę vnus Angelus in ſua verſat mente, ea alter videat, niſi eius voluntas. Si enim ea nolit ab altero reſciri: nunquam niſi Deo reuelante, reſcientur.

Nam etiam in Angelis verum eſt, quod ait Apoſtolus: *Nemo nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: & cui voluerit reuelare.* Contrà igitur ſimulac voluerit Angelus vnus, quæ ipſe nouit ea ab altero intelligi, ſtatim intelligentur, & quaſi in aperto ſpeculo perſpicientur, ſine vllo externo & corporali verbo, vel ſigno, quæ locum in Angelis non habent. Hinc apparet, quænam qualiſve ſit Angelorum lingua: nihil ſanè aliud, quàm ſpiritualis quædam virtus eſſe videtur, qua ſimulac quis vult, ſtatim quæ nouit ipſe, ea alteri nota facit. Quomodo? Ea in ſuo intellectu, ceu in aperto ſpeculo intuenda alteri monſtrando. Si enim nihil impedit quo minus, quæ ſpiritus vnus in mente habet incluſa, ea ab altero videantur, niſi volũtas: Ergo ſimulac quis vult ſua pateſieri, ea in ipſa eius mente, quaſi depicta alteri innoteſcunt. Quare, vt breuiter concludam, nihil aliud Angelorum linguam eſſe iudico, quàm mentis ex imperio voluntatis factam explicationem. Atque hæc de Angelorum linguis, quæ inter ſe loquuntur, probabiliter dicuntur.

III. *Quomodo verò dicantur loqui cum Deo, cùm nihil ei pateſacere poſſint, cui omnia ſunt perſpicua*, breuiter dicam. Loqui cum Deo dicuntur, cùm ei omnia intuenti, ipſi ſponte volentes & ſcientes, quæcunque habent ab ipſo bona (habent autem omnia) ea norunt, & accepta Deo ferunt: illius bonitatem, ſapientiam, potentiam, admirantes, ſuſpicientes, adorantes. Nihil enim ibi carnaliter, nihil corporaliter fit: ſed omnia ſpiritualiter, Angelicè, diuinè. Proinde faceſſere à nobis noſtriſque mentibus debẽt omnes cogitationes carnales, de linguis Angelorum: *Et ſpiritualia* (vt docet Apoſtolus) *ſpiritualibus comparando, ſpiritualiter intelligenda ſunt.* Nec definire audeamus, quæ Deus nec pateſecit, nec pateſacere vult in hoc ſeculo. Multa enim nobis cognoſcenda in cœlo reſeruantur. Ergo in illud vſque tempus, quò perueniemus in cœlum, perfecta huius quæſtionis de linguis Angelorum & animorum beatorum in cœlis, explicatio differenda nobis eſt.

DE MISSIONIBVS ANGELORVM AD NOS: DEQVE EORVM APPARITIONIBUS.

CAPVT XX.

MVLTA hiſce de rebus diſputarunt Scholaſtici: ſed non pauca admodum curioſè, & inutiliter. Ac primũ *an militantes in miniſterium, & cùm Deus vult, in corporibus etiam aſſumptis appareant*, quærere ſtultum eſt. Hæc enim ita manifeſta ſunt, vt nihil certius ſit in ſacris literis.

2. Sed præterea quærunt an omnes mittantur, an verò quidam ſemper in cœlo maneant. Hic verò inſaniunt omnes Scholaſtici pluris facientes dictum quoddam Dionyſij, quàm aperta Apoſtoli verba. Apoſtolus enim apertè ad Hebræos ſcribit: *omnes* (ſine vlla exceptione) *adminiſtratorios eſſe ſpiritus, qui in miniſterium mittuntur, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Ille verò Dionyſius definit, ſuperiores Angelos nunquam ad exterius miniſterium mitti. Verum Apoſtolus hoc diſcrimen non fecit: ſed ſimpliciter ait: *omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*: non addit, *vel internum vel externum.* Quæ igitur fuit iſtius hominis audacia, vt ſine teſtimonio ſcripturarum definierit, *certos quoſdam*, non autem, *omnes ad miniſterium externum*: certos verò alios ad internum mitti? Apparet, an fuerit diſcipulus Pauli necne fuerit: qui, contra quam præceptor docuit de Angelorum miniſterio, definire auſus eſt. Sed hic error profectus eſt ex alio errore: nempe ex illis ſuis multis diſtinctiſque Hierarchiis atque ordinibus Angelorũ. Quid igitur ad illum Apoſtoli locum? *Hebr.* 2. Cùm ad hunc reſpondendum eſt, torquent ſe omnes. Thomas duplicẽ adfert reſponſionem: quarum vna de duplici eſt miniſterio, interno ac ſpirituali: & externo ac corporali. Sed quoniam vidit hanc non omnibus probatum iri, cùm Apoſtolus tale diſcrimen non faciat, ſed ſimpliciter dicat: *Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*, &c. Idcirco alteram adfert hæc in verba: *vel aliter dicendum, quod Apoſtolus inducit illud ad probandum, quòd Chriſtus ſit maior Angelis, per quos data eſt lex: Vt ſic oſtendat excellentiam nouæ legis ad veterem. Vnde non oportet, quod intelligatur, niſi de Angelis miniſterij per quos data eſt lex.* Hæc ille. Egregiam verò interpretationem. Verum eſt Apoſtolum verba illa protuliſſe, vt oſtenderet, Chriſtum ſupra omnes eſſe Angelos: vtpote vnicum Dei Patris Filium: Sed quibuſnam Angelis ſuperiorem demonſtrat Chriſtum Apoſtolus? Nunquid illis tantùm, per quos data eſt lex, qui, de Scholaſticorum ſententia, ex infimo fuerunt Angelorum ordine? abſit: Apoſtolus enim ad Coloſſ. & Epheſ. ait, *Chriſtum eſſe ſupra Cherubinos & omnes principatus ac poteſtates*, &c. Et ad Roman. *Deum eſſe ſupra omnia benedictum.* Imò in hoc cap. ad Hebræos ait: *Ad quem autem Angelorum dixit. Filius meus es tu?* Supra omnes igitur effert Chriſtum. Quòd ſi ita res ſe habet. Cur ergo, cùm Apoſtolus concludit: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*: Thomas dictum hoc reſtringit, ad neſcio quos infimos ordines Angelorum, per quos data ſit lex? Videmus, quò abducantur homines, cùm ſemel audent propter aliorum hominum autoritates, à verbo Dei declinare. Impia igitur eſt hæc Dionyſij & Scholaſticorum definitio, de iis qui mittantur, & non mittantur in miniſterium Angeli.

1. Si enim omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & omnes mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: Ergo ſine diſcrimine, tam vni, quàm alteri mitti ſolent à Deo in miniſterium ſiue externum, ſiue internum, prout ſalus electorum poſtulat, & ſuæ placet voluntati.

2. Ac ſi Angelus Iehouę Iehoua, Filius Dei etiam ante aſſumptam carnem, ſumere ſolebat corpora, & in iis viſibiliter apparere Patribus, & corporaliter illis miniſtrare: Quis audeat affirmare tam excellentes reperiri Angelos in ſupremis, neſcio quibus Hierarchiis, qui nunquam ſint miſſi, aut mitti ſoleant vel debeant ad miniſterium externum? Quaſi verò præſtantiores ipſi ſint Filio Dei. Fefellit iſtos homines illa falſa opinio, quòd qui in ſcripturis vocantur Angeli, putarunt, eos differre ſua natura, vel perpetuo officio ab Archangelis principatibus & poteſtatibus: Et eos eſſe in inferiori Hierarchia exiſtimarunt. Itaque cùm non legant mitti *Seraphinos, Cherubinos & poteſtates*, ſed *Angelos*, vel *aliquem Archangelum*: inde concluſerunt, non mitti ſuperiores, præſertim ad miniſterium externum & viſibile, in aſſumtis corporibus: ſed tantummodo Angelos inferioris Hierarchię. Quãquam in aſſumtio etiam falluntur. An non fuit Seraphinus, qui venit ad Iſaiam cum forcipe & tetigit labia eius? Iſa. 6. Faceſſant igitur tales ineptiæ atque impiæ opiniones. Nos ex verbo Dei ſic ſentimus.

THESIS.

Cùm, de Apoſtoli ſententia, omnes Angeli ſpiritus ſint adminiſtratorij, in miniſterium quodcunque illud ſit, miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: pietas poſtulat, vt ſimpliciter credamus, nullum eſſe Angelum quem Deus non mittat in miniſterium, ſiue internum & inuiſibile, ſiue externum & viſibile, prout Deo placet, & ſalus electorum exigit.

VEritas huius propoſitionis, & per ſe, & ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſta eſt.

II. Quòd ſi excipias, apud Danielem, *millia millium Angelorum legi aſſiſtere Deo, & ei miniſtrare, Eos igitur non mitti ad nos.* Reſponſio facilis eſt, hæc inter ſe non pugnare: aliquem aſſiſtere Deo eique miniſtrare, & eundem mitti ad nos: Quaſi verò Deus vbique non ſit, ita vt licèt Angelus aliquis ad nos mittatur, non idem tamen maneat apud Deum: Et quaſi non per vices mitti poſſint Angeli ad nos: etiam qui ſpecialiter dicuntur ſtare ante thronum Dei. Certè Tob. 12. Raphaël dixit ſe vnum eſſe ex iis qui ſtant ante Deum: idem tamen miſſus fuit ad Tobiam in miniſterium viſibile. Atque hoc etiam confirmauit Gregorius primus, in quadam homilia, dicendo: *Et mittuntur Angeli, & aſſiſtunt* (nempe Deo) *quia etſi circumſcriptus eſt Angelicus ſpiritus. Summus tamen ſpiritus, qui Deus eſt, circumſcriptus non eſt, Licèt ſpiritus Angelicus.*

Angelicus, ſpiritus ſit finitus & circumſcriptus, ita vt cùm in vno eſt loco, in alio ſimul eſſe non poſſit: hoc tamen non impedit quin & Deo aſſiſtere, & ſimul etiam ad nos mitti poſſit. Ratio eſt: quoniam Deus circumſcriptus non eſt, ſed vbique eſt: ita vt ab eo nunquam recedant Angeli, etiamſi à loco ad locum mittantur. Nihil igitur pugnat cum noſtra Theſi allata exceptio. Ac cùm nihil prætereà videam, quod obiici poſſit: firma maneat atque certa ſententia noſtra. De corporibus verò, in quibus apparere ſolebant, déque illorum motu, cùm mittebantur: dictum eſt ſuprà, de Angelis in genere, libr. 2. c. 8. 9. & 10.

III. Reſtat nunc, vt tantùm videamus, quî fiat, quòd cùm ſoliti fuerint Angeli ſæpe Patribus apparere in humana forma & ſimilitudine, & familiariter cum illis verſari & colloqui: nunc id non efficiant amplius. Nam ſolitos fuiſſe apparere, conſtat in ſacris literis: imò etiam apud profanos ſcriptores: vt videre eſt in eorum libris, vt apud Platonem ſæpe & alios. Philo in 1 Dial. ſcribit: *παλαιὸς λόγος, ὅτι τὸ θεῖον ἀνθρώποις εἰκαζόμενον, ἄλλοτε ἄλλως περινοστεῖ τὰς πόλεις ἐν κύκλῳ τάς τε ἀδικίας καὶ παρανομίας ἐξετάζον*: id eſt, *Vetus fama eſt, Deum hominibus ſimilem effectum* (hoc eſt, in humana forma) *modò hoc, modò illo habitu obambulaſſe vrbes, ſpectatum æquitatem & iniquitatem.* Cauſa verò quæritur, cur Deus non ampliùs mittat Angelos, qui ita familiariter appareant, vt anteà ſolebant. Quidam hoc adſcribunt peccatis & impietati hominum: ita Catullus:

Præſentes namque ante domos inuiſere caſtas
Cælicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant:
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando:
Iuſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudêre manus fraterno ſanguine fratres.
Deſtitit extinctos natus lugere parentes:
Optauit genitor primæuì funera nati,
Liber vt innuptæ poliretur flore nouercæ.
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt diuos ſcelerare penates:
Omnia fanda nefanda, malo permixta furori:
Iuſtificam nobis mentem auertere Deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Hæc ille. Poëta fuit veræ doctrinæ & pietatis ignarus: idcircò, quam potuit, attulit cauſſam, cur Angeli non ampliùs nos, à Deo miſſi, inuiſant.

Cæterùm, aliam ego eſſe iudico: nempe, quia Deus, ſicut ſe vult à nobis in ſpiritu adorari; ſic etiam vult, nos ſpiritu ambulare, & verſari in cœlo, vbi Chriſtus eſt, in dextra Dei.

In veteri Teſtamento pueri erant: Ideò ſicut ceremoniis externis, ſic etiam externis apparitionibus Angelorum egebant ad ſui conſolationem. Nunc incarnato Chriſto & ſedente in cœlis, donatóque largiter ſuo Spiritu, non mittit ampliùs, ſed vult, vt conuerſatio noſtra in cœlis ſit: non autem Angelorum in terris. Deinde initio Eccleſiæ opus erat talibus confirmationibus cœleſtibus: nunc ſatis confirmatum eſt verbum Dei.

AN ANGELI OPVS HABVERINT CRISTO MEDIATORE.

CAPVT XXI.

QVAESTIO non contemnenda proponi ſolet de gratuito beneficio Chriſti: num Angeli quoque illo opus habuerint, & ad quid, & quatenus.

Quidam ſentiunt, Angelis non opus fuiſſe Chriſto, hoc eſt, eius incarnatione, paſſione, redemptione: idque hac de cauſſa, quia non peccarunt, ſed vitam degebant æternam. Chriſtus autem venit, vt peccatores ſaluos faceret, inimicos Patri reconciliaret: mortuos viuificaret, à mortuis reſuſcitaret, vitáque æterna donaret. Atque huc facere videntur ſcripturæ, quæ vbique prædicant Chriſtum incarnatum eſſe pro nobis, paſſum pro nobis: nunquam autem hoc de Angelis dicunt. Et Hebr. 2. *non ſumſit Angelos, ſed ſemen Abrahæ:* Item parabola Matthæi 18. de Paſtore, qui relictis 99. ouibus, venit quæſitum vnam, quæ perierat: Et apertè dicitur 1. Timoth. 2. *Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Ieſus.* Hic verò nulla Angelorum mentio. Sic etiam Auguſtinus tomo 4. in Expoſit. Epiſt. ad Gal. col. 1226. *Angeli porrò, qui non lapſi ſunt à conſpectu Dei: mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item Angeli, qui nullo ſuadente, ſpontanea præuaricatione prolapſi ſunt: per Mediatorem non reconciliantur. Reſtat igitur, vt,* &c. cõcludit ex verbis Apoſtoli, *Chriſtum Mediatorem eſſe inter Deum duntaxat & inter homines.* Et tom. 3. in Enchir. cap. 61. apertè ait, *Chriſtum pro Angelis mortuum non eſſe.* Sic Patres reliqui omnes. His atque aliis ſcripturarum autoritatibus Patrúmq; teſtimoniis, omnino videntur Angeli beati, non eguiſſe Chriſto: Et Chriſti beneficium ad illos non pertinere.

Altera ex parte ſunt, qui affirment, ipſis quoque Angelis opus fuiſſe Chriſto, Chriſtique beneficium ad ipſos etiam pertinere: idque affirmant fulti & ipſi tum ſacrarum literarum, tum etiam Patrum teſtimoniis. Epheſ. 1. ait: *patefactum nobis eſſe myſterium voluntatis Dei, ſecundùm gratuitam ſuam beneuolentiam, quam propoſuerat in ſeſe* (nempe) *vt in pleni temporis diſpenſatione, colligeret omnia in Chriſto, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terris.* Quæ autem erant in Cœlis colligenda, niſi Angeli? Clarius etiam ad Coloſſ. primo ait placuiſſe Patri, vt in Chriſto omnis plenitudo habitaret: Et vt pace per ſanguinem crucis eius facta, per eum reconciliaret ſibi omnia: tum quæ in terra, tum quæ in Cœlis.

Auguſtinus tomo 3. in Enchir. cap. 61 & 62. Sic loca hæc duo iam citata interpretatur: vt doceat, Chriſti beneficium ad ipſos quoque Angelos pertinere. Idem fecit Chryſoſtomus & Theophyl. quos ſequuntur ex noſtris non pauci, neque vulgares viri, Bucerus & Caluinus, duo ſingularia Eccleſiæ lumina, vt de aliis taceam. Quomodo igitur conciliabuntur hæc diuerſa loca, diuerſæque ſententiæ? Conciliatio pendet ex vera & genuina horum duorum locorum Apoſtoli interpretatione, quæ ex Epheſ. 1. & Coloſſ. 1. adducta ſunt. Diuerſas recitabo ſententias, vt inde tandem, quæ ſit vera, luculentiùs appareat. Sunt igitur in hæc loca duo præcipua interpretum genera.

Primum eſt eorum, qui particulam *omnia quæ in cœlis, & quæ in terris*, ad omnes rationales creaturas, tam Angelos, quàm homines, tam malos (hoc eſt, vt nos loquimur) reprobos, quàm bonos, hoc eſt, electos, ſine vlla exceptione extendant. Sed diuerſa ratione, verba *reconciliandi*, & item *recolligendi* vel *reſtaurandi* interpretentur. Quidam verbum vtrumque, nempe & *ἀνακεφαλαιώσασθαι* (quod *reſtaurare, & in ſuum reſtituere ordinem* interpretantur:) & *reconciliare*, intelligunt efficaciter. Ac proinde etiam diabolos omnéſque homines in vniuerſum per Chriſtum ita reconciliatos eſſe Deo, vt omnes futuri ſint tandem ſalui: quanquam interim multi in inferno propter ſua peccata plectantur, & in igne probentur. Hæc fuit Origenis ſententia, vel potiùs delirium, pugnans apertiſſimè cum ſacris literis: quæ docent, *diabolum cum Angelis ſuis & omnibus reprobis manſurum in igne, pœnisque æternis.*

Alij extendunt itidem gratiam hanc Chriſti ad omnes in vniuerſum homines & Angelos, quicunque illi ſint: Sed verba *reconciliandi* & *inſtaurandi* ita interpretantur, vt dicant, Chriſtum quidem efficaciter, quod ad ſe attinet, ſuum feciſſe officium, omnes reconciliaſſe & inſtauraſſe: Sed quòd hæc efficacitas reconciliationis & ſalutis non ad omnes penetret, neque in omnibus habeat locum: hoc proficiſci ex hominum & Angelorum malorum infidelitate, quia nimirum non credant in Chriſtum, eóque fide non accipiant fructum reconciliationis ex fonte, hoc eſt, ex Chriſto. Sic multi non vulgares viri. Sic etiam Scholaſtici multi: quanquam aliter locuti ſunt. Aiunt enim, Chriſtum ſufficienter pro omnibus mortuum eſſe, licèt non prò omnibus efficaciter. Sed neque hæc eſt ſententia Apoſtoli. De effectu enim loquitur ipſe, non de virtute tantùm ſanguinis Chriſti. Affirmat enim, Deum per ſanguinem Chriſti reconciliaſſe ſibi omnia, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris. Coloſſ. 1. Et omnia inſtauraſſe, vel potiùs quæ diuulſa erant, in vnum collegiſſe, & ſeruaſſe in Chriſto, Epheſ. 1. Item conſtat etiam, Chriſtum non rogaſſe pro mundo, vt ipſe apertè dixit Iohan. 17. *non rogo pro mundo*, hoc eſt, pro reprobis incredulis, ſed tantùm pro electis. Ergo neque pro omnibus effudit ſanguinem, ſecundùm propoſitum Dei, ſed tantùm pro multis, id eſt, pro electis: Vt ipſe apertè dixit in Cœna: *Hic eſt ſanguis, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Et Apoſtolus ad Hebræos 9. ait, *Chriſtum ſemel oblatum eſſe ad multorum exhaurienda peccata:* Non ait *omnium ſimpliciter*, ſed *multorum*.

Quòd ſi alicubi legitur, vt legitur *pro omnibus mortuus eſſe:* Particula *pro omnibus*, intelligitur pro iſtis multis omnibus, id eſt, pro omnibus electis. Quare neque hæc altera interpretatio quanquam ex quadam pietate profecta eſſe videatur, Apoſtolica eſt ſententia.

Ab hac non multum diuerſa eſt quorundam interpretatio, qui excluſis Angelis omnibus, de omnibus tantùm hominibus interpretantur: idque in vniuerſum eo ſenſu, qui iam explicatus eſt; nempe vt Chriſtus ſufficienter, & quantum ad ſe attinet, ſuo ſanguine reconciliârit omnes & ſeruârit: quanquam non omnes participes ſint ſalutis propter

ipſorum impœnitentiam & infidelitatem. Et ita accipiunt ſemper has particulas *omnia* & *omnes*, ſimpliciter pro omnibus in vniuerſum hominibus. Sed iam ſatis refutata eſt. Hoc eſt primum genus interpretum.

Alterum itaque genus eorum eſt, qui ab iis particulis *omnia*, & *omnes*, excludūt reprobos omnes, tam Angelos, quàm homines: Et verba *reconciliandi* & *recolligendi* ſeu *inſtaurandi*, ita de efficacitate ſanguinis Chriſti interpretantur, vt intelligant omnes, quos Chriſtus ſuo ſanguine reconciliaſſe dicitur, eos eſſe reaple Deo reconciliatos & recollectos: eóque donatos fide & perſeuerantia, quas etiam illis ſuo ſanguine & precatione impertauit: tandem ſeruari. Sed iſti etiam inter ſe non vſquequaque conſentiunt.

1. Quidam particulas *omnes* & *omnia*, ad ſolos electos ex humano genere reſtringunt, excluſis electis angelis, propter loca de principio à nobis adducta: quibus euincitur, Chriſtum non eſſe Mediatorem, niſi Dei & hominum. Angelos enim non eguiſſe redemptione, nec reconciliatione, nec recollectione per Chriſtum, cùm nunquam peccarint, nec auulſi à Deo fuerint. Quod verò Apoſtolus ait, tam ad Epheſios, quàm ad Coloſſ. *Omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, per Chriſtum eſſe Deo Patri reconciliata & recollecta*, nempe in vnum corpus ſub Chriſto capite. Nomine *eorum quæ ſunt in cœlis*, intelligunt ſpiritus hominum electorum, qui à condito orbe vſque ad Chriſti paſſionem ſoluti corporibus immigrauerant iam in cœlum. Nomine autem *eorum, quæ ſunt in terris*, illos electos ſignificari aiunt, quos partim Chriſtus reperit, partim qui futuri erant in terris, vſque ad finem mundi. Atque ita Apoſtolum hac periphraſi complecti omnes electos homines, quorum alij erant & ſunt in cœlis: alij adhuc ſunt in terris. Nec ſine cauſa locutum eſſe Apoſtolum. Voluiſſe enim oſtendere per Chriſtum ſolum non tantùm, qui ſuo erant tempore in terris, & qui deinceps futuri erant, ſeruari, ſed etiam illos, qui à condito orbe migrârant iam in cœlum: per ſolum eundem Chriſtum ſeruatos, reconciliatos & recollectos fuiſſe ad Deum. Hæc itaq; ſententia excludit Angelos à beneficio ἀνακεφαλαιώσεως, recollectionis & reconciliationis per Chriſtum factæ.

2. Etſi verò interpretationem hanc non improbo: magis tamen placet illorum ſententia, qui electos quoque Angelos comprehendi in verbis Apoſtoli, & nomine *eorum, qui ſunt in cœlis*, ſignificari contendunt. Quomodo verò hæc ſententia cohæreat cum illis locis, qui docent, Chriſtum Mediatorem tantùm eſſe Dei & hominum: Et Chriſtum paſſum eſſe, non pro Angelis, ſed tantùm pro electis hominibus. Ex iiſdem interpretibus explicabitur.

Auguſtinus itaque tomo 3. in Enchir. cap. 61. ſic ſcribit in ſumma: *Primum, Eccleſiam quæ eſt vnum corpus, & cuius totius caput eſt Chriſtus, conſtare non ſolùm ex electis hominibus, ſed etiam ex ſanctis Angelis.* Et hoc manifeſtum eſt etiam ad Hebr. 12. verſ. 22. 23. Secundò ait, *ſolos quidem homines electos fuiſſe Chriſti ſanguine à peccatis redemtos*: (pro Angelis enim non eſſe mortuum Chriſtum, quia nullum habuerunt peccatum, quod ſanguine Chriſti eſſet expiãdum.) *Interim tamen beneficium hoc Chriſti, quodam modo pertinere etiam ad Angelos duplici nomine. Primùm, quoniam factum eſt beneficio redemtionis, vt reconciliatis electis cum Deo, amicitia quoque inter Angelos & homines renouata ſit. Deinde quòd ex hominum redemtione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparentur. Succedunt enim electi homines in locum Angelorum, qui e cœlo eiecti fuerunt.*

Deinde in cap. 62. idem confirmat, verba Apoſtoli ad Epheſ. explicans in hanc formam: *Propter quod*, ait Apoſtolus, *inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt & in terris. In ipſo quoque inſtaurantur quæ in cœlis ſunt: cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Inſtaurantur autem, quæ in terris ſunt, cum ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt ad æternam vitam, a corruptionis vetuſtate renouantur. Ac ſic per illud ſingulare ſacrificium in quo Mediator eſt immolatus, pacificantur cœleſtia cum terreſtribus: & terreſtria cum cœleſtibus. Quoniam ſicut idem Apoſtolus dicit, in ipſo complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis ſunt, ſiue quæ in terris.* Hæc Auguſtinus. Poſtremò de hac pace per ſacrificium Chriſti inter nos in terris, & inter Angelos in cœlis facta, ſubdit in cap. 63. *Pax* (inquit) *hæc præcellit, ſicut ſcriptum eſt, omnem intellectum, neque ſciri à nobis, niſi cùm ad eam venerimus, poteſt. Quomodo enim pacificantur cœleſtia niſi in nobis, id eſt, concordando nobiſcum:* Legantur reliqua, quia digna ſunt lectu. Vult dicere Auguſtinus, propter merita Chriſti, nos iam eſſe certos de beneuolentia Angelorum erga nos: ac proinde nos quoque viciſſim amaturos illos, vt & illi nos: Et pacem culturos in cœlis.

Aliorum interpretatio, vt Chryſoſtomi, eadem eſt cũ Auguſtini explicatione. Itaq; breuitatis cauſſa non recito. Bucer. in Epiſt. ad Epheſ. breuiter iis verbis explicat Apoſtoli verba: ἀνακεφαλαιώσασθαι, id eſt, *vt ſummatim omnia inſtauraret in vnum Chriſtum, & quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra.* Huius Græci verbi ea eſt vis, vt indicet Chriſto glorificato, Angelos & homines ſub vnum caput Chriſtum inſtaurari primum cœpiſſe: Atque eſt verbum ab epiloganribus ſumtum, vt putat Chryſoſt. Hieronymus verò ab Arithmeticis in ſummam multos numeros redigentibus. *Hic maieſtatem Chriſti ſuſpiciamus, quem Deus cœleſtium & terreſtrium inſtauratorem conſtituit: qui homines ſeruat, & perficit ſocietatem Angelorum, conſortio hominum: cumulatque illos gaudio quo afficiuntur ſuper conuerſione peccatoris. Neq. tantùm ſunt inſtaurati Angeli ratione modo dicta, & quod per Chriſtum cœpit, ruina per malos ſpiritus facta, inſtaurati, cuius maximo deſiderio tenebantur: verùm etiam ſunt ampliori cognitione Dei inſtaurati, & ab Eccleſia edocti, vt infrà 3. cap. dicetur. Itaque pleniorem Dei cognitionem ſimul accumulatoria gaudia per Chriſtum accipiunt.* Hęc ſanctus ille, & magnus Theologus, M. Buc. Docet in ſumma: Etſi Angeli dici non poſſunt redẽti à peccatis, quæ nulla habebant, per ſanguinem Chriſti: Ac proinde quod ad hanc redemtionem attinet, Chriſtus Mediator tantùm ſit Dei & hominum: tamen multis nominibus, ipſos quoque fuiſſe inſtauratos per Chriſtum. 1. Quòd ipſi quoque ſub eodem capite Chriſto, vnà cum reliquis electis collecti fuerũt. Eſt enim Chriſtus caput totius Eccleſię: Eccleſia autem conſtat ex Angelis & hominibus. 2. Item, quòd perficiatur per Chriſtum ipſorum ſocietas conſortio hominum, ſanguine Chriſti redemtorum (ſicut etiam Auguſtinus dixit) ruinâq; per malos Spiritus facta, per Chriſtum inſtauretur. 3. Quòd ex cõuerſione & ſalute hominum per Chriſtum redemtorum, ipſi Angeli maximo afficiantur & cumulentur gaudio. 4. Quòd propter beneficium Chriſti, quo Gentes etiam ſeruantur, maiore & ampliore Dei cognitione donentur, & inſtaurentur. Ita apparet, ad Angelos quoque maximè pertinere beneficium Chriſti: quanquam non eo prorſus modo, quo ad homines.

Neque diuerſa ſcribit Caluinus in cap. 1. ad Epheſ. & ad Coloſſ. niſi quòd videtur melius verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι interpretari: Et ad exceptiones, quæ fieri poſſent, ſolidè & dilucidè reſpondet. Summam refero. Primùm, verbum hoc pro *recolligere* accipit: Et quę diſſipata erant, in ordinem redigere, & quaſi in vnum corpus diſiectas & diuulſas à ſuo capite, & a ſe inuicem partes, denuò cõiungere. Extra Chriſtum autem nihil eſſe, niſi meras ruinas: ac ſpeciatim homines per peccatum fuiſſe à Deo auulſos atque diſiectos. Rectum autem creaturarum omnium ſtatum eſſe, vt Deo adhæreant. In Chriſto igitur per ipſius ſanguinem ἀνακεφαλαίωσιν eſſe factam: cùm in eius corpus coaleſcendo omnes & Deo vnimur, & inter nos mutuò ſumus coniuncti: Ac cùm totus mundus ſine Chriſto nihil aliud ſit, quam deforme chaos & mera confuſio: per hunc vnum, in veram vnitatem ſumus collecti. Hoc eſt primùm.

Deinde quærit cur Apoſtolus in hoc numero ponat cœleſtes creaturas, cùm Angeli nunquam fuerint à Deo ſeparati, eóque nec diſperſi. Ac primò refert opinionem (eſt autem Auguſtini) quam & Bucerus ſecutus eſt: eámque non probat ſolum, ſed etiam ſimili illuſtrat. Quemadmodum enim aliquod ædificium, quod non omnibus, ſed multis tantum partibus ruinoſum erat & collapſum, ſi poſteà inſtauretur, dicere ſolemus, totũ eſſe inſtauratum; Sic etiã de toto corpore Eccleſiæ, quod conſtat ex Angelis & hominibus, quorũ illi nũquam a Deo auerſi, ſed iſti tantùm, vt loquitur Apoſtolus, cùm ait: *omnia per Chriſtum, tã quæ in cœlis, quàm quæ in terris, eſſe inſtaurata.* Addit tamẽ aliam etiam cauſam, nempe Angelos dici recollectos, non quòd vnquam fuerint diſſipati, ſed quòd per Chriſtum perfectius, quàm vnquam, vniti ſunt Deo: Et ita vniti, vt ab eo nunquam auelli poſſint amplius. Neque enim ita perfectè vniri eos potuiſſe Deo ſine Mediatore: creaturæ cùm ſint & ipſi, in infinitum à Deo diſtantes, & ſua natura mutationi obnoxiæ. Poſtea cõcludit iis verbis: *Quis ergo negit, tam Angelos, quàm homines in firmum ordinem, Chriſti gratia fuiſſe redactos? Homines erant perditi erant: Angeli verò non erant extra periculum. Vtroſque igitur Chriſtus in corpus ſuum coadunando, Deo Patri coniunxit: vt vera harmonia in cœlo & in terra conſtaret.* Hæc magnus ille Caluinus ad Epheſ. Nec diuerſa tradit in Epiſtola ad Coloſſ. niſi quòd propter verbum *reconciliationis*, quod non ita in Angelos, ſicut ſuperius verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι cõpetere poſſe videbatur, diligentius tractat quęſtionẽ, *quomodo poſſint dici Angeli reconciliati per Chriſtum Deo: cùm nunquam fuerit inter illos & Deum diſſidium aut ſimultas.* Sic autem in ſumma concludit, duabus de cauſis Angelos dici pacificatos eſſe cum Deo per Chriſtum: Vna, quia cùm

nos

non eſſent extra periculum lapſus, per gratiam Chriſti ſunt ita confirmati, vt fixum retineant ſtatum in iuſtitia, & perpetuam cum Deo pacem: Altera, quòd ipſorum obedientia, quam Deo præſtant ſuapte natura, imperfecta, & quæ venia opus habebat propter Chriſti perfectiſſimam obedientiam & merita, pro perfectiſſima reputatur in conſpectu Dei. Non enim in Angelis tantùm eſſe iuſtitiæ, quod ad plenam cum Deo coniunctionem ſufficiat: quemadmodum etiam Iob. docuit c. 4. dicendo: *In Angelis ſuis reperiet iniquitatem:* Quod dictum non de malis Angelis, ſed de bonis interpretatur Caluinus, ſicut & A. Ez. & Kimhi. Tandem concludit iis verbis: *Itaque pacificatore opus habent: per cuius gratiam penitus Deo adhæreant.* Vnde rectè Paulus, qui in ſolis hominibus negat reſidere Chriſti gratiam, ſed Angelis etiam commune facit. Hæc ille. Videmus igitur, quàm congruè loca iſta duo Apoſtoli intelligi poſſint de gratia Chriſti: non hominibus ſolum electis, ſed etiam electis Angelis communicata: quanquam diuerſa ratione, vt dictum eſt. Addam ad extremum quandam aliam interpretationem, quæ ad rem noſtram facit.

Muſc. in Epiſt. ad Epheſ. ἀνακεφαλαιώσασθαι, pro *ad ſuum primum principium aliquid reuocare* accipit. Vt enim Hebræis ראש non ſolum eſt *caput*, ſed etiam *principium*: ſic etiam Græcis Κεφάλαιον, vnde verbum κεφαλαιοῦσθαι & ἀνακεφαλαιώσασθαι, ſignificat non ſolum *caput*, ſed etiam *principium*. Proinde ἀνακεφαλαιώσασθαι pro aliquid ad ſuum primum principium, primamque conditionem & ſtatum reuocare accipitur. Et ſic Cyrillus in Ioh. lib. 9. c. 47. explicans hunc Apoſtoli locum ad Epheſ. interpretatur. Et ita cum hac ſignificatione congruit verſio vulgata, quæ habet *inſtaurare*. Sentiunt itaque, omnem creaturam, tam corporeã, quàm incorpoream: tam cœleſtem, quàm terreſtrem, ab integritate ſui principij nonnihil defeciſſe iam inde paulò poſt initium ſuæ creationis, & neſcio quid deliquij paſſam fuiſſe. Apparet quidem hoc manifeſtè in Angelis, qui lapſi ſunt & non perſtiterunt in veritate. Et in hominibus, qui omnes iam inde ab initio peccarunt: Sed aliis quoque omnibus aliquam (licet omnino diſſimilem) à ſuo primo principio declinationem, & (vt vocant) deliquium contigiſſe, inde colligunt: Primò quòd Apoſtolus non ait hic, *per Chriſtum inſtauratos eſſe omnes nos, vel omnes homines, aut Angelos*: ſed ſimpliciter, *omnia*, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris: quibus duobus nominibus, omnia à Deo condita cõprehenduntur. Secundò, quod Propheta Ieſaias ait, futurum *Cœlum nouum, & terram nouam*, id eſt, omnia renouatum iri. Si omnia ſunt renouanda: aliquid igitur defectionis à ſuo primo principio paſſa ſunt omnia.

Cæterùm, qualis illa ſit vniuerſalis & in omnibus rebus defectio, ignorari aiunt: Satis verò eſſe ex promiſſione renouandi cœli, & renouandæ terræ, colligi, omnia tam cœleſtia, quàm terreſtria, aliquid paſſa propter quod opus habeãt aliqua inſtauratione. Neque hoc mirum videri debere. Omnia enim, vt ex nihilo condita ſunt: Sic etiam in nihilum ſua natura tendunt, & quodam modo à ſua prima conditione deficiunt. De Angelis certè bonis loquitur Iobus cap. 4. cùm ait: *Ecce in ſeruis ſuis* לא יאמין *non credidit*, ſeu (vt vertunt omnes) *non inuenit veritatem*: hoc eſt, ſtabilem & immutabilem naturam non habent, ſicut Deus. *Et in Angelis ſuis* ישים תהלה *poſuit defectum*, vt A. Ez. & Kimhi interpretantur, hoc eſt, naturam, quę ad defectum per ſe tendit. Nam quòd ſtant perſiſtúntque in veritate, hoc habent ex gratia addita, non ex natura creata. Apoſtolus quoque ad Rom. 8. de omni creatura in genere loqui videtur, cùm ait: *omnem rem creatam vanitati ſubiectam eſſe*: Item quòd & ipſæ vindicandæ ſint ex ſeruitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei: Et omnes ſuſpirare & parturire vſque adhuc. Concludunt ad ſummam, omnia à ſua prima origine nonnihil defeciſſe: ac proinde omnia opus habuiſſe, aut etiam habere aliqua inſtauratione. Deum itaque conſtituiſſe omnia per Chriſtum renouare, inſtaurare, ad ſua prima principia reuocare: Hoc verò promiſiſſe per Prophetas: tandem autem per Chriſtum perfeciſſe. Atque hoc eſſe, quod dixit Iohannes in Apocalypſ. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam*. Item, *Ecce noua facio omnia*: Atque hoc etiam eſſe, quod hîc ait Apoſtolus Epheſ. 1. *Deum propoſuiſſe omnia in Chriſto* ἀνακεφαλαιώσασθαι. Et idem etiam ſignificari Coloſſ. 1. verbo *reconciliandi*.

Qualis ſit inſtauratio hominum electorum per Chriſtum facta, intelligimus. Sed quænam futura ſit reliquarum creaturarum, definiri non poteſt, quia ſcripturæ non explicant. Satis eſt, nos nouiſſe, futurum cœlum nouum & terram nouam: Et omnem creaturam liberatum iri à vanitate, cui obnoxia eſt ſua natura, non volens: liberatum, inquam, iri per Chriſtum. Ex hac etiam interpretatione facilè eſt colligere, ad Angelos quoque pertinere beneficium Chriſti: quanquam non eo planè modo, quo ad nos homines pertinet.

Scholaſtici quoque ſentiunt, Angelos bonos participes eſſe factos beneficij Chriſti: tum quia Chriſtus, etiam quâ homo factus eſt illis caput, ſub quo vniti ſunt, & tota cum ipſis Eccleſia: tum etiam, quia quâ homo eſt, illos illuminat, & cognitione auget: tum denique, quia ſua paſſione & obedientia promeruit illis præmia in cœlis permulta. Itaque hæc eſto

Thesis.

Gratia & beneficium Chriſti, tametſi non ex æquo ad Angelos & ad homines deriuatur, cùm illi non vt nos redemtione ac remiſſione peccatorum opus habeant: ad ipſos tamen magna ex parte ſpectat, & eius facti ſunt participes.

Explicatio.

Illud tantùm ſummatim & diſtinctè ex iis, quæ ſuprà fuſiùs dicta ſunt, explico, quomodo nimirum facti ſint Angeli participes beneficij Chriſti. 1. Quoniam ipſi quoque ſub eodem capite Chriſto collecti fuerunt: quando Chriſtus factus eſt caput totius Eccleſiæ, cuius & ipſi Angeli membra ſunt. 2. Quoniam per Chriſtum amicitia inter homines & Angelos renouata eſt. 3. Quia per Chriſtum perficitur ipſorum Angelorum ſocietas, conſortio hominum ſanguine Chriſti redemtorum; Et ruina per Angelos malos facta, hominibus per Chriſtum redemptis, & in eorum locum ſuffectis, inſtauratur. 4. Quia ex conuerſione hominum per Chriſtum redemtorum, ipſi Angeli cumulantur & augentur gaudio. 5. Quia ex redemtione electorum hominum omnium, per Chriſtum facta, cognitione myſteriorum Dei ampliore indies per Chriſtum donantur. 6. Quia cùm non eſſent extra periculum lapſus (quippe qui creaturæ ſunt ex nihilo conditæ, eóque mutabiles) per Chriſti gratiam ita ſunt confirmati: vt fixum retineant ſtatum in iuſtitia: & perpetuam cum Deo pacem. Poſtremò, quia cum ipſorum obedientia, quam Deo præſtant ſuapte natura, imperfecta ſit, & indigna quæ coram Deo compareat, eóque venia opus habeat: propter obedientiam Chriſti perfectiſſimam, pro perfectiſſima reputatur in conſpectu Domini. Atque ita per Chriſtum & iuſtiſſimi ſunt, & in ſempiternum beatiſſimi. Vt meritò, quidquid habent perfectæ iuſtitiæ, & veræ felicitatis: illud ipſi Chriſto acceptum ferre debeant: eúmque vt caput non tam noſtrum, quàm etiam ſuum adorare.

Confirmationis gratia, ſubdo locum Bernardi in Cantica, Sermon. 22. col. 835. Poſteaquam demonſtraſſet, Chriſtum factum eſſe omnibus nobis ſicut ante Angelis fuerat, ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem: obiicit ſibi de Angelis in hæc verba: *At de Angelis*, inquies, *quomodo fuerit redemtio, non video. Nec enim autoritas ſcripturarum vſpiam aſſentire videtur, eos aliquando, aut peccato extitiſſe captiuos, aut morti obnoxios: vt neceſſariam haberent redemptionem:* (loquitur de bonis) *reſpondet: Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur: ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemtio: ſoluens illum, & ſeruans iſtum. Liquet ergo, ſanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemtionem, ſicut iuſtitiam, ſicut ſapientiam, ſicut ſanctificationem;* &c. Et mox: *Sic ergo omne, quod erat Angelis, factus eſt nobis.* Quid? Sapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio: Sapientia in prædicatione: Iuſtitia in abſolutione peccatorum Sanctificatio in conuerſatione, quam habuit cum peccatoribus: Redemtio, in paſſione, quam ſuſtinuit pro peccatoribus. Hæc eſt illa ratio quam attulimus ex Cal. Angelos accepiſſe, vt penitius & firmius inhæreant Deo, quàm ante, cum extra periculum lapſus non eſſent.

DE ANGELORVM INVOCATIONE.

Capvt XXII.

Restat poſtrema quæſtio explicanda. Ea eſt: *An Angeli ſint nobis inuocandi & religioſo cultu colendi.* Videri enim hoc poſſet multis pium eſſe, ſicut aliis quoque ſæpe viſum eſt, ipſorum etiam Apoſtolorum temporibus, idque propterea, quòd & Spiritus ſunt excellentes, qui ſemper Deo adſtant: & illo-

rum opera vtitur Deus in nobis cuſtodiendis, multáque per illos nobis beneficia præſtat. Denique, quia dicuntur ferre preces noſtras in conſpectum Domini. Cæterum, id minimè nobis licere, docent ſcripturæ, & Angeli ipſi: Et confirmant Patres. Itaque hæc eſto

THESIS.

Angeli, vt adorandi nobis non ſunt, ſic neque inuocandi, ſed ſolus Deus.

MAtthæi 4. Ex lege Dei ſic loquitur Chriſtus, *Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles.* Præcipua autem cultus diuini pars, ipſa eſt inuocatio: atque ita præcipua eſt illius pars, vt ſæpe in ſcripturis pro toto cultu vſurpetur ſolum *inuocationis nomen.* Vnde Apoſtolus Rom. 10. *Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Non eſt igitur, cur quiſpiam gloſſas addat impias huic præcepto tam claro, tam certo, tam perſpicuo: quo vnus ſolus Deus adorari & inuocari iubetur: Et cuiuſuis puræ creaturæ inuocatio prohibetur. Proinde Apoſtolus Col. 2. apertè cultum Angelorum damnat, ac monet, *ne vllo vel humilitatis vel pietatis prætextu ſinamus nos ſeduci, vt Angelos colamus, vel inuocemus.*

Act. 12. ait, Angelum Domini ſibi adſtitiſſe: ſe tamen colere Deum proteſtatur, quaſi dicat, *ſolum*, non Angelos. Et quis vnquam Sanctorum, vel Prophetarum, vel Apoſtolorum inuocaſſe, coluiſſe ve Angelos legitur? quanquam maxima & mirabilia per eos beneficia acceperint?

Ac ſi quis id voluit facere per imprudentiam: & neſcio quem zelum præpoſteramque pietatem, vetitus fuit ab Angelis ſuis, atque reprehenſus. Iud. 13. Angelus Manoæ ait: *Si feceris holocauſtum, Iehouæ offeres illud.* Non enim volebat ſibi offerri, ſed tantùm Iehouæ. Ita Apoc. 19. Cùm Ioh. neſcio qua religione, de improuiſo ex aſpectu Angeli motus, vellet Angelum adorare, hoc eſt, genua illi flectere, reprehenſus fuit ab Angelo, dicente, *vide ne feceris.* Nec ſimpliciter illud honoris ſibi deferri prohibet Angelus: verùm etiam ſubdit rationem, dicendo: *Conſeruus enim tuus ſum: Deum adora:* quaſi dicat, *ſolus omnium Dominus adorandus eſt à ſuis ſeruis: non autem conſerui à conſeruis. Atqui ego non ſum Dominus tuus, ſed conſeruus. Ergo ne feceris.* Retinendus eſt hic ſyllogiſmus aduerſus omnes Angelorum & Sanctorum demortuorum adorationes & inuocationes. Idem fermè legitur in cap. 22. Capite verò 14. eadem ratio explicatur ab Angelo, dicente, *adorate eum, qui fecit cœlum & terram:* quaſi dicat, illum ſolum. Quoniam huic ſoli debetur adoratio & omnis gloria, qui etiam ſolus cœli & terræ conditor eſt & conſeruator, eóque auctor bonorum omnium: Angeli miniſtri tantùm ſunt Dei, in donis communicandis. Meritò igitur, qui cœlum & terram non fecerunt: ij adorandi, inuocandíque non ſunt, ſed ſolus Deus. Neque ab hac doctrina diſſentiunt Patres.

II. Lact. lib. Inſt. 2. cap. 17. ait, Angelos bonos, vt non patiuntur ſe vocari Deos: ſic neque honorem, qui ſoli debetur Deo, ſibi deferri permittere. Malos verò ſpiritus vtrumque ab hominibus exigere. *Neque Angeli*, inquit, *cùm ſint immortales, dici ſe Deos aut patiuntur, aut volunt: quorum vnum ſolùmque officium eſt ſeruire nutibus Dei. Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt: quorum honor in Deo eſt. Illi autem qui deſciuerunt à Dei miniſterio, qui ſunt veritatis inimici, & præuaricatores, Dei nomen ſibi, & cultum Deorum vendicare conantur.* Hæc ille. Ex quibus apparet, an tempore Conſtantini obtinuerit in Eccleſia, nec ne obtinuerit execrabilis hæc conſuetudo inuocandi Angelos atque colendi, templáque iis dicandi. Sed neque poſt illa tempora, per multa ſecula obtinuit. Nam D. Auguſtinus quoque hunc cultum improbat. Tom. 1. lib. de vera Religione cap. 55. pulcerrimus eſt locus contra religioſum cuiuſuis puræ creaturæ cultum. De Sanctis demortuis ſic ſcribit: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, vt tales quærant honores: ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, vbicunque ſint, non ſunt colendi.* Poſtea de Angelis ſubdit: *Quare honoramus eos* (Angelos) *caritate, non ſeruitute. Nec eis templa conſtruimus. Nolunt enim ſic ſe honorari à nobis: quia nos ipſos, cùm boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe nouerunt. Rectè itaque ſcribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne ſe adoraret: ſed vnum Deum, ſub quo eſſet & ille conſeruus.* Reliqua legantur. Docet enim, hoc eſſe proprium diabolorum, quærere ſe adorari & coli. Item eodem tomo Confeſſ. lib. 10. cap. 42. *Quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? qua prece, quibus ſacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentauerunt hæc: Et inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum: Et digni habiti ſunt illuſionibus. Diabolus enim erat transfigurans ſe in Angelum lucis,* &c. legantur reliqua. Docet, ſolum Chriſtum interceſſorem eſſe omnium, eóque ſolum Deum per vnicum Ieſum Chriſtum eſſe inuocandum. Item tomo 5. de ciuit. Dei lib. 10. cap. 7. docet, Angelos nolle ſibi ſacrificium vllum offerri, ſed ſoli Deo. *Quid eſt autem inuocatio niſi ſacrificium, vt ſcriptura vocat, ſacrificium laudis? Meritò illi*, inquit, *in cœleſtibus ſedibus conſtituti, immortales & beati: qui creatoris ſui participatione congaudent: cuius æternitate firmi, cuius veritate certi: cuius munere ſancti ſunt: quoniam nos mortales & miſeros, vt immortales beatique ſimus, miſericorditer diligunt: nolunt nos ſibi ſacrificare: ſed eius cuius & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe eſſe nouerunt. Cum ipſis enim ſumus vna ciuitas Dei.* Eadem tradit, ſed fuſiſſimè lib. eodem cap. 16. docet in ſumma: *Qui ſibi petunt ſacrificari: hos non eſſe Angelos bonos, ſed malos & diabolos.* Item tomo 6. contra Fauſtum Manich. lib. 20. cap. 21. *Ipſi ſancti vel homines, vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonij, tanquam Diis immolare voluerunt. Conſciſſis enim veſtimentis ſuis confitentes & perſuadentes ſe Deos non eſſe: iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, ſicut etiam in Apocalyp. legimus, Angelum ſe adorari prohibentem, ac dicentem adoratori ſuo, Conſeruus tuus ſum. &c. Iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus & Angeli eius, ſicut per omnia templa & ſacra Gentilium.* Hæc Auguſtinus. Idem tomo 6. contra Maxim. Arian. Epiſcop. lib. 1. cap. *Nónne ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus: anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei: quoniam creaturæ exhiberemus eam ſeruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo? Si ergo ſacrilegi eſſemus faciendo templum cuicunque creaturæ: Quomodo non eſt Deus verus, cui non templum facimus, ſed nos ipſi templum ſumus?* Hæc ibi. Idem tomo 8. in Pſalm. 96. in illum verſum: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia:* egregiè explicat hanc doctrinam, & dehortatur à cultu, tum ſanctorum hominum, tum beatorum Angelorum: ac dicit, Angelos bonos, quia milites ſunt, eos non quærere gloriam, niſi imperatoris ſui: diabolum autem & Angelos eius arrogare ſibi honorem diuinum. Et concludit ex Angeli ſententia in Apoc. illum ſolum eſſe adorandum, qui fecit cœlum & terram. Idem tom. 6. de Hæreſ. ad Quod vult Deum, hæreſ. 39. inter hæreticos commemorat, qui in cultu Angelorum occupantur: eóſque hæreticos, Angelicos vocat.

Et Chryſoſtom. tomo 4. in Epiſt. ad Heb. c. 1. Hom. 3. reprehendit eos, qui Angelos ſuſcipiunt, colunt, inuocant: cùm noſtri ſint conſerui, & ſpiritus adminiſtratorij.

Res igitur & è ſcripturis & ex Patribus certiſſima eſt, ſummam eſſe impietatem, Angelos diuino afficere honore, hoc eſt, inuocare, colere, adorare. Quòd ſi hos non licet inuocare, qui non audiunt, noſtráque ſpectant, & nos curant: Quomodo igitur demortuos homines?

Quare conuincuntur manifeſtiſſimæ idololatriæ, qui colunt ſanctos demortuos & Angelos, eiſque templa dedicant atque conſecrant. Eant igitur & dicant ſe errare non poſſe in iis, quæ ad fidem & religionem pertinent.

Da, Domine Deus, vt quando non ſolùm docuiſti nos, quid & quales ſint Angeli tui: quot quantáque per illos erga nos præſtes: verùm etiam licet tales ſint, eos tamen non eſſe adorandos neque inuocandos, ſed te vnum ſolum per Ieſum Chriſtum. Da, inquam, vt ſicut non te ſolum, verùm etiam Angelos amare debemus: ſic te vnum ſemper adoremus, colamus, inuocemus: Et hac te teſtificemur: te ſolum verum eſſe Deum, noſtrúmque ſeruatorem, ſicut etiam creatorem, ad gloriam nominis tui, & ædificationem Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DE OPERIBVS DEI, PARTIS PRIMAE, LIBER QVARTVS:

Qui eſt,

De Angelis malis.

VT cognitio doctrinæ de Angelis bonis nobis ad multa, præſertim verò ad fiduciam in Deo collocandam; quippe qui vſque adeò nos amat: vt etiam noſtra cauſſa tot præſtantes & excellentes ſpiritus crearit, eóſq; nobis cuſtodiendis & curãdis adminiſtros dederit, vtiliſſima eſt. Ita doctrina *de Angelis malis*, ad hoc neceſſaria nobis eſſe videtur, vt agnita illorum malitia & odio aduerſus Deum, Chriſtum & Eccleſiam, perceptáque illorum aſtutia, calliditate, potentia, ſedulitate in nobis oppugnandis: Nos & ad præcauendas eorum inſidias atque conatus ſoliciti ſiamus: Et vt iis armis, quæ ad propulſandos tam potentes hoſtes ſatis firma ſint atque valida, nos ipſi inſtruamus. Hic eſt enim finis, propter quem Deus, qui & quales ſint Dæmones, in ſacris literis reuelauit. Docent hoc adhortationes Apoſtolicæ, quæ doctrinæ de Dæmoniis vel ſubiiciuntur, vel præponuntur, Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio & pugna aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*, &c. Quapropter aſſumite omnem illam armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere tempore aduerſo: Et 1. Petri 5. *Fratres ſobrij eſtote & vigilate: Quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens, quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Apparet igitur, quis ſit ſcopus traditę de diabolis doctrinę: nempe, vt agnitis hoſtibus, qui & quales ſint, nos ſimus in excubiis, & fortiter illis reſiſtamus. Idcircò variis nominibus deſcribuntur: Et quales fuerint ab initio, ſempérque ſint, mendaces nimirum & homicidæ, declarantur. Neque nobis eſſe pugnandum cum vno, ſed cum infinita dæmonum turba, docemur. Eſſe quidem vnum ſummum imperatorem inter illos: ſed eum ſecum habere numeroſiſſimum & potentiſſimum exercitum diabolorum: Neque vno die eſſe nobis pugnandum cum talibus hoſtibus; ſed toto vitæ noſtræ tempore, monemur: Et quidem cauſſam belli eſſe gloriam Dei & ſalutem noſtram: Vtramque enim peti & oppugnari à Satana hoſte Dei & Eccleſiæ. Sed ne concidamus animis, eædem ſcripturæ docent, nihil diabolum poſſe aduerſus nos, niſi quantum Deus illi permittit: Chriſtum verò, vt ſemel eum in ſua perſona vicit: Sic etiam ſemper in nobis vincere & expugnare. Deum enim nolle, vt à Satana ſuperemur, & captiui fiamus: ſed tantùm, vt ad patientiam, ad carnis mortificationem, & ad maiorem gloriam ac ſalutem noſtram, per eum exerceamur: Quanquam impij & reprobi ab illo penitus opprimuntur, & cum ipſo in orcum præcipites dantur, à iuſto iudice Deo. Vtiliſſima igitur piis hominibus & perneceſſaria eſt hæc doctrina: qua de re fuſiùs ad finem dicetur. Nunc quæ de iis ſpiritibus malis ſparſa ſunt in Scripturis: ea, vt antè quoque fecimus, in certos locos colligemus.

II. Quia verò in ſuperioribus libris, cùm de Angelis in genere ageremus, explicatum eſt, an vera ſint ὑφιστάμενα veræque ſubſtantiæ, nec ne, contra Sadducæos alióſque fanaticos ſpiritus: Item quales ſint ſubſtantiæ, corporeæne an incorporeæ: Et an præditi ſint intellectu & libera voluntate: Denique an creati fuerint boni ſicut & reliqui: Et vbinam, nempe in cœlo: idcircò iis omiſſis, reliqua quæ de hiſce malis Angelis cognoſcenda in ſacris literis proponuntur, viginti capitibus complectemur.

Primum fuerit de ipſorum malorum Angelorum nominibus.

2. *De ipſorum peccato & lapſu in cœlo.*

3. *An magna multitudo Angelorum peccarit.*

4. *De pœna peccati Angelorum: Ac primùm de loco, in quem coniecti ſunt, & in quo detinentur: déque illo, in quem omnes ad extremum detrudendi ſunt.*

5. *De ſpirituali pœna totius illorum naturæ, hoc eſt, de extrema malitia & immunditia, qua ſemper polluti & affecti ſunt.*

6. *De pœna in voluntate: An ita pertinaces facti ſint, vt non poſſint amplius velle reſipiſcere & ad Deum conuerti: An verò tandem aliquando ſint ad Deum redituri.*

7. *De pœna in intellectu: An excæcati penitus & omni cognitione Dei, Chriſti, iuſti & iniuſti deſtituti ſint: An verò aliquam adhuc Dei, aliarúmque rerum cognitionem retineant: Ac proinde, an cadere in eos poſſit error & deceptio.*

8. *An futura cognoſcant, & ea prædicere certò poſſint: ubique de Diuinatione Dæmonum.*

9. *An cordium noſtrorum cogitationes cognoſcant.*

10. *De ipſorum vi atque potentia in res creatas: An poſſint aliena corpora localiter pro ſuo arbitrio mouere: Et verò etiam tranſmutare: Ac quomodo inuadant homines, & in eorum agant corporibus.*

11. *De vi in animas: An poſſint mouere & immutare ſenſus, phantaſiam, intellectum, voluntatem.*

12. *An etiam miracula edere poſſint.*

13. *An poſſint, quicquid volunt: An verò definita ſit ipſorum potentia, & certis limitibus terminata.*

14. *De ipſorum operibus & ſtudiis, quænam illa ſint, & quid agant atque moliantur ſemper.*

15. *Speciatim, an auctores ſint Magiæ, incantationum, faſcinorum, præſtigiarum: Et quomodo hæc fieri curent.*

16. *An aſſumant corpora: Et fiant incubi & ſuccubi.*

17. *An ſint inter illos diſtincti ordines, diſtinctáque officia.*

18. *Quodnam & quotuplex ſit ipſorum officium, ad quod eos in ſumma Deus ordinauit.*

19. *De paſſione & dolore: An aliquo dolore & paſſione afficiantur: Et qualiſnam in illis ſit dolor atque cruciatus.*

20. *De vſibus huius doctrinæ: cùm his coniungemus & hoc, quod eſt de noſtro aduerſus Dæmones officio. Ergo*

21. *De pugna, quam habemus, & habere vult Deus cum Satana, illiuſque exercitu.*

DE NOMINIBVS DÆMOMVM.

CAPVT I.

NOMINVM, quibus mali Dæmones nominantur in Scripturis, quædam ſunt omnium communia: quædam quorundam propria. Omnia verò illis ſunt impoſita, aut à natura, qua conditi ſunt, vt eſt nomen ſpiritus: aut à comparatis qualitatibus, quibus præditi ſunt, vt cùm vocantur *ſpiritus immundi*: aut ab officiis & effectis, quæ præſtant. Vt nomen *diaboli*, quia calumniatores ſunt: nomen *Satanæ*: aut à figuris & formis, quibus aliquando apparent: vt nomen *piloſi* apud Ieſaiam & *ſerpentis*, &c. Recitabo igitur nomina, quæ habemus in ſacris literis. Iis enim voluit Deus ipſorum naturas, malitias, ſtudia, conatus, nobis indicare: vt vel auditis iis nominibus, mox intelligamus, quos & qualeſnam hoſtes habeamus: atque ita vigilantes ſimus, & cauti, ne nos ab ipſis opprimi ſinamus. Sunto igitur nobis hæc Dæmonum nomina ceu breues tabulæ, in quibus videamus, quales ſint hoſtes noſtri, quídve aduerſus nos tentent: Et iis noſtri moneamur officij.

I. Primum, quo nominatus fuit diabolus, nomen fuit נחש *ſerpentis*, Geneſ. 3. quo poſtea alibi quoque vſus eſt Spiritus ſanctus, à forma nimirum, in qua apparuit Euæ, eámque ſeduxit: Quamquam hoc etiam nomine natura diaboli aſtuta & ſagax & venenata ſignificatur. Quin etiam eius officium & ſtudium indicatur. Eſt enim à radice נחש quod & *augurari* ac *diuinare* & *tentare* ſignificat. Eſt autem *Satan* autor omnium impiarum diuinationum & auguriorum: Et κατ' ἐξοχὴν vocatur in nouo Teſtamento ὁ πειράζων, *Tentator*.

II. שעירם Leuitici 17. 7. Vertunt *Dæmones*: ſed propriè ſignificat *hircos*. Ergo ſignificantur illi Dæmones, qui inſtar hircorum apparebant idololatriis ſuis, hirſuti & villoſi: quos gentes vocarunt *Satyros*. A forma igitur, in qua apparebant ita vocati ſunt.

III. שדים Deut. 32. 17. immolauerunt לשדים Dæmoniis: Et non Deo, à שד *mamma*. A forma, qua apparebant in forma beſtiæ mammoſæ: vt capræ, vel canis.

IV. שטן *Aduerſarius*, 1. Malach. 5. Et ideò Zach. 3. ait *Satan ſtabat à dextris eius*: nempe tanquam aduerſarius. Ab officio eſt, quo nobis ſemper aduerſatur.

V. רוח Simpliciter *ſpiritus*, 1. Malach. 22. verſ. 22. *Egreſſus eſt ſpiritus*: ſcilicet malignus. A natura qua conditus eſt, nomen eſt impoſitum.

peccarint. Cùm hæc quæſtio certa in ſcripturis non habeat teſtimonia, inutilis eſt: eóque nobis negligenda. Etſi enim probabilius eſt, vnum ex præcipuis priori loco peccaſſe: Deinde in idem peccatum reliquos ſecum pertraxiſſe, propterea quòd Dominus quoque vnum quaſi principalē inter omnes diabolos ſtatuere videtur, cùm ait ſe iniquis dicturum: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius:* Nihil tamen certi hac de re è ſacris literis definiri poteſt. Scriptura tantùm affirmat in genere, Angelos peccaſſe, 2. Petri ſecundo, & in Iudæ Epiſtola, & Iohan. octauo. Nam quod in ſingulari numero alicubi legimus, vt Iohan. 8. *Diabolum in veritate non ſtetiſſe.* Nomine *vnius diaboli* omnes intelligi manifeſtum eſt: Sicut etiam ſæpe nomine *hominis*, omnes homines: vt ibi, *Quid eſt homo, quòd magnificas eum:* Cùm igitur ſcriptura hac de re nihil tradat certi: neque nos quidpiam tanquam certum & neceſſarium affirmare debemus.

3. Ad hæc quærunt: *An tot peccarint, quot etiam permanſerunt. An verò plures permanſerint in veritate.* Sed quis hoc etiam definire queat, cùm ſcriptura taceat? Concludunt quidem Scholaſtici, plures permanſiſſe, quia in 2. Melac. ca. 6 Propheta dixerit, *plures nobiſcum ſunt*: ſcilicet Angeli boni, quàm cum illis, nempe ſint Angeli mali: ſed quis non videat torqueri ſcriptura? Quaſi verò Propheta locutus ſit de Angelis malis, cùm dixit, *quàm cum illis*: Et quaſi dicere voluerit, omnes bonos Angelos ſtetiſſe à ſua parte, omnes autem malos à parte hoſtium: ac plures fuiſſe bonos, quàm malos.

4. Quærunt inſuper de tempore, *quandónam peccarint: An ſtatim poſt ipſorum creationem: an verò aliquod temporis ſpatium interceſſerit inter creationem & peccatum.* Atque etiam qui doctiores eſſe videntur, in eam inclinant ſententiam: quòd Angeli, ſimul ac creati fuerūt, ſtatim etiam peccarint, prima ſuæ propriæ voluntatis actione. Verùm ratio, quam adferunt, nulla eſt. E ſcripturis verò nullum adferunt teſtimonium, quia non poſſunt: è ſacris literis hoc tantum neceſſario colligitur, Angelos peccaſſe, antequam peccaſſet Eua & Adamus. Malus enim quidam Angelus in forma ſerpentis ſeduxit Euam ſuo mendacio, eámque in mortem pertraxit. Vnde Chriſtus ait, Ioh. 8. *Diabolum ab initio fuiſſe homicidam.* Item, *patrem eſſe mendacij.* De tempore peccati Angelorum, nihil præterea in ſacris literis legimus.

5. De loco, *vbi peccauerint, quærunt nonnulli: An in Cœlo, quod nos beatorum vocamus: an verò alibi, vt in aëre, vbi ſæpe habitant Dæmones.* Ac non defuerunt, inter quos ipſe quoq; Auguſtinus Steuchus, Epiſcopus Eugubinus, *De per. Phil. lib. 8. c. 38.* qui voluerint, eos Angelos qui peccarunt, nūquam fuiſſe in illo beatorum Cœlo: ſed creatos in aëre, ibi etiam peccaſſe, rationibus quibuſdam adducti, ſed admodū friuolis. Adducunt Diuum Auguſtinum pro ſua ſententia: ſed fit illi ſācto viro inſignis iniuria: cū Auguſtinus tantū referat, quid nonnulli ſenſerint, non autē quid ipſe è ſacris literis tenendum eſſe iudicauerit. Pugnat certè ea ſententia cum ſacris literis, quæ docent, Angelos, qui peccarunt, recto ſuo domicilio, luceque cœleſti, detruſos fuiſſe in Barathrū, hoc eſt, in hunc aërem, qui præ luce cœleſti, nihil aliud eſt quàm tenebræ: Et præ amplitudine cœli nihil aliud eſt quàm anguſtus carcer.

Petrus certè in altera Epiſtola, cap. 2. ait, *Deum Angelis qui peccarunt, non pepercisse, ſed in Tartarum detruſiſſe*: hoc eſt, in has infimas regiones, nempe in aërem. *Princeps* enim *aëris* dicitur eſſe Satan, ad Eph. 2. Et ad Epheſ 6. ait, *nobis eſſe pugnam aduerſus ſpirituales militias, quæ ſunt in cœleſtibus*, hoc eſt, in aëre. Et Iudas ait, *Angelos ſuū reliquiſſe domicilium: Etiam ſub caligine, iudicio magni illius diei reſeruari.* Si igitur *detruſi ſunt* (vt ait Petrus) *in Tartarum*: Et ſi (vt ait Iuda) *ſub caligine reſeruātur, relicto ſuo priore domicilio*: Euincit, eos priùs fuiſſe in cœlo, ibique peccaſſe: Inde verò in hunc aërem caliginoſum præcipitatos fuiſſe. Ac mirabile eſt, quod ſcribit Steuchus, malos illos ſpiritus vocatos fuiſſe olim ab Empedocle [illegible] *cœlo ruentes.* Et Cœl. Rhod. antiquarū lectionū lib. 1. c. 28. ait, hoc idē ſignificare voluiſſe Pythagorā, cū ſcripſit, *Animam fractis alis, è cœlo labi, &c.* Vndénā hæc illi acceperunt, niſi ex traditionibus Hebræorum? Sed nos ſcripturas habemus apertas, quibus docemur, è cœlo præcipitatos fuiſſe, & ſuū reliquiſſe domicilium: ac proinde quibus concludere licet, in cœlo & creatos fuiſſe, & ſuum admiſiſſe peccatum.

II. Cæterùm, (vt ad præcipuam & poſtremam veniamus quæſtionem, eámque non inutilem:) *quódnam Angelorum peccatum*, diuerſæ ſunt hominum ſententiæ.

Auguſtinus Steuchus de per. Phil. lib. 8. ca. 36. tres recitat. *Prima* illorum eſt, qui dixerunt ſimpliciter fuiſſe rebellionem contra Deum, quod ſuo opifici ſubdi noluerint: Sed quia hoc non potuit proficiſci, niſi ex ſuperbia: proinde nōnulli dixerunt, peccatum diaboli fuiſſe ſuperbiam: Atque huc accommodant illud ex Siracide ſeu ex Eccleſiaſtico, ca. 10. *Initium omnis peccati, eſt ſuperbia.* Et D. Apoſtolus in Quæſt. Vet. Teſt. ait, *Diabolum elatione inflatum, voluiſſe nominari Deum.*

Altera eſt eorum, qui ſcriptum reliquerunt, peccatum Angelorum nihil aliud fuiſſe, quàm inuidiam, qua homini donum, quod à Deo acceperat, qua ad imaginem Dei factus erat, inuiderunt. Et citant Athenagoram pro hac ſententia. Et Petrum Alexandrinum, & verò etiam Auguſtinum. Huc ſpectat dictum in libro Sap. cap. 2. *Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Sed hæc inuidia potuit conſiſtere cum ſuperbia, & ex ea ſequi. Quare optimè cohærent hæc, *Angelum priùs ſuperbia elatum, noluiſſe Deo ſubijci, illiúſque ferre imperium.* Et deinde, *inuidia etiam hominis laboraſſe.*

Tertia, quam adfert Steuchus, nimis ſtulta eſt: Peccatum ſcilicet Angelorum fuiſſe, quòd fœminas appetierint. Cæterùm, quia Chriſtus Ioann. 8. videtur peccatum Angelorum in hoc poſuiſſe, quòd *in veritate non ſteterint*: huic pro varia huius vocis interpretatione, variè etiam docti viri definierunt primum Angelorum peccatum. Primùm, veritatem quidam accipiunt pro fide ſeu fidelitate, quam debent ſubditi ſuo Principi & Regi. ἀλήθεια enim Græcis & אמונה Hebræis idem ſunt. אמונה autem ſæpè ſignificat hanc, de qua diximus, fidelitatem. Sentiunt itaque hoc fuiſſe Angelorum peccatum, quòd debitam Deo fidelitatem non ſeruarint. Deinde veritas ſignificat integritatem, ſicut apud Iobum in c. 1. v. 3. Aiunt ergo iſti hoc fuiſſe Angelorum peccatū, quòd *non ſteterint in veritate*, hoc eſt, in illa integritate naturæ, in qua conditi fuerant. Et hanc ſententiam cōfirmare videtur Iudas in ſua Epiſtola, cùm ait, *Angelos ſuam non ſeruaſſe originem*: hoc eſt, originalem iuſtitiam, ſanctitatem, perfectionem, integritatem. Hæc omnia vera ſunt, ſed generalia. Non enim propriè explicant, quódnā fuerit peccatum; nempe aut quanam in re fidelitatem non ſeruarint: aut quomodo ſuam originalem integritatem amiſerint. Hæc enim amiſſio videtur potiùs pœna eſſe peccati, quàm peccatum: Tertio itaque loco veritas accipitur quatenus opponitur mendacio. Ita quidam iudicant hoc primum fuiſſe Angeli peccatum quòd excogitarit mendacium, quo falleret Euam: Huius rei cauſſa dicitur à Chriſto mendacij pater eſſe, id eſt, primus auctor. Atque hoc fuiſſe peccatum Diaboli, videtur Chriſtus quaſi voluiſſe ſignificare. Nā poſtquam dixiſſet, *in veritate non ſtetit*: ſubiecit quaſi explicationis cauſſa: *Nam non eſt veritas in eo. Quando loquitur mendacium, ex proprijs*, (hoc eſt, ex ſerè) *loquitur.* Eſt enim mendax & mendacij pater. Sed hoc non fuiſſet primum peccatum. Inuidia enim præceſſiſſet, cauſa excogitati mendacij. Vtrumque verò ſimul peccatum fuiſſe Diaboli, dubium non eſt, quoniam de inuidia teſtimonium ex libro Sa. 2. contemnendum non eſt. De mendacio autem excogitato, & dicto ac perſuaſo Chriſtus hic eſt teſtis.

III. Ad extremum igitur refero hic quandam ſententiam, quæ mihi probabilis admodum videtur, & conſentiens cum omnibus illis locis, qui adferri ſolent de peccato Angelorum: præſertim cum illo Chriſti loco Iohan. 8. Et quæ tum illorum ſuperbiam ac rebellionem, tum inuidiam complectitur. Ea hęc eſt. Dubium non eſt, quin quod poſtea toti Mundo patefactum eſt de Chriſto myſterium: illud decreuerit & ſtabiliuerit Deus ſuo æterno conſilio, ac proinde quin illud veritas fuerit æterna atque certiſſima & immutabilis. Eſt autē hæc huiuſce veritatis ſumma: nempe Filiū debuiſſe non Angelos aſſumere, ſed ſemen Abrahæ, & factum hominem, fieri caput, quā etiam homo eſt, omnium quoque Angelorum, totámque hanc humanam naturam ſupra omnes Angelos exaltandam fuiſſe: Et neminem, tam Angelorum, quàm hominum futurum beatum, niſi per gratiam Chriſti, & propter Chriſtū: ita vt omnia bona à Chriſto eſſent expectāda. Hæc ſumma, eáque è ſacris literis hauſta. Eſt verò probabile & conſentaneum veritati: quanquam non totum myſterium Chriſti (multa enim didicerunt per Eccleſiam Angeli Epheſ. 3.) ſummam tamen hanc, quam diximus, propoſitam ac reuelatam fuiſſe de principio ipſis Angelis. Adde iam & compone ſyllogiſmum: Quæcunque nunc & ab initio mundi deteſtantur & damnant & perſequuntur, tam per Tyrannos, quàm per hæreticos, mali Angeli: eadem reiecta & damnata fuiſſe ab iiſdem, iam inde ab initio hoc eſt, ſimulac patefacta illis fuerunt, credendum eſt: Ac de quibus bella nunc ſunt inter malos & bonos

Angelos : de iiſdem fuiſſe inter eoſdem ab initio non diſſimiles pugnas, vero ſimile, valdéque probabile eſt. Atqui conſtat ab exordio Mundi, in finem vſque eiuſdem, Satanam & omnes eius Angelos hoc ſemper odiſſe, & vt etiam, ne à nobis credatur, curaſſe & curare : nempe hanc humanam carnem, à Filio Dei Deo aſſumtam fuiſſe in vnitatem perſonæ, ita vt idem ſit & homo & Deus, eóque Ieſum Chriſtum ſua natura maiorem eſſe Angelis & æqualem Patri, cùm purus ſit (vt conantur perſuadere) homo. Ac ſi perſuaſi fuerunt, Chriſtum verum eſſe Filium Dei Deum, conati ſunt ſemper diaboli pe rſuadere, eũ non eſſe verũ hominem : ac proinde verum Immanuelem : nec eſſe eò honoris euectum, vt ſupra Angelos ſedeat. Item hoc quoque mendacium eſſe contendunt : neminem, ne Angelos quidem beatos eſſe poſſe ſine hoc Chriſto : imò quemque poſſe ſuis viribus ſuiſque operibus, modò velit, vitam aſſequi æternam. Quis neſciat hanc veritatis ſummam ſemper fuiſſe in odio ipſi Satanæ & Angelis eius? Quis ignoret propter hanc veritatem perpetuò pugnatum eſſe & adhuc pugnari inter electos, membra Chriſti, & reprobos, membra Satanæ? Quidni igitur dicamus & affirmemus, iam inde ab initio Mundi Angelos reprobos hanc ſemper odiſſe veritatem, & in illa acquieſcere noluiſſe : quanquam fuerit illis à Deo propoſita, tanquam ad ſalutem cuiuſque neceſſaria? Nulla vis etiam infertur ſacris literis & verbis Chriſti, ſi quis dicat, peccatum Angelorum hoc fuiſſe primum ac principale : quòd inflati ſuæ excellentis naturæ dignitate, noluerint in hac ſibi propoſita Euangelij veritate de Chriſto incarnando, déque eius gratia omnibus ad beatitudinem neceſſaria : Denique de humana natura ſupra omnes etiam Angelos exaltanda, acquieſcere. Hoc eſt enim perſiſtere in veritate : nempe in veritate Euangelij de Chriſto propoſita & intellecta, ſuo conſenſu & voluntate & approbatione & acceptatione permanere. Ita videmus peccatum ſuperbiæ in Angelis, quia ægrè tulerunt, quòd nemo, ne ipſi quidem Angeli ſine Chriſto beati eſſe poſſint. Videmus etiam illorum contra Deum rebellionem : quia huic voluntati diuinæ aſſentiri noluerunt. Videmus inuidiam, qua inuiderunt homini hanc dignitatem ſupra omnes Angelos, & quod deberet ei ab ipſis quoque Angelis miniſtrari : Videmus item, quod ait Iudas, *eos ſuam originem deſeruiſſe priumúmque domicilium* : hoc eſt, maluiſſe deſerere ſuam primam dignitatem, quàm huic æternæ & immutabili de Chriſto veritati aſſentiri. Videmus denique, quàm facilis ſit verborum Chriſti ſenſus, cùm dixit, *Diabolum in veritate non ſtetiſſe.* In qua obſecro veritate? *Euangelij æterni*, vt illud vocat Iohannes Apocal. 14. Proinde etiam Chriſtus, quia ipſe materia & argumentum eſt totius Euangelij, ſe vocauit veritatem : Et ab Apoſtolo *ſapientia Dei* appellatur. Atque hæc Euangelij doctrina, eſt illa veritas, de qua Chriſtus Pilato : *Ego veni in hunc mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Quid enim aliud docuit Chriſtus, & ſuo ſanguine obſignauit, quàm hanc doctrinam Euangelij? Confirmo hanc doctrinam antitheſi ipſius Chriſti. Iohan. 8. dixit, *diabolum non perſtitiſſe in veritate, ſed contra loqui ſemper mendacium* Opponitur ergo veritati, in qua ille non ſtetit mendacium, quod ſemper loquitur & ſtudet perſuadere. Quod eſt autem, obſecro, mendacium illud, quod Satan ſemper & omnibus loquitur, perſuaderéque conatur? Si diligenter omnia examines, videbis in ſumma eſſe hæreſes, quas in Eccleſia ſemper excitauit. Summa autem omnium hæreſium reuocatur ad tria capita. Aut contra Deitatem Chriſti, hunc ſcilicet hominem Ieſum Chriſtum, non eſſe Deum. Aut contra eius humanitatem, Deum non eſſe factum hominem, neque verum & humanum habere corpus, eóque humanam naturam, non eſſe ſupra Angelos exaltatam. Aut denique contra eius officium, non hunc eſſe Mundi ſeruatorem, neque omnibus ad ſalutem neceſſariam eſſe illius gratiam & beneficium. Hoc fuit & eſt mendacium diaboli in ſumma : Et quidem illud de quo loquitur Dominus Ieſus. Nam de tali etiam mendacio accuſabat Iudæos : Et huius mendacij reſpectu dixit *eos eſſe filios diaboli, qui in veritate non ſtetit* : ſicut nec ipſi ſtare volebant : ſed loqui ſemper mendacium, ſicut & ipſi loquebantur. Quid verò illi dicebant? Negabant hunc Ieſum filium eſſe Dei, Deum : negabant eum eſſe Chriſtum & redemptorem ſeruatorémque Mundi. Ergo vt veritas, cui nolebant acquieſcere Iudæi, fuit veritas Euangelij : Ita eadem fuit illa, in qua perſiſtere noluit diabolus. Quare ſicut etiam præcipuum peccatum Iudæorum fuit, quia, vt Chriſtus docet, veritati huic acquieſcere noluerunt : Ita peccatum diaboli idem planè, aut non diſſimile fuiſſe, perſuaſum habeo. Theſin ergo hanc ſtatuo.

THESIS IV.

Peccatum Angelorum illud cumprimis eſſe videtur, quod in veritate Euangelij de Chriſto, iam inde ab initio ipſis propoſita, acquieſcere noluerunt : atque ita noluerunt, vt maluerint potiùs ſuam primam originem, ſuúmque cæleſte domicilium deſerere, quàm illi veritati ſubſcribere.

THeſis hæc ſatis eſt perſpicua, & duabus rationibus confirmata : primùm quidem à perpetuo ſtudio, quo diabolus iam inde ab initio Mundi conatus eſt ſuis de Chriſto mendaciis, hoc eſt, hæreſibus, aut contra eius Deitatem, aut contra eius humanitatem, aut contra eiuſdem officium ſparſis : hanc Euangelij veritatem è Mundo penitus tollere. In hoc enim ſemper incubuit & incumbit Satan à condito orbe : tanquam Chriſti, & ſalutis dignitatiſque noſtræ perpetuus hoſtis. Eſt igitur manifeſtum, à condito orbe hanc Euangelij veritatem illi quidem perſpectam : non tamen gratam, ſed in ſummo fuiſſe odio. Niſi enim perſpectam habuiſſet : quomodo potuiſſet ea oppugnare? Ac ſi non odiſſet, quomodo voluiſſet perſequi? Quare vero ſimile eſt, & valdè probabile, hoc fuiſſe primum Angeli peccatum, quòd in veritate hac ſibi à Deo propoſita, & probè à ſe intellecta, perſiſtere, nempe conſenſione & voluntate, hoc eſt, acquieſcere noluit ipſe : Et ſuis porrò ſemper mendaciis conatus eſt alios quoque ſeducere, & ne huic veritati aſſentirentur, perſuadere. Ideo vtrumque coniunxit Chriſtus, nempe & *quòd non perſtitit ipſe in veritate* : Et, *quòd ſemper loquatur mendacium, idque ex ſeſe & per ſeſe.* Altera ratio ducta fuit ab antitheſi, qua vſus eſt Dominus Ieſus, Iohan. 8. inter veritatem, in qua non perſtitit diabolus : & inter mendacium. Mendacium igitur, quod loquitur Satan, opponitur veritati, in qua non ſtetit. Atqui præcipuum mendacium, quod Satan iam inde à condito orbe locutus eſt, ſparſit & ſpargit : ſunt hæreſes cum Euangelij doctrina pugnantes. Veritas igitur, in qua dicitur non perſtitiſſe, ſed quam potiùs ſemper oppugnauit : eſt veritas Euangelij de Chriſto Deo & homine, veróque & vnico mundi ſeruatore, deque eius gratia omnibus etiam Angelis ad firmam beatitudinem neceſſaria. Confirmata fuit hæc ratio à qualitate peccati, de quo Chriſtus accuſauit Iudæos Ioh. 8. Et cuius cauſſa dixit, diabolum eſſe ipſorum patrem, eóſque velle imitari opera patris ſui. Hoc illorum peccatúm fuit, non ſolum quòd vellent occidere innocentem hominem, nempe Ieſum : ſed quòd inprimis non vellent acquieſcere veritati, quam ipſe prædicabat : veritati ſcilicet Euangelij de ſe Dei Filio in mundum miſſo propter ſalutem noſtram. Hoc enim peccatum cauſſa fuit etiam alterius peccati, nempe quo cogitabant Chriſtum occidere. Si hoc fuit præcipuum peccatum Iudæorum, & huius inprimis cauſſa ait Chriſtus diabolum eſſe ipſorum patrem : Hinc ſatis apertè colligitur, peccatum diaboli hoc fuiſſe, cùm dicitur *non perſtitiſſe in veritate* : nempe quòd veritatem Euangelij à ſe intellectam & cognitam amplecti noluit, ſed odit, & ſciens ac volens ſuis mendaciis euertere eam conatus eſt ſemper. His modò addo quod Chriſtus dixit Pilato : *Ad hoc natus ſum & veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Quænam fuit hæc veritas? veritas Euangelij. Hanc enim prædicauit, & ſuo tandem etiam ſanguine obſignauit : præſtans omnia quæ Pater ei mandauerat. Atque hæc fuit Chriſti obedientia. Quid igitur fuit aliud inobedientia & rebellio Satanæ contra Deum, niſi quòd huic veritati à principio ſibi propoſitę acquieſcere noluit? Contrarium enim ſtudium fuit Chriſti, ſtudio diaboli : Et Chriſti obedientia diaboli inobedientiæ. Confirmo hanc eandem Theſin à cauſſa, cur reſipiſcere ampliùs non poſſit Satan, nec ſeruari. Quidam cauſſam hanc ducunt à natura Angeli, vt poſtea videbimus : Sed ego præcipuam eam eſſe iudico, quam de aliis quoque reprobis tradit Apoſtolus ad Hebr. 6. *Peccatum* ſcilicet *in Spiritum ſanctum* : quod eſt, cùm quis veritatem Euangelij à ſe cognitam ſciens ac volens improbat & damnat ex animo. Hoc enim peccatum ſecum adfert impœnitentiam, vbi docet Apoſtolus. Item capite decimo, *Voluntariè peccantibus nobis, iam non relinquitur hoſtia pro peccato* Loquitur de iis, qui ſcientes ac volentes reiiciunt Euangelij doctrinam : Chriſto eiúſque ſacrificio in ſempiternum renunciantes. Qui hoc faciunt, certè ij ſeruari ampliùs non poſſunt : quoniam cùm vnum tantum ſit ſacrificium, quo expientur pec-

tur peccata, Chriſti ſcilicet ſacrificium: qui hoc reiiciunt, iam non relinquitur illis amplius hoſtia pro peccato: Itaque vt pereant, neceſſe eſt. Cùm itaque in confeſſo ſit, diabolum non poſſe reſipiſcere: non poſſe ſeruari ampliùs: quid aliud inde colligere licet, niſi eum tale peccatum admiſiſſe, quale deſcribitur ab Apoſtolo, ac proinde hoc fuiſſe illius peccatum, quòd in veritate Euangelij acquieſcere noluerit, ſed eam ex animo oderit, reiecerit, deteſtatus ſit?

Locus quoque Petri & Iudæ, vbi de peccato diabolorum agunt, conſiderandus eſt: Vterque agit de iis, qui doctrinam Euangelij in Eccleſia prædicati, ſuis mendaciis & prauis dogmatibus corruperant: Et concludit vterque Apoſtolus, hos non poſſe iudicium Dei euadere, quemadmodum neque Angeli euadere potuerunt. Videtur ergo innuere, ſimile fuiſſe Angelorum peccatum peccato iſtorum: ideóque ſicut illis non pepercit Deus; ſic neque hos euaſuros pœnas ſuarum blaſphemiarum. Varia enim exempla peccatorum punitorum à Deo proponunt Apoſtoli iſti. Oportuit igitur exemplum etiam adferri, quod haberet ſimilitudinem cum peccato horum ſeductorum, & hoſtium doctrinæ Dei. Videtur hoc eſſe exemplum peccati Angelorum.

Quæ cauſſa etiam obſecro fuit cur Chriſtus Iudam appellauit *diabolum*? Ioh 16. nempe quia ſciens ac volens renunciauit ex animo ipſi Chriſto & eius Euangelio, quod tamen prædicauerat: hoc eſt, quia non perſtitit in veritate Euangelij cognita. Indicauit igitur Chriſtus, hoc quoque fuiſſe peccatum diaboli, propter quod eiectus eſt è cœlo, cùm Angelis ſuis. Hinc fit, vt quicunque veritatem Euangelij ſcientes ac volentes oderunt & perſequuntur: vt qui negant Chriſtum verum eſſe Deum: qui negant eum vnicum eſſe mundi ſeruatorem: qui denique negant eius gratiam ita eſſe neceſſariam, vt citra eam ſeruari nemo poſſit: ſit inquam, vt qui hanc cognitam doctrinam ſcientes & volentes perſequuntur: meritò diaboli & membra Satanæ appellandi ſint, dicique à ſpiritu Satanico dicantur.

Hæc eſt mea de peccato Angelorum ſententia, quam ex verbis Chriſti colligo. Et quam conſentaneam eſſe cum ſacris literis exiſtimo, & vtilem eſſe ſcio. Hinc enim magis ac magis excitabimur ad retinendam firmam Euangelij veritatem, niſi velimus cum Iudæis peccatum Satanæ imitari, & cum eo in ſempiternum damnari: quod abſit.

DE ANGELORVM QVI PECCArunt multitudine.

CAPVT III.

AD quæſtionem, qua quæri ſolet, *an magna multitudo Angelorum peccârit, malique ſpiritus facti ſint*, hac breui reſpondeo Theſi.

THESIS.

Etſi à nobis ignoratur, quotnam Angeli in veritate non perſtiterint, magnam tamen & penè innumerabilem fuiſſe illorum multitudinem, ac turbam, certum eſt.

TOb. 6. multa dæmoniorum eſſe genera docetur. Idem docuit Chriſtus Matt. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi ieiunio & oratione.* Ibidem Chriſtus ait, *ſpiritū immundū redire cum 7. aliis*, id eſt, multis nequioribus ſe, Marc. 5. & Luc. 8. *Legio vna dæmoniorum occupauerat hominem vnū.* Quanta igitur turba eſt reliquorum qui in aliis erant impiis hominibus, in aëre item, in aquis, in terris variis, &c. Itē Petrus & Iudas multos nominant, quos aiunt peccaſſe & præcipitatos eſſe in Tartarum. Epheſ. 6. exercitus, diabolorum collocat in hoc aëre, aduerſus quos dicit nobis eſſe pugnam. Sic Apoc. 12. innumerabilem κακοδαιμόνων exercitum legimus pugnaſſe cum Angelis bonis. Certum eſt, plenum eſſe aërem & totum orbem terrarum iis beſtiis, hoſtibúſque noſtris. Vbiq; enim hominibus inſidiantur, eos tentant, ad multa mala ſolicitant: ita vt nemo hominum ſit in mundo, qui non ab aliquo tentetur diabolo. Sunt tamen finiti vt vnus multis in locis eſſe nō poſſit. Si igitur tam magna eſt hominū multitudo, qui à variis tentantur diabolis in terra: Quanta obſecro turba fuerit diabolorum: cùm præter illos, à quibus in terris tentamur, alij quoque ſint in ſuperiori aëris parte, in aquis, & ſubtus terram?

Sunt, qui nouem diabolorum ordines faciant, quos nouem Angelorum bonorum ordinibus opponunt: Et in ſingulis ordinibus, neſcio quot millia collocent: ita vt numerus incredibilis fiat. Sed hæc vana ſunt commenta. Hoc nouimus è ſacris literis, infinitam propè eſſe diabolorum turbam: cùm vbique vagentur, & homines tentent: ac proinde non eſſe, cur debeamus ſtertere ſecuri in vtramque aurem. Certè niſi Deus eos per bonos Angelos compeſceret: ſentiremus noſtro malo, quantus ſit Dæmonum exercitus. Atque hoc nobis debet eſſe ſatis de numero Angelorum qui peccarunt.

DE POENIS CACODÆMONVM: ET primum de loco vnde eiecti, déque eo, in quem detruſi ac detrudendi ſunt.

CAPVT IV.

AD eam quoque, quæ de loco eſt, breuis eſt reſponſio.

THESIS.

Angeli mali omnes è cœlo detruſi ſunt in loca, quæ ſunt infra cœleſtes orbes: in Aerem ſcilicet, & infra, tanquam in carcerem caliginoſum, vbi ceu catenis vincti iudicio vniuerſali reſeruantur.

SVnt hæc expreſſa in ſacris literis, vt videre licet, 2. Pet 2. & in Epiſtola Iudę. Petrus ait *detruſos fuiſſe in Tartarū.* Tartarum autē ſoliti erant Græci vocare infima terræ loca, vbi puniendi ſint impiorum animi: quem locum ᾅδην *infernum* etiam appellat Lucas. Seſe enim Apoſtoli accommodarunt conſuetudini & formæ loquendi vſitatę. Sed hoc nomine non intellexit Petrus locum tantùm ſub terra poſitum, ſed inprimis ipſum aërem, totúmq; ſpatium infra Lunam. In hac enim regione detinentur captiui dæmones, vt apertè docet Apoſtolus Epheſ. 2 & 6. In quorum altero loco vocat diabolum *principem huius aeris*: In altero verò vocat *omnes Principes tenebrarum harum, & ſpirituales malitias in cœleſtibus*, hoc eſt, in aëre. Res verò ipſa & quotidiana experientia docet, multos etiam diabolos obſeruari in aquis, & multa mala ibi dare: item in terris, & vexare homines atque beſtias ſubtus terram, & inde prodire, quaſi animæ ſint demortuorum, ſuíſque præſtigiis fallere homines, vt in exemplo Pythoniſſæ tempore Saulis manifeſtum eſt. Ex aëre verò in fine mundi pellendos eſſe, & detrudendos in infima terræ loca, vel in abyſſos aquarum, quæ nomine *tenebrarum exteriorum* à Chriſto, & nomine ᾅδου à Luca ſignificantur. Ego credere malo quàm negare. In hac enim regione, hoc eſt, aëre, ad exercitium noſtrum collocati ſunt à Deo dæmones. Ergo vbi deſierit hæc pugna, credo repurgandum eſſe hunc aërem his ſpiritibus immundis: eóſq; detrudendos eſſe in locum alium vnà cum omnibus reprobis, vbi torqueantur in ſempiternum. Eſt etiam locus Luc 8 qui hoc videtur innuere: dæmones enim rogabant Ieſum, ne ſe iuberet in abyſſum deſcendere. Indicant igitur ſe noſſe, tandem ſe ex hac regione, in inferiorem locum detrudendos eſſe.

D. etiam Auguſtinus tomo 3. de Geneſi ad literam, lib. 11. c. 26. ait, aërem hunc caliginoſum, eſſe diabolis inſtar carceris, vſque ad finem mundi. Tunc igitur educentur ex hoc carcere, & in locum peiorem, vbi crucientur duriùs, detrudentur. Sed de hac re, vtut ſit, conſtat, eos è cœlo eiectos, eò nunquam redituros: Et in hoc aëre tanquam in carcere ad exercendos pios in patientia, & ad plectendos impios propter ſuam impietatem, iudicio Dei vltimo reſeruari.

DE SPIRITVALI, EAQVE PERPETVA totius illorum naturæ pœna: hoc eſt, de extrema malitia & immunditia, qua perpetuò afficiuntur.

CAPVT V.

AD hanc etiam quæſtionem longa reſponſione non eſt opus.

THESIS.

Angeli mali poſt & propter primum peccatum, quod in Filium Dei propriè admiſſum fuit: in alia quoque grauiſſima prolapſi ſunt, & prolabuntur ſcelera, factique ſunt extremè mali, & omni nequitia atque immunditia repleti ſunt.

QVales iam illi reprobi Angeli poſt peccatum in filium Dei effecti ſint: docent apertè, tū nomina, quibus in ſcripturis appellantur: tum effecta, quæ de ipſis commemorantur: Tum denique graphicæ deſcriptiones, quibus in ſacris literis depinguntur. De nominibus anteà dictum eſt. *diaboli* vocantur: Sunt igitur calumniatores & mendaces: Vnde & *Satan pater mendacij, & omnes mendaces ſpiritus* vocantur in ſcripturis, eóque autores ſunt omnium mendaciorum in hominibus. Et qualeſnam mendaces ſunt? Mendaces impudentes. Quali enim impudentia dixit diabolus Euę, non eſſe verum, quod pronunciârat Deus? Corruptores ſunt verbi Dei, vt apparet in ſeductione Euæ, & in tentatione Chriſti: eoq; ſunt autores omnis corruptionis, omniſque hæreſium patres & defenſores. Spiritus immundi appellantur à Chriſto. Sunt igitur & ipſi vaſa omnis immunditiei plena & autores eiuſdem in aliis. Vnde & *ſpiritus fornicationis* vocantur. Nam ſpiritualiter fornicantur cum omnibus idololatris: Carnaliter autem nonnunquam, vt cùm fiunt, aſſumptis corporibus humanis, incubi & ſuccubi: Vtriuſque verò autores ſunt in hominibus: quia vtraque fornicatione delectantur. Sunt *πονηροὶ κατ' ἐξοχὴν*, quia omnis malitiæ pleni & autores atq; auctores. Sunt *ἐχθροὶ* Dei, Chriſti & noſtri. Principaliter tamen videtur illorū inimicitia eſſe aduerſus Chriſtū: Sicut etiam primum ipſorum peccatum fuit immediatè in ipſum Chriſtum. Proinde Chriſtus dicebat de membris diaboli, Phariſæis & id genus hominibus, Io. 15. *Oderunt me & Patrem meum: primo me, deinde Patrem meum.* Quicūque igitur odit Chriſtum, odit & Patrem. Annon verò Chriſtum oderunt, qui eum pertinaciter ſua conantur gloria ſpoliare? Et qui odio tali feruntur in Chriſtum, eos diabolos eſſe neceſſe eſt. Rectores ſunt tenebrarum, non ampliùs Angeli lucis, licèt ſe aliquando in Angelos lucis transfigurēt. Sūt igitur amatores & autores omnis ignorantiæ Dei, omnis cęcitatis, omnium ſcelerum, omnis infelicitatis: quæ omnia nomine tenebrarum ſignificantur. Sunt tyranni & omnis tyrannidis autores. Sunt enim omnium bonarum legum oſores, & omnis *ἀταξίας* autores. Denique nihil malitiæ excogitari poteſt, quo careat diabolus: Et cuius ipſe autor nō ſit: Spiritus callidus, aſtutus, vafer, mendax, potens, impudens, calumniator; immundus, perfidus, ſanguinarius: Et quid non? Hæc omnia primum peccatum in Filium Dei, apoſtaſiam ſc. & rebellionem contra eum, & eius Patrem, conſecuta ſunt: Et pœnæ ſunt illius primi peccati. Ita videmus, quæ ſit radix omnium peccatorum: reiectio ſc. veritatis Euangelicæ, hoc eſt, ipſius Chriſti. Atque hæc in genere de altera peccati Angelorum pœna: de ſpirituali ſcil. malitia & iniquitate, omnique vitiorum genere, in quæ lapſus eſt, & quibus totus quantus eſt, effluit, dicta ſunt.

DE POENA IN VOLVNTATE.

CAPVT VI.

QVAERVNT item omnes, quali pœna in voluntate propter primum peccatum puniatur, h. e. an ita factus ſit pertinax Satā, & pręfractus in peccato: vt velle reſipiſcere ampliùs non poſſit. Deteſtandus fuit error Origenis, qui dixit, *diabolos etiam omnes tandem aliquando pœnitentiam acturos ſuorum peccatorum, redituros ad Dominum, & ſanandos.* Præcipua cauſſa huius erroris fuit, quòd nimis extollebat libertatē arbitrij, tam in Angelis, quàm in hominibus, vt etiam obſeruauit Thomas Aquinas in Q. Diſp. part. 1. quæſt. 16. art. 5. Videmus quantorum malorum cauſſa ſit opinio de magnis viribus liberi Arbitrij. Sed ſcriptura apertè damnat ſententiam hanc, cùm docet, *diabolos ituros in ignem æternum*: vnde & illud in Eccleſia receptum prouerbium: *Humanum eſt errare: Diabolicum autem perſeuerare.* Senſit enim Eccleſia, diabolos ita obſtinatos eſſe in malo, vt ab eo reſipiſcere non poſſint. Breuiter ergo reſpondemus.

THESIS.

Diaboli omnes vſque adeò in peccatis & odio Dei, Chriſti & noſtri obſtinatam habent voluntatem, vt à malo non poſſint velle reſipiſcere, eóque ſeruari.

TEſtimonia ſcripturarum ſunt aperta, cùm docent, diabolos omnes eſſe *πονηροὺς κατ' ἐξοχὴν*. Docent enim tales iam eſſe, vt à malitia mutari non poſſint: quòd illis facta ſit naturalis. 2. Item inde etiam apparet, quia à toto illo tempore, quo peccarunt, nunquā vllus ipſorum aliquod dedit ſignū reſipiſcentiæ. 3. Deinde ſi poſſent reſipiſcere & credere in Chriſtum, pro ipſis quoque precatus eſſet & mortuus Chriſtus. Ait enim Ioh. 17. *Se rogare pro omnibus, qui credituri eſſent in ſe.* 4. Pręterea duplex id ratio euincit: vnam adferunt plerique omnes à natura Angelorum: ſed alteram ego adfero à qualitate primi ipſorum peccati. Prima hæc eſt: Id in Angelis eſt caſus, quod in hominibus mors. Poſt mortem autem ita homines, aut pertinaces ſunt in malo, aut conſtantes in bono: vt non poſſint ampliùs velle, vel peccare, vt beati, vel bene velle, vt damnati. Ergo neque Angelus poſt lapſum poteſt amplius reſipiſcere: ſicut neq; bonus peccare. Sed hoc habet bonus ex gratia. Malus autem (inquiunt) à natura. Rationem adferunt: nimirum quia voluntas ſequitur intellectum. Sicut igitur intellectus aliquid apprehendit: ita etiam illud voluntas vult & eligit. Si itaque intellectus aliquid apprehendat immobiliter, ita vt à ſua ſententia dimoueri non poſſit: ſic etiam voluntas illud vult. Atqui intellectus Angeli, quę primò apprehendit, tenaciſſimè & immobiliter apprehendit: ſicut & noſter intellectus ita immobiliter apprehendit prima principia, vt ab eis diſcedere nequeat. Voluntas igitur Angeli non poteſt ab eo, quod ſemel per intellectum apprehenſum, & à ſe intellectum fuit, recedere, eóq; non poteſt Angelus reſipiſcere. Inde obtinet hæc propoſitio: *Liberum Angeli arbitrium medium eſſe inter Dei & hominis arbitrium.* Deus enim voluntatem immutabilem habet & ante & poſt electionem, ſi liceat dare Deo & ante & poſt: cuius omnis voluntas æterna eſt. Homo voluntatem habet & ante & poſt electionem mutabilem & flexibilem in vtramque partem: Angelus ante electionem liber eſt, ſed poſt electionem mutare ampliùs voluntatem non poteſt. Sed hanc rationem non poſſum ſimpliciter probare: nempe hanc pertinaciam in malo, eſſe in Angelis à natura, in qua ſcilicet creati ſunt. Sicut enim dicimus, Angelos bonos, quòd non poſſint ampliùs peccare, hoc illos non habere à natura, ſed à gratia: ſic ſequitur, immortalitatem voluntatis in malo, non eſſe Angelis malis à natura, creata ſcilicet: ſed ab ira, ſeu à iuſto Dei iudicio, qui eos propter tale peccatum ita deſeruit ſua gratia: vt cùm per ſe non poſſint reſipiſcere, nunquam ſint reuerſuri ad Deum, & voluntatem mutaturi. Dabo quidem hoc eſſe à natura mala, quam ſibi compararunt: ſed à natura bona, quam à Deo acceperunt, nequaquam. 5. Proinde ſentio, cauſam præcipuam impœnitentiæ Angelorū malorum, eſſe iudicium Dei in illos: qui ſic conſtituit, vt qui peccant in Spiritum ſanctum: hoc eſt, qui ſcientes & volentes & ex animo agnitam Euangelij veritatem auerſantur & oppugnant: hos conſequatur impœnitentia. Docet hoc Apoſtolus ad Hebr. 6. Quoniam itaque tale fuit peccatum Angelorum, vt antè vidimus, inde fit, vt in pœna illius peccati reſipiſcere ampliùs non poſſint. Ratio hæc fundamentum habet in ſacris literis, illa prior nullum. Huc facit illud 1. Ioh. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt*, id eſt, qui pertinaciter peccat, & ex animo. Hoc enim propriè ſignificat *facere peccatum.* Quare verò ex diabolo eſſe dicitur, qui pertinaciter peccat? *Quia* (inquit Ioh.) *iam inde ab initio diabolus peccat:* nempe continenter & pertinaciter. Non dicit, *quia peccauit:* ſed, *quia peccat*, nempe ſemper & pertinaciter. Vnde verò hæc in peccato pertinacia? Indicat Apoſtolus eſſe ex primi peccati grauitate: qua factum eſt, vt poſtquam cœpit iam malitioſè peccare in Filium Dei, propoſitam veritatem deſerendo atque deteſtando: nunquam deſierit, nec deſinere potuerit peccare: Deo iuſto iudice peccatum primum aliis peccatis puniente.

DE POENA IN INTELLECTV: ET qualis cognitio in diabolis manſerit.

CAPVT VII.

NON contemnenda quæſtio eſt, quę de dæmonum cognitione poſt peccatum, proponi ſolet: Nempe, *an penitus poſt peccatum excæcati ſint, & omni, cum Dei & Chriſti: æqui & iniqui: tum aliarum rerum cognitione deſtituti: An verò adhuc aliquam harum omnium teneant cognitionem*: Item, *an cadere in eos poſſit error & deceptio.* Ad hanc ſic reſpondemus.

THESIS.

Dæmones ita poſt & propter peccatum excæcati ſunt, vt neque eam omnem, eámve rerum omnium retineant ſapientiam, quam & quarum ante peccatum habuerunt: idque

iuſto Dei iudicio in pœnam præcedentis peccati: ſed neque etiam omni prorſus, tam Dei diuinarumque rerum, quam humanarum cognitione deſtituti ſunt: idque propter ſummam Dei bonitatem & prouidentiam.

CONFIRMATIO.

NOtandum itaque initio eſt, duplicem eſſe rerum tam in Angelis, quàm in hominibus cognitionem: vnam, naturalem: alteram, ſupernaturalem. Naturalis eſt ea, qua ſua quiſque naturali facultate intelligit quæcunque intelligit. Supernaturalis verò ea eſt, qua non niſi ſupernaturali dono & lumine nouimus, quæ nouimus. Quæ ſupernaturalis cognitio itidem duplex eſt: vna, qua res ſimpliciter nouimus, puta Deum eſſe iuſtum, omnipotentem: ſed ſine vlla in Deum affectione, atque amore, ſineque fiducia: quali cognitione multi etiam reprobi & hypocritæ donantur, vt notum eſt: De qua Dominus, *Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.* Altera, cum amore in Deum, cum reuerentia fiduciáque in eum coniuncta eſt: quæ etiam duntaxat ipſorum eſt electorum: Proinde Apoſtoli negant illos cognoſcere Deum (hac nimirum cognitione) qui licet multa ſciant loqui de Deo; mandata tamen Dei non ſeruant, neque Deum timent aut amant. Ita ad ſummam, tres ſunt cognitiones, naturalis, ſupernaturalis, Diuina. Quali cognitione ante peccatum præditi fuerint omnes Angeli, ſuprà dictum eſt lib. 2. At verò quænam poſt peccatum manſerit in dæmonibus: Et qua proinde etiamnum præditi ſint: nunc videndum nobis eſt.

Ad *primam* igitur quod attinet, non dubitamus, quin quæ ante peccatum naturaliter cognoſcebant iſti Angeli, eadem nunc etiam cognoſcant, tam Deum & res diuinas, quàm Angelicas, humanas, terrenáſque res omnes: quanquam nonnulli obſcurius, quàm anteà, in pœnam præcedentis peccati. Vt enim in homine poſt peccatum obſcurata fuit mens, lumenque naturale non parum amiſit ſuarum virium: Sic quoque Angelis malis eueniſſe, quanquam non eadem prorſus ratione, perſuaſum habeo. Hoc enim poſtulabat Iuſtitia Dei. Nec mihi dubium eſt, quin Angeli boni longè perfectiùs naturali ſuo lumine cognoſcant, quæ cognoſcunt, quàm Angeli mali: Vt etiam Aug. ait de Ciuit. Dei libr. 9. *Ante peccatum autem, tam iſti quàm illi perfectè omnia intelligebant. Acceſſit igitur iſtis propter peccatum, aliquid tenebrarum. Proinde etiam tenebræ appellantur: & in tenebris eſſe dicuntur, cæleſti illa luce deſtituti, & in locum caliginoſum præcipitati: Vt inde intelligamus nonnihil tenebrarum naturali etiam illorum menti acceſſiſſe, in pœnam admiſſi peccati in Deum, Deique Filium.* Dionyſ. quidem Areopa. lib. de diuinis nominibus, ſcribit, *naturalia dona in Angelis malis manſiſſe integra:* cuius ſententiam omnes ſequuntur Scholaſtici: ſed hoc intelligo de ipſa naturali facultate intelligendi, quoad ſubſtantiam. Ea enim integra manſit, ſicut etiam in homine poſt peccatum. Verùm, cum hoc non pugnat, quin aliquid tenebrarum illi acceſſerit ex peccato. Quemadmodum etiam Adæ, & aliis hominibus accidit.

II. Ad *alteram* cognitionem quod attinet, fatentur omnes, eam in ipſis fuiſſe mirum in modum imminutam, ſed non penitùs ablatam. Eos enim adhuc aliquid noſſe Dei, ſecretorúmque diuinorum, ex luce reuelationeque diuina: quæ reuelatio fiat vel per Angelos bonos ex Dei mandato: vel per alia temporalia diuinæ virtutis effecta: vt loquitur Auguſt. de Ciuit. Dei, libr. 9. cap. 22. Cæterum, tantum illis reuelatur, quantum oportet, & quantum diuina prouidentia iudicat ſuæ gloriæ, noſtræque ſaluti conſultum fore. Proinde in Euangelio legimus, diabolos nouiſſe & confeſſos fuiſſe, Chriſtum, Filium eſſe Dei: Et verò etiam in quem finem venerit in Mundum: nempe, vt deſtrueret opera diaboli, eóſque torqueret & condemnaret, Cùm dixerunt, *quid nobis tecum eſt Fili Dei? Veniſti huc vexatum nos ante tempus? Matt. 8.* Norunt igitur Chriſtum, & Filium eſſe Dei: Et iudicem, per quem in fine ſeculi diaboli omnes coniicientur in pœnas æternas, quibus ſciunt ſe eſſe deſtinatos. Ideò dixerunt, *Tu nos vexas ante tempus:* Et Iacob. 2. verba faciens Apoſtolus, de fide & cognitione articulorum fidei, ſed ſine charitate, ait: *Nam & dæmones credunt, & contremiſcunt:* hoc eſt, hac quidem mortua fide, cognitionéque; Dei & Chriſti, præditi ſunt dæmones. Sed quid illis hæc cognitio prodeſt? Tantùm illis adfert terrorem, nullam autem ſalutem. Hac enim cognitione torquentur: quia intelligunt, ſe tandem in æternas pœnas, propter ſuum peccatum, præcipitandos eſſe, à iuſto iudice Chriſto. Atque ad hanc Angelorū cognitionē accōmodat Auguſtinus illud Apoſtoli, *ſcientia inflat.* Item Act. 16. Spiritus Pythonicus et puellam clamabat de Paulo & ipſius ſociis: *iſti homines ſerui ſunt Dei illius excelſiſſimi, qui annunciant vobis viā ſalutis.* Nouerunt igitur non ſolùm, Apoſtolos eſſe ſeruos: hiſtis & Chriſtum eſſe Deum excelſum (huius enim profitebantur Apoſtoli ſe ſeruos eſſe, vt in omnibus liquet Epiſtolis.) verùm etiam Euangelium, quod prædicabant, doctrinā eſſe ſalutis. Et Act. 19. Spiritus malus dixit, *Ieſum noui, & Paulū ſcio.* Certè hæc non norunt naturali cognitione. Vera enim Chriſti & Euangelij cognitio, etiam quæ inefficax eſt, & mortua: à carne & ſanguine, vt Chriſtus docet, eſſe non poteſt: ſed tantùm ex reuelatione. Auguſtinus tamē Tom. 5. de Ciui. Dei, lib. 9. c. 21 ait, *Chriſtū innotuiſſe diabolis per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſima ſigna præſētia, quæ Angelicis ſenſibus, etiam malignorū ſpirituū, potius quàm infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua.* Dubium igitur non eſt, quin diaboli multa norint diuinorum myſteriorum vel ex reuelatione cæleſti, vel per effecta diuina: ſed eatenus tantùm, quatenus Deo placet, & ad maiorem ipſorum cōdēnationem facit, pro iuſto ipſius iudicio. Verùm in hac parte Angelos malos mirū in modū excæcatos eſſe: vt infinita non intelligant, quæ intelligerent, ſi peccatum illud apoſtaſiæ non admiſiſſent: dubitandum non eſt. Hanc enim etiam ob cauſſam vocantur *tenebræ*, & *poteſtas tenebrarum.*

III. Cæterùm, tertiū cognitionis genus, quod ſolum ſalutare eſt, nullum omninò in malis Angelis locum habet, aut habere poteſt, reprobi cùm ſint, & in peccatis obſtinati, inimici Dei, Chriſti & noſtri. Quin & illud manifeſtum eſt, ita tenebris obductas eſſe illorum mentes, vt licèt deſtituti non ſint penitùs & in genere cognitione æqui & iniqui, boni & mali, pij & impij: Suum tamen peccatū, non, vt deberent, agnoſcant. Hoc eſt enim proprium eorum, qui pertinaces ſunt in aliquo malo, vt malum illud non perpēdant, nec attentè conſiderent: eóque non verè ſentiant intelligantve eſſe malum. Cùm itaque diaboli pertinaciſſimi ſint in ſuo ſcelere: apparet, iuſto Dei iudicio ita illos eſſe obcæcatos, vt ſe ſuúmque malū haud verè cognoſcant. Imò veriſimile eſt, ipſos quoque malum dicere bonum, & bonum malum, tenebras lucem, & lucem tenebras. Vt enim fallit alios Satan, ſic etiam ſeipſum: quia mendax eſt, tam ſibi, quàm aliis. Nā hæc etiam grauiſſima eſt pœna peccati, cùm quis eò adducitur cæcitatis, à iuſto iudice Deo: vt non ſolùm nō cognoſcat peccatum ſuum, eſſe peccatum: ſed etiam malefacta, tanquam benefacta tueatur. Atque hęc pręcipua eſt excęcatio, qua contendimus, diabolum fuiſſe, & eſſe affectum, propter ſuam contra Filium Dei rebellionem. Vt quia noluit perſiſtere in veritate: ſic etiam omni veritatis cognitione, quæ aliquid ad ſalutem prodeſſe valeat, in perpetuum maneat deſtitutus.

IV. Perſpicaciſſimum verò adhuc eſſe diabolum, & magna atque incredibili magnarum multarúmque rerum cognitione, ſcientia, memoria pręditum, extra controuerſiam eſt. Neque enim fieri poteſt, cùm talis ſubſtātię ſit, qualis & reliqui ſunt Angeli: ſubſtantiæ nimirum perfectiſſima intelligendi facultate, tenaciſſimáque memoria præditæ. 2. Cui porrò accedit tam magna & tam diuturna, à condito videlicet orbe, multarum magnarúmque rerum experientia. 3. Adde & officium, cui illum deſtinauit Deus: nempe, vt ad pietatis exercitiū, tum nos tentet, omni dolo, aſtutia, ſagacitate, tum etiam reprobos mendaciis, impoſturis, præſtigiis, incātationibus fallat, ſeducat. 4. Quid? quòd omnis magię, omnium faſcinationū, pręſtigiarum, hariolationū, auguriorum, omniúmque impiarum, quæ in mundo reperiuntur ſcientiarum tutor eſt? Oportet igitur diabolum eſſe rerum cœleſtium, terreſtrium, humanarúmque ſcientiſſimum. Interim manet illa cęcitas, de qua diximus, qua, ſc. fit vt omni veritatis cognitione, tā ſui, quàm Dei & Chriſti, quę ad ſalutem aliquid prodeſſe poteſt, prorſus ſit ſpoliatus.

An verò in iis, quæ nouit, falli & decipi poſſit, definiunt Scholaſtici, non poſſe in iis, quæ ſuo naturali lumine cognoſcit. Rationem adferunt: quoniam, quæ naturaliter nouit diabolus, nouit ea non diſcurrendo & ratiocinando à certis principiis ad concluſiones: ſed ſimplici actu, ſicut & nos prima principia per ſe nota, cognoſcimus. Vt igitur in cognitione talium principiorum, nos falli non poſſumus: puta, quòd duo & duo conficiant 4. Quòd omne totum maius ſit ſingulis ſuis partibus, & alia id genus: ita neque Angeli, neque dæmones, in iis quæ naturaliter cognoſcunt, falli decipíve poſſunt. Tanta eſt naturalis ipſorum perſpicacitas. Ideò meritò δαίμονες à præſtantiſſima ſcientia, qua naturaliter prędīti ſunt, appellātur. Sed κακοδαίμονες ſūt, quia omni hac ſciētia ad malū dūtaxat abutūtur: nūquā

autem ad bonum. Verùm Auguſtinus ſimpliciter ait de Ciu. Dei, lib. 9 cap. 22 eos ſæpè falli. Idcirco neque initio nouerat certò Chriſtum diabolus, cùm ad eum acceſſit in deſertum tentandi cauſſa. Dicebat enim, ſi tu es Filius Dei, &c.

DE DIABOLICA RERVM FVTV- rarum præcognitione & vaticinatione.

CAPVT VIII.

QVAESTIO *eſt, an futura cognoſcant, & ea prædicere certò poſſint.* Auguſtinus Tom 3. egregium libellum ſcripſit de Diuinatione dæmonum: vbi præter alia docet, multa futura prænoſci à dæmonibus: Et rationes aliquot, quibus ea prænoſcere poſſint, explicat. Ac multa futura prædicta fuiſſe diabolis, quæ etiam certò euenerint, liquet, tum ex profanis ſcriptoribus, tum etiam ex ſacris literis: Qua de cauſſa Dominus præceptum dedit, ne credamus Prophetæ, qui hortatur, vt eamus poſt Deos alienos: etiamſi quæ prædicit futura, illa eueniant: quòd Dominus hoc permittat, quo nos probet, an timeamus Deum. Ita dubium non eſt, quin diabolus per ſuos Pſeudoprophetas multa futura prædicet, quæ etiam reapſe contingant: quanquam in multis etiam ipſi quoque fallantur & fallant. Apud Ieſaiam 41. docemur, ſolius Dei eſſe, prædicere quæ futura ſunt. Sic etiam ait, *Dicite nobis, quæ ventura ſunt: Et ſciemus vos Deos eſſe.* Reſpond. præuidere & ideò prædicere futura, quatenus futura ſunt: & ex ſe & per ſe hæc prænoſſe, ſolius Dei eſt: ſed hæc prænoſſe, vel in ſuis cauſſis, vt Philoſophi, Aſtrologi, Medici multa prænoſcunt futura: vel ex alieni ſpiritus afflatu, vt Prophetæ ex ſpiritu Dei, & Pythones aliique magi ex ſpiritu diaboli, commune eſt etiam creaturis. Proinde argumentum ad probandam Chriſti Deitatem ex prænotione & prædictione rerum futurarum deductum, firmum eſt: quoniam ea quatenus futura, & ex proprio ſuo ſpiritu prænoſcebat. *Si enim, vt Petrus ait, Prophetæ præuidebant & prædicebant futura, ex ſpiritu Chriſti, qui in ipſis erat: Chriſtus igitur ex hoc eodem ſuo proprio ſpiritu præuidebat & præuidet: itaque verus eſt Deus.*

Notandum igitur (antequam Theſin proponam & confirmem) notandum, inquam, eſt, pro ipſius Theſeos explicatione, futura bifariam cognoſci poſſe: aut in ſe ipſis: aut in ſuis ipſorum cauſſis, vt alibi quoque dictum eſt. In ſe ipſis dicuntur cognoſci, cùm perinde certò præuidentur, quæ nondum ſunt, atque ſi iam præſentia, & in conſpectu poſita viderentur. Atque hoc etiam fit bifariam: nimirum, aut cùm, qui ea præuidet, præuidet ex ſe, ſuóque proprio ſpiritu: (hoc modo ſolus Deus prænouit futura:) Aut cùm qui præuidet, non ex ſuo proprio, ſed ex afflatu alieni ſpiritus, nempe huius diuini præuidet. Sic prophetæ præuidebant multa, & prædicebant futura. In ipſorum verò cauſſis præcognoſci dicuntur res futuræ, cùm ex inſpectione cognitionéque præſentium cauſſarum, colligitur, tales inde futuros effectus. Id quod etiam fit non vno ſemper modo: ſed prout ſe habent cauſæ ad effecta, & effecta ſunt in cauſis. Tribus autem modis effecta ſunt in ſuis cauſis, & ab illis proficiſcuntur: quædam ex neceſſitate, quia cauſæ tales, talia ſemper ſine vllo impedimento, producunt effecta. Hæc certè futura effecta ex talibus cauſis neceſſariis prænoſci certò poſſunt, etiam ab hominibus: vt eclipſis Lunæ & Solis: & alia multa ab Aſtrologis: Febres & alij morbi à Medicis, & multa alia ab aliis. De iis dubium non eſt, quin multò magis prænoſcantur à diabolis, quàm ab hominibus: quò etiam meliùs talium effectuum cauſæ cognoſcuntur à diabolis, quàm ab hominibus. Quædam verò proueniunt à ſuis cauſis, non quidem ex neceſſitate, ſed contingenter: Veruntamen vt in pluribus, ſeu vt Græci dicunt, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Sunt enim effecta in his ſuis cauſis non ſimpliciter δυνάμει, quòd poſſint fieri & non fieri: ſed etiam quodam modo ἐνεργείᾳ ſuarum cauſarum quæ licèt poſſint impediri, ne talia producant effecta: tamen ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον impediri non ſolent: vt quòd ex iacto in terram ſemine, ortiturum ſit frumentum: & quòd ex conſortio impiorũ, alij homines fiant impij. Talia effecta præuideri poſſunt ab hominibus in ipſorum cauſis: non quidem ita certò, ſicut primi generis effecta: ſed probabili admodum coniectura, quæ rarò fallere ſolet ac poteſt. Multò autem certiùs hæc præuideri poſſunt ab Angelis, & à diabolis: quò etiam meliùs norunt, tum vim cauſſarum, vnde proueniunt: tum etiam an aliqua immineant impedimenta, quibus effecta talia impediri queant, necne.

Denique quædam ſunt, quæ ita contingenter à ſuis cauſſis proueniunt: vt ex æquo tam fieri poſſint, quàm non fieri. Sunt autem hæc effecta in cauſis ſimplici δυνάμει: Et ideò propriè contingentia ad vtrumlibet, hoc eſt, ad eſſe & non Eſſe, appellantur, ſuapte ſcilicet natura: vt quòd Iudas proditurus eſſet Chriſtum: hoc certè niſi ex Dei omnium rerum cuiuſuis generis futurarũ inſpectoris, reuelatione præcognoſci à nullo potuit, vel homine, vel etiam Angelo: præcognoſci, inquam, iſta non poſſunt, neque certo, & determinatè; neque valde probabili coniectura, ſed aut ex Dei tantùm reuelatione: aut ex coniecturis, ſed valde imbecillis & infirmis. Quia verò diaboli valent longo rerum vſu, & diuturna experientia: idcirco certiùs etiam de iis aliquid coniicere poſſunt, quàm vlli homines. Ita apparet, quæ poſſint certo præuidere, & prædicere, & quæ non poſſint diaboli. Illud præterea notandum eſt, cognitionem hanc, qua effecta in ſuis ipſorum cauſſis præcognoſcuntur: nõ eſſe propriè futurorum cognitionem, ſed præſentium. Cùm enim vides, ex cauſſa, temperamentum cœli, & ſuo ſolem tempore oriri, & ſuo viciſſim pluuiam agros irrigare, & inde colliges, futuram bonam meſſem atque vindemiam: quid hic propriè cognoſcis niſi præſentem cauſæ ad ſuum effectum proferendum, diſpoſitionem? Hoc propriè noſti, non autem futuram vel meſſem, vel vindemiam. Itaque cognitio propriè futurorum ſimpliciter, quatenus futura ſunt, ſolius Dei eſt: ſed quatenus in ſuis ſunt cauſis, permulta à dæmonibus, quanquam non eodem modo, prænoſcuntur: cùm alia certò, alia verò cum dubitatione, per probabiles coniecturas præcognoſcant: aut etiam nonnulla ex ſuperiore reuelatione. Nunc Theſin propono & confirmo: Eſt enim ex iis, quæ diximus, ſatis explicata.

THESIS.

II. Futura, quatenus futura ſunt, à ſolo Deo propriè noſcuntur: quatenus autem in ſuis continentur cauſſis, neque omnia, neque eodem modo: ſed multa certò, alia verò probabiliter à diabolis præcognoſcuntur. Et permulta etiam mendaciter, ad hominum ſeductionem prædicuntur.

MVltæ ſunt rationes, quibus demonſtrat Auguſtin. lib. de Diuinatione dæmonum, prædici poſſe & ſolere à dæmonibus res futuras: quæ etiam recitantur, & vtcunque explicantur in Decr. C. 26. quæſt. 3. & 4. 1. Vna eſt, quoniam multa norunt in ipſorum cauſſis, vel certò, vel probabiliter, ſicut iam dictum eſt: Mirum igitur non eſt, quòd multa prædicant per ſuos miniſtros futura, quæ certò eueniant. Diligentiſſimè enim obſeruant cauſas naturales, & earum effecta. Cùm verò etiam accedat tam longa & perpetua experientia, qua norunt: quid ſolitum fit ex tali cauſſarum diſpoſitione prouenire, & quid non ſolitum fit: facilè poſſunt de omnibus iiſce rebus aliquid certi pronunciare. Itaque vaticinia ſæpe colligunt ex iis, quæ in cauſſis naturalibus, bene ad aliquod effectum diſpoſitis & præparatis, præuident. Huc pertinent, quæ ſcribit Auguſtinus de diui. Dæmonum ca 5. *Aliquando quæ naturalibus ſignis futura prænoſcũt, quæ ſigna in hominum ſenſus venire non poſſunt, ante prædicunt. Aliquando enim in aëris affectione ſibi notas, nobis ignotas, futuras præuidet dæmon tempeſtates.*

2. Deinde multa etiam ſciunt prædicta fuiſſe à Prophetis ex Spiritu Dei. Ipſi itaque diaboli illa aliquando arripiunt, præſertim cùm iam tempus inſtare vident, quo illa adimplenda ſunt oracula, & ſuis prædicunt: quo videantur nihil ignorare, & ita fidem ſibi in falſis etiam, & mendaciis apud ſuos concilient. Exempla quædam adfert Auguſtinus, è ſacris literis. Prædixerant longè ante Chriſti aduentum Prophetæ futurum vt poſt aduentum Meſſiæ, euerterentur templa dæmonum, & illorum cultus ceſſaret, & cederent Chriſto. Norant certè hæc dæmones, interim nihil ſignificarunt ſuis cultoribus, donec aduentaret tempus, quo vaticinia illa Prophetica erant implenda. At vbi viderunt omnino cedendum eſſe, dæmon Serapis prædixit hoc idem ſuis cultoribus, quaſi ex ſe iſta præuiderit: quò ſe verum eſſe Deum, ſuis perſuaderet.

3. Tertiò, multa etiam tertij generis effecta, de quibus ſuprà, nempè, quæ propriè *contingentia* vocantur: etſi non præuident dæmones certò futura (eſt enim hoc ſolius Dei) tamen cùm alicubi, vel iam diſpoſita & parata ſunt, vt fiant, vel iam incipiunt fieri: ea citiùs ipſi dæmones, quàm alij vident, & obſeruant: idque propter aciem ſuorum ſenſuum, quibus omnium hominum ſenſus ſuperant: Deinde verò propter celeritatem motus & agilitatem ſuorum aëreorum ſubtiliſſimorúmque corporum, quibus breuiſſimo tempore, & vno ferè momento, magna locorum ſpatia pertran-

pertranſeunt, quæ vno in loco citiùs, quàm alij obſeruarunt, ea dictum factum, alibi alicui annunciant quaſi futura: cùm tamen iam vel facta ſint, vel cœpta ſint fieri: & per hunc tanquam vatem aliis prædicunt: Quæ cùm poſteà homines audiunt contigiſſe, putant verè ab illis diabolis, diabolicíſque Prophetis, Pythonibus, Magis præuiſa fuiſſe: atque ita eos tanquam Deos colunt. Ita videntur prædicere quaſi futura, quæ tantùm iam facta narrant & ſignificant.

Mirum autem non eſt, hæc à diabolis tam citò & obſeruari vno in loco, & in alio procul non diſſito acturum ſignificari. *Eſt enim ea natura dæmonum* (vt verbis Auguſtini vtar) *vt aërei corporis ſenſu, terrenorum corporum ſenſum facilè præcedant. Celeritate etiam propter eiuſdem aërei corporis ſuperiorem nobilitatem, non ſolùm curſus quorumlibet hominum, vel ferarum: verùm etiam volatus auium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus, quantum ad aëreum corpus attinet, præditi, hoc eſt, acrimonia ſenſus, & celeritate motus, multò ante cognita prænunciant, vel nunciant: quæ homines pro ſenſus terreni tarditate mirantur.* Hæc omnia Auguſtini verba ſunt.

4 Quartò, *acceſſit dæmonibus* (vt idem Auguſtinus ait) *per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia, quàm poteſt hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Inde fit, vt ex obſeruatione quarundam externarum actionum, motuum, geſtuum alicuius, facilè diuinare poſſint, quid ille cogitet, quid moliatur, quid facturus ſit: propterea quòd norunt longa experientia & vſu omnes ferè, in quibus ſimilia ſigna motus & geſtus antea obſeruarant, talia demum effecta admiſiſſe ac perfeciſſe. Itaque in iis etiam prædicendis raro falluntur.*

5. Quintò, plerumque etiam prædicunt quaſi futura à Deo, vel ab illis, quæ ipſi facturi ſunt, vt inquit Auguſtinus, vel etiam, quæ ſunt curaturi, vt ab aliis fiant. Permittit enim illis nonnunquam Deus, vt inficiant, alterent, conturbent aërem, & excitent ventos vehementiſſimos, quibus conuelluntur arbores & domus: Item vt infecto aëre peſtilentiam immittant alicui vrbi: Item, vt agitent aquas, maréque, & tempeſtatem cieant, quâ naues ſubmergantur: Item, vt inficiant terram, fruges, cibos, & alia agant mirabilia: Permittit item, vt ad iram excitent homines, & eos committant inter ſe, & aliis perſuadeant diſſidia, lites, furta, cædes, & ad hæc illos inflammet, atque ita bella in Mundo excitentur, aliáque multa mala perpetrentur. Antequam verò hæc, quæ ipſi ex permiſſu Dei facturi ſunt, fiant, ea prædicunt ſuis vatibus, Pythonibus, Magis. Et per hos aliis hominibus, vt poſteaquam hæc omnia contigerint, homines mirentur & ſuſpiciant hos impios & diabolicos Prophetas: ac proinde iis etiam fidem adhibeant aliis in rebus, quas de religione & cultu idololatrico proponunt & ſuadent.

6. Poſtremò tamen etiam prædicere audent iſti impoſtores ea, quæ omnino ignorant, & de quibus nihil habeant certi: ita vt non ſolùm fallant alios, ſed etiam ipſi fallantur. Hoc verò tum maximè audent facere: Primùm, cùm vident adferri poſſe aliqua impedimenta, quibus, quòd res prædicta non ſuccedat, imputari facilè poſſit. Deinde cùm conſuluntur à ſuis impiis cultoribus de aliqua re, vt de ſuſcipiendo bello, ſintne victoriam reportaturi, necne: atque ita de aliis rebus. Etſi enim euentum ignorant Dæmones; audent tamen eum prædicere & permittere: Sed ita ſua attemperant verba, vt quocunque res cadat, ipſi nullo modo videri poſſint falſum prædixiſſe: Vt cùm Pyrrho in Delphis oraculum petenti, reſpondit dæmon: *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.* Et horum ambiguorum oraculorum pleni ſunt libri profani. Profectò ſi certò nouiſſent euentus, talia ambigua oracula non dediſſent. Prophetæ Dei certa & perſpicua habent vaticinia: quia certò norant ex ſpiritu Chriſti, qui in illis loquebatur. At vates dæmonum ambiguè loquuntur, quia ignorant quid futurum ſit: Et ideò vt fallant, ipſi verò non videantur falſi fuiſſe, ambigua dant reſponſa, quæ in vtramlibet partem intelligi queant. Iſti ſunt modi quibus dæmones futura aut prænoſcunt, aut prænoſcere ſe ſimulant, & ideò prædicunt. Etſi verò non ſemper ipſi falluntur, ſemper tamen eò ſua dirigunt vaticinia, vt fallant, & homines ad ipſorum honorem & cultum alliciant. Quare nunquam audiendi ſunt, etiamſi vera prædicant ſæpenumero: quoniam ipſorum finis eſt vt nos ad ſequendum Deos alienos, ſicut loquitur Dominus, pelliciant & pertrahant.

At nónne Sibyllæ, quarum oracula multa habemus apud Lactantium & Iuſtinum, multa præclara, eáque certiſſima prædixerunt de Chriſto, déque aliis rebus ad ſalutem hominum pertinentibus? Omnino. Vnde verò illa, & in quem finem fuerunt dicta? Tametſi infideles & idololatræ illæ fuerunt: quæ tamen vera de iiſce rebus prædixerunt, ea non niſi ex afflatu diuino prædixerunt, & vera fuerunt diuináque oracula; Sicut etiam fuit *oraculum Bileami, & Prophetia Caiaphæ Pontificis, qui* (vt Iohannes ait) *prophetauit, cùm eſſet Pontifex illius anni*, quamuis ipſe non intellexerit, quid diceret.

Idcirco talia vaticinia audienda & retinenda ſunt: non tanquam à talibus hominibus dicta, ſed quia conſentanea ſunt cum vaticiniis noſtrorum Prophetarum. Finis autem Dei in huiuſcemodi vaticiniis per impios homines prolatis, vt poſtmodum Gentes, quæ Chriſto credere nollent, ſuorũ hominum teſtimoniis conuincerentur, & ita inexcuſabiles redderentur. Nam in hunc finem videmus hæc à Iuſtino, & Clemente Alexandrino, à Lactantio, Euſebio, & aliis piis Patribus dicta illa Sibyllina citari. Itaque oracula iſta, quia conſentanea ſunt cum oraculis Prophetarum Dei, reiicienda non ſunt: non autem quatenus ab illis impiis hominibus prolata fuerunt, audiẽda ſunt. Nam (vt ſuprà dictum eſt) ſæpè etiam diabolus arripuit oracula noſtrorum Prophetarum: & ea, quamuis aliis verbis, tanquàm ſua iactauit, & per ſuas etiam Sibyllas & alios impios homines ſcripta reliquit. In quem verò finem? Vt veritate horum oraculorum, fidem poſtea conciliarent ſuis mendaciis & doctrinis impiis de colendis idolis, &c.

Quænam dici poſſint Dæmonum Diuinationes.

III. Ex iis porrò, quæ dicta ſunt, colligere facilè poſſumus, quænam propriè dicantur dæmonum Diuinationes. Neque enim omnia, quæ prædixerunt dæmones, *Diuinationes* appellari poſſunt *dæmonum*. Principio enim non omnium rerum præſenſio & prædictio, Diuinatio dici poteſt: ſed earum duntaxat (vt etiam Cicero obſeruauit) quæ fortuitæ putantur, hoc eſt, earum rerum, quæ propriè contingentes vocantur: ac proinde quæ prænoſci ab vlla creatura non poſſunt, neque in ſe ipſis, cùm nondum ſint: neque in ſuis cauſſis, cùm facilè mutari poſſint & impediri, eóque ipſarum effecta ad vtrumlibet, ad eſſe & non eſſe contingentia ſint. In ſe ipſis autem à ſolo Deo videntur, vel ab hominibus ex afflatu ſpiritus Dei. Vnde etiam fit, vt talium prænotio & prædictio *Diuinatio* appelletur: quia ſcilicet, qui hæc prædicunt, aut verè ex Spiritu Dei diuino prædicunt, vt noſtri Prophetæ: aut iactant ſe ex diuino ſpiritu prædicere, vt dæmones & ipſorum vates: quanquam verè in malam partem accipitur nomen *Diuinationis*: cùm ſcilicet quis, quod proprium Dei eſt, ſibi vſurpat, iactans ſpiritum diuinum, ex quo prædicat, quæ prædicit. Eſt igitur propriè Diuinatio, rerum futurarum verè contingentium ſimulata præſenſio atque prædictio, quaſi ex ſpiritu diuino facta, cùm facta non ſit. Et quia omnis mendacij parens eſt diabolus: ideò omnes tales Diuinationes, *dæmonum diuinationes* meritò appellari poſſunt & debent.

Si quid igitur prædicunt, quòd certò norunt, aut in cauſſis ſuis, aut quia à veris Prophetis priùs prædictum fuerat, Diuinatio non eſt. Si quid item prædicunt, quod ipſi facturi ſunt, Diuinatio non eſt. Item, ſi quæ alicubi priùs viderunt incœpiſſe fieri, ea poſtea alibi ſtatim, quaſi futura ſignificant, Diuinatio non eſt. Quare Diuinatio propriè tantùm appellatur, cùm quæ ſolius Dei eſt noſſe: ea ipſi, ſe aut Deos eſſe, aut ex ſpiritu diuino loqui, eóque certa & ſibi perſpicua ſignificare ſimulantes: hominibus ad fallendum prædicunt. Hæc eſt vera dæmonum Diuinatio: eóque plena non ſolùm mendaciorum, ſed etiam ſacrilegij & blaſphemiæ: cum falſo ſibi vſurpent, quod ſolius eſt Dei. Idcircò eas deteſtatur Dominus, & lege ſua cauit, *ne illas quæramus aut audiamus.*

IV. Sũt autem huiuſcemodi Diuinationum ſpecies multæ, quas ſingulas enumerare non conſtitui, ſed præcipuas tantùm quæ in ſcripturis leguntur. Vna eſt, *quæ fit per obſeruationem Augurriorum*, de qua Deuter. 18. Secunda, quæ fit *per obſeruationem ſomniorum*, de qua Leuit. 19. Tertia, *quæ fit per ſortilegia*: de Deuter. 18. Quarta, *quæ fit per Pythones afflatos ſpiritu diaboli*, de qua Leuit. 20. Deuter. 16. & alibi. Quinta, *quæ fit per fictas apparitiones ac locutiones demortuorum*, de qua Deuter. 18. Et 1. Samuel. 28. Ideò Dominus prohibet, ne mortuos conſulamus. Tunc enim dæmones apparent in forma illius demortui, quem conſulimus, & fallunt nos: Sicut contigit Sauli, 1. Sam. 28. Ad has referuntur reliquæ omnes, quarum etiam omnium autores ſunt dæmones: eóque omnes ſunt Diuinationes dæmonum. Verùm de iis non diſſero in præſentia. Satis eſt vidiſſe, cùm Deus è cœleſti luce in has tenebras detruſerit, eóque & excæcarit dæmones propter ſuum peccatum: quantum tamen illis reliquerit cognitionis, cum aliarum rerum, tum etiam futurarum: Et quænam rerum futurarum prædictiones appellari poſſint Diuinationes.

AN COGITATIONES CORDIVM NOSTRORVM COGNOSCERE POSSINT: Et quonam modo.

CAPVT IX.

DE hac etiam quęſtione idem Auguſtinus, in eodem lib. de Diuinatione dæmonũ quædam ſcripta reliquit, quæ, quamuis poſtea in Retract. lib. 2. c. 30. retractaſſe viſus eſt multis, reuera tamen non retractauit: ſed tantùm quędam, quæ aſſeuerauerat, ea docet non ita eſſe firma, vt res aliter ſe habere nequeat. Referam primo loco verba Auguſtini, quæ certè damnari non poſſunt: imo vera eſſe nemo non videt, ſi rectè intelligantur: *Aliquando & hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm ſigna quædam ex animo exprimuntur corpore tota facilitate perdiſcunt: Atque hinc etiam multa futura prænunciant: aliis videlicet mira, qui iſta diſpoſita non nouerunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, vt ab hominibus quoque aliquid forinſecus agnoſcatur, quod intrinſecus agitur. Ita non debet eſſe incredibile, ſi etiam leuiores cogitationes dant aliqua ſigna per corpus, quæ obtruſo ſenſu hominum cognoſci non poſſunt, acuto autem Dæmonum poſſunt.* Hæc ibi Auguſtinus. Quibus in verbis quid reprehendere poſſit, non video. Nihil enim dicit, quod poſſibile non ſit, aut quod non ſit admodum probabile. Deinde adiecit moderationem, dicendo: *Non debet eſſe incredibile*, &c. Fuit tamen ita modeſtus Auguſtinus, vt in Retract. de hoc loco ita ſcripſerit: *Rem dixi occultiſſimam audaciori aſſertione, quàm debui: Nam peruenire iſta ad notitiam Dæmonum per nonnulla etiam experimenta, compertum eſt. Sed vtrum quædam ſigna dentur ex corpore cogitantium, illis ſenſibilia, nos autem latentia, an alia vi ſpirituali iſta cognoſcant: aut difficillimè poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inueniri.* Hęc ibi. Apertè confirmat Auguſtinus primum prioris ſententiæ membrum: multas cogitationes noſtras, licet voce, aut ſcripto, aut nutu non expreſſas, notas eſſe diabolis: Sed de modo tantùm, quẽ aſſeuerat; nimirũ has innoteſcere diabolis per ſigna animi in corpore expreſſa, ait definiri non poſſe: cùm etiã aliis modis magis ſpiritualibus cognoſcere eas Dæmones poſſint, quàm per hæc corporis ſigna. Interim non negat hoc etiã fieri poſſe. Quare ſententiam priorem non reuocauit, ſed vni modo, quem explicarat, alios quoque poſſibiles modos adiecit. Huic tamen ſententiæ aduerſari videntur ſacræ literæ.

Iere. 17. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: Et quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans renes & corda* 1. Corin. 2. *Nemo nouit quæ ſunt hominis*, &c. Et de Eccleſiaſt. dogmatibus c. 81. Internas animæ cogitationes diabolum non videre, certi ſumus. Interim tamen ibidem ſubditur: ſed motibus eas corporis ab illo, & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus. Quæ verba conſentanea ſunt cum illis, quæ Auguſtinus habet, in libro de Diuinatione dæmonum. Pro conciliatione & explicatione eſto hæc Theſis.

THESIS.

Dæmones nullas hominis cogitationes certò & per ſe cognoſcere poſſunt: ſed multas per externa ſigna & probabiliter percipere valent.

PRincipio illud firmum manet, hominis cogitationes, etiamſi voce aut ſcripto, aut nutu non ſignificentur, intelligi tamen ab alio poſſe. Sed hoc bifariam fieri poteſt: aut per ſe & in ſe ipſis, quemadmodum qui cogitat, is ſuas cogitationes in ſe ipſis & per ſe cognoſcit: ac de hoc modo loquitur Apoſtolus 1. Corin. 2. *Nemo nouit, quæ ſunt hominis*, &c. Et Ier. 17. *Prauum eſt*, &c. Itaque hoc modo & ſolus ille, cuius ſunt cogitationes, & ſolus Deus, qui ſcrutatur corda, tales nouerunt cogitationes: Atque hæc cognitio certiſſima eſt. Aut alienæ cogitationes cognoſcuntur per externa & corporalia ſigna, in vultu præſertim, ex interna paſſione & affectione impreſſa, quę paſſio, quò fuerit vehementior, eò etiam efficacius ſeſe per ſigna externa prodit. Certè, qui timore percelluntur, mox palleſcunt: & qui verecundia ſuffunduntur, erubeſcunt: Vt etiã Ariſtoteles in Ethicis docuit: & experientia confirmat. Si enim in aliquem, qui vel furtum, vel aliquod aliud crimen admiſerit, iudex aut is, cui erepta eſt pecunia, intuitis oculis intueatur: ille ſtatim expalleſcet: niſi iam fortè opera Satanę omnẽ amiſerit conſcientiã: quanquam difficilè tũc etiã celabit delictũ. Medici etiã internas animi affectiones, vti eſt amor, ex pulſu ſæpe percipiunt. Sicut in hiſtoriis contigiſſe non ſemel legimus. Si autem per hæc externa ſigna cognoſcere homines poſſunt internas animi affectiones & cogitationes, quantò magis Angeli, tam mali, quàm boni, qui perſpicacius obſeruare externa ſigna omnia poſſunt, quàm nos: Atque hoc eſt, quòd voluit Auguſtinus in lib. de Diuinat. dæmonum.

Cæterùm hæc cognitio probabilis tantùm eſt, non autem ita certa atque illa eſt, qua ipſaſmet cogitationes per ſe Deus videt: aut etiam ille, cuius ſunt cogitationes. Quidam ſic conciliant: In cogitationibus noſtris duo conſiderari poſſe, ipſam videlicet ſpeciem rei, de qua cogitauimus, quę *phãtaſma* etiam vocatur: Et ipſum talis ſpeciei vſum, hoc eſt, *actualem cogitationem*. Ad ſpeciem quod attinet, aiunt eam à diabolis videri poſſe. Sunt enim tales ſpecies phantaſmata quædam in phantaſia impreſſa: in phantaſiam autem penetrant Dæmonia, vt poſtea oſtendemus. Sed quod attinet ad vſum, actualem ſcilicet cognitionem, aiunt, ſoli Deo hanc eſſe perſpectam, & ei qui actu cogitat. Et quia cogitatio non eſt propriè ſpecies intelligibilis, ſed actio intelligendi: idcirco aiunt rectè dici, *hominum cogitationes à diabolis cognoſci non poſſe.*

Cæterùm per externa ſigna, multas noſtras cogitationes cognoſci, extra controuerſiam eſt apud omnes vel mediocriter doctos. Habeo itaque perſuaſum, multa ab animo cùm leuiter etiam afficitur, vel odio, vel concupiſcentia, vel alio affectu exprimi in corpore humano harum paſſionum & cogitationum ſigna: quæ licèt ab hominibus videri nequeãt: à diabolis tamen obſeruantur attentè. Atque ita ſentio, multos noſtros affectus & cogitationes, notas fieri diabolis, quibus cognitis, nos vehementiùs illi adoriuntur: & vt quę cogitauimus, & ea etiam perficiamus, executioniſque mandemus, adhortantur & extimulant. Hinc apparet, quanta diligentia & cautione opus ſit Chriſtiano homini, ne ſe ſinat à diabolo tentari. Dormiendum certè tunc non eſt, quando hoſtes noſtri nobis inſidiantur, aſtuti ſunt & ſagaces, noruntque omnia noſtra conſilia, quæ aduerſus illos meditamur: Quantò minùs ſecuri eſſe debemus in hac pugna contra Satanam omnium aſtutiſſimum & ſcientiſſimum? Ideò Petrus: *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus circumit, quærens quem deuoret*, &c.

DE VI ET POTENTIA DÆMONVM.

CAPVT X.

VIDIMVS, quo pacto Deus variis modis vltus ſit peccatum & apoſtaſiam dæmonum. Ac primùm, quomodo eiecti ſint è cœlo, & in haſce aëreas tenebras detruſi: detrudendi etiam in maiores, & in locum, qui in ſcripturis *abyſſus, tartarus*, ἄδης atque *infernus* appellatur: imò & tenebræ exteriores. Deinde diximus de ſpirituali pœna, hoc eſt, de extrema malitia & immunditia, qua tota illorum natura infecta eſt. Facti ſunt enim extremè mali & immundi ſpiritus. Ad hæc de pœna in voluntate: quo pacto ita pertinaces facti ſint in malo, vt reſipiſcere non poſſint ampliùs, nec ſeruari. Præterea de pœna in intellectu: quomodo ſint excæcati, vt neque eam omnem, neque earum rerum omnium teneant cognitionem, quam ante peccatum habuerint. Interim tamen noluiſſe Deum certis de cauſis, vt omni prorſus cognitione deſtituerentur: ac proinde magna etiamnum & multarum rerum cognitione præditos eſſe: quanquam tota ipſis ad maiorem cedit pœnam & condemnationem. Ita vidimus, tantam adhuc eſſe facultatem in eis cognoſcendi: vt multis etiã modis futura prænoſcere poſſint: eòque de Diuinatione dæmonum nonnulla diximus. Poſtremò vidimus, an etiam cogitationes noſtras, & qua ratione cognoſcere queant.

Nunc itaque methodus poſtulat, vt videamus de ipſorum vi & potentia in res creatas: An etiam in hac parte aliquid paſſi ſint & patiantur: hoc eſt, an etiam illorum vires ſint imminutæ, & quantum adhuc potentiæ retineant. Certum eſt enim in vniuerſum, & in genere, hac etiam in parte illos punitos fuiſſe, vt non poſſint quicquid poterant, cùm boni eſſent, nec etiam quicquid nunc velint: id quod ſignificatur à Spiritu ſancto in ſacris literis, cùm ſcribit, *eos eſſe catenis vinctos.* Item cùm legimus in Iobo: *Satanam petiiſſe à Deo facultatem inuadendi Iobum*: Item, *pugnaſſe quidem cum Angelis bonis, ſed expugnatos fuiſſe*: imò etiam à fidelibus hominibus ita poſſe illis reſiſti, vt ſuperentur: Et alia id genus multa: quibus vires diaboli infirmatas fuiſſe demonſtratur. Ac væ nobis, niſi potentia dæmonum infirmata eſſet, & à Domino comprimeretur & compeſceretur. Nihil non agunt contra maieſtatem & gloriam Dei; ſed nihil poſſunt contra Dominum. Extra controuerſiam quoque eſt, Illis

nullam

nullam eſſe vim in ſanctos Angelos, neque in beatos hominum animos relictam. Sed interim multa adhuc illis potentia manet in reliquas res creatas, quæ infra cœlos ſunt, in corpora & in animas.

. De hac itaque nunc diſſerendum eſt: ac primùm de vi in corpora, cùm alia & omnium animalium, tum etiam noſtra: Deinde de vi in animas noſtras, &c.

THESIS.

II. Tanta adhuc potentia eſt Cacodæmonum, in omnia, tum noſtra, tum aliena infra cœlos, corpora: vt ea, quocunque velint, mouere, alterare, transformare, quouis morborum & malorum genere afficere, imò & in ipſa penetrare & ſeuire, ſi auctoritas a Deo illis permittatur, omnino poſſint.

QVod diſcrimen ſit inter *auctoritatem* ſeu *poteſtatem* quã Greci ἐξουσίαν: & inter *potentiam* ſeu *vim*, quam iidem δύναμιν vocant, à nobis ſæpe dictũ eſt & nemo neſcit. Non immerito igitur damus, magnã Diaboli potẽtiam & δύναμιν in omnia corpora. Verũ negamus illis eſſe in hæc abſolutam auctoritatem: ſed eam tantùm, quæ ipſis à Deo, cùm vult, permittitur: quemadmodum in hiſtoria Iobi, & alibi manifeſtum eſt. Inde fit, vt quæ alioqui ſua natura poſſunt, ea præſtare re ipſa nequeant, quia Dei manu retinentur & compeſcuntur, ne quod alioqui etiam vellent & poſſent, efficiant: & ideo *vincti eſſe dicuntur.* Cùm verò permittuntur agere aliquid pro ſua libidine, *dicuntur ſoluti eſſe*, vt habemus in Apocalypſi de ſoluto Satana. Deinde ipſorum potentiam in corpora, ad ea tantùm corpora extendimus, quæ ſunt infra cœlos. Ratio eſt, quoniam de Philoſophorum omnium quoque ſententia, inferior ſubſtantia ſeu cauſſa, vim non habet in ſuperiora ſe, ſed tantùm inferiora: Et ideirco aiunt, ſpiritualẽ ſubſtantiam, hoc eſt, Angelum qui mouet cœlum Saturni, non poſſe mouere cœlum ſtellatum: Neque qui cœlum Lunę, ab eo orbem Solis moueri poſſe. Conſtitutus eſt enim hic ordo in Mũdo à Deo, vt ſuperiora poſſint in inferiora: non autem contrà. Cùm autem dæmones omnes mali eiecti ſint è cœlo in hunc aërem infra orbem Lunarem: inde fit, vt in cęleſtia corpora nullam habeãt vim, ſed tantùm in elementa, & res ex elemẽtis compoſitas. Proinde neque in ſacris literis vllum habemus vel exemplum, vel locum, quo ſignificetur, malos Angelos aliquid egiſſe in corporibus cœleſtibus: quemadmodum infinita ſunt, quæ hoc de potentia ipſorum in inferiora corpora, manifeſtiſſimè docent.

Actiones dæmonum in humana aliáque corpora.

III. Quinque autem actionũ genera in hac Theſi dabimus diabolis, in noſtra & in aliena corpora. Primum, *quod ea poſſint pro arbitrio* (ſi, vt dictum eſt permittantur à Deo) *loco mouere: vt eleuare à terra in ſublime, & inde illa in terram præcipitare, trãsferre ex vna vrbe in aliam, paruo temporis ſpatio: Denique omni localis motus genere ea permouere & agitare, vt nemo eis reſiſtere poſſit.* Proinde quę de maleficis mulieribus & id genus hominibus, qui ſeſe deuouerunt diabolis, dicuntur & leguntur: eos nimirũ aliquando ex vno loco in aliũ eúmque longinquũ duci, mira videri nõ debent. Vehũtur enim à Dęmonibus, quorum ſunt mácipia, ſic Deo permittente, è loco ad locum, mira motus celeritate. Annon Angeli boni transferunt pios in longinquas regiones, prout Deus vult? Hoc certum eſt, vt multa exempla ſacrarum literarum apertè docent. D. Philippo legimus in Actis 8. cap. Poſteaquam Eunuchum inſtituiſſet in fide, & baptizaſſet, eum raptum fuiſſe à ſpiritu Domini, & tranſlatum in Azotum. Talia exempla adferri poſſunt permulta, tum è ſcripturis, tum ex Eccleſiaſticis hiſtoriis & Patribus. Quid mirum igitur, ſi à diabolis transferantur tales malefici & maleficæ, per aërem in longinquas regiones: Et paulò pòſt etiam domum ſuam reducantur?

Alterum actionis genus eſt, *quòd corpora non ſolùm localiter mouere, ſed etiam alterare variis poſſunt modis: ex frigidis calida, & contra ex albis item, nigra: ex formoſis deformia: ex ſanis ægrota, & ex ægrotis ſana efficiendo: variis denique qualitatibus afficiendo.* Sic Deo illis ad maiorem reproborum, & qui nolunt credere veritati, excæcationem permittente. Proinde quod ad præſentiam & cultum idolorum, nonnulli qui male habebant, curentur, idque verè, ita vt re ipſa appareat ex morbo quo laborabant, conualuiſſe, ſicut præter hiſtorias Eccleſiaſticas, multi etiam exemplis apud idolorum cultores demonſtrari à nobis poteſt, mirùm videri non debet. Hæc enim Deus permittit per diabolos fieri, in eum finem quem modò dixi: *vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: Et qui cæcus, excæcetur adhuc magis ac magis.* Neque Satan hæc præſtat, vt benefaciat hominibus, quos in ſummo habet odio; ſed vt corporali vnius curatione, infinitos alios ſpirituali morte trucidet. Habẽt enim potentiã nocendi quouis modo creaturis omnibus, ſi permittãtur à Deo. Hinc illud Apocal. 7. de Angelis, quibus datum fuerat, *vt nocerent terræ & mari, & arboribus*, &c. De hoc alterô actionis genere dubiũ non eſt, quin quouis modo alterare, & variis qualitatibus afficere poſſint corpora, tã noſtra, quàm alia dæmones, ſi, vt dictum eſt, id facere permittantur.

Tertium difficilius eſt ad explicandum: *an ſcilicet poſſint corpora, non tam quoad qualitates, quàm etiam quoad ſubſtantiam tranſmutare: puta corpus hominis in corpus vaccæ aut ſuuant bouis.* Quædam leguntur tum in ſacris literis, tum apud Hiſtoricos & Patres, quibus hoc fieri poſſe à dęmonibus confirmari videtur Geneſeos 16. Vxor Lothi conuerſa fuit in ſtatuam Salis, quod nonnulli volũt factum fuiſſe per Angelos malos, quorum opera Deus vtitur in vlciſcendis peccatis. Exod. 7. Sicut Moſes virgam ſuam virtute diuina conuertit in colubrum: ſic Magi Pharaonis virtute diaboli idem præſtitiſſe leguntur. Iidem eadem virtute, & eodem modo conuerterunt aquas in ſanguinem, & ex aquis eduxerunt ranas, &c.

Auguſtinus etiam tom. 5. de ciuitate Dei, libr. 18. capit. 16. narrat de ſociis Diomedis, eos in volucres fuiſſe conuerſos. Idem cap. 12. refert de Circe, quæ dicitur ſocios Vlyſſis in Beſtias mutaſſe: & de Arcadibus, qui cum ſortè ducti tranſnatabant quoddam ſtagnum, conuertebantur in lupos: Et alia id genus multa leguntur non ſolùm apud Poëtas fabuloſos: ſed etiam apud Hiſtoricos: quæ ſi vera ſunt, cùm hæc fierent virtute dæmonum, quorum illi erant mancipia, hinc euinci videtur, *dæmones hac præditos eſſe potentia, vt corpus vnius ſpeciei, in alterius ſpeciei corpus tranſmutare poſſint.* Ac videntur hæc, exemplo vxoris Lothi, quæ verſa fuit in ſtatuam ſalis: perſimilia eſſe: Auguſtinus tom 3 de Trinitat. lib 3. ait, *dæmonibus ſubeſſe aërem, ignem & alia huiuſmodi corpora, quantum eis permittitur à Deo.* Poſſunt igitur corpora pro ſua libidine, permittente Deo, in alia mutare corpora.

Contrà tamen diſertè ſcribit Auguſtinus de ciuitate Dei, lib. 18. cap. 18. vbi ad illa, quæ retulit ex libris gentilium, reſpondet. Sic, inquam, ſcribit: *Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim dæmonum arte vel poteſtate, in membra vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti.* Quidquod etiam Ariſtoteles 15. Metaphyſic. ſcribit, generationem formarum in materia, non eſſe, niſi à formis, quæ ſunt in materia. Loquitur autem Phyſicè: Nã Angelus non poteſt hominem generare, ac proinde neque hominem in bouem conuertere. Ergo neque dæmones. Atque hanc ſententiam probant etiam Scholaſtici, vt Aquinas Q. D. 1. part. quæſt. 16. artic. 9. Cæterùm, addo quòd nec poſſunt Angeli vel dæmones per ſe, eos id poſſe aut virtute diuina: aut cauſſas talium effectorum proprias, ad talia effecta puta humanum ſemen ad hominis procreationem accommodãdo: At verò per ſe neque generare hominem, neque hominis corpus in alterius animalis corpus, tranſmutare poſſunt: Solius enim Dei hoc eſt.

Quid igitur de iis, quæ videntur factæ fuiſſe metamorphoſes ſeu tranſmutationes ſentiendum fuerit? Auguſtinus loco ſuprà citato ſentit, fuiſſe mera phantaſmata: vel etiam fuerunt ſpectra in aëre à diabolis formata, ſed cum faſcinatione coniuncta. Primum itaq; faſcinant diaboli oculos hominum, vt non videant res præſentes, prout ſe habent, puta hominem pręſentem: Deinde formant in aëre ſpectra & ſpecies aliorum animalium, quæ oculis ſpectantium exhibent. Ita propter faſcinum fit, vt primùm non videamus præſentẽ talem hominem. Deinde verò, vt ſpectrum animalis, pro vero animali habeamus: Tum autem dicimus hominem conuerſum eſſe in lupum, vel auem, &c.

Ad locum Geneſ. 19. Non dubitamus, vxorem Lothi verè in ſtatuam ſalis conuerſam fuiſſe, ad corpus quod attinet. Nam animam migraſſe ad Deũ credimus. Verùm hoc factũ fuiſſe per Angelos malos, non concedimus: cùm ſcriptura hoc non tradat: multò verò minùs per propriam ipſorum potentiam. Scriptura ſimpliciter dicit: *Et ecce vxor Lothi reſpexit retro: & effecta eſt ſtatua ſalis* (diuinâ ſcil. virtute.) Annon Deus ex nihilo cuncta creauit? Poteſt igitur etiam cuncta, & in nihilum, & in alias redigere formas. Nam etiam noſtros cineres conuertet in vera humana corpora: ſicut etiam ex ſpermate corpus hominis format. Ad exempla Magorum facilis eſt reſponſio ex contextu: Ait Moſes. *per incantationes illos iſta feciſſe.* Fuerunt igitur præſtigiæ, quibus faſcinarunt oculos Pharaonis & Ægyptiorum, & illi;

vt par erat, illuſerunt. Quare ranæ Moſis veræ fuerunt ranæ: Et draco, verus draco: At Magorum fictitiæ ranæ & meræ præſtigiæ. Ad exempla ab Auguſtino ex profanis citata, reſpondit idem Auguſtinus, vt modò dixi, eodem libro cap. 18. ea fuiſſe phantaſmata: Speciatim tamen ait ad exemplum de ſociis Diomedis, quia illud narrat tanquam hiſtoriam veram, ſocios Diomedis minimè fuiſſe in aues conuerſos, ſed eis ſubmerſis in mare, dæmones tales aues aliunde vbi erant, ſtatim eò adduxiſſe, vbi ſubmerſi erant ſocij Diomedis: Et ita illis in locum ſociorum Diomedis ſuppoſitis, ludificaſſe homines: Sicut etiam pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia narrant hiſtoriæ, ſuppoſitam fuiſſe ceruam. Inde verò putarunt multi, Iphigeniam in ceruam fuiſſe conuerſam. Ad alia exempla ſociorum Vlyſſis in beſtias: item Arcadum in lupos conuerſorum: Primum non admittit ſimpliciter hæc contigiſſe: fabuloſa fortè fuiſſe. Deinde ſi contigerunt, fuiſſe phantaſmata, non autem veras mutationes. Sed dicere etiam poſſumus fuiſſe ſpectra à diabolis in aëre formata, quæ hominibus obiecta, veri videbantur eſſe lupi. Atque credo, multa hoc modo contigiſſe & contingere. Summa, poteſt Deus ſua omnipotente manu, ſicut cuncta creauit ex nihilo, & in quas voluit formas finxit: Sic etiam omnia tum in nihilum redigere, tum in varias tranſmutare formas, vel per ſe, vel per Angelos ſuos, atque etiam per homines: Sicut vxorem Lothi conuertit in ſtatuam ſalis, vel per ſe, vel fortè per Angelum aliquem: Sicut etiam per Moſen conuertit virgam in Draconem. Verùm hæc poſtea communicata non eſt cuipiam creaturæ, eóque neque dæmoniis: Sed ſi quę ij videntur, aut per ſe, aut per ſuos Magos & maleficos homines, ſimilia effeciſſe, aut efficere, & homines in lupos conuertere: hæc omnia fuerunt & ſunt aut mera phantaſmata & præſtigię, aut ſpectra in aëre formata: aut vera animalia, ſed aliunde eò, vbi fallere dæmones volunt, dictum tranſlata, & in locum talium hominum, inde fortè inuiſibiliter abductorum, ſuppoſita. Atque hæc de tertio actionum genere ſatis.

Quartum eſt, quòd extra nos exiſtentes illi, poſſunt nos & alia etiam animalia, variis malorum, morborum, iniuriarúmque generibus afficere. *Hoc quartum coniungendum cum ſecundo. Sunt enim vnum & idem. Ita quatuor ſunt actiones, motus localis, alteratio qualitatum, tranſmutatio ſubſtantiæ: Et ingreſſus in noſtra corpora.* Hoc ita certum eſt, vt dubitationem nullam habeat. Sunt enim dæmones in omnes, in Deũ, in Angelos bonos, in homines pios, in impios, denique in omne creaturarum genus iniurij: Et omnes conantur variis iniuriis atque malis afficere. Afficiunt autem re ipſa, quàm plurimos, cùm facultas illis ſit à Deo afficiendi: idq; faciunt non vno, ſed multis & variis modis: Et modò per ſe, modò per ſua organa, modò per alias etiam creaturas: tam ſenſus & rationis expertes, quàm intelligentia & voluntate præditas. At quomodo Deum malo vllo afficere ac lædere poteſt? Non poteſt quidem: interim tamen non ceſſat, vel impedire, vel imminuere, vel tollere, quæ ad ipſius gloriam promouendam faciunt: idque per ſe, per tyrannos, per hæreticos, per ſceleroſos homines, per Antichriſtos, per hypocritas. Atque in hunc finem ſeſe transfigurat in Angelum lucis, vt decipere faciliùs poſſit: Ac Deus permittit, vt diabolus hæc poſſit & agat, & ſæpe etiam, vt ſui voti compos fiat. Bonis Angelis inuident, eóſq; oderunt. Et licèt nocere eis non poſſint: poſſunt tamen hominibus perſuadere fabulas eſſe, quæcumque de Angelorum felicitate, officio, protectione, cuſtodia, leguntur ac dicuntur: Et ita illos in contemptum apud nos adducere poſſunt. Quid poteſtatis atque potentiæ habeant in viros probos & electos, docent ſcripturæ exemplis & diſertis verbis. Poſſunt illorum oculis, auribus & aliis ſenſibus multa obiicere, quibus ad varia ſolicitantur peccata: vt Dauidi, Petro, Lotho, ſanctis omnibus contigit. Propenſis enim ad laſciuiam, formoſas fœminas: ad ebrietatem, generoſa ac dulcia vina: ad auaritiam, facultatem furandi & fallendi offerre ſolet: atque ita de aliis, prout quemque ad certa vitia atque peccata propenſum eſſe videt. Poteſt item illos, externa impedimenta obiiciendo, à multis bonis inſtitutis & actionibus impedire, 1. *Theſſ.* 2. Vt de ſe Apoſtolus ait, *ſe impeditum fuiſſe à Satana, quo minus ipſos inuiſerit Theſſalonicenſes:* Poteſt obiectis terriculamentis concutere animos piorũ, vt à fide deſciſcant, & Euangelium deſerant. Ideò Chriſtus ad Petrum, *Ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret*, &c. Poteſt eorum corpora variis afficere calamitatibus, ſicut contigit Iobo. Paulus etiam dicebat, *ſe ab Angelo Satanæ colaphis cædi.* Sed in malos, tanquã in ſua mancipia plus etiã habet poteſtatis: non tã in eorum animos, vt poſtea dicemus, quàm etiã in corpora ſæuiẽdi. Hos enim ducit, quò vult, ſicut ad Epheſios c. 2. docet Apoſtolus. Poteſt mouere vnius manum, qua vim ſibi inferat, alios inter ſe committere: bella in mundo excitare aduerſus Eccleſiam, arma impiis in manum dare: Denique Satan Dominus eſt impiorum, & non ſolùm in animis, ſed in ipſorum etiam corporibus dominatur: Et efficit, vt ſuis obtemperent mandatis. Si verò hanc habet poteſtatem in noſtra corpora, quantò magis in reliquas res externas? Idcircò videmus, facilius fuiſſe Diabolo inuadere bona Iobi, quàm ipſius corpus.

Maxima igitur de potentia Dæmonum in omnium corpora. Et nihil non mali in ea poſſunt, ſi à Deo permittantur. Ideo *Diabolus Princeps Mundi* vocatur, propter hanc ſummam, cùm in alia, tum maximè in impios, potentiam. Et Apoſtolus ad Epheſios vocat *Diabolos Principes & poteſtates, mundi Rectores:* &c. Ideo etiam Petrus ait, *Diabolum circumire inſtar leonis rugientis.* Ita videmus, quanta ſit potentia Dæmonum etiam extra nos exiſtentium.

Reſtat igitur *quintum* actionum genus, cùm videlicet Satan in nos inuadit, vt in noſtra etiam penetret corpora, & illa variè intus etiam afficiat, alium impellendo, vt ſeſe in ignem coniiciat: alium, vt in aquis ſe ſubmergat: alium, vt laqueo ſe ſuſpendat: alium, vt ſuum dilaniet corpus: alium, vt veneno aut gladio ſibi mortem cõſciſcat: Denique vt alij aliis ſeſe malis afficiant. Hæc poſſe, & ſolitos eſſe facere diabolos, docent ſacrę literæ. Quot. n. legimus fuiſſe à Dæmoniis vexatos? Mat. 8. 12. 17. Mar. 9. Lucæ 9. Penetrare in aliena quoque corpora poteſt. Ingreſſus enim in ſerpentem tentauit Euam. Multa etiam Dæmonia in porcorum gregem ingreſſa ſunt: Et eos præcipites dederunt in mare. Sed annon hæc eadem agit Satan in hominibus cùm illos eò adigit, vt ſeſe ſubmergant, gladiis, & verò etiam poculis occidant?

IV. Quòd ſi quiſpiam interroget, quonam modo dæmones in noſtra penetrent & ingrediantur corpora: Virtuténe tantùm actionis: ſicut Sol ſuæ actionis vi, penetrat omnia, an verò ſua ſubſtantia: huic ego reſpondeo, me non videre, cur non, ſubſtantia ſua illos ingredi dicere debeamus. 1. Exempla enim, quæ habemus apud Euangeliſtas, hoc apertè docent. Matthæi 17. Chriſtus ait de ſpiritu immundo, illum aſſumere ſeptem alios peiores ſe, qui omnes ingreſſi in hominem hypocritam, comparatum domui ſcopis purgatæ, habitant ibi. Illa verba *ingredi & habitare*, docent, ſubſtantia ſua diabolos manere in hominibus. Contrà Chriſtus dicebatur eiicere dæmonia ab iis, in quibus habitabant. 2. Deinde effecta confirmant. De quibuſdã enim legimus, qui obſidebantur à dæmonibus: illos ſeſe præcipitaſſe in aquam, in ignem, & variis malis affeciſſe. Indicant hæc, diabolos intus fuiſſe in talibus hominibus, & eos huc & illuc, tanquam agentia interna, non externa agitaſſe. At ſi habent corpuſcula, quomodo intrant? Annon aër corpus eſt? & tamen intrat ſua ſubſtantia in noſtra corpora, ad pulmones vſque & inteſtina? dæmones autem habent corpora aërea, & aëre etiam ſubtiliora & tenuiora. Deinde, vt Tertullianus ait, *dæmones ſua hæc corpora contrahunt, & dilatant, vt volunt: ſicut etiam lumbrici, & alia quædam inſecta. Ita difficile illis non eſt penetrare in noſtra corpora.* Et Auguſtinus ait de Diuinatione dæmonum, cap. 5. illos per illam ſubtilitatem ſuorum corporum, corpora hominum non ſentientium penetrare. Ita videtur quanta ſit dæmonum potentia, in noſtra aliáque corpora omnia, quæ infra Cælos ſunt. Summa hæc eſt: Poſſunt ea mouere loco, quocunque volunt, ſurſum deorſum agitare, huc atque illuc traducere, omniáque miſcere & collidere. Poſſunt ſecundo loco alterare, variiſque afficere qualitatibus, malorum, morborúmque generibus multis. Cum hoc enim ſecundo coniungi poteſt & illud actionum genus quod ſuprà fecimus quartum: vt quatuor tantummodo ſint genera. 3. Tertiò, Etſi verò non poſſunt per ſe corpora, quoad ſubſtantiam tranſmutare è genere in genus, quòd hoc ſolius ſit Dei: id poſſunt tamen virtute diuina, & tanquam Dei inſtrumenta: Sicut etiam opera Moſis, ex virga in colubrum immutanda vſus eſt. Poſſunt denique in noſtra corpora penetrare & ingredi, & intus in nos ſæuire: Ac certum eſt, hæc omnia facturos diabolos, niſi à Deo compeſcerentur. Quare demiror illos, qui negant tales reperiri ſpiritus qui ab effectu ἐφιάλτῃς vocantur: à qua voce, Græca, Italica, noſtra *Foletto* deriuata eſt. Hac. n. voce ſignificamus hos ſpiritus diabolicos, qui familiares ſeſe exhibent hominibus, eóſque, ſed ſine vlla corporis læſione, aggrediuntur, vexant & quaſi cum eis ludunt. Multa exempla afferre poſſem, viuentibus adhuc illis, qui hæc experti in ſe ipſi ſunt: Sed non eſt neceſſe, neque etiam expedit. Inde apparet in aëre tales eſſe ſpiritus: Et cùm Deus permittit, illos ſuam in noſtra corpora exercere potentiam: vel ludendo, vel etiam lædendo.

DE POTENTIA DÆMONVM IN ANIMAS NOSTRAS.

CAPVT XI.

AN etiam poſſint immutare ſenſus noſtros, tum externos, tum internos, vt phantaſiam & intelle-ctum atque etiam voluntatem: diſputatur. Nos ad hanc quæſtionem hac breui reſpondemus Theſi:

THESIS.

Poſſunt Dæmones ſenſus noſtros, tum externos, tum internos, imo etiam quodammodo voluntatem mouere, percellere, immutare.

TRia ſunt membra, vnum de *externis*, alterum, de *internis ſenſibus*, tertium de *voluntate*. Quia verò de iis rebus dictum eſt etiam ſuprà, libr. 13. cùm de potentia Angelorum bonorum in noſtra corpora atque animas diſſereremus: ac multa quæ ibi dicta ſunt, huc etiam pertinent, idcirco breuior hic fuero.

I. Ad primum quod attinet: recepta eſt ſententia, poſſe ſenſus noſtros externos à Dæmonibus percelli, moueri, immutari: ita vt ſæpè ea videamur nobis videre, & ſentire, quę tamē longè aliud ſunt, quàm quod eſſe putamus. Poſſunt enim, (vt dictum eſt) nō ſolùm corpora mouere loco & alterare, ſed noua etiam ſpectra formare, eáque oculis obiicere, ſonos etiam excitare in aëre & in auribus noſtris qui ab hominibus muſicis ediri eſſe videantur, cùm nihil minùs ſint, quàm id, quod eſſe vidētur. Hanc rationem adfert Auguſtinus, Tom. 4. lib 83. Quæſt. *Serpit hoc malum* (inquit) *Dæmonis per omnes aditus ſenſuales: dat ſeſe figuris: accommodat coloribus: adhæret ſonis: odoribus ſe ſubycit: infundit ſaporibus*, &c. Hæc ille. Per huiuſmodi autem obiecta, figuras, colores, ſonos, odores, ſapores, percelluntur externi ſenſus. Idem Auguſtinus tomo 5. De ciuitate Dei (vt antè diximus) ſcribit, illas hominum, vt ſociorum Vlyſſis, & Arcadum mutationes in beſtias, quæ arte Dæmonum factæ fuiſſe dicuntur: non fuiſſe veras mutationes, ſed tantùm phantaſmata, hoc eſt, *ſecundùm apparentiam* (vt loquuntur) duntaxat: non ſecundùm rei veritatem. Poſſunt igitur Dæmones immutare ſenſus, & efficere, vt ea videamur videre, & audire, quæ tamen reuera non audimus, aut videmus: ſed longè diuerſa. Quare de hoc primo membro dubitari non poteſt, nec debet: quoniam, vt etiam Aquinas ait, *euidentibus indiciis & experimentis apparet, operatione Dæmonum, aliqua ſenſibiliter hominibus oſtendi.*

II. Multis autem modis hoc fieri ſolet, primùm quidem, cùm Dæmones aliqua exteriora, eáque vera corpora, à natura formata, & ab ipſis diabolis aliunde tranſlata humanis ſenſibus obiiciūt. Poſſunt enim hoc facere: quia omnia corpora mouere poſſunt loco, vt ſuprà dictum eſt.

Deinde, cùm ipſi ſpectra, & ſpecies corporum non verorum, in aëre formant, eáque ſenſibus obiiciunt, vt videamur videre vera corpora, cùm tamen non ſint: aut ſonos & veram muſicam audire, cùm tamen vera non ſit muſica. Tale eſt, quod D. Hieronymus refert in vita S. Hilarionis: nempe diabolum ſæpè illi ſancto viro exhibuiſſe audiendos infantium vagitus; mulierum planctum, & lamenta; murmur exercitus, & variarum portenta vocum: vt tam ſonitu, quàm aſpectu territus, cederet ex eremo. Omnia tamen erant ſpectra Satanæ. Nudas etiam fœminas illi in lecto decumbenti obiectas fuiſſe narrat. Tertiò, cùm faſcinant oculos ſuis artibus: vt mutata quædam nobis eſſe videantur, cùm minimè ſint mutata. Sicut legimus in vita B. Macarij, parentibus quibuſdam ita faſcinatos fuiſſe oculos arte Dæmonum: vt cùm intuerentur in filiam ſuam, illa ipſis in vaccam mutata fuiſſe videretur: id quod tamen verum non fuiſſe, demonſtrauit Macarius, precibus ad Deum fuſis. Liberati enim parentes faſcino diabolico, conſpexerunt filiam talem eſſe, qualis antea fuerat. Quartò, cùm ipſi ſeſe transfigurant, aſſumptis craſſioribus corporibus corporum quorundam demortuorum ſimilibus: quemadmodum contigit Sauli Regi: cùm videns Dæmonem, videbatur ſibi videre Samuelem. Et huc ſpectat, quod Apoſtolus ait, *Diabolum ſeſe transformare in Angelum lucis*, (hoc eſt, in formam viri & Angeli boni.) & verba facere quaſi diuina. Quintò, cùm organa ſenſuum, puta oculos lædunt, & malè afficiunt, corruptis internis humoribus: vt rectè videre & diſcernere non poſſint. Hoc enim experimur aliquando humores ita in oculis circumfundi, vt aliquis telas aranearum, & filamenta lanarum, ante oculos poſita. & ad accēſas lucernas circulos, neſcio quos, ſe videre exiſtimet: cùm tamen non ita ſe res habeat. Naturaliter hæc accidunt iis, qui tali laborant morbo, quem Medici vocant ὑπόχυμα, *ſuffuſionem*. Experientia item docet, quàm ſæpè ebrioſi homines mirabilia ſibi videre videantur: ita vt tantillum aquæ, in terra profundam eſſe foſſam, arbitrentur: Et contrà magnum ſaxum, tenuem eſſe vmbram putent. Vndenam verò hæc? Ab humore vini ſuperabundante, & oculos circumfundente. Solent itaque etiam Dæmones tales in oculis hominum excitare humores: quibus fit, vt multi putent ſe videre, quæ reuera non vident. Aliquando idem efficiunt mediis quibuſdam inter organa ſenſuum & obiecta corpora, interiectis: quibus fit, vt aliæ res nobis eſſe videantur, quàm ſint. Scimus enim, quantum nos fallāt media inter organum ſenſus & inter ipſum obiectum interpoſita. Annon per ſpeculum, ſeu vitrum viride, inter oculum & libros poſitum, efficitur, vt libri etiam & literæ virides eſſe videantur? Sic igitur etiam Dæmones poſſunt & ſolent aërem intermedium inficere, aliquódve aliud impedimentum inter oculos, aut aures, & inter obiecta ipſa producere: atque ita efficere, vt credas te alia videre & audire, quàm videas aut audias. His atque aliis, quos ignoramus, modis, poſſunt Dæmones & ſolent etiam, ſenſus noſtros externos mouere & immutare: vt putemus, nos videre, ſentire, audire, quæ tamen talia non ſunt, qualia nos eſſe putamus.

III. Ad internos autem ſenſus, quod attinet, veluti eſt phantaſia, ſeu imaginatrix facultas, adde & intellectum: Eſt etiam apud omnes doctos extra controuerſiam, eos quoque poſſe à diabolis mirabilibus modis immutari.

Auguſtinus tomo tertio, de Diuinatione Dęmonum, capite quinto, ita ſcribit hac de re: *Suadent autem miris & inuiſibilibus modis, per illam ſubtilitatem ſuorum corporum, corpora hominum non ſentientium penetrando, ſeſéque cogitationibus eorum, per quædam imaginaria viſa miſcendo, ſiue vigilantium, ſiue dormientium.* Hæc ille. Docet Auguſtinus, Dæmones ſuis ſubtiliſſimis corporibus penetrare in phantaſiam ipſam, quę organum eſt ſenſus interni, & phantaſmata ibi reperta commouere: atque ita varias in ipſo etiam intellectu cogitationes per commota phantaſmata excitare: & quæ volunt, ſuadere. Ita etiam explicat Aquinas in Quæſtionibus diſputatis, 1. part. quæſt. 16. quæ eſt de Dæmonibus, artic. 11. Non enim (inquit Thomas) poteſt Dæmon influere nouas formas in materiam corporalem, ſicut ex prædictis patet: vnde nec per conſequens in ſenſum & imaginationem, in quibus nihil recipitur ſine organo corporali. Vnde relinquitur: vt aliquid præexiſtat in corpore, quod per quandam tranſmutationem localem ſpirituum & humorum, reducitur ad principia ſenſualium organorum: vt ſic videantur ab anima imaginaria vel ſenſuali viſione. Atque huc facit ſententia Philoſophorum, vt Ariſtotelis De ſomno & vigilia, & in libro De inſomniis: Vbi docet, per naturalem humorum in ſomniis commotionem, varios motus in phantaſia excitari: & rerum interdiu auditarum, aut viſarum phantaſmata in ea congregari: atque ita varia inſomnia generari. Eſt autem manifeſtum, poſſe Dæmones varios in nobis humores & ſpiritus commouere. Poſſunt igitur phantaſiam immutare.

Quis etiam ignoret, animæ noſtræ vires, memoriam, intellectum, cogitatricem & imaginatricem facultatem, cæteráſque coniunctas ſæpenumero naturaliter perturbari: ita vt qui hoc modo perturbati ſunt, rectè iudicare nō poſſint, puténtque ſe res mirandas audire aut videre, cùm tamen mirabiliter fallantur? Spectantur certè hæc in iis, qui vel melancholia, vel phreneſi, vel mania laborant: vt notum eſt Medicis: Et vt nos poſſemus multa adferre exempla. Noui Venetiis hominem melancholicum, virum alioqui probum, qui ſimul atque pulſata erat (vt vocant) *Aue Maria veſpertina*: ſtatim quocunque ſe vertebat, dicebat, videre ſerpentes in ſe aperto ore irruentes. Poſſem etiam de iis, quos phreneſi vidi laborare, alia adferre exempla. Quantum quoque poſſit imaginatio, notum eſt: vt tritum ſit prouerbium, *Imaginatio facit caſum*. Hiſtoria eſt de quodam qui imaginatus fuerat ſe habere naſum ita craſſum, & longum, vt non poſſet ex Muſæo egredi: atque ita non egrediebatur, ſed ibi tamdiu manſit, donec tādem mirabili artificio Medicorum fuit illa perſuaſione melancholica liberatus. Auguſtinus refert de ciuitate Dei, li. 18. cap. 18. mirabiles hiſtorias ad hanc pertinentes, quibus luculenter monſtratur, ex turbatis animi viribus, fieri, vt multi videantur ſibi videre mirabilia, quę non ſunt vera. Eſt autem manifeſtum, Dæmones poſſe vires noſtri & animi & corporis turbare & infirmare.

Deinde experimur, multas ſæpe nobis inuitis malas cogitationes in mentem obrepere. Vnde verò hæ cogitationes? Ab aliquo certè agente, eas commouente. Non à nobis: quia inuiti illas patimur. Non ab Angelis bonis, neque à Deo per Angelos bonos: quia cogitationes ſunt, & concupiſcentiæ malę. A diabolis igitur ſunt. Ideo Euangeliſta dicit de Iuda, cùm diabolus miſiſſet in cor eius, vt Ieſum traderet. Et Petrus ad Ananiam ait, *cur Satan impleuit cor tuum, vt mentireris Spiritui ſancto? Act 5.* Sed quomodo implet cor, & immittit iſtas malas cogitationes? Non aliquid noui importando in animam, ſed quæ ibi reperit varia phantaſmata, excitando, congregando, componendo, & affectus in parte ſenſitiua irritando, commouendo, inflammando. In nobis enim reperit Satan, quod excitat in nobis, & perſuadet nobis, ſuam tantũmodo adhibens actionem: quemadmodum etiam foris mali homines, cùm aliquid mali nobis perſuadent, nihil de ſuo immittunt in corda noſtra: ſed tantùm ſua oratione, quæ in nobis erant concupiſcentiæ & affectus, eos excitant & perſuadent. Idem facit diabolus internè, in phantaſia operando. Itaque apparet, Dæmones vim etiam habere, commouendi & immutandi ſenſus noſtros internos, tum phantaſiam, tum etiam mentem, eo quo explicatum eſt, modo.

IV. Ad voluntatem quod attinet, diuerſa eſt ratio. Bifariam ea moueri, mutari & flecti poteſt. Aut ab interno principio & agente: aut ab externo. Interius principium eſt, tum naturalis inclinatio ſeu propenſio ad ſuum obiectum, tum Deus ipſe, talis naturalis inclinationis auctor. Idcirco nemo poteſt voluntatem, tanquam interius agens, mouere & flectere: niſi & Deus, & ipſe, cuius eſt voluntas. Quare hoc modo dæmones, ſicut neque boni Angeli, vllam habent in voluntates noſtras agendi facultatem ſeu potentiam. Externũ verò mouens duplex eſt. Vnum ipſum voluntatis obiectum, bonum ſcilicet ab intellectu apprehenſum, & voluntati efficaciter oblatum: alterum ſunt ipſæ paſſiones, concupiſcentia, aliiq; affectus, qui in appetitu degunt ſenſitiuo. Ab iis enim ſæpè voluntas ad aliquid volendum ſeducitur atque afficitur. Nam efficiunt hæ paſſiones, vt multa, quæ mala ſunt, videantur voluntati bona: ita vt ea in hęc inclinet. Eſt autem iam demonſtratum, dæmones poſſe & ſolere affectus noſtros commouere, turbare, efficere. Hac igitur ratione poſſunt per affectuum turbationem mouere voluntatem hominis dæmones. Quomodo enim Satan perſuaſit Iudæ, & immiſit in cor eius, vt proderet Ieſum? Turbato eius affectu, quo ad auaritiam propenſus erat. Nouerat enim Satan ex multis fraudibus à Iuda admiſſis in adminiſtratione pecuniæ, quam donatam Domino Ieſu, ille adminiſtrabat, Iudæ ipſius auaritiam. Percepto hoc affectu Satan, nactus eſt medium, quo ei perſuaderet proditionem ſui Domini: id quod etiam facilè inflammato hoc affectu ei perſuaſit. Idem dico de Dauide, qui ad Venerem propenſus erat. Inflammato itaque Venereo affectu à Satana: facilè potuit adduci voluntas Dauidis ad adulterandum. Idem de Paulo dictum volo: cùm adhuc eſſet in Iudaiſmo. Affectus erat zelo religionis, & paternarum traditionũ. Hic affectus ignotus nõ erat diabolo, ex multis Pauli actionibus. Facilè ergo potuit abuti hoc affectu, & hoc accenſo, Paulum incitare ad perſequendum Chriſtum, tanquam blaſphemum, & Religionis Moſaicæ euerſorem. Nunc etiam tenemus, quomodo diabolus poſſit agere in voluntates noſtras.

Summa: Poteſt primùm in externas res: Deinde in corpora noſtra, inde exerit potentiam in ſenſus, tum externos: ex iis proficiſcitur ad voluntatem permouendam: quam certè flectere pro ſuo arbitrio non poteſt, cùm hoc ſolius ſit Dei. Sed poteſt, tum propoſito obiecto, tum excitatis affectibus permouere.

DE POTENTIA DÆMONVM IN EDENDIS PORTENTIS.

CAPVT XII.

SIMPLICITER certè inficiari non poſſumus, quin dæmones quoque talia edere poſſint, & ſæpe edant ſigna, operáque faciant, quæ iiſdem nominibus appellari poſſint, & reipſa in ſacris literis appellentur: quibus & miracula Dei: Nam diuina miracula vocari ſolent in ſcripturis Propheticis duobus nominibus אותות, id eſt, *ſigna*: Et מופתים, id eſt, *portenta* atq; *prodigia*. Sic Græcè in ſcripturis Apoſtolicis duobus aliis, quę reſpondent illis Hebraicis: σημεῖα nimirũ, & τέρατα. Marci vltimo, *σημεῖα καὶ τέρατα, eos qui crediderint, hæc ſequentur.* Act. 6. cap. vtrumque habemus: Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, edebat τέρατα καὶ σημεῖα μεγάλα. Ac ne falſis etiam Prophetis, in quibus operantur dæmones, ait Chriſtus Matt. 24. *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα.* Et de Antichriſto 2. Theſſ. 2. ait, *aduentũ eius futurum ſecundùm operationem Satanæ cum omni potentia, καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους mendacij*, non quòd omnia futura ſint præſtigioſa, & nulla: ſed quòd omnia eò ſpectent, vt iis confirmetur mendacium, impiáque doctrina. Finis enim omnium ſignorum & prodigiorum Satanæ eſt, vt fallat homines, & mendacia ſua perſuadeat. Interdum etiam Hebræis נפלאות & פלא, vocantur, hoc eſt, *mirabilia*, quibus duabus Hebraicis vocibus rẹſpondent Græcæ, θαύματα & θαυμάσια, vt Matth. 21.

Cùm igitur Dæmones quoque edant talia ſigna, quæ iiſdem nominibus, quibus & vera Dei miracula appellantur: ſimpliciter miracula edi poſſe à Dæmonibus, inficiari non poſſumus.

2. At certè exempla innumera ſuppetunt, non tam ex profanis, quàm etiam è ſacris literis multorum magnorúmque ſignorum, quæ tum ab impiis, membris Satanæ, tum à Satana ipſo edita fuerunt. Exodi 7. & 8. habemus portenta Magorum, quæ permulti volunt fuiſſe non præſtigioſa, ſed reuera talia, qualia videbantur, veras ranas, veros ſerpentes: quanquam non ſine incantationibus dæmonum, edita. De portentis à Simone Mago editis præter Acta Apoſtolorum, cap. 8. extant etiam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Præter alios Egeſip. lib. 1. c. 2. multa ſcribit: Et Niceph. lib. 2. cap. 22. mirabilia narrat. Multa quoque narrantur apud Gentes miracula, arte profectò diabolica edita. Legatur præter alios Ælianus, Var. hiſt. lib. 12. Et Val. Max lib. 1. c. 6. Iul. Obſ. de prodigiis. Conradus etiam Lycoſthenes, qui profeſſus eſt Baſileæ, chronicon edidit prodigiorum & oſtentorum, vbi mira etiam à diabolis edita narrat. Itaque negare non poſſumus, quin dæmones quoque mira præter ordinem naturæ, edere poſſint, ac proinde quæ nomine miraculorum, ſignorum & portentorum appellari queant.

II. Recepta tamen eſt apud Theologos ſententia, ſolum Deum propriè miracula edere poſſe, iuxta illud Pſ. *ò Iehoua qui facis mirabilia magna ſolus.* Et id multis confirmant rationibus, quas adferre ſuperuacaneum eſt, *C. lib. cap* 102. Ac ſi veram miraculi definitionem ſpectemus, videbimus ſolius Dei eſſe, miracula edere poſſe. Non enim miraculũ eſt quoduis admirabile factum, cuius cauſam ignoremus. Multa enim fiunt, quorum cauſſæ nos latent: ac proinde, quæ admiramur & miracula nobis eſſe videntur, quæ tamen alij non admirantur, illi nimirum, qui illorum cauſſas tenent. Imperitus ruſticus miraculum eſſe iudicabit, cùm viderit Solis eclipſin, propterea quòd cauſſam eius ignorat: At Aſtrologus nõ miratur, qui nouit cauſſam. Quare, vt factum aliquod miraculum verè dici poſſit, eius cauſſa ſimpliciter occulta ſit, & nemini hominum perſpecta, neceſſe eſt. Talia autem ſunt, quæ à ſolo fiunt Deo, præter ordinem naturæ, propria ipſius virtute atque potentia. *Miraculum* igitur eſt externum ac viſibile, verum & ſimpliciter mirabile factum: ad optimos fines, atq; inprimis ad ſalutem hominum, & ad Dei gloriam promouendam editum.

1. Externum ac viſibile factum. Talia enim ſunt omnia, quæ in ſcripturis lego miracula: ac proinde inuiſibile tranſſubſtantiationis (vt vocant) miraculum, merum eſt figmentum.

2. Verum factum, hoc eſt, vt reuera tale ſit, quale eſſe videtur, oportet. Ergo quę præſtigiis fiunt à diabolis & Magis, miracula non ſint.

3. Simpliciter mirabile, hoc eſt, apud omnes. Tales autem ſunt quorum cauſſa omnes latet, ac proinde, quæ præter ordinem naturæ, ſola Dei virtute fiunt. Ergo quæ fiunt per cauſſas naturales, licèt multis occultas, vt ſæpè ſolent à dæmonibus etiam fieri, miracula non ſunt.

4. Ad optimos fines, & inprimis ad ſalutem hominum veram, & ad gloriam Dei, editum. Hac particula omnia quæ eduntur à diabolis, à nomine verorum miraculorum excluduntur: propterea, quòd omnia ad malos fines eduntur, & contra gloriam Dei, & ad homines fallendos ac perdendos: Et ideò omnia diabolorum prodigia, mendacia appellantur. Eſto igitur hæc

THESIS.

III. Tametſi multa facere poſſint Dæmones, quæ ſcriptura etiam teſte, illis nominibus vocari poſſunt, quibus & opera Dei, præter ordinem naturæ edita appellantur: Tamen propter multiplex, quod inter illa

& iſta

& iſta reperiatur diſcrimen, verè dici non poſſunt, ea poſſe ſigna edere, quia miraculorum nomine verè digna ſint.

VIdenda igitur nobis ſunt diſcrimina, quæ ſunt inter *mirabilia*, quæ poſſunt Dæmones, & quæ Deus edere ſolet *miracula*. 1. *Primum* diſcrimen ſumitur à natura ipſorum factorum. Quædam enim ſunt, quæ nullo modo poſſunt fieri à Natura, fiunt autem à Deo: vt quòd mortuus in vita reuocetur, hoc certè nullo modo poteſt Natura. Quædam verò ſunt: quæ Natura quidem poteſt, verùm non eodem, quo Deus poteſt & facit, modo: Vt quòd aliquis ægrotus conualeſcat, claudus ambulet. Poſſunt enim medicamenta reperiri, quibus curentur, ſed in tempore. At verò vt ſolo verbo & vno momento curentur, fieri à Natura minimè poteſt.

Etſi igitur multa ſunt quæ Dæmones poſſunt præter ordinem naturæ confectum, multa tamen etiam ſunt, quæ non poſſunt: quòd ea talis ſint naturæ, vt à nemine, niſi à ſolo Deo fieri queant. Exempla: Deus ſuſcitauit mortuos ad vitam. Effœtas ac ſteriles anus fœcundas reddidit: diuiſit mare rubrum, vt ſiccis pedibus tranſirent Iſraelitæ: effecit, vt ignis vim ſuam non exerceret, aduerſus pueros in fornacem ardentem coniectos. Talia certè nunquam præſtitit, aut præſtare poteſt diabolus: quòd fieri à natura nullo modo poſſint. Nam quod narrat Ioſephus Antiquitat. Iud. lib. 2. cap. vltimo: *Mare Pamphylium ceſſiſſe Alexandro, eiuſque exercitui iter præbuiſſe:* non certè opera Diaboli id factum fuiſſe contendam, ſed Dei. Deus enim excitauerat Alexandrum ad euertendum Perſarum regnum. Vnde & Ioſephus ait, *fuiſſe diuinum opus*. Id quod de aliis quoque ſimilibus dictum volo: ſi quæ legantur contigiſſe, & verè contigerint. Quæ igitur fieri nullo modo poſſunt à Natura: ea deo fieri poſſe à Deo, niſi contradictionem implicent, à Dæmonibus autem nequaquam. Quæ verò fieri poſſunt à Natura, ſed non eo modo, quo fiunt à Deo: horum nonnulla ſunt, quæ Deo permittente, ab ipſis quoque fieri poſſunt Dæmonis ex parte: vt quòd aliquem ægrotum curent, & priſtinæ valetudini reſtituant vno momento, vel ſaltem paruo temporis ſpatio: ſed adhibitis inuiſibiliter efficaciſſimis remediis & medicamentis.

2. *Alterum* diſcrimen ſumitur à veritate & falſitate factorum. Omnia Dei miracula, ſunt reuera id quod apparent: proinde vera ſunt miracula. At quæ Diabolus edit, non omnia ſunt talia, qualia eſſe videntur. 1. Quædam reuera eſſe id, quod eſſe videntur. Et ſcripturæ docent, & experientia confirmauit. Huius generis nonnulli volunt (vt antè etiam dictum eſt) fuiſſe miracula Magorum in Ægypto, veros ſerpentes, veráſque ranas. Quanquam hic dici poſſet: Etſi fuerunt veri ſerpentes, & veræ ranæ: non efficitamen, Magos potentia Diaboli conuertiſſe virgas in ſerpentes, propterea quòd neque Natura id facere vllo modo poteſt: ſed Diabolos ſerpentes veros aliunde eò intra momentum temporis attuliſſe, & in locum virgarum ſubſtituiſſe. Hoc enim facilè eſt factu ipſi diabolo, vt antè oſtenſum eſt: quia poteſt omnia corpora loco mouere, & quocunque vult, transferre. Certum verò eſt, multa ſigna edi à falſis Prophetis, membris Satanæ, quæ reipſa ſunt id, quod videntur. & ideò vera facta. Sic enim Chriſtus ait Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die: Nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus*, nempe verè? ſed tamen hæc fieri virtute Dei potiùs dixerim, quàm potentia Diaboli. Deus enim propter inuocationem nominis ſui, efficit, vt etiam impij edant vera miracula, *in nomine tuo*. Idem conceſſum iri Antichriſto propter inuocationem nominis Dei, non dubitauerim; quanquam interim mendacia erunt ſigna, quia ad fallendum & decipiendum fient, & multa iam facta ſunt. 2. Nonnulla etiam fiunt à Diabolis, in quibus res veræ conſpiciuntur & fiunt, vt quòd quis verè à morbo curetur; verùm non propria ipſorum virtute fiunt; ſed adhibitis, vt antè dictum eſt, quibuſdam rebus naturalibus, quanquam occultis & inuiſibiliter, quibus vno ferè momento præſtant id quod non poſſet, niſi longiore tempore, Natura. Ineſt enim herbis & lapidibus, & aliis rebus naturalibus mirabilis vis, quamuis occulta, qua perfici poſſunt multa inuſitata. Hæc autem vis apprimè nota eſt & perſpecta Diabolis. Has igitur res inuiſibiliter adhibent plagis, & qui variis laborant morbis, eóſque ſe inuocantes, curant. Homines itaque, qui has res & rerum vim ignorant, effecta autem tantùm vident, iudicant magna edi miracula, cùm tamen non ſint. Etſi enim præter ordinem naturæ conſuetum fiunt; non fiunt tamen ſimpliciter præter naturam; cùm per virtutem rerum naturalium fiant. Et tale eſt, quod in fano quidem Veneris pro ſummo habitum fuit miraculo. Ibi enim legitur fuiſſe lampas, quæ nunquam extingueretur: quanquam ſine vllo vel oleo, vel adipis genere luceret. Alia enim re naturali fieri id potuit, vt lapide Aſpheſto, qui in Arcadia reperitur: & eius fertur eſſe naturæ, vt ſemel accenſus, nunquam extinguatur, neque tamen conſumatur. Ac huius generis multa ſæpe contigiſſe, non dubito. 3. Nonnunquam res veræ conſpiciuntur, ſed (vt ſæpe dixi) aliunde eò transferuntur, & in aliorum loca ſubſtituuntur: ſic de ranis & ſerpentibus Magorum in Ægypto nonnulli ſentiunt. Et tale etiam fuit, quod retulimus ex Hieronymo in vita Hilarionis, cùm Diabolus formoſas fœminas exhiberet ſancto illi viro, & lautiſſimas dapes, & alia id genus. Habet enim diabolus ſua ſcortilla ſibi conſecrata, veras fœminas, & has poteſt transferre, quò vult, & cui vult, obiicere. 4. Sed nonnulla etiam fiunt, in quibus res ſenſibus apparent, tanquam veræ res: cùm tamen res veræ non ſint, ſed meræ ludificationes & præſtigiæ diabolicæ. Tale fuit illud, quod legimus in lib. Sam. 1. Cùm Pythoniſſa mulier ſuis præſtigiis diabolicis effecit, vt videretur ſurrexiſſe à mortuis Samuel: cùm tamen is eſſet diabolus quidam. Talia ſunt, quæ ſuprà retuli ex vita Macarij de filia quadam: quæ parentibus videbatur verſa in vaccam: cùm nihil minus eſſet, quàm vacca: ſed illorum oculi faſcinati fuerant præſtigiis diaboli. Haud diſſimilia narrantur de Simone Mago ab Egeſippo, lib. 3. cap. 2. cùm videbatur volare per aërem, &c. 5. Quædam etiam ſunt meræ impoſturæ: qualia multa legimus in hiſtoriis Eccleſiaſticis tandem detecta fuiſſe, & agnitos dolos & impoſturas: vt cùm ſacrifici fingebant, Chriſtum in ſimulachro crucifixi loqui, fundere ſanguinem, lachrymari, &c. Qualis fuit & impoſtura, quam legimus de Deo Belo, apud Danielem cap. 14. Talium miraculorum, quæ nihil aliud fuerũt, quàm impoſturæ & fraudes, pleni ſunt libri Gentilium, & libri Monachorum de miraculis.

Nota eſt hiſtoria, quam narrat Ioſephus de matrona Romana, quæ compreſſa fuit ab amaſio in templo Iſidis: qui finxerat ſe eſſe Deum, qui illius concubitum cuperet. Non abſimilem poſſem narrare hiſtoriam, quæ contigit Clauennæ. Inſignis eſt etiam hiſtoria, quæ olim contigit Bernæ apud Monachos Dominicanos. Huc etiam pertinet, quòd ſæpenumero diabolus ad exorciſmos ſacrificorum fingit ſe diſcedere ab illis, quos opprimebat: cùm tamen reuera non diſcedat. Etſi enim deſinat vexare eos in corpore; colludit tamen nebulo, ac fingit ſe torqueri & inuitum eiici, ad vim illorum exorciſmorum: quo magis confirmet ſpectatores in ſuperſtitione exorciſmorum, & in idolomania. At Chriſtus verè eiiciebat Dæmonia, ex corpore & animo. Miracula igitur diabolica non ſunt vera miracula: quando neque ipſa facta, ſunt ſemper id, quod videntur eſſe: ſed impoſturæ ſunt & præſtigiæ.

3. *Tertium* diſcrimen ſumitur à finibus. Fines miraculorum Dei ſunt omnes optimi: & tum ad veram ſalutem hominum, tum ad gloriam Dei promouendam pertinent. Edit enim miracula aliquando, vt his teſtificetur ſe Deum eſſe omnipotentem & iuſtum, qui benefacta probet, ac improbet malefacta. In hunc finem, igne è cœlo emiſſo, inflammabat victimam Abelis, non autem Caini. Eo enim ſymbolo indicabat, vtrius ſacrificium eſſet ex vera pietate, & ſibi gratum. Item, vt oſtendat, ſe liberum eſſe in ſuis actionibus, non alligatum legibus Naturæ. Sic iuſſit ſolem ſiſtere curſum: Sic effecit, vt anus ſteriles peperierint: Et Virgo conceperit è Spiritu ſancto: Item. vt ſint teſtimonia doctrinam confirmantia. Huc ſpectant ferè miracula omnia: atque inprimis, quæ edita ſunt, cùm daretur lex: Quæ item Dominus edidit per Prophetas: & quæ Chriſtus: ac poſtremò, quæ per Apoſtolos: adde & quæ illos conſequebantur, qui credebant Euangelio: vt Marci vltimo legimus. Addo & aliam cauſam, nimirum vt eſſent diuinæ vocationis teſtimonia. Miracula enim non ſolùm teſtantur doctrinam eſſe cœleſtem: ſed etiam, qui eam adferunt, cælitùs fuiſſe vocatos. Huc propriè pertinent, quæ Deus edidit per Moſen in Ægypto. Volebat enim Deus confirmare iis ſignis, Moſen fuiſſe à ſe ad illos miſſum. Hoc apertè liquet ex principio Exodi. Hanc iterum confirmauit, cùm lepra percuſſit Mariam ſororem Moſis: Et terræ hiatu contra Core, Dathan & Abiron, cùm in dubium reuocarent auctoritatem Moſis. Item, vt eſſent teſtimonia exhibiti Meſſiæ. Sic Chriſtus aliquot miraculis confirmauit ſuam vocationem, & ſe eſſe Meſſiam: vt Iohan. 5. *Opera (inquit) quæ ego facio, teſtificantur de me, quòd Pater miſerit me.* Et diſcipulis Iohannis interrogantibus, an eſſet qui venturus erat, reſpondit ſignis, dicendo: *Ite & renunciate Iohanni, quæ vidiſtis*, &c. Quæ cauſa eſt, cur Iohannes Baptiſta nullum edidérit miraculum, ne ſcilicet homines Iudæi confirmarentur in errore, hunc eſſe Meſſiam, qui venturus erat in ſignis &

miraculis. Ad ſummam. Omnia miracula Dei, ad ipſius gloriam & veram hominum ſalutem ordinata & edita fuerunt. Contrà diaboli ſigna contra ſalutem hominum, & contra gloriam Dei facta ſunt: Abducunt enim à Deo, confirmant homines in idololatria, ſtabiliunt ſcelus immane mactandi liberos, proſtituendi virgines, & honeſtas matronas: & alia innumera mala admittendi. Quorſum enim opera mira Pſeudoprophetarum, niſi vt abducant à Deo vero, ad Deos alienos? vt eſt Deut. 13. Quorſum ſpectant opera Antichriſti, de quibus Chriſtus & Apoſtoli: niſi eò, vt ſeducantur, ſi fieri poſſet, etiam electi? Proinde *filius perditionis* appellatur, paſſiuè ſcilicet & actiuè: quòd & ipſe perditus ſit, & alios perdat, perdereq́; conetur, ſuis impoſturis omnibúſq; artibus. Ita à finibus patet, quæ ſint vera miracula, quæ falſa, ac proinde, cùm Dæmones ſemper ſua edunt ob fines falſos, hoc eſt, quia ſimulant gloriam Dei, & interim ad eam obſcurandam omnia dirigunt: ſimulant ſalutem hominum, & interim illorum æternam mortem ſpectant: apparet, diabolos non poſſe vera edere miracula. Mirabilia tamen edunt, & portenta magna: ſed quæ indigna ſunt nomine miraculorum, prout hoc nomen iam receptum eſt in Eccleſia, pro ſignis ſcilicet, quæ aut nullo modo fieri poſſunt à natura: aut non eodem, quo Deus illa facit: Et quæ ad gloriam Dei, humanámque ſalutem ſpectant. Ita vera eſt ſententia Theologorum, *Miracula facere, ſua ſcilicet virtute, ſolius eſſe Dei*

4. Quod ſi interroges: *At cur Deus hanc etiam qualemcunque poteſtatem concedit Diabolis, hæc falſa edendi miracula?* Reſpondeo: Magna & inſcrutabilia ſunt, iuſta tamen iudicia Dei. Permittit, quò magis ac magis confirmentur reprobi in ſuis erroribus, & obdurentur in ſuis impiis decretis atque peccatis. Docet hoc Deus ipſe per Moſen, & confirmat per Apoſtolum, *ſe ediſſe miracula coram Pharaone vt magis ac magis obduraretur cor ipſius.* Sic 2 Theſſal. 2. de Miraculis Antichriſti: *vt credant mendacio* (inquit) *qui noluerunt ſuſcipere dilectionem veritatis.* Punit enim Deus peccata peccatis. 2. Permittit, vt fides & patientia probetur electorum. Sic docet Deuter. 13. per falſos Prophetas edi ſigna, quòd Deus tentet populum ſuum: an ſcilicet ſit conſtans in fide. Sic Simon Magus multa permiſſus fuit edere falſa ſigna aduerſus Petrum: vt conſtantia Petri nota fieret, ſi vera ſunt quæ narrat Egeſippus & alij. 3. Permittit, ne ſancti, per quos edit miracula, efferantur: aut ſe ideò ſanctiores aliis eſſe putent, quia per ipſos Deus edit miracula: eóque etiam, ne à cæteris adorentur: quando etiam per impios & per Dæmones edit mirabilia. Sunt enim homines huc propenſi, vt eos adorent, à quibus fieri vident miracula: Vt Actor. 14. liquet, cùm Lycaones voluerunt Paulo & Barnabæ ſacrificare, quia ediderunt miraculum, homine claudo ſanitati reſtituto. Hac de cauſa docet Apoſtolus 1. Corinth. 13. poſſe aliquem transferre montes, fide ſcilicet, quæ *fides miraculorum* vocatur: Et tamen charitatem non habeat. Poteſt enim fides miraculorum eſſe etiam in hominibus reprobis ſine fide iuſtificante. 4. Permittit etiam, vt pij intelligant, ſibi curandum eſſe, non vt faciant miracula, ſed vt ſint pij & Dei timentes: quando etiam impiis permittit, & diabolis, vt miracula edãt. Docet hoc Chriſtus Luc. 10. *Nolite gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubijciuntur: ſed in hoc gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis.* Et ideò Apoſtolus, poſtquam diſſeruiſſet de donis iſtis, quæ ad ſalutem noſtram non faciunt, inter quæ etiam eſt, *donum edendi miracula:* ſubiecit, *ſed æmulemini dona priora:* quæ docet eſſe vnam fidem, item charitatem. 5. Permittit etiam, vt hinc diſcamus, neque propter ſigna ſemper eſſe credendum doctrinæ, cùm falſi etiam Doctores & diaboli edant ſigna ad perſuadenda impia ſua dogmata: Neque rurſus ideò diſcedendum eſſe à vera doctrina, quia illius Doctores facultatem edendi ſigna non habent. Illud enim primùm leuium eſt hominum, qui quouis ſigno mouentur, vt mutent fidem: iſtud verò alterum incredulorum eſt, qui nolunt certo Dei verbo credere, niſi noua ſigna videant, quales erant Iudæi, de quibus Chriſtus Matth. 12. *Generatio praua & adultera ſignum quærit,* &c. Et Apoſtolus 1. Corinth. 1. *Iudæi ſigna petunt.* Magna igitur vtilitas accedit piis ex hac doctrina, quòd ſciunt à Deo permitti etiam Dæmonibus eorúmque membris, vt aliquando ſigna edant & portenta, quæ miracula dici ſolent.

DE FINITA ET CERTIS TERMINIS LIMITATA DÆMONVM poteſtate atque potentia.

CAPVT XIII.

TANTA ergo cùm ſit adhuc potentia Dæmonum, quæritur, an poſſint, quicquid velint: an verò definita ſit ipſorum poteſtas & certis circumſcripta limitibus. Quæſtio hæc vtiliſſima eſt, & multum adfert conſolationis.

THESIS.

Quanquam diabolus & vſque adeò malus eſt, capitaliſque hoſtis, tum Dei, tum noſtri, vt nihil non mali nobis velit & moliatur: Et vſque adeò potens vt nemo hominum reſiſtere ei poſſit: tamen ita etiam per Chriſtum, caput eius eſt contritum, vires fractæ, totúſque vinctus tenetur: vt nihil aduerſus nos, imò ne aduerſus vllam quidem creaturam poſſit, niſi quantum ei à Chriſto permittitur. Tantum autem permittitur, quantum ſaluti noſtræ expedit, & ad gloriam Dei promouendam pertinet.

FAcilis eſt & certa hæc doctrina, ità vt longa probatione opus non habeat, quia tamen tota ad conſolationem noſtram pertinet, iucundum & vtile fuerit, teſtimonia & exempla huiuſce rei ſubiicere.

1. Gen. 3. conſtituit Deus æternas inimicitias inter homines & ſerpentes, vt illi ſemper ſtudeant nos vulnerare in calcaneo: Et nos viciſſim illos in capita, eóque & perdere: qua particula oſtendit Dominus, fore ſuperiorem ſerpentibus hominem. Verùm hic ſubeſt dulciſſima promiſſio de Chriſto, qui totius Eccleſiæ caput eſt, & à quo pendet tota noſtra contra Satanam victoria, contrituro caput ſerpentis, qui eſt Satan. Quò certè alluſit Apoſtolus Rom. 16. dicens, *Dominus pacis princeps conteret Satanam ſub pedibus veſtris citò.* Præſtitit hoc Chriſtus ab initio omnibus electis, ſed tamen multò magis, cùm ſuo ſanguine pro peccatis noſtris fuſo, expugnauit Satanam in cruce: Et reſurgendo de inferis triumphauit, principatuſque & poteſtates expiatas, in triumphum captiuas abduxit, vt eſt ad Col. 2.

2. Atque apertum & perſpicuum habemus exemplum in Iobo, ſiſtit ſe Satan, tanquam famulus Deo, ad mandata eius excipienda: Ac quanquam optabat vehementer nocere Iobo: nihil tamen audet aut poteſt, niſi venia & facultate à Deo impetrata. Excitauit Sibæos & Chaldæos contra Iobum, qui eius bona diriperent, armenta abigerent, viros trucidarent. Sed quando hoc fecit? Tum demum, cùm facultatem hæc admittendi, impetrauit. Ignem quoque de cœlo decidere procurauit, quo permulti homines armentáque perierunt, ventis quoque & tempeſtatibus excitatis, ſubuertit quicquid ædificiorum ſuperfuerat. Denique infecit Iobum magnis vlceribus, grauiſſimóque morbo. Sed vnde hæc omnia? à facultate, quam Dominus illi hæc admittendi conceſſerat. Cur enim non eripuit Iobo animam, vt maximè optabat Diabolus? Quia Dominus cauit, ne hoc faceret. Eſt igitur potentia Satanæ limitibus diuinæ voluntatis definita, vt nihil in vllam poſſit creaturam, niſi quantum fieri velit Dominus.

3. 1. Reg. 22. *Spiritus omnes ſtant coram Domino, parati ad exequenda eius mandata.* Cùm verò Dominus vellet punire Achabum, interrogat ſuos, *quis decipiet Achabum?* Vnus igitur malus ſpiritus obtulit ſuam operam, *Ego,* inquiens, *decipiam. Vade* (inquit Dominus) *& præualebis.* Locus eſt perſpicuus, diabolos neminem vel decipere poſſe, nedum interimere, niſi facultatem hoc faciendi à Domino accipiant.

4. 1. Sam. 16. & 18 legimus, poſteaquam ſpiritus Domini bonus receſſiſſet à Saule, hunc fuiſſe exagitatum à ſpiritu Domini malo. Cur ſpiritus Domini vocantur Dæmones? Quia miniſtri ſunt Domini, & tantum agunt, quantum vult Dominus, nihil præterea, quia non poſſunt.

5. Exodi 8. Vnde illa poteſtas Diaboli in Magis Pharaonis edendi ea ſigna, quæ ediderunt? A Domino. Hoc inde apparet, quia licet ſerpentes & ranas excitarint, tamen cum ventum eſt ad כנם *pediculos,* vel vt alij volunt *cyniphes,* nõ potuerunt illi magi hoc facere, proinde dixerunt, *Digitus Dei eſt iſte,* h. e. hoc fit virtute tantum diuina, qua nos ſumus deſtituti. Fatentur diabolorum potentiam, qua reliqua ipſi operati fuerant, non eò extendi, vt poſſint è puluere excitare כנים *cyniphes pediculos,* ſeu *muſcas paruulas.*

6. Huc ſpectat, quod ſcribitur per Ieſaiam cap. 27. *In die illa viſitabit Dominus gladio ſuo duro, grandi & robuſto Leuiathan ſerpentem vectem,* hoc eſt, longum inſtar vectis: *Et*

Leuiathan

Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & trucidabit Draconē, qui in mari eſt. De euerſione quidem Babyloniæ & eius Regis immediatè loquitur, quem vocat, *Leuiathan vectem.* i. oblongum inſtar vectis: quia eius imperium longè latéque patebat: *Et tortuoſum*, i. altum: ſed ſub hoc tyranno diabolum intellexit, qui princeps eſt huius mundi, ac longè latéque dominatur, omnium aſtutiſſimus & calidiſſimus. Hunc per Chriſtum trucidatum iri, prædicit. Ita nihil poteſt niſi quantum ei permittitur à Chriſto, à quo expugnatus eſt.

7. Huc & illud Zach. 3. *Increpet te Iehoua, ô Satan: increpet te Iehoua, qui elegit Iſrael.* Docet, potentiam quidem diaboli magnam eſſe, ita vt nemo illum poſſit compeſcere, aut etiā increpare: ſed tamen à Domino poſſe increpari & reprimi.

8. Sic Chriſtus apertè dixit Iohan. 16. *Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Princeps mundi eycitur forâs.* Ideo ſolo verbo eiiciebat Dæmonia: vt ſignificaret, ſe plenum ius habere in diabolos.

9. Imò eandem poteſtatem dedit & Apoſtolis contra ſpiritus immūdos. Matth. 10. imò & aliis fidelibus. Vnde Marc. vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient.* Quid igitur poſſunt Diaboli aduerſus eos, qui credunt in Chriſtum: cum ipſis potius fidelibus data ſit facultas eiiciendi Dæmonia in nomine Chriſti?

10. Quid? quòd ne in pecora quidem aliquid poſſunt, niſi eis permittatur à Deo? Docet hoc Lucas 8. cap. cùm recitat hiſtoriam Dæmonum, qui petierunt à Chriſto, vt ſibi liceret in porcos ingredi.

11. Pertinent huc, quæ ſcribunt Petrus & Iudas, *Diabolos vinctos teneri catenis.* Docent hæc, diabolos omnes ita eſſe captiuos Chriſti, vt nihil poſſint, ne ſe quidem mouere, niſi quantum ipſis gratificatur Dominus.

12. His accedit, quòd Angeli boni pro nobis, contra malos pugnant: Et fortiores illis ſunt: eóque ipſorum vires frangunt: ſicut deſcribitur pugna, Apoc. 12.

13. Et iidem nos cuſtodiunt, ex imperio Dei, ne fortè offendamus ad lapidem, vel pedem vnum.

14. Chriſtus verò ait, *ne pilum quidem cadere de capite noſtro, ſine voluntate Patris noſtri:* quantò minùs igitur poterit diabolus quicquam in nos, ſine voluntate Patris?

Ex iis omnibus, quæ certè conſolationum plena ſunt, liquidò apparet: etſi diabolus pro ſuo aduerſus nos odio, nihil mali non cupiat atque moliatur: illum tamen nihil poſſe, niſi quantum ei Dominus permittat, quòd vinctus ſit & Chriſto ſubiectus.

II. Cæterùm cur Deus permittat diabolis, tot tantáque mala in mundo admittere, vt ipſos etiam pios grauibus tentationibus vexet, & variis adoriatur telis, multæ grauiſſimæque ſunt cauſæ.

1. Vna eſt, vt oſtendat, ſe Deum eſſe omnipotentem, omniáque ſibi, etiam diabolos eſſe ſubiectos, & eorum ſe poſſe vti miniſterio ad quiduis faciendum, & ad peccata noſtra vlciſcenda.

2. Ac proinde ſi non id faciat (atque hæc eſt *ſecunda cauſa*) intelligamus, ideò eum non facere, quia miſericors eſt & amans noſtri: atque ita diſcamus & timere Dominum, & ſimul etiam eius bonitati fidere. In hunc finem permiſit Satanæ, vt ſuprà modum affligeret Iobum: vt oſtenderet ſe habere imperium in omnia, & diabolos ſuos eſſe famulos, per quos poſſit, cùm volet, ſumere pœnas de omnibus impiis. Rurſus non permiſit illi, quicquid volebat in perſonam Iobi: vt ſe noſtri curam gerere, & amantem eſſe perſpicuè ſignificaret. Proinde vt exerceamur in timore Dei: permittit Satanæ, vt nos adoriatur inſidiis, incurſionibus ſollicitet, & pugnando vrgeat, & verò etiam vulnera infligat. Vt verò fide ſemper ab eo pendeamus, neque de eius erga nos beneuolentia dubitemus: nunquam concedit Satanæ vt nos opprimat, ſed tantùm vt exerceat: ſicut docet 1. Cor. 10. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari, ſupra id quod poteſtis: ſed præſtabit etiam cum tentatione euaſionem, vt poſſitis ſufferre.* Ita permittit hanc poteſtatem diabolis, propter noſtram ſalutem.

3. *Tertia* itaque cauſa eſt, vt diſcamus deponere ſegnitiē, & armare nos ad pugnam, ſempérque ſimus inſtructi ad reſiſtendum diabolo: cùm ſciamus illi ſæpè facultatem à Deo concedi nos adoriundi. Et ſic docet Apoſtolus Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes,* &c. *Sumite ergo armaturam Dei vt poſſitis reſiſtere in tempore aduerſario,* &c. Et Petrus 1. Pet. 5. *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius,* &c.

4. *Quarta* ſequitur ex tertia. Vult Deus, vt victoriam obtineamus contra Satanam, atque inde intelligamus, Chriſtum in nobis eſſe, qui pugnet contra diabolum, & efficiat nos triumphare: eóque certiores ſiamus de ſalute noſtra æterna. Non enim victoriam concedit reprobis, ſed eos dat Satanæ penitùs in manum, vt in illis tanquam filiis contumacibus operetur, ſecundum ſuam potentiam: Electis verò victoriam largitur, ſicut Gen. 3 promiſit: Et vt Apoſtolus cōfirmat Rom. 16. *Deus conteret Satanam ſub pedibus veſtris.* Et 1 Corinth. 10. *dabit cum tentatione euaſionem,* &c. Nemo autem vincit, qui non pugnat: Vt igitur victoriam contra diabolum conſequamur, permittit diabolo, vt nos ſuis telis infeſtet, ſed rurſus nos armat ſua armatura, quam deſcribit Paulus Epheſ. 6. & efficit, vt triumphemus de diabolo, ille verò confuſus abeat.

5. Hinc ſequitur *quinta:* ea eſt, vt reportata victoria per Chriſtum, & experti præſentem Dei gratiam in nobis: ad gratias illi agendas incitemur. Sicut etiam faciebant in Euangelio, quicunque ſentiebant, ſe liberatos fuiſſe è manibus diaboli.

6. *Sexta* cauſa. Eſt enim vtile piis, vt ex tentationibus diaboli reipſa experiantur, quanta illius aduerſus nos nequitia & odium: Et quàm tamen infirma ſit eius potentia, ſi Deus nos fulciat ſua gratia: imò hinc etiam diſcamus eum verè damnatum & iudicatum eſſe, expugnatúmque à Chriſto: quando gratia nobis quoque conceditur, vt eum in pugna ſuperemus.

7. Accedit *poſtrema.* Eſt enim æquum, vt per Satanam puniantur reprobi, impij, ſcelerati, fures, adulteri, perfidi, hypocritæ, tyranni: vt etiam à Magiſtratibus puniri ſolent per carnifices, dato illis in manum à Magiſtratu gladio. Vt igitur puniat impios, armat Deus diabolum tali potentia & auctoritate, qua poſſit impios expugnare. Ad ſummam, Deus creauit Dæmones, & quam habent potentiam, illis largitus eſt, & eam potentiam exercendi, facultatem præbet: tum propter gloriam ſuam, tum propter ſalutem noſtram: Vult enim, vt Diabolus etiam inuitus nobis bene faciat, dum ita nos tentat vt à tentatis ferè ſuperetur: & ex tentatione fructum reportemus incomparabilem: qua de re pulchrè Auguſtinus tomo 3. de Geneſ. ad liter. lib. 11. cap. 22.

DE PRÆCIPVIS STVDIIS ET OPERIBVS DÆMONVM.

CAPVT XIV.

VIdimus, quantum adhuc potentiæ reliquerit Deus diabolis poſt ipſorum peccatum: Et quas etiam ob cauſas permittat illis hanc potentiam, quam in Mundo exercent, vt quamuis non omnia poſſint, quæ volunt: multa tamen mala admittant, non tantùm in ſuos impios, verum etiam in filios Dei, eóſque variis adoriantur telis, atque hoc in genere dictum eſt. Nunc itaque methodus poſtulat, vt ſpeciatim videamus, quæ ſint ſtudia & opera in quæ perpetuò incumbit diabolus. Eſt enim hoc etiam cognitu neceſſarium: Vt ſciamus, & à quibúſnam rebus nobis cauendum ſit, & diſcernamus opera & ſtudia malorum Angelorum, ab operibus bonorum. Hæc igitur eſto ad quæſtionem

THESIS.

Cacodæmones, ſicut hoſtes ſunt capitales Dei, Chriſti, Angelorum bonorum, piorum hominum, impiorum etiam, & omnium denique rerum à Deo conditarum: ita etiam nihil mali negligunt, quod non aduerſus hos omnes moliantur.

PRincipio oderunt Deum, & ideò eius cognitionem, gloriam ac maieſtatem ſemper nituntur obſcurare: Et ne ab hominibus, vel quòd ſit, vel quis & qualis ſit, cognoſcatur, eóque ne à nobis aut vllo modo colatur, aut ſaltem ne rectè colatur, id cumprimis dant operam: ſed contrà ſtudet Satan, vt ipſe pro Deo agnoſcatur, colatur, ſibique obediatur. Apparet hoc in primo ac præcipuo Diaboli filio, Antichriſto, in quo ipſe operatur ſua efficacitate. *Antichriſtus enim*, vt Apoſtolus docet, *ſeſe effert ſupra omne, quod dicitur Deus, aut numen, adeò vt in templo Dei tanquam Deus ſedeat præ ſe ferens eſſe Deum.* Quis in eo hæc agit? Satan. Sic enim ait Apoſtolus: *cuius aduentus* (inquit) *eſt ex efficacia Satanæ.* Proinde quid aliud fuerit procumbere ad pedes Antichriſti, niſi adorare Satanam, tanquam Deum? Quid obedire Antichriſto, niſi morem gerere Satanæ? Ac quod de vno Antichriſto, eóque præcipuo dicimus, idem de aliis quoque omnibus, quales ſunt hæretici omnes, intelligen-

dum eſt. Satan igitur tanquam inimicus Dei, & ſemper contra gloriam Dei pugnans: autor eſt omnis idololatriæ, in mundo, tam in Eccleſia, quàm inter Gentes. Et qui cultus præſtitus fuit & præſtatur idolis: totus ille præſtatur Satanæ. Docet hoc Deus ipſe Leuit. 17. *Nequaquam* (inquit) *immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* De idolis autem loquebatur. Et Pſalm. 106. *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs*, Gal. 4. *Seruiebatis iis, qui natura non ſunt dij*, hoc eſt, diabolis, quia idola colebant. Et 1. Cor. 10. *Quid igitur dico idolum aliquid eſſe, aut quod idolis immolatur, aliquid eſſe? Imò illud dico, quæ immolant Gentes, dæmonijs immolare, & non Deo.* Ideò menſas quoque idololatrarum in templis, *menſas* vocat *dæmoniorum*. Hoc eſt primum ac præcipuum ſtudium Satanæ, aduerſus gloriam Dei Patris, Filij & Spiritus ſancti: vt ab eius cultu homines abducat, & ad ſe in hominibus & idolis, tanquam Deum colendum conuertat.

Deinde aduerſus Chriſtũ tanquam Mediatorem Deúmque in carne manifeſtatum, ſuas intendit perpetuò vires & neruos; vt ne agnoſcatur pro vero Deo, pro vero homine, pro vero ſeruatore, ne colatur, ne ametur, ne eius doctrina admittatur. Et contrà ſe in locum Chriſti ſubſtituit, tanquam ipſe ſit verus ſeruator. Sic egit in Mahomete, in Antichriſto, in falſis Prophetis. A principio inſidiatus eſt Chriſto & ſemper inſidiatur. Gen. 3. *Inſidiatur calcaneo eius.* Ante eius aduentum curabat, ne promiſſionibus de Meſſia futuro fides adhiberetur: imò etiam vt tota illa gens, tribus, familia, vnde erat naſciturus, funditùs perderetur: ſicut apparet in Athalia, Antiocho, & aliis Tyrannis populi illius hoſtibus. Vix natum curauit trucidandum per Herodem in Dei ignominiam, & perniciem generis humani, Matth. 2. ſed non potuit. Adoritur eum in deſerto, & ad grauiſſima incitat peccata: vſque adeò, vt etiam petat ſe ab ipſo adorari. Huc ſpectant omnes hæreſes, quarum ipſe vnus autor eſt. Is enim eſt ille inimicus, de quo Chriſtus Matt. 13. *Inimicus homo noctu venit: & ſuperſeminat Zizania*: nempe in medio tritici: Et quæcunque poteſt, mendacia ſerit, omnéſque impoſturas inducit in religionem. Eſt enim *Pater omnis mendacij*, Ioh. 8.

3. In odium etiam maximè Chriſti, eius Eccleſiam nunquam deſinit perſequi: & cùm ſingula membra ad varia incitare peccata tum totum corpus perdere conatur. Atque inprimis ſeſe opponit miniſtris Chriſti, illíſque reſiſtit: cuius rei exemplum eſt Zachar. 3. Vbi Satan ſtabat à dextris Ieſu ſacerdotis, vt aduerſaretur ei. Quid non tentauit aduerſus Apoſtolos, atque inprimis aduerſus Paulum? Eius Epiſtolæ poſt Acta Apoſtolorum, luculenter & abundè docent: quàm ſemper conatus fuerit diabolus tollere miniſterium Apoſtolicum: curſúmque Euangelij impedire, aut ſaltem remorari & retardare, 1. Theſſ. 2. *Voluimus* (inquit) *venire ad vos, ſed obſtitit nobis Satan.* Foris pugnas excitat, contra paſtores; intus terrores ſuſcitat, 2. Corint. 7. *colaphis eos cædit*, 2. Cor. 12. falſos doctores ex cœtu verorum Epiſcoporum excitat, & eos transfigurat in Angelos lucis, quo faciliùs decipiant: cùm ſint tamen operarij doloſi. 2. Cor. 11. Ac per hos efficit, vt homines ſeducti deficiant à fide & attendant doctrinis dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Faſcinat mentes, vt non attendant nec credant veritati, Gal. 3. Tyrannos quoque altera ex parte excitat, & inflammat aduerſus eandem Pharaones, Aſſyrios, Chaldæos, Romanos, Turcas, mancipia diaboli. *Ecce* (inquit Chriſtus in Apoc. c. 2.) *miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis afflictionem dierum decem*, ſingulis verò piis nouas ſemper ſtruit inſidias, quibus in peccata ſcelerá que omnis generis pertrahat, in adulteria, furta, magias, ebrietates. *Circumit enim, vt leo rugiens, quærens quem deuoret*, 1. Pet. 5. *Dies ac noctes, eos accuſat coram Deo*, Apoc. 12. *Iacula ignita diuerſarum concupiſcentiarum in nos iacit & torquet.* Epheſ. 6. Inſtillat illis malas cogitationes, prauáque conſilia: vt cùm immiſit in animum Dauidi, vt numeraret populum: Ideo ſcriptura ait, *Surrexit Satan cõtra Iſrael, & incitauit Dauid, vt numeraret populum*, 1. Par. 21. Sic Petro, vt paſſionem diſſuaderet Chriſto: Et ideò eum vocauit *Satanam*. Denique quicquid mali à piis admittitur, non niſi inſtigante diabolo admittitur. Et poſt malum admiſſum, in eo animos ipſorũ obfirmare conatur, ne reſipiſcant, vanis eos lactans ſpebus, quaſi nemo hominum talia ſcelera ſit cogniturus, aut etiam Deus vlturus.

Omnibus quoque viribus nititur tollere vel turbare & labefactare ordines politicos, magiſtratus, œconomias, quibus Deus retinet homines in officio: vt tranquillam & quietam vitam agamus in omni honeſtate & pietate. Odit enim diabolus omnem bonum ordinem, pacem, honeſtatem, vitam tranquillam. Idcirco turbat magiſtratus miris modis. Inficit etiam illos, contaminat, corrumpit, vt fiant officinæ iniquitatum, iniuſtitiæ, tyrannidis, & omnium vitiorum, vt loquitur Ieſa. Exempla longè latéque patent tum in ſcripturis, tum extra ſcripturas. In ipſis etiam œconomiis multa ſubinde excitat, & noua fabricatur mala: *Tentat coniuges propter incontinentiam*, 1. Cor. 7. *Solicitat viduas vt eant poſt Satanam*, 1. Tim. 5. *Qui cupiunt diteſcere, eos capit ſuis laqueis*, 1. Tim. 6. *Implet cor Ananiæ, & eius vxoris, vt fraudent Spiritum S. de pretio agri, & ei etiam mentiantur*, Actor. 5. *Is etiam eſt, qui efficit, vt Gog & Magog ſeducti, perſequãtur Eccleſiam vſque ad extremum Chriſti aduentum*, Apoc. 20. *Et atrociùs perſequetur eam ſub finem Mundi mẽdacijs, cædibus, ſicut etiam initio fecit erga Euam & Adamum, mendax & homicida*, Apoc. 12. *Væ incolis terræ & maris, quia deſcendit diabolus ad vos, ira magna plenus, & ſciens quod modicum tempus habet*: Idem dicitur 2. Tim. 3. cùm ait Paulus *poſtrema tempora fore periculoſiſſima, propter varia ſcelerum genera, quæ homines perpetrabunt.* Summa, diabolus nihil mali omittit, quo nos perdat & à fide in Deũ, & ab obedientia verbi eius auertat. Hæc verò omnia eum in finem referuntur in ſacris literis; vt vigilemus, & ſobrij ſimus, vt reſiſtamus diabolo, & viriliter pugnemus, & tandem etiam victoriam reportemus. Et huc ſpectant adhortationes, quas poſt deſcripta ſtudia & conatus diabolorum ſubiiciam: Vt facit Apoſtolus Epheſ. 6. Petrus, 1. Petr. 5. Iacob. 4. Et Chriſtus Matth. 25. & alibi. *Vigilate igitur & orate vt ne intretis in tentationem.* Eſt. n. magnum diſcrimen, inter ea, quæ permittitur tentare & moliri aduerſus pios: Et ea, quæ agit in impiis. In iis enim agit efficaciter, Eph. 2. Eorum ſenſus excæcat prorſus, ne illis illuceſcat lumen Euangelij, 2. Cor. 4. ſuis illos laqueis captiuos tenet: Et iuxta ſuam voluntatem, ad reſiſtendum veritati impellit. 2. Tim. 2. Proinde horum reſpectu dicitur *Satan Deus huius ſeculi*, 2. Cor. 4. Impij verò filij diaboli, tanquam ex ſemine eius geniti, & qui ſuccedunt in illius hæreditatem infernalem, ei ſunt obſequentiſſimi. Ac verò nos quidem permittitur tentare & variis aggredi modis, ſed non vt ad extremum vincat. Quæ res maximam adferre debet piis conſolationem. Quum enim audimus, diabolum pro ſua libidine ducere, quocunque vult, impios, filios ſuos: intelligimus, eum idẽ in nobis facturum eſſe: niſi à Deo per ſuos Angelos, contra quos ille hoſtis pugnat (quanquam ſemper infeliciter) vt in Apoc. & alibi, compeſcatur. Proinde cùm ſermo eſt de piis: dicitur Diabolus nos tentare: nempe an poſſit ad ſua vota allicere. Neque enim ius habet in noſtras voluntates, vt nos ſibi obtemperare cogere poſſit. Sed cùm ſermo eſt de impiis reprobis: dicitur Satan in illis agere efficaciter, & ſuis illos laqueis captiuos tenere, & ad reſiſtendum veritati impellere. Ex hoc igitur diſcrimine ſtudiorum actionúmque diaboli in nos & in impios: in nobis & conſolatio ſimul & ſtudium fortiter contra illum pugnandi excitari debet.

DE MAGICIS ARTIBVS.

CAPVT XV.

ETsi verè conſtat, Satanam omnium malorum autorem eſſe, & omnia illius ſtudia, & conatus aduerſus Dei gloriam, & aduerſus ſalutem hominum ſpectare aliquid tamen propriè dicẽdum eſt de Magia & eius ſpeciebus, ſalemis, incantationibus, &c. *An harum omnium artiũ propriè autor ſit Diabolus, & ab ipſo efficacitatem ſuam habeant, an verò aliunde.*

THESIS.

Omnium artium magicarum autores ſunt dæmones: Et ab ipſis ſuam habent apud illos, qui eas exercent, fidémque præbent, efficacitatem: ac proinde vitandæ ſunt omnes, tanquam artes diabolicæ: atque plectendi ſunt, qui eas exercent, & eis operam dant.

TRia ſunt huius Theſeos membra, 1. *omnium artium magicarum autorem eſſe diabolum*: 2. *Earum efficacitatem eſſe à diabolo*: 3. *Eóque eſſe tanquam diabolicas artes vitandas, & qui eas exercent, eſſe plectendos.*

1. Ad primum quod attinet, *Magiæ* nomen non ſemper fuit in malam partem acceptum, ſicut neq; nomen *Magus*, de quo Matth. 2. Duplex enim fuit *Magia*, vna, laude digna. Atq; hęc nihil aliud fuit, quàm naturalis Philoſophiæ ſuprema, abſtruſiſſima atque excellentiſſima pars, & quaſi apex:

Sicut

Sicut etiam Magus apud Perſas nihil aliud erat, quàm rerum diuinarum interpres: Atque hæc præcipuè viguit, primùm apud Perſas, Æthiopes & Indos: Deinde apud Græcos. Magi enim erant Perſis, qui Græcis Philoſophi. De hac non loquimur. Eſt enim à Deo: quæ etiam in varias ſpecies ſubdiuiditur: qua de re M. Ficinum ad calcem de vita cœlitùs temperanda, in Apolog. de Aſtrolog. &c. qui volet, conſulere poterit. Altera magia infamis eſt, Deóque execrabilis, & ſine commercio diabolorum non poteſt exerceri: de qua paſſim in ſcripturis, vt mox videbimus. Atque hæc maximè locum habet apud Ægyptios: vbi dæmones ferè peculiare viſi ſunt olim habuiſſe domicilium. Nunc ferè hoc nomine nil aliud intelligitur, quàm hæc ars, qua mirabilia, neque ex ordine naturæ, neque ex peculiari Dei auxilio, ſed tantùm ex dæmonum virtute, Deo ſic permittente, aut fiunt, aut prædicuntur, aut fieri videntur. Ac magia quidem appellata fuit nomine honorifico: eò quòd ſcientia, imò ſapientia eſſe, viſa fuerit: vtpote quæ certa habuit præcepta & rationes: & de qua libri conſcripti ſunt, autoribus diabolis, quo faciliùs homines ſeducerentur. De hac itaque loquimur in Theſi. Huius autem ſunt præcipua genera duo, ad quæ omnes huius artis ſpecies, quotquot inueniuntur, reuocari poſſunt: vnum in vaticiniis & diuinationibus rerum futurarum, quæ arte diaboli præuidentur & prædicuntur, poſitum eſt: qua de re ſuprà diximus: & eius ſpecies, quatenus in ſcripturis habentur, explicauimus. Continet hoc genus auguria, ſomnia, ſortilegia, afflatus Pythonum, apparitiones dæmonum quaſi hominum demortuorum, qui futura prædicunt. Alterum ſitum eſt in ſignis edendis, quæ *miracula* vocari ſolent, ſiue id reuera ſint quod eſſe videntur, ſed arte dæmonum factæ: ſiue non ſint, vt præſtigiæ, incantationes, faſcini: quo de genere ſuprà etiam dictum eſt. Adde huic artem, quæ philtris & aliis rebus, turpes amores inter homines accenduntur. Omnia hæc magiæ nomine, qua de agimus, continentur. Si enim viribus naturæ, quanquam per diabolos adhibitis fiant: ad magiam non pertinent, ſed tantùm quæ arte dæmonum fiunt. Eſſe autem artes, ex libris, qui de iis rebus, tam apud Iudæos, quàm apud profanas gentes, ſemper reperti ſunt, & nunc etiam, proh dolor, reperiuntur, manifeſtum eſt. Harum itaque rerum omnium, quæ neque ex vi naturæ, neque ex peculiari Dei virtute fiunt, autores eſſe diabolos ſcripturæ, cùm tradunt Dei præcepta, quibus illæ damnantur artes, manifeſtè docent. Neque enim Deus prohibet, quæ aut ſunt à natura, aut à ſe immediate ſpeciali auxilio proficiſcuntur. Si quis verò ſcire velit, an omnes hæ artes prohibeantur lege Dei: legat Leuit 19.12.20. Deut.13.& 18.1. Sam.28. 2. Melach.21.1. Par.10.2. Par.33. Ieſ.8.& 29.& 47. Pſal 58. Ier.23.& 27. Zach.10. Act.16. & 19. Gal.1.2 Theſſ.2. In iis locis aut lege damnantur, aut eas ex diabolo eſſe apertè docetur.

1. Ac certum eſt, ſi diligenter inſpiciamus, quibus modis hæ artes exerceantur: nos apertè viſuros harum neminem poſſe autorem eſſe & inuentorem, niſi diabolum. Nunquam enim fiunt, niſi aliqua vel expreſſa, vel tacita inuocatione diaboli: ad cuius confirmationem & quaſi obſignationem adhiberi ſolent externa ſymbola, characteres, literæ, imagines & alia: quæ neque à Deo ſunt inſtituta, neque vllam à natura vim habent, qua talia effecta magica producant. Explico meliùs. Artes magicæ nullæ exercentur, quin adhibeantur primùm verba, vel prolata, vel ſcripta, quibus aut apertè, aut tacitè inuocantur dæmones. Quæ verba aut à diabolis ipſis inuenta ſunt: Et hæc plerunque nullam habent apud nos ſignificationem, vt plerunque fieri videmus: aut è ſcripturis deſumta, ſed per abuſum & ſuperſtitionem, in Dei contumeliam ad eas res, ad quas ordinata non ſunt, adhibita, quanquam ne hæc quidem ſola adhibentur, ſed coniuncta cum apertis verbis etiam diaboli, vel ſaltem cum characteribus, loco verborum ab ipſo inuentis. Vnde apparet, dæmones, ſi non apertè ſemper, ſaltem tacitè inuocari.

2. Secundo igitur loco adhibentur viſibiles characteres ſignáque externa à Deo certè minimè inſtituta, neque à natura profecta, ac proinde à diabolis vel immediatè, vel per ſua organa inuenta, quibus inuocatio dæmonum obſignatur. Quarum multa vidi ego. Horum nonnulla nonnullóſque characteres verè diabolicos videre eſt apud Corn. Agrip. de occulta Philoſ. lib.3 quibus ſpiritus ipſi diabolici ſignificantur: atque his ſoliti ſunt Magi & lamiæ, à diabolis in aliqua corporis parte ſibi obſignari.

3. Tertio adhibentur nonnunquam res etiam naturales, vt aquæ; ſed non ſine aliquo murmure ſuperſtitioſo exorcizatæ, item plantæ, herbæ, lapides, mortuorum oſſa, pili, nonnunquam animalia ipſa, ſuffitus, lumina, ceræ, &c. Interdum res fabrefactæ vt ſtatuæ, imagunculæ, annuli, ſigilla, cribra, ſpecula: à quibus omnibus virtutem fingunt proficiſci, ad ea effecta, quæ volunt, producenda, cùm tamen nihil minùs habeant, quàm talem vim: ſed nihil aliud ſunt quàm externa ſigna, quibus inuocatio dæmonum obſignatur, à quibus dæmonibus tota vis ad ea effecta proficiſcitur. Quibus de rebus multa obſeruata & ſcripta fuerunt à docto viro Ioh. Wiero, in ſuis libris *De præſtigiis dæmonum*. Ergo ſi diligenter obſerues media, quibus hæ artes Magicæ exercentur, cùm ea non ſint neque à Deo inſtituta, neque à natura vllam ad hæc effecta vim habeant, facilè intelliges, harum artium inuentorem eſſe diabolum, cùm nunquam ſine dæmonum inuocatione, vel expreſſa, vel tacita exerceantur: id quod confirmant etiam nomina quædam harum artium, vt eſt nomen *incantatorum*, à cantando, hoc eſt, inuocando dæmones. Nam nomen etiam Hebræis לחש à לחש deriuatur, quod ſignificat *ſuſurrare, muſſitare*. Vbicunque igitur adhibentur precationes, carmina, adiurationes: ibi ſemper inuocantur diaboli.

III. Atque ex confirmatione huius membri facilè colligi poteſt veritas alterius, vndénam artes magicæ ſuam habeant efficacitatem, vt ex talium artium exercitio, ſæpe certa effecta, quæ naturalia non ſunt, producantur. Quæſtionem hanc egregiè tractat Aquinas, in ſumma contra Gentil. lib.3. cap.105. Eſt enim in vnoquoque laudandum, quod Deus in illum contulit beneficium. Summa hæc eſt. Ex modo, quo Magi ſuas exercent artes, manifeſtum fieri poſſe, vndénam efficacitas illarum proficiſcatur. Modus autem talis eſt, vt in ſuis actionibus Magi ſemper adhibeant quaſdam voces, non tam ſcriptas, quàm prolatas. Vox autem, quatenus aliquid ſignificat, virtutem non habet ad aliquid efficiendum, niſi ex intellectu, vel eius qui loquitur, vel eius, ad quem ſermo fit. Exemplum primi. Vt ſi aliquis tantæ ſit virtutis, vt ſolo mentis conceptu, eóque & verbo poſſit rem producere aliquam. Talis eſt Deus ſolus, qui ſolo verbo curabat ægrotos: Et faciebat quicquid volebat. Nam quòd Apoſtoli idem feciſſe leguntur, non ſui, ſed diuini verbi virtute faciebant: imò non propriè ipſi, ſed Chriſtus in eis illa operabatur. Nullus certè homo, imò nulla pura creatura hanc vim habet, vt ſolo verbo, vel interno, vel externo, rem aliquam producere queat. Exemplum ſecundi eſt: vt cùm quis ex ſignificatione & intelligentia vocis, vel orationis in mentem recepta adducitur, perſuadetur, permouetur ad aliquid faciendum: vt nos, qui ex alicuius oratione bene percepta eò adducimur, vt id faciamus, quod per orationem ſignificatur. Ita virtus orationis eſt ex intellectu audientis, qui ad agendum mouetur & mouet. Dici autem non poteſt, voces à Magis prolatas, vim habere ad talia effecta, ex intellectu Magi verba proferentis: vt multis rationibus probat Thomas Aquinas. Quarum hæc vna eſt, eáque non poſtrema: Cognitio hominis ex rebus ipſis aſſumitur, & in animo gignitur atque producitur, vt manifeſtum eſt. Non igitur res per ſe producit: ac proinde non poſſunt homines ſuis verbis, quibus mentis conceptus ſignificatur, res producere, aut transmutare. Quare ſi aliquis hoc efficiat, maiore alteriúſque ſuperioris virtute hoc faciat, neceſſe eſt, vel Dei ſcilicet vel dæmonis, illius nimirum, ad quem loquitur, ſeu quem inuocat, &c. Sic ſancti Prophetæ & Apoſtoli, ex inuocatione Dei, vim accipiebant à Deo, qua res naturales efficerent Deo ſcilicet in illis & per illos operante. Magi verò ſuis verbis, quibus vtuntur, adiurationibus, incantationibus, non inuocant Deum. Nam etiamſi nonnunquam vtuntur nominibus Dei, & precationibus ex verbo Dei deſumtis, vt aliquo alicuius Pſalmi verſiculo: quia tamen in iis precationibus ſemper aliquid reperitur, quod vergit in contumeliam Dei: item, quia adhibent ritus & ceremonias, ſigna, characteres, quibus Deus offenditur, blaſphematur, irridetur. Et iis etiam talia quærunt effecta, quæ Deo non probantur, idcircò dici non poſſunt inuocare Deum. Neque etiam inuocant Angelos bonos. Neque enim aliquid gratificantur hominibus, quod in contumeliam Dei vergat: præterquam quòd nolunt inuocari, ſed vt ſolum Deum inuocemus, ſemper monent. Reſtat igitur verba Magorum eò ſpectare, vt inuocentur dæmones, qui præſtent, id quod ipſi non poſſunt. Eodem ſpectant certi characteres & figuræ & imagunculæ, quibus in ſuis incantationibus vtuntur. Neque enim hæc fiunt, quaſi aut ipſæ figuræ vim vllam ex ſe, ad res efficiendas habeant: aut ipſis virtus è cœlis imprimatur, vt doctiſſimè demonſtrat Thomas, ſed iis vtuntur Magi, vt externis etiam ſignis ſuam ſignificent diabolis voluntatem, & inuocationem confirment. Eodem pertinent ſacrificia, quæ ſæpe adhibentur: genuflexiones, proſtrationes, & alij geſtus, quibus ſuæ erga il-

los, quos inuocant, reuerentiæ ſignificationem dant: diabolus autem iis delectatur, quia cedunt in contumeliam Dei: ſibi verò in honorem. Proinde ſi id Deus permittat, exaudit illos à quibus inuocatur: Quod ſi aliquando non gratificatur, quod petunt Magi, vt ſæpe fruſtrantur dæmonum cultores: hoc ideò fit, quia non permittuntur à Deo illos exaudire & iuuare poſſe. Ita apparet, efficacitatem omnem, quam habent artes magicæ, proficiſci à dæmonibus: Deo ſic permittente. Ad ſummam, diabolus in hoc vnum cumprimis intendit, vt qui ſoli Deo debetur honor inuocationis, adorationis, gratiarum actionis, obedientiæ, ille ſibi vni attribuatur, ſicut apparet in tentatione Chriſti, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Vt hoc obtineat, ſimulat ſe eſſe Deum. Proinde, vt Deus ſuum habet verbum, ſuas quas nobis præſcripſit, preces, ſua ſymbola & ſacramenta, quibus nos ſibi obſignat, & ſua ſacrificia: Sic diabolus æmulator Dei, quædam habet peculiaria verba, characteres, ſigna, incantationum formas, & ſacrificia, quæ ſuis impiis Magis præſcribit. Ac ſicut Deus inuocantes ſe, & debita ſibi exhibentes ſacrificia exaudit: Sic facit diabolus, ſi poteſt vt in ſui cultu ac religione atque obedientia, ſuos retineat cultores. Quare dubitandum non eſt, quin tota efficacitas, quam ſæpe Magi in ſuis artibus & exercitiis habent, à diabolis ſit: ſic Deo iuſto iudice ad maiorem reproborum excæcationem, & in ſuis ipſorum iniquitatibus obdurationem permittente: quemadmodum apertiſſimum habemus in Pharaone, & ipſius Magis exemplum.

III. Hinc ſequitur tertij membri confirmatio: Artes has, merè eſſe diabolicas artes: quia & harum inuentores fuerunt dæmones, & tota illarum efficacitas à dæmonibus eſt: Ac proinde piis hominibus vitandas eſſe: quemadmodum expreſſa lege, atque centies repetita cauit Dominus, ne vllo modo audiamus Pythones, Magos, incantatores, augures, & omnes id genus homines ſacrilegos.

Eſſe etiam hoc genus hominum Magorum & maleficorum Magiſtratibus plectendum, docet Deus ipſe Leuit. 20. *Vir ſiue mulier in quibus Pythonicus, vel Diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur,* &c. Atque vt reipſa declararet, hoſce homines non eſſe ferendos, multis mirabilibus iudiciis è cœlo hæc diabolica flagitia vltus eſt: vt de Simone Mago liquet: qui, cùm per aërem volaret, vectus à diabolo, orante Petro, cecidit & miſerè periit: vt ſcribunt Egeſ. Niceph. Abdias, Epiſ. Babyl. in lib. certaminum Apoſtolicorum. 6. Zaroes etiam & Arphaxat Magi in Perſide, fulguris tandem ictu exuſti fuerunt vt idem Abdias Epiſc. Babyl. ſcriptum reliquit.

Mirabilia etiam ſcribit Olaus Magnus de Gentibus ſeptentrionalibus lib. 3. c. 4. de quodam inſigni Mago, cui nomen erat *Methotin*. Tandem enim ſceleribus eius detectis, ab vniuerſo populo trucidatus fuit: ac cum ipſius cadauer ſua peſtifera contagione plurimos interimeret: exhumatum, palo infixum fuit. Et de aliis etiam ſcribit idem autor, lib. 3. cap. 18. Nam ſunt huiuſmodi exempla, quibus Deus, quàm ſibi execrabile ſit talium hominum diabolo conſecratorum genus, luculenter declarauit. Leges quoque ciuiles, tales eſſe plectendos, diſertè docent. Finis autem, cur has artes exterminatas velit ex ſuo populo Deus, & harum autores è medio tolli: indicatur, imò explicatur apertè Deut. 18. Poſtquam enim lege cauiſſet, ne audiamus Pythones, Magos, ariolos, ſubiecit: *Prophetam è medio tui, ex fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Iehoua Deus tuus, illum audietis.* Cauſa igitur eſt, quoniam vult ſolus audiri à ſuis Prophetis & præſertim in Chriſto. Quicquid igitur pugnat cum doctrina Chriſti, quicquid dehortatur & abducit à cultu, quem docuit Chriſtus: totum illud tollendum eſt: Et plectendus quicunque cultum diaboli pertinaciter docet. At verò cur permittit hæc Dominus? Cur non ipſe omnes exterminat? Cur tantam facultatem, tot tantáque mala perpetrandi concedit diabolis? Cur hoc permittat Deus, ſuas habet cauſſas, & iuſtus eſt in omnibus viis ſuis. Verum nobis inquirendum non eſt in voluntatem ipſius abditam: ſed parendum voluntati reuelatæ. Permittit Magos: ſed mandat etiam, ne ipſos audiamus: Et Magiſtratibus, vt eos tollant. Pareamus igitur nos, pareant & Magiſtratus.

DE INCVBIS ET SVCCVBIS.

CAPVT XVI.

QVAERITVR etiam an dæmones ſumant corpora craſſa, humana ſcilicet, modò fœminea, modò maſculina: & iis modò ſe ſubiiciant viris, & fiant *ſuccubi*: modò ineant mulieres, & fiant *incubi*. Sunt qui hæc apertè negent, etiamſi aliquibus ita videatur: Et ad morbum tantummodò transferant, quem Medici & Ariſtoteles ἐφιάλτην vocarunt. Cæterùm permulti ſunt, illique grauiſſimi ſcriptores, qui hoc affirment non ſemel contigiſſe. Auguſtinus certè ſic ſcribit hac de re tomo 5. de Ciuitat. Dei, lib. 15. cap. 23. vt dicat eſſe impudentiæ velle hæc negare, tametſi è ſacris literis nihil definiri poſſit: Cùm multi fide digniſſimi hæc pro certiſſimis aſſeuerare non dubitent. *Et quoniam creberrima fama eſt* (inquit) *multique ſe expertos, vel ab iis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Syluanos, Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe & peregiſſe concubitum. Et quoſdam dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare & efficere, plures, taléſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur: Non hic audeo aliquid temerè definire, vtrum aliqui ſpiritus elemento aereo corporati (nam hoc etiam Elementum, cùm agitatur flabello ſenſu corporis tactúque ſentitur) poſſint etiam hanc pati libidinem, vt quomodo poſſunt, ſentientibus fœminis miſceantur.* Hæc ille. Auguſtinus igitur non dubitat de re ipſa, quin fiant incubi & ſuccubi: ſed de modo dubitat, & ſe definire non audere ait, an corporati aëreo tantùm corpore & ipſi libidinem patiantur, & ſeſe ita immiſceant mulieribus, vt mulieres, eos ſecum concumbentes ſentiant necne. Et in hunc Auguſtini locum ſic ſcribit Ludou. Viues vir doctiſſimus: *Ab incubando dæmones, qui mulieribus commiſcentur, à ſuperne[illegible] incubi dicuntur. Qui viris (ſcilicet commiſcentur) & muliebria patiuntur, ſuccubi. Extant hodie nonnullæ Gentes, quæ originem ſuam habere gloriantur à dæmonibus, qui coierint cum fœminis virili forma, aut cum viris fœminea: quod turpius mihi eſſe videtur quàm referre nobilitatis ſuæ initia in Piratas aut latrones, aut ſicarios inſignes, quod multi faciunt. Verùm Ægyptij dæmoniacum ſpiritum miſceri poſſe fœminæ fatentur: viro negant. Græci tamen multos viros à Diis adamatos tradunt: vt Hyacinthum & Phorbuntem, Hippolytum Sycionium ab Apolline: Cypariſſum à Syluano.* Hæc ibi. Ita neque Viues negat, quin hoc fieri poſſit.

Thomas etiam Aquinas, Philoſophus alioqui doctiſſimus, hoc fieri poſſe affirmat: non quidem quòd dæmones, aut ex virtute ſuæ naturæ, aut per ſemen ex corpore humano aſſumpto, deciſum generare poſſint: ſed quòd & aſſumere humana corpora, & per ea coire cum mulieribus & ſemen virile aliunde acceptum in matricem mulieris infundere, & inde filios procreare poſſint. Hæc tradit apertè 1. par quæſt. 51. art. 3. ad ſextum: Et in Q. diſp. de potentia, q. 6. quæ eſt de miraculis, art. 8. ad quintum. His accedunt quod hiſtoriæ tradunt de Merlino quodam Britanno vate, quem ſcribunt natum fuiſſe ex incubo diabolo. Quid? quod mulieres permultæ veneficæ, cùm tormentis ſubiicerentur, faſſæ ſunt, ſe turpem habuiſſe cum dæmonibus conſuetudinem.

1. Ego itaque ſic ſentio. Primùm diabolos poſſe corpora humana aſſumere: Et in illis apparere, loqui, & alia multa humanæ vitæ officia præſtare. Nam hoc etiam de Angelis bonis probatum eſt è ſacris literis.

2. Cùm hæc ita ſe habeant: non pugnare cum ſcripturis, dicere, ipſos diabolos poſſe corporibus illis aſſumtis, ſeſe cum mulieribus commiſcere & coire.

3. Cùm verò hoc etiam concedant Philoſophi, fieri poſſe: Et multæ accedant hiſtoriæ, quæ tradunt, fuiſſe factum: Etſi peccatum non eſt, ſi quis hoc credere nolit: non ſine tamen nota impudentiæ, pertinaciter negari poſſe.

4. Verum ſi qui generentur ex tali mulierum cum diabolis concubitu: eos non eſſe genitos, aut ex ſemine naturali dæmonum, quod nullum habent; aut ex ſemine corporum aſſumptorum, in quibus nullum eſſe poteſt, cùm ſint inanima: ſed aut ex ſemine virili, à veris hominibus effuſo, & per diabolos in vterum mulieris, cum qua coeunt, aliunde dictum factum, importato: aut ratione nobis incognita, Deo autem poſſibili & dæmonibus permiſſa, genitos, fuiſſe. Theſis igitur hæc eſto:

THESIS.

Diabolos, aſſumptis humanis corporibus, cum veris mulieribus coire poſſe, & ex illis liberos ſuſcipere, verùm ratione minimè naturali, ſed tamen vera, quamuis nobis incognita: vt non pugnat cum ſacris literis: ita illud credere, impium non eſt, neque temerarium: cùm multi fide digni id factum fuiſſe teſtificentur.

DE DI-

DE DISTINCTIS INTER CAcodæmones officiis.

CAPVT XVII.

QVAERI etiam ſolet, an inter dæmones diſtincta ſint officia, diſtinctíque ordines: ita vt quorundam ſit tentare & inuadere homines: aliorum autem animalia: Et quorundam electos aggredi, aliorum autem reprobos pro ſua libidine agere: aliorum item ſit præcipere, aliorum obedire; Et quorundam ad vnum peccati genus, & nonnullorum ad alia genera homines inſtigare.

Platonici, Magi omnes, quin & Pſellus Chriſtianus innumerabiles penè ordines dæmonum finxerunt, eóque & diuerſa illis officia attribuerunt. Alios enim præfecerunt ætheri & igni, alios aëri, alios aquis, alios terræ, eóque alios terreſtres, alios ſubterraneos lucifugas vocarunt: Et hos etiam in varios ſecuerunt ordines, vt aqueos diſtinxerint in *Marinos, Fontanos, Fluuiales:* vnde *Naiades, Dryades, Nereides:* & ex *Terreis* alios fecerint *Montanos*, alios *Syluestres*. vnde *Fauni, Syluani, Centauri*, & alia id genus dæmonia: alios *Domeſticos*, vnde *Lares, Manes, Penates:* alios item diurnos, alios nocturnos, alios meridianos. Ac pro locorum ratione, varia illis officia demandata eſſe docuerunt. Siquidem igneos dæmones, aiunt vim habere excitandi in nobis potentiam ad contemplandum: Aëreos fauere vitæ actiuæ: Aqueos voluptariæ. Deinde præfecturas illas diuidunt: vt alij latiſſima procurent Terrarum ſpatia: alij anguſtiora occupent: alij vrbibus, alij pagis præficiantur. Sed hæc omnia & alia ſimilia commenta ſunt hominum, nullis firmata rationibus. Nam etiam quæ Pſellus vir alioqui doctus tradidit, ea aliunde non accepit, quàm à Mario quodam Mago.

Hebræi quoque, vt ordines habent Angelorum bonorum nouem: ſic totidem ſubiiciunt malorum illis contrarios. Sed nihil aliud ſunt hæc, quàm Rabinica ſomnia, impietatis plena. Plus veriſimilitudinis habent, quæ tradiderunt Theologi quidam in Scholis. Sunt igitur inter Theologos, qui malorum dæmonum conſtituant gradus nouem: ſicut etiam bonorum nouem choros, tribus Hierarchiis comprehenſos.

Primi ipſis vocantur *ψευδόθεοι:* hos eſſe aiunt, qui nomen Dei ſibi vſurpant, & pro Diis coli volunt, petunt ſacrificia, curant ſibi ædificari templa: Et in ſumma omnium ſuperſtitionum ſunt parentes, qualis fuit ille, qui tentauit Chriſtum, & dixit, *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Horum principem eſſe Beelzebub, Matt. 12. Luc. 11.

Secundos vocant *ſpiritus mendaciorum:* quia & mendaces ſunt ipſi, & aliis, vt mentiantur, ſunt auctores: Qualis fuit ille in 1 Melach. 22. qui fuit ſpiritus mendax in ore Prophetarum Achab. Hos aiunt eos eſſe, qui oracula in idolis dare ſolebant, qui per Pythios vates futura prædicebant, & falſis prædictionibus homines ludificant atque dementant: Vnde & *Pythius Apollo* vocatus fuit. Horum principem eſſe diabolum. Hi ſunt auctores impiarum falſarúmque doctrinarum: quæ hanc etiam ob cauſam *doctrina dæmoniorum* vocantur.

Sequitur *tertius* ordo eorum, quos *vaſa iniquitatis* vocant, & *vaſa iræ*. Hos aiunt eſſe inuentores malorum omnium, omniúmque malarum artium, qualis fuit Theutus dæmon apud Platonem, qui ludos & aleam docuit: Et de iis locutum fuiſſe Iacob, cùm de Simeone & Leui dixit, *vaſa iniquitatis in habitationibus eorum*, ſcilicet ſunt & dominantur. Ab iis proficiſci omnes iniquitates: horúmque principem eſſe Belial.

Quarto loco ponunt vltores ſcelerum, hoc eſt, per quos Deus vlciſcitur peccata: & horum principem eſſe aiunt *Aſmodæum*, de quo apud Tob. c. 3.

Quintum ordinem eſſe eos, quos *præſtigiatores* vocant, quòd auctores ſint falſorum miraculorum & magicarum artium: & ita præſtigiis & maleficiis ſeducunt homines. Horum principem eſſe *Satanam*, de quo in Apoc. 13. & 2. Theſ. 2. *Antichriſtus veniet cum efficacia Satanæ, in ſignis & prodigiis mendacibus.*

Sexto ordini ſubiiciunt aëreas poteſtates. Has aiunt ſe immiſcere tonitruis, fulminibus, fulguribus, dominari in aëre, excitare tempeſtates, peſtilentias & alia mala, quæ ex aëris contagione, & variis aëris qualitatibus proficiſcuntur. De quibus poteſtatibus Apoſtolus Epheſ. 6. Ex horum numero fuiſſe illos 4. Angelos in Apoc. 7. cap. *quibus datum fuit, vt nocerent terræ & mari, tenentes 4. ventos in 4. angulis terræ.* Horum principem eſſe *Merim*, hoc eſt, *Dæmonium meridianum.*

In *ſeptimo* ordine collocant Furias malorum ſeminatrices, diſcordiarum, inimicitiarum, bellorum, vaſtationum; & harum principem eſſe illum, qui in Apocal. 9. vocatur Hebræis *Abaddon*, Græcis autem *Apollyon*: perdens ac vaſtans omnia.

Sequuntur criminatores, calumniatores, & exploratores, auctorum omnium calumniarum. Horum princeps dicitur vocari *Aſtaroth*. Græcè verò *diabolus* calumniator; qui in Apocal. vocatur *accuſator fratrum noſtrorum in conſpectu Dei die ac nocte.*

Nonum poſtremúmque ordinem dæmonum aiunt eſſe *τῶν πειραζόντων*, tentatorum & inſidiatorum, qui ſemper ſingulis hominibus inſidiantur, eóque neminem hominum eſſe, cui ſemper non adſtet aliquis ex iis tentatoribus & inſidiatoribus, & ideò hos vocant *malos genios*. *Genios* quidem, quòd ſimulac geniti ſumus, nos circumſtent: *Malos* autem, quia malè nobis volunt, & mala nobis procurant: & horum principem eſſe *Mammonam*, cupiditatem. Hi ſunt ordines dæmonum, quos nonnulli tanquam certos conſtituunt & affirmant.

II. Cæterùm, etſi vera ſunt quæ de dæmonibus ſcribunt, quòd curent ſe adorari, quòd ſint auctores mendaciorum, quòd inuentores malorum, quod criminatores, quòd inſidiatores; & quòd horum omnia ſint plena; tamen quòd in nouem hos ordines diſtribuantur; hoc nullum habet fundamentum in ſacris literis, neque vlla etiam firma ratione nititur. Proinde qua facilitate ab illis dicitur, eadem etiam à nobis reiicitur totum hoc commentum. Hoc quidem extra controuerſiam eſt, inter ipſos etiam dæmones aliquam eſſe *τάξιν* & ordinem; ita vt inter ſe conſentiant, & operas habeant diſtributas; vt quod alicui eſt demandatum, hoc ille faciat expeditè, ſine alterius impedimento. Chriſtus enim apertè docet, conſenſum eſſe & concordiam inter dæmones; cùm ait Luc. 11. & Matth. 12. *Si autem Satan Satanam eiicit: aduerſus ſeipſum diuiſus eſt. Quomodo igitur ſtabit regnum eius?* Neque dubito, quin alij aliis præfecti ſint à Deo, vt vitetur *ἀταξία*, & *ἀναρχία*, quæ inimiciſſima eſt Deo; & videmus illum velle in omnibus rebus aliquem eſſe ordinem; Et huc ſpectant varia ſcripturarum loca de principatu dæmonum; vt illud Phariſæorum, Matt. 12. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Item illud Iohann. 17. *Princeps huius Mundi eiicietur foràs.* Item Matth. 25. *Tunc dicet, ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Et quod Apoſtolus Epheſ. 6. ſcribit de principibus & poteſtatibus, déque Mundi rectoribus. Verùm, an vnus præſit omnibus; & an, qui modò præfecti ſunt aliis, ſemper talem obtineant principatum; definire temerarium eſt; multò verò magis, tot ordines, & neque plures, neque pauciores conſtituere; cùm neque, vt dixi, vllum habeant in ſacris literis teſtimonium; neque etiam vlla bona confirmari poſſit ratione. Quin etiam certa ſingulis demandentur officia à Deo, non dubito; quia ſcripturæ hoc docent; vt 1. Melach. 22. Cuidam ſpiritui iniunxit, vt deciperet Achabum. Iob. 1. Satanæ, vt tentaret Iobum. Quod verò de vno aut altero legimus, id facile eſt de reliquis concludere; Et ratio hoc confirmat. Nihil enim poſſunt agere in creaturam vllam dæmones, niſi quantum illis conceditur à Deo; vt in hiſtoria Iobi liquet; & apud Euangeliſtas, cùm dæmones petierunt à Chriſto, vt ſibi liceret tranſire in porcos. Deus autem omnia agit & permittit ordinatè. Aliquis igitur ordo eſt inter dæmones & eorum officia. Cæterùm, ita diſtributa eſſe officia inter dæmones, vt ſinguli perpetuò eodem fungantur officio; minimè probari poteſt. De vno enim & eodem dæmone legimus multa officia; vt qui Chriſtum tentauit, non certè ad vnum tantùm genus flagitij ſolicitauit, ſed ad diuerſa; & qui accepit auctoritatem aduerſus Iobum; is non illum offendit tantùm in rebus externis, in armentis & pecoribus; ſed etiam in liberis, & denique etiam in ipſius corpore. Idem diabolus excitauit Sabæos ad bona diripienda; commouit ventos & tempeſtates; auctor fuit incendiorum & homicidiorum, & morbos immiſit. Non ſunt igitur ita officia inter diabolos diſtributa; vt vnus ſemper habeat idem officium, non alius. Quare hæc eſto ad hanc quæſtionem

THESIS.

Tametſi, quæ ſumma eſt Dei in omnibus operibus ſuis ſapientia, ſicut inter latrones, ſic etiam inter dæmones, vt aliquis ordo ſit & perſonarum & officiorum, neceſſe eſt: Tamen & quot & quales ſint dæmonum ordines, & an ſinguli certis perpetuò fungantur

officiis : magnæ temeritatis eſt, & ſummæ impietatis definire.

VTrumque membrum huius Theſeos, ex iis quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt. Si quis verò quærat de ſumma officiorum, ad quæ ordinati ſunt omnes dæmones; faciliùs & certiùs reſponderi poteſt.

DE OFFICIIS DÆMONVM.

CAPVT XVIII.

QVot & quænam in ſumma ſint officia, ad quæ omnes Dæmones ordinati ſunt.

THESIS.

Duo ad ſummam ſunt officia, ad quæ Dæmones omnes ſunt à Deo deſtinati: vnum, vt per horum tentationes, pij electi in patientia & humilitate exerceantur: Et ita ipſorum ſalus magis ac magis promoueatur: Alterum, vt Deus per hos, tanquam per ſuos adminiſtros atque carnifices, ſupplicia de reprobis impijs, tam ſpiritualia, quam corporalia ſumat.

IN priori membro, de piis electis, tres poſuimus fines omnium tentationum. *Vnum*, vt exerceantur in patientia. Hoc maximè fit externis tentationibus: nempe cùm pij, ſicut Iobus, variis crucibus affliguntur. Apparet hoc manifeſtè in Iobo ipſo. Ideò enim voluit Deus illum tam multis támque variis calamitatibus affici à Satana: vt in patientia exerceretur. Et ita ipſius vera pietas pateficret & perficeretur: id quod etiam confirmant reliquorum omnium ſanctorum exempla. Et Chriſtus prædixit mala, quæ paſſuri erant & ſunt fideles à Diabolo & eius membris: poſtea ſubiunxit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*: Et Apoſtolus Romanor. 5. *Tribulatio patientiam operatur*: docens, finem tribulationum eſſe patientiam, vt in ea exerceamur: Et fructus eius porrò percipiamus. Deinde *alterum* adieci: vt ſcilicet etiam exerceantur pij in humilitate. Hoc, maximo illis Dei beneficio contingit, cùm à Diabolo ad varia ſolicitantur peccata: imò etiam, cùm in eadem prolabi permittuntur. Tum enim agnoſcunt ſe homines eſſe, & tam peccatores, quàm reliqui homines ſunt: éoque de ſe, déque ſuis viribus aut iuſtitiis non eſſe præſumendum, reipſa ſentiunt. Ita humiles procumbunt ante Deum, deprecantur culpam: Et ita ipſa etiam peccata cooperantur illis in bonum. Huc illud Dauidis: Bonum mihi quia humiliaſti me, &c. Et Apoſtolus: Vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundat & gratia. Vide eius humilitatem quam conſecutus eſt per gratiam Dei, ex ſua in Chriſtum blaſphemia, & ex perſecutione Eccleſiæ. Ad Galat. 1. & 1. Tim. 1. Qui priùs eram blaſphemus & perſecutor, miſericordiam conſecutus ſum. Chriſtus enim venit in hunc Mundum, vt peccatores ſaluos faceret: quorum primus Ego ſum.

Ex iis ſequitur *tertium* finis, promotio ſcilicet ſalutis noſtræ: tam ex afflictionibus externis, quàm ex tentationibus ad peccata. Omnia enim, vt ait Apoſtolus, illis cooperantur ad bonum. Ita cogitur Satan miniſter eſſe Dei, in promouenda ſalute noſtra: Etiam cùm in peccata Electos allicit. Sed hoc non ex ipſius animo & voluntate, neque ex noſtro vitio, neque ex tentationibus per ſe; ſed ex Dei benignitate, qui omnia conuertit Electis in ſalutem, proficiſcitur. Virtus (inquit Chriſtus ad Paulum) mea (non tua, aut diaboli, aut tentationum) in infirmitate perficitur. Et de peccato, vbi (inquit Apoſtolus) abundauit peccatum, ſuperabundat & gratia: Gratia (inquit) vt oſtendat, ſi quid boni conſequitur ipſas tentationes diaboli, & peccata noſtra: hoc eſſe à gratia Dei quæ longè latéque ſuperat peccata noſtra. Atque hæc de primo membro.

II. De altero dixi, diabolos ad hoc ordinatos eſſe à Deo, vt per hos ſupplicia ſumat de impiis, tam ſpiritualia, quàm corporalia. Spiritualia: vt cùm punit peccata peccatis. Eſt hoc grauiſſimum flagellum, quo vlciſcitur Deus iniquitates, præſertim idololatrias: cùm ſcilicet opera diaboli impellit impios in alia manifeſta & turpia ſcelera: ſicut deſcribit Apoſtolus ad Roman. 1. Sic. 2. Theſſ. 2. miſit Deus illis efficaciam ſeductionis, vt credant mendacio, qui non crediderunt veritati. Iud. 9. miſitq; Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelechum & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari: hoc eſt, excitauit inter illos odium per operam ſpiritus peſſimi, hoc eſt, diaboli. Sunt igitur Dæmones carnifices Dei ſpirituales. Deinde per eoſdem etiam corporales pœnas ſumit Deus de impiis: cùm ſcilicet tradit eos Satanæ cruciandos, vt omnes docent ſcripturæ. Id quod maximè fiet in fine ſeculi, cùm efficiet Deus, vt dæmones & crucientur ipſi, & crucient alios in loco æternorum ſuppliciorum. Hæc ſunt duo ad ſummam officia, ad quæ dæmones omnes ordinati & deſtinati fuerunt à Deo: vnum reſpicit ſalutem piorum, alterum perditionem impiorum. Ex vtroque autem gloria Dei, iuſtitia ſcilicet & miſericordia mirum in modum illuſtratur. Itaque etſi diabolus odit Deum & eius Eccleſiam, & nihil non aduerſus hos tentet: quicquid tamen agit, totum illud cedit in gloriam Dei, & in ſalutem Eccleſiæ. Ac de iis ſatis.

DE DOLORE AC POENA, QVA à rebus externis afficiuntur, & afficiendi ſunt Cacodæmones.

CAPVT XIX.

NVNC igitur reſtat, vt de pœna ſenſus, hoc eſt, de dolore & paſſione, quibus afficiuntur, & quibus multò magis in fine ſeculi afficiendi ſunt, cùm fuerint miſſi in ignem, dicamus. Quæſtio igitur hæc eſt, an dæmones aliqua corporali paſſione, dolore & cruciatu afficiantur & afficiendi ſint: Et quónam modo id fieri poſſit. Affici enim illos perpetuis animi cruciatibus, quia vident ſe è cœlo eiectos, iis tenebris incluſos, & ceu catenis conſtrictos: quia item cernunt ſe æternis pœnis eſſe deſtinatos, item ſtudia ſua & conatus contra Chriſtum & eius Eccleſiam ſemper irritos fieri, ſe in odio eſſe Deo, & Angelis & hominibus: ſe denique nulla vnquam conſolatione affici poſſe: hoc totum extra controuerſiam eſt. Sed an corporali etiam pœna crucientur, & cruciandi ſint, vt ab igne: Et, ſi ſunt cruciandi, quomodo id fieri poſſit: de hac demum re quæſtio eſt non omnino futilis. Summa: Duo ſunt membra huius Quæſtionis: Vnum, an dæmones nunc aliquid doloris patiantur à rebus externis & corporalibus, & quomodo id fiat: Alterum an paſſuri ſint ab igne, in quem dicuntur eſſe coniiciendi: Et quomodo iſtud fieri poſſit.

Ad primum quod attinet, citra omnem dubitationem ſentiunt permulti, illi nimirum, qui corpora attribuunt diabolis propria, eos à rebus externis dolorem & paſſionem percipere poſſe, & ſæpe multa paſſos eſſe: vt ab aëre, igne, vel ſole inflammato: vt à gladiis & flagris, & aliis id genus inſtrumentis, quibus cædi poſſunt. Sic Pſellus in lib. de dæmonibus præter alia inducit Marcum ſuum ſic loquentem. Calorem ignis ſoliſque veluti comburentem & exſiccantem fugiunt dæmones: calorem verò animalium, tanquam moderatum, ſuauíque humore permixtum diligunt. Proinde concludit, hanc eſſe cauſam, cur libenter inuadant animalia, maximè verò homines: quòd ibi commodiùs, & meliùs habeant, quàm in ſimplici aëre. Et ad calcem libri, cùm interrogaſſet Pſellus Marcum, nunquid corpora dæmonum pulſari poſſint: reſpondit Marcus, poſſunt ſanè, atque dolere ſolido percuſſa corpore. Obiiciebat Pſellus: Verum, quónam pacto, cùm ſint ſpiritus, neque ſolida neque compoſita habeant corpora. Compoſitorum autem ſit ſenſus? Reſpondit Marcus. Neque corpus compoſitum per ſe dolere, ſed tantùm, quando per ſe participat ſpiritum & animam: quo ſpiritu, ſi corpus priuetur, idem priuatur & ſenſu. Quia itaque dæmones ſpiritus ſunt, & corpora habent naturalia, ſpiritu prædita, ſicut & nos, licet illorum alterius ſint generis, quàm noſtra: idcircò fieri, vt doleant & ipſi. Nam ſicut ſuo modo vident, audiunt, tangunt abſque medio, hoc eſt, abſque iis organis, quibus prædita ſunt corpora noſtra: ita etiam patiuntur, cæduntur, diuiduntur & dolent. Sed hoc intereſt (dicebat Marcus) quòd corpora quidem ſolida diuiſa cùm ſunt, aut vix, aut nunquam reſtituuntur: Corpus verò Dæmonis, vbi ſecatur, mox iterum in ſe recreatur & coaleſcit, ſicut aquæ aëríſque partes, quando aliquid intercidit ſolidum; ſed & dictu velociùs dæmonicus ſpiritus in ſe reuertitur; Dolet tamen interea dum diuiditur. Quamobrem aciem ferri metuit. Hoc animaduertentes, qui fugare dæmones volunt, tela & enſes in tectum ibi conſtituũt, quò nolunt aduentare. Hæc & plura alia apud Pſellum.

Nec diuerſa ſcribit Cælius Rhod. lect. antiq. lib. 1 cap. 29. Primùm aſſentitur illis, qui aiunt, dæmones dolere & pulſari poſſe. Deinde modũ, quo id fieri poſſit, explicat, ſicut & Marcus apud Pſellum. Cæterùm (inquit Cælius) quonam modo

modò infligatur dolor, exactiùs perpendendum eſt. Aſtruũt quidem multi, eſſe neruos qui ſentiant: ſed non id efficit neruus, verùm ſpiritus potius neruo inſitus. Nam quod expers ſpiritus eſt, ſenſus item expers ſit, neceſſarium eſt. Ergo ſpirituale Dæmonum corpus, magna parte vbique ſenſile eſt natura. Et abſque medio tangit, videt, audit. Sed & tactum patitur: & perinde atque ſolida, diuiſum dolet: eo tamen interſtitio, quòd interciſa ac reuulſa, aut perſanantur nunquam, aut vix contingere id poteſt. Refectum verò Dæmonicum corpus, coit ruiſum recreatúrque aëris modo, aut aquæ: & id quidem celeritate incredibili. Interim tamen dolet inſigniter, dum peragitur diſſectio. Quo fit, vt ferri aciem reformident Dæmones, decliónéque, quantum maximè poſſunt. Propterea qui exagitare Dæmones moliuntur, enſes & tela ſtudioſè prætendunt. Sic ille, ſic Pſellus, ſic omnes Platonici, & qui corpora attribuunt Dæmonibus, ſentiunt.

At verò Aquinas, qui negat, Dæmones vllis præditos eſſe corporibus, negat etiam in illos cadere dolorem, aut gaudium, quatenus paſſiones ſunt: idque propterea, quòd hæ paſſiones ſint appetitus ſenſitiui propriæ. 5. *part. q. 64. art.* 3. Appetitus autem ſenſitiuus in organo eſt corporeo. Cùm itaque Dæmones careant corporibus, organicis præſertim: fieri non poſſe, vt in eis ſint paſſiones iſtæ. Cæterùm, quatenus dolor & timor ſunt ſimplices actus voluntaris, (dolet enim voluntas, cùm non habet, quod vult, vel cùm accidit, quod non vult:) eatenus dolorem cadere in Dæmones. Talis enim dolor nihil aliud eſt, quàm obluctatio voluntatis ex eo, quod eſt, vel non eſt. Sic igitur concludit: Dæmones multa velle, quæ non habent: & contrà, non velle, quæ patiuntur. Hinc oriri dolorem in voluntate: non in ſenſu, quo carent. Verùm ratio Thomæ nihil concludit aduerſus illos qui ſentiunt Dæmones ſua habere corpora, licèt non organica, vt noſtra ſunt: ſed aërea, & aëre etiam ſubtiliora. Vt enim aër cæditur & ſecatur atque diuiditur: ſic & corpora Dæmonum. Ac ſicut ſi aër præditus eſſet ſpiritu, ſentiret doleréque, cùm cæditur & diuiditur; Sic Dæmones ſentire doleréque, cùm cæduntur, abſurdum non eſt. Deinde idem Thomas fatetur contra Gentil. lib. 4 cap. 90. Dæmones paſſuros ab igne corporeo: quod illorum ſpiritus alligandi ſint igne corporeo, atque ita dolorem paſſuri. Quid igitur mirum, ſi nunc etiam patiantur, aut ab igne, aut ab aliis etiam externis & corporeis flagellis, prout Deus vult illos pati? Quæ igitur ſcribunt & Pſellus & Rhodiginus de præſenti Dæmonum pœna: refutari non poſſunt. Venio iam ad alterum Quæſtionis membrum.

II. Certum eſt, Dæmones vnà cum impiis omnibus futuros in igne æterno, & ibi cruciatum iri. Chriſtus enim apertè ait, ſe dicturum impiis: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, &c. Qualis futurus ſit iſte ignis non diſputo, quia ſcriptura non explicat: Sed hoc extra controuerſiam eſt, non ſolùm animos impiorum, verùm etiam ipſorum corpora paſſura ab igne tormentum: ac proinde ignem futurum talem, qui agat in ipſa etiam corpora, & dolorem illis infligat, longè maiorem, quàm nunc nobis incutiat præſens noſter & materialis ignis. Itaque cuius futurus ſit qualitatis: videtur futura res omnino corporea, quæ poſſit in corpora agere, & ea torquere, ſicut etiam Auguſtinus docet tomo 3. de Trinit. lib. 4. cap. 13. Et clariùs etiam tomo quinto de ciuitate Dei, libr. 21. cap. 9 & 10. Vbi apertiſſimè ſcribit, ignem illum gehennæ, ignem eſſe corporeum, quo crucianda ſunt damnatorum corpora, tam Dæmonum, quàm hominum. Et Hieronymus tomo 2. ad Auitum inter errores Origenis recenſet etiam hunc, quòd ignem, quem Chriſtus minatus eſt impiis & Diabolis, Interpretatus eſt de conſcientia peccatorum, qua cruciantur impij, & cruciandi ſunt. Cùm hoc ita ſe habeat, manifeſtum eſt, diabolos dolorem & cruciatum paſſuros à re corporea, hoc eſt, ab illo igne, & id quidem in ſempiternum, proinde vocatur ignis inextinguibilis & æternus.

Nunc ergo quæritur, quomodo id fieri poſſit, cùm Dæmones ſint ſpiritus: Et, ſi corpora habent, ea etiam quodam modo ſint ſpiritualia. Quæſtionem hanc tractat ex profeſſo Auguſtinus tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 21. ca. 10. Libet autem Auguſtini verba recitare: quia neque multa ſunt, neque obſcura. Titulus capitis ſic habet: An ignis gehennalis, ſi corporalis eſt (ſic enim paulò antè ſuppoſuerat) poſſit malignos ſpiritus, id eſt, Dæmones incorporeos, tactu ſuo adurere.

Quæſtio verò habet ſic: *Hic occurrit* (inquit Auguſtinus) *quærere, ſi non erit ignis incorporalis, noxius, ſicut eſt animi dolor, ſed corporalis, tactu noxius, vt eo poſſint corpora cruciari: quemodo in eo erit pœna etiam ſpirituum malignorum? (idem quippe ignis erit ſupplicio ſcilicet hominum attributus, & dæmonum: dicente Chriſto, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius) niſi quia ſunt quædam ſua etiam dæmonibus corpora (ſicut doctis hominibus viſum eſt) ex iſto aëre craſſo atque humido, cuius impulſus, vento flante, ſentitur?* Concludit Auguſtinus, ideò Dæmones paſſuros cruciatum ab igne corporeo: quia etiam ipſi conſtant ſuis corporibus aëreis ſcilicet. Non eſt autem mirum, quòd corpus patiatur à corpore.

Quòd ſi excipias, aëreum corpus non poſſe ab igne perpeti: Auguſtinus reſpondens ſubiicit dicendo. *Quod genus Elementi* (aër ſcilicet) *ſi nihil ab igne perpeti poſſet non vreret ferueſactus in balneis. Vt enim vrat, prior vritur, facitque cùm patitur.* Ac experientia conuincit, aëreum corpus pati ab igne. Nam in Thermis aër calidus eſt, quia calefit ab igne Thermarum. Ita aër in fornace & hypocauſto calidus eſt. Vndénam? Ab igne. Eſt enim aër obnoxius contrariis qualitatibus. Proinde, ſicut hyeme frigidus eſt & humidus; quia frigidis humidiſque humoribus talis fit. Sic æſtate calidus & ſiccus eſt, quia calefit & ſiccatur à ſole: Si igitur aër ab igne aduritur, abſurdum non eſt, quòd etiam dicamus, aërea dæmonum corpora tormentum & dolorem ab igne gehennali paſſura. Quid verò ſi neges, Dæmones habere talia corpora. Et ſimplices ſpiritus eſſe contendas, vt multi volũt? Reſpondet Auguſtinus, hinc tamen non impediri, quin Dæmones paſſuri ſint ab igne illo materiali. Ratio ducitur ab omnipotentia Dei, qui poteſt tales ſpiritus igni ipſi alligare, ſicut etiam animas noſtras alligauit corporibus noſtris; Ideò poteſt etiam efficere, vt ſicut animæ noſtræ patiuntur à corporibus noſtris; ſic Dæmoniaci ſpiritus patiantur ab igne. Audiamus verba Auguſtini; *Si autem quiſquam Dæmones nulla habere corpora aſſeuerat: non eſt de hac re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi ſi ſpiritus hominum, etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari?* Pulcerrima eſt hæc reſponſio & ratio. Etiamſi daremus (inquit) pacis cauſa, & vitandæ contentionis gratia, ſpiritus dæmonum prorſus eſſe incorporeos; tamen non propterea conuinceretur, dæmones non poſſe ab igne corporeo cruciatum pati. Nam etiam animæ noſtræ ſpiritus ſunt incorporei, ligari tamen potuerunt his corporibus, & ab ipſis multa pati poſſunt. Quidni igitur & dæmones poterunt ligari igni, & ab illo pati? Subdit igitur; *Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora ſpiritus dæmonum, imò ſpiritus dæmones, licèt incorporei* (cui adhærebunt?) *corporeis* (inquit) *ignibus cruciandi.* Hęc eſt concluſio. Quòd ſi dicas, quid igitur? nunquid ſicut corpora noſtra animantur, propter animæ cum illis coniunctionem, ſic etiam ignis ille propter coniunctionem ſpirituum, inſpirabitur, & viuus fiet? Reſpõdet Auguſtinus, non; ſed modis miris, ſed tamen veris per omnipotentiam Dei illigabuntur. Ideò ſubdit cauſam, cur alligabuntur ignibus; *non vt ignes ipſi, quibus* (dæmones) *adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, animalia fiant quæ conſtent ſpiritu & corpore: ſed, vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ab ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt. Et hoc, ipſe homo eſt,* quaſi dicat, ne mireris, quòd dico, *dæmones adhæſuros igni miris modis, cùm etiam mirus ſit modus, quo anima adhæret corpori: nec tamen ideò negamus eam adhærere corpori, quia modum hunc non percipimus.* Poſtea ſubdit, *Dicerem quidem ſic arſuros ſine vllo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille diues, quando dicebat, Crucior in hac flamma, niſi conuenienter reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam* (metaphoricam ſcilicet) *quales oculi, quos leuauit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum deſiderauit infundi: qualis digitus Lazari, de quo id ſibi fieri poſtulauit: vbi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalibus & illa flãma, qua exarſit, & illa guttula quam popoſcit: qualia etiam ſunt viſa dormientium; ſiue in ecſtaſi cernentium res incorporales, habentes tamen ſimilitudines corporum. Nam & ipſe homo, cùm ſpiritu, non autem corpore ſit in talibus viſis: ita tamen ſe tunc ſimilem ſuo corpori videt, vt diſcernere omnino non poſſit.* Hæc omnia eò ſpectant, vt doceat Auguſtinus, flammam ignis infernalis, non eſſe metaphoricam, aut imaginariam, qualis fortè dicetur fuiſſe illa diuitis in inferno, de quo Lucas capit. 16 ſed eſſe veram flammam. Ideò ſubdit, *At verò Gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit: & cruciabit corpora damnatorum: aut & hominum & dæmonum, ſolida hominum, aërea dæmonum: aut tantùm hominum corpora cum ſpiritibus: dæmones autem ſpiritus ſine corporalibus hærentes*

ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtriſque erit, ſicut veritas dixit. Hæc Auguſtinus. Ita pulchrè explicata eſt quæſtio, dæmones ſcilicet paſſuros cruciatum & dolorem tormentúmque æternum ab igne corporali, ſiue ſpiritus ſint ſimplices, ſine corporibus: ſiue (in quo magis inclinat Auguſtinus) corpora habeant aërea: quia ſi corpora habent aërea: quemadmodum aër iſte aduritur & inflammatur ab igne & à ſole: ſic dæmonum corpora ab igne illo æterno. Si verò non habent, percipient tamen pœnam ſpiritus illi incorporei à corporeo igne: quia miris modis illi alligabuntur, ſicut & animæ corporibus noſtris: non quidem vt illi ſpiritus animent ignem, cui iungentur, ſicut noſtræ animæ corpora: ſed vt ab illo pœnam & dolorem percipere queant corporalem.

Thomas Aquinas poſteriorem ſequitur reſponſionem: propterea quòd negabat, Angelos præditos eſſe corporibus. Verùm hanc, quam ſequitur, egregiè explicat & confirmat, libro contra Gent. 4. capite 90 Ait igitur: *Angelos malos pati ab igne corporeo, quòd huic igni alligentur. Poſſe autem ſpiritus incorporeos alligari corporibus bifariam: aut per modum formæ, ſicut anima humana alligatur humano corpori, vt ei det vitam: aut alio modo, quàm vt ſint in talibus corporibus formæ. Nam Magi nonnunquam virtute dæmonum, ſolent alios dæmonum ſpiritus alligare, imaginibus à ſe fabrefactis, aut alius id genus ſignis & rebus corporeis. Multò magis igitur virtute Dei poſſunt ſpiritus mali igni corporeo alligari, & ita pœnam pati. Confirmat verò hanc doctrinam, quòd æquum ſit, ſpiritus malos pœnis etiam corporalibus puniri. Nam pœna peccati, debet culpa ita reſpondere, vt ſemper, in quibus nimium amandis peccauimus, contrariis iſtis puniamur. Vt ſi nimium carnis voluptates amaſti, carnis afflictionibus puniaris. Omne autem peccatum,* inquit, *rationalis creaturæ inde eſt, quòd non ſubditur Deo vera obedientia: ſed ad res creatas amorem conuertit. Eſt igitur æquum, vt mali ſpiritus rebus creatis affligentibus & quidem ſe inferioribus atque vilioribus, nempe ignibus alligati, ab illis patiantur.* Sic ille.

Ac ſi cui non videtur abſurdum, quòd animæ humanæ, hominum ſcilicet impiorum, paſſuræ ſint ab igne corporeo: huic itidem videri non debet durum, quod aſſeritur de malis Angelis. Animam autem humanam paſſuram, ſed mediante corpore, fatentur omnes. Sicut enim nunc patitur cum corpore & à corpore, ſic etiam tunc. Non igitur difficile eſt intelligere, quomodo etiam dæmones paſſuri ſint ab igne Gehennali, dolorem & afflictionem vehementiſſimam. Ego autem ſentio, dæmones habere ſua corpora: ita facilior ſit ad quæſtionem reſponſio.

III. Æternas verò futuras has dæmonum pœnas, contra Origenem, certò certiùs eſt ex verbis Chriſti: *Ite in ignem æternum qui,* &c. Neq; hoc pugnare cum iuſtitia Dei; ſed eſſe admodum conſentaneum & æquiſſimum: docet idem Auguſtinus tom. 5. lib. 21. cap. 11. Hæc igitur noſtra eſto

THESIS.

Dæmones, ſiue prædit. ſint corporibus, ſiue non præditi: Tamen præter ſpiritualem mentis & voluntatis multiplicem afflictionem, tormentum etiam ac dolorem, & nunc à multis rebus corporeis pati, ídque mirabilibus modis, poſſibile eſt atque probabile: Et poſtmodum à fine ſeculi vſque in ſempiternum paſſuros eſſe ab igne Gehennali, neceſſe eſt.

DE VSIBVS HVIVS DOCTRINÆ de Dæmonibus.

CAPVT XX.

S*I, quæ ſacris literis tradita ſunt, ea omnia ad ſalutem noſtram,* vt Apoſtolus docet, *ſcripta ſunt:* quæcunque igitur de dæmonibus etiam hactenus è ſacris literis dicta à nobis fuerunt: ea ſuum habeant vſum nobis vtilem & ſalutarem neceſſe eſt.

Triplex autem cumprimis mihi is eſſe videtur. *Vnus* eò ſpectat, vt doctrina de rebus inuiſibilibus, de Deo, de cœleſti eius regno, de futura vita, déque beatis, non ſolùm Angelis, ſed hominum etiam in cœlo ſpiritibus, in nobis confirmetur. Si enim vera ſunt, quæ de dæmonibus, qui tamen ſua natura inuiſibiles ſunt, ſcripta leguntur: annon hinc confirmantur, quæ de bonis quoque Angelis, quæ de altero ſeculo, quæ denique de ſpirituali & cœleſti animorum noſtrorum corporibus ſolutorum apud Deum, ſtatu, in iiſdem ſacris literis prædicantur? Eſſe autem reuera dæmones, quanquam oculis perſpici à nobis nequeant: nos ab ipſorum effectis, quæ ſubinde videmus ac ſentimus, experientia didicimus. Faceſſant igitur, qui nihil, niſi quod ſub ſenſus cadit, credere volunt. Sic Chriſtus à vento, cuius effecta ſentimus: ipſum autem non poſſumus videre aut palpare, confirmauit Nicodemo doctrinam de Spiritu ſancto, déque noſtrorum animorum per Spiritum ſanctum regeneratione, quam priùs ſimplicibus verbis propoſuerat Iohan. 3. *Spiritus,* inquit, id eſt, ventus, *vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis: ſed neſcis vnde veniat aut quò vadat. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.* Fabulæ certè non ſunt, quæ è ſacris literis diximus de dæmonibus, eos eſſe ſubſtantias, licet inuiſibiles, viuentes, intelligentia & voluntate præditas: quæ nobis malè velint, & quoties poſſunt, multis nos afficiant malis. Nam præter certitudinem verbi Dei accedit etiam experientia hominum quotidiana. Seruiunt igitur nobis dæmones ad confirmandam in nobis fidem de Deo, de bonis Angelis, de cœleſti regno, de beatis animis, déque aliis rebus inuiſibilibus, quas nobis tradit ſacra ſcriptura. Negant ideò plerique animam humanam poſt mortem corporis ſupereſſe & viuere, propterea quòd cùm quis moritur, nihil videtur, niſi halitus ex ipſius ore efflari: eóque impietatis veniunt, vt præter hanc præſentem vitam, quicquid de altero ſeculo dicitur, totum illud rideant. At neque dæmones videntur: interim tamen ſole lucente clarius eſt, quia poſt verbum Dei, id ipſum etiam experientia docet: Plenum hunc eſſe aërem dæmonum. Hic igitur eſto primus vſus doctrinæ de dæmonibus, vt inde confirmemur in fide, de veritate eorum etiam, quæ eædem ſcripturæ tradunt de Deo, déque aliis inuiſibilibus rebus.

Alter vſus eſt, vt hinc magis ac magis metuamus offendere Deum, & eius reſiſtere voluntati. Videmus enim, angelos malos è cœlo in hunc aërem, tanquam in carcerem detruſos eſſe, propter ſuam contra Deum rebellionem; trudendos tandem in ipſum etiam ignem æternum, & ab illo cruciandos: quanquam ſpiritus ſint inuiſibiles: Et quanquam ſubſtantiæ ſint cœleſtes & præſtantiſſimæ.

Non debemus igitur polliceri nobis impunitatem: ſi pertinaces in peccatis permaneamus. Hunc vſum docuit Petrus & Iudas. *Si enim,* inquit Petrus, *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed catenis caliginis in tartarum præcipitatos, tradidit ſeruandos in iudicium: Ita,* reliquos, *iniuſtos nouit Dominus in diem iudicij puniendos ſeruare.* Exemplum igitur dæmonum qui ſemper in aëre cruciantur propter ſuum peccatum in Ieſum Chriſtum: ſit nobis inſtar perpetui freni, quo arceamur à peccatis, & vt ne tentemus Chriſtum.

Tertius denique vſus eſt, vt tota hac doctrina de dæmonum aduerſus nos odio, malitia, cognitione, potentia, ſtudiis præmoneamur: quos & quotnam habeamus circa nos hoſtes, quid cogitent, quid cupiant, quid moliantur nobis mali: Et quid etiam poſſint, facturique ſint, niſi fide & ſtudio legis diuinæ illis reſiſtamus: ac proinde nobis non eſſe ſecurè ſtertendum: ſed vigilandum, ſed pugnandum, ſed perpetuis precibus ad Chriſtum, pro ope aduerſus hos hoſtes impetranda, accedendum. Hunc vſum docet Apoſtolus ad Eph. 6. Vbi in hunc finem deſcribit dæmonum potentiam, vocans eos principatus & poteſtates, *mũdi rectores:* Et locum vbi ſint, in hoc ſcilicet aëre nos cingentes & obſidentes, déque ſublimi loco nos petentes: Ideò, inquam, hæc & alia ibi tradit de diabolis iſtis Apoſtolus, vt nos animet ad pugnam & extimulet ad ſumenda arma, non certè carnalia, & humana: ſed ſpiritualia & diuina, quæ ſcilicet ad propulſandos tales hoſtes ſatis firma ſint atque valida.

DE PVGNA, QVAM HABEMVS ET habere nos vult Deus cum diabolis.

CAPVT XXI.

DE hac igitur pugna nunc nobis dicendum eſt; quoniam hic eſt præcipuus finis totius doctrinæ de dæmonibus traditæ in ſacris literis.

Quatuor autem præcipua capita nobis breuiter explicãda ſunt, quorum cognitio ad pugnam ſcilicet conficiendam, nobis neceſſaria eſt. *Principio* videndum, cum quibuſnam hoſtibus pugnandum nobis ſit. Niſi enim intelligas, quot & quales habeas hoſtes, profectò facilè vel de improuiſo opprimeris, vel ſuccumbes in pugna. *Deinde* conſiderandum tempus, quàm diu ſcilicet nobis cum iis hoſtibus pugnandum ſit. Hoc etiam cognitu neceſſarium eſt in militibus; ne ſi porrò præter ſpem videant protrahi bellum, deſpondeant animos & manus remittant. *Tertio* loco, de cauſſa belli, pro qua pugnandum eſt. Huius rei cognitio non parum habet momenti ad animos ad pugnam

gnam excitandos, & fortes in ea, ad finem vſque retinendos Si enim cauſſa belli honeſta ſit, vtilis & neceſſaria: nemo eſt vir bonus, qui ad arma ſumenda, & ad fortiter pugnandum, non animetur. *Quartò*, de exitu belli, qualem certò ſperare debeamus: Et vndenam certa victoria nobis ſit promittenda. Niſi enim quis certam ſibi promittat victoriam, nunquam cordate pugnabit. Nobis autem certa eſt, vt videbimus: Hinc ad extremum patefiet, quàm iuſta ſit Apoſtoli adhortatio ad Epheſios 6. vt talia ſumamus arma animo forti, qualia ipſe deſcribit. Breuiter omnia hæc capita percurram.

1. Ad primum quod attinet, Dæmones, quibuſcum pugnandum nobis eſt, non ſunt (vt quidam iudicarunt, ſed falſo) mali affectus, & perturbationes animi, quæ nobis à carne noſtra ingeruntur. Apertè enim ait Apoſtolus, non eſſe nobis luctam cum carne & ſanguine. Hi autem mali affectus à carne noſtra ſunt, eóque ſunt caro: Sed ſubſtantiæ ſunt excellentiſſimæ, intellectu & voluntate prædità: quæ in cœlo creatæ, de cœlo propter ſuam iniquitatem detruſæ ſunt, in has, infra Lunam regiones, vt Petrus & Iudas docent. Ideò non eſt nobis certandum cum vmbra aſini, ſed cum veris militibus, qui eò magis metuendi ſunt, quò minùs videri à nobis poſſunt. Poſſunt enim nos omni ex parte incautos, & quaſi cæcos adoriri. Et quales ſunt hoſtes? audacia promptiſſimi, viribus robuſtiſſimi atque calidiſſimi, diligentia ac celeritate infatigabiles, machinis & armis omnibus munitiſſimi, pugnandi ſcientiâ expeditiſſimi: Denique tales ſunt, quibus nihil ad veram militiam deeſt. Ideò ad Epheſios 6. Apoſtolus explicans aduerſus quos pugna nobis ſit, ſubiecit: ſed aduerſus Principatus & poteſtates, aduerſus Mundi Dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales malitias, in ſupercœleſtibus, quæ ſunt in ſublimi, in aëre ſcilicet. Docet iis Apoſtolus, pugnam nobis non eſſe cum aliis hominibus hoſtibúſque vel inferioribus vel paribus, ſed cum longè ſuperioribus, vtpotè Principibus potentiſſimis, qui totum hunc occupant mundum, cùm eius ſint rectores: cum hoſtibus inuiſibilibus, à quibus maius etiam imminet periculum, plenis militia atque aſtutia, eóque magis metuendis. Vt hoc expreſſiùs ſignificaret, vocauit eos non ſimpliciter, *Principes* aut *Imperatores*, ſed ἀρχὰς, imperia: non *potentes*, ſed ἐξουσίας, *poteſtates ipſas*: non *Dominos vnius partis Mundi*, ſed Κοσμοκράτορας, *totius* ſcilicet *Mundi Dominos*.

Eſt autem periculoſius & difficilius pugnare cum hoſte in ipſius regno, quàm extra eius regnum. Illud etiam magis nobis formidabiles reddit hoſce hoſtes, quòd eos vocat *Dominos tenebrarum huius ſeculi. Tenebræ*, hoc eſt, impij, iuxta illud, *Eratis aliquando tenebræ*: Hæ, inquam, tenebræ occupant totum mundum, vbi pugnandum nobis eſt. Harum autem tenebrarum illi ſunt domini: Et iis pro ſua libidine aduerſus nos vtuntur dæmones. Huc etiam ſpectat, quòd eos vocat, *non ſpiritus malitioſos*, ſed *ipſas ſpirituales malitias*. Quatenus vocat *ſpiritus*: docet eos eſſe inuiſibiles, eóque magis metuendos. Ab hoſte enim inuiſibili, maius imminet periculum. Quatenus appellat *malitias*: oſtendit non ſolùm, quàm malo ſint in nos animo, ſed etiam, quàm ſint aſtuti, callidi, vafri, in omni fallendi & circumueniendi arte exercitatiſſimi: Ac proinde diligentiùs nobis eſſe excubandum, ne circumueniamur. Auget etiam periculum, cùm ait, *eos eſſe in ſublimi*, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: quaſi dicat, illi ex loco ſuperiori aggrediuntur nos, qui ſumus in terris: Et ceruicibus noſtris illi imminent: ideò plus etiam nobis imminet periculi. Quare videte, quanta vigilantia nobis ſit neceſſaria, & quibus armis oporteat nos eſſe munitos: certè ſpiritualibus, cùm etiam aduerſus ſpirituales hoſtes pugnandum ſit. En quales ſint hoſtes noſtri. Quis verò horum hoſtium Imperator ſit, & qualis ac quantus: explicat Petrus, dicendo: *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret. Leonem* vocat omnium animalium fortiſſimum. Docet igitur eum eſſe fortiſſimum & potentiſſimum: adde & truculentiſſimum. Leo etiam eſt, non ſimpliciter, ſed rugiens. Magno igitur tenetur deſiderio nos deuorandi. *Circumit*: nunquam igitur otiatur: ſed omnes intendit neruos, vt nos deglutiat famelicus iſte leo: Et nullum relinquit locum vel angulum, in quo non quærat, ſi quem deuorare poſſit. Hæc omnia eò pertinent, vt intelligamus, qualis & quantus ſit hoſtium noſtrorum imperator diabolus. Huc etiam pertinent omnia, quæ de cognitione, potentia, malitia, ſtudiis & operibus dæmonum diximus. Neque putandum eſt, nobis eſſe pugnandum cum paucis aliquot; ſed cum exercitu numeroſiſſimo. Sunt enim innumerabiles dæmones: neque vni cum vno pugnandum eſt, ſed plures dæmones vnum adoriuntur hominem, eúmque facilè opprimunt. Septem dæmones oppreſſerant Mariam Magdalenam, Marc. 16. Et Chriſtus ait, Matth. 12. *Vnum immundum ſpiritum aſſumere ſecum ſeptem alios nequiores ſe: Et in eandem domum redire: Et legio vna hominem vnum obſeſſerat.* Lucæ 8. Nunc igitur ex parte hoſtium videmus, qualis ſit illa pugna, ad quam armat nos Apoſtolus. Hoc eſt primum.

2. Ad alterum quod attinet, de tempore ſciendum nobis eſt, pugnam hanc non eſſe vnius diei, menſis, aut anni, ſed toto vitæ noſtræ tempore, cùm talibus hoſtibus eſſe pugnandum. Proinde non eſt, cur promittamus nobis breui finem huius belli: poſt quem finem frui debeamus optata pace. Diu diu pugnandum eſt, ſine intermiſſione, ſineque induciis. Docet hoc Iobus capite ſeptimo, vbi vulgaris editio habet, *Militia eſt vita hominis ſuper terram: Et ſicut aduerſarij dies eius.* Septuaginta vertunt πειρατήριον, *locum piratarum & tentationum*: quaſi dicat, tota vita noſtra nobis in hoc Mundo negotium eſt cum piratis. Etſi autem Hebraica verba vtcunque diuerſa ſint: idem tamen eſt ſenſus: per totum ſcilicet tempus, quod definitum nobis eſt ſuper terram, nobis ſemper inſtar mercenariorum militum eſſe laborandum & pugnandum, ſine requie, ſinéq; intermiſſione.

Petrus etiam ait de diabolo, eum vt leonem rugientem circumire, nempe ſemper, ſine intermiſſione quærentem, quem deuoret. Docet igitur, nobis quoque ſemper eſſe vigilandum, & diabolo reſiſtendum. Nam ſi hoſtis nunquam ceſſat nos oppugnare, profectò nec nobis ceſſandum eſt à noſtri propugnatione. Huc pertinent adhortationes Chriſtianæ & Apoſtolicæ: oportere nos ſemper orare & non deficere: hoc eſt, precibus ad Deum ſine intermiſſione contra diabolum pugnare. Nullo enim acutiori gladio profligatur Satan: quam fideli precatione ad Deum. Item oportet nos ſemper vigilare, & excubias agere: quia aduerſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens ſemper circumit, &c. Quæ igitur eſt hominum ſocordia atque ſtultitia; qui totum diem ſecuri in crapulis & ebrietatibus conſumunt, quaſi inducias habeant cum diabolo pactas. Eſt continenter pugnandum, fratres, non ſtertendum.

3. Ac ſi quis diligenter perpendat tertium, quod propoſuimus, caput; nempe quæ & qualis ſit illa cauſſa, propter quam pugnandum eſt; is certè intelliget, minimè dormiendum nobis eſſe; ſed ſedulò, cordatè & fortiter eſſe pugnandum. De ſumma enim rerum agitur. Et pro aris & focis, vt dici ſolet, pugna hæc eſt inſtituta. Pro qua enim re pugnandum eſt? Pro gloria Dei Patris noſtri tuenda; Et pro ſalute noſtra æterna defendenda. De iis enim duabus rebus agitur. Proinde hoſtis iſte *& Dei, & noſtri inimicus atque hoſtis* vocatur; quia & gloriam Dei extinguere, & nos perdere ſtudet.

Apparet hoc in prima, qua aggreſſus eſt Euam & Adamum, pugna. Suo mendacio mendacij perſtringit Deum, dicendo, *non eſſe verum, quòd quacunque die comederint, morituri ſint*; imò Deum vetuiſſe fructum illum, non aliam ob cauſſam, quam quòd inuideret eis diuinitatem, quam ex eius fructus eſu poterant conſequi. En quomodo id in primis dat operam Satan, vt Deum iuſto ſpoliet honore. Deinde ſimul petit noſtrum iugulum. Ideò enim nos abducit ab obedientia; vt nos præcipitet in ruinam mortémque æternam. Ita vno ictu duos ferit; & Deum & hominem. Proinde meritò Iohan. 8. dixit Chriſtus, *eum eſſe mendacem & homicidam ab initio*. Mendacem quidem; quia in hoc inprimis totus eſt, vt mendaciis gloriam Dei obruat, veritatem verbi Dei oppugnando. *Homicidam* verò; quia hoc eſt alterum illius ſtudium, vt homines perdat, & in æternum pertrahat exitium. Mendaciis igitur veritatem Dei oppugnat, lucem tenebris obſcurat, hominum mentes erroribus implicat, calumnias ſpargit, odia inter homines ſuſcitat, contentiones & pugnas accendit, & alia omnia ſua zizania in agro Dominico ſuperſeminat, vt & regnum Dei euertat, & homines in æternum exitium ſecum demergat. Hi enim duo ſunt fines omnium actionum Satanæ. Si igitur nobis cordi eſt, vt eſſe debet, gloria Dei noſtri; totis viribus enitendum eſt contra eos, qui illius extinctionem moliuntur. Et ſi amamus regnum Chriſti ſeruatoris noſtri neceſſe eſt, irreconciliabile nobis eſſe bellum, cum eo, qui illud deſtructum vult. Rurſus, ſi qua ſalutis noſtræ cura nos tangit; nec pax, nec induciæ cum eo nobis eſſe debent, qui in perniciem noſtri, inſidias perpetuò tendit.

Quare ex cauſſa etiam, pro qua pugnandum nobis eſt cum dæmonibus, facilè eſt intelligere, an æquum ſit, vt ſimus ſegnes: & in vtramque obdormiamus aurem.

4. Cæterùm, quod quarto loco propoſuimus, notandum eſt, certam nobis promitti victoriam ab eo, qui non menti-

tur, aut mentiri poteſt: Et in cuius manu ea poſita eſt: modò nos ſub eius vexillo militemus iis armis muniti, quæ nobis præbet per Apoſtolum ad Epheſ. Hic eſt Ieſus Chriſtus Imperator noſtri exercitus, qui ſic ait, *Nolite timere: Ego vici Mundum.* Item, *Princeps huius Mundi in me non habet quicquam: ſed iudicatus eſt.* Item, *Princeps huius Mundi eiicietur foras.* Et Apoſtolus 1. Corint. 15. *Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ratio eſt, quia Satan & omnes dæmones captiui ſunt Ieſu Chriſti, vt nihil valeant, niſi quantum ipſe illis permittit: ſicut antè oſtenſum eſt ex multis ſacrarum literarum locis: Et præſertim ex hiſtoria Iobi. Hinc fit, vt dæmones tentare quidem & adoriri electos poſſint, & ferire, & ſæpe proſternere: ſed ſuperare ad extremum non poſſint: quia redintegrato bello tandem electi de Satana per Chriſtum triumphant. Nam de ſingulis electis Chriſtus ait, *eos ſibi tantæ eſſe curæ, vt non ſinat quempiam ex illis perire, & de ſua ſibi manu eripi.* Et Apoſtolus ait, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis ferre: ſed faciet ex tentatione euentum.* Imò tandem vt de diabolo triumphent, neceſſe eſt: propter promiſſionem initio factam, Geneſ. 3. *Tu inſidiaberis calcaneo eius: ſed ipſum* (ſemen) *conteret caput tuum.* Rom. 16. Deus autem pacis breui conteret Satanam ſub pedibus veſtris. De impiis reprobis non loquimur: quia illi ſemper ſuperantur à Satana. Eſt enim illorum Princeps, & in eis efficaciter operatur: vt ait Apoſtolus. At in electis non poteſt quod vult: Sed contrà dum aduerſus illos pugnat, cogitur illorum ſalutem promouere: Deo ſic illius ſtudia & pugnam temperante ac moderante pro ſua clementia. Victoria igitur certa eſt electis Dei contra diabolum: non ex ipſis ipſorúmque viribus: ſed ex Chriſto Chriſtíque gratia: ita vt tandem propter Chriſtum inſultaturi ſimus diabolo & morti: dicentes, *Vbi eſt ô mors victoria tua? Vbi, ô inferne ſtimulus tuus?* Atque hoc eſt illud, quod à nobis inprimis requirit Petrus, ſi aduerſus Satanam præualere velimus: nempe, vt fide in Chriſtum ſecuri de victoria, reſiſtamus diabolo: *Cui* (inquit) *diabolo reſiſtite, fortes in fide.* Quæ cùm ita ſe habeant; non eſt cur quiſpiam prodire ad hanc pugnam: & ſeſe armis illis, quæ Imperator noſter præſcribit per Apoſtolum ad Epheſios, induere vereatur; *Sumite*, inquit, *armaturam Dei*, &c. Faxit Deus, vt hæc doctrina de cœlo Beatorum, déque Angelis tam bonis, quàm malis, ad eam ſalutem nobis cedat, cuius cauſſa etiam à Deo nobis reuelata eſt. Cui ſit laus & gloria.

FINIS PARTIS PRIMAE.

DE

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI INTRA SPATIVM SEX DIERVM CREATIS.

Pars Secunda.

Quæ eſt περὶ τῶν ὁρατῶν, id eſt de rebus viſibilibus.

DE OPERIBVS DEI VISIBILIBVS SENSVIQVE SVBIECTIS,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Ad Theologum pertinere de Phyſicis etiam Dei operibus diſſerere. 2. Quam Ariſtoteles in explicanda naturali Philoſophia ſeruauit methodum: eandem Moſen ſpiritu Dei afflatum, in enarrandis Phyſicis Dei operibus longè antè ſecutum fuiſſe: ac proinde quam etiam Theologus in hoc rerum genere tradendo, rationem ſequi debeat, docuiſſe.

PHILOSOPHIAM definierunt Philoſophi, *ſcientiam eſſe rerum humanarum ac diuinarum*: quatenus ea ab homine percipi poteſt. Ita omne id, quod in hominis ſcientiam cadere poteſt, ſiue corporeum, ſiue incorporeum illud ſit, naturæ quæ corporeæ adhæreſcat: totum inquam hoc, ſubiectum Philoſophiæ ſtatuerunt: & huius cognitionem, ſub Philoſophiæ nomine complexi ſunt: quæ etiam à ſtudio amoréque talis ſcientiæ, *Philoſophia* appellata fuit.

Duplicem autem Philoſophiæ rationem fecerunt: vnam quę in humanę vitæ actionibus verſatur, quam ἠθικὴν, hoc eſt, *moralem* nominarunt: ſub qua *Politica* & *Oeconomica* continentur: alteram quæ in contemplatione rerum conſiſtit: quam propterea θεωρητικὴν appellare ſoliti ſunt. Atq; hanc in partes diſtribuerunt tres: quarum prima ea eſt, quæ de rerum diuinarum atq; inuiſibilium & in ſolam intelligentiam cadentium, natura, diſſerit: quæ etiam hanc ob cauſam *Theologia, primáque Philoſophia* ab ipſis appellata fuit. Altera quæ circa rerum corporatarum magnitudines verſatur: quam μαθηματικὴν, ideò appellant, quod diſciplina ſit certa, certiſq; & firmiſtationibus comprobata. Tertia, quæ circa corporis naturalis affectionem, & vires verſatur: quam propriè φυσικὴν nominarunt: quanquam reliquæ etiam partes Philoſophiæ de natura ſunt. de Natura, inquam, aut prima, quæ Deus eſt: aut ſecunda, quæ rerum à Deo conditarum principia, vires, qualitates, magnitudines continet. Sed κατ' ἐξοχὴν *Phyſicen* vocare Philoſophis placuit illam Philoſophiæ partem, quæ circa corporis naturalis principia, naturam, & vires verſatur. Ita ad ſummam tota Philoſophia, ſcientia eſt de Deo, deque iis quæ à Deo ſunt condita: & ſiunt in Natura & hominibus.

Nos verò, qui Theologiam profitemur, ſic definiuimus Theologiam: *Sermonem ſeu ſcientiam eſſe de Deo, quatenus nobis in ſacris literis reuelatur, ad hominis ſalutem*: de Deo, inquam, aut in ſeipſo inq; ſua natura: aut extra ſe, in ſuis ſcilicet effectis.

Ac in ſe quidem bifariam: Aut in ſua Eſſentia, quæ in tribus vna eadémque exiſtit perſonis, & in qua tres ſubſiſtunt perſonæ: vnde Theologiæ pars prima conficitur: Aut in ſuis attributis, ſimplicitate, immenſitate, æternitate, omnipotentia, & aliis quæ in ſacris literis Deo attribuuntur: vnde altera oritur Theologiæ pars: de quibus duabus partibus, abundè hactenus à nobis diſputatum fuit. Extra ſe verò, hoc eſt, in ſuis effectis, conſideratur Deus iterum bifariam: quatenus duplicia quoque ſunt eius effecta. Alia enim ſunt priora, quæ *creationis* & *gubernationis* appellare ſolent, ſiue ea ſint nobis inuiſibilia, vt Cœlum Beatorum, & Angeli tam boni: quàm mali, de quibus hactenus abundè dictum eſt: ſiue viſibilia & ſenſibus noſtris obiecta: vt corpora Phyſica: ſiue ex vtriſque compoſita, vt homo, qui viſibili corpore, inuiſibili autem animo, conſtat: de quibus porrò dicendum nobis eſt, quatenus ſcilicet ad Theologiam ſpectant. Alia verò ſunt *opera redemptionis*: cui redemptioni occaſionem dedit peccatum: Et quorum operum multa ſunt genera, vt ſuo dicetur loco. Nam alia ſunt *Redemptionis* & ſalutis neceſſitatem demonſtrantia, vt Lex. Alia, eiuſdem efficientia, vt Chriſtus Mediator. Alia, inſtrumenta, per quæ ſalus offertur & exhibetur: vt Euangelium & Sacramenta; alia per quæ accipitur, vt fides; alia ſunt eiuſdem effecta, eáque multiplicia; vt ſuis explicabitur locis. Quæ omnia ad quartam Theologiæ partem pertinent; Vnde etiam fit, vt ea omnium ampliſſima ſit, atque vtiliſſima. Ita ex Philoſophiæ, & ex Theologiæ definitionibus atque partibus, apparet, Philoſophiam ſub Theologia contineri; ac latiùs patere Theologiam, ipſa Philoſophia; quanquam aliter iudicent Philoſophi; qui Theologiam ſub Philoſophia complectuntur. Quare Theologi eſt, non ſolùm de Deo in ſe, déque eius Eſſentia atque attributis diſſerere: nec ſolùm de præſtantiſſimo eius opere, quod eſt humani generis Redemptio; nec ſolùm etiam de inuiſibilibus ab ipſo conditis operibus: cœleſti nimirum habitaculo, & Angelis eius diſceptare, verùm etiam viſibilia eius opera, quæ Phyſica, naturaliáque corpora vocantur, earúmque naturarum principia, vires, & vſum indagare, cognoſcere, contemplari. Nam horum quoque cognitio, & honeſtiſſima res eſt, Chriſtianóque homine digniſſima, & multiplicem adfert vtilitatem.

Nec verò ſecùs docent ſacræ literæ. Moſes enim omnium Theologorum facilè princeps & parens, non minori diligentia, licèt breuiter, de Phyſicis operibus, intra ſex dies à Deo conditis, diſſeruit, & eorum principia, vim & vſum deſcripſit, quàm de Eccleſiæ initio & progreſſu, quàm de Lege Dei, quàm de Sacramentis, ſacrificiis, promiſſionibus Meſſia, & aliis ad Theologiam manifeſtè pertinentibus ſcripſerit. Nouerat enim, officium Theologi eſſe, non ſolùm de Eſſentia & voluntate Dei ſcientiam tradere, verùm etiam à quónam mundus, quæque in mundo ſunt, ortum habeant:

quæ eius ſint principia, quæ ſingularum rerum cauſſæ, vires, effecta, vſus, explicare, quod ex horum conſideratione, Dei Maieſtas, potentia, ſapientia, bonitas, quàm maximè illuſtretur. Admirabilis eſt Iobus in hoc deſcriptionis genere, & in explicanda Dei prouidentia qua mundus hic regitur. Quoties etiam & quanto ſtudio idem fecit David, ſummus Propheta? Docent hoc permulti eius Pſalmi, atq; inprimis Pſal. 104 vbi celebraturus Dei bonitatem atque potentiam: id facit a deſcriptione mundi, & ſingularum eius partium a Deo conditarum. Nam alibi quoque dixit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Idem fecerunt reliqui Prophetæ. Quid verò dicam de Salomone? Scriptura teſtatur, *Salomonem diligenter ſapienterque diſſeruiſſe de lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum quæ progerminat ex pariete: de animantibus quoque, de volucribus, de reptilibus atque piſcibus*: hoc eſt, in ſumma de omnibus Phyſicis Dei operibus, déque illorum principiis, atque viribus: Et Apoſtolus, *inuiſibilia Dei*, inquit, *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus atque diuinitas.*

Quatenus ergo opera naturæ prædicant Dei bonitatem & maieſtatem: eatenus Theologi eſt ea conſiderare, déque iis diſſerere. Eò verò efficacius id præſtant opera Dei quò perfectiùs à nobis cognoſcuntur. Ita apparet, philoſophiam atque eam quidem cumprimis partem, quæ φυσικὴ appellatur: à Theologia ſeparandam non eſſe. Quid enim aliud eſt Phyſice, quàm ſcientia, quæ rerū corporatarum cauſas, principia, effecta, viréſque demonſtrat? Nam φύσις, hoc eſt, Natura, vim naturalium rerum efficientem, quæque in ipſis agit, ſignificat. Proinde Plato hanc φύσιν, *mundi animam* appellauit: quòd ſicut anima in omnibus animantibus: ſic Natura in ſingulis rebus naturalibus, principium ſit actionum omnium naturalium.

Cæterùm *Naturam* duplicem facit Ariſtoteles: *Primam* nimirum, & *ſecundam*. Primam vocat, primum motorem. Hic eſt Deus, primum rerum omnium efficiens principium. Secundam verò quam rebus a Deo compoſitis adiungit, tanquam internum quoddam motionis earundem principium. Sic definiuit in Phyſicis, vt dicat eam nihil aliud eſſe, quàm initium motus & quietis, in eo ſubiecto, cui inhæret primò ac per ſe, & non accidentariè. Quod perinde eſt ac ſi dicas, Naturam eſſe vim illam intimam rerum ſingularum, qua ipſæ res ſponte aut mouentur, nempe ad generationem, ad interitum, ad incrementum, ad decrementum, ad alterationem, vel denique ad locum: aut planè quieſcunt, & conſiſtunt: in eſſentia, ſcilicet iam adepta, quantitate, qualitate, loco. Sic Ariſtoteles propriè & ſine tropo loquens definiuit Naturam ſecundam, rebus ſingulis inſitam. Ad ſenſum quod attinet, nihil aliud etiam dicere voluit Plato, quum in Timæo eam vocauit *animam mundi*: quanquam nomine animæ, ſicut etiam nomine Naturæ, Ariſtoteles duo videtur intellexiſſe: Primùm quidem Spiritum Dei, Deúmque ipſum omnia efficientem, ſuſtentantem, mouentem: Deinde vim ſingulis rebus inſitam: qua ſponte vel mouentur, vel quieſcunt. Moſes etiam vtrumque principium rerum naturalium expreſſit in 1. & 2. cap. Geneſ. Primum appellauit *Elohim* & *Iehouam*, *qui omnia creauit*, & *ſpiritum Elohim, qui omnia fouebat & fouet ſemper, aquis incubans*. Alterum expreſſit, quum dixit: *Germinet terra herbam virentem, iuxta ſpeciem ſuam, cui inſit ſemen ſuum*: & ita de aliis. Docuit enim, in ſingulis rebus ineſſe vim, per ſe motricem, & agentem, quam Philoſophi *naturam*, quia omnibus rebus eſt innata, vocarunt. Nihil autem magis ſub oculos ponit immenſam Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem: quàm hæc vis ſeu φύσις, quam corporibus omnibus inſitam eſſe videmus: à qua ſponte mouentur, & qua conquieſcunt. Vt enim de prima Natura hoc eſt, de Deo ait Apoſtolus, *in eo ſit in quo viuimus, mouemur & ſumus*: ita hæc ſecunda Natura eſt, vt rectè Platonici docent, ceu *anima mundi*, qua res omnes conſtant, conſiſtunt, mouentur, & aguntur. Quare ſi Theologia doctrina eſt de Deo, déque Dei operibus: manifeſtè apparet a Theologo alienum non eſſe, de Phyſicis Dei operibus diſſerere: præſertim cùm in iis ſumma Dei potentia, ſapientia atque bonitas maximè reluceat: Et per hæc, tanquam per ſcalam in pleniorem Dei cognitionem, conſcendere hominibus liceat. Specula enim ſunt, vt docet Apoſtolus, rerum, quæ non videntur.

Methodus Moſis & Ariſtotelis.

Nunc Methodus videnda nobis eſt, qua in Philoſophia naturali tradenda, vſus eſt Ariſtoteles, & quanam etiam Moſes: eóque ſumma totius Phyſicæ, perſtringenda eſt. Methodus Ariſtotelis, omnium Philoſophorum, ea in re certè excellentiſſimi, pulcherrima ſanè & naturæ conſentanea eſt, artiúmque omnium, quæ ratione & via tractantur, ordini perſimilis. A communibus enim rerum initiis, ad proximas cuiuſque cauſas progreditur, quod tum demum vnamquamque rem nos ſcire dicamur, quum cauſſis illius, & principia, ad vltima vſque Elementa cognoſcimus. A ſenſatis igitur per ſe cuilibet homini notis vtens, ad inueſtigationem primorum cuiuſque corporis principiorum, accedit. Ac ita ait omnium rerum initia, aut intra ſubiectum corpus quod ſit, poſita eſſe, aut extra ipſum. Intra corpus ponit, tanquam non ſolùm cauſſas, ſed partes compoſiti, materiam & formam. Nullum enim corpus Phyſicum eſt, quod materia & forma non conſtet. Quibus duobus principiis, propter mutationem in eadem materia formarum, adiungit priuationem, principium certè ad generationem, & ad quamlibet in ſubiecto effectionem, pernecceſſarium. Extra corpus verò, collocantur efficientes illæ cauſſæ, quæ in compoſitionē ſubiecti corporis non cadunt, quarum prima & princeps, eáque infinita, eſt ipſe Deus: verum & ſempiternum rerum omnium efficiens principium, qui ſua etiam prouidentia omnia ſuſtētat ac regit: & ad ſuum quodque finem deducit, cauſſis interim ſecundis, quas ipſe condidit, minimè excluſis. Poſt Deum enim aliæ quoque ex rebus creatis ſubſecutæ ſunt cauſſæ, rerum aliarum efficientes, quarum alias facit Ariſtoteles naturales, alias voluntarias, alias per ſe, alias accidentarias, ſicut etiam docet Moſes, dicens, *Deum dixiſſe, producat terra*, id eſt, vim à me habeat producendi, *herbam virentem*. Et animantibus dixit Deus, *creſcite, multiplicamini, replete terram*, de quibus cauſis ſuo dicetur loco.

Porrò inuentis primis rerum principiis atque cauſſis, ad inueſtiganda principiorum accidentia accedit Ariſtoteles, quorum accidentium primum, eſt motus. Quicquid enim à Deo conditum eſt, motui ſtatim obnoxium fuit, ſimul ac creatæ fuerunt res, ſtatim participes fuerunt motus. Vnde & Moſes ait, *Spiritus Dei incubabat aquis*, eas ſcilicet mouens, fouens, & præparans ad varias inde ſpecies educendas. Alterum accidens eſt *Tempus*. Quædam enim cum tempore, pleraque omnia in Tempore facta ſunt: vniuerſa verò, nunc Tempori ſubiecta ſunt. Vnde & Moſes dies narrat, quibus vnaquæque res facta fuit. Tertium eſt locus, & ſpatium. Omnia enim corpora in loco aliquo ſint & aliquo ſpatio contineantur, neceſſe eſt. Vnde & Moſes ſuum quibuſque rebus locum à Deo deſtinatum, deſcribit. De his igitur primis & communibus initiorum, rerúmque omniū naturalium, accidentibus: poſt explicata prima principia, diſſerit Ariſtoteles. Quibus accedit tractatio de finito & infinito: quando omne quod eſt, vel finitum ſit, vel infinitum, oportet.

III. Explicatis primis, & communibus corporū omnium naturalium principiis & accidentibus, idque libris octo Phyſicæ auſcultationis: pulcherrima, nempe naturali methodo, à principiis componentibus, ad res compoſitas [illegible] eſt, ad mundum & mundi ſingulas partes conſiderandas & explicandas, tranſitionem facit. Principia enim & cauſſæ, naturaliter priores ſunt ſuis effectis. Priùs autem de toto mundo in genere diſputat: quàm de eius partibus. Hoc enim poſtulat ordo naturalis. In libris de cælo & mundo, diſputat priùs in genere de mundi perfectione, déque eius partibus ex quibus conſtat, principalibus: cælo ſcilicet & 4. elementis: ac docet etiam ita eſſe perfectum, vt in eo nihil deſiderari poſſit amplius. Idem Moſes antè fecerat. Quærit etiam de illius ortu, an æternus ſit, an verò ortum ab aliquo habeat: qua in re diſſentit à Moſe, eoque à veritate. Diſſerit item de eius vnitate, & docet, vnū tantùm eſſe mundum, non plures: quippe qui omnia in ſe corpora complectitur, ac proinde extra mundum nullum eſſe corpus, eóque nec motum, nec locum, nec tempus concludit, id quod nos quoque ex Moſe, Prophetis & Apoſtolis concedimus: quatenus nomine *mundi*, complectimur ipſum quoque *cœlum Beatorum*, ſecùs verò, non per omnia conſentimus. Nam, ſupra hos omnes aſpectabiles cælos, cōſcendit corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & futura etiam ibi ſunt corpora noſtra. Diſſerit item, an Mundus ſit finitus, an infinitus, ac docet, finita quadam magnitudine illum conſtare.

Poſtea verò quàm de toto Mundo, déque primariis eius partibus, in genere diſputauit: diſſerit de ſingulis quas facit, duas inprimis, Cæleſtem quæ ſupra, & Elementarem quæ infra eſt. Ac deinde ſingulas etiam ſubdiuidit. Quia verò ſimplicia priora ſunt compoſitis, & mundus conſtat partibus tum ſimplicibus, vt cælis & 4 elementis. Tum compoſitis, vt reliquis quæ ex elementis compoſita ſunt: Idcirco priori loco diſputat de partibus mūdi ſimplicibus antequā ad compoſitas accedat. Ac primum quidem de cælo tanquā ampliori & nobiliori parte, quæ reliquas ſub ſe continet, verba facit. Hæc verò de illa quærit & diſputat. Primum de eius

eius Eſſentia: *An eiuſdem ſit natura cum Elementis, an verò alterius, Eóque an corruptibile ſit vel incorruptibile.* Qua in re ſtrenuè hallucinatur, dum definit, *Cœlū ſua natura incorruptibile eſſe, & quintam quandam eſſe Eſſentiam*; cùm ex eodem chaos ſint Cœli, ex quo & elementa, vt ſuo dicetur loco ex verbis Moſis. Item, *an ſit ſolidum corpus, vel tenue.* Deinde de orbium eius numero, *an octo tantùm, an verò plures ſint.* Vbi etiam turpiter errat: dum octo tantùm ſtatuit & non plures. Tertiò de figura cœli: & concludit: idq; rectè *ſphæricā eſſe figura*: id quod vel ab ipſo motu circulari euidenter apparet. Quartò de motu cœlorum, *An vnus, vel plures, & diuerſi, & quinam illi, & in quem finem diuerſi ſunt à natura conſtituti: déq; illorum inter ſe ordine.* Duos autem ſingulis orbibus, præter ſupremū, attribuit motus: propriū & quem *raptus* vocat: A cœlis ad ipſorū aſtra deſcendit, & primò quærit, an ſint eiuſdē naturæ cum ſuis cœlis: id quod affirmat, & rectè. Aſtrū enim nihil aliud eſſe quàm materiam cœli alicuius denſiorē: nec differre aſtrum à cœlo ſuo, niſi vt aqua gelu cōſtricta, ab aqua nō congelata. Atq; hinc fieri, vt aſtra luceant, non autē orbes. Differit præterea de ipſorum ordine & ſitu: motu & figura, de luminis & motus ipſorum aſtrorum efficacitate, de quibus & nos ſuo dicemus loco. A cœlis & aſtris, quæ ſunt prima, eóque ſuperior & nobilior pars Mundi; tranſit ad alteram partem, inferiorem ſcilicet, hoc eſt, ad elementa; déque horum numero, naturis qualitatibus, generationibus, formis, motibus, effectis, ſcitiſſimè diſputat. Atq; hæc de partibus mundi ſimplicibus, de cœlis ſcilicet & Elementis, in ſuis ipſorum naturis in libris de cœlo & Mundo.

IV. Tranſitur verò ad partes ex Elementis compoſitas: Principio nonnulla iterum tradit de natura Elementorum: nimirum quomodo inter ſe tranſmutentur, inq; locum alterius alterū ſuccedat: non quidē totum Elementum, ſed ſecūdùm partes. Ac primùm quomodo apud nos mixta ſint Elemēta, & in quem finem hoc à natura, hoc eſt, à Deo factum ſit, quomodo itē in omnium corporum veniant compoſitionem, ibíque ſubſiſtant: re ipſa ne; an verò tantùm virtute & qualitatibus ſuis. Deinde differit de cōmuni, eaque natura in corporū omnium mixtione, tam quæ fit in eſſentia per generationē & corruptionem: quàm quæ fit in quantitate, per incrementum & detrimentū, aut in qualitate per alterationem. Idē enim ſubiectum horum omnium capax eſt. At quoniam mixtio corporum ex Elementis fieri nulla poteſt, ſine qualitatibus Elementorum (per has enim operatur) idcirco de hiſce eleganter diſputat: ac docet, quot & quæ ſint, tam ſecūdæ: quàm primæ, & quæ ſint ſingularum vires, atque effecta, quæve earū inter ſe proportio, & quàm ſit ea proportio illis ad aliquid efficiendū, neceſſaria. Neque enim elementa aliquid efficere & in cōpoſitionē venire: eóque ſimul in eodem ſubiecto coaleſcere poſſe: niſi medio aliquo, proportione ſcilicet congruente ſuarum qualitatum, inter ſe cōnectātur. Qualis eſt proportio ac conuenientia inter calorem ignis, & humidum aëris, vaporémve terræ: quibus ad aliquid in ſublimi, puta cometam generandum connectuntur. Tum verò perfectè mixtionem quamlibet fieri poſſe, cùm iuſta & æquabilis proportio qualitatum Elementarium, rei efficiendæ ſubeſt. Non enim omnia miſceri poſſe, neque perfectè ſemper miſceri, quæ miſcentur: cùm non ſemper in agente, aut in patiente omnes illæ ſint conditiones, quæ ad aliquid efficiendum in vtroque requiruntur.

V. His communibus principiis, de omni in vniuerſum mixtione, & diſſolutione in lib. de generatione & corruptione explicatis ad partes Mundi compoſitas: earūmque principia, cauſſas, rationes, & proprietates explicandas tranſit. Ac quia natura ab imperfecto ad perfectum tendit: Idcirco Ariſtoteles etiam naturam imitatus, differit priori loco, de mixtorum imperfectorum generatione, qualia ſunt quæ in ſublimi, aëréq; generantur: & quæ ideò *meteora* vocantur. Idq; facit in libris *μετεώρων* prioribus tribus. Nam in quarto quædam repetit, & clariùs explicat: de variis corporum ſimplicium inter ſe mixtionibus: ac proinde liber ille eſt ceu complementum librorum de generatione & corruptione. Ac primùm, omnium meteorum cauſſam efficientem & materialem quærit. Efficientem dicit eſſe cœlum ſuo motu, vapores è terra & aquis ciens, & in ſublime euehens. Materiā, vaporem eſſe humidum vel ſiccum & calidum. Quatuor verò genera præcipua meteororum facit, *igneorum, aëreorum, aqueorum, terreſtrium.* De igneis itaq; agit priori loco: vt ſūt ſtellæ tranſuolantes, coruſcationes, fulmina, fulgura, fulgetra, cometæ. Quin & de iis etiam, quæ, cùm nullam veram habeant inflammationem, in aëre tamen ardere videntur: vt ſunt nocturni ſplendores, nubium calores, halo, iris, galaxia, & alia id genus. Deinde agit de aëris meteoris: vt ſunt vēti, ſyphones, tonitrua, terræ motus, procellæ, turbines, omnéſque aëris tempeſtates. Tertio de Aqueis meteoris ſcribit, qualia ſunt pluuia, niues, grandines, pruinæ, nebulæ, ros fontium & fluminum generatio, maris ſalſugo & æſtus. Docet enim, vnde hæc omnia, & quomodo generentur: quæ horum ſigna: quæ effecta. Poſt tractationem mixtorū imperfectorū, de perfectis mixtis vt dicatur, naturalis ordo requirit. Tractant igitur poſtmo Philoſophi de perfectis mixtis: tam iis quæ ſunt ſub terra, & inanima ſubt. quàm quæ ſuper terram, & ſunt animata. Ad illud genus pertinent foſſilia, ſeu quæ è terra effodiuntur: quorum tres ſunt ſpecies. Prima, ſunt Metalla, aurum, argentum, æs, ſtannum, ferrum, plumbum, orichalcum, argentum viuum. Altera, Lapides diuerſarum formarum & qualitatum. Tertia ſpecies, media ſunt, quædam inter Metalla atque lapides: vt ſal, minium, auripigmentum, gypſum, &c. De horum generatione, cauſis, effectiſque diſſerunt. Ad alterum genus eorum ſcilicet, quæ gignuntur ſuper terram, nobíſque ſunt conſpicua & animata, pertinent. Primò, ſtirpes, quæ vegetante tamen anima prædita ſunt. Quarum tres primæ ſunt ſpecies, *Herba*; *Frutex*, *Arbor.* Et harum aliæ ſunt ſylueſtres, aliæ horteníes, aliæ montanæ, aliæ paluſtres, aliæ fluuiatiles, aliæ marinæ, aliæ arenoſæ. De horū omniū cauſis, naturis, effectis, diſſerunt Philoſophi, quæ certè mirabilia ſunt Dei opera. Secundò, hoc pertinent animalia, quæ præter vegetantes animas, ſenſu etiam prædita ſunt. Quorum alia ſunt terreſtria, vt equi, boues, & alia propè infinita genera: alia ſunt volatilia, eáq; ferè innumerabilium ſpecierum: alia Aquatilia, vt piſces, & alia, quorū ſpecies quis enumerare, aut etiam cognoſcere poſſit? Atq; horum alia ſunt bipedia: alia ſunt quadrupedia: alia reptilia: alia cum ſanguine: alia exſanguia: vt inſecta. De horum omnium ortu, viribus, ſtructura corporis, partibus; generatione, propagatione, doctiſſimè ſcripſerunt Ariſtoteles, Plinius, Ælianus & alij. Tertiò ad hoc genus perfectorum ſcilicet mixtorum, pertinent etiam *ζωόφυτα*, media quædam viuentia; inter plantas & animalia: qualia ſunt marinus pulmo, ſpongia, ſtellæ & conchylia: quæ omnia ad naturam ſtirpiū, in effigie corporis, in motu, in alendi ſeſe facultate accedūt; ad naturam verò animaliū, in quodam ſenſu, licèt hebetiſſimo, quo prædita ſunt à natura ad vitæ commoditatem: & omnia vel ſaxis, vel arenæ, vel limo adhærent, indéque cibū capiunt. Poſtremum verò & perfectiſſimum omnium opus Dei, eſt Homo, tum ad corpus, tum maximè ad animam, quod attinet, reliquarum rerum omnium dominus. Proinde poſtremo etiam loco de hoc ſcripſerunt Philoſophi: Sicut etiam Moſes poſtremo operandi die, nempe 6. creatum fuiſſe ait; eúmque ſolum ad ſimilitudinem Dei. Sunt autem innumerabilia, áque ſtu digniſſima, quæ tum Philoſophi, tum Moſes ac Prophetæ, de homine ſcripta reliquerunt. Ea à nobis ad extremum quum ad 6. diem peruenerimus, debita methodo explicabimus. Hæc eſt ſumma naturalis Phyſicæque Philoſophiæ: hæcq; eſt Methodus, qua in Phyſicis Dei operibus explicandis vſi ſunt Philoſophi: atque in primis Ariſtoteles: Methodus, inquā, naturalis, eáque optima.

VI. Etſi verò Moſes breuiſſimus eſt in ſua primorū Phyſicorum operū Dei hiſtoria, omnia tamen ſua illa breuitate complexus eſt: ſed capita tantùm indicare illi ſatis fuit: ſub iis verò reliqua à nobis intelligi voluit. Ad Methodū̀m etiam quod attinet, tametſi prima fronte longè alia eſſe videtur illa qua Moſes, ab illa qua Ariſtoteles vſus eſt: quòd Moſes ſecutus eſt ordinem, quo creatæ ſunt res: Ariſtoteles verò viam, qua ad perfectam cuiuſque rei cognitionem peruenitur: quæ quidem via eſt, vt à communioribus ad particularia: & à ſimplicioribus ad compoſita progrediamur. Si quis tamen diligenter attendat, is videbit naturæ ordinem, quem ſeruauit Ariſtoteles, priùs à Moſe ſeruatum fuiſſe: Imò vt meliùs loquar, Deum prius hunc ordinem, in creando ſeruaſſe: quàm ſapientes homines, eundem in docendo vſurparint. Nam principio Moſes in primo die, prima rerum principia tradit. Primam cauſam efficientem Deum ipſum, dicendo, *In principio creauit Deus*, &c. *Spiritus autem Elohim incubabat aquis.* Deinde primam materiam, vnde omnia corpora Phyſica, dicendo, *terra autem erat* תהו ובהו. Ex hac enim rudi, indigeſtáque mole omnia educta & efformata fuerunt. Formam quoque indicat, quæ eſt alterum principium, tum docendo, *terram hanc fuiſſe creatam.* Nihil enim creauit Deus ſine forma, per quam, vnumquodque ſuum habet eſſe. Tum dicendo ex hac informi materia, quam & *Terram*, & *Aquam*, & *Abyſſum* vocat, educta eſſe omnia, id quod per formarum creationem in eadem materia factum eſt. Hæc autem ſunt duo prima rerum initia, quæ tāquam partes compoſiti, in cōpoſito ipſo manent. Priuationem quoque formarum, ad quas materia eſt in potentia, & quas appetit, & quib. ſubinde informatur atque efficitur, indicat Moſes partim dicēdo, *terrā fuiſſe informem*, partim nominādo *tenebras*, quæ nihil aliud ſunt quā priuatio lucis in ali-

quo ſubiecto. En in Moſe poſt cauſſam primam efficientem, tria etiam prima principia quæ ad corporis effectionem pertinent neceſſaria ſunt. Prima quoque corporum accidentia tangit, *Motum, Tempus, Locum.* Motum, partim quũ ait, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Docet enim, Spiritum Dei fouiſſe, eóque motu quodam viuificaſſe, & ad varias formas præparaſſe materiam iſtam: partim quum ait, *poſt creatam lucẽ, factam fuiſſe diem ex mane & veſpera.* Motum. lucis illius, factus fuit dies. factum veſperè: factum & mane. Adhæc. Tempus deſcribit, partim quũ ait, *In principio creauit.* Illud enim principium Initium Temporis indicat. Partim quum nominat *diem & noctem, veſperã & mane.* Locũ verò apertè ſignificat, quum omnia ſub cœlo concludit, tanquam in corporum proprio loco: nullum eſſe vacuum ſub cœlo indicãs. Idem facit, quum ait: *Spiritum Dei incubaſſe ſuper Aquas,* ſeu, *in ſuperficie aquarum.* Nam etiam Ariſtoteles definiuit, locum eſſe ſuperficiem corporis locantis: corpus ſcilicet ipſum ambientem. Doctrinam quoque de finito & infinito innuit, iiſdem verbis, quum dixit, *Spiritum Domini incubaſſe aquis.* Docuit enim, totam mundi materiam, finitæ eſſe magnitudinis, ſolum Deum eſſe infinitum, qui omnia ambiat, & contineat. Iiſdem verbis docuit, quis ſit primus motor, nẽpe Deus. Spiritus enim Dei qui aquis incubabat, & incubat, Deus eſt. En quomodo Moſes tribus verſibus complexus eſt quæcunque Ariſtoteles octo libris Phyſicorũ verbosè explicauit. Prima principia, & prima principiorum, communiáque corporum omnium accidentia. Porrò ſicut Ariſtoteles poſt explicationem primorum principiorum & cauſſarum, communiúmque accidentium, ad res ex principiis compoſitas: hoc eſt, ad totum mundum, & ad ſingulas eius partes tranſitionem fecit, idem facit & Moſes in narratione operum ſecunda die, & reliquis, factorum. Ac ſicut Ariſtoteles duas primas fecit mundi partes, ſuperiorem ac cœleſtem, & inferiorem atque elementarem: déque his in genere diſſeruit 4. libris, libris Phyſicorum inſequentibus, qui ſunt de cœlo & mundo. Ac primùm quidem de cœlo, deinde de elementis, ita etiam priùs fecerat Moſes. Explicatis enim primis principiis, in primo die; altero die, de cœlo ſcripſit, quo nomine Aërem quoque, vnum ex elementis, complexus eſt: & ſphæram ignis, quæ ſuper aërem eſt. Nam etiam hæc duo Elementa nomine *expanſionis* ſignificantur. Tertio die de duobus aliis egit Elementis, Terra ſcilicet inhabitata, & aquis: dicendo, *Deum iuſſiſſe congregari Aquas in vnum locum, & apparere aridam ac aridam vocatam fuiſſe Terram: congregationem verò Aquarum, Maria.* En paucis de ſimplicibus corporibus primiſque Mundi partibus: quæ Ariſtoteles fusè in libris de Cœlo & Mundo quatuor, diſputauit: quãquã die etiam quarta, non pauca ſcripſit Moſes de cœlis, nempe de Aſtris, Sole, Luna & ſtellis, déque ipſorum officiis: eóque & de Tempore, quatenus in dies, menſes & annos diſtinguitur. A ſimplicibus autem corporibus, ad compoſita accedit Moſes, ac de illorum generatione docet in aliis diebus, à die tertia vſque ad ſextam: ſicut & Ariſtoteles in libris de generatione & corruptione. Et meteora quidem, quæ ſunt compoſita imperfecta, complexus eſt in die ſecundo: quum iuſſit Deus fieri expanſionem, quæ divideret aquas, quæ ſunt ſupra, ab Aquis, quæ infra illam ſunt. In aëre enim omnia illa generantur. Aër autem eſt רקיע ſeu firmamentum. De compoſitis verò perfectis, quæ ſupra Terram ſunt, ſed anima tantùm vegetante præditis, agit in die tertia, quum ait: *Et dixit Dominus, producat terra germen, herbam producentem ſemen & arborem fructiferam;* vbi etiam naturam ſecundam deſcripſit, nempe eam eſſe vim cuique rei inſitam, qua per ſe mouetur, & quieſcit. Ac quia citra vim Solis & reliquarum ſtellarum, neque terra, neque plantæ, neque animalia producere quidpiam poſſunt, neque etiam ipſa viuere, ideo quartò die deſcripſit officia ſolis & ſtellarum. De compoſitis autem perfectis, ſenſu etiam præditis, vt de Animalibus tam aëreis, quàm aquatilibus & terreſtribus, abundè ſcripſit in 5. & 6. Ad extremum de homine in ſexto itidem die, tam de eius corpore, quam de anima egit.

Nunc habemus methodum Moſis, non vſque adeò diuerſam ab illa, quam ſequutus etiam eſt Ariſtoteles. Vtile itaque hæc obſeruare, vt quum Moſen legis in ſingulis diebus opera Dei enarrantem, ſi maiorem iſtarum rerum explicationem cupias, ſcias, quò ſit recurrendum: ad Ariſtotelis ſcilicet libros, in quibus de iiſdem rebus fuſiùs diſputauit. Dei enim prouidentia voluit, quæ breuiter per ſummum Prophetam Moſen indicauit, ea per Philoſophos fuſiùs explicari, id quod certè Dei ſingulare eſt beneficium, quod nobis reliquit in mundo, vt ſcilicet poſt ſcripturas ſacras, hos quoque de Philoſophia libros, in quibus mirabilia Dei opera abundè explicantur, haberemus.

II. Cæterùm vt illorum lectio vtilis nobis ſit, adhibenda eſt nobis hæc regula, eaque in illorum lectione ſemper ſeruanda: nempe, vt ne ad eos torqueantur ſcripturæ. ſed contrà illi ad ſcripturas, tanquam ad lapidem Lydium examinentur. Ac proinde ſi quid in Philoſophorum libris comperiatur, quod cum ſacris literis, & ſenſu etiam, percipiatur ita ſe habere, illud tanquam vocem diuinam in natura & per Philoſophos loquentem, amplectendum eſſe docemus, *Veritas enim à quocumque dicatur,* inquit Ambroſius, *à Spiritu ſancto eſt.* Et Apoſtolus de Philoſophis loquens, *quæ verè nouerunt,* ea ait, Deum illis reuelaſſe. Proinde iniuriam facit Deo, & in eum ingratus eſt, quicunque veram & certam Philoſophiam contemnit: cùm ea ſit, vt dixi, ſingulare Dei donum. Nos itaque in hac tertia parte Theologiæ, quæ eſt de operibus Dei, quæ *creationis* & *gubernationis* appellantur: atque inprimis de viſibilibus, quæ narrat Moſes, ea ſumus ita interpretaturi, vt ad pleniorem illorum explicationem adhibere conſtituerimus Philoſophos, & in primis Ariſtotelem interpretem: vbi ſcilicet illi piè & verè, & à ſcripturis non diſſentanea ſcripſerunt: idque reiectis omnibus ambagibus, & prolixis diſputationibus, facturi ſumus.

Cæterùm verſus quatuor capitis prioris, nempe 2.3.4.5. in quibus viſibilia primæ diei opera enarrantur, explicandi priùs nobis ſunt: quàm ad Quæſtiones de Mundo viſibili accedamus. Verſus itaque ſecundus ſic ſe habet:

Tertia autem: &c.

CAPVT II.

Contextus Moſis explicatur: Gen. 1. verſ. 2. *Terra autem erat informis* (ſeu deſolata) *& inanis*

DIXIMVS ſuperiori verſu, ceu generali propoſitione, Moſen narraſſe nihil eorum, quæ ſunt, præter Deum eſſe æternum: ſed omnia tam inuiſibilia, quàm viſibilia, habuiſſe initium: ex nihilo nimirum, à Deo condita. Nunc omiſſis inuiſibilibus, cœlo videlicet Beatorum, & Angelis, de quibus apud rudẽ populum diſſerere nõ erat operæpretiũ, & ad viſibilia tantũmodo ſuam reſtringens narrationẽ, ne quis, ſicut inuiſibilia fuerunt ſimul omnia, & vno ſtatim momẽto, perfectè creata, omnibúſque numeris abſoluta: Sic etiam reliqua, viſibilẽ ſcil. hunc Mundum eodem aut ſimili pariter momento, talem, qualem iam eſſe videmus, formatum fuiſſe exiſtimaret: hanc ob cauſam nunc, tum qualis fuerit de principio creatus totus hic viſibilis mundus, tum etiam intra quantum temporis ſpatium ad eam formam, & ordinem, & virtutem in qua iam eſt, perductus fuerit, declarare incipit. Ac quod ad primum attinet: docet, initio creatum fuiſſe quoddam Chaos, ſed materiam quandam rudem, atque indigeſtam, aqueam atque lutoſam, eámque tenebricoſam: quàm primùm nomine ארץ *terra*, ſeu תהו ובהו. Deinde nomine תהום *Abyſſi*, ſeu turbidarum & profundarum aquarum: & denique ſimplici etiam nomine מים hoc eſt, *Aquarum* expreſſit. Nomine enim ארץ non intellexit tantũ *Elementum terræ*: neque nomine תהום *Abyſſi*, aut מים *Aquarum Aquas*, duntaxat ſignificare voluit: ſed omnibus his tribus nominibus totam materiam illam primam vnde poſtea & cœli iſti ſpectabiles, & omnia elementa, vi verbi Dei eſt formata fuerunt, indicauit. Tria autem dicit de hac totius Mundi materia. Vnum, *initio eam fuiſſe* nẽpe creatam תהו ובהו: hoc eſt, illis pulcerrimis formis, & toto iſto ornatu, totáque iſta virtute & efficacitate, quam iam tum in cœlis, tũ in terra ſpectamus, & ſẽtimus, deſtitutam: Materiã verò quandã dũtaxat confuſã, indigeſtã, deformem, rudem, inutilẽ fuiſſe. Alterũ: *tenebras etiam fuiſſe ſuper faciem abyſſi:* hoc eſt, Materiam hanc primam, præterquam quòd res erat confuſa, indigeſta, deformis, & vaſta atque inutilis, fuiſſe etiam rem tenebricoſam: ſine luce, quæ vel videri, vel viuificari poſſet: hoc eſt, omni quoque luce priuatam: eóque vi gerendi & fructificandi deſtitutam. Tertium, *Spiritum tamen Domini incubuiſſe illis Aquis:* hoc eſt, totam illam materiam ſolo Spiritu Dei ſuſtentatam, viuificatam, & ad ſuſcipiendas formas præparatam fuiſſe. Hæc eſt ſumma huius verſus. Nunc ſigillatim diligentiùs omnia explico.

Et terra erat, תהו.

II. Subiectum in hac propoſitione, eſt הארץ: verbum היתה *fuit* ſeu *erat*: prædicata duo, תהו & בהו. Quid nomine Terræ Moſes intelligat, dictum eſt: materiam ſcil. totam: vnde omnia viſibilia conformata ſunt. Hic occurrendum eſt dubitationi. Quî ſit (inquiet aliquis) quòd cœlos, quos priorẽ verſu à terra diſtinxerat: hoc altero verſu, eos nomine terræ, abyſſi, & aquarũ (ſi vera ſunt quæ dicis) complectatur: & cum terra atque Aqua, eos confundat? Reſp. Dixit ſemel diuus Auguſt. *Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas:* hæc regula

regula maximè neceſſaria eſt, nobis in hoc ſoluendo nodo. Sic igitur habeto: in 1. v. tanquam generali propoſitione, Moſes diſtinxit cœlos omnes à terra: & eos illo appellauit nomine, quo poſtquam fuerunt à terra diſtincti & perfecti, appellati ſunt à Deo. De eis enim, quatenus iam perfecti erant, & iuxta illam rationem, qua tunc illos populo ſuo intuendos proponebat, locutus eſt Moſes. Ideo eos meritò diſtinxit à terra. At verò in altero verſu loquitur de illorum tantùm materia: quænam & qualis illa fuerit, antequam ad eam formã, ordinẽ, virtutẽ, ornatum, redacti fuiſſent iſti ſpectabiles cœli, quos iam præditos eſſe videmus. Materia erat vna, cœlorum, & terræ: eáque formam habebat non cœleſtium, ſed terrę potiùs aquoſæ & תהו ובהו: Abyſſi item & aquarum lutoſitatem & limoſitatem. Hæc cauſa eſt, cur nomine *terra* in ſecundo verſu, cœlorum quoque iſtorum materiam cõplectatur: itaque ὁμωνυμία eſt in nomine *terra*: In primo enim pro terra tantùm & oceano, *globo* ſcilicet iſto: in ſecundo, pro materia omnium viſibilium, accipitur. Illud verbum *Erat*, non eſt ſubtiliter torquendum, vt olim torquebant Manichæi: qui ex hoc verbo colligebant, terram hanc, ſeu materiam, quam Philoſophi ὕλην vocãt, fuiſſe æternam: quaſi diceret Moſes, *cùm creauit Deus initio cœlum & terram: terra* (hoc eſt, materia) *iam erat*, nempe ante illud principium: ſed erat non quidem talis qualis iam eſt, verùm תהו quibus Manichæis reſpondet, & excipit Ambroſius. Ergo etiam, cùm ſcriptura ait de Cain, Erat autẽ Cain operarius terræ, interpretabimur, fuiſſe igitur æternũ agricolã. Sic Theodoretus, οὐ χρὴ τὸ ἦν κατὰ Μανιχαίους δὲ ἀγέννητον δηλοῦν. οὐ γὰρ αἰεὶ δὲ ἦν, ... δηλοῖ. ὡς τὸ, ἦν ἄνθρωπος ἐκεῖνος ... ἀναλογῶν. Nihil aliud ſignificare voluit Moſes hoc verbo, quã initio, quum Deus creauit omniũ rerũ viſibilium materiã, eã fuiſſe creatam, informem. Caue tamen ne ſimpliciter informẽ creatã fuiſſe putes. Nam ſine vlla penitus forma nil fuiſſet: Vnumquodque enim habet eſſe per formam: ſed ſine iis variis, quas iam cernimus, formis, & viribus creatum fuiſſe docet. Ad duo hæc prædicata quod attinet, תהו ובהו, omnes fermè interpretes, idẽ volunt iis duabus vocibus ſignificari: & ferè vertunt *vaſtam, & informem, inanem & vacuam*: noſtri, *informẽ & inanẽ*. Propriè autẽ ſignificat, *vaſtationem*, ſeu *deſolationem & inanitatem*. Ad ſenſũ quod attinet, is facilis eſt. Significat Moſes, materiã hanc fuiſſe deſolatam, & vacuã omnibus iſtis formis, omni illo ornatu: virtute & perfectione, quam poſtea in ſequentibus explicat & deſcribit.

Tolle igitur lucem à Mundo, tolle formã cœlorum; luminaria, diſtinctionẽ rerum, tolle animalia, plantas, & reliqua, quæ breuiter narrat Moſes: tolle denique ab illis omnem virtutẽ: quã poſtea datã illis fuiſſe prædicat: tum intelliges, quid fuerit illa prima materia: nempe nil aliud quàm confuſum, rude, impolitum, indigeſtum, & nihili chaos, ſeu maſſa. Nomen תהו. eſt *deſolatio vaſtitas, ſolitudo*: ex verbo תהה: בהו eſt *inanitas, vacuitas*: à בהה. Ergo primum ad externam formã, & ornatum: alterum ad internam virtutem: quorum vtroque tunc caruiſſe primam materiam, ſcribit Moſes, refero. In rebus enim omnibus duo videmus, externam formam ac faciem, & internam virtutẽ agendi operandique. Ait itaque Moſes, quo ad primum materiã illã fuiſſe deſolatam, & deſtitutam omni ornatu & forma. Quo ad ſecundum: eam etiam intus fuiſſe vacuam: hoc eſt, omni prorſus virtute caruiſſe. Eædem voces leguntur etiam alibi in ſacris literis: Ierem. 4. 23. ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו. Significat Hieruſalem, propter populi ſcelera, fuiſſe à Deo omni forma, ordine, decoro ita deſtitutam, & ſpoliatam, tam internè, quàm externè: vt nihil aliud eſſe videretur: quàm mera & inutilis confuſio: & chaos illud informe, inutile, & deforme, quale Moſes deſcribit fuiſſe initio creationis Mũdi. Quod dicimus prouerbio, *Cœlũ terra miſcere*: hoc propriè eſt facere תהו ובהו: hoc eſt, *confundere omnia, & inutilia reddere*. Hæ igitur duæ dictiones ſignificant id, quod Græci vocant χάος, informe atque indigeſtum. Sic Heſiodus, ἤτοι μὲν πρώτιστα, χάος γένετο. Ac volunt nonnulli ab Hebræo תהו deriuatam fuiſſe vocem χάος quaſi *Chohos*, mutata litera ת in ה. Vnde etiam veteres Latini *mundum* appellabant *Chohum*. Inde deductum etiam volunt verbum in *Choo*: vt quia *Choos*, ſeu χάος initium fuit rerum omnium. Sic quum aliquod principium damus alicui rei, eam inchoare dicamur. Philo tamen Iudæus doctiſſimus in lib. de Mundo deducit ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, quod eſt, fundi, quòd χάος illud materia eſſet liquida & fluida. Quicquid id ſit, manifeſtum eſt nomine χάος, veteres Græcos ſignificare voluiſſe eam primam informem terræ & cœli faciem, rerúmque omnium confuſionem, quam Moſes appellauerat תהו ובהו *terram*, ſcilicet *cœnoſam, limoſam, & aquoſam* Ouid. Metam. lib. 1. mihi videtur bene deſcripſiſſe hoc χάος, dicendo:

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre chaos: rudis indigeſtáque moles,
Nec quicquam, niſi pondus iners: congeſtáque eodem,
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum.

En quomodo vtramque vocem בהו & תהו, ſicut & nos, interpretatus eſt: vnam ad externam faciem, alteram ad internam inanitatem & inutilitatẽ, referens. Nam primò ait, *vnus erat vultus, rudis* ſcilicet, *indigeſtáque moles, Quẽ dixêre chaos*. Ecce תהו. Secundò ait, *Nec quicquam hoc erat, niſi pondus iners*, id eſt, res inutilis & confuſio vaniſſima. En בהו. Eadem prima mundi materia, alia ſignificatur dictione apud Græcos: nẽpe ἰλύος ἰλύς enim ἰλύος, *limum* ac *cœnum* ſignificat: idcirco quod alij poſteriores Philoſophi vocarunt, ὕλην, *materiam*, quidam volunt à prioribus vocatum fuiſſe, ἰλύα. Eſt enim magna affinitas inter has duas dictiones: ὕλη & ἰλύς. Eſt autem ὕλη, *ſylua & maſſa confuſa*. Sed redeo ad Hebræum Moſen. Materiam itaque primã tam horũ cœlorũ, quàm reliquarum viſibilium rerum ait fuiſſe תהו ובהו vaſtitatem ſeu deſolationẽ quandam, & inanitatem, h. e. materiam quandam informẽ, & omni ornatu & virtute vacuam. Non diſſimulabo, quod quidã de iis duabus vocibus ſcribunt. Volunt duas materiæ primæ proprietates ſignificari: priuationem ſcil. formarum: & aptitudinem ad illas recipiendas. Eſt enim materia prima (vt primo Phyſicorũ definitur) Ens nullam ex ſe formam habens, ſubiectum tamen omnium formarum capax. Primam proprietatẽ ſignificari volunt prima voce תהו, quæ *deſolationem & vaſtitatem* ſignificat: alteram altera voce בהו. Volunt enim eſſe quaſi בו הוא in eo eſt, ſcil. aliquid: firmane hæc ſint, alij iudicent. Summa: quod Moſes vocat תהו ובהו: autor libri Sapientiæ vocat ἄμορφον ὕλην cap. 11. Κτίσασα (ſcil. tua manus) τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Sequitur dictio וחשך על פני תהום eandẽ primam materiam, quã antè vocauerat ארץ, eam quam תהו ובהו hîc vocat *Abyſſũ* תהום, hoc eſt *profunditatem*, nempe *aquarum & terræ*. Oſtendit autẽ hac voce תהום, ſeu abyſſi amplitudinẽ & magnitudinẽ illius materiæ: eam ſcil. profundam & maximam molẽ, eámque tenebricoſam fuiſſe: Abyſſus. n. profunditas eſt immẽſa: quã peruadere nemo poſſit. Nam ἄβυσσος eſt quaſi ἄβυθος ſine fundo. Iones enim βυσσὸν vocant, quod reliqui βυθὸν & βάθος. Eſt igitur profunditas maxima aquarum, in cuius fundum penetrari nõ poteſt. Vnde & verbum tranſlatum βυσσοδομεύειν: quod pro aliquid profundè in animo eiũ moliri accipitur. Hac de cauſa, iudicia etiam Dei, quia ſunt inueſtigabilia, & nimis profunda: vocantur ἄβυσσος: Pſal. 36. *iudicia tua abyſſus multa*: hoc eſt, ita profunda, vt penetrari à nobis in illa non poſſit. Nomine igitur *Abyſſi*, ſignificat aquoſam illã materiã primam & chaos, fuiſſe immenſæ molis, & magnitudinis. Et notandũ: materiam illam primò terram, ſecundò abyſſum, profunditatem ſcil. aquarum, vocatam fuiſſe à Moſe: & meritò id quidem: Ordinem enim indicauit horum duorum elementorum. Primò eſt *terra*, vt fundamentũ: ſecundò *aqua, ſuper terram*. Deinde ait, *tenebras fuiſſe ſuper faciẽ illius Abyſſi*. h. e. ſuper totam illam abyſſum. Quid iſtæ tenebræ? Hebræi nomine *tenebrarum* interpretantur *ignem*: hunc verò ideò tenebras vocari, quod propter nimiam ſuam tenuitatem & ſubtilitatem videri non poſſit in ſua ſphæra. Sed falluntur, & pronunciant audacter ſine ratione. Nomen. n. tenebrarum, non ſignificat vllam ſubſtantiam: ſed tantùm lucis priuationem. Proinde tenebrę iſtæ, nil aliud fuerunt, quàm priuatio lucis in illa prima materia. Significat enim hanc materiam rudem, indigeſtámque molem ac maſſam: luce etiam deſtitutam fuiſſe. Proinde Septuaginta appellant ἀόρατον, quòd neque digna eſſet, quæ videretur, quia erat תהו ובהו ἀκατασκεύαστος: neque enim videri poſſet, quia tenebris obruta erat. Hoc eleganter expreſſit Ouidius.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan:
Nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe,
Lucis egens aër.

Nam etiam aër in illa continebatur prima & tenebricoſa materia: nec adhuc fuerat ex ea ductus, & ſeparatus: vt poſtea factum eſt die ſecundo, quum dixit Deus, *fit Rakiah*, id eſt, *extenſio*. Tenebræ ergo nil aliud fuerunt, quàm lucis, quæ poſtea facta eſt, carentia, ac priuatio. ſeu abſentia. Sic & Græci, & alij boni interpretes explicant. Gennadius σκότος λέγει, οὐ πονηράν τινα φύσιν ὡς ὁ τῶν ἀθέων Μανιχαίων βούλεται χορός· ἀλλὰ τὴν φωτὸς ἀπουσίαν τε, καὶ ἀπόλειψιν, defectum. Manichęi enim, & ante ipſos Valentinus, & Marcion, putarũt has tenebras fuiſſe ſubſtantiã: & naturã quandã malam increatã. ſummum ſcilicet malũ, vnde omnia mala. Et ſic argumẽtabantur. *Si Deus lux eſt, Ergo tenebræ ſunt contraria quædam poteſtas, cum Deo pugnans. Et ſi Deus eſt ſummum bonum, Ergo hæc contraria poteſtas, eſt ſummũ malum*. Hanc igitur contrariam luci, tenebrarum poteſtatem dixerunt, extitiſſe, & dominatam fuiſſe ſuper faciem abyſſi, id eſt, ſuper

totam illam primam mundi materiam: & inde omnia mala, cum bonis, quæ creabat Deus exorta fuiſſe. Gennadius igitur eos refutat, & ait non fuiſſe ſubſtantiam, ſed tantummodò lucis abſentiam, igitur neque fuerat ſubſtantia mala. Sic Theodoretus, Οὐ τοίνυν ἀγέννητος οὐσία τὸ σκότος· οὔτε μὴν γεννητή τις ὑπόστασις, ἀλλὰ πρᾶγμα συμβεβηκός. Erat igitur accidẽs quoddam, ex lucis abſentia proueniens: neque harum fit commemoratio, quaſi aliquid ſubſiſtens fuerint: ſed vt ſignificaretur, abfuiſſe lucem Sic etiam Chryſoſtomus interpretatur.

At (inquies) Ieſa. 45. ait *Deum ſe creaſſe tenebras, ſicut & lucem. Tenebræ igitur ſubſtantia quædam erant.* Reſp. *Primùm* apud Ieſaiam *tenebrarum* nomen figuratè accipitur, pro malo, hoc eſt, pro rebus aduerſis & pœnis, ſicut lux, pro bono, & rebus ſecundis: Eſt enim repetitio eiuſdem ſententiæ: ſed modò figuratis, modò propriis verbis pronunciata. *Deinde* ſi velis propriè voces lucis & tenebrarum accipere: verbum *creare*, impropriè accipiatur, oportet: nempe pro *inducere*. Deus enim ſubductione lucis, inducit tenebras; & h. e. ex accidenti: Sic ſæpe in ſcripturis, *Et tenebræ factæ ſunt*, legimus: quare inde non concluditur, tenebras eſſe ſubſtantiam aliquam. Sed, inquies, vbinam erant iſtæ tenebræ? Oportuit enim eſſe in aliqua ſubſtantia, hanc priuationem lucis: vt in aëre. Tenebræ enim nil aliud ſunt quàm aër obſcuratus, & ſine luce. At tunc nondum erat ab aliis elementis dictus aer. Videtur enim factus ſecundo die: vbi igitur erant? Primùm, etiam aqua, ſicut capax eſt lucis, ſic etiam tenebrarum. Quare etiam ſi nondum erat creatus & diſtinctus, ex chaos ipſe aër, non ſequitur tamen, nullas igitur fuiſſe tenebras.

Alij contendunt, Etiamſi aër non adſit; poſſe tamen tenebras eſſe. Ratio, quia tenebræ nihil ſunt, niſi lucis priuatio: ita vt non opus habeant ſubiecto, in quo tanquam accidens aliquod, inſint. Sed vbicunque non eſt lux: ibi tenebræ, i. e. priuatio lucis eſt. Exemplis declarant, quod dicunt. Quæ ſunt, & vbi ſunt illæ tenebræ, cùm clauſis oculis, nihil videmus; nihil certè tenebricoſius eo quod cæcis occurrit. Vnde & dicuntur ſemper eſſe in tenebris, etiamſi aër ſit luminoſus. Tenebræ igitur non ſunt ſemper aër obſcuratus, & luce deſtitutus: ſed tenebræ ſunt, vbicunque non eſt lux, ſiue in aëre, ſiue in aqua, ſiue in oculo. Sunt enim planè nihil. Tua igitur cogitatione ſubmoue lucem ab illo chaos: ſubmoue & aërem, qui nondum erat è chaos eductus & diſtinctus: & remaneat tantùm materia illa, terra ſcilicet & aqua ſimul mixta: quid tum ſuper aquis illis, & abyſſo inſidebit? Nihil. Si nihil, Ergo neque erit lux. Si non erit lux, Ergo lucis priuatio. Lucis autem priuatio illud ipſum eſt, quod tenebræ appellatur. Significat igitur Moſes ſupra ſuperficiem illius abyſſi, & primæ materiæ, nihil fuiſſe, ne lucem quidem: ac proinde meras fuiſſe tum tenebras. Hæc eſt communis & recepta interpretum ſententia de iis tenebris.

Dicam tamen, quòd & mihi venit in mentem: ſed iudiciũ eſto penes viros doctiores. Quid igitur, ſi dicamus, nomine *tenebrarum* intelligendum eſſe *aërem*: non quidem ita expaſſum & ſubtilem, & diſtinctum, atque nunc eſt (expanſio enim facta fuit ſecundo die:) ſed tamen aërem craſſiorem & craſſiſſimis nubibus ſeu aquis plenum ſed obſcurum, ac ſine luce? Etſi enim omnia elementa erant ſimul confuſa in illo primo chaos, ita vt omnia viderentur eſſe nil aliud quàm terra liquida, & aqua terrea, ſeu cœnoſa: tamen ex ordine verborum Moſis videtur colligi poſſe, ordinem etiam aliquem, de principio fuiſſe inter hæc elementa, à Deo poſitum in illo chaos. Sicut etiam nunc videmus eſſe: quanquam nunc clariorem & diſtinctiorem, quàm tunc: nempe talem ordinẽ, vt craſſior pars iſtius chaos ſubſideret in imo, quaſi fundamentum totius machinæ, & hanc fuiſſe terram, ſed, vt dixi, aqua mixtam. Deinde ſupra terram, fuiſſe partem minùs craſſam, voraginem aquarum ſed lutoſam: ſupra hanc verò, tertiam partem, minus etiam craſſam: ita vt capax eſſet lucis, & hanc fuiſſe aërem, ſed, vt dixi, nubiloſam, & aquoſam; & craſſiſſimam: ac proinde non ita longè latèque expaſſam, atque iam eſt. Hunc; inquam, qualemcunque illius chaos ordinem, video colligi poſſe ex ordine verborum Moſis. In hoc enim ſecundo verſu, etſi nomine *terræ*, & *abyſſi*, & *aquarum*, intelligit in genere totam illam primam materiam, quæ conſtabat terra, & aqua: tamen non ſine cauſa primò eam vocauit, *terram*: ſecundò *abyſſum*, ſed voraginem aquarum profundiſſimam: & tandem etiam aquas. Indicauit enim quod dixi, primam & inferiorem partem plus terræ habuiſſe, quàm aquæ: eóque à parte eius maiore vocatam fuiſſe terram. Alteram verò partem, habuiſſe plus aquæ quàm terræ, eóque *abyſſum* & *aquas* appellatam fuiſſe. Quid igitur, ſi etiam cùm ait, *Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi*, intelligat nomine *tenebrarum* tertiam, eamque minùs etiam craſſam illius chaos partem, nempe aërem? & quòd hunc ideo vocet tenebras, vt doceat aërem, ſicut ipſe ſubiectum eſt, in quo propriè recipitur lux; Sic etiam propriè eſſe ſubiectum tenebrarum? Et initio quidem caruiſſe luce, totúmque fuiſſe tenebricoſum?

In hanc ſententiam quaſi adducor his rationibus. *Primùm*, iſte ordo, quem ſeruat Moſes, vt dixi, hoc facit. *Deinde*, quòd ita etiam nunc videamus, ſe rem habere. Noctu enim, cùm abeſt Sol, tenebræ, hoc eſt, aër tenebricoſus, ſunt ſuper aquam, & terram. *Tertiò*, quòd in die tertio, ait; *Deum vocaſſe lucem, diem: & tenebras, noctem.* Manifeſtum eſt, nomine *lucis* intelligi aërem à Sole illuminatum: ac proinde totum illud ſpatium, quo aër manet illuminatus, diem vocari. Ergo etiam nomine *tenebrarum*, videtur intellexiſſe aërem ſine luce. Vnde & ait *diſtinxiſſe lucem à tenebris*, id eſt, aërem luminoſum, ab aëre tenebroſo. *Poſtremò*, loca ſunt nonnulla in ſcripturis, in quibus tenebræ prædicantur factæ à Domino: imò & inter creaturas annumerantur. Dan. 3. in Cantico trium puerorum: inter opera Dei, quæ inuitant ad Deum laudandum, ipſæ etiam tenebræ collocantur, verſ. 72. *Benedicite lux & tenebræ Domino.* Aërem igitur tenebricoſum intelligit: tenebræ enim tantùm per ſe, non ſunt res creatæ. Adde quòd Moſes verſu ſequenti ait, *dixiſſe, ſit lux.* Vbi autem fuit lux, niſi in aëre, quæ & conſtituit diem? ergo & tenebræ priùs erant in aëre, & conſtituebant noctem. Eſt autem manifeſtum, tenebras per ſe propriè, non eſſe rem creatam, ſed tantùm eſſe priuationem lucis. Videtur igitur Moſes nomine *tenebrarum*, intellexiſſe aërem, ſed tenebris obrutum. Ita haberemus trium elementorum mentionem. Cùm aëre autem comprehenditur & ignis: ſed ſine luce & ipſe, de principio. Tota enim illa maſſa & chaos erat luce deſtitutum. Proinde veriùs terræ, & aquarum nomine, atque abyſſi appellatum fuit à Moſe, quàm vllo alio nomine. Sequitur tertium membrum huius verſus.

III. *Et Spiritus Domini incubabat ſuper faciem aquarum:* ורוח אלהים מרחפת על פני המים. Hic duo habemus: primum aliud illius primæ materiæ nomen. Quam enim vocauerat primum ארץ תהו ובהו & deinde abyſſum, eamque totam tenebricoſam: nunc eandem vocat מים. Docet igitur illam materiam fuiſſe (vt dictum eſt) ingentem maſſam lutoſam, ſeu cœnoſam, ex terra & aquis conſtantem, inſtar magnæ & profundiſſimæ, ampliſſimæque paludis, ex qua omnia ſunt educta, quanquam non omnia eodem planè modo. Videntur enim craſſiora & corporatiora, ex terra: Subtiliora autem & leuiora, ex aquis, vt aër, ignis, & cœleſtes orbes: Sicut etiam aues, vt infrà patebit: nihil tamen ſine aquis. Humidum enim, materia eſt generationis. Hinc apparet, ſententiam Thaletis Mileſij de principio rerum materiali, veriorem fuiſſe ſententiis aliorum Philoſophorum. Hic enim conſentaneè cum ſcriptis Moſaicis, primus inter Philoſophos dixit, aquam eſſe illam materiam, è qua omnia nata ſunt, mentem autem eſſe cauſam efficientem, quæ omnia ex aquis formarit. Nomine autem *mentis* νοῦς, intellexit Deum. Inter Poëtas etiam primus hoc ſcriptum reliquit, Homerus: ait enim oceanum factum eſſe omnibus generationem, hoc eſt, materiam generationis.

Ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. Et Xenophanes Colophonius, idem docuit his verbis, Ἀλλ' ἡμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ.

Ex iis omnibus, quæ de materia prima ſcripſit Moſes, colligere facilè poſſumus, & quid & qualis fuerit. Quò ad ſubſtantiam, erat materia cœnoſa, ex terra ſcil. & aqua conſtans. Quo ad quantitatem, erat maſſa, & moles maxima, atque ingens, & profundiſſima, qua de cauſa appellauit *abyſſum*, nempe non tam propter ſubſtantiam aqueam, quàm propter immenſitatem, & profunditatem. Quod verò ad qualitates attinet, erat primùm תהו, id eſt, *informis*, & ſecundò בהו hoc eſt, omni virtute, intus etiam vacua. Proinde confuſio quædam rudis, inutilis, indigeſtaque moles. Erat tertiò, materia quædam tenebricoſa, ſine vlla luce. Talis fuit materia totius viſibilis mundi. Talem autem fuiſſe materiam illam: aliis etiam teſtimoniis ſacris L. confirmatur. Gen. 2. v. 7. Formauerat igitur Iehoua Elohim מן האדמה את האדם עפר, Adamum puluerem, ſeu lutum, ex *Adamah*, terra, pro (vt ait Kimchi) *puluere terræ*, עפר enim ſignificat nõ ſimplicẽ puluerẽ, ſed puluerẽ cœnoſum humidúmq;. Idem placet verſio vulgata, quæ ſic habet; *Formauerat hominẽ de limo terræ.* Quod verò de homine dixit Moſes, idẽ de omnib. rebus interpretatus eſt Salomon. Eccl. c. 3. 20. *Omnia* (inquit) *ſunt ex puluere, & omnia reuertuntur in puluerem.* Vbi, *puluis*, eſt עפר Omnia igitur ex luto terræ, ſicut & homines. Septuaginta hunc locum ſic verterunt, τὰ πάντα ἐγένετο ἐκ τοῦ χοὸς, καὶ τὰ πάντα ἐπιστρέφει εἰς χοῦν. En quo

modo

modo materiam, vnde omnia facta ſunt, vocant χόον & χοῦν: quod idem ſunt, atq; χάος. Hinc autem χάος materiam ſcilicet rerum omnium primam, Salomō Hebraicè vocat עפר. χάος igitur, id eſt, materia illa prima, quid aliud fuit quàm עפר, *lutum & limus*? Et meritò ſic interpretamur vocē. Nam χάος à χέω, *fundo*, deriuatur: quo ſignificatur, materiam illā fuiſſe liquidam, fuſilem, humidam, aqueam, limoſam. Pſ. 103. *Auferet Spiritū eorū, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur:* eſt עפר, in lutum ſuum: quanquam hæc dicta, omnia ſcilicet reditura in ſuum עפר puluerem, propriè de iis tantùm, quæ infra cœlos iſtos ſunt, intelligenda etiam cenſeo. Cœli enim ex aquis potiùs ſunt ſubtilioribus quàm ex עפר. Ideò D. Petrus (2. Petri 3.) diſcrimen inter hæc facit: dicens, *cœlos quidem cum ſtridore tranſituros, Elementa verò ſolutum iri:* nempe in ſuum עפר. Non igitur cœli in terram ſoluentur, ex qua etiam propriè non ſunt: ſed ex aquis purioribus: atque ita puris, vt iam ſit quædam quinta eſſentia. Cæterùm notandum eſt, non ſine cauſa Moſen, poſtquam maſſam hanc ſeu chaos, vocauit terram, deinde abyſſum, poſtremò etiam appellaſſe מים: ex quo nomine compoſitum eſt nomen שמים. Nomine enim שמים aër etiam appellatus eſt. Hæc confirmant ea, quæ dixi de quodam ordine trium illius chaos partium. infimæ, quam à parte prædominante vocauit ארץ, mediæ, quam à parte item ſui maiore appellauit תהום, abyſſum ſcilicet limoſarum & paluſtrium aquarum: & ſupremæ, quæ reliquis duabus ſubtilior erat: ac proinde, quæ proprium ſicut lucis, ſic etiam tenebrarum, ſubiectum erat: quæ deinde expanſior facta, conſtituit hunc, qui à Sole illuminatur, aërem. Hanc itaque ſupremam partem vocat מים: vt &, vt dixi, vox שמים qua ſignificantur omnes cœli, etiam aër. Non eſt igitur abſurdum id quod dixi, nomine tenebrarum, quæ erant ſuper faciem abyſſi, intelligi poſſe ſupremam τοῦ χάους partem: quæ poſtea maior facta, & longiùs latiùſque protenſa, & expanſa, vocata eſt à Moſe, *Rakiah:* Græcis ἀὴρ: à nobis *aër*. Super hanc igitur partem immediatè, & ex conſequenti ſuper totum chaos, aquas ſcilicet, abyſſum & terram, ait Moſes ſeſe motitaſſe vel incubuiſſe Spiritum Domini: nimirum, vt totam hanc maſſam ſuſtentaret, foueret, animaret, & præpararet ad eas rerum formas, quas poſtea deſcribit, recipiendas. Sequitur itaque de cauſa efficiente: quæ materiam illam creatam conſeruabat, ſuſtentabat, fouebat, præparabat ad formas, & ad generationem, vt ex ea, cuncta educeret. Quænam hæc fuit? ait: *Et Spiritus Domini incubabat aquis.* Totam adhuc illam materiam, vt antè dixi, vocat aquas: nomine ipſam cum primis ſuis materiam appellans: nam & ipſa aqua erat: ſed (vt nobis videtur) rarior, & minùs denſa, quàm reliqua Aqua. Statuit igitur Spiritū Domini Moſes ſupra totam hanc machinā, eā complectentem totam, ſuſtentantem, fouentem. Nunc examinandæ nobis ſunt duæ dictiones, *Spiritus Domini*, & מרחפת.

IV. Ac primùm dicam de verbo מרחפת. Ex huius enim explicatione, clariùs patebit, quid *ſpiritus* nomine intelligendum ſit. Vox iſta eſt à רחף & participium in *Piel*. Significat autem de ſententia omnium Hebræorum *mouere*, ſeu *motitare ſeſe*. Cæterùm non ſignificat ſimpliciter motum, ſed talem, qualem peragit gallina aut alia auis, cùm expandit alas & ſeſe ſuper oua componit, vt eis incubet. Sic Rabi Selemoh *incubabat* (inquit) *ſuper faciem aquarum*, ſicut columba incubat ſuper nidum. Sed meliorem interpretem huius verbi nolo, ipſo Moſe. Is Deut. 32. verſ. 11. ait, *Deum inſtar aquilæ, quæ excitat nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos incubat, extendiſſe alas ſuas* (eſt verbum ירחף) *ſuper populum ſuum, & eum aſſumpſiſſe.* Significat, Deum ſuo patrocinio, ceu alis populum ſuum protexiſſe, fouiſſe, viuificaſſe, conſeruaſſe, & à captiuitate Ægypti, ceu ex chaos, quaſi pullos ex ouis excluſiſſe, & in terram fertiliſſimam tranſtuliſſe. Idcirco non malè quidem Hieronymus, qui vertit, *ferebatur*, nec Septuaginta, qui aiunt ἐπεφέρετο, ſed longè melius illi, qui vertunt *incubabat*. Moſes enim hoc verbo ſignificauit, hunc ſpiritum, totam illam maſſam, & chaos ſua virtute, quaſi alis complexum, ſuſtentaſſe, fouiſſe, animaſſe, & quaſi ad fœtum, h.e. ad opera Elohim inde educenda præparaſſe. Hæc eſt vera, & propria huius verbi in hoc loco ſignificatio. Hanc optimè expreſſit Baſilius, ex ſententia cuiuſdam Syri, quem laudat: idcirco eius verba recitare vtile fuerit: τὸ ἐπεφέρετο, ἐξηγεῖτο, ἀντὶ τοῦ συνέθαλπε, καὶ ἐζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν. κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις. τοιαύτην τινὰ φύσιν ὑπὸ τῆς φωνῆς ταύτης ἐμφαίνεσθαι τὴν νῦν, ὡς ἐπιφερομένου τοῦ πνεύματος, τουτέστι πρὸς ζωογονίαν, τὴν τοῦ ὕδατος φύσιν προπαρασκευάζοντος, h.e. illud ἐπεφέρετο, *interpretatur pro confouebat & viuificabat aquarum naturam, ad ſimilitudinem auis, ouis incubantis, & vitalem quandam virtutem iis quæ confouentur, immittentis. Sic etiam Spiritus S. ſuper aquas ferebatur, h.e. ad generationem, aquarum naturā præparabat.* Hac ille. Hinc infert, Spiritum S. ab opificio Mundi non abfuiſſe: idem nos etiam concludamus. Et diuus Hieronymus lib. 3. de quæſt. Gen. ait מרחפת propriè eſſe *incubabat*. Hactenus de participio מרחפת. Nūc ad רוח אלהים.

V. Principio docet Moſes, extra hunc ſpiritum, nihil huius chaos fuiſſe. Incubabat enim omnibus illis aquis, ſeu toti illi materiæ. Ergo intra has aquas, ſeu chaos, omnia quæ poſtea figurata, & diſtincta fuerunt, tam cœli, quàm reliqua continebantur. Deinde, hinc ſequitur, hunc ſpiritum nō fuiſſe aërem, aut ventum: nam etiam aër, intra has aquas continebatur. Imò etiam primis nomine מים, vt dictum eſt, intelligebatur aër: qui poſtrò extenſius acceſſione lucis, vocatus eſt שמים. Cæterùm videndum eſt diligentiùs, quiſnam fuerit iſte Spiritus Domini. Qui dicunt fuiſſe ventum naturalem in aëre, ſeu aërem commotum, & commouētem: refelluntur iis rationibus, & ex conſequenti confirmatur, fuiſſe ſpiritum ſanctum.

Primùm, nomine harum aquarum, quas fouebat, & ſuſtentabat Spiritus ille: aut tota illa maſſa, & χάος, materia ſcil. rerum omnium, intelligitur: aut non tota. Si non totam dixeris, abſurdum dixeris. Aliquid enim caruiſſe hac ſuſtentatione, ac ad formas præparatione abſurdum eſt dicere. Tota igitur ſuſtentabatur è Spiritu iſto. Ideò ait, *incubabat aquis*, ſcilicet omnibus. Si tota: Ergo aër etiam ſuſtentabatur a Spiritu. Nam etiam aër vnum ex præcipuis elementis continebatur in chaos, & is in primis nomine מים ſignificatus eſt: Sicut poſtea aptè שמים appellatus fuit: quare nomine *ſpiritus qui aquis incubabat*, minimè poteſt intelligi *aër*.

Deinde, nondum facta erat rerum diſtinctio. Prima diſtinctio fuit inter lucem, & tenebras, quæ facta fuit ſecundo die. Tunc enim primùm dixit Moſes ויבדל, ſeu diuiſit lucem à tenebris. Non igitur aër diſtinctus erat ab aquis & terra: ita vt is dici poſſit, fouiſſe aquas: hoc eſt, pars vna χάους, fouiſſe reliquas partes. Et certum eſt, primum quod ex aquis eductum eſt, fuiſſe lucem. Non igitur aër, aut ventus. Adde, quòd adhuc omnia erant non ſolùm תהו informia: ſed etiam בהו inania, ſine virtute, aut efficacitate. Non poterat igitur illa aëris materia, quæ ordine tertia fuit pars chaos: reliquam maſſam fouere, & ſuſtentare. Ad hæc primùm, quod inter res creatas Deus dixit eſſe bonum, fuit lux: quia ea, non tam delectabat, quàm etiam toti maſſæ vtilis erat. Aër igitur non ille fuit, qui tantam vtilitatem afferebat toti maſſæ, vt ſcilicet eam foueret, & ſuſtentaret. Fuiſſet enim bonum, præcedens lucem: imò & vtilius, eóque melius luce. Adde quòd verbum מרחפת indicat Spiritum hunc, rem fuiſſe viuentem, quæ inſtar gallinæ alis ſeſe agitaret ſupra aquas iſtas: & illis incubando, vim præberet ac vitam, & præpararet cuncta, ad egrediendum formata: ſicut pulli calore & virtute gallinæ fouentur & animati excluduntur ex ouis, quibus illa incubat. Hanc enim vim habet verbum מרחפת. In aërem autem, & ventum, hæc virtus non poteſt cadere. Hoc ſimiliter occurritur illis, qui Spiritum hunc pro δυνάμει quadam Dei, quæ non ſit ὑπόστασις viuens, interpretantur: Et qua dicunt incubaſſe Deum aquis, & eas ſuſtentaſſe. Moſes enim talem deſcribit hunc Spiritum, & talem ei, tanquam agenti cauſæ dat actionem: vt non poſſit non eſſe perſona aliqua viuens, intelligens, volens. Neque illud prætereundū eſt, quòd neque cœlum, quod tamen longè maius & excellētius eſt aëre, ſeu vento, neque etiam terram, neque abyſſum tam magnam ſcilicet aquarum profunditatem, nec denique מים ornauit hoc titulo in hac hiſtoria, vt appellauerit *cœlum Elohim, abyſſum Elohim, aquas Elohim*. Quid igitur cauſæ fuit, cur ventum, ſeu aërem, vocaret *Spiritum Elohim*? Omnia quidem illa dixit fuiſſe creata ab Elohim: ſed non ornauit hoc nomine, vt dixerit אלהים אתא אלהים שמים. Iſte igitur Spiritus Elohim, aliud fuit, quàm aër, aut ventus. Diſcrimen enim apertum facere videtur inter illa quæ creauit *Elohim* & inter *Spiritum*, qui eſt ipſius Elohim. Illa dicuntur creata ab Elohim. De iſto Spiritu nullum ante verbum factum eſt, quòd fuerit creatus ab Elohim, imò huic Spiritui dat virtutem Moſes non minorem virtute creandi. Dat enim huic virtutem ſuſtentandi, fouendi, viuificandi, animandi ad meliores formas, maximámque perfectionem, omnia, quæ fuerant creata, diſponendi. Non potuit igitur iſte Spiritus Elohim eſſe aër vel ventus, vel vlla alia creatura. Præterea aër nunc non viuificat totum mundum, vt infernas terræ partes. Quod autem faciebat tunc iſte Spiritus: idem nunc, & perpetuò facit. Cauſam enim mundi conſeruatricem & ſuſtentatricem deſcribit Moſes. Fuit verò hoc Spiritus ſanctus, vt ſcripturæ docent. *Quo ibo à ſpiritu tuo?* inquit Dauid. Item Pſal. 104. *Emitte ſpiritum tuum,*

& creabũtur, & renouabis faciẽ terræ. Itaq; ſi nomine *Spiritus Elohim* intellexiſſet aerem, & ventum. Etiam nunc omnia viuificaret, & totum mundum foueret, ac ſuſtentaret: quod cùm nõ faciat, efficitur, illum Spiritum non fuiſſe ventum. Quis igitur ille Spiritus Elohim? Virtus altiſſimi: de qua etiã Angelus ad Mariam, *Spiritus S. ſuperueniet in te: & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. & ita concipies in vtero.* Deſcribit Angelus Spiritum S. ab operatione ſimili huic, quã etiam Moſes hoc loco tradit. Spiritus Elohim inſtar Gallinæ superuenit, & incubat aquis: & ita illis incubabat, vt eas foueret, & ad fœtus educendos præpararet: id quod reipſa apparet. Nam ſimulac dixit, *Spiritũ hunc incubuiſſe aquis*: ſtatim verſu inſequenti docet, quanta fuerit vis huius Spiritus. Lux enim, ceu primus pullus, excuſſa fuit de maſſa: poſtea reliquæ creaturæ ceu alij pulli, ordine, ex materia illa, & chaos, virtute hac altiſſimi: hoc eſt, Spiritu Elohim excluſæ fuerunt. Sic etiam Angelus ait ad Mariam, *Spiritum S. ſuperuenturum*, nẽpe inſtar alitis cæleſtis, *illã obumbraturum*: hoc eſt, fotvrum, animaturum, & vim concipiendi præbiturum. Ab hac igitur ſimili operatione, quam huic ſpiritui Elohim dat primùm Moſes, & deinde Angelus apud Lucam, facilè eſt intelligere, quis fuerit iſte Spiritus Elohim, de quo Moſes loquitur: nempe non alius quàm ille Spiritus, de quo etiam verba fecit Angelus ad Mariam. Cum his coniunge, quæ etiam alibi de Spiritu S. ſcribũtur. Apud Iobum, ſic legimus: *Spiritus Domini ornauit cœlos & creauit manus eius ſerpentem mobilem*: hoc eſt, viam lacteam in cœlo, quo nomine intelligit per Synecdochen, omnes ſtellas & conſtellationes. Hoc fecit ille Spiritus, qui incubabat aquis: & qui ex aquis formauit, & ornauit cœlos. Quibúſnam enim rebus ornati ſunt cœli? Stellis: vnde hæ? Ex aquis illis, quib. incubabat Spiritus. Proinde Moſes, verſu tertio, poſtquã dixiſſet, *hũc Spiritum incubuiſſe aquis, mox factam ait fuiſſe lucem*: nempe ex aquis, vt ad Corinthios Apoſtolus interpretatur, dicẽs: *Deus qui de tenebris iuſſit lucẽ ſplendeſcere.* 2. Cor. 4. Sic alibi Iob. *Spiritus Domini fecit me ſpiraculum vitæ, viuificabit me.* Viuificatio paſſim in Scripturis attribuitur Spiritui S. Ieſa. 40. *Spiritum Domini quis adiuuit? aut quis conſiliarius eius fuit?* nẽpe in creando, fouẽdo, ſuſtẽtando q; m ũ do? ibi enim de creatione mũdi loquitur Propheta, dicens, *quis menſus eſt pugillo ſuo aquas?* (alludit antẽ ad hunc locũ. *Spiritus Domini incubabat aquis*) *& cœlos palma ſua ponderauit?* Et ſtatim verſu 13. *Quis* (inquit) *adiuuit Spiritum Iehoua?* Apparet igitur eũ alluſiſſe ad locum hunc Moſis. De Spiritu autem ſancto loquutum eſſe liquet. Ezechiel et de eodem Spiritu Propheta loquitur: qui mundũ, ſicut initio, ſic etiam nunc mouet, regit, moderatur: cùm ait *Spiritum fuiſſe in rotis*: à quo ſcilicet impellebantur tam ipſæ quàm animalia. Spiritu enim Domini Mundus regitur, & omnia Elementa mouentur. Hac enim locutione idem ſignificat Ezechiel, quod Moſes illa altera, *Spiritus Domini incubabat aquis.* Ideò mox mentionem facit *firmamenti* Ezechiel, dicens, *ſub firmamento, alæ eorum*: & cætera. Ita cap. 37. huic eidem Spiritui dat vim, & officium viuificandi, etiam res mortuas: & docet eum occupare totum mundum, ſicut hic Moſes ait, *eum incubuiſſe aquis. A quatuor ventis veni,* (inquit) *ò Spiritus, & ſpira in interfectos iſtos, & viuent, & ita factum eſt.* Et quod ante citaui ex Pſal. 104. *Emitte Spiritum tuũ, & creabũtur, & renouabis faciem terræ.* Alludit ad primam creationem: *Terra enim erat* תהו ובהו *vaſtitas ſeu deſolatio, & inanitas.* Poſtquam verò Spiritus Domini cœpit incubare aquis: Terra, hoc eſt, tota illa maſſa, tam cœli, quàm reliqua, cœperunt aliquã habere formam, ornatũ, virtutem. *Ita* (inquit) *Propheta, quoties vis, Spiritu tuo omnia renouas & viuificas.* Sed quod ex Luca primò adduxi, perpulchrè docet quiſnam ſit ille Spiritus, qui ita incubabat aquis, vt eas *πρὸς τὴν ζωογονίαν*, præpararet: ſicut loquitur Baſilius. Eſt ille idem, qui etiam fœcũdam reddidit Mariam ad concipiẽdum, & pariendum Filium Dei. Eſt ille idem Spiritus, qui incubat etiam nunc aquis Baptiſmi, & electos renouat, ac ſpiritualiter in filios Dei, fœcundóſq; reddit ad opera bona. Spiritu enim ſancto baptizamur, regeneramur. Et denique vbiq; virtus omnia viuificandi, regenerandi, renouandi, fœcundandi, datur Spiritui S. Ideò ad Roman. dicitur ille eſſe, per quem viuificabuntur etiam mortalia corpora noſtra. Ergo ex hoc officio, & ex hac virtute, quæ vbique datur Spiritui S. nimirum quòd is ſit, qui cœlos ornarit, cœlos ſuſtentet, omnia fœcundet, corpora mortuorũ ad vitam reuocet, & qui præſideat aquis Baptiſmi, & illis benedicat, atque electos credentes in Baptiſmo regeneret: facile eſt colligere, eundem etiam eſſe, qui initio incubabat aquis, & eas ad rerum generationem præparabat, ac fœcundabat.

VI. Confirmantur hæc teſtimoniis etiam ſanctiſſimorum Patrum: adde & nonnullorum Rabinorum: & poſtremò etiam profanorum Poëtarum: qui aut Moſis libros legerunt: aut doctrinã, de creatione ex Moſe ab aliis hauſtã, ebiberũt. Baſilius in Exam. homil. 2. *principio* interpretatur de aëre: ſed deinde magis probat, vt de Spiritu S. intelligatur. Eucherius in eadem eſt ſententia. Beda eandem ſequitur. Et Hieronymus tom. 3. in quæſtionibus in Geneſin, de Spiritu S. interpretatur: in hæc verba מרחפת *propriè nos appellare poſſumus, incubabat. ſiue confouebat, in ſimilitudinem, volucris, oua calore animantis.* Ex quo intelligimus non de ſpiritu Mũdi dici, vt nõnulli arbitrantur, ſed de Spiritu S. id eſt, qui & ipſe viuificator omniũ à principio dicitur. Si autem viuificator, conſequẽter, & conditor. Si conditor, & Deus. Emitte enim (ait) Spiritum tuum & creabuntur. Hæc ille. Burgenſis in ſuis additionibus in Geneſin, tribus rationibus probat locum hunc non poſſe de vento intelligi ſeu de aëre: ſed de Spiritu S. omnino eſſe intelligendũ. Legatur ipſe. De Scholaſticis, P. Lombardo, & aliis, non eſt quod dubitemus. Ex Rabinis à Fagio citatur Targum Hieroſolymitanum: vbi ille Spiritus, *Spiritus miſericordiarum & gratiæ* vocatur: eóque *Spiritus ſanctus* (iudicio etiam Fagij) indicatur. Burgenſis addit eã interpretationẽ, ex Bereſchith Raba, in hæc verba, *Quid eſt, quòd Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas?* Ad quod reſpõdetur, nihil aliud quàm Spiritus Meſſiæ, de quo Ieſaias; *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* Idem locus citatur à Galatin. lib. 2. ca. 6. Cum iis coniungitur & interpretatio Rabi Selamoh, qui מרחפת interpretatus eſt, *inſtar alitis confouebat, & calefaciebat, animabatque aquas.* Præcipui etiam noſtri temporis doctores, ſic locum hunc interpretati ſunt de Spiritu ſancto, vſi hac etiam ratione, quòd ventus creatura tum nondum fuerit, quum adhuc confuſa iſta corpora cœli & terræ iacerent. Cyprianus in quodam ſermone de Baptiſmo, & Hieronymus ad Oceanum, & Beda, & Rupertus Tuitienſis, & alij de Baptiſmo ſcribunt, cùm Spiritus ſanctus incubaret aquis illis primis totius Mundi, eáſque foueret, & animaret, ſymbolo quodam declaraſſe, quid facturus eſſet ſuper aquas Baptiſmi a Chriſto inſtituendi, ſe nimirum deſcenſurum ſuper Chriſtum in aquis Baptiſmi, in ſpecie alitis, nempe columbæ, & manſurum ſuper eum, ſicut narrant Euangeliſtæ. Illum etiam iam incubare aquis noſtri Baptiſmi manifeſtum eſt, eáſque ſanctificare, vt lauacrum ſint regenerationis, & qui baptizantur illis, per hunc Spiritum ſanctificari, regenerari, animari ad bona opera. Quid? quòd etiam profani illi ſcriptores, qui (vt antè dixi) aut legerũt Moſen, aut Theologiam de creatione à Moſe acceptam, ſequuti ſunt: Spiritum illum, qui fouebat aquas, *Spiritum Dei*, *Deum* interpretati ſunt? vt inde appareat, illos quoque non ignoraſſe, materiam primam non potuiſſe, niſi à Deo ipſo, ſicut fuit creata, ſic etiam ſuſtentari, & ad formam huius Mundi recipiendam diſponi, ac præparari. Platonici, *animam mundi* vocarunt, non quòd propriè, & (vt ita loquitur) formaliter, Spiritus ſanctus ſit anima Mundi: hoc eſt enim blaſphemum: ſed efficienter, quòd ſcilicet hic Spiritus ſanctus animauerit, & animet Mundum, omniáque viuificet. Idem enim ſunt nomine & re *ſpiritus* & *anima*. Anima enim ab ἄνεμος, qui *ventus* dicitur; ventus autem & ſpiritus, idem ſunt. De hac anima, multa in libr. de legibus. Præter alia etiam, hæc habet Plato, ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα, τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν, καὶ θάλατταν ταῖς αὑτῆς κινήσεσιν. αἷς ὄνομά ἐστι βούλεσθαι, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι. Triſmegiſtus eadem ferè ſcribit. quæ Moſes, & Spiritum hunc πνεῦμα λεπτὸν, καὶ νοερὸν appellat lib. 2. qui *Aſclepius* vocatur, & eſt de voluntate Dei. Mirabilia certè ſunt hæc Mercurij verba, quæ Latinè recitabo: *Spiritu* (inquit) *agitur, & gubernatur omnis in orbe. Spiritus implet omnia: Mundus nutrit corpora: Spiritus animas: Spiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in mũdo. Item, nunc quod reſtat* (inquit) *in hac ratione, audito. Hoc Spiritu, vt ſæpè antè diximus, omnia indigent. omnia enim porto e: pro cuiuſque dignitate, omnia viuificat, & alit, à fonte ſancto producitur: Spiritu, & vita fœcundiſſimus.* Hæc omnia Triſmegiſtus. Virgilius verò ſic:

Principio cœlum, & terras, campóſque liquentes,
Lucentémque globum lunæ Titaniáque aſtra:
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudúmque genus, vitæque volantum.
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Sunt hæc prorſus conſentanea cum Moſe: & explicatio videtur eſſe horum verborum, *Spiritus Domini incubabat aquis*, vbi notandum eſt, quem primò vocauit *Spiritum* eundem poſtmodum appellaſſe *mentem*: alibi verò *Deum*:

Deum namque ire per omnes
Terráſque, tractúſque maris, cœlúmque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.

Ouid. in Metam. Deum vocat illum, qui, quæ confuſa erant in chaos, ſua virtute ſecreuit, atque diſtinxit.

Hanc

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas:
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cœlum.

Hæc verò Moſes, attribuit Spiritui Dei. Anaxagoras ſcripſit, νοῦν acceſſiſſe ad chaos, & inde res ſecreuiſſe. Νοῦν vocat illum, quẽ Moſes, *Spiritum Elohim.* Docuit igitur, hunc Spiritum, non fuiſſe ventum, ſed Spiritum diuinum, qui ex νοῦ. Hæc gentilium Poëtarum & Philoſophorum teſtimonia, nõ idcirco attulimus, vt iis interpretemur ſcripturas, abſit: ſed vt poſt confirmatam noſtram interpretationem, rationibus ac teſtimoniis ſcripturarum, ac Patrum, oſtenderemus interpretationem hanc, vſque adeò eſſe veram ac genuinam: vt etiam profani ſcriptores, ad rem ipſam quod attinet, idem planè nouerint: & ideo etiam reliquerint. Si autẽ concedatur: nomine *Spiritus Elohim* intelligi à Moſe Spiritum ſanctum: inde confirmatur, nomine *Elohim* in primo verſ. ברא אלהים intelligendum eſſe non ſolum Patrem, ſed etiam Filium: Spiritus enim ſanctus, Spiritus eſt non minùs Chriſti, quàm Patris, vt eſt ad Rom. ad Gal. apud Petrum. Hoc certè non latuit Moſen. Ergo quum ſcribit, *creatum eſſe cælum & terram ab Elohim*, procul dubio intellexit a *Patre, Filio, & Spiritu Sancto* fuiſſe creatum. Cui accedit præſens locus. Si enim Spiritus Sanctus eſt ille, qui incubabat aquis, hoc eſt, qui totum illud mundi chaos fouebat, ſuſtentabat, & quaſi ad fœtum præparabat: efficitur, idem feciſſe & Patrem, & Filium, Opera enim Trinitatis ad extra, vt loquuntur Scholaſtici, ſunt indiuiſa. Quare ex hoc etiam loco luculenter apparet, creatorem & conſeruatorem mundi eſſe non ſolùm Patrem, ſed etiam Filium, & Spiritum S. Et hoc tres ſignificari nomine *Elohim* in primo verſu: eóque & nomine Iehouæ in 2. cap.

3. *Et dixit Elohim, ſit lux.*

VII. Tria ſunt præcipua capita in articulo de creatione, nobis cognoſcenda. Primum eſt, περὶ τῶν ἀρχῶν, hoc eſt, quænam fuerint prima mundi principia, atque cauſſæ. Tradit hoc Moſes generatim & ſummatim in primo verſu. Docet enim, omnia, tam inuiſibilia, quàm viſibilia, quæ omnia cœli & terræ nomine complexus eſt, & initium habuiſſe, atque hoc, cùm ait בראשית *& ex nihilo fuiſſe condita:* atque hoc dicendo ברא materiam itaque omnium rerum primam non fuiſſe aut æternam, aut ex alia præiacente materia factam, ſed ex nihilo: denique omnia eſſe à Deo, ſeu ab Elohim: eóque cauſam primam totius mundi, & rerum omnium effectricem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum S. qui nomine *Elohim* indicati fuerunt à Moſe: à Chriſto verò, poſtmodum apertè explicati. Deinde verò ſpecia[t]im de principio materiali, vnde omnia viſibilia ſunt condita: quodnam & quale fuerit, diſſeruit idem Moſes, verſ. 2. Docuit enim mundum ſic principio non fuiſſe hac forma præditum, & hoc ordine, quem iam videmus diſtinctum: ſed priùm materiam quandam rudem & indigeſtam, quam *chaos* nominarunt Gentiles, Moſes verò תהו ובהו, & tenebris opertam, ex nihilo creatam fuiſſe: Deinde verò ex illa paulatim intra ſex dierum ſpatium, omnia fuiſſe formata. Ita tria de hoc materiali principio docuit: Primùm, quidnam hoc fuerit, nempe maſſa quædam, ex terra & aquis conſtans ac mixta. Deinde, quale fuerit, nempe תהו informe, בהו vacuum, omni ſcilicet virtute, h. e. inutile, & nihili: & verò etiam tenebroſum quia tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Tertiò, quantum fuerit: magna ſc. & ingens, ac ceu ſine fundo moles. Erat enim abyſſus: quaſi ἄβυθος. Principium itaque rerum omnium viſibilium, tanquam materiale primò fuit nihil: deinde aliquid, materia ſcilicet confuſa quæ poſtremò, vi Spiritus, & verbi Dei ad hanc mundi formam redacta fuit.

Hunc ordinem videmus etiam nunc in rerum generatione ſeruari, ſicut in hominis generatione, & reliquorum animalium patet. *Primum* in vtero matris eſt nihil, ſecũdò ſanguis concretus & informis: tertiò inde omnia formantur mẽbra, caput, carnes, oſſa, corpus Phyſicum organicum. Idẽ verò Spiritus Dei operatur etiam nunc in procreatione animalium, & rerum omnium: ſicut & tunc. *Emitte Spiritum tuum &* (ait Dauid) & *creabuntur.* Hactenus igitur habuimus primũ caput creationis, quod eſt de primis rerum principiis atq; cauſis. 2. *Alterum* caput nobis retinendum, de rerum eſt ex hoc primo chaos, eductarum, diſtinctione; an videlicet omnia, è quibus conſtat Mundus, cœli, elementa, & ex iis compoſita, fuerint in illo chaos. (vt ita loquar) formaliter, hoc eſt, ſuis quas iam habent, formis, prædita, ſed tamen omnia confuſa, & inde poſtea ſegregata, ſicut grana etiam ſegregantur ex paleis; an verò tantùm in illo materialiter fuerint: hoc eſt quod ad principium duntaxat materiale attinet. Per quem item facta ſit hæc diſtinctio, & quo modo. 3. *Tertium* caput in articulo de creatione nobis cognoſcendum eſt. Ad quóſnam vſus creatæ, & à ſe inuicem diſtinctæ fuerint, ſingulæ creaturæ. Omnia enim ad aliquem vſum ordinata ſunt a Deo. Caput hoc pernecessarium fuit, vt intelligeremus, ne aut creaturas aliquot fruſtrà creatas eſſe putaremus, & ita eas tanquam nullius momenti, contemneremus: aut fortè ne illis contra voluntatem, & ordinationem diuinam, abuteremur. Proinde ſciendum nobis eſt; tum nihil eſſe creatum à Deo: quod ſuum non habeat vſum, tum quis ſit legitimus rerum vſus, & quis illegitimus. Hæc iam duo poſtrema capita, ab hoc tertio verſu, & deinceps, explicat nobis Moſes.

De prima luce, Quæſtiones ſex.

VIII. Ac primùm de luce ait, antequam nihil fuiret tota maſſa eductum, atque ab aliis rebus diſtinctum, & citra quam, nihil vel diſcerni, vel diſtinctum videri, cerní ve potuit. Proinde commodum, & meritò primùm de luce agit: Cùm enim omnia eſſent tenebris operta; primùm, quod deſiderabatur, erat lux; qua diſcuſſis tenebris, poſſent res à ſe inuicem diſcerni, dieſque conſtitui, atque à noctibus diſtingui. Moſes itaque de hac luce, ſex tradit aperte. 1. A quo ſit facta, nẽpe ab Elohim; ideò ait, *& dixit Elohim* 2. Quomodo facta ſit, verbo ſcilicet, ſeu iuſſu Dei; ideò ait, *& dixit, ſit lux; & fuit lux.* 3. Quãdo facta, nimirũ, poſtquã Spiritus Domini incubaſſet aquis: ideò præmiſit, *Spiritus Elohim incubabat aquis;* & mox, *& dixit Elohim.* 4. Vnde facta, non ex nihilo; ſed ex materia Chaos. Non enim ait Moſes, *Et creauit*, ſicut antè de materia prima. Neque ait, *Deum dixiſſe, creetur*, nempe ex nihilo; ſed ait, *& dixit, ſit lux*, nempe ex materia iam creata. Et ita Apoſtolus, 2. ad Corinth. 4. *Deus, qui de tenebris iuſſit lucem ſplendeſcere.* Hinc verò diſcemus nos, quid & vbi fuerit hæc lux. 5. De eius qualitate, bonam fuiſſe ait, vtilem ſcilicet ac delectabilem, eóque probatam fuiſſe Deo. Ideo ait, *& vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.* 6. In quos vſus creata. Vſus in hoc textu indicatur quadruplex. *Primus*, ad pellendas tenebras: ideò ait, *& diuiſit lucem à tenebris.* Hebr. eſt, ויבדל, id eſt, *& diſtinxit inter lucẽ, & inter tenebras*, h. e. ſeparauit: ita ſcilicet, vt nunquam ſimul coire poſſint. Sed lux ſemper pellit tenebras, & tenebræ ſuccedunt luci. *Secundus*, ad conſtituendum diem: idque non ſimpliciter, & perpetuò, ſed per vices, ſuo curſu, propter neceſſitatem animalium; ideò ait, *& impoſuit nomen luci, diem: & tenebris, noctem.* Ab eo quod efficiunt, nomina ſunt impoſita. Neque enim aut lux propriè dies eſt, aut tenebræ, nox: ſed vna efficit diem nempe artificialem: altera noctem. Ideò notanda triplex diei ſignificatio: prima, lux, quæ efficit; ſecunda, aẽr illuminatus, per quem: tertia ſpatium temporis, quo. *Tertius* vſus, vt ex tenebris, & luce, vnus fieret dies naturalis, 24. ſcilicet horarum, ideò ait, *& fuit veſpera, & fuit mane, dies vnus*, id eſt primus, nẽpe naturalis. *Quartus*, ad omnes noſtras honeſtas licitáſque vtilitates, & voluptates, quæ ſcil. Deo probentur. Hunc etiam vſum indicat eadem locutione, dicens: *Et vidit Deus, quòd bona eſſet.* Bonum enim hîc capitur, & pro tali delectabili, & pro tali vtili, quod etiam videatur, hoc eſt, probetur Deo. eóque, quòd etiã ſit honeſtum. ita vt omne genus boni, in hac dictione includatur. Omne enim bonum, aut honeſtum eſt, aut delectabile, aut vtile, aut ſimul omnia. Ideò coniungendum eſt, Verbum, *Vidit Deus*, cum dictione, *Bonum.* Lux igitur per ſe bona eſt, & ad bonos vſus deſtinata.

Hæc eſt ſumma huius contextus. Nunc ſingula verba accuratiùs examino.

Dixit Elohim.

IX. Permulti ſunt, tam ex veteribus quàm ex recentioribus, qui ex hoc loco ſubſtantialem Filij ex Patre generationem, colligere conãtur, quanquam non omnes vno & eodẽ modo: omnes verò vna adducũtur ratione, vt ex hoc dicere Dei, deducant Filij generationem. Ratio illa, hæc eſt; quòd Filius ſæpè vocetur λόγος Patris, & verbum, ſeu ſermo, apud Latinos. *Dicere* igitur Dei, generationem Filij ſignificat. Sed hæc ratio admodum infirma eſt. Non enim Filius dicitur λόγος, quòd ſit ceu verbum à Patre prolatum, ſed quia ſapientia eſt Patris. Et quia is eſt, per quem ſe, ſuámque voluntatẽ patefacit Duæ enim ſunt præcipuæ, & quæ ad rem noſtram faciũt, huius vocis λόγου (quo nomine Filius Dei, vt nouimus appellatur in ſcripturis) ſignificationes. *Primò*, ſignificat rationem in mente, qua cogitamus, ratiocinamur, & ſapientes ſumus, vnde & λογικοὶ, *rationales* vocamur. Secundò, ſignificat ſermonẽ, per quem quæ mente & ratione concepimus, ea explicamus. Chriſtus itaque primò, quia ſapientia eſt Patris, non quâ Pater propriè, ſapiens eſt (eſt enim propriè, per ſe & ſua eſſentia ſapiens) ſed per quam, ex ſe, tanquam ex prima mente genitam, & cum qua, omnia ſapientiſſimè decreuit, conſtituit, fecit, & facit Pater: idcircò vocatur λόγος. Deinde, quia ille eſt etiam, per quem, tanquam

Per ſermonem quendam modo viſibili humanáque forma veſtitum Patribus apparendo; modò adflatu ſui Spiritus, in Prophetis & per Prophetas loquendo: & tandem humana natura, ſibi ὑποστατικῶς aſſumpta, inter homines verſando: quia inquam, Chriſtus eſt ille, per quem Pater à condito orbe & ſe, & ſuam voluntatem patefecit, & patefacit hominibus: idcirco hac etiam de cauſa appellatur λόγος. Atque hę ſunt duæ præcipuæ cauſæ, cur Filius Dei hoc nomine appelletur in ſcripturis: quemadmodum elegantiſſimè poſt Tertullianum contra Praxeam, explicauit etiam Lactantius ille Firmianus, Inſtitut. lib. 4. qui eſt de vera ſapientia, cap. 8. & 9. Neque aliò ſpectant ea, quę de hoc λόγῳ ſcribuntur à Philoſophis, præſertim à Platonicis. Vnde & quæ Patres Græci multa collegerunt, non inquam, aliò ſpectant, quàm eò, vt oſtenderent in Deo eſſe æternam, eámque ſubſtantialem ſapientiam, per quam omnia ſapientiſſimè diſpoſuit, & ſeſe patefecit Deus, quam propterea etiam appellarunt Deum. Ideò Lactantius loco ſuprà citato cap. 9. ſubdit, hunc ſermonem diuinum, ne Philoſophi quidem ignorauerunt. Si quidem Zenon rerum naturæ diſpoſitorem, atque opificem vniuerſitatis, λόγον prædicauit, quem & fatum, & neceſſitatē rerum, & Deum, & animam Iouis nuncupat. Euſebius etiam Cæſar. de præparatione Euangelica lib. 7. c. 5. opus Philonis de agricultura citat: vbi περὶ τοῦ λόγου diſſerit: Et hunc ait eſſe non ſermonem prolatitium, ſed alteram in Deo perſonam, & Filium Dei appellat. Et per hunc omnia fuiſſe condita, & condita gubernari & conſeruari, & lib. 2. cap. 10. multa ex Platone, & aliis citat de hoc λόγῳ pulcherrima, ac præter alia, ſcripſerunt, inquit, omnia, quæ ſunt, per hunc λόγον eſſe facta, & Deum appellarunt. His & aliis permultis quæ, ne prolixiores ſimus, quàm par ſit, omittimus, manifeſtum ſit, Filium Dei, λόγον appellari ipſius Dei Patris, propterea quòd ſit ſapientia Patris, per quam omnia ſapientiſſimè ordinauit primùm, Deinde creauit, ſuſtentat, gubernat: & per quem tanquam per ſermonem quendam, ſeſe Mundo patefacit. Hæc omnia ſolida ſunt, & certiſſima. Ergo ex hoc loco, & ſimilibus, vbi Moſes ait, *Deum dixiſſe fiat vel ſit lux*, & alia, colligere Filij generationem, ineptum eſt, & nimis contortum. Et ratio, quam adferunt, quia ſcilicet Filius vocatur λόγος: Ergo vbi legitur *Pater locutus eſſe, & dixiſſe, fiat hoc, fiat illud*, ibi ſignificatur Filij generatio: hæc, inquam, ratio, puerilis mihi eſſe videtur. Cæterùm (vt de principio dixi) non vno & eodem modo omnes, hinc Filij generationem colligunt. Quidam ita verba hæc interpretantur, vt dicant tunc primùm, quum ſcilicet Deus creauit cœlum & terram (creauit enim verbo) genitum fuiſſe Filium: & quaſi ex ore Patris exſputum, vel vt alij, *eructatum*: ac proinde æternum non eſſe contendunt, vt hæretici, atque inprimis Seruetus: de cuius blaſphema ſententia dictum eſt in libris de Trinitate. Cauēda ſunt etiam, quæ ſcribit Rupertus Tuitienſis in hunc locum, quum ait: *Verè enim ſine voce natum, & omnia potentialiter continens verbum, tunc Pater generauit: quando cœlum & terram creauit, quando lucem fecit.* Etſi enim bonus ille, & non impius vir, agnouit Chriſtum pro æterno Dei filio: tamen verba hæc, quę ibi ſcribit, peſſimè ſonant. Alij ſic explicant, vt negent tunc primum fuiſſe genitum λόγον: ſed illud dicere Dei, initiò mundi teſtimonium fuiſſe, ante mundum genitum fuiſſe in Dei mente, ſeu in Deo ipſo, τὸν λόγον: qui poſtea creatione rerum per ipſum facta, ſeſe & Patrem patefecerit. Tunc enim Deum dici, aliquid dicere, vel loqui, cum facto, ſuum patefecit conſilium, atque animum. Nam tunc quoque nos dicimur loqui, quum per voces, quæ ſunt animi cogitationum notæ, noſtras patefacimus cogitationes, conſilia, voluntates: Deus autem non vſus eſt tunc vocibus vllis in creando mundo: ſed efficaci voluntate, quæ verbo *Eſto*, ſeu *ſit*, ſignificatur. Dicere igitur Dei, nil aliud fuiſſe, quàm æterni ſui λόγου, patefactionem. Sic illi, h. e. plerique omnes. Quæ ſcribuntur, de λόγῳ, déque æterna eius generatione, & Deitate, veriſſima ſunt, ſed quā huic loco congruant, ego non video. Itaque ſimplex interpretatio ea mihi videtur eſſe, quam adferunt Hebræi atque inprimis Rab Moſes lib. 1. Ductoris cap. 64. *Verbum dicendi vel loquendi* (inquit) *æquiuocum eſt. Quandocunque enim dicitur de verbo lingua prolato: ſicut dicitur*, Loquutus eſt Moſes, *Dicitur etiam quandoque de conceptu mentis, licèt non exprimatur ſermone. vt, Dixi in corde meo, dixit inſipiens in corde ſuo: loquutus ſum in corde meo. Tibi dixit cor meum. Ponitur etiam pro voluntate ſicut ibi: Et dixit, vt interficeret Dauid, id eſt, voluit interficere Dauid. Dictum igitur & loquela, quæ attribuitur creatori, ſunt ſecundùm duos vltimos modos, hoc eſt, cùm ponitur pro volūtate, vel conceptu mentis, ſiue ſciatur per vocem creatam, ſiue per aliquā ſpeciem prophetiæ.* Hæc ille. Poſtea ſubdit: *vbicunque autem dicitur in opere de* בראשית. *Dixit, exponitur, voluit.* Simplex igitur interpretatio eſt, vt accipiamus verbum, *Dixit*, pro *voluit*, & *iuſſit*. Hoc explicatur à Dauide, cùm ait, *Ipſe dixit: & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Alterum verbum eſt declaratio prioris. Alibi ſic: *quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra.* Et Apoſtolus interpres eſt huius loci optimus, cùm ait 2. ad Corinth. 4. *Deus, qui de tenebris dixit* (ὁ εἰπὼν, pro *iuſſit*, vertunt permulti) *lucem ſplendeſcere.* Sed quomodo iubet iis, quæ non ſunt? Reſpondet Apoſtolus, *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Hac autem voce indicatur Dei omnipotentia, ſimul & ſapientia in creando mundo. Nam ſi dixit Deus: antea igitur ſapientiſſimè cogitauerat, & prudentiſſimè conſtituerat creare: Et ſi tantùm dicendo, *fiat, factum eſt.* Ergo nullus ibi labor, ſed ſumma potentia. Ideò hoc verbum potens vocatur, Hebr. 1. *Quis verò dixit, ſit lux?* Elohim ille, de quo primo verſu. Hunc autem oſtendimus, eſſe Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S. Hi enim tres, ſunt creator vnus cœli, & terræ, & omnium quæ in eis ſunt. Quanquam Patri, tanquam principio totius Deitatis, & potentiæ, priori loco attribuatur creatio. At nónne etiam primam maſſam, ante creatam lucem, creauerat ſuo verbo, voluntate ſcilicet & iuſſu? omnino: De tota enim machina ait Dauid: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Cur igitur tunc primùm, Moſes ait, *locutum fuiſſe Deum, cùm creauit lucem?* Non certè ſine cauſſis, quarum vna videtur eſſe optima: nempe, vt ita apertè doceret ex verbo dicendi ויאמר אלהים, quo vtitur de Deo, minime colligendam eſſe Filij generationem: quaſi tunc primùm genuerit Filiū, cùm dixit: *eſto lux.* Nam etiam ante creauerat tum Angelos, tum maſſam totius Mundi: Et tamen non fecit mentionem verbi. Num igitur Filius creatus eſt poſt Angelos, & poſt materiam primam Mundi? Altera ſpiritualis eſt cauſa, Indicare voluit, vnde etiam lux in animis noſtris oriatur: ex verbo ſcilicet Dei. Nam ſimul ac locutus eſt Deus, tunc primùm etiam ſtatim facta eſt lux: qua fugatæ ſunt tenebræ, quibus tota maſſa obtecta erat. Idem contingit paruo mundo, i. homini. Sumus noſtra natura tenebræ: ſiac vt Deus efficaciter loquatur in animis & cordibus noſtris: mox fugatis tenebris, illuminabuntur mentes noſtræ ad cognitionē tum noſtri, tum Dei ipſius. Hęc eſt vis verbi Dei, vera fide percepti. Ideò hoc loco vſus eſt Apoſtolus ad oſtendendum, vnde Corinthiis illa lux, qua donati erant, nempe à Deo per Euangelium in Chriſto: *Deus qui dixit ſeu iuſſit lucem de tenebris ſplendeſcere*, is illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem cognitionis in facie Ieſu Chriſti. Hæc de verbo ויאמר

Sit lux.

X. Antequam progrediamur ad ea de luce explicanda quæ tradit Moſes, & quæ initio indicauimus eſſe breuiter obſeruanda: principio videndum eſt de voce lucis. Deinde de re, quænam lux hæc fuerit; quum primo die creauit Deus ex maſſa tenebricoſa. Nam fuiſſe creatam ex hac maſſa, apud me extra controuerſiam eſt, propter teſtimonium Apoſtoli (vt alias taceā rationes) qui ait, *Deus qui de tenebris iuſſit lucem ſplendeſcere.* Hebraica vox eſt אור, quæ Latinè, modo *lux*, modò *lumen*, ſine diſcrimine vertitur; à Græcis autem vertitur φῶς. Ac verbum אור, eſt latere. Cur verò ſic vocetur, non inuenio; niſi fortè per antiphraſin ſic vocetur, eò quòd lux nec latere poſſit ipſa, nec alias res ſinat latere. Fortaſſis etiam eſt à ראה, per metaphraſin, ſic appellata: quòd per lucem videamur, cernantúrque omnia. Nam ראה, eſt *videre*. Inde fortè eſt אור. Certè Apoſtolus ad Epheſios ait, de proprio lucis officio: πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον (actiuè) φῶς ἐστι. Ideò fortè ab officio quod facit lux, quia efficit vt res alioqui occultæ cernantur: Hebraicè vocata eſt אור per metatheſin, à ראה. Sed ego non affirmo, relinquo hoc peritioribus linguæ conſiderandum. Alia vox eſt apud Iobum, 3. 4 נהרה, quam etiam Thargum habet in hoc verſ. Gen. cap. 1. loco אור. Ea vox נהרה a radice נהר quod *currere* ſignificat, deducitur. Hęc vox optimè conuenit luci; itęque inprimis Soli, & Lunæ. Corpora enim illa lucida currunt perpetuò, & ſuo curſu conficiunt dies, & tempora, & fugant tenebras, modò ab vno hemiſphærio, modò ab alio per vices. Et luce mentis, nos dicimur diſcurrere quum ratiocinamur. Ideò omnis lux, ſimulac alicui loco illuxit: ſtatim vno momento totum illud ſpatium percurrit, & ſua implet præſentia. Itaque ex his duobus vocibus Hebræis, אור ſi à ראה deducas: & נהרה duas habemus lucis proprietates, vnam, quòd velociſſime percurrat: alteram, quòd omnia reddat viſibilia. Græcè eſt φῶς, & φάος, quam vocem interpretes vertunt modò *lucem*, modò *lumen*, ἀπὸ τοῦ φῶ; luceo: Et generalis eſt vox, omnem ſignificans lucem: ita vt etiam ignis quia lucet, φῶς, appelletur. Λύκη, etiam antiquis Græcis appellabatur *lux*, ſed propriè ea erat, quæ ante Solis ortum apparet: quam Græci

iam vocant λυκόφως: Et nobis, *aurora* eſt. Vnde & nonnulli volunt λύκον, lupum hoc vocari nomine: quòd lupi, antelucanum tempus, ad capiendas oues, obſeruent. Latinis, vox lucis, Græca prorſus eſt, λύξ nimirum. Et pro die etiam ſæpè capitur, id eſt, pro eo tempore, quo Sol ſuper terrám lucet: in qua ſignificatione ſæpe vtitur Cicero, & alij linguæ Latinæ patres, ſequuti in hac parte inſtitutionem Dei primam, qui lucem appellauit diem: & ideò etiam ipſi diem, vocant lucem.

Cæterùm diſcrimen faciunt Latini Philoſophi inter lucem & lumen. Lumē aiunt eſſe qualitatem, ſeu affectionem lucidi corporis: veluti eſt in ſolari corpore: lumen autem, eſſe ipſius lucis irradiationem per corpora perſpicua, ſeu vt Græci dicunt, διαφανῆ, diaphanum, diffuſam: vti eſt ſplendor è Solis luce per aërem diſperſus. Sic Claudianus Poëta diſcrimen hoc fecit, cùm dixit:

Claram diſpergere lumine lucem. Lux n. Solis, hoc lumine ſeu irradiatione, per aërem diſpergitur. Hinc vox lucis trāſfertur etiam ad ſpiritualia, atque ad Deum inprimis: imò ipſe primò per ſe, & propriiſſimè lux eſt, vnde omnis lux. Ita Angeli, ita homines, propter rationem in eis lucētem: multò verò magis propter Chriſtum in eis habitantem, *lux* vocantur: & *Verbum Dei*, propter effectum *lux* dicitur. Sed de iis non eſt iam dicendi tempus. Hæc igitur ſatis ſunto, quòd ad nominis explicationem attinet.

Quid illa prima lux fuerit.

Nunc videndum, quidnam nomine *lucis* intellexerit Moſes. Variæ hic ſunt ſententiæ. D. Auguſtinus, quem Beda, Eucherius, Rupertus, & alij permulti ſequuti ſunt, in hanc ſententiam tandem inclinauit: vt ſenſerit, nomine lucis, intelligendos eſſe *Angelos*. Non affero rationes, quas adducit: quia friuolæ ſūt. Facilè autem hæc interpretatio refellitur. Primùm à finibus huius creatę lucis: de quibus ſuprà dictum eſt. Eorum autem nullus in Angelos competit. Adde cauſſam, vnde educta eſt lux. Apoſtolus 2. Corinth. 4. diſertè ait, *lucem è tenebris ſplenduiſſe*. Angeli autem è quibuſnam tenebris ſplenduerunt, & educti ſunt? Idem liquet à diſtinctione lucis & tenebrarum. Ait, *& diuiſit lucem à tenebris*. Cogitur Auguſtinus ſua interpretatione, ſicut nomine *lucis* intelligit Angelos bonos, & conuerſos ad Deum: ſic nomine *tenebrarum*, interpretari Angelos malos, quo nihil abſurdius. Cùm enim Apoſtolus alludens ad hunc locum, dicat, *lucem exſplenduiſſe ex tenebris*, iuſſu Dei: ſequeretur, Angelos omnes priùs fuiſſe tenebras: id eſt, malos; deinde quoſdam ex illis factos fuiſſe bonos, & eluxiſſe ex malis. Deinde tenebræ priores fuerunt luce. Si igitur nomine *lucis* bonos Angelos intelligas, & nomine *tenebrarum*, malos: efficietur, malos Angelos priores fuiſſe bonis, quæ omnia abſurdiſſima ſunt, & reuera, tenebrarum plena. Quanquam idem Auguſtinus tomo 5. de ciuitate Dei, libro XI. cap. 19. & 20. non ita hanc ſequitur interpretationem, quin de ea etiam dubitet. Nihil igitur certiùs, quàm nomine lucis in hoc loco, minimè intelligi poſſe Angelos, hoc eſt lucem ſpiritualem. Quare lux corporalis fuerit neceſſe eſt. Sed hîc etiam variæ ſunt Interpretum ſententiæ de luce hac corporali.

Quidam interpretati ſunt lucem, pro igne: ſicut Spiritum qui incubabat aquis, intellexerunt ventum & aërem. Hoc ideò faciunt, quoniam vellent omnino ex verbis iſtis priorum verſuum Moſis, colligere quatuor Elementa. Sed neque hæc ſententia conuenire poteſt cum verbis Moſis. Ait enim, *hac luce pulſas fuiſſe tenebras, quæ erant ſuper faciē abyſſi*. & ita diſtinctas fuiſſe tenebras à luce, vt ſimul eſſe non poſſint; imò vt per vices ſibi mutuò ſuccedant, oportere. At ignis elementum quod ſupra aërem collocatur, minimè lucet, propter nimiam raritatem, ſicut neque aër, neque cœli, ſed tantùm lucis capax eſt, ſicut etiam aër, nec etiam fugat tenebras, ſed cohæret cum aëre tenebricoſo, vt noctu videmus fieri. Adde quòd hac luce factus fuit dies: quia ſua præſentia, cauſa eſt diei. At ignis nec dies vnquam vocatur, nec diem efficit. Item lux iſta ſuo motu, modò aberrat ab vno Hemiſphærio, modò ab altero: atque ita per vices, modò vnum illuminabat, modò alterum: vnde ex eius præſentia, dies, & ex eius abſentia, nox oriebatur. At ignis totam ſemper occupat terram, & totum aërem, cùm cingat aërem vndequaque: nec tamen efficit ſua hac præſentia, diem. Quare de elementari igne intelligi non poteſt locus iſte: multò verò minùs de igne, qui eſt infra aërem, in vſum animalium deputatus: partim propter prædictas rationes, partim propter alias, omnibus manifeſtas. Hic enim ignis mixtus eſt cum aliis elementis, terra, lapidibus, aqua, aëre. Ex omnibus enim iis elicitur ignis per vehementem motum, vt liquet. Moſes autem loquitur de primo effectu, qui è maſſa iuſſu Dei, prodiit & diſtinctus fuit: & quo tota maſſa, pulſis tenebris, fuit illuminata.

3 Alij itaque ſentiunt, nomine *lucis*, intelligendum eſſe *Solem*, qualis etiam nunc eſt in ſuo orbe. Et tunc primùm, hunc accepiſſe curſum, quo iam etiam mouetur, & quo diem ac noctem conficit. Ac per Synecdochen, quia lucis fit mentio, & lux hæc (vt aiunt) non potuit eſſe, niſi in ſuo orbe; idcirco volunt tunc, primo ſcilicet die, creatos fuiſſe non ſolū orbem Solis, ſed alios etiam orbes cæleſtes cum ſuis Planetis, præter ſtellatum cælum, quod ſolum etiam, *firmamentum* vocari contendunt.

Sed duo huic ſententiæ obſtant: vnum eſt quòd quartò die legimus creata fuiſſe luminaria in cælo: atque imprimis Solem & Lunam: quorum ille *luminare maius*: hæc *luminare minus* vocatur. Alterum eſt, quod expanſio aeris ſcilicet, & omnium cæleſtium orbium, facta fuit ſecundo die. Nomine enim רקיע non intelligitur tantùm (vt iſti ſentiunt, ſed falluntur) *Cælum ſtelliferum*: ſed tota hęc, quæ ſuper aquas eſt amplitudo, aëris ſcilicet, & omnium horum cæleſtium orbium, qui omnes ex ſuprema aquarum parte, ex מים ſcilicet creati ſunt, vt videbimus. Si igitur ſecundo demum die facti ſunt orbes, falſum eſt, quòd aiunt, primo die creatum Solem in ſuo orbe: & tunc primum cœpiſſe currere, & ſuo curſu, vti etiam nunc facit, diem confeciſſe & noctem: diem præſentia ſua, noctem abſentia. Et de Sole loquimur, ſicuti iam eſt: de hoc enim eſt quæſtio. Verùm iſti ad primum obiectum reſpondent: quod de Sole dicitur, in quarto die factum fuiſſe: intelligendum id eſſe per repetitionem, in præterito plusquamperfecto; *fecerat Deus luminaria duo*. Sicut etiam de homine, qui creatus fuit ſexto die, legitur in cap. 2. *Formauit autem Deus hominem de limo terræ*; hoc eſt, formauerat. Sed hæc interpretatio coacta eſt, & vim facit verbis Moſis: Ait enim Moſes in quarto die, *dixiſſe Deum, ſint luminaria*. Et idem eſt verbū, quod etiam hic יהי ſit lux, neque admitti poteſt in hoc primo capite, quā volunt repetitionem: vbi paucis quoto quodque die creatū fuerit, narrat. Quod de homine dicunt, aperta eſt in ſecundo capite repetitio, & repetitionis cauſſa. Ad alterum abſurdum non reſpondent, de expanſione ſeu firmamento: quia apertè in interpretatione firmamenti hallucinantur. His igitur de cauſſis, fieri nequit, vt nomine *lucis*, intelligatur ſolaris globus in ſuo orbe: qualis iam eſt, & quomodo ſe iam habet. Proinde alij volunt, lucem hanc fuiſſe, non ſubſtantiam aliquam, qualis eſt corpus ſolare lucidum: Sed qualitatem quandam, in tota illa tertia chaos parte (quæ מים vocatur: vnde poſtea שמים id eſt, *cæli*, facti ſunt) creatam, & totum chaos complectentem, illuminantem: qualis eſt lux auroræ, per totum aërem diſperſa (quanquam nullum appareat ſupra terram aſtrum) quæ propriè Latinis *lumen* eſt, non *lux*. Lux enim eſt in aſtro: lumen autem, lucis eius ἀπαύγασμα extra aſtrum in aëre. Talem igitur volunt fuiſſe lucem illam primam: eóq; ſine motu vllo circulari, quo cōficeret diem, & noctem. Itaque ſubiectum illius lucis, erat tota illa vltima ſphæra ipſius chaos: quę ſphæra מים vocabatur: ſubtilior ſcilicet pars ipſius chaos. Quòd ſi interroges: quomodo igitur illa lux faciebat diem, & nocte per vices: ſi vtrumq; ſimul hemiſphærium complectebatur, & illuminabat? Sic enim videtur perpetuo dies fuiſſe ante creationem Solis. Reſpondent, motum huius lucis fuiſſe ſui expanſionē ſeu diffuſionē, & contractionem: ſeu ſubductionē: Et ſui quidem diffuſione, diem: ſui autem contractione, noctem effeciſſe: quemadmodū etiam videmus, cùm fiunt fulgetra noctu. Lux quædam emittitur & per aerē diffunditur, vnde videtur eſſe dies: Et mox etiam ſe ſubducit, & ſtatim tenebrę ſuccedunt, & nox eſt. Sic inquiunt, illius lucis diffuſione, & contractione, fiebat dies, & nox. Certis enim horis, nempe duodecim (æquinoctium enim erat de omnium ſententia: vel *vernum*, vel, vt Hebræi volunt, *autumnale*.) Duodecim igitur horis (de horū ſententia) hæc lux totam illuminabat terram, & ita diem faciebat: & duodecim ſeſe contrahendo, inducebat tenebras, & ita noctē efficiebat. Verū quoniam hoc non ampliùs fit, neq; res eſt naturalis (id quod etiā huius ſententiæ autores norunt:) idcirco aiunt fuiſſe hoc factū miraculosè, ſola Dei voluntate & iuſſu. Et ita hac ratione, tribus primis diebus fuiſſe diem, & noctē. Hanc verò lucē, vbiq; diffuſam, fuiſſe porrò contractā, & poſitam in corpus ſolare. Sententia hæc multorū fuit Græcorū, atq; inprimis Baſilij, quam & Damaſcenus ſecutus eſt, lib. 2. cap. 22. vbi ſic ait, ἐν μὲν ταῖς τρισὶν ἡμέραις ἀναχεομένου καὶ συστελλομένου τοῦ φωτὸς τῷ θείῳ προστάγματι· ἥ τε ἡμέρα, καὶ ἡ νὺξ ἐγένετο. Sententiam hanc, nunc etiam ſequuntur multi magnæ autoritatis viri. An verò iſta lux vtrumque Hemiſphærium ſimul illuminarit, atque ita dies vbique ſimul fuerit, & vbique nox, an verò per vices, modò vnum hemiſphæriū illuſtrauerit, modò alterum, ita vt, cùm in vno eſſet nox,

in altero fuerit dies, neq. ſciri poſſe, neq; etiam rem magni eſſe momenti, contendunt.

4. Cæterum multis quoque improbatur hæc interpretatio, & id quidem non leuibus rationibus: quarum hæc vna eſt, Moſes hîc docet quænam, & vndénam principia rerum naturalium fuerint, illúmque naturæ ordinem, qui etiam nunc in Mundo ſeruatur, deſcribit, quanquam ab imperfecto ad perfectum progreſſus ſit DEVS in Mundi creatione, vt manifeſtum eſt. Res autem naturalis eſſe non potuit illius lucis, vbique diffuſæ, certis horis contractio, & expanſio: id quod etiam authores illius opinionis fatentur, ac proinde dicũt hoc fuiſſe factum τῷ θείῳ προςάγματι. Moſes autem narrat, nõ miracula, ſed prima rerum naturalium principia & primum naturę ordinem. Deinde longè diuerſę rationis fuiſſent illi tres priores dies, quàm reliqui tres inſequentes, qui ordinario Solis curſu, confecti fuerunt: Si vera eſſet hæc interpretatio. Præterea, quomodo ibi fuiſſet manè & veſpera? Manè enim eſt initium diei, cui ſuccedit meridies, & huic tandem veſpera, quæ eſt initium noctis. Quæ ſanè diei, & noctis diuerſitas, ex diuerſo Solis motu oritur. At ſi dies fiebat illius lucis emiſſione, & expanſione, & nox eiuſdem contractione, efficitur, non fuiſſe ibi neque manè, neque veſperam: hoc eſt, neque initium diei, neque initium noctis: ſed ſemper perfectum duntaxat diem, & perfectam noctem.

5. Alij itaque putant, lucem hanc fuiſſe quandam illius aquæ partem, vi & iuſſu verbi diuini, in formam nubeculæ lucidæ contractam. Et hanc nubeculam lucidam, ſuum habuiſſe motum circularem, ab oriente in occidentem mundi partem, atque in ſuo motu, & manè & meridiem, & veſperam & noctem effeciſſe. Hanc deinde nubeculam lucidam, in corpus ſolare & ſolidius & lucidius, conglobatam, quum poſt rarefactionem, & expanſionem aquarum aſtrum Solis fuit factũ, inq; ſuo orbe cõfirmatum, ac proinde hanc lucem nil aliud fuiſſe quàm materiam, ex qua poſtmodum immediatè Sol fuit formatus. Ita eiuſdem Solis, ſed primò imperfecti, deinde curſu, hoc eſt ortu, & occaſu omnes dies fuiſſe perfectos, eóque fuiſſe ſimiles, & eiuſdem generis dies.

Hæc mihi videtur probabilior ſententia. Nam primò magis conſentanea eſt cum hiſtoria Moſis. Narrat enim, quo pacto Deus res condiderit omnes, paulatim ab imperfecto, ad perfectum eas deducendo; Et non diuerſas mutando, ſed eáſdem perficiendo. Deinde non ita pugnat cum ordine naturæ. Hoc enim modo efficimus, vt eadem Solis materia ſemper fuerit dierum & noctium cauſa, dierum, ſua præſentia: noctium, ſua abſentia: quanquam initio non ita eſſet formoſus, rotundus, pellucidus, atque poſtea quarto die, & deinceps fuit.

Hanc etiam ſententiã videtur ſequi primarius Germaniæ Theologus. Poſtquã enim propoſuiſſet duplicem de hac luce quæſtionẽ: vnam, *an iſta lux ſe moueret motu circulari*: alterã, *qualiſnã fuerit*. Primùm reſpõdet, ſe certi nihil ſcire, & difficiles eſſe quęſtiones. Deinde, ſi quis tamen velit intelligere, quid ipſe iudicet probabilius: reſpondet in hæc verba: *Ego ſic ſentio, fuiſſe illã lucem, veram lucem, quæ motu circumferretur, quanquam non fuit tam clara & ſplendida lux, qualis poſtea fuit, quum lumine Solis aucta, ornata, & perpolita eſt. Sic etiam ſacræ literæ teſtantur, in nouiſſimo die Deũ hodiernũ Solis lumẽ, cen malignũ lumen reſpectu futuræ claritatis ſplendidius & clarius facturũ eſſe. Quemadmodum igitur hodierna lux, quaſi rudis & craſſa luminis maſſa eſt, ſi conferatur ad illam futuram lucem, ita illa prima lux ad hanc præſentem collata, rudis fuit. Hæc mea ſententia eſt de iis duabus quæſtionibus.* Hęc ille in Geneſin. Itaque nomine lucis intellexit non ſolùm qualitatem aliquam (Lux enim propriè qualitas eſt lucidi corporis) in tota illa ſphęra ipſius chaos ſuperiore diffuſam, & ſine motu circulari: (vt Baſilius, & Damaſcenus:) Sed corpus quoddam imperfectè lucidum, quod poſſet ſuo circulari motu, & diem & noctem conficere. Sic Theodoretus vocat hanc lucem, *ſubſtantiam*, nempe propter ſubiectũ, in quo erat, quod oriebatur, & occidebat. Ita cum hac ſententia optimè conſentit illa Dionyſij Areopagitæ, quam permulti ſequuntur: nempe eam fuiſſe lucem Solis, non propriè Solem ipſum, vti iam eſt, ſed materiam Solis lucidam, vnde poſtea Sol perfectiſſima luce præditus & formatus eſt: quam materiam quidam ideò appellarunt *lucidam nubem*: quia rarior erat illa materia lucida: Eóque & minùs lucida quàm iam ſit Sol. Ita omnes rationes quas Steuchus in κοσμοποιΐᾳ adfert, vt probet hanc lucem fuiſſe Solem, locum habent.

Ità etiam facilè cum hac ſententia conueniunt, quæ Thomas Aquinas de hac ſcribit luce: hanc nimirum fuiſſe ſubſtantiam Solis, & virtutem habuiſſe illuminandi, in communi: intellige imperfectiorem, quàm poſtmodum accepérit die quarto. Nunc tenemus, quid probabilius ſit: Nominc *lucis*, Moſen intellexiſſe *ſubſtantiã* ſcilicet *Solis lucidã*, ſed nondum iam bene formatam, benéque lucidam, atque iam eſt: fuiſſe tamen corpus aliquod inſtar nubeculæ, ex מים concretum quod ſuo circulari motu, diem conficeret, & noctem, vt explicatum eſt.

Hinc apparet, vbinam fuerit lux illa, in tertia ſcilicet, eóque ſuprema totius chaos parte, & ſphæra, quæ שמים vocata eſt à Moſe: Et ex qua verbo Dei extenſa, & quaſi Spiritu Dei inſtar veſicæ, inflata, factus eſt aër, & orbes cęleſtes cum ſuis aſtris. Ita pulchrè conueniunt, quæ ſcribit Moſes, ſi ita explicentur, vt nos interpretati ſumus cum iis, quæ porrò Philoſophi, de iiſce rebus ſcripſerunt, & quæ nos quotidie videmus. Aiunt enim, aſtra, corpora illa ſcilicet lucida, ex natura eſſe ſuorum orbium: ſed denſiora & craſſiora, eóque lucida. Ita lux ſuum habuit motum, quem etiam nunc Sol. Et ita diem ac noctem diſtinguebat, atque etiam nunc Sol, vt perpetuus manſerit tenor in natura. Apparet totum hoc ab vſu huius lucis, quem deſcribit Moſes. Is eſt in primis, vt diem efficiat. Deſcribit autem vſum, qui perpetuò manſit, & manet in Mundo. Talis autem eſt iam vſus huius lucis, quam omnes fatentur eſſe in Sole: nempe vt ſuo curſu ab oriente in occidentem, diem conficiat. Talis igitur etiam de principio fuit hæc lux, vt hoc poſſet, & eodẽ modo quo nunc, efficere: quãquam, vt dixi, diſcrimen hoc fuit: quòd tunc imperfectior fuit, & rudior, ac minùs lucida; quàm ſit in præſentia, illa lux in corpore ſolari. Atque hæc ſatis ſunto de ſubſtantia, de motu, déque loco & vſu huius primæ lucis. Sequitur:

Et fuit lux.

XI. Hinc igitur colligimus hæc quinque. *Primum*, lucem hanc non fuiſſe æternam: ſed in tempore factam. *Deinde* autorem omnis lucis, eſſe Deum, Iohannes autem docet, Chriſtum autorem eſſe omnis lucis in omnibus hominibus: quum ait, *illũ illuminare omnem hominem, venientem in hunc mundum Io. 1. 9. Tertiò*, verbum igitur Dei inſtrumentũ eſſe, quo lucem producit Deus, & accendit in cordibus noſtris: ſicut etiam tũc verbo ſuo fecit lucem. *Quartò*, vt verbo omnia condidiſſe, argumentum fuit verę Deitatis illius, qui loquutus eſt, dicendo: *Sit lux, & fuit lux*. Sic etiam, quòd Chriſtus omnia ageret verbo, cęcos illuminaret, mortuos ſuſcitaret, ægrotos curaret; argumentum fuit veræ ipſius Deitatis. Idcirco Dauid hoc dat ſoli Deo: *Ipſe* (inquit) *dixit: & facta ſunt*. Ipſe ſcilicet ſolus hoc fecit, & facere potuit. De Chriſto Apoſtolus, portãs omnia verbo virtutis ſuę *Heb* 1. 3. Denique ſi vna tãtùm lux, vna terra, vnáque abyſſus. Ergo vnus tantùm mundus. Ita habemus à quo, quomodo, & vnde facta lux. Sequitur de qualitate, & vſu huius lucis.

4. *v. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.*

XII. Phraſibus ad captum noſtrum accommodatis, vtitur Spiritus ſanctus. Videre autem Dei hic eſt approbare, & ſententiam ferre, lucem ſcilicet eſſe bonam. Et ſic de aliis loquitur Moſes: *vidit quòd bonum eſſet*. Ergo quæ Deus probauit, quis improbet? Hinc Apoſtolus contra eos, qui vſum carnium damnabant, *Omnis* (inquit) *creatura Dei bona eſt*. Cur igitur damnas, & prohibes tanquam malum, carnium vſum? Ad ſummam, nihil Deus condidit, quod non ſit bonum: ac proinde, quod nobis non liceat, modò legitimè vtamur.

Cæterùm טוב non tam bonum, id eſt vtile, quàm iucundum & pulchrum, eóque etiam delectabile ſignificat Hebræis. Eſt igitur lux non ſolùm ad res infinitas vtilis: ſed etiam iucunda, formoſa, delectabilis. Quare ad vtilitatem, & honeſtam etiam voluptatem noſtram creata eſt lux. Huc pertinent Epitheta, quæ tam in ſcripturis, quàm apud profanos ſcriptores, luci attribuuntur, γλυκὺ φῶς. Et propter lucem inprimis, tota hæc machina vocatur, κόσμος: Et ſpeciatim cælum, nomine Mundi capitur apud profanos Poëtas, vt notum eſt, quia lucidiſſimis ſtellis ornatum eſt. Hic igitur tenemus lucis tum qualitatem, eam ſcilicet per ſe & ſua natura, eſſe bonam, atque iucundam, & delectabilem: tum generalem vſum: nimirum eam ad bonum noſtrum creatam eſſe.

Et diuiſit lucem à tenebris.

XIII. Hæc prima diſtinctio, propriè eſt illius lucis quæ diem, & illarum tenebrarum, quæ noctem efficiunt. Ideò ad mutuas ſucceſſiones, eóque ad proprios cuiuſque vſus ſpectat. Diſtinxit igitur ita lucem, qua fit dies, à tenebris, quibus fit nox, vt per vices, vna ſuccedat alteri: lux tenebris, & tenebræ luci, vt vnaquæque ſine alterius impedimento, ſuum perficere poſſit officium. Eò enim ſpectat omnium rerum diſtinctio, vt altera alteram ab officio non impediat. Interim verum eſt, omnem lucem à tenebris, Dei ordinatione eſſe diſtinctam, & ſeparatam: ita vt illa has ferre nequeat. Quare hic indicatur proprius lucis vſus, nempe vt

pellat

pellat tenebras, & eas ſecum non ferat. Hinc verò Apoſtolus argumentum ſumpſit, ad dehortandum fideles à connubio, à conſortio infidelium, & à communicatione ſacrificiorum idololatricorum, dicendo ad Corinthios: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?* 2. *Cor.* 6. 14. optimè argumentatus eſt. Si enim diſtinctam Deus voluit lucem materialem, & huius Mundi à tenebris corporalibus, quæ per ſe tamen malæ non ſunt; quantò magis filij Dei, qui lux ſunt in Domino, abſtinere debent à contagio & conſortio infideliū, qui tenebræ ſunt pernicioſiſſimæ? Ita alibi arguit, ex eo quòd facti ſumus lux in Domino, abiicienda igitur eſſe opera tenebrarum. Vnde hæc ſequela? Ex hac diuina lucis à tenebris diſtinctione, & diuiſione. Sunt enim contraria lux & tenebrę. Quę enim conuentio luci ad tenebras? Meritò igitur, ſi lux ſumus, abiiciendæ tenebræ ſunt. Ita electi in cęlo fruentur luce æterna; reprobi eiicientur in tenebras exteriores; lux ad lucē, & tenebræ in tenebras. Et ita tūc verè diſtinctæ erunt tenebrę à luce. Diuiſit igitur lucem à tenebris; quia Deus non vult iſta ſimul confundi; ſed vt quæque ipſarum, ſuum ſeorſim habeat vſum. Ideo notandum eſt verbum, *diuiſit*. Non ergo tenebras ſuſtulit tanquam rem prorſus inutilem: ſed tantùm diſtinxit à luce. Itaque videmus, etiam tenebras ordinatione diuina, ſuum habere vſum. Nam in vtilitatem noſtram cedunt. Sic etiam impij, qui tenebræ ſunt: imò ipſi etiam Diaboli, ſuum habent vſum. Omnia enim nobis cooperantur ad bonum, & ad ſalutem, ordinatione diuina. Proinde neque ipſos ſuſtulit; ſed tantùm ſeparauit à nobis: Et ſuum cuique dedit vſum: malis, vt nos in patientia, tentādo exerceant: bonis, vt nos iuuando, ad pietatem promoueant. Nūc habemus primā diſtinctionem, quæ ſunt lucis & tenebrarum. Huic autem primæ rerum diſtinctioni ſubiicit etiam diſtincta cuiuſque rei nomina.

Et vocauit lucem, diem: & tenebras, noctem יום & לילה.

XIV. Iſta, ſunt duo prima nomina, quæ rebus fuerunt à Deo impoſita. Sex enim nomina legimus hic apud Moſen in rerum creatione, fuiſſe à Deo ſex rerū generibus indita: *Luci*. יום: *tenebris*: לילה *Rackia*. שמים terræ aquis detectę, & ad hoc, vt curri ſuper eam poſſit, idoneæ factæ. ארץ collectioni aquarum, ימים: & homini è terra facto, אדם. Sunt autem hic hæc conſideranda. 1. *Primum* in quem finem diſtinctis & differentibus nominibus appellari voluerit Deus lucem, & tenebras. Primùm, vt ſicut res ſunt inter ſe differentes: ſic etiam differētibus diſtinguerētur nominibus. Atque hoc eſt præcipuus nominū vſus; vt ſcilicet differentes & diſtinctæ res, differentibus etiam inter ſe diſtinguantur nominibus. Hinc pertinent omnia propria cuiuſque rei nomina. 2. At nonne lux & tenebræ ſatis diſtinguerentur iis duobus nominibus, אור & החשך? Maximè: Sed *alia* accedit cauſa, cur lucē, diē, & tenebras, noctem vocari voluerit: nempe vt cuiuſque officium indicaretur. Officium huius lucis eſt, conſtituere diem: harum verò tenebrarum, efficere noctem. Officij igitur indicandi cauſſa, non contentus fuit Deus, vt ſimpliciter vocarentur lux, & tenebræ. Sed voluit lucem, diem; & tenebras, noctem appellari. Atque hic eſt alter vſus imponendorum nominum. Huc ſpectant omnia nomina, officium aliquod ſignificantia: vt nomen Doctoris, Rectoris, Regis, Imperatoris, Iudicis. 3. *Tertius* vſus, vt indicentur prima rerum principia, vnde deſumta ſunt: ac proinde ſuæ quiſque recordetur originis, & ex qua conſtet materia. Sic ſubtilem totam hanc Rachiham, ſubtiliſſimos ſcilicet & pulcerrimos cælos atque aërem, appellauit שמים: vt ſciamus, vndénam ſumti ſint & creati, nempe ex aquis, & aqueam eſſe illorum naturam: atque ita quanta ſit Dei ſapientia & vis verbi diuini, intelligamus, qui ex tam vili & craſſa materia, tam formoſos, ampliſſimos, lucidos, nobiléſq; formarit cælos, idque ſuo duntaxat verbo. Homo, *Adā* vocatus: ab אדמה, *terra*, vnde ſumtus eſt, ad corpus quod attinet: atque ita noſtræ ſemper vilis meminerimus originis: ac proinde ne inſoleſcamus. Sic mulier, אשה, quia de איש, hoc eſt, de viro ſumpta eſt: atque ita ſuæ, quam debet viro, ſubiectionis & reuerentiæ ſemper ſit memor. 4. *Quartus* vſus à fine ducitur, in quē res factę ſunt, vt ſcilicet intelligamus, in quem finem, & vſum factæ ſint à Deo. Sic terram, quæ alioqui aquis tecta erat, ac proinde ſuper quam currere & ambulare non potuiſſent homines, & animalia reliqua quadrupedia, poſtquam fuiſſet in hunc finem detecta, & facta arida, eóque ad vſum hunc accommodata, vocauit ארץ quod eſt à רוץ *currere*, vt eſt Geneſeos 1. 10. *congregētur aquæ, & appareat* יבשה *arida, ſicca*: & vocauit ארץ היבשה. Sic Græcè homo ἄνθρωπος: intelligamus creatos nos eſſe hac forma, vt ſurſū ſemper ſpectemus, & nos ad terrā nō pertinere, ſed ad Cęlū eſſe deſtinatos ſciamus: *nec quæramus quæ ſunt ſuper terram: Sed quæ ſurſum in Cælis, vbi etiam eſt Chriſtus.* Quintus, à loco, in quē deſtinatę ſunt res & collocatę, ſumitur. Sic cōgregatio aquarū, atq; inprimis mare magnum appellarū fuit à Deo ים: quòd ad plagā occidentalem collocatæ ſint aquæ. Occidens enim eſt ים: inde & reliquæ congregationes aquarum ימים appellatæ Geneſeos primo, verſu decimo. Sunt & alij pleriq; vſus nominum, de quibus omnibus diſſerere, non eſt præſentis inſtituti. Tantum de iis omnibus volui aliquid dicere, quæ habemus hic apud Moſen, impoſita fuiſſe à Deo, in rerum creatione. Nunc igitur tenemus, in quem finem & vſum Deus, poſtquam diſtinxit lucem à tenebris, diſtincta etiam eis impoſuerit nomina. Et quidem cur lucem, diem: tenebras autem, noctem appellārit.

2. Proinde ſecundo loco notandū eſt, non quālibet lucem, vocatam fuiſſe diem: nec quaſlibet tenebras, noctem. Neque enim lucem Lunæ, aut Stellarum, aut ignis appellauit diem: neque tenebras in cauernis, & ſubterraneis locis, vocauit noctem. Sed eam tantùm lucem, quæ efficit diem, nempe lucem Solis, quæ primo die creata fuit. יום, id eſt, diei nomine dignatus eſt: & eas duntaxat tenebras, quæ abſentiæ Solis ſuccedunt, & quæ conſtituunt noctem, vocauit לילה. Ab officio enim ita ſunt appellatæ. Reliquæ luces, & reliquæ tenebræ, ſuis propriis, quibus inter ſe diſtinguuntur, appellari debent nominibus, lucis ſcilicet & tenebrarum. Sola lux ſolis, diei nomine, & ſolæ, quæ illam ſequuntur, tenebræ, noctis nomine dignæ ſunt, propter officia. Itaque tantùm vbi Sol lucet, ibi dies eſſe dicitur; & vnde diſceſſit, ibi noctem eſſe dicere conſueuimus. Huius verò externæ & corporalis rei exemplo, vbi Chriſtus etiam, qui eſt lux vera, regnat, ibi dies eſt: & qui in eius ſunt regno, ij dicuntur eſſe in die: & homines eſſe diei, apud Apoſtolum. Vbi autem Chriſtus non regnat ſuo Spiritu, & cæleſti luce: ibi dicitur eſſe nox, & tales homines verſari in nocte, & homines, eſſe noctis ac tenebrarum. Sic enim ad Theſſal. *Non ſumus* (inquit) *noctis, neque tenebrarum, ſed omnes vos filij lucis eſtis, & filij diei.* Quid ergo hinc ſequitur? Debere vnumquemque abſtinere ab operibus, quæ propria ſunt noctis, & in ea incumbere, quę propria ſunt diei. Ideò ſubdit, *nempe igitur, ne dormiamus, vt reliqui: ſed vigilemus, & ſobrij ſimus.* Ratio, *qui enim dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu ebrij ſunt.* Nunc itaque videmus, quàm meritò lux ſolis appellata ſit dies: quia diei cauſſa eſt efficiens; & vbi ille lucet, ibi dies eſt: Sicut contrà, de tenebris dictum eſt. Et ideo ad huius rei ſimilitudinem, ibi quoque diem ſpiritualiter dici eſſe, vbi Chriſtus, vera lux regnat.

3. Tertiò loco notandū eſt verbum *vocauit*, quomodo vocauit Deus? Primò, re ipſa effecit, vt ſolis lux eſſet dies, & diem conſtitueret. Et contrà tenebræ illi ſuccedentes, eſſent nox, & noctem efficerent. Vocare enim Dei efficax eſt, & dū ea quę non ſunt, efficit vt ſint, dicitur ea vocare. Sic Hoſeæ 2. *Vocabo non populum meum, populum meum*, id eſt, efficiam, vt qui non eſt populus, fiat populus. Apoſtolus item ait: *vocat Deus ea, quæ non ſunt, tanquam ſint.* Cùm igitur ait: *vocauit lucem, diem*, ſic primò intelligendum eſt, nempe Deus effecit, vt lux conſtituat diem; & ideo meritò etiam vocetur dies. Secundò, nomina etiam ipſa, quibus eas voluit appellari, reuelauit Adamo: & ita deinceps hæc reuelatio peruenit vſque ad Moſen: Deum ſcilicet ipſum nomen impoſuiſſe huic luci, יום: Et hic tenebris, לילה. Hæc duo intelligenda ſunt in hac voce: *Et vocauit Deus lucem*, יום: Et vtrumque indicauit Iohannes, *Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus*: nempe vt filij Dei nominemur, (ecce vnum) & ſimus: (Ecce alterum.) Adamus quoque poſtmodum nomina impoſuit multis rebus, maximè animalibus: Sed nomina tantùm impoſuit, idque ex cuiuſque proprietate, & natura, verùm non effecit, vt tales eſſent. Sed Deus vocando efficit, vt ſimus tales, qualibus vocat nominibus. Hinc etiam apparet vis verbi diuini. Sicut omnia verbo *creauit*: Sic etiam nos vocando, efficit vt tales ſimus, quales vocat: Filios Dei, lucem in Domino, Iuſtos, Sanctos, Apoſtolos, Prophetas, Doctores. Quarę magna hinc conſolatio nobis accedere debet, ex vocatione ſcilicet diuina, qua filij Dei vocamur: non ab aliis, ſed ab ipſo.

4. Quartò, de nominum etiam ipſorū etymologia aliquid dicendum eſt. Ad nomen igitur diei & noctis quod attinet: Hebraicorū nominum non ita facilè apparet, quę ſit Etymologia: niſi quis יום, diem nempe artificialē (de hoc enim hic loquitur in verſu 4.) velit eſſe à ים: quæ vox ſignificat mare, & occidētalē plagā, vt vel à termino (vt loquuntur) à quo, denominetur, hoc eſt, à Mari; ex cuius horizonte videtur oriri lux, & aurora: aut à termino, ad quem, hoc eſt, ab occidente, quo Sol occidit, & vbi dies terminatur: nimirum quòd tunc perfectus ſit dies, quum Sol exortus, peruenit ad occidentem vſque: nempe ad ים: Eſt enim reuera dies, ab exortu ſolis, vſq; ad occaſum. Quidam ſic יום ab המה quod eſt reſonare.

ſtrepitum,tumultúmque facere, in futuro tertia perſona, eſt יהמה : inde יום : ſic vocatus, quia cùm omnia quieſcunt noctu, ſimul ac dies ſit, omnia perſonant cantibus auium, magnus fit ſtrepitus, ab hominibus, & animalibus domeſticis, gallinis, anſeribus, equis, aſinis. לילה nox. Quidam à להה, quod ſignificat, inſaniuit, & etiam defatigatus eſt: Et ita appellatam volunt noctem, quòd ea ſit deſtinata noſtris corporibus, interdiu defatigatis & defeſſis, recreandis. Quid ſi à לול quod ſignificat ſcalam, & gyrum, atque circuitum? Sic forte vocatur, quòd initium fuerit huius gyri, & circuitus totius temporis: circuitus annorum, ſeculorum, αἰώνων. Tempus enim initium habuit à nocte.

Faciliùs verò Græcarum vocum notationes reperiuntur. Illæ duæ Platonis, quæ ſunt in Cratylo etymologiæ τῆς ἡμέρας, mihi perplacent: quarum prima conſentenea eſt cũ verbis Moſis. Moſes ait *lucem vocatam fuiſſe diem*, lucem autem fuiſſe טוב quod non tam bonum, hoc eſt vtile, quàm etiam delectabile, & ſuaue atque amabile eſt. Ita etiam Plato ἡμέραν ἀπὸ τοῦ ἱμείρεσθαι, quod deſidero & amo ſignificat, deriuari ait: conuerſo *Iod*, *in n.* Vult igitur ſic appellatam eſſe, quod hominibus ſummopere ſit deſiderabilis atq; amabilis. Alij tamen, (vt idem Plato ibidem tradit) vocẽ ἡμέρας παρὰ τὸ ἥμερον deducunt. Significat autem ἥμερον, manſuetum, lenem, mitem, domeſticum. Sic itaque ait appellatam diem ab effectu: quòd ſcilicet dies, res omnes faciat manſuetas, & domeſticas. Noctu enim, omnia ſunt propter tenebras aſpera, horrida, ſylueſtria. Contrà dies etiã beſtias reddit manſuetas Propterea ſeſe abdunt feræ ſylueſtres interdiu, ſicut noctu vagantur, ſequentes· καί τινες εἰσὶ) ὡς δ' ἡ ἡμέρα, ἥμερα ποιεῖ δ' ἄ ταῦτα ὀνομάζεσθαι αὐτὴν ἔτως. Vel ἡμέρα ſic vocata eſt, quòd deſtinata ſit hominibus & aliis mãſuetis animãlibus. Nox autẽ feris & rapacibus ac ſanguinariis beſtiis. Illud nõ præteribo, quòd quidam ἡμέραν deducunt ab ἠοῦς, *aurora*, & Μοῖρα: quæ ſignificat *Parcam*, & partem: quaſi dicas, *auroræ filiam*. Dies enim ex aurora naſcitur: vel etiam, ἠοῦς Μοῖρα: Sed illæ duæ Platonis contemnendæ non ſunt. Νὺξ verò (de quorũdam ſententia) à νύσσω & νύττω, quod cædo & percutio ſignificat. Et ideo etiã Latinis nox, eſt à nocẽdo, vt ait Varro. Cõparatiuè intelligendũ eſt. Neq; enim ſimpliciter nocet, ſed comparatione diei id dicitur. Nam etiam nox ſalutarem habet vſum, vt quotidie experimur. Dies verò à Deo: Deum autem vocabant Cœlum, & Solem ipſum, qui efficit diem. Vnde & Deus illis vocatur ζεὺς δεύς. Nam vt Ariſtoteles in libro de Mundo explicat, vocabant Deum ζῆνα, à vita, & δία quaſi tranſpoſitis dictionibus, dicas δι' ὃν ζῶμεν, per Deum nos viuere. Sol autem qui conficit diem, omnia viuificat, tanquam Dei inſtrumentum ad hoc officium deſtinatum. Non immeritò igitur diem à Deo, hoc eſt, à Sole, omnia viuificante, deduxerant. Hic ergo habemus alterum huiuſce ſolaris lucis vſum: nimirũ vt diem conſtituat ſua præſentia, & noctem, abſentia. Hoc etiam eleganter, vt omnia, expreſſit Cicero de natura Deorum, dicens: *Sol, cuius magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circum eam voluitur: is oriens & occidens diem noctémque conficit.* Ita habemus conſtitutionem ſeu creationem diei & noctis: & vtriuſque diſtinctionem ac viciſſitudinem. Quantus verò ſit vtriuſque vſus: quis verbis explicare queat? Reipſa magis ſentimus, & quotidie experimur: quàm vt voce, ſatis enarrare poſſimus. Dauid in Pſalmo 104. vtcunque explicat, dicens. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox.* In quem verò vſum? ait, *in ipſa pertranſibunt beſtiæ ſyluæ* (id eſt, omnes feræ prodeunt:) *catuli leonum rugientes, vt quærant à Deo eſcam ſibi* (ſcilicet paratam.) Nox igitur potiſſimùm deſtinata eſt libertati ferarum, vt prodeant è cauernis & ſyluis ſine metu hominum; & victum ſibi à Deo præparatum, accipiant. Dies verò hominibus & aliis domeſticis animalibus. Ideo ſubdit: ortus eſt Sol, (hoc eſt, fit dies) & congregati ſunt, & in cunabulis ſuis collocabuntur; hoc eſt feræ orto Sole, redeunt ad ſuas ſyluas & cryptas, ceu ad ſua cubicula, vt ibi quieſcant & cibum noctu ſumptum concoquant. Contrà, homo tunc à ſuo excitatus ſomno, redit ad labores: ait, *exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, vſque ad veſperam.*

Noctis igitur vſus eſt, vt homines tunc quieſcant: & ſomno corpora ſua recreent & reficiant: Contrà verò animalia ſylueſtria, & feræ vigilent, & cibum ſibi ſecurè venentur, & paratum à Deo accipiant. Tam verò illis, quàm iſtis refrigerandis, & humectandis, eóque conſeruando vitali illorum humori, deſtinata eſt nox. Si enim perpetuò Sol ſuper hemiſphærium luceret, & quidem eodem modo: tantus fieret æſtus, vt oporteret animalia omnia intra breue temporis ſpatium exſiccari, & extingui. Diei verò vſus, contrà ſe habet, nempe vt tum homines cum ſuis domeſticis animantibus vigilent, & ſua conficiant negotia, edántque & bibant: animalia autem ſylueſtria quieſcant & ſomno ſeſe recreent. Tam verò feris quã hominibus calefaciendis, & exſiccandis, & naturali illorum calori conſeruando, deſtinata eſt dies. Si enim ſemper eſſet nox, quæ & frigida eſt & humida: breui animalia omnia perirent, calore naturali quàm primum extincto; & humiditate: quæ mater eſt omnis corruptionis, corpora animalium corrumpente, & extinguente. In ſalutẽ igitur animalium omnium atque inprimis hominum inſtituit de principio Deus diei & noctis viciſſitudinem. Ideo Dauid loco citato ſubdit dicendo; *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: omnia in ſapientia feciſti.* In hac diei & noctis viciſſitudine, licet etiam contemplari viciſſitudinem ſecundarum rerum & aduerſarum. Dies enim pro rebus ſecundis; Et nox, pro aduerſis ſæpe in ſcripturis ponitur. Nũquam igitur res noſtræ in eodem permanere poſſunt ſtatu. Ideo alibi Dauid: *Ad veſperam fletus: & ad matutinum lætitia.* Atq; de prima diei (nempe illius quem artificialem plerique omnes vocant) & noctis inſtitutione ſeu creatione, per ſolaris ſcilicet lucis præſentiam & abſentiam: de prima horum appellatione; déque vtriuſque diſtinctione & vſu, ſatis. Sequitur iam de primo die naturali, qui conſtat die artificiali, & nocte: déque primo mane: & primo veſperi.

Et fuit veſpera, & fuit mane dies vnus.

Duo hîc facit Moſes his paucis verbis. Principio diem primum naturalem deſcribit, & quibúſnam cõſtiterit partibus, docet: Die nimirum artificiali, & nocte. Nomine enim veſperæ totã noctem, nomine verò mane, totũ diem artificialẽ, ſynecdochικῶς intelligit, vt manifeſtum eſt. Deinde docet, vndénam dies naturalis ſuum duxerit initium: à veſperáne, an verò à mane? à veſpera. Nam & hîc, & deinceps in reliquis diebus ſemper præmittit veſperam ipſi manè: dicens, Et fuit veſpera, & fuit manè, dies vnus, dies ſecundus, & ſic deinceps vſq; ad ſextum diem. Ita hic habemus omnium temporum initium, & omniũ dierum ordinem, atq; progreſſum, ſed nondum finem. Ad primũ itaq; quod attinet, cũ iam aliquandiu (ſpatio ſcilicet duodecim horarum) tenebræ durarent, hoc eſt, nox fuiſſet ſuper faciem abyſſi: ait Moſes, ſimulac facta fuiſſet ſolaris lux, cuius officium erat, & eſt, fugatis ſuo fulgore tenebris, diẽ efficere ſua præſentia, & motu: ſtatim illi veſperi ſeu nocti acceſſiſſe mane: hoc eſt, initium diei artificialis: Et ita (cõtinuato ſcilicet huiuſce lucis curſu, ab ortu ſuo, ſuper vnum totius illius orbis Hemiſphærium, nempe ſuper hoc noſtrum, vſque ad eiuſdem, ex hoc Hemiſphærio, occaſum: continuato inquam curſu huius lucis, per ſpatium duodecim horarum, ab ortu vſq; ad occaſum: ex illo veſperi, hoc eſt, nocte, & ex hoc mane, hoc eſt, toto artificiali die) conſtituiſſe diem primum naturalem. Hæc eſt ſumma verborum Moſis. Ad quorum pleniorem intelligentiam, hæc nobis cognoſcenda & retinenda ſunt. Primum, harum vocum veſperæ & manè, ſignificatio atque Etymologia. Ad veram enim rerum intelligentiam, plurimum refert, vt quis veram vocabulorum cognitionem teneat.

Vox veſperæ Hæbraica eſt ערב: à verbo ſeu à radice ערב quod *permiſcere & confundere* ſignificat. Inde igitur veſpera vocata eſt ערב, quòd tunc propter occaſum lucis, omnia à nobis permiſceantur & confundantur: vt non poſſimus rerum formas diſcernere. Vt enim lucis eſt, omnia illuſtrare: ſic tenebrarum eſt, omnia inuoluere & confundere, noſtris ſcilicet oculis. Non immeritò igitur, veſpera, quę eſt initium noctis, ערב appellatur.

Contrà verò mane, quod eſt initium diei artificialis, appellatum fuit Hebræis בקר. à בקר, quod diſtinguere ſignificat. Manè enim lucis præſentia incipimus res diſtinguere, & diſtinctè eas videre. Græci ἕσπερον vocant, quod Hebræi ערב. Sic autem vocant à ſtella, quæ poſt occaſum Solis, incipit nobis apparere. Hanc ἕσπερον appellant. Latini *veſperuginem*. Eadem etiam ſtella apparet manè ante ortum Solis, & *iubar* Latinis appellatur, quòd ſuum ſplendorem inſtar iubæ leonis in terram diffundat. Ac proinde, quia præit Solem, & lucem adfert: vocatur etiam Græcis φωσφόρος. Sicut eadem reſpectu noctis, dicitur ἕσπερος Manè autem vocant πρωὶ & πρωΐαν. Eadem vocatur ὄρθρος: quanquam aliquod diſcrimen faciunt inter vnum, & alterum: Secundùm ſcilicet magis & minus, vt vocatur. ὄρθρος (inquiunt Græci) ἡ πρὸ ἀνατολῆς ἡλίου ὥρα, καθ' ἣν ἀνιστάμενοι ἐξ ὕπνου, ὀρθοὶ γιγνόμεθα· πρωὶ δὲ ἡ πρὸ τοῦ καθήκοντος καιροῦ ὥρα. Vnde Heſiodus iuuenem immatura morte præreptum, πρωὶ μάλα interiiſſe dicit, id eſt, valde manè, quaſi πρώϊον. Latini verò retinuerunt vocem Græcam, ἑσπέραν, inde & *veſperam* pronunciantes: atque inde vox veſperuginem, quæ idem ſignificat. Manè verò dictum putat Varro à *manando*, quòd tunc manet dies ab oriente. Alij, vt Macrobius, à *manibus*, hoc eſt, à diis (vt illi loquebantur) inferioribus, quòd lucis ortus ſit ab inferioribus locis. Quanquam nonnulli malint ita appellari, quòd

antiqui

antiqui *bonum*, appellârint *manũ*; vnde malas beſtias *immanes* vocamus. Hæc de vocibus, manè & veſperæ.

Ad rem ipſam quod attinet: *Manè* eſt finis noctis, & initium diei. Eſt autem totum illud tempus, quod à pulſis profundis noctis tenebris, vſque ad ortum Solis ſuper Hemiſphærium noſtrum, ſeu vſque ad conſpectum Solis, intercedit. Et tres habet particulas: *Prima* eſt, cũ vix incipit luceſcere, hoc eſt, plus adhuc tenebrarum eſt quàm lucis in aëre. Hoc Marcus vocauit λίαν πρωῒ, id eſt, *valde mane Mar.* 16. 2. Iohannes autem ſic deſcripſit hoc initium mane, ſeu auroræ: *πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης*, id eſt, *mane, cùm adhuc tenebræ* (ſcilicet aliquot) *eſſent*: quaſi dicat, cùm nondum benè illuxiſſet. *Ioh.* 20. 1. Hanc primam mane, ſeu auroræ partem vocant Græci ὄρθρον βαθὺ. Latini *crepuſculum matutinum*. Nã habemus etiam crepuſculum veſpertinum. Plautus dixit *primum crepuſculum*. Creperum autem antiqui vocabant, rem dubiã. Idcirco illa modica lux, cùm ſcilicet dubium eſt, an ſit adhuc nox, vel dies, *crepuſculum* appellatur à Latinis. *Altera* pars auroræ eſt, quum apertè incipit dignoſci dies, albeſcente iam Cælo, & exacta prope nocte. Hanc ſimpliciter ὄρθρον, vocant, Actor. 5 verſu 21. Vnde & ὀρθρίζειν Lucæ 21. verſu 38. Vocat & *αὐγὴν*. Actor. verſu 2. ἄχρις αὐγῆς, in auroram, in lucem: Latini *diluculum*, quod tunc dies luceſcere incipiat. Atque hæc pars propriè *aurora* vocatur: matutinus ſcilicet ille ſplendor quo ante eleuatum Solem, videmus cælum ſplendeſcere. Aurora appellata, quòd tunc ex igne Solis aureo (vt ait Varro) aër incipiat aureſcere: & quaſi aureus fieri. Ideo & φωσφόρος appellatur, i. lucifer. *Tertia* pars eſt illa, quæ coniungitur cum ortu & eleuatione Solis: quum ſcilicet iam clariſſima eſt dies: quanquam nondum tamen orto Sole. Et hæc propriè *mane* Latinis vocatur. Manum enim (vt ait Nonius Marc.) clarum dicitur. Quanquam illæ duæ partes, diluculum & mane, ſunt vſque adeò ſibi inuicem vicinæ & propinquæ, vt vix diſcerni poſſint. Proinde vnum pro altero ſæpe vſurpatur: imò etiam crepuſculum pro diluculo. Totum verò hoc tempus, *mane & aurora*, vocitari ſolet. Quod verò poſt exortum & eleuatum Solem ſequitur tempus vſque ad veſperam, propriè ἡμέρα Græcis eſt: fortè ita appellata quòd hæc ſit propria orti iam Solis filia: vt ſit ἡμέρα quaſi ἡλιομείρα: nobis dies dicitur, quòd tunc Sol, qui Deus gentibus vocabatur, ſit ſua præſentia ſuper terram. Ideo Deus lucem ipſam Solis, *diem* vocauit. Inde poſtea *meridies*, quaſi medius dies.

Cæterùm nomine *mane*, ſeu בקר, hic à Moſe per ſynecdochen, totus dies artificialis intelligitur. Sicut etiam nomine ערב *veſpera*, tota nox. Ait enim, ex veſpera & mane conſtitiſſe & conſtare diem, naturalem ſcilicet. Conſtat autem, vt ſcimus, tota nocte & toto artificiali die. Ergo neceſſe eſt, vt nomine veſperæ tota nox: & nomine Mane, totus dies artificialis intelligatur.

Quid verò propriè eſt veſpera? Finis diei & initium noctis: quæ & ipſa ſicut & mane, tres in partes ſecari poteſt, in ſuum initiũ, progreſſum, ſeu mediũ, & finem. *Initium* eſt tempus illud, quum iam Sol occubuit, & quod propriè eſt finis diei, ſed luce adhuc in aëre clarè lucente ὀψὲ & ὀψία propriè appellatur, ſerum & nouiſſimum diei tempus, vt apud Matthæum ὀψίας δὲ γενομένης. *Matth.* 27. 58. *Altera* pars eſt, quum obſcuriore facto iam aëre, apparet ſtella, quæ ἕσπερος vocatur: Et ideò hæc propriè appellatur *veſpera*. Catullus appellauit *noctiferum*, ſicut eandẽ mane vocãt *Luciferum*. Plus enim habet noctis, quàm diei, veſpera. *Tertia* eſt, quum vix diſcerni poteſt, an ſit dies, vel nox: tenebris iam omnia ferè occupantibus. Ideo *crepuſculum veſpertinum* vocant Latini: quod tunc dubium ſit, an ſit dies vel nox. Verum quod dixi de mane: idem dictum volo de veſpera: has partes ita eſſe ſibi inuicẽ vicinas, & propinquas, vt diſcerni vix poſſint: ac proinde etiam, vna pro altera ponatur. Illud verò extra controuerſiam eſt, ſicut iam demonſtrauimus, veſperam hic à Moſe accipi pro initio noctis, & tota nocte. Nunc tenemus, quid ſit propriè veſpera, & quid mane, quæ earum partes, & quid vtroque nomine intellexerit Moſes: ac proinde quæ ſint eſſentiales partes diei naturalis: tota ſcilicet nox, & totus dies artificialis.

Hinc refellitur opinio quorundã, qui primũ diẽ mundi, caruiſſe ſuo mane, quatenus accipitur pro eo tempore, quo nõdũ orto Sole, λαμπρῶς lucet, cõtendũt: hac adducti ratione. *Deus* (inquiunt) *primam, quam creauit lucẽ, creatam collocauit in medio orbis, ſuper noſtrum hemiſphærium, nõ autem in angulum. Ergo fuit mox meridies, perfectuſque dies, & planè luminatum fuit hoc Hemiſphærium, non autẽ ex parte vt fit mane. Quare in primo die nõ fuit mane, ſed tãtùm meridies & veſpera cũ nocte.* Reſp. In noſtro hemiſphærio creatam fuiſſe lucem, facilè dedero. Hanc enim terræ partem, quã inhabitamus, præſertim Armeniam, Chaldæam, Meſopotamiam, fuiſſe illam terram, quam cumprimis, liberatam aquis, fecit יבשה *aridam*: facilè ex hiſtoria Moſis euincitur. Hanc igitur etiã, primùm fuiſſe à Solis luce illuſtratam, & in ea primũ fuiſſe diem, quis inficiari queat?

Cæterùm, vnde probari poterit, in medio hemiſphærij huius, non autem in parte orientali, creatam & collocatam fuiſſe hanc lucem? Contrà verò euincimus nos, fuiſſe in ea hemiſphærij parte creatam, vnde etiam nunc oritur. Moſes enim docet ex *veſpera*, præcedente ſcilicet, hoc eſt, ex nocte, ſeu tenebris, quæ lucem præceſſerũt: *Et ex mane*, hoc eſt, ex die artificiali, vſque ad alteram veſperam, tanquam ex duabus eſſentialibus & perfectis, æqualibuſque partibus, primum diem conſtitiſſe. Hoc eſt certum ex contextu, quod inde etiam magis confirmatur: quia eadem loquutione vtitur hic de primo die, qua etiam de aliis: nempe, *& fuit veſpera, & fuit mane, dies ſecundus, dies tertius*, &c. Ergo ſi alij dies naturales conſtiterunt e perfecta nocte, & ex perfecto die artificiali: etiam primum ex iiſdem conſtitiſſe neceſſe eſt. Quaſi verò ipſe imperfectior reliquis fuerit. Atqui non potuit dies artificialis eſſe perfectus, niſi Solis lux cœperit inde aſcendere vnde etiam poſtea aliis diebus oriri cœpit, & ſemper oritur: vt ſemper ſeruatus ſit idem tenor & motus in Sole. Magna igitur temeritas eſt, quod apertè & diſertè tradit Deus per Moſen: id friuola & nullo fundamento nixa ratione, negare & oppugnare. Apertè ait Moſes:

Et fuit veſpera, & fuit mane dies vnus.

Hinc etiam facilè eſt colligere, quot horis tenebræ fuerint ſuper faciem abyſſi, creata iam illa prima materia, horis ſanè duodecim, hoc eſt, totidem, quot etiam dies artificialis durauit. Fuiſſe enim tunc æquinoctium, euincitur, quia Moſes de omnibus Dei operibus pronunciat, ea fuiſſe perfecta. Ergo & perfectus dies, & perfecta nox. Nunquam autem, fuit dies naturalis, aut longior, aut breuior, vigintiquatuor horis. Oportuit igitur & noctem fuiſſe duodecim; & totidem etiam diem, horarum.

Hactenus vidimus, quot ac quibus conſtet partibus, dies naturalis: duabus nimirum, nocte, & die artificiali: nomine veſperæ & mane, ſeu auroræ ſignificatis: quorum ſimul ſpatium, neque cis viginti quatuor horas contrahitur, neq; vltra extenditur. Fuiſſe autem & primam noctem duodecim horarum, & totidem etiam diem artificialem, conſtat: quia tam nox, quàm dies fuerunt perfecti. Vidimus item Solis lucem, primum ſui motus initium accepiſſe in eadem orientis parte in qua deinceps ſemper habuit, & habet ſuum ortum. Ac proinde habuiſſe diem illum, non minus ſuum mane, quàm ſuam veſperam. Totum hoc ſpatium viginti quatuor horarum, intra noctem & diem: à Damaſceno vocatur νυχθήμερον.

De Die naturali.

XVI. Nunc venio ad alterum, quod docet Moſes, de die illo naturali: vndénam ſuum duxerit principium: à veſperáne, an verò à mane, ſeu ab aurora?

Ordo verborum Moſis, non tam in hac prima die: quàm etiam in reliquis omnibus diligenter & conſtanter obſeruatus, apertè docet, initium diei fuiſſe à veſpera, ſeu à nocte, quæ præceſſerat, quum ſcilicet tantùm tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi: ita vt ſuperior præcedénſque nox, ad primum diem conſtituendum pertinuerit, non autem inſequens. Non enim ſine cauſſa præmittit ſemper veſperam, ſeu noctem ipſi mane ſeu auroræ. Id quod confirmatur hac ratione: Si ad conſtituendum primum diem naturalem referenda ſit nox inſequens (vt quidam, imò multi facere conantur) alterutrum fiat neceſſe eſt: nempe vt aut eadem nox ad conſtitutionem duorum dierum, primi ſcilicet & ſecundi concurrat; aut vt ſecundus dies, vel ſaltem vltimus apud Moſen, fuerit ſine nocte. Vtrumque autem eſt abſurdiſſimum. Nam quiſque dies naturalis ſuam habuit veſperam, atque noctem, ſicut & diem: nec poteſt eſſe dies naturalis, νυχθήμερον ſine nocte, & ſine die artificiali. Semper enim præmittit Moſes & veſperam & mane ſingulis diebus: poſtea ait: Et fuit dies vel primus, vel ſecundus. Cedò enim ſi veſpera ſeu nox, artificialem diem inſequens, ſemper referatur ad præcedentem: Poſtremus dies quam habebit noctem? Nullam planè. Deinde tenebræ illæ primæ, quæ præceſſerunt primam lucẽ, & quas etiam Deus vocauit לילה, aut coniungendæ ſunt cum primo artificiali die, aut non ſunt coniungendæ. Si coniungendæ, vt nos dicimus: dies igitur naturalis incepit à nocte, & non à luce, ſeu à diurno primo tempore. Quòd ſi velis etiam noctem inſequentem cum eodem diurno tempore coniungere: tum vna dies, duabus conſtabit noctibus: quod abſurdiſſimum eſt. Si autem dicas, primam noctem, non eſſe cum primo die coniungendam: ad tempus igitur non pertinebit nox illa. Omne enim tempus aut eſt pars diei naturalis: aut ex illo componitur, & ad illum pertinet. Ac

proinde materia prima ſeu chaos creatū ante lucem, nō fuerit creatū in tempore: ſi prima nox, neq; eſt pars primi diei, neq; ad illū pertinet. Quo quid inſanius dici poteſt? Efficitur ergo neceſſariò ex prima nocte primā lucem præcedente & ex primo diurno tempore, conflatum fuiſſe primū naturalem diem. Ac proinde, diem initiū habere à veſpera, ſeu à nocte prima. Ad hæc, quid eſt obſecro dies naturalis? ſpatium eſt viginti quatuor horarum, cōſtans nocte & die. Ergo primus dies naturalis, conſtat prima nocte, & prima die: ſicut ſecundus, ſecunda nocte & ſecunda die: Et tertius, tertia nocte, & tertio die; Et tandem vltimus, vltima & vltimo. Eſt autem manifeſtū, tenebras, quæ fuerunt ſuper faciem abyſſi, ante creatam lucem fuiſſe primā noctē: illas enim tenebras, Deus vocauit noctem. Primus igitur dies naturalis ex nocte prima artificiali, & ex primo itidem die artificiali fuit: eóque initium accepiſſe à nocte, dicendus eſt. Præterea, quem de principio ſtatuit Deus diei naturalis ordinem, eundem etiam in ſuo populo ſeruari ſemper voluit. Naturalia enim immutanda non ſunt, quia ſunt immutabilia. Proinde diem viginti quatuor horarum, conſtantem nocte & die *naturalem* vocamus; quia immutabilis eſt, & ſemper eodem conſtat temporis ſpatio. Diem autem, quo Sol eſt ſuper terram, *artificialem* vocant, quia mutatur. Aliquando enim pauciores habet horas, aliquando plures. Quare ordo naturalis diei, ſeruari debuit in populo Dei, cui erat manifeſtum, talem ordinem à Deo eſſe naturalem. Atqui manifeſtum eſt in lege Domini, hunc Dei ordinem ſeruandum fuiſſe, vt ſcilicet populus diem inchoaret à veſpera, & terminaret ad aliam veſperam. Exēpla & teſtimonia in ſcripturis ſunt permulta & manifeſta. Ac præter alia lex de Sabbatho ſanctificando, illud apertiſſimè euincit. ſic enim Leuitic 23. diſertè præcipit Dominus, dicens: *A veſpera vſq; ad veſperā celebrabitis Sabbatha veſtra.* Atque etiamnū Hebræi diem inchoant à veſpera: & ducunt vſque ad aliā veſperam. Dubium igitur non eſt, quin primus dies naturalis, inceperit à prima nocte, ductus per primū diem artificialē, vſque ad initium alterius noctis: hoc eſt, vſque ad veſperā, ſeu vſque ad occaſum primæ lucis, primum. Pluribus rationibus confirmare libuit hanc ſententiam, propter nonnullos, qui contendunt, hunc naturalem eſſe, & à Deo inſtitutum ordinē: vt dies naturalis incipiat ab aurora, ſeu ab ortu Solis, non autem ab initio noctis. Falluntur, & quidē vehemēter. Quia enim iſte eſt ordo diei artificialis, vt initiū capiat ab ortu Solis, idcirco putāt eundem etiam eſſe debere ordinē diei naturalis. Contra potiùs ſtatuendum erat, nempe quia artificialis, initium habet ab ortu Solis: dies igitur naturalis aliunde incipit, nempe ab occaſu, vt ipſo etiam ſui initio differat alter ab altero. Nunc tenemus, quis fuerit ordo naturalis diei, nimirum hic, vt initium caperet à veſpera: & ad alteram vſque veſperam duraret. Ac proinde rectè dixiſſe Moſen, *& fuit veſpera.* Deinde *& fuit mane dies vnus*, hoc eſt, ex veſpera tanquā priore parte: & ex mane, tanquam poſteriore parte, coiuit dies primus.

XVII. Non eſt autem res parui momenti, quæſtio hæc, quam tractamus. Sic enim permulta ſcripturarum loca faciliùs intelliguntur. Atq; inprimis illud, quod de Domino Ieſu ſcribitur, illum fuiſſe in corde terræ tribus diebus (artificialibus) & tribus noctibus. Quoties enim in ſcripturis coniunguntur dies, & nox, ibi ſemper nomine *diei*, dies artificialis intelligitur. Contrà verò, vbi nulla fit mentio noctis, ſed tantùm diei, ibi ferè nomine diei, dies naturalis, conſtans die & nocte, intelligi ſolet. vt quum Ionas dixit: *Adhuc quadraginta, dies* ſcilicet, *ad pœnitentiam concedūtur. Et Niniue ſubuertetur*: nempe niſi intra hoc tempus reſipiſcatis. Illud igitur Chriſti *de trib. diebus, & trib. noctibus in ſepulchro*, facilè intelligitur, ſi quæ diximus de initio naturalis diei, probè retineamus. Apparet enim, apertè Chriſtū fuiſſe in ſepulchro trium dierū naturalium ſpatio, quāquam non integro. Eſt enim recepta vbiq; conſuetudo, vt aliqua res, ea die dicatur facta: cuius diei parte facta eſt. Vt ſi quis naſcatur in aurora diei Veneris, die Veneris natus eſſe dicitur, & totus ille dies cum ſua nocte, illi inter annos ætatis ſuæ computabitur. Ita quòd Chriſtus vna parte diei Veneris in ſepulchrum poſitus eſt, totus ille dies cum ſua nocte ſepulturæ Chriſti deputatur. Si itaque diem Veneris à veſpera illa, in qua ſumſit cœnam paſchalem cum diſcipulis, iuxta hanc diei conſtitutionem, quam habemus à Moſe, incipias: apertè videbis, iure optimo, ſepulturæ Chriſti deputari totum diem Veneris naturalem: atq; ita habebimus iam noctem vnam, & diem vnum artificialem. Sequitur poſtea dies naturalis Sabbathi, quo toto in ſepulchro fuit: ita habemus duos dies & duas noctes. Sequitur deinde tertius dies naturalis, à veſpera ſcilicet Saturni ſeu Sabbathi, vſq; ad veſperā diei Solis. Cū igitur etiā totā noctē diei Solis, à qua incipit dies Solis, in ſepulchro fuerit, totū illū tertium diem, in ſepulchro fuiſſe Chriſtus, optimo iure dicetur, iuxta receptā legē, qua diximus, quòd vna diei parte fit, illud toti illi diei attribui ſolere. Extāt leges de hac re etiā in Pandectis, lib. 2. titul 2. *de ferijs*, c. 8. Paulus ſcribit apud Romanos fuiſſe receptū, vt quod fiebat etiā nocte illius diei, cuius erat nox, toti illi diei attribueretur. Et perinde eſſet, quaſi quauis hora lucis, actū eſſet. Sic igitur, cùm Chriſtus fuerit in ſepulchro totā noctē diei Solis: toto die Solis fuiſſe, iure dicetur. Ita habemus tertiā noctē, & tertiū diē. Idem enim ſunt, Chriſtum fuiſſe in ſepulchro tribus diebus naturalibus, atq; fuiſſe tribus artificialibus, & tribus noctibus. En quàm facilè explicatur ille locus, ſi iuxta doctrinam Moſis diem naturalē definias: nempe eſſe ſpatiū viginti quatuor horarum, ab vna veſpera, ad alteram veſperam. Quòd ſi diem naturalē, initiū velis habere ab ortu Solis, vt multi faciunt: nū facilè ex iſta quæſtione de tribus diebus, & tribus noctibus ſepulturæ Chriſti, te extricabis. Eſt igitur vtiliſſimum, retinere hanc diei naturalis, vndénam initium ſumſerit, & ſumat, ſecundum verbum Dei, explicationem. Vnde meritò diximus, cōſideranda eſſe verba Moſis, qui primò ait: *fuit veſpera*, deinde, *fuit mane*. Hoc idē vel ad aures peruenit quorundā etiam Philoſophorū, vel ſaltem lumine quodā naturali cognouerunt, noctem ſcilicet præceſſiſſe diem. Interrogatus. n. Thales Mileſius, *vtrum nox præceſſiſſet diem, an dies noctem*, reſpōdiſſe ſcribitur, *noctem præceſſiſſe*. Neq; hæc res caret myſterio. Significatum enim fuit id, quod Eccleſiæ quoque euenturum erat. Primum fuit veſpera, & nox: Deinde fuit mane & dies. Nam primùm in tenebris ignorantiæ [ ] ei fuimus: Deinde lux adfulſit è cœlo. Hinc Apoſtolus hortatur ad opera diei, dicēdo, *nox præceſſit, dies autē appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum.* Et Patribus in veteri Teſtamento, reſpectu noui fuit veſpera: nobis autem mane, & dies. Rurſus, nobis reſpectu futuri ſeculi, eſt potiùs nox, quàm dies vel ſaltē nunc, nobis eſt tantū aurora: tunc autē erit meridies. Videmus enim nūc per ſpeculum in ænigmate: tūc autē facie ad faciē. Et 1. Ioh. 3. *Nūc filij Dei ſumus, ſed nondū apparuit quid erimus.* Meritò igitur primo fuit veſpera, & deinde mane; & ex vtroq; factus eſt dies vnus naturalis. Ac certum eſt apud omnes gentes permanſiſſe, & permanere, hanc diei naturalis definitionem: nempe, vt conſtet, & die artificiali & nocte: quæ ambæ ſimul, viginti quatuor horarum ſpatium conficiunt.

Cæterùm ratio initij & finis diei, apud varias gentes, variè etiam mutata fuit. Qua de re apud Plinium naturalis hiſtoriæ lib 2. ca 77. Et apud Gell. noct. Att. lib. 3. cap. 2. ſcribitur. Summa hæc eſt:

Romani, Ægyptij, & Galli à media nocte inchoabant diem: & eum continuabant vſque ad alteram inſequentem mediam noctem. De hac Romanorum conſuetudine, ſcribitur etiam in Pandectis lib. 2. titul. 12. *de Ferijs*, cap. 8 Atque hæc eſt etiam conſuetudo in Germania tota. Babylonij ab exorto Sole incipiunt. Vmbri & Arabes, à meridie. Hebræi retinent veram, & primam ac naturalem rationem: quia incipiunt à veſpera poſt occaſum ſcilicet Solis, quā etiā nos Itali ſequimur, quanquā aliquod ſit diſcrimen. Hebræi enim incipiunt diem ſtatim poſt occaſum Solis à veſpera: nos potiùs à crepuſculo veſpertino, quum parum lucis ſupereſt in aëre: vt potiùs à nocte incipiamus, quàm à veſpera. Ita apparet, alios longiùs, alios minùs longè, à prima, vera & diuina diei inchoandi ratione, receſſiſſe. Atque hæc de altero capite, quod hic tradit Moſes: nempe, vnde primus dies initium ſumpſerit, à veſperáne, & à nocte, an verò à mane, & die, ſatis.

XVIII. Vnum tantùm reſtat explicandū, nempe cur Moſes dixerit *vnum diem*, non autem *primum*: cū deinceps ordinis nomina ponat, *ſecundum, tertium, quartum*, non autem numerorum, *duo, tres, quatuor*. Nam diei non poteſt caruiſſe nomine, quod ſignificaret *primum*. Nam Exod. 12. v. 2. vſus eſt ראשון; Hic menſis erit nobis ראשון, primus. Sic Eſa. 41. *Ego primus* ראשון *& ego nouiſſimus.* Neque etiam dicendum eſt, hoc feciſſe ſine cauſa; ſed tantū ex verborū copia. Non enim ſic loquitur Spiritus S. nec vna vtitur locutione, aut voce, potiùs quàm alia, ſine cauſſa. Quidam igitur reſpondent, non potuiſſe nomen primi, ראשון à Moſe rectè poni, propterea quòd nomen primi, nomen eſt ordinis: Ordo autem eſt inter plura, & vbi non ſunt plura vno, ibi non poteſt eſſe ordo, eóq; nec ordinis nomina collocari. In creatione autem Mūdi: initio non fuit niſi vnus dies: nondum enim aderat ſecundus, vel tertius. Hanc ergo ob cauſam (inquiunt,) vſus eſt nomine non ordinis, ſed numeri, *vnus*, quia ibi nullus adhuc erat dierum ordo, ſed aderat tantùm principium numeri. Sed hæc interpretatio nulla eſt. Nam quando Moſes hæc narrabat, iam erant multa dierum millia elapſa à creatione Mundi, vt optimè, ſi voluiſſet, potuerit vti voce primi, ſicut vſus eſt voce, vnius. Alij igitur reſpondent, ſimpliciter

citer hanc eſſe phraſin linguæ ſanctæ, in ſacris literis vſitatiſſimam, vt אחד pro ראשון ponatur. Et huius rei exempla multa è ſcripturis tam veteris, quàm noui Teſtamenti proferûtur. Nā etiam Euangeliſtæ hac phraſi vſi ſunt, in primo die Sabbathi explicâdo, vt Matt. 28. *Veſpera Sabbathi quæ luceſcit, εἰς μίαν σαββάτων, i. in vnam*, pro *primā*. Et Marcus c. 16. vtrãq; vocē indifferenter, de eadē re loquēs, vſurpat: nam primū ſic ait: καὶ λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς σαββάτων. Paulò pòſt v. 9. vertit vocē μίαν in πρώτην, dicēs: ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου. Cū igitur hę voces promiſcuè vſurpētur, vna pro altera pręſertim *vnus*, pro *primo*; nō eſſe hîc philoſophandum in voce אחד; ſed accipiendum אחד, pro *primo*. Hæc eſt ſimplex & vera reſponſio. Interim tamen, quin aliquid ſubſit myſterij, ego non audeo infieiari: tametſi illud, quale ſit, non videam. Ioſephus certè, vir Iudæus, & linguæ ſuæ & ſacrorum Bibliorum peritiſſimus, lo. lib. de Antiquitate primo, ait, ſe huius rei cauſſam explicaturum in quodam, quā promittit, libro, ſed nō habemus. A Philoſophis περὶ τῆς μονάδος multa traduntur, déque eius natura, atque myſteriis, & myſterioſa ſignificatione: quæ huc ſi quis accommodare velit, per me ei licebit. Ego certè non faciam: cùm ſimplicem verámque habeam intelligentiam. Hoc tantùm dico, non eſſe contemnenda, quæ in hanc rem ſcribuntur à Baſilio, Ambroſio, & aliis Patribus.

Age igitur, in primo die narrationis Moſaicæ, hi loci communes breuiter nobis Philoſophorum auxilio, explicandi ſunt.

1. *De rerum principiis tam quæ intra ſubiectum corpus poſita ſunt, quàm quæ extra, idque in genere.*

2. *De ipſa ſpeciatim Materia & Forma, quatenus partes ſunt compoſiti: & de Priuatione, quæ ad cuiuſuis rei effectionem pernecesſaria eſt.*

3. *De cauſſis, cùm omnibus in genere, tum ſpeciatim de efficientibus.*

4. *De communibus principiorum corporúmque omnium Phyſicorum accidentibus, atque inprimis de Motu.*

5. *De tempore in genere. Specialis enim tractatio, quatenus diuiditur in horas, dies, menſes, annos: quarto die explicabitur.*

6. *De loco Tractatio de luce in quartum diem differtur: vbi de Sole, qui iam fons eſt omnis lucis, diſſeretur.*

CAPVT III.

De primis principiis in genere.

LOCVM itaq; primum, qui de primis rerum eſt principiis in genere, tribus complectimur propoſitionibus.

THESIS I.

Verum veréque primum rerum omnium principium: vnicum tantùm eſt: Deus nimirum optimus maximus.

A Deo enim ſolo omnia ſunt primò & principaliter; ipſe verò ſolus à nullo eſt. Solus igitur Deus rerum omnium principium, nempe efficiens. Cum hac Theſi conſentiunt omnes Scripturæ ſanctę, & Moſes inprimis, qui ait, *Deum initio creaſſe cœlum & terram*, hoc eſt, omnia quæ ſunt, initium accepiſſe à Deo. Ideò meritò Ariſtoteles Deum primam vocauit Naturam. Si enim Natura, principiū eſt motus & quietis in omni eo in quo eſt; cui magis competit Naturæ nomē; quàm Deo? qui primus eſt motor, omnia mouens & regens: à quo etiam ſunt omnia: atque etiam, vt Apoſt. ait, *in quo viuimus, mouemur & ſumus*. Accedit omniū Philoſophorum de Natura rectè ſentientium conſenſus: ita vt & Plato diſertè Deum vocet *Mundi opificem*: Et Ariſt. *primum motorem, primámq; rerum omnium cauſam, & cauſam cauſarum*. Is igitur ſolus & per ſe, Materiam ſibi creauit, corpus ſcilicet quoddā maſſámq; rudem: ex qua, omnia diuerſis diſtincta formis, cōdidit ab initio, vt Moſes narrat per ſeſe. Quare in Mundi creatione, vnū tantùm fuit primū ſingularum rerū initium, Deus: qui ex nihilo per ſeſe cūcta effecit. Cæterùm poſt, voluit alia quoq; eſſe rerum principia, quæ deinceps facta fuerunt, & quotidie fiunt, quæ principia cauſæ etiam ſecundæ appellari ſolent: quarum aliæ internę ſunt, intráque res effectas, tanquam partes compoſiti manent: aliæ externæ, hoc eſt, quæ intra opus effectum non manent. De iis iam non loquimur: ſed de illis, quæ verè principia rerum vocantur.

THESIS II.

Alterum à primo profectum, illúdque internum rerum principium, eſt ipſa Natura rebus à Deo inſita: quæ tum ſecunda natura à Peripateticis: tum Anima Mundi à Platonicis appellari ſolet.

QVid ſit natura, mox explicabimus: Primū autem hanc ideo dicimus eſſe *principium, illúdque internum rerum omnium* quas *naturales* vocamus: quòd corporibus omnibus tanquam interna quædam illorum cauſſa inſit: quæ ita corpora conſtituit naturalia, vt etiam illorum ſit pars, in ipſis permanens. Nullum enim corpus hoc principio carere poteſt. Omnia verò, huius cauſſa, naturales vocantur res, atque ſubſtantiæ: & quæcunq; vi huiuſce principij ab illis fiunt, actiones naturales appellantur. Eſt enim hæc Natura, vt paulò poſt dicemus, initium omnis motus & quietis in ipſis corporibus exiſtēs: ideo adiecimus, hanc *Naturam rebus eſſe inſitam*. Deinde verò hanc vocamus, *alterum*, nempe à Deo, *principium*: quia Deus eſt verè primū omniū, eóq; & huius ſecūdi principiū. Atque hac de cauſſa dicimus, hoc ab illo profectū eſſe: quia Natura ſecunda creata fuit à prima, hoc eſt, à Deo. Hinc etiā fit, vt non ita propriè appelletur Natura principium: ſicut Deus. Si enim principiū propriè illud eſt à quo aliquid fit primò, ipſum verò à nullo factum eſt: ſequitur, Naturā ſecundam perfectum non eſſe principiū. Eſſe autem Naturā hāc rebus à Deo inſitā, apertè liquet ex toto Moſis contextu in 1. cap Gen. qui docet, & res omnes, & ſemina, quæ in ipſis ſunt, omnémq; illarum virtutē mouendi ſeſe & alia producendi, à Deo rerum omnium conditore profectam eſſe. Huc illud: *producat Terra*, id eſt, vim à me acceptam habeat, producendi germen. Item, *creſcite, multiplicamini*. Eſt itaque etiam hæc Theſis manifeſta.

THESIS III.

Porrò Natura principium eſt & cauſa τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, in eo in quo exiſtit πρώτως καθ' αὑτό, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός.

NAturam principium eſſe Motus internum in rebus motis immanens, inde manifeſtum eſt: quia in hoc differunt, quæ à natura fieri dicuntur, ab illis quæ fiunt ex arte. Quæ enim à Natura fiunt, eóque *Naturalia* vocantur, manifeſtè apparet, ea principium in ſe alicuius Motus habere, quo ſponte mouētur, nō vi: idque aut ſecundùm locū, aut ſecūdū incrementū & decremētū, aut ſecūdū alterationē. Nā leuia vt ignis vim in ſe habent à Deo, qua ſurſū: grauia itidē vim, qua deorſū ſpontè moueantur; atque ita de reliquis omnibus. Itaq; apparet, omnes res naturales, quatenus naturales, principiū in ſe habere Motus. Quę verò ſūt ab arte quatenus ab arte ſunt, tale principium in ſe non habent, ſed ab externo tantùm mouente mouentur & extra ſe habēt artificij ſui principiū. Neq; enim exempli cauſſa gladius, quatenus res eſt artificioſa, vllū habet in ſe principiū Motus; neq; Forma, quā ab artifice accepit, ſemper retinet: ſed & ab externo principio mouetur, & maſſa eius corrupta, illa etiam forma, quam habet, ſimul perit. Habet tamen quatenus corpus eſt naturale, hoc eſt, ferrum, principium in ſe motus. Habet enim grauitatē, qua ſpōte deorſùm mouetur, quæ etiam ab illo inſeparabilis eſt. Differentia igitur iſta inter res naturales & artificioſas manifeſta eſt; manifeſtéq; docet, Naturā principiū eſſe Motus in rebus naturalib. inſitum à Deo, atq; immanēs: quod ideo etiā *Natura* appellatur, quòd cuique rei ab ipſius natiuitate innatum & à Deo inſitū fuerit. Atq; hęc etiam eſt cauſa cur dicatur Natura principium eſſe Motus in eo, in quo eſt: quia ſcil. principiū eſt intrinſecū, in re mota immanens. Nec ſimpliciter dicitur eſſe *principium Motus intrinſecum in re naturaliter mota & quietis in naturaliter quieſcente*: ſed dicitur, *principiū motus πρώτως*, ſeu, *primò*: hoc eſt, quo primum id re mota exiſtente, non mediante alio priori, res ipſa mouetur, vt quia grauitas in lapide eſt illud, quo immediatè & primū fit, vt lapis ſpōte deorſū moueatur: ideirco verè dicitur & eſt principium talis in lapide motus. Itaq; ſi animal, quod duplici conſtat natura, anima ſcilicet & corpore graui, moueatur deorſū, huiuſce motus nūquam anima dicitur eſſe principiū, eóq; nec reſpectu talis motus, Natura: quoniā ab anima nō eſt immediatè & primò; ſed mediante corporis terrei grauitate. Denique Natura ideo dicitur principiū eſſe motus per ſe, & non κατὰ συμβεβηκός: quoniam exempli cauſa, quod à grauitate deorſum moueatur corpus animalis, hoc fit per ſe, non autem ex accidenti. Fit enim à grauitate, quæ per ſe ineſt corpori, & ei naturalis eſt. Ex hac autem Naturæ explicatione, liquidò apparet quæ dicantur Entia naturalia: Ea nimirum, quæ habent Naturam. Illa verò dicuntur habere Naturam, quæ principium ſui motus & ſuæ quietis in ſe ipſis habent. Principium autem naturalis motus in vnoquoque eſt aut Forma, aut Materia. Forma vt anima in homine, principium eſt omnis motus animalis & rationis; Materia verò, vt cor-

pus ſua grauitate principium eſt motus naturalis,quo tendit deorſum.Itaq; & formę & materię,Naturę nomen verè conuenit; veriùs tamen ipſi formę,quā materię: propterea quòd forma efficit,vt res aliqua ſit actu: cùm id non poſſit efficere ſola materia. Neque enim exempli cauſſa homo actu eſt homo,eóq; naturalis ſubſtantia ratione prædita,per ſolam materiam,ſed per formam: ſicut neq; in artificioſis materia gladij efficit,vt gladius ſit actu gladius,ſed forma gladij in ferro recepta. Quia verò proprietates cuiuſq; rei naturalis, aut à materia,aut à forma dependent; ideo fit,vt etiam cuiuſque rei naturalis proprietas,nomine *Natura* appelletur.Sic dicere ſolemus,naturam,i.proprietatem Rhabarbari eſſe,vt bilem purget.Nunc tenemus duo prima rerum principia.Vnum æternum,quod à nullo eſt,& à quo ſunt omnia, eóq; verè primum eſt principium. Hic eſt Deus. Alterum temporale factum à Deo; eóq; non ita verè primum principium.Hoc eſt, Natura ſecunda,quę quid ſit,declaratum eſt.Hæc vera & certiſſima ſunt: & cum ſacris literis conſentanea,atq; à Moſe in primis in ſua de mundo,déque primis rerum principiis,Hiſtoria,non tam indicata,quàm etiam ex parte explicata.Notandū verò eſt inter hæc duo principia diſcrimē cognitu neceſſarium: nempe ſecundū principium ita ſemper pendere à primo,hoc eſt naturā à Deo:vt ſine hoc,illa nihil vnquam operetur aut moueat: ſed ſemper Deum per illā agere & mouere. Quo ſpectat illud Apoſtoli: *In ipſo viuimus,mouemur,& ſumus.* Et, *Deus operatur omnia in omnibus.* Deum verò etiam ſine natura, imò præter, ſupra & contra naturam permulta, quum vult,operari.Neq; enim Deus alligatus eſt naturæ à ſe creatę: ſed ſupra eam eſt. Proinde officiū Chriſtiani duplex eſt: vnum, vt quicquid vides in mundo fieri etiam à natura, illud inprimis acceptum feras Deo, primo omnium principio,ſiue pluat,ſiue oriatur Sol; ſiue tibi naſcantur liberi: ſiue deniq; viuas,ſiue moriaris. Alterum officium eſt; vt quęcunque in ſcripturis narrantur,licèt vel ſuperent naturam,vel etiam pugnent cum natura, ac proinde videantur prorſus impoſſibilia: illa tamen minùs vera eſſe opera ſiue facta,ſiue facienda,credas; quàm quæ certis à natura fieri. Qui enim ſine natura creauit naturam; idem etiam præter & contra naturam,poteſt agere & ſæpe agit atque operatur,quæ vult. Atque hæc de primis principiis in genere ſatis.

CAPVT IV.

De Materia,Forma,Priuatione.

NVNC ſpeciatim de materia prima, & de forma ſubſtantiali, quæ nomine Naturæ appellantur, & quæ principia ſunt cuiuſque corporis immanentia: déque etiam Priuatione, quæ poſt creatum mundum, ad cuiuſque rei generationem neceſſariò requiritur, breuiter certis iiſdem Theſibus propoſitis dicendum eſt. Sunt enim hæc à Deo ſumma ſapientia in mundo ordinata, & ad contemplandam ipſius bonitatem, potentiam, maieſtatem maximè vtilia.

THESIS I.

In creatione huiuſce viſibilis & corporei mundi primum quod creauit Deus, fuit Materia prima: tanquam primum principium, ex quo reliqua omnia variis prædita & diſtincta formis educerentur.

EX Moſe manifeſtiſſima eſt hæc Theſis. Docet enim, ex materia hac,nomine terrę & aquarum ſignata,fota verò, & ad varias recipiēdas formas,à Spiritu S.præparata: omnes mundi partes,tam Cœlos, quam diſtincta Elementa, educta fuiſſe, quum ait, *Spiritus autem Elohim incubabat aquis*. Eas ſc. vt explicat Baſilius, πρὸς τὴν ζωογονίαν præparans ac fouens. Atq; hoc eſt vnum ex præcipuis,quibus Deus primum agens,ab aliis ſecundariis agentibus differt. Nimirum quòd reliqua agentia materiam ſupponunt;in quam,& ex aqua agant.Vnde illud axioma,verum quidem in natura rebúſque humanis,ſed non in diuinis; *Ex nihilo nihil fit*. At verò Deus ex nihilo materiam rerum omnium ſibi parauit; eóque verè dicitur, huius cumprimis materiæ reſpectu, omnia è nihilo feciſſe;cum tamen Moſes apertè doceat, Ex creata hac materia,omnia deinceps corpora efformata fuiſſe. Hinc ſequitur

THESIS II.

Creatio tam materiæ primæ, quàm reliquarum rerum, initium habuit.

TOta hęc propoſitio perſpicua eſt ex verbis Moſis dicentis, *In principio creauit Deus,&c.* Itaq; falſum eſt dogma Philoſophorum, *Materiam ſaltem primam, eſſe æternam.*

THESIS III.

Materia prima, quam creauit Deus, in ſui creatione, non omni prorſus caruit forma.

ACtu enim ſubſtitit; ſimul ac creata fuit: ſicut Moſes docet. Tum dicendo, *Terra autem erat*, id eſt, ſubſiſtebat, ſed תהו Tum dicendo, *Spiritus Domini incubabat aquis*. Non incubabat autem niſi rei ſubſiſtenti: materia autem prima, omni prorſus carens forma,actu ſubſiſtere non poteſt; ſed vnumquodque actu ſubſiſtit per formam. Vnde illa nota propoſitio; Forma eſt quæ dat eſſe Rei.

THESIS IV.

Si materia prima non potuit actu ſubſiſtere niſi per aliquam formam ſubſtantialem: materia igitur prima & forma ſubſtantialis,principia ſunt rerum intrinſeca: ex quibus omnia Phyſica & actu ſubſiſtentia corpora, compoſita ſunt.

THESIS V.

Si materia prima non poteſt actu ſubſiſtere per ſeſe, ſed tantùm per aliquam formam ſubſtantialem: Ea igitur per ſe ſolam conſiderata, Ens eſt in potentia tantum, nullam ex ſe actu habens formam: formæ tamen ſemper alicui ſubiecta & coniuncta.

THESIS VI.

Ex prima materia omnia Phyſica corpora tam cœleſtia quam elementaria, variis affecta & inter ſe diſtincta formis,educta fuerunt,vt narrat Moſes. Materia igitur prima, etſi nullam ex ſe habet Formam; Subiectum tamen eſt incorporeum, receptaculúmque omnium formarum. Imò ideo ad omnes formas recipiendas idonea eſt: quia nullam ex ſe propriam habet. Atque hoc eſt proprium eſſe ipſius Materiæ primæ: facultatem ſcilicet habere ad Formas diuerſas diuerſo tempore recipiendas: qua facultate ſi careret: Materia iam non eſſet.

HÆc eſt Theſis quam modò explico. Quod enim hic ex verbis Moſis collegi de prima Materia: Eam ſcilicet cùm non ſit aliquid per ſe ſubſiſtens, eſſe tamen ſubiectum quoddam reale, quod alicui ſemper Formæ corporeæ coniunctum, poteſtatem in ſe diuerſas recipiendi Formas ſuapte habeat natura: hoc ſic explicant, & ſub oculos ponunt Philoſophi. Neceſſe eſt vt omnis tranſmutatio circa aliquod fiat ſubiectum. Cape igitur lignum: nemo eſt qui neſciat illud conſtare ſua Materia, ac Forma, qua lignum eſt. Comburatur, & fiat ignis: iam apparebit idem ſubiectum priuatum priori Forma,nouam recepiſſe: Formam ſcilicet ignis. Quòd ſi etiam ignis conuertatur in cineres: tum alia apparebit Forma in eodémmet ſubiecto: id quod & in noſtris fit corporibus, quum intereunt & putreſcunt.

Eſt igitur manifeſtum, ſubiectum aliquod eſſe, circa quod tot tantæque fiunt tranſmutationes: & quod vna ſpoliatum Forma, aliam ſubinde recipit. Subiectum hoc inuiſibile alioqui oculis noſtris, ſed quod tamen per hanc tranſmutationem Formarum, apertè cognoſcitur, & demonſtratur: *Materiam primam* omnes appellarunt. Certè materia illa rudis apud Moſen, quæ priùs Formam habebat lutoſæ aquæ: cùm ex ea formati ſunt cœli & elementa, alias recepit formas. Et cùm etiam ex elementis,formata fuerunt alia corpora & animalia: prioribus ſpoliata formis, nouas recepit. Hoc igitur ſubiectum propria carens forma, & alicui tamen ſemper coniunctum, ad omnes verò diuerſis temporibus recipiendas idoneum, *Materiáque prima* à Philoſophis vocatum: Eſt etiam nunc vnum ex principiis à Deo creatis, ad corporum Phyſicorum conſtitutionem. Hæc eſt ſumma loci de prima Materia ad captum etiam rudiorum accommodata. At quorſum hęc Philoſophica nimis ſubtilitas? quid iis cum Theologia? imperitus aliquis dicet, hæc nihil ad rem,

ad rem. Sed prærerquam quod hominis Chriſtiani eſt opera Dei mirabilia contemplari, & principia rerum à Deo inſtituta intelligere: multos quoque habent pios & ſalutares vſus. Nam quæ iam diximus de Materia: an non ſeruiunt doctrinæ de reſurrectione corporum demortuorum faciliùs percipiendæ? Paulus ſtatuit primam cauſſam agentem, eſſe etiam authorem reſurrectionis: corpora noſtra ſubiectum ſunt materiale, circa quod fit tranſmutatio. Ex corporibus enim humanis & viuis, mutantur in cadauera: ex cadaueribus in vermes: ex vermibus in cineres ſeu pulueres; eodem ſemper ſubiecto, Materia ſcilicet prima manente. Iam oſtendit Apoſtolus, Si idem agens Devs, tantam circa idem ſubiectum, tranſmutationem operatur: vt primo ex vili ſpermate, fabricet tam pulchrum corpus, deinde ex tam formoſo corpore illud conuertat in vile cadauer & cineres: Quidni, idem ſubiectum, exutum forma cadaueris ac cinerum, poterit ſi velit, priori humani corporis forma, atque anima denuò veſtiri? Id quod ſimili à natura petito, nimirum à grano frumenti in terram iacto, corruptóque: & ſuam denuò priorem formam recipiente, confirmat. Hoc & alios optimos vſus quos poſſem è ſcripturis abundè demonſtrare, habet doctrina de operibus Dei Phyſica; quæ non ſolùm à Philoſophis explicatur, ſed etiam à Prophetis & Apoſtolis in Sacris literis, quanquam breuiter & conciſè proponitur. Redeo itaque ad inſtitutum, atque cùm de prima materia ſex tantùm propoſitionibus explicarim totum id, quod ad perfectam illius cognitionem pertinere viſum eſt: duabus etiam aut tribus, iiſque ex Moſe collectis, quod dicendum eſt de forma, expediam.

DE FORMA.

THESIS I.

II. Quam Deus poſt creatam primam Materiam decreti. fiat hoc, aut illud: *in primam illam Materiam, nouas easque ſubſtantiales formas, veteri illa lutacea abolita, inducebat ſuo verbo: atque ita omnia Phyſica corpora, tam cœleſtia, quam elementaria & ex elementis compoſita, ſuis diſtincta formis produxit.*

TOtum hoc ex contextu Moſis manifeſtum eſt. Ergo formam ſubſtantialem & Materiam primam, duo eſſe interna cuiuſlibet corporis principia à Deo producta, è quibus tanquam eſſentialibus partibus corpus conſtat; extra controuerſiam eſſe debet.

THESIS II.

Vt neque Materia prima, neque etiam ſubſtantialis cuiuſuis corporis forma per ſeſe ſubſiſtunt, ita ambæ ſimul connexæ, cuiuſuis corporis eſſentiam tanquam συνάρτιαι conſtituunt.

THESIS III.

Ita verò ſunt ad conſtituendam corporis eſſentiam συνάρτιαι: vt Materia, a Deo, formæ ſubiiciatur informanda: per formam verò eſſentia rei in Materiam inducatur: atq; ita expleta Materiæ potentia per formæ inductionem, quod tantum δυνάμει erat Ens, certum corpus actu conſtituitur.

MAteria enim & Forma, ſicut à corpore ſeiunctæ, reipſa non inueniuntur, ſed cogitatione tantùm ſeparantur: ſic iuſſu Dei coniunctæ, verùm & phyſicum corpus, tanquam illius partes conſtituunt. Atque hæc eſt ſumma eius quod de forma ſubſtantiali, déque Materia prima, ad conſtitutionem cuiuſque rei; non tam ex Philoſophis, quàm ex Moſe colligi poteſt. Totum verò hoc ſuapte natura ad intelligendum difficile, quia à ſenſibus remotum eſt ſimili ab arte deducto, haud obſcurè explicari ac percipi poteſt. Sicut enim ab artifice, ex ſecunda viſibilíque Materia, puta ferro, & ex forma accidentali, itidem viſibili: puta forma gladij: hac in materiam impreſſa, gladius actu conficitur: Ita ex Materia prima inuiſibili, per ſe non ſubſiſtente: & ex forma ſubſtantiali per ſe itidem minimè ſubſiſtente: à Deo autem vi ſui verbi coniunctis, forma nimirum in materiam inducta, vnumquodque Phyſicum corpus actu conſtituitur: Ita ſemper Deus efficiens, prima rerum cauſa manet: Materia verò & Forma, à Deo productæ, tanquam cuiuſque corporis interna principia ac partes, mete conſpiciuntur. Quò non ineptè referri poteſt illud Heb. 11. *Fide intelligimus ſecula*, id eſt, Mundum, κατηρτίσθαι verbo Dei: κατηρτίσθαι quaſi ex partibus ſuis conſtructũ.

Duę autem ſunt priores & pręcipuę mundi, & ſingularum eius particularum partes: è quibus & ipſe totus mundus & ſingulæ particulæ conſtructæ ſunt: Materia ſcilicet & Forma. Hoc intelligimus fide, quia ſcriptura apertè hoc tradit: *Maſſam primam verbo fuiſſe creatam: & ex illa fota à Spiritu S. omnia certis diſtincta formis, verbo itidem Dei educta fuiſſe.* Hanc igitur doctrinam calumniari: eſt calumniari verbum Dei.

DE PRIVATIONE.

III. Reſtat nunc *Priuatio*, quam ipſe etiam Moſes ad rei cuiuſque productionem concurriſſe oſtendit: quum dixit, *Terram*, hoc eſt, Materiam fuiſſe תהו, hoc eſt, *informem*: quod non ſimpliciter intelligendum eſt. Non enim vt ſuprà vidimus, omni prorſus caruit forma: ſed informis appellatur, reſpectu diuerſarum illarum formarum, quibus nondum erat ornata: ſed ornanda erat.

THESIS I.

In creatione non potuerunt variæ diuerſis diebus Formæ, vt cœlorum, elementorum, animalium, in primam Materiã induci: niſi priùs illis Materia prima priuata fuiſſet.

DOcet hoc apertè Moſes. Quum enim ait, *ex terra* תהו, ſeu ex materia illa informi, *condita fuiſſe ſingula*, per inductionem ſcilicet diuerſarum formarum in materiã ipſam: diſertè docet in materia illa tales antè non fuiſſe formas: eóque in ea fuiſſe Priuationem taliũ formarum: quod niſi fuiſſet, nequaquam potuiſſent in Materiam induci. Nihil enim quiſpiam accipit, quod iam habet. Quomodo enim in ſubiectum album albedo induci poteſt? Inducitur autem in ſubiectum albedine priuatum. Proinde Deo dari nihil poteſt: quia in eo ſunt omnia. Eſt igitur manifeſtum: ſi materia illa prima non fuiſſet ex ſe priuata omnibus formis, quæ poſtea in illam inductæ fuerunt: talium formarum non potuiſſe eſſe capacem. Hinc ſequitur altera propoſitio, nempe

THESIS II.

Priuatio igitur Formarum, neceſſaria eſt in Materia; ad hoc, vt illas accipere poſſit.

THESIS III.

Priuatio autem neque quidpiam efficit in ſubiectum corpus, ſi ut cauſa agens: neque eſt eius pars, vt ex ea illud conſtet, ſicut conſtat ex Materia & Forma: ſed tantùm occaſio eſt, vt quia adiuncta eſt Materiæ ab ea, tanquam à termino a quo motus, per quem forma inducitur in Materiam, incipiat, & corpus generetur.

REs perſpicua eſt in artificioſis. Priuatio figuræ in ligno occaſio eſt cur in ligno imprimatur figura. Priuatio itẽ iuſtitiæ in nobis, occaſio eſt, cur Deus nos ſua iuſtitia iuſtificet. Quod autem tale eſt, principium actionis per ſe eſſe non poteſt: ſed tantùm per accidens & per occaſionem. Quis.n. dicat, Priuationem iuſtitiæ in nobis cauſſam eſſe noſtræ iuſtificationis, aut aliquod principium, niſi ex occaſione & ex accidenti? Priuatio igitur principium alicuius rei per ſe eſſe nequit; ſed tantùm accidentarium; quia ex ipſa nihil fit; niſi ſicut ex indocto aliquis per doctrinæ acquiſitionem fit doctus; & ex iniuſto, iuſtus. Quare ſi verum veréque primum rerum omnium principium quæratur, à quo omnia, & quod à nullo; vnum tantùm eſt; Deus Opt. Max. Si verò primæ rerum partes, ex quibus primò res ipſæ componi videntur; Duo ſunt prima illarum principia: Materia prima & Forma ſubſtantialis. Si autem principium primum quæratur, cuius occaſione, noua in materiam inducatur Forma, atque ita nouum fiat corpus: id vnum eſt, ipſa ſcilicet Priuatio: accidentarium quidem principium: ad omnem tamen rei productionem perneceſſarium. Et hoc ſenſu Gregorius dixit, *neceſſarium fuiſſe Adæ peccatum*. Illud enim fuit principium, id eſt occaſio, vt Filius venerit ad ſuam nobis iuſtitiam cõmunicandam: ideo neceſſarium fuit. Nihil enim generari aut effici poteſt in Natura: niſi aliqua ſit inter principia effectionis, generationiſq; repugnantia. Eſt enim in omni effectione motus: In motu autem præter mouentem, tria re-

quiruntur: ſubiectum, circa quod fit motus: terminus à quo: & terminus ad quem. Nulla autem repugnantia ſeu contrarietas inter formam quæ ineſt, & inter ſubiectam materiam, in qua ineſt reperiri poteſt. Formæ autem, eiuſdem tantùm Priuatio opponitur. Doctrinę enim & eruditioni, ignorantia ſola contraria eſt. Ac quod dixi de generatione Phyſica: idem cogitetur in generatione ſupernaturali per Chriſtum fieri. Priuatio igitur vt tertium principium, ſed accidentarium, ad cuiuſvis rei effectionem neceſſariò ſemper requiritur. Hinc ἀξίωμα illud Philoſophicum: *propter tranſmutationem oportere prima principia eſſe contraria.* Atque hæc de primis principiis, ſatis.

CAPVT V.

De Cauſis.

TANTA eſt DEI erga nos bonitas, ſumma cum ſapientia coniuncta: vt licèt ipſe vnus cauſa ſit rerum omnium efficiens, finéſque, formas & ideas tum vniuerſarum, tum ſingularum rerum in ſua ipſius habeat mente, atq; ita habeat vt ad mundum hunc à ſe factum ex nihilo, tum conſeruandum, tum regendum ipſe vnus ſufficiat: voluerit tamen & velit res ipſas à ſe conditas, non ſolùm ſua eſſe effecta, verùm etiam aliarum rerum, quæ quotidie ipſius fiunt prouidentia, cauſſas eſſe, eáſque multiplices atque varias. Nunc itaque locus de cauſſis omnibus in vniuerſum à Deo conſtitutis in hoc mundo dicendum nobis eſt: Nam hoc etiam Dei ſingulare eſt opus.

THESIS I.

Cauſſa id eſſe alicuius rei dicitur: à quo, vel ex quo, vel quo, ſeu per quod, vel propter quod, Res illa fieri aut facta eſſe dicitur.

THESIS II.

Quatuor igitur ſunt in vniuerſum cauſſarum genera. Efficiens, a qua: Materialis ex qua: Formalis, per quam quidque actu eſt & ſuum habet eſſe: Et Finalis, propter quam vnaquæque res eſt, aut fit.

HVius partitionis eſt ratio, quoniam cùm cauſa ea res ſit, ad quam ſequitur τὸ εἶναι, id eſt, Eſſe: Eſſe autem fit per formam: Vnumquodq; enim habet Eſſe per Formam: & Forma eſt quæ dat Rei eſſe: Forma autem recipiatur in aliquo ſubiecto, hoc eſt, in Materia, quæ ex Ente τῷ δυνάμει, fiat Ens actu: atque hoc fiat ab aliquo agente. Omne autem agens propter aliquem finem agat: & præter hæc ad interrogationem factam de alicuius rei cauſſa, nihil ampliùs reſpõderi poſſit: manifeſtum eſt plura his quatuor non eſſe, neque eſſe poſſe cauſſarum genera. Neq; etiam Moſes in ſua mundi fabrefacti deſcriptione, aut plures, aut pauciores cauſſas recenſet, his quatuor: Efficiente, Materiali, Formali, Finali.

THESIS III.

Harum autem cauſſarum, duæ extra rem, quæ fit, poſitæ ſunt: & duæ intra rem factam. Extra rem ſunt Agens & Finis. Intra verò manent, Materia & Forma.

THESIS IV.

Inter cauſſas, vt cauſſæ ſunt, Finis eſt potiſſima, prima atque vltima.

ESt enim cauſſa aliarum cauſſarum: quippe quę aliis præbet, vt ſint cauſſæ. Nam materia non eſſet cauſſa, niſi haberet formam, cùm ex ſe Ens ſit tantùm δυνάμει. Forma autem non eſſet, niſi ab agente induceretur. Agens verò non ageret, niſi moueretur à Fine; Finis enim mouet agentem. Finis autem immobilis permanet, & ad eam omnes reliquæ diriguntur cauſſæ. Finis igitur prima & vltima, potiſſimáque eſt omnium cauſſa: prima, quia mouet agentem: vltima, quia ad eam reliquæ ordinantur, ac proinde omnium eſt præſtantiſſima. Proinde ſcripturæ quoque Deum, ſicut primam omnium efficientem cauſſam; ſic etiam vltimum eſſe finem rerum omnium prædicant. Vnde Salomon inquit; *Omnia propter ſemetipſum creauit, etiam impium ad diem malum.* Et Paulus inquit, *à quo, per quem, & in quem omnia.* Itaq; Deus vere cauſſa cauſſarum dicitur, quia & efficiens & finis eſt omnium: vt taceam quòd omnium ideas in ſe habet: quæ ſunt omnium Formæ.

THESIS V.

Etſi verò his quatuor cauſſis neque plures neque pauciores eſſe poſſunt: Modi tamen cauſarum multiplices ſunt atque varij, in ſingulis ferè cauſarum generibus: atque imprimis in efficiente.

THESIS VI.

Cauſarum enim aliæ ſunt per ſe, aliæ per accidens, aliæ priores; aliæ poſteriores. Aliæ vniuerſales, aliæ particulares: Aliæ complexæ ſeu ſimplices. Et demum aliæ in actu, aliæ in potentia.

QVot enim ſunt modi cauſarum, tot etiam videntur eſſe genera: cùm reuera tamen tantùm ſint quatuor, vt iam demonſtratum eſt. Prædictos autem cauſarum modos non explico breuitatis cauſſa, & quia abundè ab Ariſt. explicantur in Phyſicis, notique ſunt omnibus. De ſingulis tantùm cauſſarum generibus aliquid ſubdam explicationis cauſa: & vt magis appareat admirabilis ſapientia Dei in Mundo regendo, ac primùm de efficientibus.

THESIS VII.

Cauſa efficiens eſt à qua fit aliquid, ſeu quæ ſua actione aliquem producit effectum: quo effectu ſemper illa prior eſt, ſiue tempore, ſiue ſaltem natura.

THESIS VIII.

Prima eáque perfectiſſima omnium efficiens cauſſa eſt Deus: Altera quæ hunc proximè ſequitur, eſt Natura.

NAtura verò quid ſit, ſuprà dictum eſt. Quicquid enim per ſe & naturali vi atque inſtinctu efficitur, atque mouetur; illud à Natura fieri & moueri dicitur.

THESIS IX.

Naturam ſequitur Ars: quæ pro ſua virili imitatur Naturam. Ab hac omnia proficiſcuntur, quæ humano ingenio excogitantur & fiunt: tam ea quæ ingenio potiùs, quàm viribus corporis perficiuntur, vt in artibus liberalibus: quàm ea: quæ corporis miniſterium potiſſimum exigunt, vt in mechanicis, illiberalibus artibus omnibus.

THESIS X.

Quartum locum tenet libera hominis voluntas, quæ licèt variis mutetur modis: quicquid tamen vult & agit, liberè vult & agit, ſiue bonum, ſiue malum.

THESIS XI.

Quintum & ſextum locum accidentaria occupant: Caſus nimirum & Fortuna, vt vocant.

QVid verò ſint Fortuna & Caſus, & quid inter ſe differãt abundè ab Ariſt. in Phyſicis explicatum. Ad ſummam: Quicquid præter inſtitutum à nobis finem, nobis contingit: illud à caſu aut fortuna fieri dici ſolet. Id quod verè dicitur reſpectu noſtri, qui tales effectus & eorum cauſas ignorabamus. At verò reſpectu Dei, nihil caſu aut fortuna fit: quia nihil præter eius æternum conſilium, ſed omnia immutabili eius prouidentia ſiunt: Placuit tamen Deo idque ob multa hominum commoda, talium euentuum, antequam fiant, cauſſas à nobis ignorari: atque ita noſtri reſpectu multa nobis à caſu, & à fortuna euenire. Itaque has quoque cauſſas voluit eſſe in Mundo propter nos.

THESIS XII.

Efficienti cauſſæ ſubijcitur Materia: ſiue prima, vt natura: ſiue ſecunda, vt artis & hominis voluntatis.

OMne enim efficiens, circa aliquod ſubiectum operetur, & in illud agat neceſſe eſt. Hoc autem eſt quod Materia-

Materialis cauſſa appellatur. Proinde ſic definiri ſolet: vt dicatur *Materia id eſſe, ex quo aliquid ab efficiente efficitur.* Vt ex humo, Adæ corpus à Deo factũ fuit: & homo appellatus.

THESIS XIII.

Forma ſequitur Materiam. Forma verò definitur eſſe id, quo ſeu per quod aliquid tale eſt: tam in ſubſtantia, quàm in accidentibus.

FOrma enim dicitur dare Eſſe rei; quia quælibet res per formam actu eſt: & per eam eſt id quod eſt. Nam Forma quum in Materiam ab agente inducitur: quandam ei ſpeciẽ qualitatemve addit, à qua talis aut talis res appelletur & ſit. Vt à forma hominis, Homo vocatur & eſt homo: A iuſtitia nobis à Deo communicata, iuſti appellamur, & ſumus.

THESIS XIV.

Duplices ſunt Formæ. Aliæ Subſtantiales: aliæ accidentales. Subſtantiales, vt quæ à Deo, vel à Natura in primam Materiam inducuntur. Accidentales, vt quibus Materia aliqua ſecunda ab arte: vel à libera voluntate afficitur.

THESIS XV.

Finis, ad quem omnes reliquæ cauſſæ referuntur, meritò id eſſe definitur, propter quod aliquid fiat. Ac Finium alij extremi ſunt, & vltimi: alij medij & poſtremi. Ad illos enim ij referuntur.

FInis proximus creati Mundi, eſt Homo, hominiſq; commodum ac ſalus: vltimus verò, ipſa Dei gloria. Ad hanc enim omnia quæ & condita ſunt; ac fiunt, ipſa etiam hominum ſalus, referuntur. Hæc omnia cauſſarum genera paſſim in ſcripturis reperiuntur: quas obſeruare vtile eſt, In articulo iuſtificationis apud Apoſt. ad Rom. expreſſè omnes explicantur, ſi quis diligenter obſeruet. Hinc apparet, Theologi eſſe, doctrinam hanc de omnibus cauſſarum generibus & modis tenere: ſi & rectè intelligere, & dexterè atque vtiliter explicare ſacras literas velit. Singulare eſt Dei beneficium hæc ſcientia: & ad omnia vtiliſſimum; contemnenda igitur non eſt. Ac de principiis, cauſſiſque rerum, huc vſque ſatis.

Sequitur locus quartus, qui eſt de primis communibúſque principiorum, omniũmque Phyſicorum Accidentibus. Ac primùm de Motu.

DE MOTV.

CAPVT VI.

PRAETER alia mirabilia Dei effecta, quæ in hoc mundo eſſe voluit, eſt Motus. Res enim eſt tam vtilis & neceſſaria, vt præter Deum, nihil ſine motu conſiſtere, eſſe & viuere poſſit: támque mirabilis & diuina res eſt: vt DEVS, quanquam vim & ſe & alia mouendi, rebus quoque à ſe creatis communicarit pro ſua bonitate: ipſe tamen nunquam deſinat, aut deſinere velit, omnia mouere: & hanc ſibi vni reſeruare gloriã voluerit, vt vocetur & ſit primus motor, qui ſtabilis ipſe manens, det cuncta moueri. Deniq; cùm in mundo ſint, non ſolũ Motus naturales, quibus corpora mouentur: verùm etiam ſpirituales & diuini, quibus animi electorũ aguntur à Spiritu ſancto: vtiliſſima, ne dicam neceſſaria eſt Chriſtianis hominibus, inprimiſque Theologiæ ſtudioſis, doctrina hæc de Motu. A doctrina enim de Motu rerum naturalium: ad percipienda ea, quæ de Motibus Dei in animis hominum, tradunt ſacræ literæ, non parum proficitur. Ergo doctrinæ etiã de Motu ſummam, paucis aliquot Theſibus complectar: omiſſis curioſis & inutilibus quæſtionibus, quæ de hac re apud Philoſophos leguntur. Dicturus itaq; de Motu, & quæ ad eũ requiruntur: Dicam primo loco *de Mouentibus.* Secundo, *de Mobilibus:* Tertiò, *de Motus eſſentia atq; natura:* Quartò, *de Motuum generibus, deque eorum inter ſe oppoſitionibus.* Poſtremò, *de vſibus Motus: ſeu ad quanam ordinatus ſit Motus.* Hæc enim vtiliſſima ſunt, & ad pietatem multum proſunt. Reliqua, quæ diſputantur à Philoſophis, vt ſuperuacanea præteribimus. Nam, vt nonnulli faciunt, velle probare rationibus, Motum eſſe in rebus: ſtultum eſt atque vanum: quando hoc nec etiam cogitari, neq; dici, neque fieri poteſt ſine Motu. Vt non immeritò de iis qui negant Motũ, dictũ fuerit, dignos eos eſſe, qui vapulent: vt hac ratione diſcant Motũ dari. Imò curioſiùs etiam diſputare quid ſit Motus: déque hac re prolixas inſtituere diſceptationes: parum vtile eſt atque laudabile. Quis enim ex ipſa perpetua experientia neſciat, quid ſit Motus & quies, moueri & quieſcere? Breuiter ergo à nobis propoſita capita, percurremus: & certis Theſibus ſummam doctrinæ de motu, vtilem ac neceſſariam complexi, explicabimus. Ac primò de primo capite, hoc eſt, de mouentibus, déque principiis motus.

THESIS I.

Duo ad ſummam ſunt mouentium genera: Primum, & ſecundaria. Illud eſt Deus, hæc, res à Deo creatæ.

THESIS II.

Primum mouens duntaxat, potentia eſt in mouendo infinita: reliqua finita. Illud enim, Deus ſcilicet ſolus, omnia produxit à non eſſe ſimpliciter, ad eſſe ex nihilo: reliqua verò non poſſunt: niſi ſuppoſita materia, ex qua, & in quam agant. Illud autem potentiæ eſt infinitæ: hoc verò finitæ.

THESIS III.

Poſt Deum qui prima eſt Natura, eóque primum omniũ motus principium: duo etiam ſunt aliorum mouentium genera. Vnum extra rem mobilem: alterum intra rem.

EXtra rem mobilem, moueri principium: voco id quod rei mobilis pars non eſt. Intra rem, quod eius pars eſt. Hac de cauſſa quæ mouentur ab externo principio: vi non ſua, ſed aliena mouentur. Quæ autem ab interno, ea vi ſibi innata moueri dicuntur. Vnde & differentia motus naturalis ac violenti ſumitur. Hinc etiam fit, vt localis Motus, quo ab anima mouetur corpus animalis, aut ſurſum, aut in orbem, aut per rectam inceſſionem; Motus ſit violentus, & cum labore fiat. Quoniam etſi anima quæ mouet, cum corpore ſit coniuncta, vt forma, eóque quodam modo, principium ſit Motus intrinſecum; pars tamen corporis non eſt, licèt forma ſit animalis: eóque principium talis motus internum proprium non eſt, ſed externum; cum aliena vi, moueatur, non ſua, ad talem Motum, corpus graue. Aliam enim formam habet corpus, quà corpus eſt: & aliam corpus animatum, qua tale, quàve animal eſt. Illa prior, pars eſt corporis: hæc poſterior minimè, ſed pars tantùm eſt animalis. Motus verò, quo idem animalis corpus deorſum mouetur per ſe, naturalis eſt, quia non ab anima eſt, ſed à corporis naturali grauitate, principio ſcilicet Motus intrinſeco. Hinc etiam intelligimus, Deum, qui omnia mouet, licèt in omnibus ſit creaturis, & in illo dicamur viuere & moueri: principium tamen talis Motus *internum* non poſſe propriè appellari. Ratio eſt, quia Deus pars non eſt illius corporis vlliúſve rei creatæ, ſed cauſſa tantùm efficiens, eóque externum Motus principium. Quanquam non omnis motus, quo is res creatas mouet, violentus illis ſit, ſed vt plurimum naturalis: propterea quòd Deus, eas pleruṁque mouet, ſecundùm cuiuſque rei Naturam. Vnde & quum immutat voluntates è malis in bonas, atque ita homines ad bonum mouet, vt ipſi bonum velint & operentur: talis motus violentus in nobis non eſt, ſed voluntarius, quia non coactus eſt. Suauiter enim flectit immutátque voluntates Deus: principium motus internum, illis infundens, Spiritum ſcilicet ſanctum: & ita de nolentibus faciens eas volentes. Quanquam neque naturalis nobis eſt, cùm à principiis naturæ non proficiſcatur: ſed ſupernaturalis potiùs: quia à principio eſt ſupernaturali. Sed redeamus ad Naturam.

THESIS IV.

Principium itaque Motus internum, eſt cuiuſvis rei motus, natura: Forma ſcilicet aut materia: quæve ex illis naſcitur, cuiuſque rei proprietas. Externum verò, eſt quæuis res, à re mota, alia atque diuerſa.

CVm enim Deus voluerit & omnia motui eſſe obnoxia: Et vt omne quod mouetur, ab alio moueretur: voluit hanc ſuam dignitatem quoque qua omnia mouet, rebus ſuis creatis communicare: vt quæuis non ſolùm ab alia moueri:

verùm etiam aliam mouere poſſit: idque ad totius mundi tum ornamentum, tum conſeruationem. Hinc enim omnia officiorum genera pendent: quibus rerum atque hominum ſocietas conſeruatur. Hinc fit, vt ſubſtantiæ abſtractæ, Angeli, tanquam nuncij, inſtrumentáque Dei ad nos veniant, variaque beneficia ſuppeditent. Fit item, vt ſupremum Cœlum reliquos ſecum trahat: Elementa à cœlis moueantur, & inter ſe mutuò tranſmutentur; animalia gignant ſibi ſimilia, alant, educent, inſtruant. Hinc alij regunt, alij reguntur, alij docent, alij docentur: alij generant, alij generantur. Denique vt nihil eſt in mundo, quod non & moueat & moueatur; ita Motus omnis ab alterutro horum duorum principiorum, interno ſcilicet, vel externo, fiat neceſſe eſt.

THESIS V.

Mouentium alia mouent ſua vi propria, eóque mouentia ſunt per ſe. Alia vi aliena, eóque mouere dicuntur ex accidenti.

IGnis enim ideo dicitur calefacere per ſe, quia ſua naturali facit vi; Aqua verò calefacta, ex accidenti; quia vi aliena calefacit. Ita Deus operatur in nobis velle & perficere per ſe; quia ſua vi; nos verò volumus & operamur bonum ex accidenti; quia virtute Dei nobis non naturali, ſed per gratiam aliunde communicata, vtrumque facimus. Ex noſtra enim Natura neutrum poſſumus: ſed ideo operamur bonum, quia Deus, cuius inſtrumenta ſumus, illud operatur in nobis.

THESIS VI.

Mouentium alia mouent ſecundùm ſe tota: alia ſecundùm partes.

SEcundùm ſe totum mouet Natura, vt grauitas lapidem. Non enim in partes diuidi realiter poteſt grauitas.

Secundùm partem verò, vel partes; mouent externa Motus principia; quæ aut ex arte aut ex voluntate mouent; eóque ſemper efficacius operatur Natura, quàm ars, aut voluntas noſtra.

THESIS VII.

Primum mouens Deus: mouere poteſt in inſtanti. Reliqua non poſſunt niſi tempore.

HVius hæc eſt ratio; quia in omni Motu mobile mouetur, intra duos terminos: à termino ſcilicet à quo; ad terminum ad quem. Non poteſt autem tranſitio hæc fieri in inſtanti; niſi per potentiam infinitam. Solus autem Deus potentiæ eſt infinitæ. Ac de mouentibus ſatis.

II. De Mobilibus.

THESIS I.

Omnia quæ à Deo condita ſunt: Motui alicui obnoxia ſunt: tam inuiſibiles, incorporeæque ſubſtantiæ, quàm viſibiles atque corporea.

HVius ratio eſt, quia quicquid à non eſſe ad eſſe ſimpliciter deductum eſt; idem etiam ab eſſe, ad non eſſe diſſolui poteſt; & ab vna qualitate in aliam mutari; augeri itẽ, atq; imminui; & è loco in locum transferri. At ſine motu, nihil horum fieri poteſt; imò in iis mutationibus, vel ſubſtantiæ vel qualitatis, vel quantitatis, vel loci, conſiſtit Motus. In ſuas etiam quidque partes reſolui poteſt; ex quibus compoſitum eſt. Omnia autem quæ ſunt, præter Deum, compoſita ſunt; ſi non omnia ex Materia & Forma, omnia ſaltem ex Actu & Potentia; vt Angelicæ ſubſtantiæ. Vbi autem actus eſt & potentia; ibi & Motus. Idcirco Deus immobilis eſt; quia ſimpliciſſimus eſt: & nunquã à non eſſe ad eſſe tranſiit tranſiréve poteſt; ſed æternus eſt; atque immutabilis. Huc ſpectat totus liber Eccleſiaſtæ; vbi docetur omnia vanitati & mutationi obnoxia eſſe.

THESIS II.

Omne quod mouetur, alterum, diuerſúmq; eſt, ab vtroque termino: & cum vtroque tamen etiam communicat.

HVius propoſitionis hęc eſt explicatio & ratio. In omni Motu duo ſunt termini; terminus à quo, qui eſt priuatio rei ad quam mouetur mobile. Et terminus ad quem; cuius acquirendi cauſſa fit Motus; & præterea res ipſa mobilis, Motuique ſubiecta. Eſt autem neceſſe, vt res, quæ mouetur, partim acceſſerit à Priuatione, & partim acceſſerit ad id, quo erat priuata, ſiue formam, ſiue quantitatem, ſiue locum. Ita vt neque penitus talis ſit, qualis antea erat, neq; etiam prorſus talis, qualis confecto Motu futura eſt. Vt aqua, quæ ex frigida iam caleſit: non eſt omnino frigida, vt antea erat: neq; verè calida vt futura eſt, id quod in Motu etiam augmenti & loci manifeſtum eſt. Quod autem tale eſt; illud cum vtroq; termino participat, & ab vtroq; diuerſum eſt. Omne ergo quod mouetur, diuerſum eſt ab vtroque termino, & cum vtroq; tamen communicat. Quare & diuerſitas, & ſimilitudo cum vtroque, imperfecta eſt. Idem liquet in Motu, quo diſcipuli mouentur ad ſcientias. Accommodetur etiam hæc propoſitio, ad res ſpirituales, & tunc eius vſum videbis non vulgarem. Hinc enim efficitur, dum ſumus in Motu, ab imagine terreni Adami, ad imaginem cœleſtis, qui Motus non conficietur, niſi poſt mortem; fit, inquam, vt nos neque ſimus omnino iniuſti propter Chriſtum, neque prorſus iuſti propter Adamum: cum quorum vtroque participamus, quamdiu in hac mortali viuimus carne.

THESIS III.

Quicquid mouetur, ab altero mouetur: idque aut à principio intrinſeco, quod eſt Natura, eóque à vi ſibi innata mouetur, aut à principio extrinſeco, eóque vi aliena.

THESIS IV.

Omne quod mouetur, aut ſecundùm ſe totum, aut ſecundùm partem aliquam mouetur, vt ſuprà dictum eſt de mouentibus.

SEcundùm ſe totum, vt in generatione ſubſtantiali. Non enim generatur pars animalis tantùm, ſed totum ſimul animal. Secundùm partem verò, vt in alteratione. Aliquando enim vna tantùm pars corporis alteratur, non totum, id quod in Motu etiam locali videre eſt. Aliquando enim totum animal mouetur, aliquando pars tantùm, vt qui ſolam manum, aut linguam mouet: corpora tamen, quę ſunt quoddam continuum, ex partibus integralibus non compoſitum: vt ſunt lapides, ligna, moueri non poſſunt locali Motu, niſi ſecundùm ſe tota.

THESIS V.

Omne quod mouetur, in tempore moueatur oportet.

RAtio eſt, quia oportet Motum fieri, aut ſucceſſiuè, aut in inſtanti. At in inſtanti nihil ab vlla creata re moueri poteſt.

III. De Motus natura.

THESIS I.

Motus actus eſt imperfectus, à mouente in re mota productus: quo res mota, partim non eſt, vbi erat, aut qualis erat: partim eſt, quo tendit aut qualis futura eſt. Eóque Motus, actus eſt, quo res mota tantiſper agitatur: donec à perfecta Priuatione alicuius rei, ad quam eſt in potentia, tanquam à termino à quo, ad perfectam eiuſdem rei conſecutionem, tanquam ad terminum ad quem, vbi conquieſcat, niſi impediatur, tandem perducatur.

ACtum eſſe à mouente, in re, quæ mouetur productum, nimis manifeſtum eſt. Motus enim actum ſignificat. Neque actus iſte in re Mota exiſtens ab ipſa eſt, ſed à mouente. Omne enim quod mouetur, ab altero mouetur. Actum eſſe imperfectum inde manifeſtum fit, quia hoc actu res mota, dum in Motu eſt, non penitùs aut deſiit eſſe qualis erat, aut iam eſt, qualis poſt Motum futura eſt, vt in aqua dum ad calorem à frigiditate mouetur, manifeſtè apparet. Partim enim deſiit eſſe frigida, non in totum, & partim cœpit eſſe calida, ſed nondum perfectè. Vt autem aliquid dicatur moueri, vtrumq; requiritur: nempe, vt partim ſit in actu, partim in potentia ad id ad quod mouetur. Nam quod tantum eſt in potentia ad aliquid, quo priuatum eſt, id non mouetur: quoniam adhuc in termino duntaxat à quo, hoc eſt, in pura permanet priuatione. Vt aqua quę nondum cœpit calfieri:

calefieri: & impius, qui nondum cœpit regenerari, ſed ad regenerationem, eſt tantùm in potentia. Quod etiam eſt tantùm ſolo actu in aliqua re, & nullo modo in potentia ad illam eſt, itidem non mouetur, ſed motum iam conquieſcit. Eſt enim tantùm in termino ad quem, in quo quieſcit, vt aqua iam perfectè calefacta, & homo iam perfectè regeneratus, quales illi ſunt, qui iam in cœlo degunt. Non enim ampliùs mouentur ad regenerationem, ſed iam Motũ confecerunt, quia illam perfectè ſunt conſecuti, inq; illa cõquieſcunt. Quietem enim quæ finis eſt Motus, & Motui vtcunque opponitur, vocamus ipſam rei motæ, in adepta iam Forma, vel quantitate, vel qualitate, vel loci termino, conſiſtentiam ac permanentiam. Sicut contrà res moueri dicuntur, quum aliquo modo immutantur. Ita neque quod eſt in ſola potentia ad aliquid; neque quod perfecto actu illud conſecutum eſt, moueri dici poteſt. Quod verò partim iam actu, rem aliquam eſt conſecutum; & partim in potentia eſt ad illam perfectè, niſi impediatur, conſequendam, ad eamq; tendit: id demum verè dicitur moueri, quia neq; eſt in ſolo termino, à quo, hoc eſt, in pura priuatione; neque in ſolo termino, ad quem, hoc eſt, in perfecta rerum conſecutione & poſſeſſione, ſed ad illam continua mouentis agitatione cõtendit. Vt aqua quæ cœpit calefieri, ſed nondum perfectè eſt calefacta; partim iam eſt ſub calore, actu; partim in potentia ad calorem, perfectiùs ſcilicet, niſi impediatur, conſequendum. Et vt homo etiam pius, in vitæ hoc curriculo, partim actu conſecutus eſt regenerationem; partim in potentia eſt ad illam perfectè conſequendam, vt in ea quieſcat. Dixi autem, *niſi impediatur*, quoniam ſi impediatur, & curſus ſeu Motus retardetur, non conſequitur quidem perfectè id quo tendebat res ſuo Motu; interim tamen non efficitur, quin illa imperfecta rei poſſeſſio, ſit terminus Motus, ſeu terminus ad quem. Exemplũ: Si aqua, quæ calefieri cœpit, impediatur, ne ad perfectum calorem perducatur imperfectus ille calor, quem conſequuta eſt, minimè dicetur eſſe Motus, ſed terminus Motus, verùm interrupti. Et ſi homines temporarij qui credere cœperunt, & guſtarunt dona cœleſtia, ſuis iniquitatibus ſuum interrumpant curſum, ne ad perfectiorem fidem eóque ad æternam vitam perducantur; ij non dicuntur adhuc eſſe in Motu ad perfectam fidem, vitámque æternam, ſed illa temporalis mortuáque fides, fides fuerit & terminus ipſius Motus, quem inchoarant. Apparet itaq; Motũ talem eſſe actum qualem deſcripſimus. Qua deſcriptione, breuiſſima Motus definitio, quæ apud Ariſtotelem eſt, explicatur. Sic enim ille ſcribit: κίνησις ἐστὶ ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος, ᾗ τοιοῦτον ἐστι, ἐντελέχεια. Motus eſt eius quod poteſtate eſt, quatenus tale eſt, h. e. quaten⁹ poteſtate eſt: actus, ſed imperfectus. Ἐντελεχείας enim nomine, quæ vox *perfectionem* ſignificat, non tam forma cuiuſq; (hæc eſt n. cuiuſque rei perfectio) quàm etiam actio actus ſignificatur. Eatenus enim quidq; perfectum eſſe dicitur, quatenus actu eſt. Ideo etiã ipſe actus, quo quis iam eſt, ἐντελέχεια appellatur. Contrà quatenus quodque eſt δυνάμει, eatenus imperfectum eſſe dicitur, & eſt. Quia itaque quod mouetur, partim actu eſt id, quo tẽdit, partim τῇ δυνάμει, vt ſuprà explicatum eſt, idcirco actum illum, quo quis mouetur, actũ imperfectum eſſe diximus. Hanc talis actus imperfectionem indicauit Ariſtot. illa particula, ᾗ τοιοῦτον ἐστί: hoc eſt, Motum eſſe eius, quod potentia eſt, quatenus potentia eſt, actum. Hoc eſt enim perinde ac ſi dixiſſet, *Actus eſt imperfectus*: quia quod mouetur ad aliquid, nondum perfectè, id eſt, ad quod mouetur, cùm adhuc ſit ad illud in potentia & ex parte.

II. Nunc accommoda hanc motus explicationem ad vitã Chriſtianam, quæ nil aliud eſt, quàm motus quidam, & qualis ſit vſus huius Phyſicæ doctrinæ, videbis. Quid eſt vita Chriſtiana? Motus, eóq; actus à Deo in nobis excitatus, per Spiritum S. in nobis habitantem, quo ab exſpoliatione veteris hominis tanquã à termino à quo, ad perfectam noui induitionem, tanquam ad terminum ad quem, continenter agimur, donec tandem ad perfectam rei ipſius, eóque ad vitæ æternæ conſecutionem perducamur. Singulæ hæ, vitæ Chriſtianæ deſcriptionis partes, facilè infinitis Scripturæ locis confirmari poſſunt, ſed breuitatis cauſſa lectori conſiderandas relinquo. Tantùm hic mihi vide, quantus ſit Anabaptiſtarum error: qui contendunt, in hoc vitæ curriculo poſſe Chriſtianum hominem, perfectum fieri, eóq; perfectiſſimæ vitæ rationem conſequi. Interrogo an vita hæc Chriſtiana vſque ad mortem ſit continuus motus, an non ſit. Eſſe docent ſcripturæ quæ etiam teſtificantur, eſſe militiam ſuper terram. Si eſt, actus igitur imperfectus eſt. Motus enim actus imperfectus eſt. Ergo partim ab homine diſceſſimus veteri, partim non diſceſſimus, cúmque exuimus, & nõ exuimus; & partim induimus nouum, partim non induimus. Quomodo igitur hæc duo cohærere poſſint: *vitam Chriſtiani hominis perpetuum eſſe Motum Spiritus S. in nobis excitatum quo ducimur ad perfectam cœleſtis vitæ poſſeſſionem, & in hoc mundo perduci poſſe Chriſtianum hominem, ad tantam vitæ perfectionem: nulla vt in re peccet, peccaréve poſſit?* Talis autem vita, terminus eſt motus, non autem motus ipſe. Motus enim ſemper inter vtrumque eſt terminum, & de vtroque extremo participat. Huc faciunt ſcripturæ: vt quod ait Apoſtolus, *Nunc videmus ex parte, tunc autem facie ad faciem.* Motum Chriſtianę cognitionis indicat: & actum eſſe imperfectum docet. Item 2. Cor. 3. *in eandem*, inquit, *imaginem transformamur.* Non ait, *transformatos nos eſſe*, ſed *quotidie transformari.* Hæc itaque motus naturalis & Phyſici explicatio, vtiliſſima eſt, ad ſcripturas intelligendas, & ad dogma falſum refutandum, de perfectiſſima hominis Chriſtiani vita, in hoc mundo.

THESIS II.

In omni itaque verè Phyſico motu quinque requiruntur, ſine quibus verus Motus dari non poteſt: Hæc ſunt, Mouens, *ſeu* Motor: Mobile, *ſeu* res Motui ſubiecta: Terminus à quo, *vnde incipit Motus fieri, & a quo receditur:* Terminus ad quem, *quò tendit Motus.* *Et* Tempus, *quo perficitur. Omne enim quod mouetur, in tempore mouetur, quia à termino ad terminum peruenire non poteſt naturaliter: niſi aliquo temporis interuallo. Eſt enim tempus menſura Motus. Non igitur Motus dari poteſt, quin ſtatim detur & tempus.*

IN motu ſpirituali vitæ noſtræ, ſunt hæc quinque. Mouens eſt Deus per Spiritum ſuum. Res motui ſubiecta, homo eſt Chriſtianus. Terminus à quo, terrenus Adamus: homo ſcilicet vetus. Terminus ad quem, Chriſtus cœleſtis Adamus: homo ſcilicet nouus, cum perfectis actibus ſuis. Tempus, totum hoc vitæ curriculum.

THESIS III.

Motus actus eſt, non ſolùm mouentis, ſed etiam rei motæ.

AB vtroque enim proficiſcitur. A mouente quidem, dum producitur & excitatur in re mobili: à re mota verò, dum in eo recipitur: eóque ad terminum ad quem, continua ſucceſſione contendit.

THESIS IV.

Motus vt à mouente eſt, Actio eſt, vt in re mota, paſſio, eóque actio & paſſio, vnus & idem, Motus ſunt reipſa.

DVm enim aqua calefit ab igne: ille agit in hanc, & idcirco calefactio hæc, reſpectu mouentis ignis actio eſt; aqua verò patitur ab igne: & hanc ob cauſſam calefactio illa, quatenus in aquam recepta eſt, & adhuc recipitur, paſſio eſt: eadem tamen calefactio, vtriuſque, & ignis, & aquæ, motus eſſe dicitur; ſed diuerſa ratione, actiuè ſcilicet reſpectu ignis: paſſiuè autem reſpectu aquæ. Idcircò etiam in actionibus Chriſtianis dicimur potiùs agi à Spiritu S. quàm agere, & noſtram velle & operari bonum actio potiùs eſt Dei, quàm noſtra, noſtra verò potiùs eſt paſſio. DEVS enim operatur in nobis velle, quia tamen acti agimus, actio etiam noſtra eſt.

THESIS V.

Etſi verò idem actus, & mouentis & rei motæ eſſe dicitur: in mouente tamen non eſt, tanquam in ſubiecto: ſed in re tantùm mota.

ALioqui in omni mouente eſſet motus, quod falſum eſt. In Deum enim non cadit motus. Ratio verò propoſitionis eſt, quoniam motus in eo tanquam in ſubiecto eſt, quod eſt in potentia ad perfectiorem, vel vlteriorem gradum, ᾗ τοιοῦτον ἐστί: hoc eſt, quatenus in potentia eſt. At mouens, quâ mouens eſt: non eſt in potentia, ſed actu. Vnumquodque enim mouens, mouet, quatenus actu eſt. Quomodo enim ignis calefacit? quatenus actu, non autem quatenus poteſtate calidus eſt. Motus igitur in mouente eſſe non poteſt, tanquam in ſubiecto, ſed in ſola re mota, idcirco illud etiam velle & perficere, quod operatur in nobis

Motus in nobis eſt, tanquam in ſubiecto, non autem in Deo, ſed à Deo: ideo nos ſumus, qui volumus & perficimus, ſed ex Deo, quia ab illo acti agimus, quanquam non coacti. In corporibus quidē inferioribus paſſioni obnoxiis, ſępe cōtingit, vt quod mouet, etiam moueatur: quia omne agens, agendo repatitur, ab eo in quod agit, vt Faber ferrarius, dum cædit ferrum, & illud mouet, repatitur à ferro, quia illud cædendo fatigatur ipſe & calefit. Verùm hic Motus, in fabro non eſt, tanquam in agente, ſed tanquam in patiente: Patitur enim à ferro, ex actione in ferrum. Certum igitur eſt, motum non eſſe in mouente, quatenus mouens eſt, ſed quatenus aliquid ab alio repatitur. Quia verò in Deum nulla cadit paſſio, idcirco agendo in nobis nil à nobis repatitur.

THESIS VI.

Ille Motus, vnus verè eſt numero, hoc eſt, continuus: vbi & mobile vnum eſt numero in toto Motu. Et vnum eſt Tempus, ſine vlla interruptione continuatum: Et vnus numero terminus, ad quem Motus terminetur.

COntra primum membrum eſt de quorundam ſententia, ſi homo viuus è turri cadens, inter cadendum in medio moriatur caſu. Ex homine autem viuo cadauer effectum, vt tale corpus in terram cadat. Duos enim ibi volunt eſſe Motus: licet vnus tantùm eſſe videatur. Quia duo diuerſa inter ſe fuiſſe mobilia, volunt, hominem & cadauer. Quanquam reuera non mouetur talis homo, deorſum vt homo, ſed vt graue corpus. Contra ſecundum eſt, ſi aqua primò aliquantum calefiat: deinde ab igne extrahatur: & tertiò denuò igni applicetur. Temporis enim hęc interruptio efficit, vt non ſit vnus & continuus, ſed plures Motus. Contra tertium eſt, ſi idem homo proficiſcatur ad aliquem locum ſanus, & inter eundum è ſano in morbum incidat: propter Motum vehementiorem. Duo enim etiam ibi ſunt Motus: localis vnus, alter verò alterationis, quia duo ſunt termini illius profectionis: Terminus loci, & alteratio.

THESIS VII.

Natura Motus ea eſt, vt niſi mouens & mobile ſimul ſint: & ſe inuicem aliquo modo tangant: Motus vllus fieri non poſſit.

QVum dico *mouens & mobile*: intelligo mouēs & mobile proximum. Et quum dico *ſimul ea eſſe*: non intelligo in eodem prorſus loco: ſed quòd inter illa, nullum ſit intermedium, quod motum impedire queat. In omni motu locali recto hoc manifeſtum eſt. Si enim ſit naturalis; natura principium eſt eius motus. Quid autem magis tangit corpus naturale, quàm natura? Si animalis ſit, anima itidem, corpus animalis, perfectiſſimè tangit; cùm ſit in eo forma. In violento motu, idem patet: ſi quis ſingulas eius ſpecies examinet: quæ ſunt, pulſio: quum quis mobile, aut ita impellit, vt illud non deſerat, donec ad finem perducat quò vult: Vt quum quis agitat equum: aut expellit, vt à ſe abiiciat, Neutrum ſine tactu mouentis fieri poteſt. Altera ſpecies eſt vectio, quum quis vel curru, vel equo, vel naui vehitur. Hic *vehens* & *vectum* ſeſe mutuò tangant neceſſe eſt. Tertia eſt tractio, quum mobile trahitur ad mouens. Sic Pater trahit nos ad ſeipſum: ideo pulſioni opponitur. Tractio localis eſt, vt quum nauim ad ſe in littus trahit nauta: neque hic motus fieri poteſt ſine tactu mouentis & moti. Quarta eſt, vertigo, motus ex pulſione & tractione compoſitus: vt quum quis aliquid mouet in gyrum & circulariter. Neque hunc motum fieri poſſe, ſine contactu mouentis & rei motæ, nimis apertum eſt. De motu ſimpliciter circulari, vti eſt cœlorū, idem apparet. Nam omiſſa Philoſophorum ſententia de intelligentiis alligatis ipſis cœlis, manifeſtum eſt, inferiores cœlos tangi & trahi à ſuperioribus: ſupremum verò; immediatè à Deo qui omnia implet. In motu alterationis, idem etiam probat Ariſtoteles: alterans, ſcilicet & alteratum ſeſe mutuò tangere, vt ignis lignum dum illud comburit: & ita de reliquis. Et ſenſus externi non mouentur ab obiectis externis, niſi per ſpecies ab obiectis in aërem abſtractas: & ab aëre in ſenſus perlatas: multò verò magis in guſtu & tactu id fit. Quæ enim guſtamus aut contrectamus, craſſiſſimè tangimus. De motu augmenti & decrementi, id probat hoc modo Ariſtot. Augmentum fit, prout aliquid adiicitur priori quanto. Atqui augens non poteſt adiicere aliquid, niſi tangat id, cui adiicitur. Idem fit in decremento per detractionem. Mouens igitur & motum proximum in omni motus genere ſe inuicem tangunt. Imò & remota ſe tangunt ſua ſaltem virtute. Cœlum enim vi ſua tangit inferiora, vt Sol ſua luce. Ita Deus in nobis non agit, niſi præſens per ſuum Spiritum: ita & Chriſtus. Habitat enim in cordibus noſtris. Neque à nobis recipitur eius caro in Cœna, niſi præſens: ſed vi ſui Spiritus, vt Sol ſuis radiis. Mouens igitur & Motum, ſemper & in omnibus, ſeſe aliquo modo tangunt.

IV. De Motuum generibus.

THESIS I.

Sex ſunt Motuum genera: Generatio, Corruptio, Incrementum, Decrementum, Alteratio, Loci mutatio.

ETſi enim generatio ipſa propriè non eſt Motus, ſed terminus Motus: neq; interitus Motus eſt, ſed finis Motus, vt ſcituſſimè declarant Philoſophi: quia tamen Motus denominatur, & denominari debet à termino, ad quem tendit, non autem à termino à quo recedit mobile, & terminus Motus ad generationem, eſt ipſa animalis generatio ſeu ortus; & ita etiam de interitu; idcirco meritò Motus ad generationem *generatio*, & Motus ad interitum, *interitus* nominatur. Vnde & vita impiorum peſſima, quia ad mortem tendit; *mors* potiùs appellatur in S. literis, quàm vita. Et de vidua improba ait Apoſtolus, *eam in delitiis mortuam eſſe, non autem viuere*: quia motus quiſque à termino ad quem denominari debet. Omnis autem res mota, aut ad ortum, aut ad interitum, aut ad incrementum, aut ad decrementum, aut aliquam qualitatis commutationem, aut denique à loco ad locum progreditur. Inde ſurgunt ſex motus genera.

THESIS II.

Tres verò duntaxat ſunt ſpecies motus per ſe: Prima, incrementum & decrementum: Secunda, alteratio: Tertia, localis motus.

GEneratio enim propriè motus non eſt: quia quod mouetur, actu eſt: quod generatur, nondum eſt actu, ſed potentia tantum. Deinde generatio fit in inſtanti, vt interitus: motus autem in Tempore. Ad quatuor autem prædicamentorum capita, omnia motuum genera referūtur: ad Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, Vbi, ſeu Locum. Ad ſubſtantiam enim pertinent ortus & interitus. Ad quantitatem, incrementum & decrementum. Ad qualitatem, alteratio; Ad vbi, localis motus. Hic, inter motus, ipſam generationem quoq; & interitum connumeramus: ſed impropriè accipiendo, ſcilicet generationem pro motu ad generationem.

THESIS III.

Omnis etiam motus aut naturalis eſt, aut violentus, aut animalis, aut voluntarius.

VT ſex illa motuum genera, à diuerſis finibus & terminis, ad quos tendunt omnes motus, petita ſunt: ſi hæc altera partitio à variis motus principiis, ſumitur. Naturalis itaque motus dicitur ille, qui natura impellente, fit in eo, in quo eſt natura, ſiue motus iſte ſit ad ortum, ſiue ad interitum, ſiue ad incrementum, ſiue ad decrementum: ſiue ad alterationem, ſiue ad locum. Violentus is eſſe dicitur: qui ab alio in aliud vi externa editur: vt motus ad interitum, per vim externam gladij, ignis & ſimilium: proiectio item lapidis ſurſum: & ſimiles alij multi. *Animalis* eſt, qui ab anima fit in animali: vt motus oculi, linguæ, totius denique corporis in animali: quatenus animal eſt. Dico *qua animal eſt*, quoniam ſi animal ex alto deorſum cadat, motus ille non eſt animalis: quia non eſt ab anima, ſed à grauitate naturali, quia corpus graue eſt. *Voluntarius eſt*, qui à libera proficiſcitur hominis voluntate. Poteſt autem idem motus, & animalis & violentus, & voluntarius eſſe, diuerſis reſpectibus. Vt ſi in ſublimem montem cum labore conſcendas, animalis eſt motus, quia anima eſt, quæ corpus eò mouet & trahit; violentus, quia naturalis non eſt corpori graui: ſed vi animæ eò violenter mouetur. Eſt item voluntarius, quia à libera tua proficiſcitur voluntate. Adde iam his ſecundam ſpeciem, motum ſcilicet ſupernaturalem. Is eſt qui à Deo ſua gratia per Spiritum ſanctum in nobis excitatur: vt omnes boni motus ſpirituales in animis noſtris.

THE-

THESIS IV.

Tres verò ſunt mutationis ſpecies. Prima à non ſubiecto in ſubiectum: ſeu à non eſſe ad eſſe. Secunda: a ſubiecto in non ſubiectum: ſeu ab eſſe ad non eſſe. Tertia, à ſubiecto ad ſubiectum: hoc eſt, ab eſſe, ad eſſe.

PRima eſt generatio: altera eſt corruptio: Tertia eſt motus augmenti & alterationis.

THESIS V.

Species verò localis motus ſimplicis, duæ ſunt: motus circularis & motus rectus: circularis eſt circa medium. Rectus autem ſurſum aut deorſum.

V. De contrarietatibus Motuum.

THESIS I.

Contrarietas in motibus non pendet neceſſariò à contrariis terminis, qui dicuntur termini à quibus: Vnde ſcilicet incipiunt motus: ſed à contrariis potiùs terminis, ad quos tendunt: & in quos deſinunt motus.

DVo enim contrarij motus, poſſunt ab eodem termino ſimul incipere. Vt igitur ſint contrarij: non requiritur, vt vnde incipiunt motus, termini ſint contrarij. Sunto enim in ſuprema aëris regione lapis & ignis: & ſimul lapis deſcendat, ignis autem aſcendat. Contrarij certè fuerint motus iſti, cùm vnus ſit ſurſum, alter deorſum. Contrarij tamen non fuerunt loci, vnde vtrumque cœpit moueri, ſed vnus & idem. Idem videre eſt in rebus ſpiritualibus. Contrarij ſunt motus electorum & reproborum: quoniam illi ſurſum tendunt, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: iſti verò deorſum, terrena ſapientes & tandem in barathrum cum diabolo deſcendentes. Vnde tamen vtrique ortum habent, & illorum vita incipit, idem eſt locus & terminus: Natura ſcilicet corrupta in ventre materno. Pendere autem contrarietatem motuum à contrarietate terminorum in quos deſinunt Motus, manifeſtum eſt. Quæ enim cauſſa eſt cur mortificatio & viuificatio, Motus ſint contrarij? quia nimirum vita & mors, in quos Motus illi tendunt, contrariæ ſunt. Dealbatio & denigratio contrarij Motus & operationes, quia nigredo & albedo contrariæ ſunt qualitates. Ergo vbicunque contrarij ſunt termini, in quos deſinit Motus, ibi contrarij ſunt motus & actiones.

THESIS II.

Mutationes illæ ſunt contrariæ, per quarum vnam acceditur ad terminum aliquem: & per quarum alteram, receditur ab eodem.

GEneratio enim ignis & corruptio eiuſdem, mutationes ſunt contrariæ, quia per generationem ignis itur ad eſſe ignis, & per eiuſdem extinctionem, receditur ab eſſe eiuſdem ignis. Nam ſicut generatio, eſt progreſſio, à non eſſe ad eſſe, ſic corruptio progreſſus eſt ab eſſe ad non eſſe. Itaque obedire peccato, & concupiſcentiis eius. & pugnare contra illud, contrariæ ſunt operationes, quia per vnam fouetur, per alteram euertitur peccatum.

THESIS III.

Motus opponitur quieti, priuatiuè in termino à quo.

MOtus enim opponitur quieti, ſicut Habitus Priuationi: Non opponitur autem quieti, quæ eſt in termino ad quem. Hanc enim Motus perficit. Opponitur ergo quieti duntaxat in termino à quo, priuatiuè. Exemplum in ſpiritualibus affero. Si moueatur Paulus à natura corrupta, in nouam creaturam; Motus hic *regeneratio* dicitur. Hæc autem regeneratio opponitur quieti in natura corrupta, ſed non in noua creatura. Noua enim creatura per regenerationem acquiſita, perficit regenerationis Motum.

THESIS IV.

Quies in termino a quo: & quies in termino ad quem, opponuntur.

TErminus enim a quo, & terminus ad quem, ſunt contrarij, quia Motus ſemper fit inter contrarios terminos. Quies ergo in termino à quo, & quies in termino ad quem, contrariæ ſint oportet. Exemplum. Regeneratio, Actio & Motus eſt, inter naturam corruptam, tanquam terminum à quo, & inter nouam creaturam, tanquam in terminum ad quem. Sicut ergo natura corrupta, & noua creatura contraria ſunt, ſic quies in natura corrupta, veterique homine, & quies in noua creatura, contrariæ ſint, neceſſe eſt.

THESIS V.

Non omnis Motus contrarius eſt omni quieti, nec contrà.

QVieti enim ſecundùm qualitatem, non opponitur Motus localis, imò ſtant ſimul. Poteſt enim iam calefactus deſiſtere à re magis calefaciendo; & tamen localiter moueri.

THESIS VI.

Quies violenta contraria eſt Motui naturali, & Motus violentus, quieti naturali.

VTrumq; per ſe eſt manifeſtum, in exemplo lapidis ſurſum detenti, aut proiecti.

THESIS VII.

Motus circularis non habet contrarium: Rectus verò habet.

QVi enim ſurſum eſt, contrarius eſt illi, qui deorſum fit.

THESIS VIII.

Motus circularis poteſt ſemper eſſe continuus ſua natura: Rectus non ita.

CAuſa enim cur Motus rectus non poſſit eſſe continuus, eſt, quia propriè inter duos terminos fit contrarios: à quo, & ad quem. Ideò quum peruenitur ad vnum illorum, redire inde non poteſt ſine quiete. Circularis verò propriè inter contrarios terminos non fit: ideò reflexione opus non habet, quæ ſine quiete fieri non poteſt.

THESIS IX.

Motus rectus naturalis & violentus opponuntur: quia præter alia, Motus naturalis velocior eſt in fine: violentus verò, in principio.

THESIS X.

Motui magis opponitur Motus, quàm quies.

QVies enim in termino, à quo, quæ opponitur motui, qui ab eodem eſt termino habet aliquam ſimilitudinem cum eo. Ratio eſt, quia quod mouetur, non ſtatim abiicit terminum à quo, ſed aliquantum dicitur adhuc quieſcere, ſeu eſſe in eo, antequam peruenerit ad terminum ad quem. Sed Motus nullam habet ſimilitudinem cum Motu ſuo contrario. Magis igitur opponitur Motus motui, quàm quieti. In rebus ſpiritualibus idem accidit. Qui recedit à peccato, in quo quieſcebat ad iuſtitiam: huius Motus ad iuſtitiam, aliquid adhuc ſimilitudinis habet cum quiete, qua quieſcebat in peccato. Adhuc enim aliquo modo in peccato eſt, ſeu hæret. At verò qui contrà à iuſtitia ad peccatum properat: huius Motus nullam habet ſimilitudinem, cum motu alterius: ſed ex diametro cum illo pugnat.

VI. De Finibus & Vſibus Motus.

THESIS I.

Motus ad quietem tanquam ad finem proprium ordinatus eſt, ſicut pugna ad pacem.

IDeò enim vnumquodque naturaliter mouetur, à termino à quo, ad terminum ad quem, vt in hoc adepto conquieſcat.

THESIS II.

Quies autem ad quam ordinatur motus: aut eſt in acquiſita ſubſtantia, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in loco.

IN ſubſtantia: vt motus ad generationem. Ideò enim inſtituta eſt generatio, vt quod erat tantùm potentia, fiat actu per formam ſubſtantialem, & in ea conquieſcat. In quantitate; vt motus incrementi. In qualitate; vt motus alterationis. In loco; vt motus ad vbi. Ideò enim ordinati & inſtituti ſunt motus à Deo: vt corpora augeri, nouam qualitatem adipiſci: & nouum locum naneiſci poſſint. Atque vbi ad debitum incrementum, qualitatem, locum, peruenerint, in eo conquieſcant. Ad veram igitur generationem, incrementum, nouarum qualitatum adeptionem, & locorum mutationem, eóque ad commodum noſtrum, totiúſque mundi conſeruationem, vitam, gubernationem, ornatum: omnes iſti motus per ſe ordinati ſunt, & ex conſequenti ad gloriam Dei.

THESIS III.

Ordinatus eſt etiam motus ad cognitionem Dei, primi motoris, eiúſque immobilis.

CVm enim omne quod mouetur, ab altero moueatur; omnia autem creata, moueri cernamus: neceſſariò concludimus eſſe aliquod primum, increatum, æternum, immutabile, à quo omnia moueantur: ipſum manens immobile. Hic verò eſt Deus. Finem hunc docet Apoſtolus ad Rom. 1. Hæc ſunt quæ de Motu, notatu digna eſſe iudicaui. Ac proinde volui breuiter ea ex Ariſtotele collecta in medium adferre, vt quanta ſit Dei potentia, ſapientia, bonitas, ex ipſo etiam Motu, quem in rebus eſſe voluit, luculenter appareret. Reliqua quæ ſcribit de comparatione Motuum inter ſe lib. 7. iis facilè carere ſine magno damno poſſumus. Quæ verò de æternitate Motus in 8. diſputat, tanquam impia omnino nobis omittenda fuerunt. Nouimus enim ex Moſe, Motum, ſicut & Tempus, habuiſſe principium in ipſa mundi creatione.

CAPVT VII.

De Tempore.

PRAETER alia contemplatione digniſſima, quę in operibus Dei non ſolùm conſpicio, ſed etiam ſuſpicio, eſt Tempus. Quo omnia omnéſque motus interni, & externi, omnes denique actiones & cogitationes, menſurantur, & ſine quo nihil fieri aut potuit, aut poteſt. Cuius ſicut exacta cognitio perdifficilis eſt; ita etiam mediocris, eſt ad res multas & magnas vtiliſſima. Quandoquidem igitur dictum eſt de motu: motus autem, ſubiectum eſt, vt Peripatetici docent, Temporis; atque, vt Ariſtoteles loquitur, ἅμα κινήσεως αἰσθανόμεθα καὶ χρόνου: Motus ſimul & Temporis ſenſum habemus; idcircò poſt locum de motu, neceſſariò mihi dicendum eſſe videtur de Tempore. Illa enim de motu tractatio, ſubſternit viam huic de Tempore. Bifariam autem de Tempore loqui poſſumus. Primum quidem in genere, quatenus Tempus ſpatium quoddam eſt durationis rerum conditarum, menſuráque certa ipſi motui cum primis inſita, qua ipſe & ſingulæ eius particulæ, etiamſi reipſa à nullo intellectu menſurarentur, menſurabiles tamen ſunt per ſe. Videmus enim apud Moſen, nondum creato homine, qui motum menſuraret: fuiſſe tamen Tempus ab initio mane & veſperam, diémque ex vtroque conſtantem. De Tempore igitur loqui hoc primo modo poſſumus, prout eſt quoddam durationis cuiuſlibet rei conditæ ſpatium, quædámque naturalis, omni etiam excluſo menſurante, menſura, à natura, rebus motuique inſita: vt accidens ſuo ſubiecto; qua menſurabilis eſt, & motus ipſe, & res omnes conditæ. Alter modus eſt, quo conſideratur Tempus, quatenus creatis iam hominibus reipſa obſeruatum fuit, & diſtinctum in momenta, in horas, in dies, in hebdomadas, in menſes & annos, quibus in rebus nonnulla etiam varietas, apud varias gentes ſpectata, & ſpectatur adhuc. De hoc altero modo, vt poſterior eſt, ſic etiam poſteriori loco dicemus, nempe vbi peruenerimus ad diem, vbi Moſes ait, *creatum fuiſſe Solem, Lunam & Stellas: vt eſſent, in ſigna & tempora, dies & annos.* De Tempore nunc dicendum iuxta priorem modum, conſiderato: Multa verò de Tempore diſputarunt Philoſophi, & quàm plurima Auguſtinus. Sed reiectis tum difficilioribus quæſtionibus ac ſubtilitatibus, tum iis quæ cum ſacris ſcripturis pugnant, rem ipſam, vt confido, planam faciam. Quatuor autem mihi dicenda ſunt.

Primo. Quid ſit tempus?

Secundò, Vbinam ſit? An extra animam in motu ipſo? An in Anima? An in vtroque ſimul?

Tertiò, Quæ temporis partes ſint?

Quartò, Quænam Tempori ſint obnoxia, illóque menſurentur.

I. *Quid Tempus?*

Quò verò meliùs, quid Tempus ſit intelligamus, videndum quid non ſit: refutatis quorundam Philoſophorum opinionibus de eſſentia Temporis. Id faciam certis Theſibus.

THESIS I.

Tempus non eſt æternitas, hac ſola ratione (vt falsò docent Platonici nonnulli) ab ipſa diſcrepans, quod æternitas in quiete: Tempus verò in Motu poſitum ſit.

AEternitas enim duratio eſt, neque initium habens, neque ſucceſſionem, neque finem, ſed æterna ſtabiliſque manens. Tempus autem initium habuit, & ſine ſucceſſione Tempus non eſt, eſſe ve poteſt. Prętereà ſi hac tantùm re differat Tempus ab æternitate, quod hoc in motu cœli ſit, illa verò in ſempiterna quiete: Ergo ſi cœlum non moueretur, nulluſque daretur motus: Æternitas à Tempore nil differret, eademque eſſet omnium, Dei nimirum & rerum à Deo conditarum duratio.

THESIS II.

Tempus propriè non eſt ipſe Motus.

PRobat hoc Ariſtoteles in Phyſicis, multis rationibus. Motus enim per ſe & propriè dicitur, & eſt vel tardus vel velox; Tempus autem impropriè, & non niſi motus reſpectu, tale eſſe dicitur. Eſt etiam Tempus, vt à Peripateticis definitur, menſura, numerúſque motus. Multum autem differt menſura, à re cuius menſura eſt. Non igitur Tempus eſt motus.

THESIS III.

Neque ſimpliciter eſt ἀριθμὸς τῆς κινήσεως, vt definiuit Ariſtoteles, κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον.

MOſes enim Tempus fuiſſe docet, ante creatos cœlos, quos vnà cum ſphæra ignis & aëre expanſis, nomine *Rachiab,* ſeu *firmamenti* intellexit; nam hi creati ſunt ſecũda die. Antè igitur fuit primus dies, vt Moſes ait, eóque tempus. Ariſtoteles autem quum dixit *tempus eſſe menſuram Motus:* Motum primi Cœli intellexit, de omnium interpretum ſententia. Quòd ſi excipias, licèt extenſio cœlorum facta fuerit ſecunda die: primo tamen fuit creata lux, quæ ſuo motu effecit veſperam & mane, & ex illis diem: reſponſio facilis eſt. Conſtat, materiam primam, terrám ſcilicet, creatam fuiſſe in tempore, aut ſaltem cum tempore. Nullus tum adhuc erat motus lucis, quæ nondum erat condita, neque lux confecit totum illum diem primum, ſuo curſu. Dies enim primus, initium accepit à creatione materiæ primæ. Alioqui ipſa non foret opus illius diei, neque illo tempore fuiſſet facta. Lux autem poſt materiam primam, creata fuit. Fuit igitur Tempus ante motum vel cœli, vel lucis primæ, quæ ex nubecula fuit in corpus ſolare poſtmodum conuerſa. Adhæc, licèt Tempus iam non ſit ſine motu, & vt verè dicit Ariſtoteles, neque motum ſine tempore, neque tempus ſine motu percipere poſſimus, tamen tempus potuit eſſe ſine motu. Vt enim æterna ſuam habent durationem, ſine motu continuam, & ſempiternam, qua modo ſuo menſurentur à Deo ipſo, ſic etiam ſuam potuerunt habere temporaria, finitam, qua ſine motu itidem menſurarentur. Horum autem duratio propriè tẽpus eſt. Tempus igitur menſura eſſe potuit ſine motu. Sed additus illi porrò eſt motus vt per hunc, Tempus, hoc eſt, rerum duratio, meliùs diſtingueretur. Per motum enim clariùs, quàm per quietem ſine motu, cognoſcimus, & diſtinguimus Tempus. Addam ex Plotino in libro de Æternitate & Tempore hanc etiam rationem. Si tempus eſt menſura motus; aut iſta menſura motus diuerſa eſt & disiuncta à motu; aut coniuncta. Si disiuncta, ergo motus ſine menſura eſt, & menſura ſine motu. Si coniuncta, ergo tam motus menſura erit temporis, quàm

tempus

tempus ipſius motus. Non eſt igitur propria Temporis definitio, illud eſſe menſuram motus Sed ad extremum addamus nos rationem, cur Ariſtoteles Tempus ſic definierit, ea eſt, quia ſenſit motum eſſe æternum, mundúmque & quæ in eo ſunt, ſine motu eſſe non potuiſſe Vtrumque verò falſum eſt, Quare Ariſtotelis definitionem, vt ſimpliciter non damnamus, ſic neque ſimpliciter probare poſſumus. Ac potiùs declarauit, vt Plotinus ait, cuiuſnam rei proprium ſit Tempus: nempe ipſius motus; quam quid ſit. Potuit enim eſſe tempus ſine motu, ſed nequaquam motus ſine tempore. Et ad diſtinguendam cuiuſque rei durationem, à duratione alterius: vtimur motu cœli. Dicimus enim diutiùs vixiſſe & duraſſe ſuper terram Mathuſalah ipſo Abrahamo: quia plures annos vixit. Anni autem conficiuntur, & menſes, & dies, & horæ, ex motibus cœlorum: vt ſuo explicabitur loco. Sed ad diſtinguendum motum à motu, non vtimur ſimpliciter tempore: ſed diuerſis mobilibus, diuerſiſque finibus. Sic igitur deſcribi poſſe cenſemus tempus . quantum Chriſtianæ vitæ ſatis eſt.

THESIS IV.

Tempus eſt ſpatium, ortum habens: reipſa per ſe continuum, ratione autem, per prius & poſterius, tanquam per ſuas partes, diuiſibile, quo vnaquæque res, ipſiúſque motus, per ſe menſurabilis eſt: ad motum autem cœli, reipſa à nobis, animo menſuratur.

QVum *ſpatium* voco intelligo durationis; non autem locale ſpatium. Sic enim ſoliti ſumus loqui; *ſpatio vnius horæ legitur: ſpatio vnius anni vixit*, hoc eſt, perdurauit in vita. Spatium igitur eſt duratio. 2. Dixi *ortum habens*. Hoc addidi aduerſus eos, qui tempus contendunt æternum. 3. Reipſa per ſe continuum. Continuum enim id eſſe definitur, quod ſuas partes habet reipſa coniunctas. Tale autem eſt ſpatium durationis cuiuſque rei. Si enim non ſit continuum: non fuerit ſpatium vnum, ſed multa ſpatia. Verùm ſicut ſpatium locale, eſt quoddam continuum, ſic etiam ſpatium durationis. Et vt motus eſt actus continuus rei mobilis, quo indeſinenter à termino à quo , ad terminum ad quem mouetur. Sic tempus eſt quoddam continuum cuiuſque rei ſpatium, quo in ſuo vel Eſſe ſimpliciter, vel tali Eſſe perdurat. Quarto dico diuiſibile eſſe, hoc eſt, diuidi poſſe ratione; per prius & poſterius , tanquam per ſuas partes. Sic enim in motu, licèt ſit quoddam continuum, prius tamen & poſterius reperiuntur, per quæ, tanquam per partes eius, ratione & mente diuiditur, vel potiùs diſtinguitur. Sic etiam idem videre eſt in omni ſpatio , tam durationis quàm locali. Omne enim ſpatium eſt ſicut linea. Etſi autem linea eſt continuum quiddam , prior tamen & poſterior pars in ea, per punctum in medio aſſignatum , reperiuntur & per illum inter ſe diſtinguuntur. Ergo ſicut linea licèt à nemine menſuraretur: tamen propter has ſuas partes, per ſe menſurabilis eſſet: Sic etiam ſpatium durationis cuiuſque rei , per ſe menſurabile eſt, propter has partes. Cape exemplum ab Horologio. Etiamſi nemo obſeruaret, metireturve curſum Solis, quem intra ſpatium vnius horæ conficit: menſuratur tamen in horologio per partes priores & poſteriores continuè fluentes. Ergo etiamſi nullum eſſet horologium: ſpatium tamen illud menſurabile foret ſua natura, per partes priores & poſteriores, quas habet. Ita apparet, ſi ſpatium durationis cuiuſque rei, per ſuas partes diuidi & diſtingui ratione poteſt: hoc etiam ſpatio vnamquamque rem & motum menſurari poſſe. 5. Poſtremò adieci: *Hoc durationis ſpatio vnam quamuis rem ad motum cœli reipſa à nobis menſurari*. Motum enim cœli obſeruamus: & hoc, reliqua omnia, eorúmque motus & durationes, ætatéſque metimur. Decurſum enim vnum ſupremi cœli, dicimus, idque iuxta ſacras Literas, ſpatium eſſe vnius diei. Decurſum Lunæ, ſpatium vocant vnius menſis. Decurſum Solis, ſpatium vnius anni, ad quas tres, reliquæ etiam referuntur durationes omnes. His itaque cœleſtis curſus partibus reliquarum rerum omnium, earúmque motuum ſpatia metimur. Vt dicimus aliquem vixiſſe, aut cucurriſſe, aut aliquid aliud egiſſe, vno die, vno menſe, vno anno vel pluribus. Ita apparet, motum, nempe cœleſtem, menſuram potiùs eſſe omnium temporum: hoc eſt, illud eſſe quo omnium temporum & durationum ſpatia metimur: quàm vt ſit tempus ſimpliciter menſura illius Motus. Aliquid enim ampliùs ſignificat illud Tempus: quàm menſuram cœleſtis Motus: vt ſuprà oſtenſum eſt ex ipſo Moſe. Primus enim dies incepit antequā lux crearetur: quæ ſuo decurſu confecit abſoluitq; diem vnum.

Cæterùm, vt iam ſe res habent ex diuina ordinatione, præſertim verò ſi Motus eſſet æternus; vera eſſet temporis definitio ab Ariſtotele allata; modò bene etiam intelligatur, Eſſe nimirum menſuratam, hoc eſt, motum mēſuratum, ſecundùm prius & poſterius; quo deinde alij motus menſurantur. Motum enim cœleſtem, quem æternum eſſe putabat, tanquam per firmam immutabilémque menſuram, alios omnes motus à nobis menſurari certum eſt. Sit itaque Tempus continua cuiuſque rei duratio , quam Motu cœli , καθ' ὕστερον καὶ πρότερον menſuramus. Sic ſentio perſpicuè intelligi poſſe, quid ſit propriè Tempus. Summa; ſpatium durationis, cuique rei, actionique à Deo conſtitutum: Tempus illius rei eſſe dicitur. Menſuratur autem re ipſa cuiuſque rei, Motu actioniſque duratio, Motu cœleſti, per prius & poſterius, vt dictum eſt; ab aliqua mēte obſeruato atq; diſtincto.

II. Hinc manifeſtum eſt, *vbinam ſit Tempus*.

THESIS V.

Tempus fundamentum, quo nititur, habet, cùm in rebus omnibus earúmque motibus, tum maximè in Cœlo, & eius Motu. Complementum verò in animo, qui illud metitur & numerat.

OStenſum eſt enim Tempus eſſe realem cuiuſq; rei durationem, ſeu ſpatium durationis, quo fit, vt etiāſi nullus adſit ſpiritus, qui numeret, hoc eſt, menſuret, menſurabile tamen ſit per ſucceſſiuas partes. At verò actu menſurari, menſurarive non poteſt, niſi à ſpiritu, & anima. Anima enim ea eſt; quæ ſicut in Motu , ſic in tempore apprehendit partem priorem & poſteriorem. Sic ſentiunt Philoſophi de omni ente ſucceſſiuo, Motu & Tempore, quod minimè pugnat cum ſacris Literis.

THESIS VI.

III. Tempus etſi quoddam eſt continuum: partes tamen habet, ratione diſcretas: præteritam & futuram: quarum terminus vtramque diſtinguens eſt inſtans ſeu præſens: τὸ νῦν: & ideo de omni Tempore ſemper reſpondetur, aut de præterito, aut præſenti, aut de futuro.

PRæſens eſt τὸ νῦν: quòd mente collocatum in Tempore illud ſecat in præteritum, ac futurum; ſicut punctum in linea. Ideò τὸ νῦν, propriè non eſt pars Temporis, ſed terminus, cuius relatione intelligitur , quid ſit prius quidve poſterius. Hinc itidem perſpicuum fit

IV. Quænam Tempori ſint obnoxia.

Quidam entia diſtinguunt in tria genera: In Deum: in entia creata. ſed ſpiritualia atque intelligibilia vt Angeli ſunt: Et in corporata ex Materia & Forma compoſita. Deo tribuunt æternitatem & quidem meritò; corporatis, Tempus: Angelis, medium quiddam, quod *æuum* vocant. Sed re vera cuiuſque rei duratio, aut æternitas eſt , aut Tempus. Tempus enim vt diximus, eſt cuiq; rei creatæ duratio: initium habens & ſucceſſionem. Proinde cùm etiam Angeli creati fuerint: & ſucceſſu etiam alicuius Temporis, licèt nobis incogniti, quidam defecerint à veritate, à Chriſtiana pietate non aberrat qui eos, quod ad ipſorum ſubſtantiam & eſſe attinet, Tempore menſurari poſſe dicit. Poſſumus enim affirmare, eos tot annos iam fuiſſe, & in ſuo ſtatu continuaſſe, quot etiam totus hic Mundus. Ante Mundum enim demonſtrauimus non fuiſſe creatos: Sed intra ſex illos dies, de quibus ait Moſes, ceſſaſſe Dominum ſeptima die ab omni opere, quod pararat.

Cæterùm quatenus tempus ferè ſumitur pro mēſura motus cœli, cui motui obnoxia non ſunt, niſi corporata, & paſſioni, mutationiq; obnoxia: Eatenus etiam non ſolent huic tempori ſubiici Angeli: quod ad ipſorum actiones, motus, & operationes attinet. Non enim Phyſicè vt corpora naturalia, mouentur, operanturve: idcircò Petrus ait; *apud Dominum in cœlis mille annos eſſe ſicut diem vnum*. Hæ enim temporis differentiæ, quas hîc ſpectamus, quatenus tempus diuiditur, in dies, horas, menſes: in Cœlo Beatorum, non ſunt. Tempori igitur propriè non ſunt obnoxia , niſi quæ infra Cœlum illud ſunt.

CAPVT VIII.

De loco & vacuo.

AD motum, duo ſpatia perneceſſaria ſunt: ſpatium durationis, quod eſt tempus, Omne enim quod mo-

uetur, in tempore mouetur. Et ſpatium locale: Omne enim quod mouetur, in aliquo loco moueatur, neceſſe eſt. Quandoquidem igitur diximus de tempore, quantum iudicauimus, piis omnibus, præſertim Theologiæ ſtudioſis ſatis eſſe debere. Reſtat, vt iam dicamus de loco. Dicendum autem eſt *primò*. Quid ſit locus. Nam eſſe locum, manifeſtum eſt, tum experientia: tum quia omne corpus, in aliquo contineatur loco neceſſarium eſt. *Deinde*, quotuplex ſit Locus. *Poſtremò*. De varia ratione qua res dicuntur eſſe in loco.

Quæſtionem, quam de infinito præmittit Ariſtoteles tractatur de loco, non hic omittimus: quod nihil ſit nobis certius, quàm quicquid à Deo creatum eſt, finitum eſſe. Eſſentia, magnitudine, virtute. Numerum quoque rerum creatarum, finitum eſſe liquet. *Omnia in numero, pondere, & menſura feciſti Domine*: ait Sap. Solum verò Deum infinitum & immenſum eſſe, non magnitudine corporis, incorporeus cùm ſit: ſed eſſentia, potentia, ſapientia, attributiſque omnibus eſſentialibus, vt veriùs dici poſſit, Deum eſſe ipſam eſſentiæ infinitatem, quàm infinitum: certò certiùs eſt. *Omnia enim implet ſua eſſentia, atque ita implet, vt Cœli capere illum non poſſint*, ſicut loquitur ſcriptura. Rationibus quoque tale infinitum dari, demonſtrauit Ariſtoteles. Si enim omnia quę in mundo ſunt, adeóque & mundus ipſe, finita ſunt: ad aliquod tandem infinitum, à quo cuncta contineantur, neceſſe eſt, vt perueniatur. Neque enim ab alia re finita, contineri poſſunt: quoniam ipſam quoque ab alia ſe maiore contineri oporteret. Sicque aut in infinitum abeundum eſſet: aut tandem veniendum ad aliquam rem infinitam, quæ reliqua omnia continens, ipſa à nemine contineatur. Hic itaque eſt Deus noſter: Solus immenſus & infinitus. Nam extra ipſum nihil poteſt eſſe, aut actu, aut etiam poteſtate infinitum: cùm omnia ſint compoſita, ex actu ſaltem, & potentia: Quod autem eſt compoſitum, infinitum eſſe nequit, quin & partes, ex quibus conſtat, infinitæ ſint, quod prorſus ἀδύνατον eſt. Plura enim eſſent infinita: non vnum: quo quid ſtultius? Maneat igitur firmum, omne creatum eſſe finitum: alioqui non daretur locus à quo contineatur. Datur autem locus. Nunc ergo redeamus ad locum: De primo:

I. Quid ſit Locus.

THESIS I.

Tres ſunt loci definitiones: quarum duæ falſæ: tertia vera eſt.

PLato in Timæo locum definiuit eſſe materiam ipſam primam: propterea quòd capax ſit omnium formarum, omneſque in ſe recipiat. Improbat hanc definitionem Ariſtoteles multis rationibus; & meritò: ſi propriè loquutus ſit Plato. Sed figuratè eum eſſe loquutum, manifeſtum eſt. Similitudine enim materiam dixit eſſe locum: quòd ſicut locus eſt, qui continet corpora omnia: ſic Materia continet Formas omnes: quemadmodum etiam Plutarchus de placitis Philoſophorum teſtatur, & Simplicius demonſtrat. Philoſophi porrò ante Platonem, locum definierunt eſſe ſpatium, vacuum ab omni corpore: vt in eo corpora capi poſſint. Quam ſententiam poſtmodum ſecuti ſunt & alij: ipſe etiam Lucretius Poëta dicens, *namque eſt in rebus inane*. Hanc quoque multis improbat Ariſtoteles; ac demonſtrat minimè dari locum, ſeu ſpatium vacuum, iis potiſſimùm rationibus. 1. Quia ſi daretur locus vacuus; atque ita ſpatium hoc in quo mouemur, eſſet inane quoddam, tolleretur motus localis, tam naturalis quàm violentus. Ibi enim non eſſet vel ſurſum, vel deorſum, nullúmque interuallum; quod tamen neceſſariò requirit Motus. Vacuum enim ſeu inane, nihil eſt, ſeu non ens. In non ente autem, nulla eſt differentia; Nulla igitur loci differentia in vacuo: Item ſi fieret ibi Motus, fieret in inſtanti. Nihil enim Motum retardaret. Omnis autem Motus in tempore, & per ſucceſſionem fiat, oportet. Experientia quoque demonſtrat, vacuum non eſſe in natura. Cur enim è dolio, vini pleno, vinum non effluit: niſi deſuper aperiatur; quo aër in locum vini defluentis ſuccedat? alia cauſſa non eſt: niſi quia Natura ferre non poteſt vacuum. Idem multis aliis experientiis demonſtrari poteſt. Nullus igitur in Natura vacuus locus. Ariſtoteles igitur ſic in ſumma definiuit locum: *Locus eſt ſuperficies vltima corporis continentis, quæ immediatè tangit locatum*. Vti eſt ſuperficies concaua alicuius vaſis, puta poculi: vinum aut aquam continentis. Eſt enim primùm, ſuperficies vltima corporis continentis, nempe poculi. Deinde continet immediatè, & tangit aquam vel vinum, quod in poculo continetur. Nihil enim medium intercedit inter ſuperficiem vltimam poculi concauam, & inter vinum. Res eſt perſpicua. Cùm enim omnia corpora in aliquo loco contineri oporteat: Locus verò à re locata differat; plenus autem corporibus ſit aër, ita vt vbi vnum eſt, alia ſolidiora ibi non ſint corpora, efficitur, locum eſſe illam extremam aëris partem, quæ corpus locatum complectitur, & ambit; & quaſi in ſuum recipit ſinum; ſeſe inſtar matris, ad figuram corporis locati, accommodás: ad rotunda corpora, ſeſe etiam rotundam reddens, ad quadrata, quadratam. Totam enim ſuperficiem locati ambit perfectiſſimè.

Etſi verò ſuperficies illa vltima aëris ita ambiat locatum; cum eo tamen non mouetur: ſed corpore moto, noua ſemper ſuccedit ſuperficies. Proinde quo meliùs loci natura intelligatur: notandæ quædam loci proprietates quas Ariſto. indicat. 1. Locus continet ea, quæ in ſe ſunt: ipſe autem ab eis non continetur. 2. Locus eiuſdem ſemper eſt Formæ, cuius & res locata: vt iam explicatum eſt: ac proinde illi æqualis. 3. Locus nihil eſt eorum, quæ continet, ſed ſemper ab eis differt: vt moto corpore, noua ſemper ſuccedit aëris ſuperficies, eóque nouus locus. Sic ſuperficiei ac loco deſerto, nouum ſemper ſuccedit locatum: ne detur vacuum. Aëre enim illud ſpatium ſtatim impleri, vnde recedit corpus locatum, patet. Qua in re magnam videmus Dei ſapientiam & bonitatem. qui voluit, & aquam, & aërem, & ſphæram ignis, & omnes cœlos tantiſper nobis cedere: donec tranſeamus per illa noſtris corporibus: mox verò ad ſe redire: ne quidpiam inane videatur Deus in mundo reliquiſſe. Tanta etiam eſt loci naturalis vtilitas, ſuauitas, vt omnes res in ſuo cupiant eſſe loco, aut ſi abſint per vim, eò redire conentur. Hæc de loci eſſentia atque natura: qui ſubſtantia non eſt, ſed accidens: Extrema ſcilicet ſuperficies corporis locantis, ſuperficiem corporis locati immediatè tangens atq; complectens.

II. Quotuplex Locus.

THESIS I.

Biſariam diſtingui ſolet Locus, in communem omnium, & in proprium cuiuſque.

COmmunis omnium, puta volatilium, quadrupedum, & arborum, eſt aër: piſcium, aqua. Proprius verò cuiuſque, eſt illa concaua & vltima Aëris, vel Aquæ, vel alterius rei, ſuperficies: quæ extremam corporis Locati ſuperficiem conuexam immediatè tangit, atque continet, vt ſupra dictum eſt. Sic autem definiri ſolent. *Communis locus, cuius aliquæ ſunt partes, quibus nulla pars corporis Locati reſpondet.* Contrà: Proprius eſt, cuius cuilibet parti aliqua ipſius Locati pars reſpondet: ita vt totum & ſolum Locatum, a tota ſuperficie contineatur.

THESIS II.

Deinde diuiditur Locus in naturalem & violentum.

NAturalis eſt, ad quem res ſingulæ ſponte properant & in eo etiam, vltrò ſe continent: vt eſt terra grauibus corporibus: Aër autem leuibus. Violentus eſt, quo corpora vi illata: inuita etiam & contra ſuam naturam detinentur: vt eſt lapidi Aër, igni verò Terra.

THESIS III.

Differentia verò cuiuſque Loci, eſt ſupra, & infra.

QVI verò fit, quòd ſingula extra naturalem Locum, in Loco violento poſita: naturali teneantur deſiderio inde recedendi, & in ſuum quidque naturalem locum contendendi, ibique permanendi? Reſpondent Philoſophi, id fieri propter ipſorum commodum, atque vtilitatem: quòd vnaquæque res meliùs ſeruetur in loco naturali, quàm in violento: vt piſces in aqua, quàm extra aquam. Vnde etiam quiſque hominum naturaliter libentiùs in ſua degit patria, tanquam in Loco naturali: quàm extra patriam: quòd neſcio quo modo, commodiùs ibi habeat, quàm alibi. Nam quòd quis libentiùs extra patriam ſit: id eſt ex accidenti. Cæterùm ego aliam ex ſcripturis colligo rationem. Ea eſt, *Dei ordinatio*. Quia enim vnicuique rei ſuum deſtinauit Locum, qui etiam hanc ob cauſſam dicitur naturalis ei eſſe: quia ſcilicet à Natura prima, quæ eſt Deus, illi deſtinatus eſt: Deus autem vult, vt omnia ſuum ſeruent ordinem, quem in mundo ſtatuit, quum crearetur: idcircò fit, vt vnumquodque corpus naturale, naturalem etiam Locum naturaliter appetat, & oderit violentum. Huc illud ex

Pſalm.

Pſalm.105. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neque redibunt ad operiendum terram.* In hunc finem & vſum Deus naturam ſecundam ſingulis indidit rebus: quæ eſt principium Motus & quietis in eo, in quo eſt. Hac immediatè fit, vt res quæque, ſponte ad ſuum naturalem contendat Locum, & ibi etiam naturaliter quieſcat. Sed hæc ſecunda Natura, à prima eſt. A prima verò, hoc eſt illa ordinata: vt primus à creatione conſtitutus ordo, inter creaturas ſeruetur. De ſecundo, hoc eſt, de differentia Locorum, ſatis.

III. Quot modis dicatur aliquid eſſe in Loco.

THESIS I.

Res creatæ dicuntur eſſe in Loco, aut circumſcriptiuè, aut definitiuè.

CIrcumſcriptiuè illa dicuntur eſſe in Loco: quæ à continente Loco, ita continentur, vt ſingulæ locati partes, à ſingulis continentis Loci partibus, occupentur. Sicut Cœlum inferius, à ſuperiori, omni ex parte continetur & occupatur. Atque hoc modo Ariſtoteles propriè definiit Locum: naturalem ſcilicet. Sic, ſi corpus Chriſti eſſet vbique, oporteret circumſcribi ab vltima ſuperficie totius Aëris: Deinde omnium Cœlorum & Aquæ. Et cùm duo corpora non poſſint ab vna & eadem ſuperficie circumſcribi: ſequeretur, nulla eſſe corpora in hoc Aëre, Aquiſque & Cœlis præter corpus Chriſti. Quo quid abſurdius? Eſt enim corpus verè Phyſicum: & Aëris ſuperficies, locus verè Phyſicus. Definitiuè autem ea dicuntur eſſe in Loco, quæ ſine ſpatij occupatione, in eo ita ſunt ſua eſſentia, vt extra illum Locum non ſint: ex operatione verò, ibi eſſe cognoſcantur. Sic anima eſt in corpore definitiuè. Neque enim circumſcribi propriè poteſt: cùm non ſit corporea. Sic ſcientia & virtus eſt in anima. Sic Angeli in locis, ad quæ mittuntur, de illorum ſententia, qui ſentiunt eos naturaliter nullis præditos eſſe corporibus.

His duobus modis creaturæ dicuntur eſſe in Loco. Primo modo omnia corporata in hoc mundo. altero modo, omnia incorporea. Cæterùm Deus nullibi eſt, vel circumſcriptiuè, vel etiam definitiuè: ſed modo ſuo Diuino, qui omnem excedit captum, vbique eſt.

THESIS II.

Rurſus bifariam aliquid dicitur eſſe in Loco: vel per ſe, vel ex accidente, & per aliud.

PEr ſe, eſt corpus Locatum contineri à locante, ipſum circumdante; ſecundùm ſe totum. Sic omnes Cœli, præter vltimum, ſunt in Loco per ſe, & ita omnia Elementa & Elementata. Per accidens autem eſt, rem eſſe in Loco non ratione ſui, ſed alterius, cui eſt adiuncta. Sic accidentia ſunt in Loco per accidens: quia ſunt cum ſuis ſubiectis coniuncta. Sic partes totius, dum cum toto coniunctæ manent, dicuntur eſſe in Loco per accidens: quia totum eſt in Loco per ſe. Hinc verò apparet, vltimam ſphæram non eſſe in loco per ſe. Non enim pars ipſius conuexa continetur à ſuperficie concaua ſuperioris Cœli: quod nullum eſt. Eſt igitur in Loco tantùm per accidens: quia ſcilicet per ſuas partes in Loco eſt. Hic autem in Loco per ſuas ipſius partes, liquet: Quoniam mouetur etiam, & locum mutat ſecundùm ſuas partes, quæ circulariter mouentur: non ſecundùm ſe totum. Itaque corpus in loco eſſe oportet. Ac de loco Phyſicò ſatis.

De loco non Phyſico.

CÆterùm alio etiam ſenſu accipitur Locus: quum dè Loco non Phyſico prædicatur. Omne ſcilicet ſpatium cuiuſcunque ſit rationis, in quo corpus aliquod contineri poſſit. *Locus* appellari ſolet in ſacris Literis. Sic Cœlum Beatorum, Locus eſt verus: quamuis non huius rationis: quia vera continet corpora: vt iam corpus Chriſti: & noſtra, vbi ſurrexerimus à mortuis. Et ſic Chriſtus dixit: *In domo Patris ſui, multas eſſe manſiones: & ſe præceſſiſſe vt pararet nobis locum.* Quid enim quod ibi non ſit aër, Locum illum implêt? Quaſi verò Deus vnam tantùm habuerit rationem conſtituendi Locum. Sicut hîc circundamur ab Aëre, modò lucido, modò tenebricoſo; ſic ibi à luce cœleſti incomprehenſibiliter nos complectente. Certum eſt ibi eſſe corpus Chriſti Phyſicum. Locus igitur eſt, quia omne verum corpus, in Loco ſit neceſſe eſt. *Tolle Loca corporibus, & nuſquam erunt. Et quia nuſquam erunt, non erunt*, inquit Auguſtinus.

HIERONYMI ZANCHII DE OPERIBVS DEI PARTIS SECVNDÆ, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Summa eorum quæ tradit Moſes verſibus 6.7.8.9.10. *cum eorundem explicatione.*

MOSES, poſteaquam totius Hiſtoriæ de Mundi creatione propoſitionem præmiſiſſet, dicens: *In principio creauit Deus Cœlum & terram*: & eam cœpiſſet explicare per partes: docuit, primo die creatam fuiſſe inprimis materiam primam: quæ tamen ſine vlla prorſus forma nō ſubſtitit. & ſubſiſtere nunquam poteſt. Formam enim habuit terræ Aquoſæ, ſeu Aquæ lutoſæ. Informis tamen fuit reſpectu formarum, quibus carebat & ornanda erat. Ideò terram תהו & בהו vocauit. Primum verò corpus quod ex materia illa eduxit Deus: *fuit lux*: hoc eſt, corpus quoddam, ſiue fuerit nubecula, ſiue aliud corpus lucidum, quod ſua luce omnia illuſtraret ac viuificaret, ſuóq; circulari motu diem efficeret, ac noctem. Atq; ita ſpatium locale, inchoati illius imperfectiq; Mundi percurrendo: ſpatium etiam durationis eiuſdem metiretur. Hoc autem eſt Tempus. Ita & principia rerum indicauit, efficientem Deum, Materiam primam, Priuationem. (Erat enim materia informis, & tenebræ ſuper faciem abyſſi) & formam, quæ in Materiam illam fuit primum inducta: Formam ſcilicet corporis lucidi. Et ſimul etiam monſtrauit prima & communia corporum omnium accidentia, Motum, Tempus, Locum: adde & Finitudinem. Motu enim ſuo lux illa prima, totum Mundi ſpatium vno die percurrendo, apertè oſtendebat: mundum eſſe finitum. quod ſanè corpus lucidum poſtmodum fuit in corpus ſolare contractum, quartò die. Hæc docuit Moſes in primo die. I. Nunc explicatis primis principiis: accedit ad totam totius mundi ex illa prima materia compoſitionem, diſtinctionem, ornatum. Ac primum docet; mundum duabus ex partibus compoſitum fuiſſe; ex cœleſti, quæ eſt ſuperior, & ex elementari, quæ eſt inferior; ſingulis partibus diſtinctis; idque partim ſecundo die, partim tertio. Secundo enim die docet ex illa confuſa materia, creatum diſtinctúmque fuiſſe Cœlum, Ignem & Aërem. Nam hæc omnia nomine *Rachiah* intelliguntur, vt poſtea oſtendam. Tertio verò die diſtinctam fuiſſe Aquam à Terra. Hæ autem ſunt duæ primæ mundi partes; nimirum cœli, & 4. Elementa. Hæc ſunt præcipua quæ tradit verſ. 6.7.8.9.10. Ita habemus primas mundi partes, ex quibus compoſitus eſt: ſed præter hæc, alia quoque docet iiſdem verſibus. Tranſit enim à ſimplicibus ad compoſita. Ac primùm quidem ad compoſita imperfecta; quę *meteora* vocantur; quæque ex Terra & Aquis, lucis cœleſtis virtute eleuata, generantur in ſublimi: vti ſunt nubes, pluuiæ, grandines & alia id genus. Hoc docet quum ait, *poſt creatam cœleſtem lucem, iuſſu Dei factam fuiſſe Rachiah:* qua diſtinguerentur Aquæ, quæ ſupra, ab aquis quæ infra illam ſunt. Docuit enim vt videbimus, voluiſſe Deum; eſſe locum ſupremum, in aëre ſcilicet, qui & ipſe *Rachiah* vocatur à Moſe, vbi meteora, nomine aquarum ſupernarum intellecta, generarentur; ad vſum omnium rerum infernarum, plantarum, & animalium. Atque ita ſimul innuit, quo pacto, & in quem

finem, & cuius virtute elementa inter ſe mutuò tranſmutentur; non quidem ſecundùm ſe tota, ſed ſecundùm partes. Hoc eſt alterum caput quod de operibus Dei tradit nobis Moſes in his verſibus quinque. II. Nobis verò hæc omnia fuſiùs ſunt ex Philoſophis explicanda: qui lumine naturali opera hæc Dei diligenter ſcrutati ſunt, & Dei beneficio, veram eorum cognitionem aſſecuti ſunt: & ad nos ſuis libris tranſmiſerunt. Sed priùs percurrenda ſunt Moſis verba: videndúſque genuinus eorum ſenſus.

6. *Et dixit Elohim, ſit Rachiah* (expanſio, noſtri, expanſum) *in medio aquarum, & ſit diuidès inter aquas ad aquas.*

7. *Et fecit Elohim Rachiah,* (hanc expanſionem) *& diuiſit inter aquas, quæ ſubter Rachiah* (expanſionem) *& quæ supernè ad Rachiah* (expanſionem.) *Et fuit ita.*

8. *Et vocauit* (nomen impoſuit) *Elohim Rachiah, Cœlos* (Samaim) *Et fuit veſpera & fuit mane dies ſecundus.*

9. *Et dixit Elohim, congregentur aquæ* (quæ ſunt) *ſubter cœlos, ad locum vnum: & appareat* (conſpiciatur) *Arida: Et fuit ita.*

10. *Et vocauit* (nomen impoſuit) *Elohim Aridam Terram, & congregationem aquarum vocauit Maria. Et vidit Deus quòd bonum.*

Hos verſus, & neque plures, neque pauciores explico in præſentia, idque propterea, quòd in iis de primis mundi partibus, cœlis nimirum & elementis: déque compoſitione imperfectorum, quæ eſt prima inter omnes compoſitiones Phyſicas, diſſerit Moſes. In inſequentibus agit de compoſitione perfectorum, tam herbarum, atque fruticum, tum omnis generis animalium, vt videbimus: niſi quòd in 4. die redit ad cœlorum ornamenta. Solem ſcilicet & reliqua ſidera. Propoſitum Dei in 2. die fuit, vt ſupra aquas & Terram, vbi viuentia omnia, plantæ, animalia, hominéſque degere & habitare debebant: primò locus eſſet, tum ampliùs ac ceu inanis in quo habitare, incedere, viuere commodè illa poſſent; tum ſublimis, vnde aquæ, niues, rores, pruinæ & alia id genus, ad irrigandam terram, aliáque innumera commoda proferenda, deſcenderent. Hic fuit aër & ignis ſphæra. Deinde locus quoque alius eſſet, quaſi concameratus: quo totum ædificium tegeretur: & vnde vis in inferiora deflueret. Hic eſt cœlum cum ſua luce: quaſi tabulatum totius domus. Ad ſingulos porrò verſus quod attinet, hæc eſt ſumma. In verſu ſexto continetur voluntas, decretúmque Dei. de his locis ſuprà dictis creandis & conſeruandis, in eum vſum quem diximus. Sic enim ait, *Dixit quoque Deus, ſit expanſio,* In 7. habemus decreti diuini per ipſummet Deum, executionem Sic enim ait: *Et fecit Deus expanſionem.* In 8. nomen exprimitur, quo appellauit, *illam expanſionem*: Aëris nimirum, Ætheris & orbium, nempe *Samaim.* In tribus hiſce verſibus nihil eſt difficile; niſi vt explicetur, quid nomine *Rachiah*; quídve nomine *aquarum quæ ſupra Rachiah* eſſe dicuntur, intellexerit Moſes.

III. רקיע *extenſionem* ſignificat, & *expanſionem* רקע quod ſignificat *expandere & extendere.* Sicut, cùm aut cortinæ & militaria tentoria explicantur; aut metallum, aurum, argentum, ferrum in laminas extenduntur. Quid verò hoc nomine ſignificare voluerit Moſes: diuerſæ ſunt ſententiæ. Quidam, ſolam octauam ſphæram, in qua ſtellæ fixæ cernuntur: quod & *ſtellatum* & *ſtelliferum* vocari ſolet. Sed vbi tum reliqui orbes: ſi hic tantùm expreſſam habeamus octaui Cœli in ſuam formam redacti creationem? Nam quod primo die verſ. 1. dictum eſt de Cœli & Terræ creatione: propoſitio fuit generalis: omnium creationem complectens, vt antè dictũ eſt: quam poſtea omiſſis interim rebus inuiſibilibus, Angelis ſcil. & cœlo Beatorum: per partes explicat Moſes. Quæ explicatio incipit à luce, creata primo die: & tum à cœlis de illa materia eductis, & quaſi explicatis atque extenſis. Deinde in 4. die legimus, Solem & Lunam poſitos fuiſſe in רקיע. In cœlo autem ſtellato, non eſt neque Sol, neque Luna: ſed horum aſtrorum ſuum quodq; habet orbem. Ait præterea verſ. 8. Deum, *ipſam Rachiam vocaſſe* שמים, hoc autem nomine omnes orbes appellantur in ſcripturis. Alij itaque ſentiunt, nomine רקיע ſignificatos fuiſſe omnes cœleſtes orbes: ſed ſolos: quatenus omnes vnum quaſi corpus cœleſte efficiunt. Proinde hi quoque cum prioribus coguntur dicere, aquas, quæ dicuntur eſſe ſupra firmamentum, ſeu *Rachiah*, eſſe ſupra octauam ſphæram. Verùm vbi tum elementum aëris & ignis: quorum creatio nullibi à Moſe explicatur: ſi nomine רקיע non intelligantur & ipſa? Apparet præterea, hæc duo etiam elementa, ſupra aquas inferiores, Maris ſcil. eſſe collocata: & has à ſuperis diuidi. Nullum autem aliud intermedium inter ſupernas & inter infernas aquas ponit Moſes, niſi רקיע. Hoc igitur nomine non ſolùm orbes cœleſtes, ſed etiam elementum ignis, qui & æther, atque elementum aëris intelligendum eſt. Adde quòd hanc Rachiah diuidentem aquas ab aquis, ait appellatam fuiſſe à Deo שמים, cœlos, ſcripturæ autem paſſim, ipſam quoque aëris regionem, in qua volitant aues, vocant cœlum. Vnde illud, *volucres cœli.* Item, *dabo vobis cœlum æneum:* id eſt, aërem ſiccum ſine pluuia. Latinis quoque cœlum eſt aliquando pro ſolo ſtellifero; aliquando pro reliquis orbibus: ſæpè etiam pro aëre. Vt Var. lib. 5. de ling. Lat. docet. Sic Plin. Nat. hiſt. lib. 2. *aerem* vocat *cœlum*, ſic Cic. *grauitatem cœli*, id eſt, aëris dicit. Imò & Græci eodem modo pro aëre accipiunt: vt manifeſtum eſt apud Platonem in Phædone, καὶ τὸν ἀέρα, οὐρανὸν καλεῖν. Quicquid enim ſupra nos eſt & nos complectitur, cœlum vocare conſueuêre & Latini & Græci, nedum Hebræi. Ita vt etiam terra à nobis habitata, reſpectu manium, & inferorum, *Cœlum* appellata fuerit à Virg. Æn. 6. *Sed falſa ad Cœlum mittunt inſomnia manes*, id eſt, ad terram, regionémque viuorum; ait Macrob. Recepta igitur eſt ſententia inter doctiores, nomine רקיע non ſolos orbes cœleſtes: verùm etiam totam regionem æthercam & aëream, ſignificatam fuiſſe à Propheta Moſe. Tota enim hæc regio cingebat, vt & nunc cingit, aquas has infernas, quas Deus vocauit *maria.* Cæterùm notandum eſt, etſi tota hæc regio ab aquis maris, vſque ad ſupremum cœlum, nomine רקיע ſignificata eſt: aliquando tamen pro ſolis orbibus cœleſtibus accipi: aliquando pro ſola aëris regione συνεκδοχικῶς. Pro ſolis orbibus, Gen. 1. 14. *ſint luminaria in firmamento.* Pro aëre tantùm, Gen. 1. verſ. 20. *Et volatile volet ſuper faciem* רקיע. Cùm ergo in hoc eodem cap. deinceps accipiatur רקיע, modò pro cœleſtibus orbibus: modò pro ſola aëris regione: neceſſe eſt vt in hoc etiam loco, vbi primùm fuit hoc nomen vſurpatum: intelligatur hoc nomine, tum aëris atque ætheris, tum cœleſtium orbium, regio. Hæc de voce רקיע, quam 70. Interpretes verterunt στερέωμα, firmamentum. Significare autem voluerunt cœlorum ſoliditatem, ac firmitudinem: quòd, licèt ex Aqua ſint: non ſunt tamen fluidi, vt Aqua: Sed ita à Deo conſolidati & firmati ſuo verbo: vt nulli corruptioni obnoxij ſint. Quo ſpectat & illud quod ſcriptura ait, *Cœlos firmatos eſſe ferro.* Profani etiam ſcriptores, vt Homerus, vocarunt *Cœlum* χαλκοβατὴ: quaſi dicat, æreum, & σιδήρεον, ferreum, propter ſoliditatem & firmitudinem. Sunt tamen qui velint ideircò רקיע vertiſſe στερέωμα, vt explicarent illam extenſionem fuiſſe perfectam, in omnes ſcil. partes: in longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ne quis exiſtimet, cœlos eſſe tantùm inſtar cortinæ, quæ in longitudinem duntaxat & latitudinem extendatur. Habere enim cœlos, omnes tres dimenſiones, eóque perfectam eſſe רקיע. Sed ſi coniungamus vtramq; interpretationem: ſatiùs fuerit. Reuera enim cœli & ampliſſimi ſunt, atque profundi: & ferri inſtar, firmiſſimi: hoc eſt, corruptioni minimè obnoxij, veluti ſcil. hæc inferiora ſunt. Non tamen duri eſſe credantur. Cedunt enim corporibus in cœlum Beatorum aſcendentibus: ſicut & aër. Itaque ſimiles ſunt ferro, non quod ad duritiem, ſed tantùm quod ad firmitatem attinet. Atque hæc etiam de voce στερεώματος ſatis ſupérque.

De Aquis ſupra expanſionem.

IV. Venio ad *aquas*, quæ ſupra firmamentum eſſe dicuntur. Quidam ex Patribus, tametſi nomine *Aquarum*, *quæ ſunt ſub firmamento*, veras aquas interpretentur: nomine tamen *Aquarum*, quæ ſupra firmamentum eſſe dicuntur, Angelorum innumerabilem multitudinem intelligunt. Eſſe enim Angelos propter ſuam puritatem inſtar Aquarum puriſſimarum. Sed hæc nimis violenta eſt. Neque enim hic agitur niſi de operibus Dei viſibilibus: ex Materia illa prima, quam *chaos* vocant, eductis. Alij itaque interpretantur de cœlo, quod *nona ſphæra*, ab Aſtrologis inuenta, vocatur: Et de cœlo Saturni, quod eſt immediatè infra octauam ſphæram. Hanc enim eſſe firmamentum: Nonam ſphæram, eſſe aquas ſupra firmamentum, ſed inſtar chryſtalli quaſi congelatas, eóque *cœlum cryſtallinum* vocari: non quòd ſit durum, vt cryſtallum, ſed pellucidum, & clarum. Septimam autem *ſphæram, Saturni* ſcilicet eſſe aquas ſubter firmamentum. Sidus enim Saturni; aquis dominari: & earum nomine ſignificari: quo referunt illud Lucani: *Frigida Saturno glacies & nona niualis ceſſit.* Sed verè frigida eſt interpretatio. Damus nonam ſphæram & quin etiam ea cryſtallinum cœlum vocetur, propter ſimplicem claritatem, ſine ſplendore alicuius ſideris: quod ibi nullum eſt: non repugnamus. Quæ etiam de cœlo Saturni ſcribunt, non oppugnamus: ſed quòd Moſes intellexerit, nomine aquarum ſuperiorum, nonam, & inferiorum, ſeptimam ſphæram: nihil eſt abſurdius. Nam de aquis infrà רקיע poſtea dicit Moſes, *Deum iuſſiſſe eas in vnum locum congregari: & eas appellatas fuiſſe Maria.* Non ſunt igitur ſphæra Saturni. Alij itaque propiùs ad veritatem accedunt & affirmant, tam aquas ſupra firmamentum eſſe aquas veras; quàm etiam quæ infra firmamentum ſunt.

Firma-

Firmamenti autem nomine totam cœleſtem molem intelligunt. Itaque ſentiunt ſupra hoſce cœlos viſibiles, eſſe veras aquas: quanquam non eiuſdem prorſus Formæ & qualitatis, cuius ſunt noſtræ. Et cauſam adferunt, cur ibi Deus voluerit eſſe aquas, nimirum vt calorem ſiderum temperent. Quaſi verò in cœleſtibus orbibus ſint ſidera, ita ignita, vt niſi aquis coërceantur, poſſint tum orbes ſuos, tum, quæ infra Lunam ſunt, concremare. Quia verò vident non facilè perſuaderi poſſe hanc ſententiam, aiunt ſe ſimpliciter credere verbo Dei. Ita ſanè: ſi aliam interpretationem admittere non poſſet verbum hoc, quàm eam, quam ipſi adferunt. Sed ſi dextrè intelligi poſſit, ita vt omnis abſurditas, quæ cum Natura pugnat, tollatur: non eſt cur abuſi autoritate verbi Dei ea ſtatuamus in hiſtoria de rerum naturalium creatione, quæ & ordinem naturæ euertunt, & ea tollunt, quæ ad eam ſtabiliendam pertinent. Poſſumus autem hunc locum ita interpretari, vt neque verba ſcripturæ torqueantur: & ſimul etiam ne ab ordine, quem ſpectamus in Natura, vel latum vnguem declinetur. Si hoc fiat, liquidò apparebit, hanc veram & genuinam eſſe interpretationem. Illorum itaque ſententia mihi genuina eſſe videtur, qui pro *aquis ſuper firmamentum exiſtentibus* intelligunt *nubes*: & quas efficiunt pluuias, niues, rorem, grandines & alia id genus meteora: quæ in media aëris regione fiunt. Sunt enim hæc omnia aquea, & ex aquis. Vt autem totus Aër: ſic media regio Aëris, *Firmamentum* ſeu *Rachiah* appellatur. Ita optimè verba Moſis interpretari poſſumus: *Firmamentum*, hoc eſt, poſt cœleſtes orbes & Ætherem, Aërem fuiſſe creatum, vt eſſet receptaculum Aquarum: quę vi Solis à Terra & Mari erant eleuandæ: vt ex eis fierent pluuiæ & alia id genus: ad vtilitatem Terræ & animalium. Atque ita Aërem ſua ſcilicet media regione, diuidere Aquas quę ſurſum euehuntur: ab iis quæ infra fluunt. Nam reuera ita ſe res habet in natura: vt videmus. Sed excipiunt, hanc interpretationem non videri prorſus quadrare verbis Moſis: propterea quòd Moſes nomine *firmamenti*, totam Regionem intelligat, vt nos quoque interpretati ſumus: Totam, inquam, regionem, quæ eſt ab Aquis noſtris vſque ad ſupremum Cœlum. Ita autem interpretatio de firmamento ſupra quod ſunt Aquæ de ſolo eſt Aere, qui infima ſua regione diuidat Aquas ab Aquis. Quomodo igitur ſolus Aer diuidit Aquas ſi tota *Rachiah* creata eſt, & exterua, vt diuideret Aquas ab Aquis? Facilis eſt reſponſio: Nempe non eſſe abſurdum quòd nomine Firmamenti à Deo creati, vt diuideret Aquas, totam Machinam cœleſtem & aeream intelligamus. Et interim tamen id quod diuidit Aquas ab Aquis, eſſe dicamus ſolum Aerem, vna ſui parte & Regione. Synecdoche enim hic eſt, vt frequenter in ſcripturis occurrit. An non etiam infrà dicit, *die 4. luminaria fuiſſe poſita in firmamento*? Nunquid Sol & Luna in ſingulis ſunt firmamenti partibus, in omnibus ſcilicet orbibus, & in Aere? Minimè: ſed firmamenti nomine partem vnam firmamenti intellexit. Ita hic etiam ſentimus, & ſententia noſtra non pugnat cum verbis Moſis. Sic enim verba interpretamur, *Fiat firmamentum in medio Aquarum*: hoc eſt, quod ſit vna, id eſt, media ſui parte, receptaculum Aquarum; quæ eleuandæ ſunt è terra: & ita medium quoddam ſit, quod diuidat Aquas in ſublime eleuandas: ab Aquis quæ infrà ſubſiſtunt. Totam igitur Machinam cœleſtem, ætheream, & aeream dicimus eſſe hoc firmamentum, ſeu *Rachiah*: quæ creata eſt die ſecunda à Deo: cùm in alios fines, tum etiam in hunc, vt diuideret Aquas ab Aquis.

Sed quomodo diuideret ſe tota? An verò aliqua ſui parte? Non tota quòd non videmus: ſed ſui parte: Aëris ſcilicet regione vna, vt apertè videmus. Nihil enim nos cogit, vt interpretemur, creatam fuiſſe totam hanc Machinam, vt ſcilicet tota diuideret Aquas ab Aquis: neque illa interpretatio caret abſurditatibus: nec reſpondet vero ordini, & Naturæ, & Mundi. Noſtra verò reiici non poteſt, quia non pugnat cum verbis Moſis, ſed potiùs admittenda eſt, quia cum ordine naturæ conſentit. Confirmari verò poteſt multis rationibus è fonte ſcripturarum petitis. Apertè Moſes non agnouit, vt ex contextu patet, niſi duplices Aquas: quæ ſuprà, & quæ infrà firmamentum ſeu *Rachiah* ſunt. Eſt autem manifeſtum in Natura præter Aquas maris & fontium, eſſe etiam Aquas in media Aëris regione, vnde pluunt. Si itaque ſint etiam Aquæ ſupra octauam ſphæram, triplices fuerint Aquæ, non duplices. Aquæ igitur ſupra firmamentum fuerunt Moſi, nubes, pluuiæ, grandines & alia meteora. 2. Item, Pſal. etiam 104. vbi creatio deſcribitur, idem indicat. Sic enim præter alia prædicat de Deo: *Qui extendit Cœlum, ſicut cortinam: qui tegit Aquis ſuperiora eius*: & mox, *Qui ponit nubes aſcenſum ſuum: Qui ambulat ſuper pennas ventorum*. En quomodo altero verſu priorem explicat: & docet, nomine *Cœli*, extenſi, ipſum etiam Aërem intelligi: Et nomine *Aquarum*, quibus regit ſuperiora eius, intelligi nubes, & quæ in Aëre gignuntur, meteora. 3. Ad hæc verum eſt quod dixi ſæpe, Moſen hic diſſerere de operibus Dei viſibilibus. Aquæ autem, quas multi ſupra octauam ſphæram imaginantur, inuiſibiles ſunt. 4. Præterea, ſi nomine *Aquarum* iſtarum, non intellexit nubes, & alia meteora ſed neſcio quas inuiſibiles Aquas: illud igitur ſingulare Dei beneficium, valde imprudens omiſiſſet Moſes: quod præcipuum ad animalium & hominum imprimis vitam, & habitationem neceſſarium. 5. Adde quod fecit etiam Deus omnia, ſumma cum ſapientia: & ordine pulcherrimo omnia diſpoſuit. Vt igitur omnes Cœli ſimul ordine coniuncti ſunt: ſic debuerant eſſe elementa. Certè contra hunc ordinem fuiſſet: ſi pars elementi Aquæ ſupra omnes cœlos collocata fuiſſet. Quid verò obſtat, quo minùs noſtram ſententiam admittant, qui contrà ſentiunt? Hoc vnum quod ait Moſes, ſupra firmamentum eſſe Aquas. At Aër etiam nomine firmamenti continetur. Nulla itaque ratio eſt, cur hunc locum cogamur de neſcio quibus Aquis ſupra Cœlum ſtellatum poſitis, interpretari. Sunt verò permultæ cur debeamus de Aquis, quæ in media aëris regione cogi, & in varia mutari meteora ſolent, intelligere.

V. Et vocauit *Rachiah* שמים. Etymon eſt à שם *ibi* & מים *Aqua*, teſte Kimhi, Hieronymo & aliis. Etymologia hæc indicat cauſſam materialem, è qua conſtant Cœli, Æther & Aër. Ex Aquis ſcilicet iſtis, quibus incubabat Spiritus S. Sed præter hanc quoque adfertur cauſſa, propter quam Aer ſpeciatim vocetur שמים. Eſt enim reipſa, vt ſentimus, Aer humidus: ad humorem in animalibus & plantis fouendum & conſeruandum. Simile enim conſeruatur & fouetur ſimili. Deinde in eo etiam ſunt aquæ illæ de quibus hactenus diſputatum eſt: ad eundem finem ordinatæ. Quomodo verò Deus vocauit שמים. Num locutus tunc fuit? Sicut formauit vocem quando de Chriſto dixit, *Hic eſt Filius meus*: item *& glorificaui, &c.* Sic etiam fieri poteſt, vt tunc formauerit has voces. Sunt tamen qui putent, eum hæc nomina poſtmodum ſignificaſſe Adamo. Hinc verò apparet, qua lingua vſus ſit Deus ad Adamum: Hebræa nimirum. De voce Græca οὐρανῷ non eſt cur hic philoſophemur. Neque enim à Deo vocatum fuit οὐρανὸς, ſed שמים. Dicemus tamen aliquid poſtea de hac Græca voce: & de Latina Cœlum: quanquam nonnihil etiam dictum eſt in explicatione primi verſ. huius cap. Cauſſa, cur huius ſecundæ diei operi non benedixit Deus, nec pronuntiarit illud eſſe bonum: multiplex adferri ſolet. Quidam, quia eo die creata fuit Gehenna: quę ſimpliciter non eſt bona, nec placuit Deo. Sed vnde totum hoc habent? Alij quia eo die Angeli peccarunt, ſed vnde etiam hoc? Alij quia binarius numerus infamis ſit, cùm vnitatem violet. Atque hic multa adferunt ex Pythagora, Hom. Laertio contra dualitatem: vt illud Homeri. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω. Illud eſt verum, quòd nomen שני ſecundus, à verbo שנה eſt: quod ſignificat *mutare, voluere*. Sed quòd ideò Deus non dixerit, opus illius diei eſſe bonum, quia numerus שני, ſignificat mutabilitatem & inconſtantiam: puerile eſt. Deinde annon infrà dicetur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*? Ergo etiam quæ ſecundo die fecit. Illa mihi ratio magis probatur, quòd ideò non adiecerit hanc particulam: quia imperfectum tunc fuit opus hoc de Aquis. Nondum enim erant collocatæ ſuo in loco. Id quod porrò factum fuit die tertia. Ideò tum repetitum fuit verbum: *Et vidit Deus quod eſſet Bonum*. Primò quidem, quia Aquæ fuerunt ad ſuum locum collocatæ. Secundò, quia illis collectis, Arida in ſalutem animalium apparuit.

9 Et dixit Elohim, congregentur Aquæ quæ ſunt ſub cœlo in locum vnum: Et appareat Arida: & fuit ita.

10 Et vocauit Deus Aridam terram: congregationémque Aquarum appellauit Maria: & vidit Deus quod bonum eſſet.

VI. In priori verſu habemus iuſſum Dei de Aquis colligendis, cum cauſſa eius Finali: & factum ipſum. In altero habemus nomina tum terræ iam Aquis liberatæ: tum Aquarum collectarum. Habemus igitur hic diſtinctionem duorum aliorum Elementorum: aquæ ſcil. quæ ſub aere eſt, & terræ. Ad primum verſum quod attinet, ait, *Et dixit Elohim, congregentur Aquæ*. Quum ait, *Deum dixiſſe, congregentur Aquæ*: docet, aquam texiſſe, ambiuiſſéque totam omnino terram. Et naturaliter fieri aliter non poterat: vt etiam Philoſophi fatentur: Aqua enim, quia Elementum erat, & eſt: circulare erat, & eſt. Sunt enim omnia Elementa circularia, ſicut & Cœli. Eóque totum mundum, rotundæ circularíſque eſſe figuræ contendunt Philoſophi: quia ſingulæ etiam eius partes, tales ſunt. Eſt autem aqua, ſicut aere grauior, ſic terra leuior. Leuiora autem Elementa, quia am-

pliora ſunt grauioribus: illa hæc toto circuitu ambiunt, & tegunt. Vt ignis aërem, & aër aquam. Oportuit igitur etiam terram toto ſuo circuitu, tegi ab aquis. Hoc eſt, quod docet Moſes verbo *congregentur*. Docet enim, fuiſſe priùs ſuper totam terram diſperſas & quaqua verſum fluentes. Vnde igitur factum eſt, vt collectæ ſint ſimul, & conſtituerint Mare ſeorſim, quod terram inſtar faſciæ cingit: terrámque ſupra & infrà reliquerit vacuam ab aquis, & ſiccam: eóque plantis proferendis, & animalibus ſuſtinendis idoneam? Philoſophi aiunt hoc eſſe factum beneficio naturæ. Sed quænam hæc natura? non certè ſecunda. Eſt enim potius contra naturam. Eſt igitur prima Deus. Eſt enim apertum miraculum in natura, quòd terra minor aquis, emineat: atque ita emineat, vt videatur fundata ſuper aquas: ſicut etiam Pſalm. 24. innuere videtur, dicens, *Qui fundaſti terram ſuper aquas.* Quanquam illud על ſignificat *ad*, non *ſuper*. Eſt enim terra ad mare, non ſuper mare. Moſes igitur docet, totum hoc beneficium, acceptum eſſe ferendum Deo: qui ſuo verbo effecerit, vt aquæ collectæ fuerint in vnum locum: & emineat terra, in qua habitamus. *Et dixit* (inquit) *congregentur: & fuit ita.* Imò vnde etiam fit, vt mare, cùm ſit maius terra, non exundet, nóſque perdat? Philoſophi attribuunt hoc ſtellis, & in primis Soli: qui ſua vi perpetuóque calore imminuat aquas, partim in ſublime euehendo ad Meteora generanda: partim exiccando, ſubtilioréſque partes extrahendo, & craſſiores relinquendo: vnde & maris ſalſedinem concludunt proficiſci. Non inficiamur hoc opus naturæ, Soliſque & aliorum ſiderum effectum. Ex motu enim Lunæ apertè videmus. Vnde etiam oritur fluxus & refluxus maris. Cæterùm prima & principalis cauſſa huius beneficij, eſt illud primum quod hic habemus Dei mandatum: de quo Moſes (*& dixit Deus, congregentur*) Imò quicquid etiam virtutis habent aſtra, ad hoc faciendum: habent à Deo in hunc finem. Proinde Deus in ſcripturis hoc ſubinde beneficium commemorat, tanquam viſibile palpabiléque & verè ſingulare. Ier. 5. *An me non timebitis? an non pauebitis à facie mea? qui poſui arenam terminum Maris.* Iob. 38. *Quis concluſit oſtiis Mare? Annon ego clauſtra & vectes circumdedit? Ego dixi, huc uſque progredere. Hic rumpantur tumentes fluctus tui.* Et Pſal. 33. *colligit aquas velut in vtrem.* Ergo quod terra ſit aquis detecta, eóque proferat herbas & plantas, vt Mox dicet Moſes: animaliáque, & nos in ea habitemus: totum hoc debemus Dei verbo, quo dictum eſt, *congregentur aquæ*: etiam ſimul diſcamus timere Deum, qui vno momento, poſſet totum mundum aquis inundare: ſi tantùm permitteret aquis ſuum naturalem curſum. Apparet hoc in diluuio primo. Atque hoc eſt, quod ait per Ier. *An non timebitis me? An non pauebitis à facie mea?* Ex hoc igitur loco diſcamus & timere Deum, & eundem amare, gratiáſque ei agere pro tanto beneficio.

Sed quid eſt quod ſubdit: *in vnum locum?* & paulò poſt vocat in ſingulari, *congregationem aquarum*: cùm tamen multas multiſque in locis, aquarum collectiones, flumina, ſtagna, lacus videamus? Per Antonomaſiam de Oceano ſermo eſt, in quo Elementum Aquæ ſeruatur. Nam reliquæ omnes Aquæ inde fluunt, & in illud etiam reuertuntur: vt Salomon docet. Propter quam Salomonis autoritatem & propter hunc Moſis locum non dubito, quin etiam Mare Caſpium, quod diſiunctum eſt ab Oceano, per ſubterranea loca ab illo fluat: ſicut & reliqua flumina, & lacus & fontes, ad beneficium noſtrum. Vnus igitur eſt locus, in quem fuerunt collectæ Aquæ: ſed inde poſtea fluere voluit Dominus multas, noſtra cauſſa. Annon etiam vnus eſt locus ignis? Proculdubio: ipſius ſcilicet ſphæra, quæ ſupra aërem eſt, Lunæ contigua: ſed inde tamen communicari voluit ignes multos hominibus. Quòd igitur ait Moſes, *in vnum locum fuiſſe collectas Aquas, quæ ſub Cœlo erant*: non pugnat cum eo quod videmus in Natura. Quomodo verò congregatæ ſint, docent Philoſophi. Scribunt enim, Mare cingere totam terram per medium, inſtar faſciæ: Ita vt ſuprà & infrà detecta ſit Terra. Hic enim fuit finis collectionum Aquarum. Locus ergo ille vnus ad quem collectæ ſunt Aquæ: circularis eſt. Ita fit, vt & totam terram alluant: & continuò curſu fluant. Neutrum fieri potuiſſet: ſi ad angulum aliquem terræ, vti ſunt ſtagna & lacus, collectæ fuiſſent. Proinde magna Dei prouidentia propter bonum terræ, & eorum quæ in terra ſunt, commune atque publicum factum eſt, vt huius formæ ſit Mare, cuius eſt: rotundæ ſcilicet & circularis, quo totam terram alluere queat. Nunc etiam tenemus qualis figuræ ille Locus ſit, ad quem congregatæ fuerunt Aquæ: & quam ob rem ſequitur:

Et appareat ſeu conſpiciatur Arida.

Cauſſam indicat finalem cur Aquas voluerit Deus ad locum vnum, eúmque circularem colligi: nimirum vt terra ex vtraque parte, ſuprà & infrà, Aquis denudata, imò & exiccata conſpici: eóque & ſeri, ac plantari, & habitari a terreſtribus animalibus (vt poſtea ſubdit verſibus inſequentibus) poſſet. Vtrumque indicat duobus verbis, nomine ſcilicet, *Arida*: & verbo *apparendi*, ſeu *conſpiciendi*.

Erat primò humida, imò tota, lutum quoddam, propter Aquas: quæ illam tegebant. Has igitur tollit: & in vnum locum cogit, vt terra exiccetur, & arida fiat. Secundò non poterat conſpici, quia tecta aquis: eóque nec plantari, nec ſeri, nec habitari. Deus igitur iubet colligi Aquas in locum vnum: vt Arida effecta, videri, eóque plantari, pedibus teri, & habitari ab animantibus poſſet. Ideò non ſimpliciter dixit, *vt appareat ſeu conſpiciatur*: (nempe terra illa, humida, lutoſaque) ſed adiecit nomen *Arida* vt vtrumque finem colligendarum Aquarum, ſignificaret. Idcirco ſic reſoluenda ſunt Moſis, imò Dei, verba: congregentur Aquæ ad locum vnum, vt terra (tota propter aquas lutoſa) exiccetur, fiatque arida ex vtraque parte ſuprà: & infrà: Atque ita effecta Arida, conſpiciatur, plantetur, colatur, habitetur. Eſt enim ſynecdoche in verbo *conſpiciatur*: quoniam ſub hoc comprehenduntur omnes fines & vſus detectæ aquis, & aridæ effectæ terræ. Nam ij vſus poſtea explicantur in generatione arborum è terra, & creatione animalium ſuper eam.

Proinde notādum etiam eſt, Terram fuiſſe à Deo vocatam *Aridam*: non ab ea qualitate, quam tunc habebat, Aquis tecta: ſed ab ea quam habitura erat Aquis detecta. Erat humida, futura erat arida. Adde quòd hac voce proprietatem etiam terræ indicauit: quæ eſt ſiccitas ſeu ariditas. Quod enim priùs eſſet humida, hoc illi erat ex Accidenti propter Aquas. Duæ verò ſunt naturales terræ qualitates, ſiccitas, quam communem habet cum igne: & frigiditas, quæ illi cum Aquis communis eſt. Hinc etiam colligimus vim illius verbi, *congregentur Aquæ*, fuiſſe non tantùm, vt quæ ſuperficiem terræ tegebant, cogerentur in vnum locum, ſed vt etiam quicquid Aquarum erat in ſinu, & in viſceribus terræ, colligeretur cum reliquis: quæ erant in ſuperficie. Alioqui enim non fuiſſet facta Arida: ſed manſiſſet lutoſa, eóque inepta ad plantas & ad fœcunditatem, & deniq; ad animalia ſuſtinenda, & ad habitandum. Hanc vim habet verbum, *congregentur Aquæ*. omnes ſcilicet, quæ in ipſis quoque hærebant viſceribus terræ, & ita tota Arida appareat.

Et vocauit Deus Aridam ארץ ליבשה: *congregationem verò Aquarum* ימים *Maria*. *& vidit Deus quòd eſſet bonum.*

Hic habemus tum impoſitionem nominis Terræ, & Maris: Tum approbationem operis, ſecunda die inchoati, tertio autem perfecti. De primo ait, *& vocauit*. Illa terræ pars quæ fuit detecta Aquis, & quæ iam inhabitatur, priùs vocata eſt à Moſe יבשה *Arida*: idque à naturali qualitate, quam acceptura erat. Nunc Dominus eam vocat ארץ *terram*. Ob quam verò cauſſam eam ita vocat? Non enim Dominus nomina imponit temerè. Latini quidam *terram* à terendo dictam putant, optimè ei hoc nomen conuenit, poſtquam Aquis fuit detecta & arida facta. Habitabilis enim effecta, teritur ab animalibus variis modis. Vox enim Græca qua οἰκουμένη vocatur hæc terræ pars, quæ eſt Aquis liberata: optimè ei conuenit. A fine enim ita eſt appellata, οἰκουμένη ſcilicet, hoc eſt, *habitata*: quia in hunc finem fuit Aquis liberata, vt poſſet inhabitari. Verùm de voce Hebraica non ita perſpicuum eſt, cur ſit vocata ארץ. Sunt qui volunt deductum à ארץ *currere*: quòd ſuper eam currat totus orbis, tanquam circa ſuum centrum, vel quod ſuper eam currant, & moueantur animalia. Alij à רצון beneplaciti: quòd contra naturam terræ, beneplacito duntaxat Dei, ſit nobis ad habitandum conceſſa. Doctus quidam vult, Chaldaicam eſſe dictionem: vel ei affinem. Chaldæi enim vocant terram ארעה vnde ארעיתא *pauimentum & ſolum*. Eſſe igitur ſignificationem nominis ארץ eandem quæ & ארעה, quòd ſcilicet ſit ceu pauimentum totius huius magnæ domus: Cœlum autem tabulatum. Vtut autem ſit de voce, conſtat vocatam fuiſſe terram: vt ſignificaretur, factam fuiſſe hominibus aliiſque animantibus habitabilem. Hinc verò, & ex forma Oceani euincitur, dari Antipodes. Si enim terra ideò Aquis detecta eſt, vt inhabitari poſſit, & Oceanus, inſtar faſciæ cingit terram per medium, efficitur ſubter hanc noſtram terræ partem, eſſe ex aduerſo aliam, eamque habitabilem. Nihil autem fruſtrà agit Deus. Eſt igitur illa etiam pars inhabitata, ibique ſunt arbores, animalia, homines, qua de re dicemus ſeorſim, in loco communi, de Antipodibus. Certum eſt eos falli, qui negant Antipodes. De nomine altero ימים *Maria*: quo appellauit omnes Aquarum congregationes, conſtat eſſe à ים, quæ vox plagam occidentalem ſignificat. Hoc itaque nomine appellatum eſſe *Mare*, hoc eſt, Oceanum; quod ad occidentalem

talem plagam terræ Iſraël: Cæterùm conſtat ex Euangeliſtis, in vſu fuiſſe apud Hebræos, quod hic ſcribit Moſes: nempe, vt omnes Aquarum congregationes, lacus, ſtagna & id genus alia, vocarent *Maria*. Nomine autem *Maris* & *Aridæ* totam hanc Mundi partem, quæ infra eſt Aërem, ſignificari, docet Chriſtus, quum ait Phariſæis: *Vos circuitis Mare & Aridam*, id eſt, totum habitabilem Mundum, *Et vidit Deus quòd bonum.*

Nunc demùm Deus probat opus, quod inchoauerat die ſecundo. Docet autem, nihil ſimpliciter eſſe probandum, vt ſimpliciter bonum: niſi quod ſuis numeris perfectum eſt. Non enim voluit pronunciare Deus opus ſecundæ diei, eſſe bonum, niſi poſtquam illud fuit tertia die abſolutum. Quo etiam ex loco apparet, merum eſſe hominum figmentum, quòd aiunt, Deum creaſſe omnia ſimul, hoc eſt, vno & eodem non tam die, quàm inſtanti. Si ita eſt: cur inchoatum opus non ſtatim pronunciauit bonum: ſed hoc diſtulit in tertium diem? Hæc eſt breuis iſtorum verſuum interpretatio. Habemus autem in his verſibus, hæc præcipua capita: Primò duas principales Mundi partes: ex quibus conſtat totus: cœleſtem, & elementarem. Et quidem tam cœleſtem quàm elementarem ex eadem eſſe Materia prima. Habemus Elementa quatuor, ignem qui & æther, & Aërem. Qui ambo eodem nomine רקיע quo & orbes cœleſtes, appellati fuerunt. Et poſtmodum Aquam & Terram ſubdit. Habemus præterea locum in Aëre deſtinatum ad meteora generanda, quæ nomine Aquarum cœleſtium ſignificata ſunt. Denique doctrinam de continenti, ſeu περὶ τῆς οἰκουμένης, & de Mari: quibus cum capitibus, alia quoque coniuncta ſunt: quæ ſingula ſeorſim explicanda nobis erunt, ſed breuiter. Dicam autem primò de toto hoc magno corpore Mundi, quatenus conſtat, tanquam primis ſuis partibus, ex hiſce Cœlis & ex quatuor Elementis. Deinde dicam de ſingulis partibus deque earum locis. Sic enim nobis contemplanda opera Dei ſunt: vt in eis perſpiciamus infinitam eius erga nos bonitatem, ſapientiam, potentiam: eóque per hæc opera probè cognita, in vera Dei noſtri, Patris, Filij, & Spiritus ſancti cognitione, magis ac magis confirmemur. *Cœli enim enarrant Gloriam Dei.*

CAPVT II.

De primis Mundi partibus.

RESTAT vt de ſingulis hiſce capitibus iuxta Moſaicam Methodum, Philoſophorum rectè ſentientium doctrina adiuti, diſſeramus. Ac primùm de Mundi partibus primis, è quibus eum conſtare, omnibus notum eſt.

THESIS I.

Primæ ac principes Mundi viſibilis partes, è quibus conſtat: ſunt Cœlum, & Elementa, vera corpora.

CŒlum omnibus eſt conſpicuum: Terra teritur ab omnibus: ſed quis etiam Aquam non videat partem eſſe Mundi non poſtremam? Ex ea enim ſunt Cœli vnde שמים dicuntur. Aërem verò eſſe corpus, ſed ſimplex, eóque vnam ex primis Mundi partibus. 1. liquet ex motu, qui ab Aëre retardatur, ne fiat vel in inſtanti, vel ſaltem in tempore imperceptibili. Eſt ergo Aër corpus, ſed ſubtile & diaphanum. 2. Ac ſi tale non eſſet, nihil poſſemus videre. Colores enim ab oculis percipi non poſſunt niſi eorum ſpecies in oculum deferantur. Deferri autem non poſſunt per inane: ſed per corpus diaphanum deferantur oportet, medium ſanè vnicum inter oculum videntem, & colorem viſibilem. Aër ergo corpus. Neque dubitari debet, quin ſupra Aërem ſit Æther, ſeu ſphæra ignis. Si qui enim hic inferiùs accenduntur ignes: ij ſemper ſurſum mouentur. Omnis autem res naturalis, ad ſuum naturalem locum, ſua natura tendit: vt cum ſimili coniungatur. Eſt igitur ſupra Aërem, Elementum ignis. In ſuprema quoque Aëris Regione, videmus generari Meteora ignita, cometas, fulmina: Ignis igitur ſurſum eſt: iſque verum corpus. Vterque verò tum Aër, tum Ignis, ex primo illo ſunt chaos, vero corpore educti: vt Moſes docet: & verbo Dei creati. Vterque igitur res eſt corporea, verùmque Elementum. Ac tam vnus quam alter: *Rachiah* ſeu extenſio eſt perfecta: longitudinem habens, latitudinem, & profundum: eóque verum eſt στερέωμα, Firmamentum. infra quod ſunt Aquæ oceani. Vtrumque igitur corpus eſt ſupra nos exiſtens: vt & cœleſtes orbes, qui eodem nomine ſignificantur, vera ſunt corpora. Adde quod tam Aër, & ignis in ſua ſphæra: quàm orbes cœleſtes, vocantur שמים quòd ibi ſint Aquæ: & ipſi, ex aquea materia. Aqua autem verum eſt corpus. Partes ergo mundi omnes, ex quibus principaliter conſtat, vera ſunt corpora. Et hæc ſunt cœleſtes orbes, & Elementa, Ignis, Aër, Aqua, Terra. Sunt hæc mirabilia Dei opera.

THESIS II.

Cœlum & Elementa quatuor, non ſolùm ſunt primæ ac præcipuæ Mundi partes: ſed etiam ſolæ ex quibus principaliter & primo, compoſitus eſt.

SI enim aliud ſimplex corpus daretur, præter hæc, ex quo conſtaret Mundus. illud vtique, proprium & ſibi naturalem, ſimplicémque haberet Motum: Vnumquodque enim naturale & ſimplex corpus, vno etiam naturali, ſimpliciſque Motu mouetur. Atqui præter eos, quos nouimus in Mundo Motus ſimplices: nullus reperitur. Quali enim Motu mouebitur tale corpus, ex quo præter Cœlum & quatuor Elementa, compoſitus ſit Mundus? Num circulari? At, hic eſt proprius Cœli. Num huic contrario? At Motus circularis nullum habet contrarium. Num motu recto ſurſum? At hic eſt proprius Elementi Aëris. Num Motu deorſum? Sed hic non conuenit, niſi Elemento graui, & quidem ſoli. Ergo præter Cœlum & quatuor Elementa; aliud ſimplex corpus non inuenitur, nec inueniri poteſt: quod in Mundi compoſitionem venire queat. Adde quòd ſcriptura nullum aliud nouit præter hæc: vt & in hac Moſis hiſtoria, & alibi ſemper, vbi de partibus mundi primis è quibus conſtat, agitur, manifeſtum eſt. Neque etiam opus erat præter Cœlum, & quatuor elementa: alio corpore ſimplici, ad perfectam mundi conſtitutionem.

THESIS III.

Mundus igitur perfectus eſt.

OMnia enim continet corpora: (qua de cauſſa *vniuerſi* etiam nomine appellari ſolet:) & aliis non opus habet præter hæc, è quibus conſtat.

THESIS IV.

Omnes primæ Mundi partes, Cœlum & Elementa, eiuſdem ſunt ad materiam quod attinet, eſſentiæ: licèt formis differant, nobiliſſimaque ſit forma cœli, reliquarum omnium.

ARiſtoteles Cœlum voluit longè diuerſæ eſſe ab elementis, eſſentiæ: eóque *quintam eſſentiam* vocauit, neque corruptioni obnoxiam, neque leuem, neque grauem, neque duram, neque mollem, nulla denique qualitatum inferiorem conſtantem. Ratio huius ſententiæ fuit Æternitas mundi, quam ſibi ſomniauit. Plato meliùs ſenſit, qui ſcriptum reliquit in Timæo, Cœlum, licèt propter formam præſtantiſſimam, qua præditum eſt, longè diuerſum ſit ab Elementis: ex eadem tamen eſſe materia, ex qua & Elementa: eóque & qualitates Elementorum Cœlo attribuit, quanquam ſummè perfectas, ſummaque perfectione compactas. Quam ſententiam ipſe etiam Plotinus homo Chriſtianus, in libro *de Cœlo* defendit. Scriptura ſancta autem magis fauet Platonis quàm Ariſtotelis ſententiæ. Ex eadem materia prima, quæ aquarum nomine, quibus incubabat Spiritus ſanctus, compoſitos eſſe Cœlos, tam orbes cœleſtes, quàm Aërem & Ætherem, docet Moſes, vt ſuprà vidimus, quum dixit Deus, *Sit Rachiah*. Item eadem ſcriptura docet, totum mundum eóque ſingulas partes, tam Cœlum, quàm Elementa, initium habuiſſe, & finem quoque habiturum eſſe. Renouatum enim iri totum; vt ſit Cœlum nouum & Terra noua. Vna igitur omnium materia, & eſſentia, quanquam formæ diuerſæ.

THESIS V.

Etſi vero diuerſa ſit eſſentia ab Elementis; Cœlum: maxime inter ſe differunt illud, & iſta.

OMnia enim Elementa aut grauia ſunt, aut leuia, eóque aut ſurſum aut deorſum feruntur. At Cœlum neque ſurſum neque deorſum moueri poteſt, ſed tantùm circulariter, quòd propriè nec leue ſit, nec graue. Leue tamen, imò leuiſſimum omnium quodam modo dici poteſt, quatenus

[illegible] nobis eſt, tanquam in ſubiecto, non autem in Deo, ſed à De[illegible] ideo nos ſumus, qui volumus & perficimus, ſed ex De[illegible] quia ab illo acti agimus, quanquam non coacti. In cor[illegible] quidē inferioribus paſſioni obnoxiis, ſępe cōtingit, [illegible]ud mo[illegible]er, etiam moueatur: quia omne agens, agendo repatitur, ab eo in quod agit, vt Faber ferrarius, dum cædit f[illegible]rum, & illud mouet, repatitur à ferro. quia illud cædendo f[illegible]gatur ipſe & cal[illegible]fit. Verùm hic Motus, in fabro non eſt, [illegible]quam in agente, ſed tanquam in patiente: Patitur enim à ferro, ex actione in ferrum. Certum igitur eſt, motum non eſſe in mouente, quatenus mouens eſt, ſed quatenus aliquid ab alio repatitur. Quia verò in Deum nulla cadit paſſio, idcirco agendo in nobis nil à nobis repatitur.

THESIS VI.

Ille Motus, vnus verè eſt numero, hoc eſt, continuus: vbi & mobile vnum eſt numero in toto Motu. Et vnum eſt Tempus, ſine vlla interruptione continuatum: Et vnus numero terminus, ad quem Motus terminetur.

Contra primum membrum eſt de quorundam ſententia, ſi homo viuus è turri cadens, inter cadendum in medio moriatur caſu. Ex homine autem viuo cadauer effectum, vt tale corpus in terram cadat. Duos enim ibi volunt eſſe Motus: licet vnus tantùm eſſe videatur. Quia duo diuerſa inter ſe fuiſſe mobilia, volunt, hominem & cadauer. Quanquam reuera non mouetur talis homo, deorſum vt homo, ſed vt graue corpus. Contra ſecundum eſt, ſi aqua primò aliquantum calefiat: deinde ab igne extrahatur: & tertiò denuò igni applicetur. Temporis enim hęc interruptio efficit, vt non ſit vnus & continuus, ſed plures Motus. Contra tertium eſt, ſi idem homo proficiſcatur ad aliquem locum ſanus, & inter eundum è ſano in morbum incidat: propter Motum vehementiorem. Duo enim etiam ibi ſunt Motus: localis vnus, alter verò alterationis, quia duo ſunt termini illius profectionis: Terminus loci, & alteratio.

THESIS VII.

Natura Motus ea eſt, vt niſi mouens & mobile ſimul ſint, & ſe inuicem aliquo modo tangant: Motus vllus fieri non poſſit.

Qvum dico *mouens* & *mobile*: intelligo mouēs & mobile proximum. Et quum dico *ſimul ea eſſe*: non intelligo in eodem prorſus loco: ſed quòd inter illa, nullum ſit intermedium, quod motum impedire queat. In omni motu locali recto hoc manifeſtum eſt. Si enim ſit naturalis; natura principium eſt eius motus. Quid autem magis tangit corpus naturale, quàm natura? Si animalis ſit, anima itidem, corpus animalis, perfectiſſimè tangit; cùm ſit in eo forma. In violēto motu, idem patet: ſi quis ſingulas eius ſpecies examinet: quæ ſunt, pulſio: quum quis mobile, aut ita impellit, vt illud non deſerat, donec ad finem perducat quò vult: Vt quum quis agitat equum: aut expellit, vt à ſe abiiciat, Neutrum ſine tactu mouentis fieri poteſt. Altera ſpecies eſt vectio, quum quis vel curru, vel equo, vel naui vehitur. Hic *vehens* & *vectum* ſeſe mutuò tangant neceſſe eſt. Tertia eſt tractio, quum mobile trahitur ad mouens. Sic Pater trahit nos ad ſeipſum: ideo pulſioni opponitur. Tractio localis eſt, vt quum nauim ad ſe in littus trahit nauta: neque hic motus fieri poteſt ſine tactu mouentis & moti. Quarta eſt, vertigo, motus ex pulſione & tractione compoſitus: vt quum quis aliquid mouet in gyrum & circulariter. Neque hunc motum fieri poſſe, ſine contactu mouentis & rei motæ, nimis apertum eſt. De motu ſimpliciter circulari, vti eſt cœlorū, idem apparet. Nam omiſſa Philoſophorum ſententia de intelligentiis alligatis ipſis cœlis, manifeſtum eſt, inferiores cœlos tangi & trahi à ſuperioribus: ſupremum verò; immediatè à Deo qui omnia implet. In motu alterationis, idem etiam probat Ariſtoteles: alterans, ſcilicet & alteratum ſeſe mutuò tangere, vt ignis lignum dum illud comburit: & ita de reliquis. Et ſenſus externi non mouentur ab obiectis externis, niſi per ſpecies ab obiectis in aërem abſtractas: & ab aëre in ſenſus perlatas: multò verò magis in guſtu & tactu id fit. Quæ enim guſtamus aut contrectamus, craſſiſſimè tangimus. De motu augmenti & decrementi, id probat hoc modo Ariſtot. Augmentum fit, prout aliquid adricitur priori quanto. Atqui augens non poteſt adiicere aliquid, niſi tangat id, cui adiicitur. Idem fit in decremento per detractionem. Mouens igitur & motum proximum in omni motus genere ſe inuicem tangunt. Imò & remota ſe tangunt ſua ſaltem virtute. Cœlum enim vi ſua tangit inferiora, vt Sol ſua luce. Ita Deus in nobis non agit, niſi præſens per ſuum Spiritum: ita & Chriſtus. Habitat enim in cordibus noſtris; Neque à nobis recipitur eius caro in Cœna, niſi præſens: ſed vi ſui Spiritus, vt Sol ſuis radiis. Mouens igitur & Motum, ſemper & in omnibus, ſeſe aliquo modo tangunt.

IV. De Motuum generibus.

THESIS I.

Sex ſunt Motuum genera: Generatio, Corruptio, Incrementum, Decrementum, Alteratio, Loci mutatio.

Etſi enim generatio ipſa propriè non eſt Motus: ſed terminus Motus: neq; interitus Motus eſt, ſed finis Motus, vt ſcitiſſimè declarant Philoſophi: quia tamen Motus denominatur, & denominari debet à termino, ad quem tendit, non autem à termino à quo recedit mobile, & terminus Motus ad generationem, eſt ipſa animalis generatio ſeu ortus; & ita etiam de interitu; idcirco meritò Motus ad generationem *generatio*, & Motus ad interitum, *interitus* nominatur. Vnde & vita impiorum peſſima, quia ad mortem tendit; *mors* potiùs appellatur in S. literis, quàm vita. Et de vidua improba ait Apoſtolus, *eam in delitiis mortuam eſſe, non autem viuere*: quia motus quiſque à termino ad quem denominari debet. Omnis autem res mota, aut ad ortum, aut ad interitum, aut ad incrementum, aut ad decrementum, aut aliquam qualitatis commutationem, aut denique à loco ad locum progreditur. Inde ſurgunt ſex motus genera.

THESIS II.

Tres verò duntaxat ſunt ſpecies motus per ſe: Prima, incrementum & decrementum: Secunda, alteratio: Tertia, localis motus.

Generatio enim propriè motus non eſt: quia quod mouetur, actu eſt: quod generatur, nondum eſt actu, ſed potentia tantum. Deinde generatio fit in inſtanti, vt interitus: motus autem in Tempore. Ad quatuor autem prædicamentorum capita, omnia motuum genera referūtur: ad Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, Vbi, ſeu Locum. Ad ſubſtantiam enim pertinent ortus & interitus. Ad quantitatem, incrementum & decrementum. Ad qualitatem, alteratio; Ad vbi, localis motus. Hic, inter motus, ipſam generationem quoq; & interitum connumeramus: ſed impropriè accipiendo, ſcilicet generationem pro motu ad generationem.

THESIS III.

Omnis etiam motus aut naturalis eſt, aut violentus, aut animalis, aut voluntarius.

Vt ſex illa motuum genera, à diuerſis finibus & terminis, ad quos tendunt omnes motus, petita ſunt: ſi hæc altera partitio à variis motus principiis, ſumitur. Naturalis itaque motus dicitur ille, qui natura impellente, fit in eo, in quo eſt natura, ſiue motus iſte fit ad ortum, ſiue ad interitum, ſiue ad incrementum, ſiue ad decrementum: ſiue ad alterationem, ſiue ad locum. Violentus is eſſe dicitur: qui ab alio in aliud vi externa editur: vt motus ad interitum, per vim externam gladij, ignis & ſimilium: proiectio item lapidis ſurſum: & ſimiles alij multi. *Animalis* eſt, qui ab anima fit in animali: vt motus oculi, linguæ, totius denique corporis in animali: quatenus animal eſt. Dico *qua animal eſt*, quoniam ſi animal ex alto deorſum cadat, motus ille non eſt animalis: quia non eſt ab anima, ſed à grauitate naturali, qua corpus graue eſt. *Voluntarius eſt*, qui à libera proficiſcitur hominis voluntate. Poteſt autem idem motus, & animalis & violentus, & voluntarius eſſe, diuerſis reſpectibus. Vt ſi in ſublimem montem eum labore conſcendas, animalis eſt motus, quia anima eſt, quæ corpus eò mouet & trahit; violentus, quia naturalis non eſt corpori graui: ſed vi animæ eò violenter mouetur. Eſt item voluntarius, quia à libera tua proficiſcitur voluntate. Adde iam hic ſecundam ſpeciem, motum ſcilicet ſupernaturalem. Is eſt qui à Deo ſua gratia per Spiritum ſanctum in nobis exercitatur: vt omnes boni motus ſpirituales in animis noſtris.

THESIS IV.

Tres verò ſunt mutationis ſpecies. Prima à non ſubiecto in ſubiectum: ſeu à non eſſe ad eſſe. Secunda: a ſubiecto in non ſubiectum: ſeu ab eſſe ad non eſſe. Tertia, à ſubiecto ad ſubiectum: hoc eſt, ab eſſe, ad eſſe.

PRima eſt generatio: altera eſt corruptio: Tertia eſt motus augmenti & alterationis.

THESIS V.

Species verò localis motus ſimplicis, duæ ſunt: motus circularis & motus rectus: circularis eſt circa medium. Rectus autem ſurſum aut deorſum.

V. De contrarietatibus Motuum.

THESIS I.

Contrarietas in motibus non pendet neceſſariò à contrariis terminis, qui dicuntur termini à quibus: Vnde ſcilicet incipiunt motus: ſed à contrariis potiùs terminis, ad quos tendunt: & in quos deſinunt motus.

DVo enim contrarij motus, poſſunt ab eodem termino ſimul incipere. Vt igitur ſint contrarij: non requiritur, vt vnde incipiunt motus, termini ſint contrarij. Sunto enim in ſuprema aëris regione lapis & ignis: & ſimul lapis deſcendat, ignis autem aſcendat. Contrarij certè fuerint motus iſti, cùm vnus ſit ſurſum, alter deorſum. Contrarij tamen non fuerunt loci, vnde vtrumque cœpit moueri, ſed vnus & idem. Idem videre eſt in rebus ſpiritualibus. Contrarij ſunt motus electorum & reproborum: quoniam illi ſurſum tendunt, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: iſti verò deorſum, terrena ſapientes & tandem in barathrum cum diabolo deſcendentes. Vnde tamen vtrique ortum habent, & illorum vita incipit, idem eſt locus & terminus: Natura ſcilicet corrupta in ventre materno. Pendere autem contrarietatem motuum à contrarietate terminorum in quos deſinunt Motus, manifeſtum eſt. Quæ enim cauſſa eſt cur mortificatio & viuificatio, Motus ſint contrarij? quia nimirum vita & mors, in quos Motus illi tendunt, contrariæ ſunt. Dealbatio & denigratio contrarij Motus & operationes, quia nigredo & albedo contrariæ ſunt qualitates. Ergo vbicunque contrarij ſunt termini, in quos deſinit Motus, ibi contrarij ſunt motus & actiones.

THESIS II.

Mutationes illæ ſunt contrariæ, per quarum vnam acceditur ad terminum aliquem: & per quarum alteram, receditur ab eodem.

GEneratio enim ignis & corruptio eiuſdem, mutationes ſunt contrariæ, quia per generationem ignis itur ad eſſe ignis, & per eiuſdem extinctionem, receditur ab eſſe eiuſdem ignis. Nam ſicut generatio, eſt progreſſio, à non eſſe ad eſſe, ſic corruptio progreſſus eſt ab eſſe ad non eſſe. Itaque obedire peccato, & concupiſcentiis eius. & pugnare contra illud, contrariæ ſunt operationes, quia per vnam fouetur, per alteram euertitur peccatum.

THESIS III.

Motus opponitur quieti, priuatiuè in termino à quo.

MOtus enim opponitur quieti, ſicut Habitus Priuationi. Non opponitur autem quieti, quæ eſt in termino ad quem. Hanc enim Motus perficit. Opponitur ergo quieti duntaxat in termino à quo, priuatiuè. Exemplum in ſpiritualibus affero. Si moueatur Paulus à natura corrupta, in nouam creaturam; Motus hic *regeneratio* dicitur. Hæc autem regeneratio opponitur quieti in natura corrupta, ſed non in noua creatura. Noua enim creatura per regenerationem acquiſita, perficit regenerationis Motum.

THESIS IV.

Quies in termino à quo: & quies in termino ad quem, opponuntur.

TErminus enim à quo, & terminus ad quem, ſunt contrarij, quia Motus ſemper fit inter contrarios terminos. Quies ergo in termino à quo, & quies in termino ad quem, contrariæ ſint oportet. Exemplum. Regeneratio, Actio & Motus eſt, inter naturam corruptam, tanquam terminum à quo, & inter nouam creaturam, tanquam in terminum ad quem. Sicut ergo natura corrupta, & noua creatura contraria ſunt, ſic quies in natura corrupta, veterique homine, & quies in noua creatura, contrariæ ſint, neceſſe eſt.

THESIS V.

Non omnis Motus contrarius eſt omni quieti, nec contrà.

QVieti enim ſecundùm qualitatem, non opponitur Motus localis, imò ſtant ſimul. Poteſt enim iam calefactus deſiſtere à te magis calefaciendo; & tamen localiter moueri.

THESIS VI.

Quies violenta contraria eſt Motui naturali, & Motus violentus, quieti naturali.

VTrumq; per ſe eſt manifeſtum, in exemplo lapidis ſurſum detenti, aut proiecti.

THESIS VII.

Motus circularis non habet contrarium: Rectus verò habet.

QVi enim ſurſum eſt, contrarius eſt illi, qui deorſum fit.

THESIS VIII.

Motus circularis poteſt ſemper eſſe continuus ſua natura: Rectus non ita.

CAuſa enim cur Motus rectus non poſſit eſſe continuus, eſt, quia propriè inter duos terminos fit contrarios: à quo, & ad quem. Ideò quum peruenitur ad vnum illorum, redire inde non poteſt ſine quiete. Circularis verò propriè inter contrarios terminos non fit: ideò reflexione opus non habet, quæ ſine quiete fieri non poteſt.

THESIS IX.

Motus rectus naturalis & violentus opponuntur: quia præter alia, Motus naturalis velocior eſt in fine, violentus verò, in principio.

THESIS X.

Motus magis opponitur Motus, quàm quies.

QVies enim in termino, à quo, quæ opponitur motui, qui ab eodem eſt termino, habet aliquam ſimilitudinem cum eo. Ratio eſt, quia quod mouetur, non ſtatim abiicit terminum à quo, ſed aliquantum dicitur adhuc quieſcere, ſeu eſſe in eo, antequam peruenerit ad terminum ad quem. Sed Motus nullam habet ſimilitudinem cum Motu ſuo contrario. Magis igitur opponitur Motus motui, quàm quieti. In rebus ſpiritualibus idem accidit. Qui recedit à peccato, in quo quieſcebat ad iuſtitiam: huius Motus ad iuſtitiam, aliquid adhuc ſimilitudinis habet cum quiete, qua quieſcebat in peccato. Adhuc enim aliquo modo in peccato eſt, ſeu hæret. At verò qui contrà à iuſtitia ad peccatum properat: huius Motus nullam habet ſimilitudinem, cum motu alterius: ſed ex diametro cum illo pugnat.

VI. De Finibus & Vſibus Motus.

THESIS I.

Motus ad quietem tanquam ad finem proprium ordinatus eſt, ſicut pugna ad pacem.

IDeò enim vnumquodque naturaliter mouetur, à termino à quo, ad terminum ad quem, vt in hoc adepto conquieſcat.

THESIS II.

Quies autem ad quam ordinatur motus: aut eſt in acquiſita ſubſtantia, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in loco.

IN ſubſtantia: vt motus ad generationem. Ideò enim inſtituta eſt generatio, vt quod erat tantùm potentia, fiat actu per formam ſubſtantialem, & in ea conquieſcat. In quantitate; vt motus incrementi. In qualitate; vt motus alterationis. In loco; vt motus ad vbi. Ideò enim ordinati & inſtituti ſunt motus à Deo: vt corpora augeri, nouam qualitatem adipiſci, & nouum locum naneiſci poſſint. Atque vbi ad debitum incrementum, qualitatem, locum, peruenerint, in eo conquieſcant. Ad veram igitur generationem, incrementum, nouarum qualitatum adeptionem, & locorum mutationem, eóque ad commodum noſtrum, totiúſque mundi conſeruationem, vitam, gubernationem, ornatum: omnes iſti motus per ſe ordinati ſunt, & ex conſequenti ad gloriam Dei.

THESIS III.

Ordinatus eſt etiam motus ad cognitionem Dei, primi motoris, eiúſque immobilis.

CVm enim omne quod mouetur, ab altero moueatur: omnia autem creata, moueri cernamus: neceſſariò concludimus eſſe aliquod primum, increatum, æternum, immutabile, à quo omnia moueantur: ipſum manens immobile. Hic verò eſt Deus. Finem hunc docet Apoſtolus ad Rom. 1. Hæc ſunt quæ de Motu, notatu digna eſſe iudicaui. Ac proinde volui breuiter ea ex Ariſtotele collecta in medium adferre, vt quanta ſit Dei potentia, ſapientia, bonitas, ex ipſo etiam Motu, quem in rebus eſſe voluit, luculenter appareret. Reliqua quæ ſcribit de comparatione Motuum inter ſe lib. 7. iis facilè carere ſine magno damno poſſumus. Quæ verò de æternitate Motus in 8. diſputat, tanquam impia omnino nobis omittenda fuerunt. Nouimus enim ex Moſe, Motum, ſicut & Tempus, habuiſſe principium in ipſa mundi creatione.

CAPVT VII.

De Tempore.

PRAETER alia contemplatione digniſſima, quę in operibus Dei non ſolùm conſpicio, ſed etiam ſuſpicio, eſt Tempus. Quo omnia omnéſque motus interni, & externi, omnes denique actiones & cogitationes, menſurantur, & ſine quo nihil fieri aut potuit, aut poteſt. Cuius ſicut exacta cognitio perdifficilis eſt; ita etiam mediocris, eſt ad res multas & magnas vtiliſſima. Quandoquidem igitur dictum eſt de motu: motus autem, ſubiectum eſt, vt Peripatetici docent, Temporis, atque, vt Ariſtoteles loquitur, ἅμα κινήσεως αἰσθανόμεθα καὶ χρόνου: Motus ſimul & Temporis ſenſum habemus, ideircò poſt locum de motu, neceſſariò mihi dicendum eſſe videtur de Tempore. Illa enim de motu tractatio, ſubſternit viam huic de Tempore. Bifariam autem de Tempore loqui poſſumus. Primum quidem in genere, quatenus Tempus ſpatium quoddam eſt durationis rerum conditarum, menſuráque certa ipſi motui cum primis inſita, qua ipſe & ſingulæ eius particulæ, etiamſi reipſa à nullo intellectu menſurarentur, menſurabiles tamen ſunt per ſe. Videmus enim apud Moſen, nondum creato homine, qui motum menſuraret: fuiſſe tamen Tempus ab initio mane & veſperam, diémque ex vtroque conſtantem. De Tempore igitur loqui hoc primo modo poſſumus, prout eſt quoddam durationis cuiuſlibet rei conditæ ſpatium, quædámque naturalis, omni etiam excluſo menſurante, menſura, à natura, rebus motuique inſita: vt accidens ſuo ſubiecto: qua menſurabilis eſt, & motus ipſe, & res omnes conditæ. Alter modus eſt, quo conſideratur Tempus, quatenus creatis iam hominibus reipſa obſeruatum fuit, & diſtinctum in momenta, in horas, in dies, in hebdomadas, in menſes & annos, quibus in rebus nonnulla etiam varietas, apud varias gentes ſpectata, & ſpectatur adhuc. De hoc altero modo, vt poſterior eſt, ſic etiam poſteriori loco dicemus, nempe vbi peruenerimus ad diem, vbi Moſes ait, *creatum fuiſſe Solem, Lunam & Stellas: vt eſſent, in ſigna & tempora, dies & annos.* De Tempore nunc dicendum iuxta priorem modum, conſiderato: Multa verò de Tempore diſputarunt Philoſophi, & quàm plurima Auguſtinus. Sed reiectis tum difficilioribus quæſtionibus ac ſubtilitatibus, tum iis quæ cum ſacris ſcripturis pugnant, rem ipſam, vt confido, planam faciam. Quatuor autem mihi dicenda ſunt.

Primò. Quid ſit tempus?

Secundò, Vbinam ſit? An extra animam in motu ipſo? An in Anima? An in vtroque ſimul?

Tertiò, Quæ temporis partes ſint?

Quartò, Quænam Tempori ſint obnoxia, illóque menſurentur.

I. *Quid Tempus?*

Quò verò meliùs, quid Tempus ſit intelligamus, videndum quid non ſit: refutatis quorundam Philoſophorum opinionibus de eſſētia Temporis. Id faciam certis Theſibus.

THESIS I.

Tempus non eſt æternitas, hac ſola ratione (vt falſo docent Platonici nonnulli) ab ipſa diſcrepans, quod æternitas in quiete: Tempus verò in Motu poſitum ſit.

AEternitas enim duratio eſt, neque initium habens, neque ſucceſſionem, neque finem, ſed æterna ſtabiliſque manens. Tempus autem initium habuit, & ſine ſucceſſione Tempus non eſt, eſſe vè poteſt. Præterea ſi hac tantùm re differat Tempus ab æternitate, quod hoc in motu cœli ſit, illa verò in ſempiterna quiete. Ergo ſi cœlum non moueretur, nulluſque daretur motus: Æternitas à Tempore nil differret, eadémque eſſet omnium, Dei nimirum & rerum à Deo conditarum duratio.

THESIS II.

Tempus propriè non eſt ipſe Motus.

PRobat hoc Ariſtoteles in Phyſicis, multis rationibus. Motus enim per ſe & propriè dicitur, & eſt vel tardus vel velox; Tempus autem impropriè, & non niſi motus reſpectu, tale eſſe dicitur. Eſt etiam Tempus, vt à Peripateticis definitur, menſura, numerúſque motus. Multum autem differt menſura, à re cuius menſura eſt. Non igitur Tempus eſt motus.

THESIS III.

Neque ſimpliciter eſt ἀριθμὸς τῆς κινήσεως, vt definiuit Ariſtoteles, κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον.

MOſes enim Tempus fuiſſe docet, ante creatos cœlos, quos vnà cum ſphæra ignis & aëre expanſis, nomine *Rachiah*, ſeu *firmamenti* intellexit; nam hi creati ſunt ſecunda die. Antè igitur fuit primus dies, vt Moſes ait, eóque tempus. Ariſtoteles autem quum dixit *tempus eſſe menſuram Motus:* Motum primi Cœli intellexit, de omnium interpretum ſententia. Quòd ſi excipias, licèt extenſio cœlorum facta fuerit ſecunda die: primo tamen fuit creata lux quæ ſuo motu effecit veſperam & mane, & ex illis diem: reſponſio facilis eſt. Conſtat, materiam primam, terrám ſcilicet, creatam fuiſſe in tempore, aut ſaltem cum tempore. Nullus tum adhuc erat motus lucis, quæ nondum erat condita, neque lux confecit totum illum diem primum, ſuo curſu. Dies enim primus, initium accepit à creatione materiæ primæ. Alioqui ipſa non foret opus illius diei, neque illo tempore fuiſſet facta. Lux autem poſt materiam primam, creata fuit. Fuit igitur Tempus ante motum vel cœli, vel lucis primæ, quæ ex nubecula fuit in corpus ſolare poſtmodum conuerſa. Adhæc, licèt Tempus iam non ſit ſine motu, & vt verè dicit Ariſtoteles, neque motum ſine tempore, neque tempus ſine motu percipere poſſimus, tamen tempus potuit eſſe ſine motu. Vt enim æterna ſuam habent durationem, ſine motu continuam, & ſempiternam, qua modo ſuo menſurentur à Deo ipſo, ſic etiam ſuam potuerunt habere temporaria, finitam, qua ſine motu itidem menſurarentur. Horum autem duratio propriè tēpus eſt. Tempus igitur menſura eſſe potuit ſine motu. Sed additus illi porrò eſt motus vt per hunc, Tempus, hoc eſt, rerum duratio, meliùs diſtingueretur. Per motum enim clariùs, quàm per quietem ſine motu, cognoſcimus, & diſtinguimus Tempus. Addam ex Plotino in libro de Æternitate & Tempore hanc etiam rationem. Si tempus eſt menſura motus; aut iſta menſura motus diuerſa eſt & disiuncta à motu; aut coniuncta. Si disiuncta, ergo motus ſine menſura eſt, & menſura ſine motu. Si coniuncta, ergo tam motus menſura erit temporis, quam

tempus

tempus ipſius motus. Non eſt igitur propria Temporis definitio, illud eſſe menſuram motus Sed ad extremum addamus nos rationem, cur Ariſtoteles Tempus ſic definierit, ea eſt, quia ſenſit motum eſſe æternum, mundúmque & quæ in eo ſunt, ſine motu eſſe non potuiſſe. Vtrumque verò falſum eſt, Quare Ariſtotelis definitionem, vt ſimpliciter non damnamus, ſic neque ſimpliciter probare poſſumus. Ac potiùs declarauit, vt Plotinus ait, cuiuſnam rei proprium ſit Tempus: nempe ipſius motus; quàm quid ſit. Potuit enim eſſe tempus ſine motu; ſed nequaquam motus ſine tempore. Et ad diſtinguendam cuiuſque rei durationem, à duratione alterius: vtimur motu cœli. Dicimus enim diutiùs vixiſſe & duraſſe ſuper terram Mathuſalah ipſo Abrahamo: quia plures annos vixit. Anni autem conficiuntur, & menſes, & dies, & horæ, ex motibus cœlorum: vt ſuo explicabitur loco. Sed ad diſtinguendum motum à motu, non vtimur ſimpliciter tempore: ſed diuerſis mobilibus, diuerſiſque finibus. Sic igitur deſcribi poſſe cenſemus tempus quantum Chriſtianæ vitæ ſatis eſt.

THESIS IV.

Tempus eſt ſpatium, ortum habens: reipſa per ſe continuum, ratione autem, per prius & poſterius, tanquam per ſuas partes, diuiſibile, quo vnaquæque res, ipſiúſque motus, per ſe menſurabilis eſt: ad motum autem cœli, reipſa à nobis, animo menſuratur.

QVum *ſpatium* voco intelligo durationis; non autem locale ſpatium. Sic enim ſoliti ſumus loqui; *ſpatio vnius horæ legitur: ſpatio vnius anni vixit*, hoc eſt, perdurauit in vita. Spatium igitur eſt duratio. 2. Dixi *ortum habens*. Hoc addidi aduerſus eos, qui tempus contendunt æternum. 3. Reipſa per ſe continuum. Continuum enim id eſſe definitur, quod ſuas partes habet reipſa coniunctas. Tale autem eſt ſpatium durationis cuiuſque rei. Si enim non ſit continuum: non fuerit ſpatium vnum, ſed multa ſpatia. Verùm ſicut ſpatium locale, eſt quoddam continuum, ſic etiam ſpatium durationis. Et vt motus eſt actus continuus rei mobilis, quo indeſinenter à termino à quo, ad terminum ad quem mouetur. Sic tempus eſt quoddam continuum cuiuſque rei ſpatium, quo in ſuo vel Eſſe ſimpliciter, vel tali Eſſe perdurat. Quarto dico diuiſibile eſſe, hoc eſt, diuidi poſſe ratione; per prius & poſterius, tanquam per ſuas partes. Sic enim in motu, licèt ſit quoddam continuum, prius tamen & poſterius repetiuntur, per quæ, tanquam per partes eius, ratione & mente diuiditur, vel potiùs diſtinguitur. Sic etiam idem videre eſt in omni ſpatio, tam durationis quàm locali. Omne enim ſpatium eſt ſicut linea. Etſi autem linea eſt continuum quiddam, prior tamen & poſterior pars in ea, per punctum in medio aſſignatum, reperiuntur & per illum inter ſe diſtinguuntur. Ergo ſicut linea licèt à nemine menſuraretur: tamen propter has ſuas partes, per ſe menſurabilis eſſet: Sic etiam ſpatium durationis cuiuſque rei, per ſe menſurabile eſt, propter has partes. Cape exemplum ab Horologio. Etiamſi nemo obſeruaret, metireturve curſum Solis, quem intra ſpatium vnius horæ conficit: menſuratur tamen in horologio per partes priores & poſteriores continuè fluentes. Ergo etiamſi nullum eſſet horologium: ſpatium tamen illud menſurabile foret ſua natura, per partes priores & poſteriores, quas habet. Ita apparet, ſi ſpatium durationis cuiuſque rei, per ſuas partes diuidi & diſtingui ratione poteſt: hoc etiam ſpatio vnamquamque rem & motum menſurari poſſe. 5. Poſtremò adieci: *Hoc durationis ſpatio vnam quamuis rem ad motum cœli reipſa à nobis menſurari.* Motum enim cœli obſeruamus: & hoc, reliqua omnia, eorúmque motus & durationes, ætatéſque metimur. Decurſum enim vnum ſupremi cœli, dicimus, idque iuxta ſacras Literas, ſpatium eſſe vnius diei. Decurſum Lunæ, ſpatium vocant vnius menſis. Decurſum Solis, ſpatium vnius anni, ad quas tres, reliquæ etiam referuntur durationes omnes. His itaque cœleſtis curſus partibus reliquarum rerum omnium, earúmque motuum ſpatia metimur. Vt dicimus aliquem vixiſſe, aut cucurriſſe, aut aliquid aliud egiſſe, vno die, vno menſe, vno anno vel pluribus. Ita apparet, motum, nempe cœleſtem, menſuram potiùs eſſe omnium temporum: hoc eſt, illud eſſe quo omnium temporum & durationum ſpatia metimur: quàm vt ſit tempus ſimpliciter menſura illius Motus. Aliquid enim ampliùs ſignificat illud Tempus: quàm menſuram cœleſtis Motus: vt ſuprà oſtenſum eſt ex ipſo Moſe. Primus enim dies incepit antequā lux crearetur: quæ ſuo decurſu confecit abſoluitq; diem vnum.

Cæterùm, vt iam ſe res habent ex diuina ordinatione, præſertim verò ſi Motus eſſet æternus; vera eſſet temporis definitio ab Ariſtotele allata; modò bene etiam intelligatur, Eſſe nimirum menſuratam, hoc eſt, motum mēſuratum, ſecundùm prius & poſterius; quo deinde alij motus menſurantur. Motum enim cœleſtem, quem æternum eſſe putabat, tanquam per firmam immutabiſémque menſuram, alios omnes motus à nobis menſurari certum eſt. Sit itaque Tempus continua cuiuſque rei duratio, quam Motu cœli, κατ' ὕϛερον καὶ πρότερον menſuramus. Sic ſentio perſpicuè intelligi poſſe, quid ſit proprie Tempus. Summa; ſpatium durationis, cuique rei, actionique à Deo conſtitutum: Tempus illius rei eſſe dicitur. Menſuratur autem re ipſa cuiuſque rei, Motu actioniſque duratio, Motu cœleſti, per prius & poſterius, vt dictum eſt; ab aliqua mēte obſeruato atq; diſtincto.

II. Hinc manifeſtum eſt, *vbinam ſit Tempus.*

THESIS V.

Tempus fundamentum, quo nititur, habet, cum in rebus omnibus earúmque motibus, tum maximè in Cœlo, & eius Motu. Complementum verò in animo, qui illud metitur & numerat.

OStenſum eſt enim Tempus eſſe realem cuiuſq; rei durationem, ſeu ſpatium durationis, quo fit, vt etiāſi nullus adſit ſpiritus, qui numeret, hoc eſt, menſuret, menſurabile tamen ſit per ſucceſſiuas partes. At verò actu menſurari, menſurative non poteſt, niſi à ſpiritu, & anima. Anima enim ea eſt; quæ ſicut in Motu, ſic in tempore apprehendit partem priorem & poſteriorem. Sic ſentiunt Philoſophi de omni ente ſucceſſiuo, Motu & Tempore, quod minimè pugnat cum ſacris Literis.

THESIS VI.

III. Tempus etſi quoddam eſt continuum: partes tamen habet, ratione diſcretas: præteritam & futuram: quarum terminus vtramque diſtinguens eſt inſtans ſeu præſens: τὸ νῦν: & ideò de omni Tempore ſemper reſpondetur, aut de præterito, aut præſenti, aut de futuro.

PRæſens eſt τὸ νῦν: quòd mente collocatum in Tempore illud ſecat in præteritum, ac futurum: ſicut punctum in linea. Ideò τὸ νῦν, propriè non eſt pars Temporis, ſed terminus, cuius relatione intelligitur, quid ſit prius quídve poſterius. Hinc itidem perſpicuum ſit

IV. Quænam Tempori ſint obnoxia.

Quidam entia diſtinguunt in tria genera: In Deum: in entia creata: ſed ſpiritualia atque intelligibilia: vt Angeli ſunt: Et in corporata ex Materia & Forma compoſita. Deo tribuunt æternitatem & quidem meritò: corporatis, Tempus: Angelis medium quiddam, quod *æuum* vocant. Sed ro vera cuiuſque rei duratio, aut æternitas eſt, aut Tempus. Tempus enim vt diximus, eſt cuiq; rei creatæ duratio: initium habens & ſucceſſionem. Proinde eùm etiam Angeli creati fuerint: & ſucceſſu etiam alicuius Temporis, licèt nobis incogniti, quidam defecerint à veritate, à Chriſtiana pietate non aberrat qui eos, quod ad ipſorum ſubſtantiam & eſſe attinet, Tempore menſurati poſſe dicit. Poſſumus enim affirmare, eos tot annos iam fuiſſe, & in ſuo ſtatu continuaſſe, quot etiam totus hic Mundus. Ante Mundum enim demonſtrauimus non fuiſſe creatos: Sed intra ſex illos dies, de quibus ait Moſes, ceſſaſſe Dominum ſeptima die ab omni opere, quod pararat.

Cæterùm quatenus tempus ferè ſumitur pro mēſura motus cœli, cui motui obnoxia non ſunt, niſi corporata, & paſſioni, mutationiq; obnoxia: Eatenus etiam non ſolent huic tempori ſubiici Angeli: quod ad ipſorum actiones, motus, & operationes attinet. Non enim Phyſicè vt corpora naturalia, mouentur, operantúrve: idcircò Petrus ait; *apud Dominum in cœlo mille annos eſſe ſicut diem vnum.* Hæ enim temporis differentiæ, quas hic ſpectamus, quatenus tempus diuiditur, in dies, horas, menſes: in Cœlo Beatorum, non ſunt. Tempori igitur propriè non ſunt obnoxia, niſi quæ infra Cœlum illud ſunt.

CAPVT VIII.

De loco & vacuo.

AD motum, duo ſpatia pernecessaria ſunt: ſpatium durationis, quod eſt tempus. Omne enim quod mo-

uetur, in tempore mouetur. Et ſpatium locale: Omne enim quod mouetur, in aliquo loco moueatur, neceſſe eſt. Quandoquidem igitur diximus de tempore, quantum iudicauimus, piis omnibus, præſertim Theologiæ ſtudioſis ſatis eſſe debere. Reſtat, vt iam dicamus de loco. Dicendum autem eſt *primò*, Quid ſit locus. Nam eſſe locum, manifeſtum eſt, tum experientia: tum quia omne corpus, in aliquo contineatur loco neceſſarium eſt. *Deinde*, quotuplex ſit Locus. *Poſtremò*: De varia ratione qua res dicuntur eſſe in loco.

Quæſtionem, quam de infinito præmittit Ariſtoteles tractatur de loco, non hic omittimus: quod nihil ſit nobis certius, quàm quicquid à Deo creatum eſt, finitum eſſe: Eſſentia, magnitudine, virtute. Numerum quoque rerum creatarum, finitum eſſe liquet. *Omnia in numero, pondere, & menſura feciſti Domine* ait Sap. Solum verò Deum infinitum & immenſum eſſe, non magnitudine corporis, incorporeus cùm ſit: ſed eſſentia, potentia, ſapientia, attributisque omnibus eſſentialibus, vt veriùs dici poſſit, Deum eſſe ipſam eſſentiæ infinitatem, quàm infinitum: certò certiùs eſt. *Omnia enim implet ſua eſſentia: atque ita implet, vt Cœli capere illum non poſſint*, ſicut loquitur ſcriptura. Rationibus quoque tale infinitum dari, demonſtrauit Ariſtoteles. Si enim omnia quę in mundo ſunt, adeóque & mundus ipſe, finita ſunt: ad aliquod tandem infinitum, à quo cuncta contineantur, neceſſe eſt, vt perueniatur. Neque enim ab alia re finita, contineri poſſunt: quoniam ipſam quoque ab alia ſe maiore contineri oporteret. Sicque aut in infinitum abeundum eſſet: aut tandem veniendum ad aliquam rem infinitam, quæ reliqua omnia continens, ipſa à nemine contineatur. Hic itaque eſt Deus noſter: Solus immenſus & infinitus. Nam extra ipſum nihil poteſt eſſe, aut actu, aut etiam poteſtate infinitum: cùm omnia ſint compoſita, ex actu ſaltem, & potentia: Quod autem eſt compoſitum, infinitum eſſe nequit, quin & partes, ex quibus conſtat, infinitæ ſint, quod prorſus ἀδύνατον eſt. Plura enim eſſent infinita: non vnum: quo quid ſtultius? Maneat igitur firmum, omne creatum eſſe finitum: alioqui non daretur locus à quo contineatur. Datur autem locus. Nunc ergo redeamus ad locum: De primo:

I. Quid ſit Locus.

THESIS I.

Tres ſunt loci definitiones: quarum duæ falſæ: tertia vera eſt.

PLato in Timæo locum definiuit eſſe materiam ipſam primam: propterea quòd capax ſit omnium formarum, omnéſque in ſe recipiat. Improbat hanc definitionem Ariſtoteles multis rationibus; & meritò: ſi propriè loquutus ſit Plato. Sed figuratè eum eſſe loquutum, manifeſtum eſt. Similitudine enim materiam dixit eſſe locum: quòd ſicut locus eſt, qui continet corpora omnia: ſic Materia continet Formas omnes: quemadmodum etiam Plutarchus de placitis Philoſophorum teſtatur, & Simplicius demonſtrat. Philoſophi porrò ante Platonem, locum definierunt eſſe ſpatium, vacuum ab omni corpore: vt in eo corpora capi poſſint. Quam ſententiam poſtmodum ſecuti ſunt & alij: ipſe etiam Lucretius Poëta dicens, *namque eſt in rebus inane*. Hanc quoque multis improbat Ariſtoteles; ac demonſtrat minimè dari locum, ſeu ſpatium vacuum, iis potiſſimùm rationibus. 1. Quia ſi daretur locus vacuus; atque ita ſpatium hoc in quo mouemur, eſſet inane quoddam, tolleretur motus localis, tam naturalis quàm violentus. Ibi enim non eſſet vel ſurſum, vel deorſum, nullúmque interuallum; quod tamen neceſſariò requirit Motus. Vacuum enim ſeu inane, nihil eſt, ſeu non ens. In non ente autem, nulla eſt differentia; Nulla igitur loci differentia in vacuo: Item ſi fieret ibi Motus, fieret in inſtanti. Nihil enim Motum retardaret. Omnis autem Motus in tempore, & per ſucceſſionem fiat, oportet. Experientia quoque demonſtrat, vacuum non eſſe in natura. Cur enim è dolio, vini pleno, vinum non effluit niſi deſuper aperiatur; quo aër in locum vini defluentis ſuccedat? alia cauſſa non eſt: niſi quia Natura ferre non poteſt vacuum. Idem multis aliis experientiis demonſtrari poteſt. Nullus igitur in Natura vacuus locus. Ariſtoteles igitur ſic in ſumma definiuit locum: *Locus eſt ſuperficies vltima corporis continentis, quæ immediatè tangit locatum.* Vti eſt ſuperficies concaua alicuius vaſis, puta poculi: vinum aut aquam continentis. Eſt enim primùm, ſuperficies vltima corporis continentis, nempe poculi. Deinde continet immediatè, & tangit aquam vel vinum, quod in poculo continetur. Nihil enim medium intercedit inter ſuperficiem vltimam poculi concauam, & inter vinum. Res eſt perſpicua. Cùm enim omnia corpora in aliquo loco contineri oporteat; Locus verò à re locata differat: plenus autem corporibus ſit aër, ita vt vbi vnum eſt, alia ſolidiora ibi non ſint corpora, efficitur, locum eſſe illam extremam aëris partem, quæ corpus locatum complectitur, & ambit; & quaſi in ſuum recipit ſinum; ſeſe inſtar matris, ad figuram corporis locati, accommodás: ad rotunda corpora, ſeſe etiam rotundam reddens, ad quadrata, quadratam. Totam enim ſuperficiem locati ambit perfectiſſimè.

Etſi verò ſuperficies illa vltima aëris ita ambiat locatum; cum eo tamen non mouetur: ſed corpore moto, noua ſemper ſuccedit ſuperficies. Proinde quo meliùs loci natura intelligatur: notandæ quædam loci proprietates, quas Ariſto. indicat. 1. Locus continet ea, quæ in ſe ſunt: ipſe autem ab eis non continetur. 2. Locus eiuſdem ſemper eſt Formæ, cuius & res locata: vt iam explicatum eſt: ac proinde illi æqualis. 3. Locus nihil eſt eorum, quæ continet, ſed ſemper ab eis differt: vt moto corpore, noua ſemper ſuccedit aëris ſuperficies, eóque nouus locus. Sic ſuperficiei ac loco deſerto, nouum ſemper ſuccedit locatum: ne detur vacuum. Aëre enim illud ſpatium ſtatim impleri, vnde recedit corpus locatum, patet. Qua in re magnam videmus Dei ſapientiam & bonitatem: qui voluit, & aquam, & aërem, & ſphæram ignis, & omnes cœlos tantiſper nobis cedere: donec tranſeamus per illa noſtris corporibus: mox verò ad ſe redire: ne quidpiam inane videatur Deus in mundo reliquiſſe. Tanta etiam eſt loci naturalis vtilitas, ſuauitas, vt omnes res in ſuo cupiant eſſe loco, aut ſi abſint per vim, eò redire conentur. Hæc de loci eſſentia atque natura: qui ſubſtantia non eſt, ſed accidens: Extrema ſcilicet ſuperficies corporis locantis, ſuperficiem corporis locati immediatè tangens atq; complectens.

II. Quotuplex Locus.

THESIS I.

Bifariam diſtingui ſolet Locus, in communem omnium, & in proprium cuiuſque.

COmmunis omnium, puta volatilium, quadrupedum, & arborum, eſt aër: piſcium, aqua. Proprius verò cuiuſque, eſt illa concaua & vltima Aëris, vel Aquæ, vel alterius rei, ſuperficies: quæ extremam corporis Locati ſuperficiem conuexam immediatè tangit, atque continet, vt ſuprà dictum eſt. Sic autem definiri ſolent *Communis locus, cuius aliquæ ſunt partes, quibus nulla pars corporis Locati reſpondet.* Contrà Proprius eſt, cuius cuilibet parti aliqua ipſius Locati pars reſpondet: ita vt totum & ſolum Locatum, à tota ſuperficie contineatur.

THESIS II.

Deinde diuiditur Locus in naturalem & violentum.

NAturalis eſt, ad quem res ſingulæ ſponte properant & in eo etiam, vltrò ſe continent: vt eſt terra grauibus corporibus: Aër autem leuibus. Violentus eſt, quo corpora vi illata: inuita etiam & contra ſuam naturam detinentur: vt eſt lapidi Aër, igni verò Terra.

THESIS III.

Differentia verò cuiuſque Loci, eſt ſupra, & infra.

QVI verò fit, quòd ſingula extra naturalem Locum, in Loco violento poſita: naturali teneantur deſiderio inde recedendi, & in ſuum quidque naturalem locum contendendi, ibique permanendi? Reſpondent Philoſophi, id fieri propter ipſorum commodum, atque vtilitatem: quòd vnaquæque res meliùs ſeruetur in loco naturali, quàm in violento: vt piſces in aqua, quàm extra aquam. Vnde etiam quiſque hominum naturaliter libentiùs in ſua degit patria, tanquam in Loco naturali, quàm extra patriam: quòd neſcio quo modo, commodiùs ibi habeat, quàm alibi. Nam quòd quis libentiùs extra patriam ſit: id eſt ex accidenti. Cæterùm ego aliam ex ſcripturis colligo rationem. Ea eſt, *Dei ordinatio.* Quia enim vnicuique rei ſuum deſtinauit Locum, qui etiam hanc ob cauſſam dicitur naturalis ei eſſe: quia ſcilicet à Natura prima, quæ eſt Deus, illi deſtinatus eſt: Deus autem vult, vt omnia ſuum ſeruent ordinem, quem in mundo ſtatuit, quum crearetur: idcircò fit, vt vnumquodque corpus naturale, naturalem etiam Locum naturaliter appetat, & oderit violentum. Huc illud ex

Pſalm.

Pſalm. 105. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neque redibunt ad operiendum terram.* In hunc finem & vſum Deus naturam ſecundam ſingulis indidit rebus: quæ eſt principium Motus & quietis in eo, in quo eſt. Hac immediatè fit, vt res quæque, ſponte ad ſuum naturalem contendat Locum, & ibi etiam naturaliter quieſcat. Sed hæc ſecunda Natura, à prima eſt. A prima verò, hæc eſt illa ordinata: vt primus à creatione conſtitutus ordo, inter creaturas ſeruetur. De ſecundo, hoc eſt, de differentia Locorum, ſatis.

III. Quot modis dicatur aliquid eſſe in Loco.

THESIS I.

Res creatæ dicuntur eſſe in Loco, aut circumſcriptiuè, aut definitiuè.

Circumſcriptiuè illa dicuntur eſſe in Loco: quæ à continente Loco, ita continentur, vt ſingulæ locati partes, à ſingulis continentis Loci partibus, occupentur. Sicut Cœlum inferius, à ſuperiori, omni ex parte continetur & occupatur. Atque hoc modo Ariſtoteles propriè definiit Locum: naturalem ſcilicet. Sic, ſi corpus Chriſti eſſet vbique, oporteret circumſcribi ab vltima ſuperficie totius Aëris: Deinde omnium Cœlorum & Aquæ. Et cùm duo corpora non poſſint ab vna & eadem ſuperficie circumſcribi: ſequeretur, nulla eſſe corpora in hoc Aëre, Aquiſque & Cœlis: præter corpus Chriſti. Quo quid abſurdius? Eſt enim corpus verè Phyſicum: & Aëris ſuperficies, locus verè Phyſicus. Definitiuè autem ea dicuntur eſſe in Loco, quæ ſine ſpatij occupatione, in eo ita ſunt ſua eſſentia, vt extra illum Locum non ſint: ex operatione verò, ibi eſſe cognoſcantur. Sic anima eſt in corpore definitiuè. Neque enim circumſcribi propriè poteſt: cùm non ſit corporea. Sic ſcientia & virtus eſt in anima. Sic Angeli in locis, ad quæ mittuntur, de illorum ſententia, qui ſentiunt eos naturaliter nullis præditos eſſe corporibus.

His duobus modis creaturæ dicuntur eſſe in Loco. Primo modo omnia corporata in hoc mundo. altero modo, omnia incorporea. Cæterùm Deus nullibi eſt, vel circumſcriptiuè, vel etiam definitiuè: ſed modo ſuo Diuino, qui omnem excedit captum, vbique eſt.

THESIS II.

Rurſus bifariam aliquid dicitur eſſe in Loco: vel per ſe, vel ex accidenti, & per aliud.

Per ſe, eſt corpus Locatum contineri à locante, ipſum circumdante; ſecundùm ſe totum. Sic omnes Cœli, præter vltimum, ſunt in Loco per ſe, & ita omnia Elementa & Elementata. Per accidens autem eſt, rem eſſe in Loco non ratione ſui, ſed alterius, cui eſt adiuncta. Sic accidentia ſunt in Loco per accidens: quia ſunt cum ſuis ſubiectis coniuncta. Sic partes totius, dum cum toto coniunctæ manent, dicuntur eſſe in Loco per accidens: quia totum eſt in Loco per ſe. Hinc verò apparet, vltimam ſphæram non eſſe in loco per ſe. Non enim pars ipſius conuexa continetur à ſuperficie concaua ſuperioris Cœli: quod nullum eſt. Eſt igitur in Loco tantùm per accidens: quia ſcilicet per ſuas partes in Loco eſt. Eſſe autem in Loco per ſuas ipſius partes, liquet: Quoniam mouetur etiam, & locum mutat ſecundùm ſuas partes, quæ circulariter mouentur: non ſecundùm ſe totum. Itaque corpus in loco eſſe oportet. Ac de loco Phyſico ſatis.

De loco non Phyſico.

Cæterùm alio etiam ſenſu accipitur Locus: quum de Loco non Phyſico prædicatur. Omne ſcilicet ſpatium cuiuſcunque ſit rationis, in quo corpus aliquod contineri poſſit. *Locus* appellari ſolet in ſacris Literis. Sic Cœlum Beatorum, Locus eſt verus: quamuis non huius rationis: quia vera continet corpora: vt iam corpus Chriſti: & noſtra, vbi ſurrexerimus à mortuis. Et ſic Chriſtus dixit: *In domo Patris ſui, multas eſſe manſiones: & ſe præceſſiſſe vt pararet nobis locum.* Quid enim quod ibi non ſit aër, Locum illum impleſt? Quaſi verò Deus vnam tantùm habuerit rationem conſtituendi Locum. Sicut hic circundamur ab Aëre, modò lucido, modò tenebricoſo; ſic ibi à luce cœleſti incomprehenſibiliter nos complectente. Certum eſt ibi eſſe corpus Chriſti Phyſicum. Locus igitur eſt, quia omne verum corpus, in Loco ſit neceſſe eſt. *Tolle Loca corporibus, & nuſquam erunt. Et quia nuſquam erunt, non erunt*, inquit Auguſtinus.

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI PARTIS SECVNDÆ, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Summa eorum quæ tradit Moſes verſibus 6.7.8.9.10. cum eorundem explicatione.

Moſes, poſteaquam totius Hiſtoriæ de Mundi creatione propoſitionem præmiſiſſet, dicens: *In principio creauit Deus Cœlum & terram*: & eam cœpiſſet explicare per partes: docuit, primo die creatam fuiſſe inprimis materiam primam: quæ tamen ſine vlla prorſus forma nō ſubſtitit. & ſubſiſtere nunquam poteſt. Formam enim habuit terræ Aquoſæ, ſeu Aquæ lutoſæ. Informis tamen fuit reſpectu formarum, quibus carebat & ornanda erat. Ideò terram תהו & בהו vocauit. Primum verò corpus quod ex materia illa eduxit Deus: *fuit lux*: hoc eſt, corpus quoddam, ſiue fuerit nubecula, ſiue aliud corpus lucidum, quod ſua luce omnia illuſtraret ac viuificaret, ſuóq; circulari motu diem efficeret, ac noctem. Atq; ita ſpatium locale, inchoati illius imperfectíq; Mundi percurrendo: ſpatium etiam durationis eiuſdem metiretur. Hoc autem eſt Tempus. Ita & principia rerum indicauit, efficientem Deum, Materiam primam, Priuationem. (Erat enim materia informis, & tenebræ ſuper faciem abyſſi) & formam, quæ in Materiam illam fuit primum inducta: Formam ſcilicet corporis lucidi. Et ſimul etiam monſtrauit prima & communia corporum omnium accidentia, Motum, Tempus, Locum: adde & Finitudinem. Motu enim ſuo lux illa prima, totum Mundi ſpatium vno die percurrendo, apertè oſtendebat: mundum eſſe finitum: quod ſanè corpus lucidum poſtmodum fuit in corpus ſolare contractum, quartò die. Hæc docuit Moſes in primo die. I. Nunc explicatis primis principiis: accedit ad totam totius mundi ex illa prima materia compoſitionem, diſtinctionem, ornatum. Ac primum docet; mundum duabus ex partibus compoſitum fuiſſe; ex cœleſti, quæ eſt ſuperior, & ex elementari, quæ eſt inferior; ſingulis partibus diſtinctis; ídque partim ſecundo die, partim tertio. Secundo enim die docet ex illa confuſa materia, creatum diſtinctúmque fuiſſe Cœlum, Ignem & Aërem. Nam hæc omnia nomine *Rachiah* intelliguntur; vt poſtea oſtendam. Tertio verò die diſtinctam fuiſſe Aquam à Terra. Hæc autem ſunt duæ primæ mundi partes; nimirùm cœli, & 4. Elementa. Hæc ſunt præcipua quæ tradit verſ. 6.7.8.9.10. Ita habemus primas mundi partes, ex quibus compoſitus eſt: ſed præter hæc, alia quoque docet iiſdem verſibus. Tranſit enim à ſimplicibus ad compoſita. Ac primùm quidem ad compoſita imperfecta; quę *meteora* vocantur; quæque ex Terra & Aquis, lucis cœleſtis virtute eleuata, generantur in ſublimi: vti ſunt nubes, pluuiæ, grandines & alia id genus. Hoc docet quum ait, *poſt creatam cœleſtem lucem, iuſſu Dei factam fuiſſe Rachiah*: qua diſtinguerentur Aquæ, quæ ſupra, ab aquis quæ infra illam ſunt. Docuit enim vt videbimus, voluiſſe Deum; eſſe locum ſupremum, in aëre ſcilicet, qui & ipſe *Rachiah* vocatur à Moſe; vbi meteora, nomine aquarum ſupernarum intellecta, generarentur; ad vſum omnium rerum infernarum, plantarum, & animalium. Atque ita ſimul innuit, quo pacto, & in quem

ſionem, & cuius virtute elementa inter ſe mutuò tranſmutentur; non quidem ſecundùm ſe tota, ſed ſecundùm partes. Hoc eſt alterum caput quod de operibus Dei tradit nobis Moſes in his verſibus quinque. II. Nobis verò hæc omnia fuſiùs ſunt ex Philoſophis explicanda: qui lumine naturali opera hæc Dei diligenter ſcrutati ſunt, & Dei beneficio, veram eorum cognitionem aſſecuti ſunt: & ad nos ſuis libris tranſmiſerunt. Sed priùs percurrenda ſunt Moſis verba: videndúſque genuinus eorum ſenſus.

6. *Et dixit Elohim, ſit Rachiah* (expanſio, noſtri, expanſum) *in medio aquarum, & ſit diuidès inter aquas, ad aquas.*

7. *Et fecit Elohim Rachiah,* (hanc expanſionem) *& diuiſit inter aquas, quæ ſubter Rachiah* (expanſionem) *& quæ ſupernè ad Rachiah* (expanſionem.) *Et fuit ita.*

8. *Et vocauit* (nomen impoſuit) *Elohim Rachiah, Cœlos* (Samaim) *Et fuit veſpera & fuit mane dies ſecundus.*

9. *Et dixit Elohim, congregentur aquæ* (quæ ſunt) *ſubter cœlos, ad locum vnum: & appareat* (conſpiciatur) *Arida. Et fuit ita.*

10. *Et vocauit* (nomen impoſuit) *Elohim Aridam Terram, & congregationem aquarum vocauit Maria. Et vidit Deus quòd bonum.*

Hos verſus, & neque plures, neque pauciores explico in præſentia, idque propterea, quòd in iis de primis mundi partibus, cœlis nimirum & elementis: déque compoſitione imperfectorum, quæ eſt prima inter omnes compoſitiones Phyſicas, diſſerit Moſes. In inſequentibus agit de compoſitione perfectorum, tam herbarum, atque fruticum, tum omnis generis animalium, vt videbimus: niſi quòd in 4. die redit ad cœlorum ornamenta, Solem ſcilicet & reliqua ſidera. Propoſitum Dei in 2. die fuit, vt ſupra aquas & Terram, vbi viuentia omnia, plantæ, animalia, hominéſque degere & habitare debebant: primò locus eſſet, tum ampliùs ac ceu inanis in quo habitare, incedere, viuere commodè illa poſſent; tum ſublimis, vnde aquæ, niues, rores, pruinæ & alia id genus, ad irrigandam terram, aliáque innumera commoda proferenda, deſcenderent. Hic fuit aër & ignis ſphæra. Deinde locus quoque alius eſſet, quaſi concameratus: quo totum ædificium tegeretur: & vnde vis in inferiora deflueret. Hic eſt cœlum cum ſua luce: quaſi tabulatum totius domus. Ad ſingulos porrò verſus quod attinet, hæc eſt ſumma. In verſu ſexto continetur voluntas, decretúmque Dei, de his locis ſuprà dictis creandis & conſeruandis, in eum vſum quem diximus. Sic enim ait, *Dixit quoque Deus, ſit expanſio,* In 7. habemus decreti diuini per ipſummet Deum, executionem. Sic enim ait; *Et fecit Deus expanſionem.* In 8. nomen exprimitur, quo appellauit, *illam expanſionem*: Aëris nimirum, Ætheris & orbium, nempe *Samaim.* In tribus hiſce verſibus nihil eſt difficile; niſi vt explicetur, quid nomine *Rachiah*; quidve nomine *aquarum quæ ſupra Rachiah* eſſe dicuntur, intellexerit Moſes.

III. רקע *extenſionem* ſignificat, & *expanſionem* רקע quod ſignificat *expandere & extendere.* Sicut, cùm aut cortinæ & militaria tentoria explicantur; aut metallum, aurum, argentum, ferrum in laminas extenduntur. Quid verò hoc nomine ſignificare voluerit Moſes: diuerſæ ſunt ſententiæ. Quidam, ſolam octauam ſphæram, in qua ſtellæ fixæ cernuntur: quod & *ſtellatum & ſtelliferum* vocari ſolet. Sed vbi tum reliqui orbes: ſi hic tantùm expreſſam habeamus octaui Cœli in ſuam formam redacti creationem? Nam quod primo die verſ. 1. dictum eſt de Cœli & Terræ creatione: propoſitio fuit generalis: omnium creationem complectens, vt antè dictũ eſt: quam poſtea omiſſis interim rebus inuiſibilibus, Angelis ſcil. & cœlo Beatorum: per partes explicat Moſes. Quæ explicatio incipit à luce, creata primo die: & tum à cœlis de illa materia eductis, & quaſi explicatis atque extenſis. Deinde in 4. die legimus, Solem & Lunam poſitos fuiſſe in רקיע. In cœlo autem ſtellato, non eſt neque Sol, neque Luna: ſed horum aſtrorum ſuum quodq; habet orbem. Ait præterea verſ. 8. Deum, *ipſam Rachiam vocaſſe* שמים, hoc autem nomine omnes orbes appellantur in ſcripturis. Alij itaque ſentiunt, nomine רקיע ſignificatos fuiſſe omnes cœleſtes orbes: ſed ſolos: quatenus omnes vnum quaſi corpus cœleſte efficiunt. Proinde hi quoque cum prioribus coguntur dicere, aquas, quæ dicuntur eſſe ſupra firmamentum, ſeu *Rachiah*, eſſe ſupra octauam ſphæram. Verùm vbi tum elementum aëris & ignis: quorum creatio nullibi à Moſe explicatur: ſi nomine רקיע non intelligantur & ipſa? Apparet præterea, hæc duo etiam elementa, ſupra aquas inferiores, Maris ſcil. eſſe collocata: & has à ſuperis diuidi. Nullum autem aliud intermedium inter ſupernas & inter infernas aquas ponit Moſes, niſi רקיע. Hoc igitur nomine non ſolùm orbes cœleſtes, ſed etiam elementum ignis, qui & æther, atque elementum aëris intelligendum eſt. Adde quòd hanc Rachiah diuidentem aquas ab aquis, ait appellatam fuiſſe à Deo שמים, cœlos, ſcripturæ autem paſſim, ipſam quoque aëris regionem, in qua volitant aues, vocant cœlum. Vnde illud, *volucres cœli.* Item, *dabo vobis cœlum æneum*: id eſt, aërem ſiccum ſine pluuia. Latinis quoque cœlum eſt aliquando pro ſolo ſtellifero; aliquando pro reliquis orbibus: ſæpè etiam pro aëre. Vt Var. lib. 5. de ling. Lat. docet. Sic Plin. Nat. hiſt. lib. 2. *aërem* vocat *cœlum*, ſic Cic. *grauitatem cœli*, id eſt, aëris dicit. Imò & Græci eodem modo pro aëre accipiunt: vt manifeſtum eſt apud Platonem in Phædone, καὶ τὸν ἀέρα, οὐρανὸν καλεῖν. Quicquid enim ſupra nos eſt & nos complectitur, cœlum vocare conſueuêre & Latini & Græci, nedum Hebræi. Ita vt etiam terra à nobis habitata, reſpectu manium, & inferorum, *Cœlum* appellata fuerit à Virg. Æn. 6. *Sed falſa ad Cœlum mittunt inſomnia manes*, id eſt, ad terram, regionemque viuorum; ait Macrob. Recepta igitur eſt ſententia inter doctiores, nomine רקיע non ſolos orbes cœleſtes: verùm etiam totam regionem ætheream & aëream, ſignificatam fuiſſe à Propheta Moſe. Tota enim hæc regio cingebat, vt & nunc cingit, aquas has infernas, quas Deus vocauit *maria.* Cæterùm notandum eſt, etſi tota hæc regio ab aquis maris, vſque ad ſupremum cœlum, nomine רקיע ſignificata eſt: aliquando tamen pro ſolis orbibus cœleſtibus accipi: aliquando pro ſola aëris regione σωματικῶς. Pro ſolis orbibus, Gen. 1. 14. *ſint luminaria in firmamento.* Pro aëre tantùm, Gen. 1. verſ. 20. *Et volatile volet ſuper faciem* רקיע. Cùm ergo in hoc eodem cap. deinceps accipiatur רקיע, modò pro cœleſtibus orbibus: modò pro ſola aëris regione: neceſſe eſt vt in hoc etiam loco, vbi primùm fuit hoc nomen vſurpatum: intelligatur hoc nomine, tum aëris atque ætheris, tum cœleſtium orbium, regio. Hæc de voce רקיע, quam 70. Interpretes verterũt στερέωμα, firmamentum. Significare autem voluerunt cœlorum ſoliditatem, ac firmitudinem: quòd, licèt ex Aqua ſint: non ſunt tamen fluidi, vt Aqua: Sed ita à Deo conſolidati & firmati ſuo verbo: vt nulli corruptioni obnoxij ſint. Quo ſpectat & illud quod ſcriptura ait, *Cœlos firmatos eſſe ferro.* Profani etiam ſcriptores, vt Homerus, vocarunt *Cœlum* χαλκοβατῆ: quaſi dicat, æreum, & σιδήρεον, ferreum, propter ſoliditatem & firmitudinem. Sunt tamen qui velint idcircò רקיע vertiſſe στερέωμα, vt explicarent illam extenſionem fuiſſe perfectam, in omnes ſcil. partes: in longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ne quis exiſtimet, cœlos eſſe tantùm inſtar cortinæ, quæ in longitudinem duntaxat & latitudinem extendatur. Habere enim cœlos, omnes tres dimenſiones, eóque perfectam eſſe רקיע. Sed ſi coniungamus vtramq; interpretationem: ſatiùs fuerit. Reuera enim cœli & ampliſſimi ſunt, atque profundi: & ferri inſtar, firmiſſimi: hoc eſt, corruptioni minimè obnoxij, veluti ſcil. hæc inferiora ſunt. Non tamen duri eſſe credantur. Cedunt enim corporibus in cœlum Beatorum aſcendentibus: ſicut & aër. Itaque ſimiles ſunt ferro, non quod ad duritiem, ſed tantùm quod ad firmitatem attinet. Atque hæc etiam de voce στερεώματος ſatis ſupérque.

De Aquis ſupra expanſionem.

IV. Venio ad *aquas*, quæ ſupra firmamentum eſſe dicuntur. Quidam ex Patribus, tametſi nomine *Aquarum, quæ ſunt ſub firmamento*, veras aquas interpretentur: nomine tamen *Aquarum*, quæ ſupra firmamentum eſſe dicuntur, Angelorum innumerabilem multitudinem intelligunt. Eſſe enim Angelos propter ſuam puritatem inſtar Aquarum puriſſimarum. Sed hæc nimis violenta eſt. Neque enim hic agitur niſi de operibus Dei viſibilibus: ex Materia illa prima, quam *chaos* vocant, eductis. Alij itaque interpretantur de cœlo, quod *nona ſphæra*, ab Aſtrologis inuenta, vocatur: Et de cœlo Saturni, quod eſt immediatè infra octauam ſphæram. Hanc enim eſſe firmamentum. Nonam ſphæram, eſſe aquas ſupra firmamentum, ſed inſtar chryſtalli quaſi congelatas, eóque *cœlum cryſtallinum* vocari non quòd ſit durum, vt cryſtallum, ſed pellucidum, & clarum. Septimam autem *ſphæram, Saturni* ſcilicet eſſe aquas ſubter firmamentum. Sidus enim Saturni, aquis dominari: & earum nomine ſignificari: quo referunt illud Lucani: *Frigida Saturno glacies & nona niualis ceſſit.* Sed verè frigida eſt interpretatio. Damus nonam ſphæram & quin etiam ea cryſtallinum cœlum vocetur, propter ſimplicem claritatem, ſine ſplendore alicuius ſideris: quod ibi nullum eſt: non repugnamus. Quæ etiam de cœlo Saturni ſcribunt, non oppugnamus: ſed quòd Moſes intellexerit, nomine aquarum ſuperiorum, nonam, & inferiorum, ſeptimam ſphæram: nihil eſt abſurdius. Nam de aquis infrà רקיע poſtea dicit Moſes, *Deum iuſſiſſe eas in vnum locum congregari: & eas appellatas fuiſſe Maria.* Non ſunt igitur ſphæra Saturni. Alij itaque propiùs ad veritatem accedunt & affirmant, tam aquas ſupra firmamentum eſſe aquas veras: quàm etiam quæ infra firmamentum ſunt.

Firma-

Firmamenti autem nomine totam cœleſtem molem intelligunt. Itaque ſentiunt ſupra hoſce cœlos viſibiles, eſſe veras aquas: quanquam non eiuſdem prorſus Formæ & qualitatis, cuius ſunt noſtræ. Et cauſam adferunt, cur ibi Deus voluerit eſſe aquas, nimirum vt calorem ſiderum temperent. Quaſi verò in cœleſtibus orbibus ſint ſidera, ita ignita, vt niſi aquis coërceantur, poſſint tum orbes ſuos, tum, quæ infra Lunam ſunt, concremare. Quia verò vident non facilè perſuaderi poſſe hanc ſententiam, aiunt ſe ſimpliciter credere verbo Dei. Ita ſanè: ſi aliam interpretationem admittere non poſſet verbum hoc, quàm eam, quam ipſi adferunt. Sed ſi dextrè intelligi poſſit, ita vt omnis abſurditas, quæ cum Natura pugnat, tollatur: non eſt cur abuſi autoritate verbi Dei ea ſtatuamus in hiſtoria de rerum naturalium creatione, quæ & ordinem naturæ euertunt, & ea tollunt, quæ ad eam ſtabiliendam pertinent. Poſſumus autem hunc locum ita interpretari, vt neque verba ſcripturæ torqueantur: & ſimul etiam ne ab ordine, quem ſpectamus in Natura, vel latum vnguem declinetur. Si hoc fiat, liquidò apparebit, hanc veram & genuinam eſſe interpretationem. Illorum itaque ſententia mihi genuina eſſe videtur, qui pro *aquis ſuper firmamentum exiſtentibus* intelligunt *nubes*: & quas efficiunt pluuias, niues, rorem, grandines & alia id genus meteora: quæ in media aëris regione fiunt. Sunt enim hæc omnia aquea, & ex aquis. Vt autem totus Aër: ſic media regio Aëris, *Firmamentum* ſeu *Rachiah* appellatur. Ita optimè verba Moſis interpretari poſſumus: *Firmamentum*, hoc eſt, poſt cœleſtes orbes & Ætherem, Aërem fuiſſe creatum, vt eſſet receptaculum Aquarum: quę vi Solis à Terra & Mari erant eleuandæ: vt ex eis fierent pluuiæ & alia id genus: ad vtilitatem Terræ & animalium. Atque ita Aërem ſua ſcilicet media regione, diuidere Aquas quę ſurſum euehuntur: ab iis quæ infra fluunt. Nam reuera ita ſe res habet in natura: vt videmus. Sed excipiunt, hanc interpretationem non videri prorſus quadrare verbis Moſis: propterea quòd Moſes nomine *firmamenti*, totam Regionem intelligat, vt nos quoque interpretati ſumus: Totam, inquam, regionem, quæ eſt ab Aquis noſtris vſque ad ſupremum Cœlum. Ita autem interpretatio de firmamento ſupra quod ſunt Aquæ: de ſolo eſt Aere, qui infima ſua regione diuidat Aquas ab Aquis. Quomodo igitur ſolus Aer diuidit Aquas ſi tota *Rachiah* creata eſt, & externa, vt diuideret Aquas ab Aquis? Facilis eſt reſponſio: Nempe non eſſe abſurdum quòd nomine Firmamenti à Deo creati, vt diuideret Aquas, totam Machinam cœleſtem & aeream intelligamus: Et interim tamen id quod diuidit Aquas ab Aquis, eſſe dicamus ſolum Aerem, vna ſui parte & Regione. Synecdoche enim hic eſt, vt frequenter in ſcripturis occurrit. An non etiam infrà dicit, *die 4. luminaria fuiſſe poſita in firmamento*? Nunquid Sol & Luna in ſingulis ſunt firmamenti partibus, in omnibus ſcilicet orbibus, & in Aere? Minimè: ſed firmamenti nomine partem vnam firmamenti intellexit. Ita hic etiam ſentimus, & ſententia noſtra non pugnat cum verbis Moſis: Sic enim verba interpretamur. *Fiat firmamentum in medio Aquarum*. hoc eſt, quod ſit vna, id eſt, media ſui parte, receptaculum Aquarum; quæ eleuandæ ſunt è terra: & ita medium quoddam ſit, quod diuidat Aquas in ſublime eleuandas: ab Aquis quæ infrà ſubſiſtunt. Totam igitur Machinam cœleſtem, ætheream, & aeream dicimus eſſe hoc firmamentum, ſeu *Rachiah*: quæ creata eſt die ſecunda à Deo: cùm in alios fines, tum etiam in hunc, vt diuideret Aquas ab Aquis.

Sed quomodo diuideret ſe tota? An verò aliqua ſui parte? Non tota quòd non videmus: ſed ſui parte: Aëris ſcilicet regione vna, vt apertè videmus. Nihil enim nos cogit, vt interpretemur, creatam fuiſſe totam hanc Machinam, vt ſcilicet tota diuideret Aquas ab Aquis: neque illa interpretatio caret abſurditatibus: nec reſpondet vero ordini, & Naturæ, & Mundi. Noſtra verò reiici non poteſt, quia non pugnat cum verbis Moſis: ſed potiùs admittenda eſt, quia cum ordine naturæ conſentit. Confirmari verò poteſt multis rationibus è fonte ſcripturarum petitis. Apertè Moſes non agnouit, vt ex contextu patet, niſi duplices Aquas: quæ ſuprà, & quæ infrà firmamentum ſeu *Rachiah* ſunt. Eſt autem manifeſtum in Natura præter Aquas maris & fontium, eſſe etiam Aquas in media Aëris regione, vnde pluunt. Si itaque ſint etiam Aquæ ſupra octauam ſphæram, triplices fuerint Aquæ, non duplices. Aquæ igitur ſupra firmamentum fuerunt Moſi, nubes, pluuiæ, grandines & alia meteora. 2. Item, Pſal. etiam 104. vbi creatio deſcribitur, idem indicat. Sic enim præter alia prædicat de Deo: *Qui extendit Cœlum, ſicut cortinam: qui tegit Aquis ſuperiora eius*: & mox, *Qui ponit nubes aſcenſum ſuum: Qui ambulat ſuper pennas ventorum*. En quomodo altero verſu priorem explicat: & docet, nomine *Cœli*, extenſi, ipſum etiam Aërem intelligi: Et nomine *Aquarum*, quibus tegit ſuperiora eius, intelligi nubes, & quæ in Aëre gignuntur, meteora. 3. Ad hæc verum eſt quod dixi ſæpe, Moſen hic diſſerere de operibus Dei viſibilibus. Aquæ autem, quas multi ſupra octauam ſphæram imaginantur, inuiſibiles ſunt. 4. Præterea, ſi nomine *Aquarum* iſtarum, non intellexit nubes, & alia meteora ſed neſcio quas inuiſibiles Aquas: illud igitur ſingulare Dei beneficium, valde imprudens omiſiſſet Moſes: quod præcipuum ad animalium & hominum imprimis vitam, & habitationem neceſſarium. 5. Adde quod fecit etiam Deus omnia, ſumma cum ſapientia: & ordine pulcherrimo omnia diſpoſuit. Vt igitur omnes Cœli ſimul ordine coniuncti ſunt; ſic debuerunt eſſe elementa. Certè contra hunc ordinem fuiſſet: ſi pars elementi Aquæ ſupra omnes cœlos collocata fuiſſet. Quid verò obſtat, quo minùs noſtram ſententiam admittant, qui contrà ſentiunt? Hoc vnum quod ait Moſes, ſupra firmamentum eſſe Aquas. At Aër etiam nomine firmamenti continetur. Nulla itaque ratio eſt, cur hunc locum cogamur de neſcio quibus Aquis ſupra Cœlum ſtellatum poſitis, interpretari. Sunt verò permultæ cur debeamus de Aquis, quæ in media aëris regione cogi, & in varia mutari meteora ſolent, intelligere.

V. Et vocauit *Rachiah* שמים. Etymon eſt à שם *ibi* & מים *Aqua*, teſte Kimhi, Hieronymo & aliis. Etymologia hæc indicat cauſſam materialem, è qua conſtant Cœli, Æther & Aër. Ex Aquis ſcilicet iſtis, quibus incubabat Spiritus S. Sed pręter hanc quoque adfertur cauſſa, propter quam Aer ſpeciatim vocetur שמים. Eſt enim reipſa, vt ſentimus, Aer humidus: ad humorem in animalibus & plantis fouendum & conſeruandum. Simile enim conſeruatur & fouetur ſimili. Deinde in eo etiam ſunt aquæ illæ de quibus hactenus diſputatum eſt: ad eundem finem ordinatæ. Quomodo verò Deus vocauit שמים. Num locutus tunc fuit? Sicut formauit vocem quando de Chriſto dixit, *Hic eſt Filius meus*: item *& glorificaui, &c.* Sic etiam fieri poteſt, vt tunc formauerit has voces. Sunt tamen qui putent, cum hæc nomina poſtmodum ſignificaſſe Adamo. Hinc verò apparet, qua lingua vſus ſit Deus ad Adamum: Hebræa nimirum. De voce Græca οὐρανῷ non eſt cur hic philoſophemur. Neque enim à Deo vocatum fuit οὐρανός, ſed שמים. Dicemus tamen aliquid poſtea de hac Græca voce: & de Latina Cœlum: quanquam nonnihil etiam dictum eſt in explicatione primi verſ. huius cap. Cauſſa, cur huius ſecundæ diei operi non benedixit Deus, nec pronuntiarit illud eſſe bonum: multiplex adferri ſolet. Quidam, quia eo die creata fuit Gehenna: quę ſimpliciter non eſt bona, nec placuit Deo. Sed vnde totum hoc habent? Alij quia eo die Angeli peccarunt, ſed vnde etiam hoc? Alij quia binarius numerus infamis ſit, cùm vnitatem violet. Atque hic multa adferunt ex Pythagora, Hom. Laertio contra dualitatem: vt illud Homeri. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. Illud eſt verum, quòd nomen שני ſecundus, à verbo שנה eſt: quod ſignificat *mutare, voluere*. Sed quòd ideò Deus non dixerit, opus illius diei eſſe bonum, quia numerus שני, ſignificat mutabilitatem & inconſtantiam: puerile eſt. Deinde annon infrà dicetur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdę bona*? Ergo etiam quæ ſecundo die fecit. Illa mihi ratio magis probatur, quòd ideò non adiecerit hanc particulam: quia imperfectum tunc fuit opus hoc de Aquis. Nondum enim erant collocatæ ſuo in loco. Id quod porrò factum fuit die tertia. Ideò tum repetitum fuit verbum: *Et vidit Deus quod eſſet Bonum*. Primò quidem, quia Aquæ fuerunt ad ſuum locum collocatæ. Secundò, quia illis collectis, Arida in ſalutem animalium apparuit.

9 *Et dixit Elohim, congregentur Aquæ quæ ſunt ſub cœlo in locum vnum: Et appareat Arida: & fuit ita.*

10 *Et vocauit Deus Aridam terram: congregationémque Aquarum appellauit Maria: & vidit Deus quod bonum eſſet.*

VI. In priori verſu habemus iuſſum Dei de Aquis colligendis, cum cauſſa eius Finali: & factum ipſum. In altero habemus nomina tum terræ iam Aquis liberatæ: tum Aquarum collectarum. Habemus igitur hic diſtinctionem duorum aliorum Elementorum: aquæ ſcil. quæ ſub aere eſt, & terræ. Ad primum verſum quod attinet, ait, *Et dixit Elohim, congregentur Aquæ*. Quum ait, *Deum dixiſſe, congregentur Aquæ*: docet, aquam texiſſe, ambiuiſſéque totam omnino terram. Et naturaliter fieri aliter non poterat: vt etiam Philoſophi fatentur: Aqua enim, quia Elementum erat, & eſt: circulare erat, & eſt. Sunt enim omnia Elementa circularia, ſicut & Cœli. Eóque totum mundum, rotundæ circularíſque eſſe figuræ contendunt Philoſophi: quia ſingulæ etiam eius partes, tales ſunt. Eſt autem aqua, ſicut aere grauior, ſic terra leuior. Leuiora autem Elementa, quia am-

talem plagam terræ Iſraël: Cæterùm conſtat ex Euangeliſtis, in vſu fuiſſe apud Hebræos, quod hic ſcribit Moſes: nempe, vt omnes Aquarum congregationes, lacus, ſtagna & id genus alia, vocarent *Maria*. Nomine autem *Maris & Aridæ* totam hanc Mundi partem, quæ infra eſt Aërem, ſignificari, docet Chriſtus, quum ait Phariſæis: *Vos circuitis Mare & Aridam*, id eſt, totum habitabilem Mundum, *Et vidit Deus quòd bonum*.

Nunc demùm Deus probat opus, quod inchoauerat die ſecundo. Docet autem, nihil ſimpliciter eſſe probandum, vt ſimpliciter bonum: niſi quod ſuis numeris perfectum eſt. Non enim voluit pronunciare Deus opus ſecundæ diei, eſſe bonum, niſi poſtquam illud fuit tertia die abſolutum. Quo etiam ex loco apparet, merum eſſe hominum figmentum, quòd aiunt, Deum creaſſe omnia ſimul, hoc eſt, vno & eodem non tam die, quàm inſtanti. Si ita eſt: cur inchoatum opus non ſtatim pronunciauit bonum: ſed hoc diſtulit in tertium diem? Hæc eſt breuis iſtorum verſuum interpretatio. Habemus autem in his verſibus, hæc præcipua capita: Primò duas principales Mundi partes: ex quibus conſtat totus: cœleſtem, & elementarem. Et quidem tam cœleſtem quàm elementarem ex eadem eſſe Materia prima. Habemus Elementa quatuor, ignem qui & æther, & Aërem. Qui ambo eodem nomine רקיע quo & orbes cœleſtes, appellati fuerunt. Et poſtmodum Aquam & Terram ſubdit. Habemus præterea locum in Aëre deſtinatum ad meteora generanda, quæ nomine Aquarum cœleſtium ſignificata ſunt. Denique doctrinam de continenti, ſeu περὶ τῆς οἰκουμένης, & de Mari: quibus cum capitibus, alia quoque coniuncta ſunt: quæ ſingula ſeorſim explicanda nobis erunt, ſed breuiter. Dicam autem primò de toto hoc magno corpore Mundi, quatenus conſtat, tanquam primis ſuis partibus, ex hiſce Cœlis & ex quatuor Elementis. Deinde dicam de ſingulis partibus deque earum locis. Sic enim nobis contemplanda opera Dei ſunt: vt in eis perſpiciamus infinitam eius erga nos bonitatem, ſapientiam, potentiam: eóque per hæc opera probè cognita, in vera Dei noſtri, Patris, Filij, & Spiritus ſancti cognitione, magis ac magis confirmemur. *Cœli enim enarrant Gloriam Dei.*

CAPVT II.

De primis Mundi partibus.

RESTAT vt de ſingulis hiſce capitibus iuxta Moſaicam Methodum, Philoſophorum rectè ſentientium doctrina adiuti, diſſeramus. Ac primùm de Mundi partibus primis, è quibus eum conſtare, omnibus notum eſt.

THESIS I.

Primæ ac principes Mundi viſibilis partes, è quibus conſtat: ſunt Cœlum, & Elementa, vera corpora.

CŒlum omnibus eſt conſpicuum: Terra teritur ab omnibus: ſed quis etiam Aquam non videat partem eſſe Mundi non poſtremam? Ex ea enim ſunt Cœli vnde שמים dicuntur. Aërem verò eſſe corpus, ſed ſimplex, eóque vnam ex primis Mundi partibus. 1. liquet ex motu, qui ab Aëre retardatur, ne fiat vel in inſtanti, vel ſaltem in tempore imperceptibili. Eſt ergo Aër corpus, ſed ſubtile & diaphanum. 2. Ac ſi tale non eſſet, nihil poſſemus videre. Colores enim ab oculis percipi non poſſunt niſi eorum ſpecies in oculum deferantur. Deferri autem non poſſunt per inane: ſed per corpus diaphanum deferantur oportet, medium ſanè vnicum inter oculum videntem, & colorem viſibilem. Aër ergo corpus. Neque dubitari debet, quin ſupra Aërem ſit Æther, ſeu ſphæra ignis. Si qui enim hic inferiùs accenduntur ignes: ij ſemper ſurſum mouentur. Omnis autem res naturalis, ad ſuum naturalem locum, ſua natura tendit: vt cum ſimili coniungatur. Eſt igitur ſupra Aërem, Elementum ignis. In ſuprema quoque Aëris Regione, videmus generari Meteora ignita, cometas, fulmina: Ignis igitur ſurſum eſt: iſque verum corpus. Vterque verò tum Aër, tum Ignis, ex primo illo ſunt chaos, vero corpore educti, vt Moſes docet: & verbo Dei creati. Vterque igitur res eſt corporea, verùmque Elementum. Ac tam vnus quàm alter: *Rachiah* ſeu extenſio eſt perfecta: longitudinem habens, latitudinem, & profundum: eóque verum eſt στερέωμα, Firmamentum infra quod ſunt Aquæ oceani. Vtrumque igitur corpus eſt ſupra nos exiſtens: vt & cœleſtes orbes, qui eodem nomine ſignificantur, vera ſunt corpora. Adde quod tam Aër, & ignis in ſua ſphæra: quàm orbes cœleſtes, vocantur שמים quòd ibi ſint Aquæ: & ipſi, ex aquea materia. Aqua autem verum eſt corpus. Partes ergo mundi omnes, ex quibus principaliter conſtat, vera ſunt corpora. Et hæc ſunt cœleſtes orbes, & Elementa, Ignis, Aër, Aqua, Terra. Sunt hæc mirabilia Dei opera.

THESIS II.

Cœlum & Elementa quatuor, non ſolùm ſunt primæ ac præcipuæ Mundi partes: ſed etiam ſolæ ex quibus principaliter & primò, compoſitus eſt.

SI enim aliud ſimplex corpus daretur, præter hæc, ex quo conſtaret Mundus: illud vtique, proprium & ſibi naturalem, ſimplicémque haberet Motum: Vnumquodque enim naturale & ſimplex corpus, vno etiam naturali, ſimplicíque Motu mouetur. Atqui præter eos, quos nouimus in Mundo Motus ſimplices: nullus reperitur. Quali enim Motu mouebitur tale corpus, ex quo præter Cœlum & quatuor Elementa, compoſitus ſit Mundus? Num circulari? At, hic eſt proprius Cœli. Num huic contrario? At Motus circularis nullum habet contrarium. Num motu recto ſurſum? At hic eſt proprius Elementi Aëris. Num Motu deorſum? Sed hic non conuenit, niſi Elemento graui, & quidem ſoli. Ergo præter Cœlum & quatuor Elementa, aliud ſimplex corpus non inuenitur, nec inueniri poteſt: quod in Mundi compoſitionem venire queat. Adde quòd ſcriptura nullum aliud nouit præter hæc vt & in hac Moſis hiſtoria, & alibi ſemper, vbi de partibus mundi primis è quibus conſtat, agitur, manifeſtum eſt. Neque etiam opus erat præter Cœlum, & quatuor elementa: alio corpore ſimplici, ad perfectam mundi conſtitutionem.

THESIS III.

Mundus igitur perfectus eſt.

OMnia enim continet corpora: (qua de cauſſa *vniuerſi* etiam nomine appellari ſolet:) & aliis non opus habet præter hæc, è quibus conſtat.

THESIS IV.

Omnes primæ Mundi partes, Cœlum & Elementa, eiuſdem ſunt ad materiam quod attinet, eſſentiæ: licèt formis differant, nobiliſſimaque ſit forma cœli, reliquarum omnium.

ARiſtoteles Cœlum voluit longè diuerſæ eſſe ab elementis, eſſentiæ: eóque *quintam eſſentiam* vocauit, neque corruptioni obnoxiam, neque leuem, neque grauem, neque duram, neque mollem, nulla denique qualitatum inferiorem conſtantem. Ratio huius ſententiæ fuit Æternitas mundi, quam ſibi ſomniauit. Plato meliùs ſenſit, qui ſcriptum reliquit in Timæo, Cœlum, licèt propter formam præſtantiſſimam, qua præditum eſt, longè diuerſum ſit ab Elementis: ex eadem tamen eſſe materia, ex qua & Elementa: eóque & qualitates Elementorum Cœlo attribuit, quanquam ſummè perfectas, ſummaque perfectione compactas. Quam ſententiam ipſe etiam Plotinus homo Chriſtianus, in libro *de Cœlo* defendit. Scriptura ſancta autem magis fauet Platonis quàm Ariſtotelis ſententiæ. Ex eadem materia prima, quæ aquarum nomine, quibus incubabat Spiritus ſanctus, compoſitos eſſe Cœlos, tam orbes cœleſtes, quàm Aërem & Ætherem, docet Moſes, vt ſuprà vidimus, quum dixit Deus, *Sit Rachiah*. Item eadem ſcriptura docet, totum mundum eóque ſingulas partes, tam Cœlum, quàm Elementa, initium habuiſſe, & finem quoque habiturum eſſe. Renouatum enim iri totum; vt ſit Cœlum nouum & Terra noua. Vna igitur omnium materia, & eſſentia, quanquam formæ diuerſæ.

THESIS V.

Etſi verò diuerſæ ſit eſſentiæ ab Elementis, Cœlum: maximè inter ſe differunt illud, & iſta.

OMnia enim Elementa aut grauia ſunt, aut leuia, eóque aut ſurſum aut deorſum feruntur. At Cœlum neque ſurſum neque deorſum moueri poteſt, ſed tantùm circulariter, quòd propriè nec leue ſit, nec graue. Leue tamen, imò leuiſſimum omnium quodam modo dici poteſt, quatenus

ſcilicet omnibus Elementis eminet. Quo quid enim grauius eſt, eò etiam inferiorem occupat locum, & quo quid leuius, eò ſublimiorem. Omnia item Elementa inter ſe generantur, corrumpuntur, alterantur, mutantur. Habent enim qualitates inter ſe contrarias, vt Ignis ſiccitatem, Aër humiditatem, & ita de aliis, vt paulò poſt explicabimus. At iis carent alterationibus Cœli, cùm etiam careant contrariis. Etſi ergo omnia ex eadem ſunt Materia, ſapientia tamen Dei effecit, vt nobiliores ſint Cœli, ipſis Elementis, idcircò iis propriè datur, quòd enarrent gloriam Dei.

THESIS VI.

Sunt autem omnes mundi partes finitæ magnitudinis, eóque etiam, totus mundus finitus ſit.

NAm motus tam cœli circularis, quàm Elementorum rectus, finitus eſt. Ille enim terminatur, certò temporis ſpatio, vt notum eſt de motu primi mobilis, qui vno die conficitur. Iſte verò terminum habet, aut ſurſum in ſua quiſque ſphæra, aut deorſum, in centro Terræ. Fieri igitur nequit, vt aut Cœlum, aut Elementa, corpora ſint infinitæ quantitatis ſeu magnitudinis. Quare nec Mundus, qui ex finitis conſtat partibus, infinitus eſſe poteſt. Ideò à fine ad finem vſque pertingit diuina ſapientia, omniáque diſponit vtiliter. Vnus tantùm eſt Iehoua, qui omnia impleat, quíque à nulla re mentéque creata comprehendi queat. Vnum igitur tantùm eſt infinitum, Deus ipſe. Quare mundus finitus. Quomodo enim infinitus eſſe poteſt, corpotens cùm ſit, & ex corporibus conſtans? Nullum enim corpus infinitum eſſe poteſt, cùm certas & finitas habeat dimenſiones. An non figuratus eſt mundus? nihil magis certum. Naturæ autem infiniti repugnat, figura. Figura enim eſt quæ termino, vel terminis clauditur, atque comprehenditur. Quod autem habet terminum, infinitum eſſe nequit. Finitus ergo ſit mundus, oportet. Proinde Moſes dicebat populo, de Deo, *auditam quidem fuiſſe vocem Dei: ſed nullam viſam fuiſſe eius figuram aut formam.* Significare voluit Deum non ſolùm eſſe incorporeum, ſed etiam infinitum & immenſum, eóque nullo modo pingi poſſe aut debere. Quis enim queat rem & incorpoream, & eam infinitam depingere, cùm omnis pictura & figura, certos habeat terminos, quibus claudatur. Finitus igitur mundus, ſolus Deus immenſus & infinitus. Certum etiam eſt, corpus infinitum moueri non poſſe, vllo motus genere. Vbi enim moueatur, aut vnde, vel quo? Terminatum enim locum eſſe oportet, vbi fiat motus. Mouetur autem mundus & ſingulæ eius partes. Ac ſi mobile infinitum ſit, eius quoque motus nullum habebit finem, eóque & tempus, quod menſura eſt, numerúſque motus, infinitum fuerit. Omnis autem motus, terminos habet certos, vnum à quo, & alterum ad quem. Et, ſi tempus, menſura, & numerus eſt motus, initium habuerit, neceſſe eſt. Mundus ergo omnino finitus. Hinc colligebat Auguſtinus, Animam felicem eſſe non poſſe, vel cognitione, vel fruitione totius mundi ſolius Dei; quòd anima capax ſit infiniti. Mundus autem eſt finitus. Solus verò Deus infinitus. Atque hæc de mundi finitione ſatis. Neque verò propterea putandum eſt, Mundum non eſſe vnum duntaxat, quia infinitus non eſt. Etſi enim ſolus Deus, verè eſt, ſicut τὸ ὂν ſic etiam τὸ ἓν quia ſolus ſimpliciſſimus eſt mundus: tamen vnus eſt ſe toto, licèt multiplex ſit ſuis partibus. Id quod etiam Philoſophi concluſerunt.

THESIS VII.

Mundus vnus eſt, & non plures.

MVndus enim eſſe non poteſt ſine materia. Vna autem tantùm eſt materia, vt ipſe etiam Moſes docet. Hæc verò, tota in hoc mundo continetur. Ex hac enim vna, conſtant hi cœli, vt Elementa hæc noſtra: vt deſcribit Moſes: & non alij, vel alia. Vnus igitur tantùm eſt Mundus. Ac ſi plures vno eſſent Mundi: maxima oriretur confuſio, inter illos & noſtrum hunc. Singuli enim haberent ſuos Cœlos, ſuáque Elementa: ſicut & iſte: Ex iis enim vt primis partibus, conſtat Mundus. Singula autem ad ſua propria mouerentur loca: leuia ſurſum, grauia deorſum, ſicut & noſtratia: eóque vt iſte Mundus, ſic illi ſuum haberent centrum Terræ, quo omnia tendunt grauia: donec ad illud perueniant. Quieſcere ergo illa non poſſent: donec ad centrum huius Mundi perueniſſent: nec viciſſim noſtra, niſi centrum illius alterius Mundi aſſequerentur. Hoc enim poſtulat naturalis corporum grauitas. An non verò hæc foret maxima vtriuſque Mundi turbatio? Ratio hæc Ariſtotelis fuit, ſed minimè firma: Quaſi verò non potuerit Deus alium Mundum creare, aut ab hoc diuerſum, aut etiam ſimilem, & hanc tamen impedire ἀταξίαν. Nec minùs infirma eſt altera eiuſdem ratio; quam ducit ab vno primo Motore, ad vnum tantùm primum mobile. Quaſi verò non poſſet vnus eſſe Motor: qui duo duorum Mundorum mobilia prima moueret. Ea verò demum efficax eſt ratio: vnum tantùm eſſe Mundum, quia vnum ſolum creauit Deus: vt Moſes narrat. Mundus autem alius eſſe non poteſt, niſi condatur ab eodem conditore: à quo & iſte. Vnum autem duntaxat condidit & condere voluit: plures conditurus, ſi voluiſſet. Atque hæc eſt de vnitate Mundi concluſio, veráque fides.

THESIS VIII.

Etſi verò extra hunc Mundum non eſt alius Mundus ex aliis Cœlis, Elementiſque compoſitus: eſt tamen alterius generis Mundus: locus ſcilicet ſupercœleſtis: in quo Beati Spiritus, Chriſtúſque ſuo corpore degit: & vbi omnia Electorum corpora futura ſunt: vt docent ſcriptura.

QVare quòd Ariſtoteles extra *octauam ſphæram*, nullum corpus nullúmve, cuiuſuis generis Motum ſtatuit hallucinatus eſt; quando & *nona ſphæra* ab Aſtrologis reperta eſt, firmiſſimáque ratione demonſtrata: & quando etiam ſupra hanc ſcripturæ prædicant locum eſſe, vbi electi habitaturi ſint cum Chriſto: & ituri quocunque ille ierit: Vt in Apoc. 1o. loquitur: manſuríque vbi & ille; vt Chriſtus ipſe ait.

CAPVT III.

De Cœlo prima Mundi parte.

THESIS I.

Tametſi tam Aër & Æther, Cœli à Moſe & aliis appellentur: quum tamen Mundus hic viſibilis conſtare dicitur duabus partibus: Cœleſti & Elementari: tunc nomine Cœli, cœleſtes orbes tantùm intelliguntur.

TRiplex enim Cœlum tradit ſcriptura. Primum eſt tota hæc *Rachiah*, ſeu expanſio, Aëris atque Ætheris ab Aquis & Terra, ad Lunæ vſque orbem. Alterum, omnes cœleſtes ſphæras continet. Tertium eſt illud in quod raptus fuiſſe Paulus dicitur; quod Beatorum Cœlum appellatur, & quod ſupra Cœleſtes hoſce orbes collocatum eſt. Eſt autem ſupremum hoc Cœlum, inuiſibile nobis; eóque ad Mundum hunc viſibilem non pertinet, Vnde & Chriſtus dicitur aſcendiſſe ſupra omnes Cœlos; viſibiles ſcilicet, & huius Mundi. Quo de Cœlo dictum à nobis fuit parte huius operis prima. Hoc verò alterum & infimum: ad alteram Mundi partem, Elementarem nimirum pertinet. Æther enim & Aër, duo ſunt Elementa. Solum itaque medium Cœlum illud eſt, quod propriè *prima & ſuperior Mundi pars* appellari ſolet; & quo de in præſentia agimus. Primùm autem de huius cœli eſſentia dicendum eſt.

THESIS II.

Hoc itaque cœlum, cùm ex eadem prima Materia è nihilo creata, ex qua omnia conſtant Elementa, formatum ſit: nequaquam propriè & ſimpliciter dici poteſt eſſe diuerſa ab Elementis eſſentia, hoc eſt, quintæ cuiuſdam neſcio cuius eſſentiæ.

IMpropriè quidem & κατά τι non inficiamur, quin poſſit ita appellari; nimirum propter excellentem eius formam; qua fit, vt omnium præſtantiſſimum corpus longéque ab aliis diuerſum ſit; quemadmodum magna ex parte bene & rectè à Philoſophis explicatur. Simpliciter tamen, vt Philoſophi præſertim Peripatetici docent, dari hoc non poteſt; eam ob cauſſam, quæ explicata eſt. Omnia enim viſibilia corpora, ex eadem Materia eſſe condita; docet aperte Moſes. Ac cùm tam Aër & Æther, quàm orbes cœleſtes eiuſdem Rachiah, ſeu expanſionis nomine, ſicut demonſtraui, intelligantur; efficitur, tam illos cœleſtes orbes, quàm hæc duo Elementa, in eodem implicitos fuiſſe rudi & impolito chaos. Hinc ſequitur

THESIS

Thesis III.

Cælum non eſt ſimpliciter & per ſe inalterabile & incorruptibile.

SI enim eadem eſt Cœli Materia, quæ & reliquorum corporum: Hæc autem ſemper & vbique, ſuapte natura in potentia eſt ad omnes formas: efficitur, Cœlum ſuapte natura, alterationi obnoxium eſſe. Confirmat hoc Petrus, qui ſicut de Elementis dixit, *Elementa autem calore æſtuantia ſoluentur*: ſic de Cœlis ait, *Cœli cum ſtridore peribunt*: & apud Ieſaiam: *Cœli vt fumus deficient. Erit Cœlum nouum & Terra noua*. Et alibi, *Ipſi peribunt, Tu autem permanes*. & Apoſtolus *Omnis creatura vanitati ſubiecta eſt*. Quod igitur Cœlum non ita in præſens alteretur, vt elementa inter ſe: hoc non tam ab ipſius eſt natura & forma, quàm à voluntate Dei, illud ne alteretur & corrumpatur, conſeruantis. Ac proinde rationes, quibus Ariſtoteles in 1. de Cœlo & Mundo probare conatur, Cœlum eſſe incorruptibile ſua natura: nullæ ſunt. Aſſumit enim quod falſum eſt & pugnans cum verbo Dei. Cœlum non eſſe productum, ſed æternum: neque etiam eius eſſe materiei, cuius ſunt Elementa, & quæ ex Elementis compoſita ſunt.

Thesis IV.

Cælum non ſolum eſt ex Aquis, eóque eſſentia Aquea: verùm etiam Natura ignea eſſe, probabile eſt.

ESſe ex Aquis, iam demonſtratum eſt ex Moſe: vnde & ab Aquis vocatur שמים. Eſſe verò naturæ etiam igneę: præterquam quòd id apertè etiam docuit Plato, & vt Plutarchus ſcribit in lib. De placitis Philoſophorum: ipſe etiam Ariſtoteles. Idem confirmare videtur ipſius Cœli ſplendor, quem habet in Aſtris. Omnis enim lux & ſplendor in corporibus ab igne eſſe iudicatur. Erant enim prius omnia Elementa, ſimul in eodem primo chaos permixta. Mirum igitur non eſt, quòd quicquid lucis in corporibus tam ſimplicibus quàm compoſitis cernitur: illud ab igne eſſe dicatur. Quare probabile eſt, ipſos quoque Cœlos, cùm ex eodem chaos formati ſint, eatenus igneæ eſſe naturæ, quatenus lucidi ſunt. Sic etiam Beda Tom. 2. lib. de rerum natura, cap. 5. ait, *Cœlum igneæ eſſe naturæ.*

Thesis V.

Hinc etiam efficitur, probabile eſſe, Cœlum neque propriè ſolidum eſſe, vti eſt Terra: neque fluidum, vt aquam vel aerem, vel ignem eſſe videmus, ſed & ita tenue, vt tamen firmum ſit corpus: & ita firmum, vt tamen cedat ſolidis corporibus ſi per illos tranſeant.

CŒlum non eſſe durum & craſſum, vti eſt Terra & terrea corpora manifeſtum eſt tum quia eſt ex Aqua, & igneæ etiam naturæ: neutrum autem durum eſt corpus, ſolidúmve: tum quia ſi tale eſſet cœlum, ex continuo Motu, quo ſe inuicem tangunt orbes, attererentur: tum quoniam apparet, cos ceſſiſſe corpori Chriſti ſolido, quum ſupra eos aſcendit: ceſſurósque etiam corporibus noſtris: Tum denique, quia quò corpora ſunt ſuperiora, eò etiam videmus eſſe ſubtiliora: vt aqua tenuior & ſubtilior eſt Terrâ & aër ipſa aquâ: & ſphæra ignis, ipſo aëre. Ergo etiam orbes cœleſtes ipſo igne. Solida ergo & dura non ſunt corpora cœli: quæ non cedant. Proinde Baſilius, cœlorum dixit naturam eſſe λεπτὴν, ὡσεὶ καπνὸν, *tenuem tanquam fumum*. Neque tamen etiam propriè eſſe tenues inſtar aquæ, aut aëris, qui fluant: inde euinci poſſe videtur. Primum quia ipſi ordinarium, immutabilémque prorſus curſum, & ſecundum ſe totos, & ſecundum ſingulas partes, habent: non autem ſicut vel aqua, vel aër, vel ignis: qui ita mouetur, vt ſingulæ ipſorum partes, nunquã in eodem ſint loco. Deinde quia Cœli nullo modo alterantur: ſed iidem ſemper, vſque ad finem ſeculi manent. Eſt ergo in cœlis aliqua ſoliditas, quia firmiſsimóq; & conſtanti motu mouentur. Vnde & *firmatos verbo Domini Cœlos* dixit Dauid. Et hac etiam fortè de cauſſa, κατ' ἐξοχὴν vocatum eſt στερέωμα, *firmamentum*. Idem etiam apparet ex ipſorum aſtris, quæ firma ſolidáque ſunt, & ſemper eadem. Rariores verò ſunt ipſis Cœli. Quare tametſi Cœli ſunt ex Aqua fluida: quia tamen præſtantiſſima ſunt forma præditi, & firmo conſtantíque motu mouentur: fit, vt ſuo quodam modo, firmi ſint: non autem, aut aquæ, aut aëris, aut ignis inſtar, fluidi. Contrà, quia ex tenuiſſima ſunt Materia: fit, vt neque ita ſint firmi, quin ſolidioribus corporibus cedant. Ita verè dictum eſt à Philoſophis Cœlum, neque ſolidum, neque tenue, neque graue, neque leue eſſe: nempe propriè: qualia ſunt reliqua corpora.

II. Cœlorum numerus & ordo.

Thesis I.

Etſi verò totum hoc ſpatium, quod ſupra ſphæram ignis, à Luna vſque ad Cœlum Beatorum protenditur, ſingulari numero Cœlum à Latinis, & οὐρανὸς à Græcis nominatur: plures tamen in eo ſunt orbes cæleſtes: quos cum Spiritu ſancto in ſacris literis cœlos *vocamus.*

PRincipio illud extra controuerſiam eſt, quod Theologi omnes tradunt ex partitione Apoſtoli de triplici Cœlo: *infimo*, eóque noſtri reſpectu *primo*: *medio*, eóque *ſecundo*. Et *ſupremo* eóque *tertio*: vt vocat Apoſtolus. Sed præter hanc partitionem aliæ quoque adferuntur à Philoſophis, illæque veriſſimæ. Secundum enim ſeu medium cœlum, quo de in præſentia agimus, in plures diuidi orbes ſeu Cœlos demonſtrant, à diuerſis motibus, quibus Cœlum iſtud moueri apertè videmus. Alio enim motu moueri Cœlum ſtellatum: & alio inferiores orbes, manifeſtum eſt. Illud enim de Platonis & Ariſtotelis ſententia, ab oriente in occidentem mouetur: ſeruata ſemper ſui curſus ratione: quam ob cauſſam ἀπλανὴς vocatur hoc eſt, *minimè errans*. Illi verò ab occidente in orientem ſua natura mouentur: ab illo verò trahuntur in occidentem. Diuerſum igitur Cœlum eſt illud ſtellarum: ab iis, in quibus vnum tantùm aſtrum cernitur. Vnum enim & idem Cœlum, naturaliter diuerſis motibus, loco moueri non poteſt, cùm omne corpus ſimplex, vno ſit motu locali contentum: vt in ipſis etiam Elementis apparet. Cœlum autem, corpus eſt magis ſimplex, quàm Elementa. Idem confirmant diuerſa temporum ſpatia quibus Cœlos moueri, ſuóſque curſus conficere videmus. Cœlum enim ſtellatum, quod ἀπλανὴς vocant, apertè videmus ſuum naturalem conficere curſum, ſpatio 24. horarum: eóque ſingulis diebus. Id quod apparet à curſu Solis, non naturali: ſed qui *raptus* dicitur. Reliqui verò inferiores, ſuos naturales curſus, qui ſunt ab occidente, in orientem variis diuerſiſque temporum ſpatiis conficiunt. Luna vno menſe: Mercurius, Venus, & Sol vno anno, Mars duobus, Cœlum Iouis, ſex annis; Iohan. de Sacrobuſto in ſphæra ait 12. annis. Saturni verò 30. ſed de Sole & Luna dubium non eſt: cùm vel ipſi ruſtici & imperitæ fœminæ illud diſcrimen obſeruent. Si autem, vt dictum eſt, omne corpus ſimplex, vno tantùm motu locali, contentum eſt, euincitur ex iſta, & motus, & ſpatij temporis, quo mouentur, diuerſitate: plures eſſe cœleſtes orbes.

Idem euincunt varij aſtrorum inter ſe aſpectus. Videmus enim, Solem aliquando recto aſpectu Lunam intueri, aliquando obliquo: nunc viciniorem illi eſſe, nunc remotiorem: atque idem de reliquis Aſtris, manifeſtum eſt. Diuerſis ergo motibus mouentur Aſtrorum orbes. Non enim aſtra per ſe mouentur, ſine orbium motu, cùm illa affixa ſint orbibus: imò cùm nihil aliud ſint, quàm orbium partes denſiores. Quòd ſi varij ſunt motus in cœlo: & cœlum vnum, vno contentum eſt motu: dici aliter non poteſt, quàm varios, pluréſque eſſe cœlos. Sicut & ſcripturæ docent, quum nominant *Cœlum, cœli, & Cœlos cœlorum.*

Thesis III.

Sunt autem cæleſtes orbes mobiles nouem.

DIxi *mobiles*, quia de Cœlo Beatorum, quod immobilis eſt, non loquimur. Notandum verò eſt diſcrimen inter Ariſtotelem, veteréſque Aſtrologos, & inter Ptolomæum, & reliquos demum Aſtronomos, de numero orbium cœleſtium. Illi octo tantùm nouerunt, ſeptem ſcilicet Planetarum, & octauam ſphæram, quæ *ſtellatum cœlum* dicitur. Ideò illos vocarunt πλανήτας: hoc autem ἀπλανῆ. Atque iuxta hanc ſententiam, quia nemini ignota eſt, & Peripateticorum eſt: Ego quoque Theſi præcedente loquutus ſum de Cœlo: probans multos eſſe orbes à diuerſis motibus. Dedi enim cum Ariſtotele octauæ ſphæræ tanquam motum proprium, Motum ab oriente in occidentem: aliis ve-

rò, Motum ab occidente in orientem. Cæterùm Aſtrologi, poſt Ariſtotelem, nonam ſphæram ſupra octauam, apertè deprehenderunt poſitam eſſe: idque ex motu perſpicuè nouerunt. Obſeruarunt enim tandem octauam ſphæram, moueri duplici motu vno ab oriente in occidentem: altero ab occidente in orientem, ſicut & reliqui Planetæ hoc duplici motu mouentur. Porrò dixi, *octaua ſphæra*, ab iſtis tantùm poſterioribus Aſtronomis duplicem motum obſeruatum fuiſſe. quia motus eius ab occidente in orientem, vſque adeò tardus eſt propter velocitatem alterius, quo à ſuperiori ſphæra rapitur ab oriente in occidentem, vt per multa ſecula non potuerit obſeruari, ſed tandem obſeruatus fuit tam manifeſtè, vt negari meritò ampliùs non poſſit. Omne autem corpus ſimplex, vno locali motu proprio contentum eſt: vt antè diximus. Eſt igitur neceſſe, octauam ſphæram, cùm moueatur duplici motu: moueri vno quidem motu proprio, ſed alieno. Nullum autem Cœlum rapitur ab inferiori, ſed à ſuperiori. Supra ſe igitur aliud habet Cœlum octaua ſphæra. Hinc itaque euincitur, nouem eſſe cœleſtes orbes. Nam de ſeptem Planetis, & octaua ſphæra, nihil eſt controuerſiæ. Qui nonæ addunt decimam, eámque etiam mobilem, nulla firma nituntur ratione, quòd ſciam.

THESIS III.

Sunt autem hoc ordine collocati a Deo omnes iſ Cœli: vt infimum locum teneat Lunaris orbis: Secundum, Mercurij: Tertium, Veneris: Quartum, Solis: Quintum, Martis: Sextum, Iouis: Septimum, Saturni: Octauum ſtelliferum Cœlum: Nonum, nona ſphæra, quæ primum mobile appellari conſueuit, ab aliquibus verò Cœlum Cryſtallinum *vocari ſolet.*

ANtiquiores Aſtrologi Calippus & Eudoxius, vt Ariſtoteles recitat Metaphyſ. 12. quos & ipſe ſequitur, vnà cum Platone, ſupra Lunam immediatè ponebant Solem. At verò Ptolemæus, & qui eum inſequuti ſunt, Solem collocant in medio reliquorum ſex Planetarum: nempe inter Martem & Venerem, idque iure: nimirum, vt poſſit omnibus reliquis Planetis, ſuperioribus & inferioribus, ipſe tanquam fons luminis, commodè ſuam & lucem & virtutem communicare. Proinde hæc ſententia, quæ etiam longè antè fuerat Anaxagoræ, recepta eſt. Eſt igitur Sol tanquam Rex Planetarum, ſiderúmque omnium, in medio à Deo Opt. Max. collocatus: in commodum ſuperiorum & inferiorum. Atque hæc de numero & ordine Cœlorum ſatis. Reliqua de ipſis Planetis & Stellis omnibus, ſuo dicemus loco: nempe in die quarto. Nunc enim tantùm de orbibus ipſis agimus.

Non diſſimulabo tamen: quid de Cœlorum ordine tradat ſcriptura: Moſes hunc ordinem non explicauit. Iobus verò ita ſcribit, *Nunquid noſti ordinem Cœli?* Item, *Quis narrabit Cœlorum rationem? Seu, quis enumerabit Cœlos in ſapientia? Iob.31.* Docet, difficile admodum eſſe, noſſe, quot ſint, & quo ordine collocati, Cœli: multóque plura eſſe in Cœlis quæ ignoremus, quàm quæ ſciamus. Idcircò ea tantùm adſeueramus, quæ aut in ſcripturis habent teſtimonia: aut quæ ſenſu percipiuntur. Ad nomina ipſa quod attinet, gentilitia, *Cœlum Saturni, Martis, Iouis, Veneris:* optarim abolita eſſe, monumenta cùm ſint fœdiſſimæ idololatriæ. Quia tamen ſic vſurpantur vbique, nos quoque vtimur coacti.

III. Figura motúſque cœlorum.

THESIS I.

Cœlum totum figura eſt ſphærica, ſeu rotunda.

THeſis hæc manifeſtiſſima eſt, non tam ex conſenſu omnium Philoſophorum, quàm etiam ex ſenſu. Quis enim non videat Cœli decliuitatem? Quid verò magis perſpicuè Cœli rotunditatem oſtendit, quàm Sol ſuo ortu & occaſu quotidiano? *Oritur Sol*, inquit Salomon *& occidit: & ad locum ſuum reuertitur: ibique naſcens gyrat per meridiem: & flectitur ad Aquilonem. Eccl.1.* Suo igitur rotundo curſu apertè docet, Cœlum quoque eſſe rotundum. Sed præter ſenſum, rationes quoque adferuntur, à Philoſophis & Aſtronomis non contemnendæ.

Sphærica figura omnium eſt pulcherrima: & capaciſſima: Reliquas enim omnes complectitur & ſuperat. Pulcherrimo igitur corpori, omniúmque maximo, quod omnia contineat, debeatur: tale eſt cœlum. Perfectiſſima eſt quoque hæc figura: cùm nulla ei fieri poſſit additio. In linea enim ſphærica, idem ſunt principium & finis. Corpori igitur perfectiſſimo, quale eſt Cœlum, optimè conuenit. Adhæc, ſimpliciſſimo corpori ſimpliciſſimus motus debetur, eóque & ſimpliciſſima figura. Cœlum ſimpliciſſimum eſt corpus inter omnia corpora; motus verò circularis ſimpliciſſimus eſt motus; quoniam à ſeipſo incipit, & in ſeipſum redit: cùm reliqui motus inter oppoſitas fiant partes, eóque multiplices ſint, & ceu compoſiti. Sphærica igitur figura, ipſi Cœlo congruit. Motus Cœli & velociſſimus eſt, & nunquam impeditur, aut retardatur. Non poteſt igitur alterius eſſe figuræ, quàm rotundæ, quæ angulis caret. In aliis enim omnibus figuris ſunt anguli, vel plures vel pauciores. Anguli autem motum impediũt, & vt aliqua intercedat quies, efficiunt. Sunt etiam qui adferunt rationem à ſimilitudine, quam debuit habere Cœlum cum Deo, ductam: nempe quòd, vt Deus neque initium, neque finem habet: ita debuit Cœlum, eóque Mundus totus, eſſe ſphæricæ figuræ; in qua nec initium ſit, nec finis. Ac proinde verè dictum eſſe à Dauide: *Cœlos enarrare gloriam Dei*: quòd non ſolùm Dei bonitatem, ſapientiam, potentiam prædicent ſua eſſentia, & virtute: verùm etiam eiuſdem Æternitatem ſua figura. Et quidem neceſſariam hanc fuiſſe Cœlo figuram; docent tum Ariſtoteles, tum autores ſphæræ. Primò, quia ſi alterius fuiſſet figuræ, vt triangularis, vel quadrangularis: inter ſe fuiſſent colliſi cœli, & fracti; cùm vnum in alterius moueatur conuexo. Deinde quòd alioqui aliqua pars Cœli, illa ſcilicet, quæ ſupra noſtrum caput eſt, foret propinquior nobis altera, quod tamen abſurdiſſimum eſt. Adde quòd ſequeretur locum aliquem eſſe vacuum in cœlis, & corpus ſine loco. Neque enim in cœlis Aër eſt, qui locum, vnde recedit corpus ſolidum, impleat. Meritò itaque creauit Cœlos Deus ſphæricæ figuræ. Hinc ſequitur Theſis ſecunda de Motu.

THESIS II.

Cœlorum omnium Motus circularis eſt, eóque continuus.

EVincitur hoc à figura cœlorum. Ideò enim Deus voluit eos figuræ eſſe ſphæricæ, vt Motu talis figuræ proprio, moueri poſſent ſine intermiſſione. Adhæc cùm conſtet Cœlos moueri omnes, id quod ſingulorum Aſtrorum conuerſiones, variique inter ſe aſpectus apertè docent; aut recto aut circulari motu, illos moueri neceſſe eſt. Atqui recto non mouentur. Hic enim ſine aliqua requie, continuari non poteſt in ſpatio finito. Citra autem omnem requiem, ſemper mouentur Cœli: circulariter ergo. Quid? quod ſcriptura id quoque apertè confirmat? Eccleſ. 1. *Oritur Sol & occidit: & ad locum ſuum reuertitur: ibique naſcens gyrat per meridiem, & flectitur per Aquilonem.* Eodem igitur curſus genere, reliqui etiam orbes moueantur neceſſe eſt, nimirum circulari, in quo neque principium, neque finem inuenire eſt.

Atque hoc ſanè motus genere, ipſam Dei Æternitatem ſignificant Cœli: in qua neque principium vllum eſt, neque finis. Ac proinde verè *Cœli ſuo etiam motu enarrant gloriam Dei.* Item, *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: Ro.1.* ſempiterna quoque eius virtus, atque diuinitas. Et quidem in homine, qui μικρόκοσμος appellatus meritò fuit, motus Cœli reſpondet motui Animi: ſicut motus corporis motui Elementorum; ſi extra ſuum moueantur locum. Vt enim hic rectus eſt; ita ille circularis. Animus enim ſuo motu à ſe incipit, & in ſe deſinit.

THESIS III.

Mouetur autem primum mobile, nona ſcilicet ſupremáque mobilis ſphæra, vno duntaxat motu, eóque ſibi proprio: ab oriente ſcilicet per meridiem, in occidentem gradiendo: & per hanc partem in orientem redeundo.

ID verò meritò. Nobiliſſimus enim motus nobiliſſimo debetur corpori. Eſt autem ſuprema ſphæra, reliquarum nobiliſſima: quia quò ſublimius quodque eſt, eò etiam nobilius eſt: vt in ipſis quoque elementis videre eſt. Motus

tus verò ab oriente per meridiem, quæ eſt ceu pars anterior Cœli, in occidentem, eſt nobiliſſimus omnium.

THESIS IV.

Taliſque primi mobilis motus, ſemper æquabilis eſt: nunquam aut remiſſior, aut velocior.

OMnis enim motus inæqualis, aut intenditur initio, & remittitur in fine, qualis eſt motus rectus violentus. Exemplum habes in lapide, ſi illum ſurſum proiicias. Aut contrà remiſſior eſt initio, & in fine concitatior: qualis eſt motus rectus naturalis: vt cùm lapis deorſum cadit. Atqui in motu circulari, atque in primis primi Cœli, non eſt principium à fine diſtinctum: ſed ſicut in linea ſphærica, ſic in circulari motu, idem eſt principium, qui & finis. Non poteſt igitur aut velocior, aut tardior eſſe vel initio, vel in fine motus Cœli. Quare ſemper æquabilis eſt. Neque vlla eſt cauſſa cur modò remiſſior, modò concitatior eſſe poſſit: cùm & mouens ſemper idem ſit, eiuſdémque potentiæ: Et mobile viciſſim ſemper idem: nunquam vel magis, vel minus ad motum diſpoſitum: cùm ab omni alteratione, liberum ſit atque vacuum. Totum verò hoc quod dicimus: de naturali, ordinarióq; motu intelligendum eſt. Cæteroqui extra ordinem eſt: ſi velit Deus vel tardiorem, vel velociorem, vel etiam nullum fieri Cœli motum, vt contigit tempore Ioſuæ, quum Sol in medio curſu ſubſtitit. Tempore autem Ezechiæ retroceſſit. In fine verò ſeculi, *Cœli*, vt ait Petrus, *cum ſtridore tranſibunt*. Verùm nos in præſentia de operibus Dei, quæ *creationis* vocantur, & quæ ordinaria ſunt, loquimur. Omnia enim certis conſtant ordinibus.

THESIS V.

Cœlum verò ſtelliferum, & reliqui ſeptem orbes: duplici ſaltem motu mouentur: vno proprio, qui eſt ab occidente ad orientem: altero alieno, quo ſcilicet à primo mobili ab oriente ad occidentem trahuntur.

DIxi, *duplici ſaltem motu eos moueri*: quoniam hoc commune eſt omnibus orbibus, poſt primum mobile. Atque ij duo motus manifeſtiſſimi ſemper fuerunt in ſeptem Planetarum orbibus. In octaua autem ſphæra motus proprius; ab occidente ſcilicet in orientem, quia exiguus admodum eſt, vt vix percipi poſſit, idque propter maximam nonę ſphęræ velocitatem, à qua trahitur in occidentem: ideirco factũ eſt vt motus alter, qui eſt ei proprius, non ſemper fuerit obſeruatus. Sed ita tandem obſeruatus eſt, vt dubitari de illo non poſſit amplius. Quare etiam ipſa octaua ſphæra, duplici mouetur motu: proprio ſponte, & alieno, per ſuperioris orbis tractum. Aſtrologi tamen volunt reliquos orbes, aliis etiam motibus moueri: & alios quidem pluribus, alios paucioribus, vt apud ipſos demonſtratur. Aiunt enim primos & ſuperiores quinque Planetas moueri quatuor motibus: duos verò inferiores, tribus tantum: & octauam duabus duntaxat, vt dictum eſt. Vocant autem plerique omnes illum, quo à primo mobili in occidentem trahuntur: diurnum motum, propterea quòd quotidie ſemel ita peracti, hunc perficiant curſum. Alterum verò ipſorum proprium *motum raptus* appellant: quòd hoc motu contra, ab occidente in orientem obrepant, & obnitantur primo mobili. Quidam tamen illum appellant & *diurnum*, & *raptus*: hunc autem *naturalem* & *proprium*.

THESIS VI.

Etſi verò omnes octo ſphæræ à nona æquabiliter trahuntur ab oriente in occidentem: ipſæ tamen motu ſuo proprio, inæquabiliter mouentur: cùm aliæ velocius, aliæ tardius ſuum proprium conficiant curſum.

QVædam enim ſphæræ quò ſunt aliis ſuperiores, eò etiã tardiores ſuum proprium conficiunt curſum. Sphæra enim octaua, vt tradunt Aſtronomi, intra centum annos ſuũ proprium conficit motum. Septima, id eſt, *Saturni*, intra annos 30. Sexta, hoc eſt, *Iouis*, intra 12. quanquam nonnulli velint intra ſex. Quinta, hoc eſt, *Martis*, intra 9. annos. Rationem huius differentiæ duplicem afferunt. Vnam, quia maior eſt impreſſio primi mobilis in propinquiorem orbem, quàm in remotiorem. Alteram, quia corpus ſuperioris ſphæræ, maius eſt corpore inferioris: cùm hæc, non illa contineatur. Corpus autem ſphæricum, quò maius & amplius eſt, eò etiam ampliorem efficit circulum: atque ita tardius ſuum proprium conficit curſum.

THESIS VII.

Quædam etiam porrò ſunt ſphæræ, quæ licèt inter ſe inæquales ſint magnitudine, & vna altera ſit ſuperior: non vna tamen citius alterâ, ſuum abſoluit curſum: ſed eodem quo & reliquæ, temporis ſpatio, illum perficiunt.

VT de Solis, Veneris & Mercurij orbibus affirmant Aſtronomi. Cuius rei cauſſam adferunt: quod hi tres orbes moueantur, non pro ipſorum magnitudine vel paruitate: ſed ex intelligentia mouentis, hoc eſt, ex Dei, vt nos loqui decet, voluntate: quatenus nimirum expedit, rerum inferiorum generationi. Sunt enim harum ſphærarum Aſtra, Sol nimirum in primis: deinde Venus, & Mars, cauſſæ ad generationem, in Cœlis efficaces: ex Dei prouidentia ad hoc ordinatæ. Ita fit, vt pari ferè motu, & eodem ferè temporis ſpatio moueantur: intra ſcilicet vnum fermè annum. Idcirco videmus apertè in Cœlo, Venerem & Mercurium nunquam procul abeſſe à Sole. Qua in re clarè perſpicimus voluntatem Dei, primam ac principem eſſe cauſſam, tum omnis motus; tum omnis diuerſitatis in motibus: omnia pro ſua diuina ſapientia, ad animantium & præſertim hominum ſalutem, ordinantis atque mouentis: vt non immeritò Apoſtol. dixerit, *in ipſo nos viuere, moueri & eſſe*.

THESIS VIII.

Neque verò fruſtrà tam multi, diuerſique in Cœlis conſtituti ſunt Motus; ſed ad maximam vtilitatem, imò neceſſitatem rerum inferiorum: maximè verò vt ſeruetur in his rebus inferioribus generatio & corruptio.

EXplicant & probant hanc Theſin Philoſophi & Aſtrologi. Senſu enim percipimus ex variis Cœlorum motibus & ſiderum aſpectibus, res vel generari, vel corrumpi plures, frequentius & felicius, aut pauciores rarius, & infelicius: vt primo Vere potiùs, quàm media æſtate: & quæ Vere naſcantur, melioris eſſe conſtitutionis, quàm Hyeme.

THESIS IX.

Omnes verò Cœli ſine vllo labore mouentur.

ILla enim dicuntur ſine labore moueri, quæ ſine vlla intermiſſione, ac requie, ſinéque vllo requietis appetitu mouentur. Tali autem motu mouentur Cœli: quia circulari. In circulari enim nulla requies eſt. Vanum igitur quod fingunt Poëtæ, Cœlum ab Atlante ſuſtentari. Deus ſuſtentat, non Atlas: virtute, Cœlis, qua ſuſtententur, indita.

THESIS X.

Stultum verò eſt, aſſerere Cœlos, ſuo motu ſonum vllum, nedum perfectam harmoniam edere: vt Pythagoras & Platonici voluerunt.

SCripturæ enim nullum de hac re verbum faciunt. Nam quod ait Dauid: *Cœli enarrant gloriam Dei*, non de ſono vllo loquitur, ſed ſua illos forma, luce, motu, hoc facere intellexit. Vnde verò ſonus efficitur? Ex Aëre, certa ratione percuſſo. At intra Cœlos nihil eſt Aëris. Neque certè orbes inter ſe confricantur: vt ex violenta colliſione ſonus aliquis edi poſſit. Poſtremò mirum foret, tales ſonos audiri nõ poſſe neque interdiu, neque etiam noctu, quum omnia ſilent. Deus autem & Natura nihil agunt fruſtrà. In quem verò finem ederentur tales Muſicæ, ſi audiri non poſſint? Sunt igitur mera hominum ſomnia: quę de harmonia Cœlorum traduntur à ſuprà dictis Philoſophis: niſi fortè illorum locutio ſit figurata: quod mihi probabilius eſſe videtur. Significare enim voluerunt, omnia cœlis eſſe ſummè ordinata: omnia inter ſe conſentanea, nihil corruptionis, nihil alterationis, ἀταξίας ve inueniri poſſe.

THESIS XI.

In Cœlo verè dextrum eſſe & ſiniſtrum: ac proinde quodam etiam modo, ſuum Ante & Retro, ſuúmque ſurſum & deorſum, manifeſtum eſt.

DExtrum enim in animali ea pars dicitur, vnde motus incipit, & ſiniſtrum vbi deſinit. Incipit autem motus in Cœlo ab oriente, & deſinit in occidentem. Non poteſt autem motus fieri à dextra ad ſiniſtram, niſi transfer-

tur per partem anteriorem : neque à ſiniſtra circulariter redit ad dexteram , niſi per poſteriora tranſeatur. Cùm autem Cœli corpora ſint etiam profunda,quia latitudine, longitudine,& altitudine conſtant, vtpote corpora perfectiſſima:Inde ſit, vt etiam neceſſe ſit , eos ſuum habere ſurſum & ſuum deorſum. Atque hæc de Cœlis,quatenus opera ſunt Dei magna & mirabilia,ſatis. Nam quæ traduntur ab Aſtrologis,de circulis Cœli,in quibus omnes cœleſtes motus confici indicant : aliis maioribus,aliis minoribus: Et maiores definiunt eſſe Æquinoctialem,Zodiacum,duos Coluros: Meridianum & Finitorem : Minores autem, duos Tropicos Cancri & Capricorni,Arcticum,& Antarcticum: Quæ item de Axe & Polis ſcripta reliquerunt , hæc omnia aliena ſunt à Theologia. Neque enim hæc,opera Dei ſunt : cùm tales circuli in Cœlis minimè realiter inueniantur : ſed excogitati ſint ab humana mente , ad componendam ſphæram , in cuius forma, cœleſtis conſiderari poſſit. De Cœlis igitur ſatis eſt dictum: quantum ad nos in præſentia pertinet.De ſideribus enim dicendum fuerit in quarto die. Ergo nunc ad Elementa veniendum eſt.

CAPVT IV.

De Elementis in vniuerſum.

BIFARIAM de Elementis, altera Mundi parte , dicendum nobis eſt. Primùm in vniuerſum de omnibus ſimul. Deinde ſeorſim de ſingulis. Ad primum quod attinet , ſex nobis capita breuiter explicanda ſunt : Primò de Elementorum eſſentia : quid ſint. Deinde de eorum numero Tertiò de qualitatibus in genere. Quartò de primis qualitatibus: quibus ad alterationem mouentur, generantur & corrumpuntur , cóque de ipſorum generatione & corruptione. Quintò de ſecundis qualitatibus, quibus mouentur ad locum : ſcilicet grauitate , & leuitate. Poſtremò de ipſorum motibus,déque eorundem figura.Hæc enim Deus in Elementis collocauit : cóque etiam conſideranda nobis propoſuit. Atque hæc eò certiora nobis ſunt, quò etiam ſunt propinquiora & ſenſibus magis ſubiecta. Vtiliſſima etiam eſt harum rerum cognitio : quoniam viam aperit atque ſternit aliorum corporum omnium,cóque totius huius,quę infrà Cœlum eſt regionis,explicationi. Tota enim hæc, vt vocant, *ſublunaris Mundi Machina*, conſtat primùm ex quatuor Elementis,tanquam ex primis principiis,primíſque partibus ſuis : nempe ex Igne,Aëre,Aqua,Terra: ordine pulcherrimo inter ſe poſitis : & deinde aliis corporibus,quę ex illis principiis quatuor compoſita ſunt.

De Eſſentia elementorum.

Elementa itaque ſic definiri ſolent.

THESIS I.

Elementa,corpora ſunt ſimplicia, ex quibus tanquam ex primis principiis vnaquaque res corporata,componitur : & in quæ eadem etiam ad extremum reſoluitur : ipſa verò in nulla ſe priora.

SIc enim in genere, Elementi & ςοιχεῖυ nomine appellatur omne id , ex quo primum aliquid componitur , & in quod etiam diſſoluitur. Veluti ſunt etiam Elementa literarum,è quibus componuntur ſyllabæ,adeóque tota oratio: & in quę etiam diſſoluitur. Simplicia eſſe corpora,manifeſtum eſt: quoniam iis conſtant cætera omnia : id quod certè fieri non poſſet, ſi ipſa quoque Elementa, compoſita ex aliis corporibus eſſent. Duo enim corpora in vno & eodem ſubiecto conſiſtere nequeunt : vt omnes tradunt Philoſophi. Proinde proprium Elementi cuiuſque eſt , vt ſit ſimplex corpus : quo poſſit in aliorum venire compoſitionem. Omnia verò reliqua corpora componi ex Elementis , manifeſtum fit ex primis Elementorum qualitatibus : quæ in cæteris corporibus viſuntur,ſentiuntur, palpantur. Ideo verò dico Elementa ex aliis corporibus non eſſe compoſita, & hac de cauſſa, vocari & eſſe ſimplicia; quia licèt compoſita & ipſa ſint ex Materia & Forma, citra quas nullum Phyſicum corpus eſſe poteſt: hoc tamen non impedit , quin ſimplicia ſint corpora : cùm neque Materia,nec Forma ſint corpora.Conſtare autem Elementa ex Materia & Forma : docent ipſorum inter ſe tranſmutationes. Tranſmutatur enim Ignis in Aërem, Aër in Aquam: & viciſſim hæc in Aërem,& Aër in Ignem. Nulla autem tranſmutatio fieri poteſt ſine ſubiecta materia , ſinéque nouæ Formæ receptione.Neque minus eſt perſpicuum compoſita omnia ex Elementis, in eadem tandem diſſolui : tanquam in ſua prima principia. Sic enim corpus etiam humanum ex humo ſumtum & formatum , tandem in humum redire ac diſſolui docet ſcriptura, & res ipſa teſtatur. Ipſa verò Elementa in priora corpora non diſſolui,liquet : quia etiam ex pluribus non ſunt compoſita ; ſed tantùm ex Materia & Forma. Proinde corpora etiam hæc ſimplicia, verè Elementa vocantur. Atque hæc de Elementorum Eſſentia, ſatis.

2. De numero Elementorum.

THESIS I.

Quatuor autem ſunt Elementa: Ignis, Aër, Aqua,& omnium fundamentum Terra: neque plura, neque pauciora.

SIc enim & omnes Philoſophi docent : & Moſes ipſe ante illos , ſcriptum reliquit , vt in contextus explicatione oſtendimus. Rationibus quoque id euincitur à Philoſophis. Plura eſſe vno , ita demonſtrant. Elementa inter ſe alterantur : vt videmus , Ignem in Aërem : Aërem in Aquam. Sunt igitur ibi plures contrariæ. Omnis enim alteratio , inter qualitates fit contrarias. Contrariæ autem qualitates actiuæ , in vno ſubiecto eſſe non poſſunt. Ageret enim in ſeipſum, & ſic perderetur ; id quod cum natura à Deo creata pugnat. Plura ergo vno Elementa. Plura etiam duobus , eodem modo probatur. Si enim duo tantùm eſſent Elementa: Vnum igitur eſſet calidum & ſiccum : alterum frigidum & humidum. Has enim quatuor qualitates videmus in corporibus : atque ita alterum alteri eſſet prorſus vtraque qualitate contrarium. Contrarium autem agit in alterum contrarium : & illud omnino perdit,niſi aliqua inter ipſa ſit ſimilitudo : qua ſe mutuò conſeruent. Non poſſunt igitur duo tantùm eſſe Elementa, quin ſeſe mutuò omnino perdant & deſtruant. Ita omnis generatio tolleretur. Cur enim , exempli cauſa, Aqua agens in Aërem , non prorſus illum perdit, ſed potius in illum generatur? Quia non eſt prorſus illi contraria. Etſi enim contraria eſt illi,vna qualitate,nēpe frigiditate,cùm ille ſit calidus: non eſt tamen contraria,altera qualitate,nempe humiditate: nam etiam Aër humidus eſt. Hæc ratio eſt cur non ſe penitus perdant , ſed potius inter ſe generentur : & ex iis reliqua omnia. Quatenus enim ſunt contraria: ſeſe inuicem corrumpunt : quatenus ſimilia , inter ſe generantur,& cohærent. Eadem ratione demonſtratur , non poſſe tria eſſe Elementa. Ita euincunt Philoſophi , pauciora quatuor eſſe non poſſe. Porrò eſſe quatuor tantùm , & non plura , ita demonſtrant. Tot ſunt Elementa , quot ſunt tum primę qualitates actiuæ (vnicuique enim Elemento vna tantum primò competit qualitas , vt videbimus :) tum etiam quot ſunt primarum qualitatum paſſibiles combinationes: hoc eſt , binarum coniunctiones. Oportet enim propter generationem , vnumquodque Elementum , duabus conſtare qualitatibus:vna primo,altera ſecundario,vt videbimus:& vt in Natura patet. Aqua enim, humida eſt & frigida: Aër,humidus & calidus. Et ita etiam reliqua duo : Atqui quatuor tantum eſſe poſſunt tolerabiles , quatuor qualitatum primarum combinationes. Prima enim combinatio , nempe calidi & frigidi , in eodem ſubiecto eſſe non poteſt. Secunda item, humidi ſcilicet & ſicci , pariter impoſſibilis eſt in eodem ſubiecto. Ita quatuor tantum reſtant poſſibiles : quarum vna eſt frigidi cum ſicco , qualis eſt in terra. Altera eſt frigidi cũ humido, qualis eſt in Aqua : Tertia calidi cum humido , vti in Aëre : Poſtrema calidi cum ſicco,veluti in Igne. Cùm autem quatuor tantum ſint primæ qualitates actiuæ contrariæ, & harum tantum quatuor poſſibiles ſint , & in eodem ſubiecto tolerabiles combinationes,vt manifeſtum eſt : efficitur, neceſſariò tantum quatuor eſſe Elementa : nec plura, nec pauciora. Ita videmus quàm pulchrè & ſapienter Deus omnia creauit & ordinauit : vt iis quatuor Elementis , tanquam quatuor toris, tota hæc altera Mundi pars, quæ ſublunaris dicitur & Elementaris,quaſi vehatur ac ſuſtentetur: Vt in primo Ezechielis capite, de quorundam ſententia , adumbratum fuit. His enim quatuor, vt dixi , primarum qualitatum,quæ ſunt ſiccitas,humiditas,caliditas,frigiditas,combinationibus, fit , vt & quatuor conſtent elementa : & reliqua omnia ex Elementis generentur. Itaque nunc melius explicandæ ſunt Elementorum qualitates.

3. De qualitatibus Elementorum in genere.

THESIS I.

Certis qualitatibus affecta eſſe Elementa neceſſe eſt.

SVnt enim & ipſa ex Materia & Forma , ſicut omnia corpora compoſita. Formas autem ſubſtantiales , ſemper certæ ſequuntur Formæ accidentales : hoc eſt, qualitates quibus corpora variè afficiantur. Nam omne corpus & quale , & quantum ſit oportet. Vt enim nulla ſunt accidentia, ſine ſuis ſubſtantiis,in quibus inſint : ita ſubſtantiæ nul-

læ ſunt

læ ſunt,ſine ſuis accidentibus. Neque enim voluit Deus nudas eſſe ſuas ſubſtantias: ſed eas ſuis veſtiuit accidentibus. Proinde Philoſophi viderunt omnia, quæ ſunt in Mundo, aut *Subſtantias* eſſe, aut *Accidentia*: Et ſubſtantias receptacula eſſe accidentium: Accidentia verò, ornamenta eſſe ſubſtantiarum. Afficiunt enim & quodammodo immutant ſubſtantias, accidentia: præſertim qualitates. Atque hac de cauſa, qualitates à Græcis vocatæ fuerunt, *ποιότητες*: à *ποιεῖν facere*: quòd afficiant ſubiecta, quibus accidunt. Sunt igitur certæ in Elementis Qualitates.

THESIS II.

Sunt autem Elementorum qualitates, aut naturales, hoc eſt, ipſis per ſe innatæ: aut extraneæ, hoc eſt, quæ extrinſecus adueniunt, illiſque adhærent.

EXemplum prioris generis. In igne calor eſt: Contrà in Aqua frigus. Exemplum poſterioris generis, eſt calor in Aqua calefacta. Aliunde enim illi ineſt: nempe ab Igne. De hoc poſteriori genere, hoc eſt, de aduentitiis, ſeu extraneis in præſentia non loquimur; ſed tantùm de naturalibus qualitatibus.

THESIS III.

Naturalium igitur qualitatum aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ.

PRimæ ſunt quatuor: Calor, frigus, ſiccitas, humiditas. Secundæ ſunt illæ, quæ illas primas, quaſi vmbræ corpus conſequuntur, & ex illis oriuntur: Vt denſitas & raritas, mollities & durities, grauitas item, & leuitas.

THESIS IV.

Harum porrò omnium, duæ ad localem motum pertinent, grauitas & leuitas. Reliquæ, ad motum alterationis.

GRauitate enim & leuitate, ad locum mouentur: Aliis autem ad generationem, alterationem, augmentum. Nunc de primis qualitatibus dicendum eſt.

4. De primis naturalibus qualitatibus Elementorum.

THESIS I.

Quatuor ſunt primæ Elementorum qualitates: Caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditas.

ESſe tantùm has quatuor, præter omnium ſententiam, Senſus quoq; noſtri id teſtificantur. Plures enim nec pauciores primæ qualitates, iſtis quatuor reperiuntur. *Primæ* verò vocantur: Primùm, quòd aliæ ex iis quatuor oriantur; ipſæ verò à nullis aliis prioribus: Vt raritas, & per conſequens leuitas: ex caliditate. Proprium enim calidi eſt rarefacere: rarefactionem autem ſequitur leuitas. Nam quò quid rarius eſt, eò etiam eſt leuius. Ideo Ignis, quia per ſe calidus eſt, etiam rarius eſt, & ideo leuius Elementum. Contrà denſitas, & ex conſequenti grauitas, ex frigiditate naſcuntur. Propriũ enim frigoris eſt, condenſare: vt patet in Aqua, gelu ob frigus conſtricta. Condenſationem autem ſequitur grauitas. Nam quò aliquod corpus denſius eſt, eò etiam grauius. Ideo inter Elementa, Terra, quia frigidior eſt, eò etiam eſt denſius, eóq; & grauius Elementum. Meritò igitur illæ quatuor, primæ qualitates eſſe dicuntur, cùm ex ipſis reliquæ omnes ortum habeant; ipſæ autem à nullis aliis. Deinde quia ex iis primò, prima conſtituuntur corpora, hoc eſt, Elementa, vt partim dictum eſt, partim dicetur. Denique quia per has primùm, Elementa operantur: & in compoſitionem aliorum porrò corporum veniunt. Hinc

THESIS II.

Hæ quatuor primæ qualitates, ſolæ inter omnes, actiuæ & paſſiuæ propriè dicuntur & ſunt.

SVnt enim principia, quibus corpora omnia, tam Elementa, quàm ex Elementis compoſita, in ſe inuicem agunt: & à ſe inuicem patiuntur: generando & corrumpendo.

THESIS III.

Sunt autem eatenus per ſe actiuæ & paſſiuæ, quatenus ſibi inuicem opponuntur. Quatenus autem non opponuntur, non ſunt propriè aut actiuæ aut paſſiuæ.

EXemplum primi membri: vt ſi calidum oppouas frigido: & humidum ſicco. Vnum enim agit in alterum, illúdque corrumpit, ſéque mutuò pellunt: quemadmodum contrariorum omnium natura poſtulat: frigus, calorem: calor, frigus. Qualitate autem frigoris eiecta, ex frigido ſubiecto, caloris qualitas introducitur.

Exemplum ſecundi: Vt ſi calidum cum ſicco coniungas, aut frigidum cum humido: ea non agunt in ſe inuicem, nec ſe alterant: cùm non ſint contraria inter ſe. Omnis autem alteratio inter contrarias qualitates ſemper fiat oportet: ſicut omnis motus inter terminos contrarios. Proinde oportet in eodem ſimul habitent ſubiecto: Vt caliditas & ſiccitas in Igne: frigiditas & humiditas in Aqua: atque ita de aliis.

THESIS IV.

Etſi verò hæ omnes qualitates primæ, quatenus ſibi inuicem opponuntur, actiuæ ſint & paſſiuæ: caliditas tamen & frigiditas, magis actiuæ ſunt, quam paſſiuæ. Contra verò humiditas & ſiccitas: magis paſſiuæ quam actiuæ.

CAlor enim & frigus ad plures actiones vim habẽt, eámque intenſionem, quàm humidum & ſiccum: Contrà, ad plures paſſiones apta ſunt humidum & ſiccum, quàm calidũ & frigidum: vt multis exemplis declarant Philoſophi, & experientia quotidiana docet. Semper enim videmus calori & frigori vim potius ineſſe agendi, quàm patiendi. Humiditati autem & ſiccitati facultatem potius patiendi, quàm agendi. Illæ enim duæ ſequuntur Formam: hæ verò materiam.

THESIS V.

Vnumquodque Elementum duabus conſtat qualitatibus; vna, quæ ei competit primò & in ſumma: altera, quæ ſecundariò & remiſſè.

NAm Igni, primò competit per ſe, & ſummè caliditas: ſecundariò & remiſſè ſiccitas. Aëri primò humiditas, ſecundò caliditas: Aquæ primò & ſummè, frigiditas: humiditas ſecundariò. Terræ autem ſiccitas primò & ſummè: Frigiditas verò ſecundariò & remiſſè.

THESIS VI.

Atque vna quidem, nempe media cum altera conſentit; altera verò, nempe extrema illi repugnat.

AQua enim terra conuenit, frigiditate: Diſſentit autem humore: ita de reliquis.

THESIS VII.

Sunt itaque omnes hæ qualitates, accidentia quædam naturalia, minimè autem formæ ſubſtantiales, vel res corporeæ.

DVo enim corpora, in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt: Sicut plura accidentia. In ſingulis autem elementis: duæ inſunt qualitates primæ, vt dictum eſt: quibus vnum quodque conſtat, & patitur ac operatur.

THESIS VIII.

Singularum autem vires ſunt diuerſæ, eóque diuerſa effecta ab ipſis procedunt.

CAlor enim calefacit, fouet: res eiuſdem formę, (*homogeneas* vocant) connectit: diuerſę autem, (*heterogeneas* appellant) ſegregat. Rarefacit etiam & extenuat, diſſoluit, eóq; aperit, laxat, attrahit, fundit, ſiccat, vrit. Frigus autem frigefacit, refrigerat, congelat, conſtringit, obſtruit, condenſat, grauat, ſtupore afficit: inurit etiam & exiccat, ſed ex accidenti. Humiditatis porrò eſt diſſoluere, ægrè in ſuis terminis contineri, mollire, rarefacere, conglutinare, alere, corrumpi, & corrumpere: vnde humiditas omnis *corruptionis mater* appellatur. Siccitatis verò eſt conſtringere, ſiccare, indurare, retinere.

THESIS IX.

Proinde iis diuerſis qualitatibus & qualitatum proprietatibus fit: vt Elementorum quoque naturæ, diuerſæ ſint & cognoſcantur eſſe diuerſæ.

THESIS X.

Habent porrò inter ſe proportionem aliquam, qua fit, vt quædam inter ſe cohæreant: quædam verò ita ſibi inuicem aduerſentur, vt cohærere non poſſint.

Calor enim & frigus, humor & ſiccitas, prorſus ſibi aduerſantur. Proinde in nullo Elemento ſimul eſſe poſſunt. Calor autem & humor cohærent: Vt in aëre. Frigus item & humor: Vt in aqua. Siccitas & calor in igne. Frigus & ſiccitas, in terra.

THESIS XI.

Fuerunt autem & Elementa & eorum qualitates primùm confuſe in primo chaos: Deinde Dei iuſſu diſtincta omnia: Vt Moſes narrat.

Atque hæc de primis qualitatibus, quibus conſtituuntur & conſtant elementa: quibus inter ſe cohærent & operantur, atque patiuntur à ſe inuicem, ſatis ſunto.

Nunc antequam de elementorum inter ſe mixtione, generatione, & corruptione, per has primas qualitates dicam, expedienda nobis ſunt, quæ ad ſecundas qualitates pertinent; præſertim quibus elementa mouentur localiter: vti ſunt grauitas & leuitas. Nam de motu etiam ad locum, quo mouentur elementa, priùs dicendum eſſe, quàm de motu ad alterationem, vera dicendi ratio docet. Localis enim motus, prior & perfectior eſt omnibus aliis.

5. De ſecundis Elementorum qualitatibus.

THESIS I.

Ex quatuor primis qualitatibus, ortum habent ſecundæ: atque inprimis rarefactio & condenſatio, vnde leuitas & grauitas.

Calor enim rarefacit: quæ autem rara ſunt, leuia ſunt. Ex calore igitur raritas & leuitas. Frigus autem conſtringit, ac condenſat. Denſiora autem grauiora ſunt. Ex frigore igitur & denſum & graue eſt. Cum iis verò coniunguntur & reliquæ: nimirum durities & mollities, aſperitas, ariditas, ſubtilitas, craſſities.

THESIS II.

Vt autem raritas, ſubtilitas, eóque & leuitas a calore naſcuntur, & contra a frigore dubio, craſſities, eóque etiam grauitas: ita etiam mollities & ſubtilitas, ab humore: & durities ac craſſities, ariditas, item & aſperitas, à ſiccitate ferè naſci ſolent.

Dixi *ferè*, quoniam eædem qualitates ſecundæ, nonnunquam à diuerſis primis qualitatibus proficiſcuntur. Tam enim rarefacit Ignis, quàm aqua. Et idem lutum indurat, quàm frigus. Sed pro diuerſitate ſubiectorum corporum.

THESIS III.

Leue porrò id eſſe dicitur, quod cum paucis & raris partibus conſtet: ſurſum facilè per ſe fertur. Graue autem, quod cum multis & denſis partibus conſtet: deorſum, ſine difficultate ſuapte ruit natura.

THESIS IV.

Durum autem id eſſe dicitur, cui tactus cedit: molle verò, quod tactui cedit. Rarum quod partes ſuas habet diffuſas, inter ſe tamen coniunctas, vt Aqua. Denſum quod conſtrictas habet, vt ferrum. Aſperum, quod tactum, dum contingitur, offendit, vt pumex. Lene, quod tactum, dum contingitur, oblectat, vt ſpeculum. Subtile, quod tenuis eſt naturæ, vt flatus in aere. Craſſum, quod naturæ eſt habitioris, vt terra ſoliditas. Atque hæ omnes, tangibiles qualitates vocantur: quoniam tactu diſcernuntur.

THESIS V.

Graue item & leue bifariam dicitur: ſimpliciter ac per ſe, & alterius reſpectu.

Graue ſimpliciter ac per ſe, eſt illud, quod in quocunque trium elementorum, aquæ ſcilicet, aëris & ignis, ponatur: ſuapte natura deſcendere poteſt, & illi ſubeſſe. Vt Terra, in quocunque elementorum ponatur, ſemper, niſi impediatur, deſcendit. Graue autem reſpectiuè dicitur, quod comparatum vni, nempe ſuperiori elemento: poteſt deſcendere, & ei ſubeſſe. Comparatum verò alteri, nempe inferiori poteſt aſcendere: vt aqua, ſi in aëre ponatur, deſcendit: & ei ſubeſt. Sed ſi ſubtus Terrã, aſcendit, & ei ſuperior fit. Sic de aëre, reſpectu ignis, & aquæ, dicendum eſt. Sic oleum quod ſubtilius eſt aqua, poſitum in aëre, deſcendit: poſitum verò in aqua, aſcendit. Contrà, Leue ſimpliciter ac per ſe, id eſſe dicitur; quod in quocunque trium Elementorum, nempe Terræ, Aquæ, Aëris, ponatur, ſemper aſcendit, & illis ſupereminet: vt ignis. Reſpectu verò alterius, leue id eſſe dicitur: quod comparatum vni Elemento, inferiori ſcilicet, ſemper adſcendit, vt aer in aqua incluſus, aut in terra, ablato impedimento, aſcendit. Poſitus verò in ſphæra ignis, deſcendit: niſi ab igne conſumatur. Idem de aqua, reſpectu terræ & aëris dicendum eſt. Horum autem omnium vna eſt communis ratio: nempe, quia grauiora, naturaliter appetunt eſſe ſub leuioribus: & leuiora ſupereſſe grauioribus. Ac quod diximus de Elementis, idem ſentiendum de iis, quæ ex Elementis compoſita ſunt. In quibus cum terra prędominatur: ea per ſe & ſimpliciter grauia ſunt: vt metalla. In quibus verò ignis, ea per ſe leuia: vt vapores igniti. In quibus autem prædominiũ aëris eſt, aut aquæ grauia vel leuia ſunt, reſpectiuè, ſicut explicatum eſt exemplo olei: quod ſuper aquam ſtat: ſed ſub aëre. Lignum item, quia propter poros, plus in eo eſt aeris, quàm terræ, aut aquæ, ſtat ſuper aquam.

THESIS VI.

Neque tamen propterea, in iis quæ reſpectu alterius grauia, & leuia ſunt: duæ ſunt qualitates, grauitas & leuitas, ſed vna tantùm ſimplex, grauitas aut leuitas, talis.

In aëre enim eſt leuitas talis, qua ſuperior eſt aqua, & inferior igne. In aqua verò talis grauitas, quæ ſubeſſe aëri poteſt, terræ verò eminere. Media enim elementa, medias habent qualitates, quibus ad locum mouentur.

THESIS VII.

Proinde iuxta grauitatem & leuitatem, eámque vel minorem vel maiorem: Loca etiam vel ſuperiora vel inferiora elementis fuerunt à Deo diſtributa.

Igni enim tanquam ſimpliciter leui locus ſimpliciter ſurſum. Terrę vt ſimpliciter graui, locus ſimpliciter deorſum. Reliquis duobus mediis, ſecundùm quid grauibus, & ſecundùm quid leuibus: loca etiam media, quæ ſecundùm quid ſurſum, & ſecundùm quid deorſum eſſe dicuntur. Et aëri quidem, aqua leuiori. Igne autem minus leui locus intra ignem & aquam. Aquæ verò minus graui quàm terra eſt, & minus leui, quàm aer: locus intra terram & aërem.

THESIS VIII.

Qualitates autem iſtæ grauitas & leuitas, nequaquam formæ ſunt Elementorum: ſed qualitates formas ipſas conſequentes.

Grauitas enim & leuitas tactu per ſe percipiuntur. Nulla autem forma ſubſtantialis, tactu percipi poteſt per ſe: ſed tantum per ſuas qualitates, ſenſibus obnoxias. Neque ſubſtantia vlla alteri ſubſtantiæ contraria eſt. Grauitas autem & leuitas, contrariæ ſunt, & contrariorum motuum cauſæ. Adde quòd nulla ſubſtantia recipit magis aut minus: id quod certè faciunt, grauitas & leuitas. Aliqua pars enim terræ, altera grauior eſſe poteſt. Denique manente eadem forma ſubſtantiali, variatur grauitas & leuitas. Lignum enim exſiccatum minus graue eſt, ſe ipſo viridi exiſtente: & vir adultus grauior eſt, quàm quum ipſe idem puer eſſet. Fieri igitur nequit, vt leuitas & grauitas in Elementis, formæ ſint ſubſtantiales: ſed tantùm qualitates ſint oportet.

THESIS IX.

Sunt igitur grauitas & leuitas, tam ſummæ, quàm mediæ: cùm ſint qualitates naturales, formas ſuorum Elementorum conſequentes: ab Elementis ſuis, inſeparabiles naturaliter.

Tales enim ſunt omnes qualitates, paſſioneſque naturales: vt à ſubiecto ſeparari non poſſint, niſi forma ſubiecti deſtruatur. Niſi enim anima hominis pereat & deſinat homo eſſe homo: nunquam deſinet ipſe rationis eſſe capax & viſus.

THESIS X.

Proinde Elementa tam grauia, quàm leuia: licèt

dum in

dum in ſuis ſunt locis, actu non moueantur, vel ſurſum, vel deorſum, quia actu etiam grauia vel leuia non ſunt. Interim tamen non deſinunt ſimpliciter eſſe grauia & leuia. Habitualem enim ſemper retinent grauitatem & leuitatem, quibus moueri poſſint, ſi extra ſua mouentur loca.

PRoinde ſicut ignis ideo in ſua ſphęra actu non mouetur, motu recto ſurſum, ſed quieſcit: quia licèt habitualem ſuam retineat leuitatem, actu tamen leuis reuera non eſt. Ita quòd terra in centro vlterius non moueatur: id ideo ex Dei ordinatione fit, quia in centro actu grauis non eſt. Hoc manifeſtè apparet in Aqua. Cur enim qui in profundo maris exiſtit, non ſentit ſupra ſe vllam grauitatem: quanquam tam magna aquæ quantitas eum obruat? Quia ſcilicet, in ſuo loco, actu grauis non eſt. Ergo neque terra. Proinde hæc naturalis eſt cauſa, cur firma maneat.

THESIS XI.

Eſt etiam à Deo cuique rei, adeóque & elementis, naturaliter inſitum, vt in ſuo quodq; loco quieſcat & oblectetur.

PRoprius enim cuiuſque rei locus, rem ipſam locatam fouet, nutrit, conſeruat. Extra verò locum proprium, poſita: malè afficitur, contabeſcit, perit, vt in ipſis apparet piſcibus, cęteriſq; animantibus. Vnaquæq; autem res, ſuum eſſe cupit conſeruari. Mirum igitur non eſt, quòd etiam terra in centro, ſuo ſcilicet loco, naturaliter quieſcat. Dum enim conſeruantur rerum naturæ: quæ etiam naturam conſequuntur, ſeruentur oportet. Deus autem naturas rerum ſeruat, & ſuſtentat ſua manu, dum vult; mutat autem, quum placet.

THESIS XII.

Etſi autem nominantur tantùm grauitas & leuitas: non ſunt tamen duæ tantum qualitates motiuæ in elementis: ſed tot, quot etiam ſunt elementa.

VNamquamque enim formam, ſua propria conſequitur qualitas. Sunt autem quatuor elementorum formæ ſubſtantiales: quia vnumquodq; Elementum ſua propria conſtat forma. Grauitas igitur quę in aqua eſt, reſpectu aëris: non eſt eadem cum illa, quæ in terra eſt, ſed diuerſa. Proinde iſta dicitur grauitas per ſe, & ſimpliciter: illa autem aquæ grauitas, ſecundùm quid, & reſpectiuè. Idem de leuitate in aëre dicendum eſt.

1. Ex iis verò, quæ de iis qualitatibus, déque locis Elementorum dicta ſunt: liquet cauſa, cur omnis aqua, omni aëre grauior ſit: & omnis aër, omni aqua leuior. Nimirum quia qualitas aquę naturaliter appetit in ſuo eſſe loco: nempe ſub aëre. Et contrà qualitates aëris, eſſe ſuper aquam. Is enim locus eſt aëris. 2. Liquet etiam cur magna aquæ quantitas, in aëre exiſtens, grauior ſit, paruo terræ pugillo ibidem poſito. Citiùs enim illa deſcendit, quàm iſte: cùm tamen terra & quæuis pars terræ grauis ſit ſimpliciter: aqua autem omnis, grauis ſit reſpectiuę: Hoc ideo fit, quia cùm vtrunque, nempe & pugillus terræ, & magna aquæ copia ſit extra ſuum locum: ex æquo naturaliter appetunt, ad ſuum quodq; redire locum. Vbi autem maior eſt rei, grauis autem magnitudo: ibi etiam, fortius & vehementius naturalis grauitas, deorſum impellit. 3. Denique ex iis etiam patet, cur oleum & lignum, in Aqua ſint leuia: in Aëre autem grauia. Id idcirco fit, quia vtrumque, multum habet & Aëris & Terræ atque Aquæ: eóque & ſubtile eſt & craſſum. Quatenus igitur lignum propter poros, plenum eſt Aëre: ſi ſub Aqua ponatur, adſcendit: Aëre qui in ligno exiſtit, ſurſum pellente: Materia autem terrea vel aquea nihil mouente, cùm in ſuo quieſcat loco. Quatenus verò multum terreæ, vel aqueæ habet materiei: Si in Aëre idem lignum vel oleum collocetur, deſcendet: Materia terrea & aquea, illa deorſum premendo: Aëre autem, qui in eis ineſt, nihil agente: vtpote qui in ſuo quieſcit loco.

THESIS XIII.

Ex ſitu verò & loco & ordine, quo collocata ſunt Elementa: efficitur vnum, nempe continens maius eſſe & amplius altero, nempe contento.

ITa ignis amplior eſt Aëre, Aër Aquâ, Aqua Terrâ. Quod verò Mathematici aiunt, vnum maius eſſe & amplius altero, decupla ratione: ita vt ignis decuplo maior & amplior ſit aëre: & ſic de ſingulis: Totum hoc incertum eſt. Atque hæc de aliis quatuor qualitatibus Elementorum, motiuis ſcilicet, ſunto ſatis. Eſt enim ſumma leuitas in igne: ſumma grauitas in Terra. Media leuitas in Aëre. Media grauitas in Aqua.

6. De Motibus elementorum déque eorum Figura.

De Motu Elementorum bifariam loqui poſſumus: Aut de Motu, quo in ſuis locis poſita mouentur: Aut de eo, quo ad ſuum quodque locum, ſi extra illum ſit, ſecundùm ſuas partes moueri dicitur. Secundùm, inquam, ſuas partes: quia nullum Elementum ſecundùm ſe totum, extra ſuum locum eſſe poteſt, quin totus Mundus euertatur: eóque neque ſecundùm ſe totum, ad ſuum locum moueri poteſt.

De primo Motus genere, quia terra ſtare dicitur, non autem moueri in ſuo loco: Alia verò Elementa non æqualiter mouentur: dicemus ſeorſim, quum de ſingulis loquemur Elementis. Nunc de altero recto, ſcilicet Motu, quo ad ſuum quodque locum mouetur, dicendum nobis eſt. Quia verò motu recto ideò mouentur Elementa, quia grauia & leuia ſunt: non ſolùm autem Elementa, verùm etiam compoſita ex Elementis, eandem ob cauſſam, eodem Motu mouentur: idcirco quæ de Elementorum Motibus dicturi ſumus, ea etiam ad reliqua omnia leuia & grauia accommodari debent.

THESIS I.

Omnia Elementa, præter proprios, quibus in ſuo quodque loco, vna Terra excepta, mouentur: motu etiam recto, alia ſurſum, alia deorſum, modò violenter extra ſua loca, modò naturaliter, ad ſuum quodque locum, mouentur.

DE Motibus quibus in ſuo quodque loco mouetur, vt polliciti ſumus, dicemus ſuo loco. Excipio Terram: quia illam ſtare, ſcriptura docet, non autem moueri, reliqua ſuos proprios habent Motus. Non enim omnia æqualiter in ſuis locis mouentur. De Motu tantùm recto hîc loquimur. Hoc verò Motu moueri poſſunt, aut violenter, extra ſua loca: vt humores, qui in terra & Aquis, vi Solis in ſublime eleuantur: & vt lapis, quum ſurſum proiicitur. Aut mouentur naturaliter, vt quum iidem homines in pluuiam verſi, deſcendunt. Atque de hoc Motu propriè in præſentia diſſerimus. Ac primùm de cauſſa huius Motus naturalis efficiente dicemus.

THESIS II.

Elementa omniáque grauia & leuia, tametſi naturaliter appetunt ad ſuum quodque locum tanquam ad finem, & ad ſui conſeruatricem cauſam peruenire, vt ibi quieſcant: ab ipſis tamen locis, tanquam à cauſſis mouentibus, eò non permouentur: vt quidam falsò iudicarunt.

QVidam enim putarunt, eſſe vim in locis cuiuſque Elementi: à qua vi, eo Elementum quodque attraheretur: ſed falſi ſunt. Cauſſa enim mouens, eáque efficiens & proxima, cum ipſo ſit corpore moto, & illud tangat, neceſſe eſt, vt doctiſſimè probauit Ariſtoteles in 7. Phyſicor. Locus autem, ad quem Elementum naturaliter mouetur; non eſt cum Elemento, nec illud tangit: alioqui ad illud non moueretur: imò in illo quieſceret. A locis igitur ſuis, per neſcio quam illis vim innatam, non trahuntur grauia & leuia ad ſua loca.

THESIS III.

Elementa non mouentur ſurſum, aut deorſum à ſuis formis: tanquam à cauſis, Motus ipſorum efficientibus.

QVæcunque enim mouentur à formis ſuis ſubſtantialibus, mouent ſeipſa. Habent enim in ſe principium actiuum ſuorum motuum. Et talia ſunt omnia animantia. In his enim anima efficiens eſt cauſſa Motus, quo ſeipſa mouent, vt manifeſtum eſt. Elementum autem nullum mouet ſeipſum, aut animatum eſt. A ſuis igitur formis eſſentialibus, non mouentur.

THESIS IV.

Omnia grauia & leuia, à ſua grauitate aut leuitate,

tanquam ab interna virtute, per quam fit Motus, mouentur: a generante autem ſeu ab efficiente talis virtutis, tanquam a primo & principali mouente, moueri dicenda ſunt, ſicut reuera mouentur.

PRimum membrum patet. Grauitas enim in graui, virtus eſt, per quam graue mouetur. Sicut facultas videndi in homine, vis eſt, per quam homo videt: Et virtus fidei in Chriſtiano, per quam credit: Et vis lapidi ſurſum proiecto, à mouente impreſſa, qualitas eſt, per quam ſurſum mouetur. Alterum etiam membrũ manifeſtum eſt. Qui enim dat formam rei graui, vel leui; dat etiam ea quæ ſequuntur ipſam formam: eóque dat ipſam etiam leuitatem aut grauitatem. An non enim qui hominem generat, dat ei etiam vim, qua & ratiocinari, & ridere poſſit? Ac proinde talis homo ſicut dicitur ratiocinari aut ridere, per vim quam habet ridendi & ratiocinandi: ita verè dicitur ad ratiocinandum & ad ridendum moueri ab illo, à quo principaliter vim habet vtrũque effectum faciendi. Atqui generans efficiénſq; cauſa rei grauis, dat ei formam: ac proinde etiam grauitatem, per quam deorſum mouetur. Meritò igitur vnumquodque graue vel leue dicitur principaliter moueri ab eo, à quo etiam habet vim internam, per quam mouetur: ſiue ea ſit leuitas, ſiue grauitas. Nam ſic etiam dicimus, ſagittam, tandiu moueri à ſagittario, qui illam iaculatus eſt: quandiu vis ab ipſo, ſagittæ impreſſa, viget ac conſeruatur. Vnde apparet, vim, ſagittæ impreſſam, cauſſam eſſe internam, per quam illa mouetur. Sagittarium autem cauſſam eſſe externam, efficientem proximam & propriam: à qua mouetur. Doctrina hæc vtiliſſima eſt. Hinc enim efficitur veriſſimè dici, *Deum illum eſſe, à quo omnia principaliter mouentur:* quoniam ab ipſo eſt omnis vis, omneque principium motus in natura. Mouet igitur Deus omnia naturalia: ſed per naturam, quæ eſt intrinſecum motus principium, ipſis rebus à Deo inditũ. Hinc etiam perſpicuum fit: Etſi fides ea eſt virtus & facultas, per quam credimus: ad credendum tamen nos moueri à Deo: quoniam & fidem donauit, & eam conſeruat, atque excitat, & mouet ad actum. Idémque de omnibus aliis ſpiritualibus & ſanctis Motibus, per quamuis virtutem in nobis excitatis: dicendum eſt. Sic contrà impij, etſi per ſuæ impietatis vim agunt, quæcunque agunt impia: verè tamen dicuntur ad omnia opera impia à diabolo tanquam à proximo agente, moueri, non autem à Deo. Ratio eſt: quia impietas, qualitas ſcilicet illa mala, per quam agunt impia; non à Deo, ſed à diabolo illorum impreſſa eſt cordibus: pulſa pietate, in qua homo creatus fuerat.

THESIS V.

Omne verò mobile tam diu à principali agente moueri verè dicitur: quam diu illud virtutem ſibi ab agente impreſſam, inditamque retinet.

EXemplum allatum eſt in Motu violento iaculatoris. Dum enim vis impulſus ab ipſo impreſſa ſagittæ, manet ac viget, tantiſper ſagitta mouetur: & ideò à iaculatore, verè moueri dicitur. Ita quàm diu viget in nobis virtus Spiritus ſancti, cordibus noſtris ab ipſo Spiritu Chriſti indita: tam diu etiam mouemur per ipſum, ad bona opera: & nos agi dicimur à Spiritu ſancto: Vt Rom. 8. docemur. Vnde meritò dicitur Deus operari in nobis omnia bona, & velle & perficere.

THESIS VI.

Proinde quia leuitas & grauitas in Phyſicis corporibus ineſt, principaliter à Deo: & ab ipſo etiam in eis ſemper ſeruatur, donec forma quoque eſſentialis, incolumis manet: idcirco vere optimo dicuntur omnia moueri principaliter à Deo in finem vſque: ſed per qualitates ipſis inditas, tanquam per interna Dei inſtrumenta.

THESIS VII.

Quò virtus autem in corpore Moto à motore illi impreſſa, vel intenſior vel remiſſior fuerit, eò etiam Motus aut concitatior erit aut remiſſior.

EXemplum in Motu violento. Cur enim lapis in altum per vim proiectus vehementius initiò, quàm in fine mouetur: & ſemper remiſſior fit illius Motus: donec tandem fiat nullus: ac tum nouo Motu nempe naturali deorſum mouetur? Vnde, inquam, hoc fit? Inde, quia virtus lapidi ab impellente impreſſa, paulatim remittit, donec extinguatur. Idẽ contingit & eandem ob cauſſam rotæ, ab aliquo, vno impulſu concitatæ. Per aliquod enim temporis ſpatium, nemine etiam illam tangente, propter impreſſum impulſum, quaſi per ſeſe mouebitur: ſed ſemper paulatim languendo & remittendo, donec tandem Motus ceſſet. Idem contingit nobis in rebus Chriſtianis, ſpiritualibus & diuinis Motibus. Ad bonas enim cogitationes, ad ſancta deſideria, ad iuſta opera mouemur à Spiritu ſancto: verùm non ſimpliciter, ſed per virtutem fidei & charitatis, cordibus noſtris impreſſam. Quò hæc vis fuerit in nobis vel maior vel minor; eò etiam maioribus & intenſioribus Motibus ad bonum omnino mouebimur. Quia verò naturales non ſunt in nobis ij motus, ſed potius pugnantes cum natura corrupta: idcirco fit, vt niſi Spiritus S. pro ſua gratia conſeruet in nobis fidem, & charitatem, nos ſine intermiſſione mouendo: fit, inquam, vt virtus fidei & charitatis in nobis paulatim remittat, atque langueſcat, donec tandem penitus extinguatur: quemadmodum reprobis, hypocritis vſu venire ſolet. Proinde Spiritus ſanctus, ne nobis hoc contingat, & pereamus: non ſolùm ſemel imprimit in nobis electis vim fidei & charitatis; verùm etiã illam ſeruat, augétque: nos in finem vſq; permouendo. Quod enim incipit in electis bonum opus, illud perficit vſque in finem: vt ait Apoſtolus. Qua ex re apparet, quàm neceſſaria nobis ſit continua oratio, qua precemur Deum, ne à nobis ſuam manum amoueat: ſed ea ſine intermiſſione, nos agat: fidem & charitatem in nobis ſeruando & augendo. Sicut etiam Apoſtoli dicebant: *Adauge nobis fidem.* Nihil igitur certius hac Theſi. *Quo virtus motus in re mota fuerit, vel intenſior, vel remiſſior: eo etiam motũ futurũ vel concitatiorem, vel languidiorẽ.* Virtus autẽ motus in rebus grauibus & leuibus, eſt grauitas & leuitas. Per has enim tanquam per qualitates rebus naturaliter impreſſas, grauia omnia & leuia, à primo agente mouentur: hoc eſt, non tam à ſole & cœlo, aliiſque cauſis & mouentibus ſecundariis, quàm à Deo primo ſupremóque rerum omnium, ſicut autore, ſic etiam motore.

THESIS VIII.

Omne etiam graue, quum deſcendit, ideo per lineam rectas, niſi impediatur, deſcendit: quia naturaliter appetit, quam primùm & quam citiſſimè, ad locum ſuum naturalem peruenire.

THESIS IX.

Dicuntur autem elementa ad ſuum quodque locum moueri: quatenus aliqua ipſorum partes, per vim extra ſuum locum poſitæ, naturaliter ad ſuum locum tendant.

NEque enim fieri poteſt, vt totum Elementum extra ſuum ſit locum: Et proinde totum ad illum locum moueatur. Ordo enim vniuerſi, eóque totum vniuerſum funditus euerteretur.

THESIS X.

Hoc etiam ſenſu vnum elementum in alterius locum ſuccedere dicitur: aliqua ſcilicet ſui parte, non autem ſe toto.

HÆc de motu recto in vniuerſum, quo elementa omniaque grauia, aut leuia ad ſua mouentur loca, ſatis ſuperque. Propria enim cuiuſque elementi, ſuo explicabuntur loco.

7. De figura circularique motu Elementorum.

THESIS I.

Elementa nullam certam ex ſe ſeu ex ſua ſubſtantiali forma habent ac retinent figuram: ſed aut a ſuo continenti accipiunt, aut a ſuo motu.

OMnis enim cuiuſque corporis figura, ineſt illi aut à forma ſua ſubſtantiali, qua eſt id, quod eſt: aut a ſuo continente, aut à ſuo motu. A forma quidem, vt figura humani corporis. Quanquam enim ſi cauſſam efficientem ſpectes, ineſt illi à Dei beneplacito, tamen ſi cauſſam proximã, inque ipſo homine hærentém, conſideres, competit homini hæc forma, ab ipſius anima, quæ eſt ſubſtantialis hominis forma. Cùm enim talis eſſet anima, quæ deberet talia exercere officia, quæ exercet: tale ei corpus debebatur, quale habet. Ita leoni, eóque & cuique animanti, talis figura cor-

poris

potis debebatur, qualem ipſorum formæ ſubſtantiales poſtulabant. Hoc certè modo nullum elementum, figuram habet à ſua forma. Ratio eſt, quoniam ſi haberet, eſſet ei naturalis: quia à forma naturali. Si naturalis, non poſſet acquiri, & ab elemento ſeparari, niſi amiſſa ſimul & forma. Naturalia enim non amittuntur: ſed inſeparabilia ſunt à ſuis Phyſicis corporibus, donec formæ ipſorum manent. Eſt autem manifeſtum, figuras elementorum mutari. Pars enim terrę, poteſt in varias figuras effingi: rotundam, angularem, triangularem; manente tamen eadem Terræ forma atque ſubſtantia. Idem videre eſt in qualibet parte aquæ. In vaſe enim rotundo, rotundam habebit figuram: in quadrato, quadratam. Idẽ de aëre & igne facile eſt probare. Idem autem iudicium de toto eſt faciendum: quod de ſingulis partibus fit, in rebus homogeneis: cùm omnes ſint eiuſdem naturæ. Fieri igitur nequit, vt figuram vllam habeant à ſuis formis eſſentialibus: eóque inſeparabilem, & naturalem, elementa. A continente verò accipitur forma: vt in liquidis ac teneris liquet. Vinum à figura canthari, in quod reponitur, figuram ſuam capit: ſiue longam, ſiue rotundam, ſiue aliam. A motu verò, vt ignis hic accenſus, quo poſſit adſcendere & aërem penetrare, eóque ad ſuam ſphęram peruenire: figuram pyramidis accipit, & quaſi cuſpidis acuſque gladij, aërem ſcindentis: quo citius aſcendat. Forma enim acuta, quia parum habet de corpore ſuppoſito, facilius diuidit, & ita motum facit velociorem. Dicimus igitur elementa habere figuram, primùm à continentibus ſuis, à quibus circumſcribuntur. Vt qualis eſt figura continentis, talis etiam ſit figura contenti. Cęlum autem ſphæricum eſt, & continet omni ex parte Ignem, totúmque complectitur. Ignis igitur ſphæricus & rotũdus eſt. Hic verò continet Aërem. Aër igitur ſphæricus, ambit Aquam, & Terram, Aqua. Ergo in vniuerſum & generaliter loquendo, omnia elementa, aut rotunda ſunt, & ſphæricę figuræ, aut ſaltem tendunt ad ſphæricam figuram. Hoc verbũ, *vel ſaltem tendunt*, ideo adieci: quia neque Aqua, neque Terra ſunt [illegible] ipſe, vbique & ſimpliciter rotundę figuræ, cùm multis in locis emineant colles & montes: & aquæ per varios terræ cun[illegible]s fluant: id quod in vſum animalium, Dei prouidentia [illegible]um eſt. Quo fit, vt neque Aër omni ex parte perfectè ſit rotun[illegible]. Penetrat enim in varias cryptas, locáque cauernoſa, diuerſi[illegible] anfractus vt ea loca impleat, ne detur vacuum. Interim [illegible] ſi in vniuerſum ſpectes locum vbi continentur, & [illegible] ſingulæ elementorum partes tendunt: ſphæricæ eſſe figuræ omnia elementa, meritò docuit Ariſtoteles: quanquam ex aqua potius & terra, vnum conſtare corpus rotundum aſſerit: quàm quod terra per ſe ſola ſit verè ſphærica. Oceanus tamen magis rotundus eſt, quàm terra. Videmus item, qualis figuræ ſunt reliqua continentia: talis eſſe etiam vel Ignem, vel Aërem, vel Aquam, vel Terram, quæ continentur. Ergo primùm à continentibus ſe figuras ſuas accipiunt elementa. Deinde à ſuis motibus, vt de Igne probatum eſt: qui ideo pyramidis formam accipit: quia ſurſum mouetur: ideo ſemper magis ac magis acuitur: quò altiùs aſcendit. Contrà facit aqua, quum pluit & deſcendit. Singulæ enim guttæ, rotundæ fiunt figuræ, & conglobantur. Ratio eſt: quoniam cùm omnes aquæ partes tendant deorſum: ad centrum ſphæricum: comprimunt ſe vndequaque, & ideo figuram etiam efficiunt rotundam, ac ſphæricam, quò citiùs deſcendant. Citiùs enim hæc figura deſcendit.

THESIS II.

Tria ſuperiora elementa in ſuis exiſtentia locis, circulari motu rotantur.

VT enim ideo figuræ ſunt rotundæ, quia à rotundis continentibus, vt Ignis in Cœlo Lunæ, continentur. Ita etiam eandem ob cauſſam fit vt à motu Circulari, ipſa quoque in circulum trahantur atque rotentur.

8. De mixtione & tranſmutatione Elementorum.

Dicturo mihi de mixtione & tranſmutatione elementorum ad inuicem: & deinceps quatenus veniunt etiam in aliorum, hoc eſt, in mixtorum compoſitionem: quędam priùs partim repetenda ſunt, de natura & qualitatibus elementorum: partim præfanda de mixtione & tranſmutatione in cõmuni. Vt deinde ad elementorum mixtionem accommodari facilius, & intelligi melius poſſint. *Principiò* hoc ἀξίωμα in memoriam reuocandum eſt: Quatuor tantum eſſe qualitates primas, quibus elementa in ſe inuicem agunt & à ſe inuicem patiuntur: Ac proinde, quæ etiam ſolæ, *actiuæ* & *paſſiuæ* appellari ſolent: nimirum caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem. Deinde hoc alterum quoque retinendum eſt memoria: Harum qualitatum quaſdam inter ſe pugnare, eóque ſimul cohærere in eodem ſubiecto non poſſe: ſed vnam agere in alteram: & alteram pati ab altera: vti ſunt hæ duæ combinationes, ſeu συζυγίαι minimè inter ſe tolerabiles, caliditas & frigiditas: ſiccitas & humiditas. Quaſdam verò non pugnare, eóque ſimul in eodem elemento cohærere poſſe vti ſunt caliditas, cum humido & ſicco. Frigiditas item, cum humido & ſicco. Ex quibus fiunt quatuor συζυγίαι inter ſe cohærentes. Prima ex calido & ſicco. Secunda ex calido & humido. Tertia ex frigido & humido. Quarta ex frigido & ſicco. *Tertium* etiam ἀξίωμα prætereundũ non eſt: vnumquodque elementum, duabus conſtare primis qualitatibus. Vt ignis conſtat caliditate & ſiccitate: Aër humiditate: & caliditate: Aqua frigiditate & humiditate: Terra frigiditate & ſiccitate. *Quartum*: Elementorum quædam, vtraque ſua qualitate, inter ſe pugnare, in altera conſentire & cohærere. Vt ignis vtraque ſua qualitate pugnat cum aqua. Eſt enim calidus & ſicus. Aqua verò frigida & humida. Idem verò ignis, cum Aëre pugnat, vna tantùm qualitate: nempe ſiccitate, cùm Aër ſit humidus. In altera verò conuenit: nimirum in caliditate, cùm etiam Aër calidus ſit. idem etiam ignis, in ſiccitate conuenit cum Terra: caliditate autem pugnat. Atque ita de reliquis. Ac ſemper elementum, vna qualitate tantùm pugnat, & in altera conſentit, cum proximo ſibi elemento, & cum remotiſſimo, vt ignis cum aëre, & cum Terra. Cum aëre quidem, ſola ſiccitate: cum Terra verò, ſola caliditate. Vtraque autem pugnat cum intermedio, vt ignis cum aqua, caliditate & ſiccitate. Aër autem cum terra, humiditate & caliditate. *Quintum*: Hinc fit, vt quædam elementa dicantur à Philoſophis, inter ſe eſſe σύμβολα: quædam ἀσύμβολα. Σύμβολα dicuntur, quæ aliqua inter ſe conueniunt qualitate. Sic ignis & aër σύμβολα ſunt, propter caliditatem, in qua inter ſe conueniunt, & cohærent. Ignis autem & aqua, ἀσύμβολα ſunt, quoniam in nulla qualitate inter ſe conſentiunt, ſed prorſus vtraque pugnant. *Sextum*: Calor & frigus propriè vim agendi habent: eóque propriè actiuæ qualitates appellantur. Humiditas autem & ſiccitas vim potius patiendi, quàm agendi habent. Hæc de elementorum natura, eorúmque qualitatibus, retinenda ſunt: quia horum cognitio ad intelligendam tractationem de ipſorum inter ſe tranſmutatione, perneceſſaria eſt.

II. Nunc quædam etiam de mixtione, ſeu de tranſmutatione in genere præfanda nobis ſunt: antequam ad elementorum inter ſe mixtionem & tranſmutationem veniamus. At primùm quid ſit mixtio.

THESIS I.

Mixtio, eſt naturalis miſcibilium alteratorum (vt Ariſtoteles definit) copulatio, hoc eſt, concretio quædam naturalis, ex elementorum qualitatibus commodè paratis, conflata.

SI enim miſceri debent inter ſe elementa, & vnum in alterum tranſmutari: neceſſe eſt, vt contrariæ qualitates tollantur: eóque tranſmutandum elementum, ſimile paulatim fiat ei, in quo tranſmutandũ eſt: id quod fit per qualitatum, contrariarum ablationem. Non enim contraria in eodem ſubiecto ſubſiſtere poſſunt. Exemplum: Si ignis agat in aërem ſua caliditate, non aget in caliditatem aëris. Simile enim non agit in ſibi ſimile; ſed contrariũ, in contrarium. Agit igitur ignis ſua ſiccitate, in humorem aëris. Humore autẽ per ſiccitatem exiccato facilè aër miſcebitur cũ igne, & ex aëre, fiet ignis. Sublatis enim contrariis qualitatibus, ipſæ etiam diuerſæ formæ tolluntur: & agentis forma, in patientis materiã, facilè inducitur. Proinde benè dixit Ariſtoteles, *mixtionem eſſe miſcibilium alteratorum*, id eſt, bene per alterationem diſpoſitorum, *copulationem*. Diſponuntur autem, ſi contraria tollantur: & ad naturã eius, in quod tranſmutanda ſunt, conformentur. Idem in rebus ſpiritualibus contingit. Mixtio, hoc eſt, vnio noſtri cum Deo, vera & perfecta fieri nequit, niſi contrariæ qualitates à nobis tollantur per Spiritum S. & ad naturam Dei conformentur: id quod *regeneratiò* vocatur: Quæ tum demum erit perfecta, quum Deus fuerit omnia in omnibus. Hinc ſequitur ſecunda.

THESIS II.

Mixtio nulla elementorum, ſine corruptione fieri poteſt.

CONtraria enim ſimul miſceri non poſſunt, dum contraria manent. Tollatur ergo contrarietas, neceſſe eſt, ſi debeat fieri mixtio. Omnia autem elementa, ſunt inter ſe contraria: aut vna, aut etiam duabus qualitatibus, vt ſuprà declaratum eſt. Miſceri igitur vnum cum altero non poteſt, niſi qualitas, qua patiens, contrarium eſt agenti, per fortiorem agentis actionem tollatur: vt per actionem ſiccitatis in igne, tollitur humiditas ab aëre. Quid eſt autem tollere contrariam qualitatem ab aliquo: niſi illam corrumpere? Mixtio igitur nulla elementorum ſine corruptione fieri poteſt. Sic noſtri vnio cum Chriſto, fieri nequit, ſine noſtræ primæ naturæ corruptione: quæ quo maior fuerit: eo etiam vnio perfectior. Generatio enim vnius, corruptio alterius eſt.

THESIS III.

Omnis mixtio, cum aliquo fiat motu, oportet.

SI enim fieri non poteſt, niſi tollatur contraria qualitas à patiente, per actionem agentis: manifeſtum eſt, mixtionem ſine motu fieri non poſſe. Imò ipſa quid aliud eſt, quàm motus quidam: quo vnum elementum mutatur, & tranſit in alterum?

THESIS IV.

Vt autem mixtio non eſt vnius generis, ſed alia fit in ſubſtantia: alia in ſola qualitate: alia in quantitate tantùm: ita varia ſunt motuum ſpecies, quæ ad has mixtiones requiruntur.

AD primam pertinet generatio & corruptio. Ad ſecundã incrementum & decrementum. Ad tertiam, alteratio.

THESIS V.

Eſt autem generatio, mutatio totius in totum: nullo manente veſtigio prioris formæ in ſubiecto.

EST enim generatio ſubſtantialis, motus qui in ſubiecto fit ab aliqua priori ſubſtantia, ad aliam accipiendam ita progrediens, vt nullum tandem prioris ſubſtantiæ veſtigium in ſubiecto, in quo fit generatio, permaneat. Nomine ſubiecti intelligimus materiam: ſubſtantiæ autem, formam ſubſtantialẽ. Ratio autem Theſis eſt: quoniã ſi quid prioris formæ in ſubiecta materia permaneat: nondum fuerit eſſentialis, perfectáque generatio. Dum enim, exempli gratia, aliquid formæ ligni remanet in materia ligni, in quam agit ignis: adhuc lignum eſt. Nondum autem generatio ignis facta eſt. Tum verò demum genitum fuiſſe in ligni materia ignem dicimus, quum nullum ligni veſtigiũ, in tali materia remanebit. Sic nondum genitum eſſe hominem dicimus: dũ adhuc veſtigia corrupti ſpermatis manent. Sic nondum perfectam eſſe regenerationem: dum in nobis ſuperſunt veſtigia veteris hominis, ſeu corruptę naturæ. Tùm verò demum perfecta fuerit: quum ita prorſus fuerimus immutati, vt Deus futurus ſit omnia in omnibus. Sic dum in aëre, aliquid adhuc formæ aëris permanet: etiamſi in illum continenter agat ignis: non poteſt tamen dici ex aëre genitum eſſe ignem. Generatio igitur talis eſt motus in ſubiecta materia, ab vna forma ad aliam progrediens: vt tum demum vera dici poſſit facta generatio, quum nihil prioris formæ in ſubiecto manet.

THESIS VI.

Eſt autem duplex generatio: vna, ſimplex & propria: & altera, accidentaria. Illa, ea eſt, per quam acquiritur forma ſubſtantialis: Altera ea eſt, per quam acquiritur forma accidentalis. Vt motus ille, quo in homine iam effecto, acquiritur ſcientia.

PRoinde omnis generatio dicitur eſſe motus & mutatio, à non eſſe. Si ad eſſe ſubſtantiale: ſubſtantialis. Si ad eſſe accidentale: accidentalis dicitur. Atque hinc confirmatur, quod antè dictum eſt, Generationem fieri non poſſe ſine corruptione: & vnius generationem, eſſe alterius corruptionem.

THESIS VII.

Eſt autem corruptio, Formæ prioris in eodem ſubiecto, demolitio ſeu amiſſio.

CVm enim Forma inhærens Materiæ amittitur, & in nihilum reducitur, illa actio & motus, corruptio nominatur. Proinde ſic definitur: *quòd ſit motus, ab eſſe, ad non eſſe.* Quæ etiam, ſicut & generatio, bifariam capi ſolet, aut pro corruptione ſubſtantiali, aut pro accidentali. Eſſentialis enim eſt, quum mutatio fit ab Eſſe ſubſtantiali, ad non eſſe ſubſtantiale. Accidentalis autem, quum ab Eſſe accidentali, ad non Eſſe accidentale fit.

THESIS VIII.

Nunquam autem fit corruptio, ſine aliqua generatione: ſicut nec generatio, ſine corruptione.

RAtio eſt, quia ſubiecta Materia, nunquam ſine aliqua Forma ſubſiſtere poteſt: cùm per ſeſe nihil ſit, niſi Ens τῇ δυνάμει. Quum igitur Forma prima perit: aliam nouam in Materiam induci, neceſſe eſt. Quare vt generationem comitatur corruptio: ſic corruptionem generatio: Et altera, alteram ſemper conſequitur. Hinc liquet Theſis nona.

THESIS IX.

In omni generatione ſemper ſunt prima tria principia, Materia, Forma & Priuatio.

MAteria vt ſubiectum, in quo fit generatio & corruptio. Forma acquiritur per generationem. Et Priuatio, qua prior Forma amittitur, per corruptionem. Corruptio enim, motus eſt ad Priuationem prioris Formæ. Generatio autem, motus ad conſecutionem nouæ Formæ.

THESIS X.

Vt autem generatio expoſitio eſt naturæ per ſe, ſic corruptio ex accidenti eſt.

BOnum enim per ſe eſt illud, quòd etiam per ſe ab omnibus appetitur. Vt autem generatio bonum eſt per ſe: ſic corruptio non niſi ex accidenti, quatenus ſcilicet ex vnius corruptione ſequitur alterius generatio. Corruptio igitur non poteſt ex propoſito eſſe naturæ, niſi per accidens.

Incrementum verò motus eſt à minori magnitudine, ad maiores.

VT quum homo è puero adoleſcit & grandior fit: aut frutex creſcit in arborem.

THESIS XII.

Eſt autem proprium naturalis incrementi, vt ſingulæ partes cuiuſque naturalis corporis, ad perfectam & conſtitutam illi à natura magnitudinem, ſimul creſcendo perueniant.

EST enim cuique rei naturali conſtituta à Deo certa magnitudo: vltra quam non multum progredi: & eis quam valdè procul res illa conſiſtere poteſt. Videmus hoc in plantis & in omni animaliũ genere. *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.* Item, *Omnium naturâ conſtantium, certa eſt magnitudo.* Et ſacra ſcriptura, *Omnia in numero, pondere & menſura creauit Deus.* Simul autem creſcunt partes, (vt videmus.) Non autem vna poſt aliam. In homine enim ſimul creſcunt pedes, manus, omnia denique corporis membra.

THESIS XIII.

Proinde in incremento, tria requiruntur: primò vt maneat quod augetur: ſubiectum. Secundò vt incrementum fiat, aliquo accedente. Tertiò, vt quælibet pars ſubiecti augeatur.

THESIS XIV.

Vt autem nulla eſt ſubſtantia corporea, ſine ſua aliqua magnitudine: ſic nulla eſt generatio, ſine aliquo ſuo incremento.

THESIS XV.

Decrementum autem, motus eſt, à maiori magnitudine ad minorem, in eodem ſubiecto.

EST enim neceſſe, vt idem ſemper maneat ſubiectum, & decrementum fiat in ſola quantitate: non in ſubſtantia. Alioqui decrementum non fuerit, ſed ſubſtantialis corruptio, eóque interitus.

THESIS XVI.

Vt autem incrementum fit vel τροφῇ, id eſt, alimento, vel additione partium: ſic decrementum fit vel ἀτροφίᾳ, vel detractione partium.

Pri-

PRimum apparet in animantibus, alterum in corporibus etiam inanimis. Vt in decremento panis, vini, pecuniæ.

THESIS XVII.

Sicut verò incrementum ſequitur generationem: ſic decrementum, ipſam corruptionem atque interitum.

PRoinde illa ſunt in ſenibus ſigna aduenientis interitus: quum incipiunt illis decreſcere ſenſus, vireſque omnes.

THESIS XVIII.

Alteratio porrò eſt motus, aut à qualitate vna ad aliam: aut a priuatione alicuius qualitatis, ad eiuſdem conſecutionem, in eodem ſubiecto.

AB *vna qualitate ad aliam*: Vt quum quis ex albo, fit niger: ex ſuperbo, humilis. A priuatione alicuius qualitatis, ad eius conſecutionem, vt quum quis ex indocto, fit doctus: ex iniuſto, iuſtus. Iſti ſunt motus qui ad mixtionē omnem corporum Phyſicorum, & ad eorundem diſſolutionem, ordinati ſunt à Deo. Nunc alias quaſdam addo Theſes ad omnem itidem transmutationem & mixtionem pertinentes.

THESIS XIX.

Non poſſunt in eadem ſubiecta materia plures conſiſtere Formæ ſubſtantiales, ſpecie differentes: ſed dum vna inducitur, altera recedat, neceſſe eſt.

FIeri enim nequit, vt idem ὑφιστάμενον, à ſeipſo differat numero, multo verò minus ſpecie. Differret autem ſpecie, ſi pluribus Formis ſpecie differentibus, pręditū eſſet. Proinde fieri nequit, vt aqua, ſit aër & aqua, ſimul. Sed ſi debeat eſſe aër, deſinat eſſe aqua neceſſe eſt: hoc eſt, vt abiecta forma aquæ, formam aëris aſſumat. Etſi enim hæ non ſint Formę inter ſe contrariæ: ſunt tamen *diſparatæ*, vt vocant. Vt autem contraria non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, ſic neq; diſparata ſubſtantialia. Atque hæc eſt cauſſa cur generatio vnius, ſemper ſit corruptio alterius. hoc eſt, ad generationem vnius Formæ, ſequatur corruptio alterius formæ. Sic in rebus ſpiritualibus, fieri non poteſt, vt in eodē homine regnet peccatum, & iuſtitia: ſed ad vnius generationē, ſequetur corruptio alterius. Ideo Rom. 6. *quum eſſetis ſerui peccati, liberi fuiſtis à iuſtitia. Nunc autem liberati à peccato: ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Atque hæc eſt cauſſa omnis tranſmutationis: cur neceſſarium ſit, vt generatio vnius, ſit corruptio alterius: & contrà, corruptio vnius, ſit generatio alterius. Quæ ſententia vera eſt in omnibus Formis ſubſtantialibus, ſpecie differentibus: & in omnibus etiam illis Formis accidentalibus, quæ contrarium habent. At verò quæ non habent contrarium: in iis locum non habent propriè: vt in generatione lucis, & ſcientię. Quia enim lux, & ſcientia, non habent contrarium, ſed tantùm priuationem. (Tenebræ enim nihil aliud ſunt, quàm priuatio lucis: vt ignorantia priuatio ſcientiæ) Idcirco ad generationem lucis & ſcientiæ, nullius rei ſequitur corruptio.

THESIS XX.

Sicut in augmento, & decremento ſemper quod augetur vel imminuitur, idem manet numero: ſic contrà in generatione, & corruptione, quod generatur, aut corrumpitur, non manet idem, neque numero, neque ſpecie.

MVtatur enim Forma ſubſtantialis, in generatione & corruptione ſubſtantiali. Vbi autem mutatur talis Forma, mutatur & τὸ ὑφιστάμενον, atque ſpecies. In generatione igitur & corruptione, quod corrumpitur, vel generatur, non manet idem vel numero vel ſpecie. Notandum autem obiter: Trifariam dici poſſe aliquid idem numero manere. Primùm, quum omnes eius partes manent, nec vlla vel adimitur vel additur. Hoc certè modo neque quod augetur, neque quod imminuitur, idem dici poteſt numero permanere. Fit enim augmentum, & decrementum additione, vel detractione alicuius. Secundò, quum alicuius partes principales manent eædem, licèt minus principales pereant. Sic quilibet noſtrûm, quum moritur, idem manere numero dicitur: quia licèt corrumpatur corpus, pars tamen principalis, ſcilicet Anima, eadem manet. Tertiò, idem numero manere dicitur: quum licèt propter continuam corruptionem, non eędem prorſus maneant partes, ſed decedant: Quia tamen ſemper ſimiles illis ſuccedunt: quibus fit, vt eadem ſubiecti diſpoſitio, & figura ſeruentur: idcirco tale ſubiectum, idem numero manere dicitur. Sic flumen Rheni eſſe idem nunc dicimus, quod etiam centum ante annis. Sic humanum corpus licèt propter continuam corruptionem, non eadem ſemper maneat caro, quia tamen ſemper ſimilis ſuccedit, & propter hanc ſimilis carnis ſucceſſionem, eadem corporis figura manet: dicitur corpus noſtrum ſemper idem eſſe numero. Et vtroque hoc altero ſenſu: ſemper in augmento & decremento, idem manet numero, quod augetur vel imminuitur.

THESIS XXI.

Nullum Elementum, adeóque nullum aliud corpus, poteſt alterum corpus in ſeipſum tranſmutare, niſi illud naturali contactu contingat.

OMne enim agens, aliquo tactu contingat patiens oportet. Eſt autem triplex contactus. Metaphoricus, quum aliquod ὑφιστάμενον, contingit alterum ſua duntaxat virtute. Vt incorporeus Deus, Cœlos & omnia. Mathematicus, quum vna magnitudo, immediatè alteram contingit. Sic enim definitur, quòd ſit coniunctio duarum magnitudinum: quarum extrema ſint ſimul. Proinde in hoc tactu neceſſe eſt, vt primò tangens, & tactum ſint quanta: Secundò, vt vnum ab altero diſtinguatur ſitu, ita vt vnum non ſit in altero. Quâ de cauſa fit, vt dici non poſſit accidens tangere ſuum ſubiectum: aut Forma, Materiam. Denique, vt illarum magnitudinum extrema, & ſimul ſint ſine intermedio, & non ſint vnum. Alioqui non eſſent duo extrema contigua: ſed vnum quoddam continuum. Quam ob cauſſam duę lineę, vno puncto copulatæ, non dicuntur ſe tangere, ſed inuicē continuari. Tactus naturalis eſt, quum præter hæc ipſa etiam extrema duorum corporum in ſe inuicem agunt, & patiuntur. Atque hoc ſanè modo, dicuntur Elementa ſe tangere: quum vnum agit in alterum: vt quum ignis agit in aquam, eius humiditatem exiccando, ſiccitatem verò in aquam inducendo, atq; ita etiam in ignem conuertendo. Apparet igitur, tranſmutationem vnius Elementi in alterum, fieri non poſſe ſine Phyſico contactu. Quia verò omne alterans eſt agens: & tunc alteratum, eſt patiens: ac proinde quia nulla tranſmutatio fieri poteſt, ſine actione & paſſione: hæc etiam de agentibus & patientibus naturalibus, déque actione & paſſione notanda ſunt. Theſis igitur vigeſima ſecunda hæc eſto:

THESIS XXII.

Omne patiens debet tale eſſe τῇ δυνάμει: quale eſt agens actu: pro ſua tamen capacitate.

VT, ſi aqua debeat ab igne calefieri, neceſſe eſt eam in potentia eſſe ad calorem: ſeu talis eſſe naturæ, vt poſſit actu calefieri: ſicut etiam ignis actu calidus eſt. Proinde quum iam actu ita calida eſt, vt non poſſit magis calefieri: non amplius patitur ab igne. Si item ignis actu calidus non eſſet, in aquam non ageret. Omne enim quod agit, quatenus actu tale eſt, agit. Idcirco aqua, quæ actu calida non ſit, calefacere non poteſt. Sic homo nondum actu iuſtus: iuſta opera facere non poteſt. Dixi autem, *pro capacitate*: quia non omne patiens, capax eſt totius Qualitatis, quæ in agente eſt. Vt in aqua liquet & igne. Ex hac vero propoſitione, apparet, quinam poſſint iuſtificari: qui non. Omnes homines, quia iuſti ſunt δυνάμει (capaces enim ſunt iuſtitię ſua natura) iuſti fieri poſſunt. Cætera animalia, nequaquam: quia talia non ſunt, τῇ δυνάμει.

THESIS XXIII.

Omne item patiens naturale, omni ſua parte obnoxium ſit paſſioni, neceſſe eſt: non autem vna ſit, altera non ſit.

IDcirco lignum patiens eſt ignis naturale: quoniam omni ſua parte, pati ab igne poteſt, & ignis fieri. Sic omnia elementa, ſunt verè agentia & patientia naturalia: quia licèt nullum poſſit totum ſimul tranſmutari in aliud, ſingula tamen poſſunt, ſingulis ſuis partibus & agere & pati.

THESIS XXIV.

Vt omne agens, quò maioris eſt virtutis: eò etiam efficaciùs agit in patiens, ita omne patiens, quò melius diſpoſitum fuerit ad actionem agentis, eò etiam magis actionem ipſam, vímque agentis percipiet.

VIs enim agentis non recipitur in patiente, niſi bene diſpoſito. Idcirco in ligno arido, citius & melius recipitur vis, eóq; forma ignis: quã in viridi. Vnde & Chriſtus de igne afflictionum: *Si hæc fiunt*, inquit, *in viridi, quid fiet in arido?* Et remiſſio peccatorum in pœnitente, atq; fideli ideo locum habet, quia ad eam diſpoſitus eſt. Non autem in homine impœnitente, & infideli: quia diſpoſitus cùm non ſit, illius capax non eſt. Et Spiritus S. ideo non habitat in corpore ſubdito peccatis, vt loquitur Scriptura: quia tale corpus diſpoſitum non eſt: vt habitaculum Spiritus ſancti eſſe queat.

THESIS XXV.

Omne patiens debet eſſe diuiſibile non actu, ſed potentia.

PRopoſitio eſt Ariſtotelis: ſenſus autem eſt, Omne patiens naturale corporeum, ſic debet eſſe affectum, vt aliquid poſſit ab agente recipere: Primum in vna parte, deinde in alia. Vt lignum quum recipit ab igne calorem in vna ſui parte, deinde in alia: & ita per ſucceſſionem. Debet igitur ita eſſe quantum, vt in partes diuidi poſſit, & in ſingulis vim agentis, certo ordine percipere.

THESIS XXVI.

Omne patiens, vt ab agente aliquid accipiat, ipſi agenti proximum ſit, vel per ſeipſum, vel ſaltem per medium aliquod: itaque ita ab illo tangatur neceſſe eſt.

PEr ſeipſum quidem: vt quum lignum immediatè calefit, & comburitur ab igne. Per medium autem: vt quum nos calefimus à fornace, per aërem hypocauſti intermediũ, calefactum. Tum enim ſumus proximi igni fornacis; non per nos ipſos, ſed per aërem: & per hunc, nos ille tangit. Sic Sol agit in noſtra corpora: eóque calefacit; ſed per aërem: aliaq; elementa ab ipſo calefacta. Inde fit, vt nullum agens, quamuis maximæ ſit virtutis, agere in corpus à ſe diſtans queat: niſi per medium aliquod, ei coniungatur. Omne enim agẽs, agit per aliquem contactum: vt ſuprà explicatum eſt, agens quidem corporeum, tactu Metaphorico, hoc eſt, ſua virtute: agens verò Phyſicum corporeum, tactu Phyſico, vt immediatè per ſe, vel mediatè per aliud intermedium, vt iam explicatum eſt.

THESIS XXVII.

Nihil agit in ſeipſum, ſed in alterum.

ESt etiam Ariſtotelis propoſitio. Sic verò intelligitur. Nihil primò, ac per ſe, & ſecundùm ſe totum, & reſpectu eiuſdem: in ſeipſum agit. Hoc enim modo prorſus ἀδύνατον eſt, vt aliquid in ſeipſum agat. Fieri verò poteſt, vt aliquid agat in ſeipſum: verùm non primò, nec ſecundùm ſe totum: ſed ita vt vna parte agat, altera patiatur: vt quòd homo moueat ſuum corpus, hoc eſt, ſe ipſum: altera ſui parte, nempe Anima. Anima enim operamur, & agimus in corpus: eóque in nos ipſos. Item certum eſt, poſſe aliquem in ſeipſum agere, ita vt ſit agens, & patiens: ſed diuerſo reſpectu, eóque ex accidenti. Vt quum Medicus ægrotus, ſeipſum curat. Curat enim ſe, vt Medicus: curatur à ſe, vt ægrotus. Sed primo modo, præſertim ſi agens ſua actione aliquid corrumpat in patiente, omnino fieri nequit, vt quis in ſeipſum agat. Omne enim Ens naturale, ſuum eſſe diligit & curat, non autem corrumpit vel perdit. vnde & Apoſtolus, *Nemo carnem ſuam odio habuit*, ſcilicet naturaliter.

THESIS XXVIII.

Simile etiam non poteſt agere in ſuum ſimile: ſed in ſimile agit.

NOtandum primùm, Actionem alicuius conſiderari poſſe quo ad initium, quo ad medium: & quo ad finem actionis. Vt quum Ignis vel incipit calefacere Aquam: vel iam mediocriter calefecit: vel iam ita perfectè ea calefacta eſt, vt nõ poſſit amplius calefieri. Certè initio actionis, omne agẽs diſſimile eſt patienti prorſus. Ideò enim in illud agit, vt ſibi faciat ſimile: Vt ignis in lignum, & in aquam: & Spiritus ſanctus in hominem impium. In medio etiã actionis, diſſimile eſt ex parte, agens patienti. Ideo enim pergit in patiens agere, vt magis ac magis illud ſibi reddat ſimile. Sic ignis in lignum iam aduſtum & in aquam iam tepeſcentem. Et Spiritus ſanctus, in hominem, ex parte iuſtum: inchoata ſcilicet iuſtitia. In fine verò perfectæ actionis, agens & patiens ſunt omnino ſimilia: alioqui non deſineret agere ipſum agens: cùm ipſius propoſitum ſit, patiens ſibi omnino, quo ad eius fieri poteſt, ſimile reddere. Sic omne agens naturale: Sic etiã Deus ſe gerit. Proinde notandum eſt, vt in fine actionis, ſint ſimilia agens & patiens: non requiritur, vt æquali gradu ſimilia ſint, & in omnibus: ſed ſatis eſſe, vt agens ſuam communicet ſimilitudinem patienti: quantum eius patiens capax eſt. Proinde aqua nunquam quidem poterit æqualibus gradibus caliditatis, ſimilis eſſe igni: quia capax tanti caloris non eſt, niſi & ipſa vertatur in Ignem. Sed interim tamẽ erit ſimilis, quantum fieri poteſt. Sic nunquam homo fiet ſimilis Deo, omni ſimilitudinis gradu: quia capaces nõ ſumus tantæ perfectionis. Sed tamẽ in Cœlo ſimiles ei erimus perfectiſſimè, quatenus creatura poteſt ſimilis fieri creatori. Solus Chriſtus per omnia ſimilis eſt Patri: eóque ſolus etiam perfectiſſima eſt imago. His ita conſtitutis, quæ ad veram de omni transmutatione, & mixtione, intelligentiam, cognitu neceſſaria ſunt: Theſibus aliquot complectar, quæ multis verbis diſputantur à Philoſophis, *de transmutatione elementorum inter ſe*. Ac explicata cuiuſque elementi natura & differentia: tũ demum veniã ad aliorum corporum mixtionem.

Ad primum hanc Theſin ſtatuo: qua ad Quæſtionem, *An elementa poſſint inter ſe transmutari*: reſpondetur.

9. De propria elementorum inter ſeſe transmutatione.

THESIS I.

Vnum elementum aliqua ſui parte, in aliud elementum mutari poteſt, idque commune eſt omnium elementorum.

DIxi, *aliqua ſui parte*, quia fieri nequit, vt aliquod elemẽtum, totum in alterum mutetur, quin totus euertatur Mundus; cùm elementa quatuor ſimul, altera ſint præcipua Mundi pars Veritas autem Theſeos, præter experientiam, ratione etiam confirmatur. Vbi enim ſunt cõtrariæ qualitates, quarum vna potentior ſit altera: ibi, ſi ſubiecta ſe mutuò tangant, robuſtior qualitas aget infirmiorem; eamque euincet, & e ſuo pellet ſubiecto: Qua pulſa, illa quę robuſtior eſt: in illud penetrabit ſubiectũ, & illud in ſui naturam conuertet. Eſt hoc certiſſimum: quia omne agẽs robuſtius eſt eo in quod agit. Sunt autem inter elementa, qualitates nõ ſolùm communes, quibus inter ſe colligantur, verùm etiã contrariæ, ac repugnantes, quibus in ſe inuicẽ agant. Semper enim contrarium agit in ſuum contrarium. Ergo ſi elementum vnum alterum tangat: & vnius qualitas, puta caliditas aëris, robuſtior ſit qualitate alterius, puta, frigiditate aquę: neceſſe fuerit, vt aër ſua forti caliditate, frigiditatem aquę vincat. In humiditate enim conſentiunt inter ſe. Illa autem qualitate, nempe frigiditate aquæ ſuperata & extincta: forma etiam aquæ euaneſcat, oportet. Non poteſt autem ſubiectũ aliquod conſiſtere ſine forma aliqua ſubſtantiali. Ergo aër ſua caliditate, omnino ſubiectum aquæ; in ſuam conuertet naturã: & ex aqua, fiet aër. Atque idem de reliquis etiam elementis facilè eſt concludere. Vnumquodque igitur elementum, in aliud mutari poteſt: ſi ſe inuicem tangant naturaliter. Vt ignis ſphæra, tangit aërem: & aër, aquam: & aqua, terrã, ſuis extremis partibus: & ita in ſe inuicem agunt, & patiuntur. Deinde ſi apud nos ignis tangat terram vel materiam terream, vt lignum: in illud aget, & in ſe conuertet. Ergo idem etiam faciunt in ſuis ſphæris, quæ ſe mutuò tangunt.

THESIS II.

Si Elementa non ſe naturaliter tangant, ea non poſſunt inter ſe transmutari.

ESt enim neceſſe, vt agens tangat patientem. Proinde ſi ignis maneat in ſua ſphæra, & aqua in ſua: non poterit ille aquam in ſe transmutare: niſi hæc prius vertatur in aërem. Sed extra ſphæras ſuas, poſſunt ſine intermedio: vt manifeſtant ipſi ſenſus noſtri. Si verò interroges, Quænam elementa facilius inter ſe tranſmutentur: reſpondemus hac Theſi.

THESIS III.

Facilius inter ſe transmutantur quæ ſunt σύμβολα, quam quæ ἀσύμβολα.

ΣΥμβολα, vt ſuprà dictum eſt, ſunt quę in aliqua conueniũt qualitate, vt ignis & aër in caliditate. Ἀσύμβολα, quę in nulla, vt ignis & aqua. Vbi autem minor eſt contrarietas ac repugnantia: ibi facilior eſt transmutatio, quàm vbi maior eſt, & vbi plura reſiſtunt. Facilius enim expugnatur vnus hoſtis, quàm duo paris poteſtatis. Facilius

lius igitur fit tranſmutatio inter σύμβολα Elementa, quàm inter ἀσύμβολα.

THESIS IV.

Ex duobus Elementis συμβόλοις, hoc eſt, in aliqua qualitate conſentientibus, non poteſt per actionem ipſorum propriam, qua ſe mutuò alterant, generari tertium Elementum ab ipſis diſtinctum: Vt ex aëre & aqua, terra vel ignis: vel ex igne & aëre, aqua vel terra.

RAtio eſt, quia ſi tertium inde fieri debeat: neceſſe eſt vt agens Elementum, non ſolùm ſua contraria qualitate pellat contrariam alterius qualitatem: puta ignis ſua ſiccitate pellat humiditatem ab aëre: ſed etiam vt altera qualitate, qua conuenit cum altero, ſimilem alterius qualitatem deſtruat: puta ignis ſuo calore, extinguat calorem aëris: atque ita tertium ab vtroque diſſimile elementum: puta terram, generet. Atqui iſtud fieri non poteſt. Simile enim non agit in ſimile, aut illud pellit: ſed ſemper contrarium in contrarium agit. Fieri igitur nequit vt per actionem elementi: puta ignis, in elementum aëris, συμβόλου cùm ſint: ex aëre generetur, diuerſum ab igne agente & ab aëre patiente, elementum: puta terra & aqua: ſed ex aëre conuertet in ſuam naturam: hoc eſt, in ignem.

THESIS V.

Si verò vtrumque Elementum ſit ἀσύμβολον, hoc eſt, in nulla qualitate cum altero conueniat: facile poteſt per propriam ipſorum actionem, inde tertium aliud generari elementum.

PVta ex igne, extra ſuam ſphærã poſito, agente in aquam, & ex aqua, agente in ignem, generabitur terra. Poteſt enim ignis ſua ſiccitate ſuperare aquæ humiditatem, & etiam exſiccare: Et viciſſim aqua ſua frigiditate, extinguere ignis calorem. Quod ergo ex vtroque generabitur, erit & frigidum & ſiccum. Talis autem eſt terra: Ergo, &c. Et contrà poterit ignis ſua caliditate, tollere frigiditatem aquæ; Et contrà aqua, ſua humiditate tollere ſiccitatem ab igne. Quod igitur ex vtroque generabitur: erit & calidũ & humidum. Talis autem eſt aër: Ergo, &c.

Nunc tenemus, quo pacto elementa tranſmutari inter ſe poſſint: tam in ſuis exiſtentia ſphæris, quàm extra ſphæras poſita. Et inter quænam facilior ſit tranſmutatio; & inter quæ difficilior. Denique quo pacto ex duobus, inter ſe agentibus & patientibus, tertium generari poſſit elementum. Et quomodo non poſſit: ex iis verò ſequitur

THESIS VI.

Elementa, vt mutatis qualitatibus contrariis, inter ſe tranſmutantur: ita etiam in locum alterius mutuò ſuccedant oportet.

RAtio eſt, quia vnumquodque elementum, ſuum propriũ habet locum, ſibi à Deo deſtinatum. Hunc autem locorum ordinem, Deus immutari non vult, quia non amat ἀταξίαν; ſed omnis ταξίας autor eſt. Si igitur vnum elementum, aliqua ſui parte, in alterum mutetur, in illius quoque locum ſuccedat, oportet: Vt ſi aqua, mutata frigiditate in caliditatem, degeneret in aërem: à loco aquæ, in locum aëris penetret, neceſſarium fuerit. Atque hoc præter ordinem Dei, eſt etiam per ſe æquiſſimum: Natura enim hoc poſtulat, tanquam æquiſſimum, vt ſcilicet quod graue eſt, ſubſit leui: & leue, præſit graui. Si autem aqua, (vt in exemplo permaneam) vertatur in aërem, fiet leuis, vt aër. In locum igitur aëris, vbi ſuperior ſit aquis: ſuccedere illam oportet.

THESIS VII.

Perpetua eſt in finem vſque mundi, & ſine intermiſſione elementorum inter ſe tranſmutatio aliarúmque rerum ex ipſis, permixtio.

CVm enim motus Cœli, poſt Deum, cauſſa ſit omnis motus in hoc mundo inferiori: ſi ille nullam habet intermiſſionem, neque hi noſtri haberi poſſũt. Nullam autem ille habet. Semper ergo apud nos locum habet motus, non ſolùm localis, ſed etiam generationis, & corruptionis: incrementi, & decrementi: denique alterationis. Origo verò omnis generationis, & reliquorum horum motuum, ex tranſmutatione elementorum inter ſe, pendet. Horum enim qualitates, principia ſunt omnis actionis & paſſionis, in reliquis corporibus omnibus, quæ infra Lunam ſunt. Fieri igitur nequit, quin perpetuò elementa inter ſe tranſmutentur. Ex hac ſeptima; ſequitur

THESIS VIII.

Nempe: Cauſas efficientes huiuſce continuæ elementorum tranſmutationis: eſſe imprimis Deum, rerum omnium autorem. Deinde cœlos, ac præſertim Solem. Poſtremò ipſas duas elementorum qualitates actiuas: caliditatem atque frigiditatem.

SIc enim Ariſtoteles has duas, vocat αἴτια παθητικά: alias autẽ duas, humiditatẽ ſcilicet & ſiccitatẽ, αἴτια παθητικά; cauſas, inquam, tum elementorum, vt ſuprà à nobis explicatum fuit: tum omnium reliquorum, quę ex elementis compoſita ſunt. Conſtant autem reliqua corpora omnia, ex elementis. Hinc ſequitur

THESIS IX.

Finalis, omnis inter ſe elementorum tranſmutationis, hæc Deo fuit cauſa: nempe vt non tam elementa inter ſe ſemper miſcerentur, quàm vt ex ipſorum mixtione, reliqua omnia tam perfecta quàm imperfecta, generarentur.

PArticipatione enim qualitatum elementorum, res omnes ex elementis procreantur atque illæ quidem variæ; pro vario illarum quatuor Qualitatum temperamento. Quæ cauſa eſt, cur Philoſophi quidam ſenſerint *prima rerũ principia fuiſſe, & eſſe quatuor elementa.* Hactenus autem diximus de elementorum inter ſe tranſmutatione atque mixtione. Deinceps dicendum nobis erit, vt etiam ordo Moſaicus poſtulat, de aliarum rerum, quæ ex elementorum, vel perfecta vel imperfecta mixtione fit, procreatione. Sed ſi prius quædam de ſingulis elementis breuiter diſſeruerimus. Naturalis enim Methodus docendi poſtulat: vt quando in genere diximus de elementis omnibus ſimul: nunc dicamus de ſingulis ſeorſim.

CAPVT V.

De ſingulis elementis:

1. De Terra.

EXORDIAR à terra, tanquam à centro, & fundamento, ſupra quod reliqua firmata ſunt: & circa quod omnia, adeóque & ipſi cœli voluuntur. Ac *Primum*, quid ſit deſcribam. *Deinde* ſingulas explicabo deſcriptionis partes.

THESIS I.

Terra, corpus eſt ſimplex, frigidæ; ſiccæque naturæ: denſum, ſolidum, graue: in medio mundi tanquam fundamentum ipſius collocatum: eóque in proprio loco immobile, atque rotundum.

SImplex corpus, cùr vocemus, antea in definitione elementorum dictum eſt. Frigidæ autem & ſiccæ naturæ eſſe terram: nimis manifeſtum eſt: tum ſenſu, tum ratione. Oſtendimus enim ſuprà, ex συζυγίας quatuor primarum qualitatum, conſtitui quatuor elementa: ita vt non poſſint eſſe nec plura, nec pauciora, quatuor. Has autem eſſe poſſibiles & quæ poſſint cohærere, συζυγίας: ſuprà itidem demonſtratum eſt: nimirum primam, calidum, ſiccum (hæc enim manifeſta eſt in igne) ſecundam, calidum, humidum, quæ aëris eſt: tertiam, frigidum, humidum: quam propriam eſſe aquæ, nemo inficiari poteſt. Supereſt igitur quarta: quæ eſt frigidum, ſiccum. Cùm autem conſtet terram eſſe, vnum ex quatuor elementis: efficitur neceſſariò, terram naturæ eſſe frigidæ & ſiccæ, Dico, *natura frigida & ſicca*: quia ſi alicubi ſit calida aut humida: hoc non habet à natura ſua: ſed accidit illi ab aquis & igne. Hinc ſequitur etiam eam eſſe denſam. Proprium enim frigidi eſt denſare. Nam quod alicubi ſit rara: hoc eſt illi ex accidenti, propter aquas, quæ ſua humiditate, terram liquefaciunt: eóque raram efficiunt. Ex denſitate ſequitur ſoliditas. Quò quid enim denſius eſt, eò etiam ſolidius. Senſus hoc confirmat: & mundi ratio poſtulabat vt talis eſſet. Cùm enim terra deberet eſſe fundamentum totius huiuſce magnæ domus, quod omnia reliqua elementa, totámque ſuſtineret machinam, an non debuit eſſe ſolida? Adde quòd ſuper eam debebant ædificari vrbes, & regna, gradique animalia. Motus autem talis, ſuper rem denſam & ſolidam, fieret, oportebat. Vt igitur decuit eſſe ſolidam, ſic etiam facta eſt. Ex denſitate autẽ & ſoliditate oritur grauitas. Quò quid enim rarius eſt: id eò etiã

leuius eſſe videmus: vt ſtuppam, pumicem. Ergo à contrario, quò quid denſius, eò & grauius: vt in ipſis quoque Metallis videre eſt. Etſi verò tota ſuapte natura ſit grauis. Ex accidenti tamen fit, vt quædam partes ipſius ſint grauiores aliis: nempe illæ quæ ſub aquis ſunt, illis quæ eminent & à ſole exſiccantur, rarioreſque fiunt: Sic enim per ſolem, fiunt leuiores. Sunt omnia hæc perſpicua. In medio porrò mundi poſitam eſſe terram, quanquam non defuerunt Philoſophi, qui negarint, aſſerentes, Ignem eſſe in medio: circa verò ignem rotari terram: plerique tamen omnes, atque inprimis Anaxagoras, Empedocles, Plato, Ariſtoteles, & deinde omnes Aſtronomi, non ſolùm ſenſerunt eam eſſe in medio: verùm etiam firmis rationibus demonſtrarunt. Grauitas enim terræ naturalis, quę ſingulę eius partes ad centrum grauium tendunt: omnino cuincit, eam in medio eſſe mundi. Atque hoc eſt ex terræ natura, vt ſit æqualiter tota ſub aquis cóque in medio mundi, ſicut erat initio, antequam iuſſæ fuiſſent aquæ, in locum vnum coire: vt appareret Arida. Cæterùm propter hominum habitationem, aliaque animantium commoda factum eſt, vt vtrinque emineat aquis terra. Adde porrò multos & colles, & montes, qui non ſolùm aquis, verùm etiam reliquæ terræ eminent. Ita certè fit, vt ſi magnitudinem, & ſitum terræ ſpectes: ea non ſit tota & omnibus ſuis partibus, æqualiter diſtans à cœlo, cóque nec in medio mundi perfectè & plenè. Verùm hoc ex accidenti eſt, non ex prima terræ diſpoſitione, atque natura. Proinde Philoſophi non malè duplex eſſe dixerunt centrum grauitatis, quo ſcilicet omnia tendunt grauia: & hoc ſanè modo terram eſſe in medio mundi, vt dictum eſt. Et centrum magnitudinis: atque hoc altero modo terram non eſſe omnibus ſuis partibus, in medio mundi: quæ ſententia vera eſt. Iam verò cuinam innitatur, tanquam fundamento terra, quæ omnia reliqua ſuſtinet elementa, quæſitum eſt ab omnibus, ignoratum à multis, ſed cognitum à paucis.

Quidam ſenſerunt, aquas eſſe baſin terræ, & huc adferunt dictum ex Pſ. 24. *Ipſe ſuper Maria fundauit eam* Sed turpiter falſi ſunt. Nam Hebraicum eſt, עַל־יַמִּים, *ad Maria & ad flumina.* Poſtquam enim iuſſiſſet Deus aquas in vnum locum congregari; quæ antea operiebant totam terram, terra, quæ inhabitatur, videtur adiacere Mari & fluminibus. Et quidem videtur etiam eſſe hæc pars terræ, altior Aquis & Mari, cùm tamē reuera nō ita ſe res habeat. Eſt enim longè altius ſublimiúſque mare oceanum, tota terra inhabitata: totámque facilè inundaret, niſi præcepto Dei cohiberetur, ne tranſiliat fines ſuos. Verùm inferiores aquæ eſſe videntur, reſpectu noſtri, qui in parte aquis defecta habitamus. Atque hoc inde fit, quia cogitamus terram tanquam ſphæram, ita per medium, aquis Oceani cinctam eſſe, & vtrinque detectam: vt altera pars detecta, ſit ſupra, altera infra. Ita certè qui ſupra, & infra habitant, ſuperiores Oceano ſibi eſſe videbuntur. Sed ſicut vtramque terræ partem detectam, ita animo concipis, vt vna ſit ſurſum, altera deorſum: ſic cogita tu, alteram eſſe ad dextram, alteram ad ſiniſtram: Oceanum autem, ſurſum & deorſum circulariter currere. Tum certè videbis Mare magis amplum, longéque altius eſſe, terra etiam habitabili: & vtramque terrę partem, ad mare adiacere: vt ait Dauid: *Qui fundauit terram ad maria & ad flumina præparauit eam.* Quomodo verò poſſunt aquæ fundamentum eſſe terrę, cùm aqua leuior ſit terra: grauia autem ſemper inferiorem teneant locum? Ac videmus ſi quid terræ, nempe glebam vnam ponas ſuper aquam: eam non ſupernatare aquæ, ſed ſtatim deſcendere. Quantò minus igitur poſſet tota terra cum tot montibus inniti aquis? Multò minus admitti poteſt, quod alij dixerunt, aëri terram inniti. Grauitati enim & ſoliditati terrę, magis etiam cedit aër, quàm aqua, cùm ille rarior ac leuior ſit iſta. Quidam igitur miraculum eſſe volunt. Sola enim Dei manu ſuſtentari terram ne vllam in partem ruat. Sed quanquam omnia opera Dei mirabilia ſunt: non eſt tamen ad miracula refugiendum, vbi naturam rerum habemus. Deus ita cuncta creauit, vt ſingulis rebus ſuas diſtribuerit naturas, & proprietates. Leuibus, vt ſurſum tendant: & vbi ad ſuum peruenerint locum, ibi quieſcant. Grauibus, vt tendant deorſum, centrum mundi verſus: quo vbi peruenerint; ibi quieſcant. Quo fit, vt in ſuis locis neque leuia, leuia ſint actu: neque grauia, grauia. Et proinde, vt neque illa altius adſcendere, neque iſta, inferius deſcendere, aut appetant aut poſſint. Vt igitur ignis, & aër ſua leuitate ſeſe continent, & ſuſtentant in ſuo quiſque loco: ita terra ſuo, ſua grauitate. Quare nullum aliud fundamentum terræ dedit Deus: quàm ipſius grauitatem: qua per ſe ſtabilis eſt, ſuo in loco.

Huic ſententiæ ſubſcribit ſcriptura ſancta: in Pſalm. 104. *Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Quænam eſt hæc ſtabilitas terræ, ſuper quam fundata eſt: niſi ipſius grauitas, qua ſuapte natura ſtabilis ſit: vti eſt: & non poſſit profundius penetrare? Si enim fingas terram à ſuo moueri poſſe loco naturali: quaqua verſum mouebitur, mouebitur verſus cœlum: cóque naturaliter ſurſum adſcendet. Hoc autem pugnat cum natura terrę: quæ eſt eius grauitas. Tam enim fieri poteſt, vt graue ſurſum naturaliter adſcendat: quàm vt leue deorſum naturaliter deſcęndat. Grauitas igitur, terræ à Deo indita: fundamentum illius eſt, quod Deus terræ ſubſtrauit.

Proinde rectè Dauid dixit, *Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatē ſuam.* Sic Iob. 26 *Qui terram ſuſpendit ſuper nihilum.* Nihilum igitur eſt fundamentum terræ: hoc eſt, terra nullum præter ſe, ſuámque grauitatem, aliud habet fundamentum. Nihil eſt hac ſententia clarius vt intelligatur terra fundamentum eſſe reliquorum elementorum: ipſius autem nullum eſſe, præter naturalem eius grauitatem. Hactenus de loco terræ.

II. Nunc dicendum de ipſius motu. Extra ſuum locum moueri terram, ſecundùm ſuas partes, idque motu recto, deorſum tendendo, extra controuerſiam eſt. At verò an in ſuo poſita loco moueatur: an verò firma ſtet, dubitatum fuit à nonnullis Ego verò rem paucis expediam. his duabus propoſitionibus. Prima: Si terram per ſe & ſimpliciter, ſecundùm ſe totam conſideres: ea non mouetur in ſuo loco, neque circulariter, neque motu recto: ſed firma ſtat: Sicut etiā per ſe & ſua natura, quia æqualiter grauis eſt, in medio mundi eſſe dicitur. Atque hoc eſt, quod ſcriptura ait Eccl. 1. *Terra autem in æternum ſtat*: Et Pſal. 104. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculū ſeculi.* Sic Ariſtot. à grauitate terræ concluſit, eam in ſuo quieſcere loco: hoc eſt, in medio mundi: vt ſuprà declaratum eſt. Secunda: Si verò conſideremus terram in ſingulis ipſius partibus, abſurdum non eſt, eam ſuis partibus moueri, in ſuo loco, idque motu recto. Nam perpetuò & ſine intermiſſione, partes terræ, tam tectæ, quàm detectæ, trahuntur à fluminibus in Mare, & in lacus variòſque aquarum alueos. Ita fit, vt terra ſub aquis iſtis augeatur: atque ita augeatur, vt nonnunquam videamus, nunc ibi montem eſſe altum, vbi antea Mare erat: & contrà, ibi Mare, vbi antea erat cōtinens. Hinc inſulæ, ſcopuli, ſyrtes: qui ſubinde generantur ex hac continua partium terræ delatione in Mare, variáque flumina ab aquarum impetu. Ac ſi mundus eſſet perpetuus: tandem aliquando fieret: vt terra quæ in profundo iam eſt Maris, imò quæ eſt in centro: deferretur ad circumferentiam, & Aquis emineret. Vſque adeò partes terræ, ſuis mutantur locis, violento aquarum impetu. Atque hæc tam certa ſunt: (experientia enim & ſenſu ipſo hæc videmus:) vt negari à nemine poſſint. Cùm verò quædam terræ partes violenter ſuis moueantur locis, ab aquarum vehementi defluxu: atque ita centrum, quod *grauitatis centrum* vocant, mutetur: reliquę etiam partes, vt ad centrum hoc tendant, naturaliter eò mouentur motu recto, quippe quæ quodam modo, extra ſuum locum in quo erant, centro reſpondentem, factæ ſunt. Ita vtraque propoſitio vera eſt *Terram in ſuo loco, & moueri & non moueri:* diuerſis ſcil. reſpectibus moueri, ſecundùm partes, & ex accidenti: non moueri. ſecundùm ſe totam, & per ſe. Eodem ferè modo, de eius rotunditate dicendum eſt. Suapte natura & initio Mundi, ſphærica erat: non minus quàm Aqua, Aër, aut Ignis. In vſum porrò hominum, cęterorumque animalium, diuina prouidentia factum eſt, vt non ſit verè ſphærica. Si enim verè & perfectè ſphærica eſſet: ab Aquis tota vndequaque cingeretur: hoc autem non fit. Et apertè videmus in Terra, partium eius ſummam inæqualitatem: alibi ſunt alti montes, alibi humiles valles, alibi planities ampliſſimæ. Perfectè igitur ſphærica non eſt. Cæterùm quia hoc non ex natura eſt Terræ, ſed illi aliunde accidit, idcirco verè dicitur, terram per ſe & naturaliter ſecundùm ſe totam eſſe rotundam: nempe perfectè. Proinde non malè comparatur malo, in quo nodi aliquot ſint eminentes. Totum pomum per ſe conſideratum, rotundum eſt, reſpectu verò nodorum, perfectè rotundum non eſt. Sed quia reſpectu totius, parum pro nihilo reputatur, obtinuit vt ipſa etiam Terra ſimpliciter dicatur eſſe rotunda. Demonſtrationes quoque ex Aſtronomia petitæ, quibus Terræ rotunditas confirmatur, contemnendæ non ſunt. A ſeptentrione ad meridiem, rotundam eſſe Terram, inde demonſtrant: quia Polum Antarcticū, nunquam videmus. Nihil autem impedire poteſt, quin videatur: niſi tumor terrę intermedius. Rotūda igitur eſt. Ab oriente quoque ad occidentē eam eſſe rotundam ita probāt: quia orientalibus citius naſcitur; & aſpectabilis fit Sol, & citius etiam occidit, quàm occidentalibus. Hoc autem non fieret, niſi terra eſſet inæqualis: & inter orientem & occidentem in-

tem intercederet terræ tumor. Eſt igitur rotunda. Addunt aliam rationem: Terra in Eclipſi Lunæ ſecat Lunam ſphæricè: non autem rectâ lineâ. Sphæricæ igitur eſt figuræ. Nam qualem facit vmbram corpus: tale etiam ipſum eſt: niſi fortè ex accidenti aliquid impediat, quod certè in negotio eclipſeos Lunæ, non reperitur. At hæc quæ de Terra diximus, certa ſunt omnia. Quod verò à nonnullis diſputatur: quanta ſit terræ in circuitu magnitudo: incertius eſt, quàm vt definiri poſſit. *Quis enim menſus eſt terram?* inquit Deus. Referam tamen quid hac de re ſcriptum reliquerint Mathematici & Philoſophi. Ariſtot. in 2. de Cœlo & Mundo ſcribit, Mathematicos ſui temporis, attribuiſſe terræ in circuitu 40. myriades ſtadiorum: quæ conficiunt 50. millia milliaria. Alij recentiores Aſtrologi ſcribunt, totum terræ ambitum eſſe 20000. & quadraginta milliarium. Alij aliter ſentiunt. Ex quibus diuerſis ſententiis colligere quiſque poteſt, nihil certi hac de re definiri poſſe. Hoc verò conſtat, terram reſpectu cœli eſſe inſtar puncti: vt Aſtronomi rectè aiunt. Id quod ſic probant. Aſſumunt ſingulas ſtellas octauæ ſphæræ maiores & ampliores eſſe tota terra. Sunt autem ibi multæ ſtellæ, quæ à nobis videri poſſunt. Quæ etiam videntur, ſunt nobis inſtar punctorum. Ergo ſi terra collocaretur in cœlo ſtellato, & ipſa quoque luceret, minimè à nobis videri poſſet. Quare Cœli comparatione, minus eſt quàm punctum, tota terra. Cæterùm per ſe maximæ eſt amplitudinis, ita vt nunquam menſurari ab hominibus rectè & plenè potuerit, quanquam à multis tentatum id fuerit. Ac de terra ſatis, quatenus Elementum. Nam περὶ τῆς οἰκουμένης infrà dicemus, vbi Moſes ait, *& apparuit Arida.*

2. De Aqua, altero mundi Elemento.

DE hac etiam ago in præſentia quatenus Elementum eſt: quod ſua natura cingit operitque totam terram: ſicut initio factum fuit. Nam de aquis, quatenus coactæ fuerunt in vnum locum, quæ & *Oceanus* vocantur, vnde flumina omnia, & lacus, & ſtagna, & fontes: diſſeremus ſuo loco.

THESIS.

Aqua corpus eſt ſimplex, humidæ frigidæque Naturæ: denſum, tenue, ac fluidum, graue, inter aërem & terram poſitum: eóque terra magis amplum: rotundum etiam, ſuóque in loco mobile.

SVnt omnia ferè huius deſcriptionis membra perſpicua: & vnum ex altero pendet. Quid ſit eſſe corpus ſimplex, antè declaratum eſt: quod ſ. ex materia & forma conſtans, duabus tantùm qualitatibus præditum eſt. Humiditatē & frigiditatem qualitates eſſe aquæ: quarum altera, nempe humiditas, illi propria eſt: altera frigiditas ei aduentitia eſt, communisque cum Terra: antea demonſtratū eſt. Inde verò, denſa, fluida ac tenuis vt ſit, proficiſcitur. Frigiditatis enim eſt condenſare. Sunt autem partes aquæ omnes ſimul denſæ. Humida verò, tenuia ac fluentia ſunt. Hinc etiam ſequitur eius grauitas: qua ſ. ſemper deorſum fluit ſua natura: quanquam terræ comparatione leuis eſt. Quæ n. denſa ac fluentia ſunt, ea etiam grauia. Inter terrā & aërem poſitam eſſe aquā, ſenſus docet, ſcriptura prædicat, ratio euincit. Eſt enim leuis terræ comparatione. Grauis autem comparatione aëris: Inter vtramque ergo poſita ſit oportet. Quis verò hinc non videat conſequi: aquam magis amplum eſſe elementum, terrā ipſā? Qui autem fiat, vt cùm amplior ſit aqua, quàm ipſa terra, & ea etiam fluida ſit, non ſeſe tamen ſuper terram totam effundat. Ratio adfertur ab Ariſtotele, quòd vnumquodque Elementum in ſuo libenter quieſcat loco. Sed ſi quis neget hūc, quem occupant aquæ, ipſarum eſſe locum: eſſe verò contendat, totum ſpatium quod eſt ſuper terram vndequaque, & infra aërem: quid dicet? Aquæ certè ceſſerunt loco magna ex parte. Eſt igitur iſta vera ratio, quam infrà adferet Moſes: iuſſu Dei aquas ceſſiſſe, & quem nunc tenent, locum, hunc eſſe illarum proprium: vt vltra nequeant tranſilire: niſi quatenus Deus efficit, vt illarum variis defluxibus varia etiam illis ſuccedant loca. Hoc eſt quod ſcriptura tradit Prouer. 8. *Quando circumdabat mari terminū ſuum: & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Et Dauid, *congregans ſicut in vtrem in aceruum aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.* De rotunditate aquæ ita ſenſit Ariſtot. eam quidem eſſe rotundam: propterea quòd Oceanus inſtar magnæ faſciæ, terrā cingat per medium. Eſt igitur rotunda inſtar circuli. At verò ideo non eſſe neque vnquam fuiſſe ſphæricam docet: quia ea non totā operiat, nec vndequaque complectatur terrā; vt ignis aërem: neque vnquam complexa eſt. Proinde ex aqua & terra duobus inter ſe diſtinctis Elementis; vnum tantùm conſtare corpus verè ſphæricum. Sententia hæc Ariſt. ea tantùm parte improbatur, qua dicit, *aquam nunquam fuiſſe ſphæricam, quod nunquam totam complexa ſit terram.* Pugnat enim hæc non cum S. literis: vbi Moſes dicit, cū *aqua, & terra ſimul eſſent, Deum iuſſiſſe aquas coire in vnum locum, qui eſt Oceani locus: vt appareret Arida.* Docens apertè iis verbis, de principio totam terram tectam fuiſſe aquis. Si hunc errorem tollas, tota Ariſt. ſententia vera & certa eſt. Sed iſte Ariſt. error ex alio errore profluxit, nempe ex opinione de mūdi æternitate: déque æterna mixtorum generatione. Non enim poteſt perfectorū generatio ibi eſſe, vbi non ſe cōtingunt terra, aqua, aër. vt ſcitè demonſtrauit in ſecundo de generatione. Verū falſum aſſumit, generationem mixtorum eſſe æternam. Etſi verò reipſe non eſt aqua verè ſphærica, dictam ob cauſſam, quia Natura conſuluit generationi animalium, ſuapte tamen natura, ad ſphæricam tendere figuram, probat Ariſt. ex ipſis etiam aquæ guttulis: ſemper in ſphæricam coëunt figuram. Totum igitur Elementum talis eſſe naturæ: vt ad ſphæricam figuram inclinet, concludit. Idem confirmat à communi reliquorum Elementorum figura. Item à nauigationibus. Quum enim nautæ à portu ſoluunt, terræ proſpectum amittunt paulatim, propter interiectum Maris tumorem. Eſſe igitur rotundum Mare & ſphæricę figuræ. Atque huic ſententiæ ſubſcribunt omnes. Vſque adeo autem aquam ſua natura ſphæricam eſſe contendunt: (quanquam propter beneficium animalium, veram ſphæricæ figuram, actu non retineat:) vt Scholaſtici Theologi ſentiunt, poſteaquam finem acceperit generatio in mundo: aquam redituram ad ſuam formam, & totam terram ſicut etiam initio, complexuram omni ex parte. Sed quis eis reuelauit? Scripturæ docent *futuram terram nouam.* Ac de figura aquarum, ſatis. An verò moueantur à ſuo loco, nec ne; ſuperuacaneum eſt, diſputare: cùm videamus omnia Maria ſemper fluere, & refluere. Et ſcriptura dicit, *Omnia flumina ingredi in Mare, & eadem egredi è Mari.* In perpetuo igitur ſunt fluxu aquæ tam Oceani quàm reliqua Maria. Hoc tantùm notandum eſt, motum rectum, quo aqua extra ſuum locum poſita ad ſuum mouetur: eſſe illi naturalem, & per ſe illi conuenire: quia grauis eſt. Motum verò circularem fluxus & refluxus, contingere illi à cœlo: præſertim verò Luna: vt paulò poſt dicemus. Plura enim dicturi ſumus de aquis: quatenus congregatæ fuerunt in locum vnum: & in Maria variáque flumina diſtinctæ ſunt & diuiſæ.

3. De Aëre.

Aquam ſequitur *Aër*: ſic autem definitur.

THESIS.

Aer corpus eſt ſimplex, moderatè ſua natura calidum, & humidum, rarum, leue, tenue, diaphanum, mobile, rotundum, quatenus locum rotundum obtinet, variiſque alterationibus maximè obnoxium.

AEremeſſe corpus, ſed rarum, atque diaphanum, non autem inane quiddam, vt vulgus exiſtimat: omnibus illis argumentis demonſtratur, quibus probatur ab Ariſt. in Phyſicis, & ſuprà quoque à nobis demonſtratum fuit, non dari vacuum in natura, ſeu in mundo. Sed præter illa argumenta his etiam euincitur manifeſtiſſimè, aërem verum eſſe corpus. 1. A motu locali. Eſt leuis, & ſurſum ſuapte natura mouetur: corpus igitur eſt. Subſtantiæ enim incorporeæ, nec leuitas nec grauitas conuenit: eóque nec motus propriè & Phyſicè acceptus. 2. Ab alteratione. Multò verò minus tot ac tantis alterationibus obnoxius eſſet aer, quot & quantis obnoxium eum eſſe videmus: niſi verum eſſet corpus. Humidus & calidus eſt ſua natura: humidior etiam & calidior fit ex accidenti, vt ſentimus hyeme, & æſtate, variiſque tēporibus. Fit craſſior & ſubtilior; recipit odores & fœtores, eóque ad nares noſtras defert; contagionibus venenisq; inficitur, colores aliáq; qualitates diuerſas, recipit. Talia autem accidentia cadere nequeunt, niſi in ſubſtantiam corpoream. Idem probatur ab origine: Eductus fuit ex chaos, prima illa materia: & in hanc amplitudinem expanſus, vna cum igne & cœlis: Vnde nomine *Rachia* ipſe etiam aer, ſignificatus fuit à Moſe. Si igitur cœli & ignis corpora ſunt: ipſe quoque aer, corpus ſit neceſſe eſt. Sed quid clarius ipſius effectis? Commotus ac concitatus diruit domos, euellit arbores, turbat Mare, & alia admiranda efficit, quæ niſi corpus eſſet, præſtari ab ipſo non poſſent. In ipſum quoq; mutatur aqua: aqua autem corpus eſt. Corpus autem in rem incorpoream mutari non poteſt. Corpus igitur eſt; verùm vt diximus rarum, ſubtile, diaphanum. Quæ cauſa eſt, cur vulgus minimè credat, aërem eſſe corpus: imò ne ſubſtantiam quidem vllam. Dictum quoque eſt quid appellemus ſimplex, quod ſcil. ex Materia & Forma conſtans, duabus tantùm qualitatibus

præditum eſt. Eſt autem tale corpus aër: ſicut & reliqua elementa. Calidum & humidum eſſe, ſed moderatè, manifeſtū eſt tū ſenſu, tū ex iis quæ antè diximus de quatuor συζυγίαις quatuor priorum qualitatum. Moderatè autem talis eſt aër. Nam ſummè calidus eſt ignis: quo cum, supernè coniunctus eſt aër. Summè humida eſt aqua: cui infernè copulatus eſt aer. Ipſum igitur moderatè & calidum & humidum eſſe oportet. Atque hoc ſapientiſſimè effecit Deus noſtri, & omnium animalium cauſa. Vita enim in humido, & temperatè calido conſiſtit. Propter reſpirationem autem quæ in omnibus animantibus in terra verſantibus locum habet, oportebat nos aerem intra nos attrahere, & emittere: quòd ſine aere viuere non poſſimus. Decuit igitur vitæ noſtræ conſeruandæ cauſa, aerem eſſe moderatè calidum & humidum. Qua in re videmus admirabilē Dei ſapientiā, & bonitatē erga nos. Non ſolùm omnibus elementis ſua aſſignauit loca, in quibus quieſcant, & in quibus conſeruentur, verùm etiam idem beneficium præſtitit omnibus aliis rebus quæ ex elementis compoſitæ ſunt, vt ſ. vnaquæque commodum, ſuæq; naturæ congruentem locum, in quo conſeruetur, haberet. Sic herbis & plantis terram, ſic piſcibus aquam dedit. Quia itaq; locus in quo animalia reliqua, atque inprimis nos victuri eramus, erat aer cumprimis: voluit eum talis eſſe naturæ moderatę ſc. calidæ & humidæ, quæ cùm noſtra congrueret vita. Vt enim contraria contrariis curantur, ſic ſimilia ſimilibus nutriuntur. Ideo ad valetudinem vitámque conſeruandam, nihil magis valet, quàm aeris puritas, atq; bonitas. Quid enim ſimilius ſpiritui & ſanguini noſtro, quàm aer? Vterque enim humidus & calidus eſt. Raritas porrò aeris manifeſta eſt, quæ ex caliditate naſcitur. Calidi enim eſt rarefacere. Erat autem hoc non ſolùm congruum, ſed etiam neceſſarium, propter motiones, lationes, inceſſiones, omnes denique actiones noſtras. Niſi enim rarus eſſet aer: quomodo ad pulmonem perpetuò attrahi, noſtræque reſpirationi inſeruire potuiſſet? Quomodo etiam in eo viuere, gradi, loqui, & alia vitæ humanæ officia præſtare nos potuiſſemus? Raritas igitur hæc aeris perneceſſaria fuit; cùm animantibus omnibus, tum inprimis nobis hominibus.

Ex raritate ſequitur leuitas, quia quò quid rarius eſt, eò etiam leuius ſit oportet. Eſt autem aer ſicut moderatè calidus & humidus, ſic etiam mediocriter leuis. Summa enim leuitas igni ſoli conuenit. Sicut etiam ſumma grauitas ſoli terræ, mediocris autem, aquæ. Proinde aer, licèt ipſius proprium ſit adſcendere, quia leuis eſt, tamen etiam deſcendit ſæpenumero, cùm opus eſt, ne detur vacuum, quia mediocriter leuis eſt. Si enim foſſam facias in terra ne ibi detur vacuum, aer ſtatim in illam deſcendet, eámque implebit. Mediocriter igitur leuis eſt. Tenuis etiam eſt, vt tactui cedere poſſit. Quam hæc qualitas fuerit aeri neceſſaria, liquidò apparet. Niſi enim ita tenuis ipſe eſſet, vt non ſolùm tactui cederet, verùm etiam vt ne ipſe quidem tactu percipi poſſet, nihil reliquarum rerum tangi, odorari, guſtari, vllóve ſenſu percipi à nobis poſſet. Durities enim aeris, impediret omnes ſenſationes, quibus res alias percipimus. Nec ſolùm tenuis eſt, verùm etiam diaphanus, vt per illum recipi à nobis poſſint colores, & lux ipſa. Diaphanum enim *tranſparens* dicitur, qualis eſt & aqua & Chryſtallum, ſed magis diaphanus eſt aer. Niſi verò talis eſſet, ſpecies rerum coloratarum, figurarum, adeóque rerum omnium viſibilium, recipi in eo non poſſent, eóque nec ad oculos noſtros deferri. Ac proinde nihil à nobis videri poſſet. Quale igitur, quantúmque eſt hoc beneficium, quod Deus fecerit aerem corpus diaphanum? Quodnam ſpeculum inueniri hoc pulchrius, atque præſtantius poteſt? Imagines enim rerum omnium, perfectiſſimè, puriſſiméque in Hoc, hoc eſt, in aere, perſpiciuntur: quia res omnes tales defert oculis noſtris, quales ſunt in ſe ipſis.

2. De motu aeris non eſt cur multa dicamus. Proprius eius motus eſt ſurſum, quia leuis eſt, cuius proprium eſt ſurſum ſponte ferri. Circulariter verò, à motu cœlorum agitatur, & ita in perpetuo motu verſatur. Nihil verò in aere mouetur: quin ſimul & aer cum illo moueatur. Cedit enim corpori, quod in eo mouetur, eóq; ſe conſtringit, vt illi corpori moto cedat. Simulac verò, corpus ex illo loco motum eſt, aer eò actutum redit, ne detur vacuum. Semper autem aliquid mouetur in aere. In perpetuo igitur motu eſt aer. Rotunditas eius pendet partim à rotunditate ſphæræ ignis, à cuius conuexo continetur, partim à rotunditate aquæ ſimul & terræ: (Ex vtroque enim conſtare diximus ceu corpus vnum verè ſphæricum.) Quorum ſuperficie terminatur aer. Ac talem ſemper recipit figuram aer qualis eſt, ſui continentis. Ad omnem enim figuram accommodatur. Denique nullum eſt elementum: quod pluribus, maioribúſque alterationibus obnoxium ſit, quā aer. Teſtificantur hoc tot tātáque & tā varia meteora, quæ in eo generantur; de quibus poſtea dicemus.

Nam & ab infernis, terra ſcilicet & aqua: & à ſupernis, igne ſcil. & omnibus cælis & aſtris, alteratur aer variaſq; recipit impreſſiones, qualitates, influxus, figuras, motus, & quid nō? Proinde nullum etiam elementum in multas diuiditur regiones, ſicut aer: qui ideo in tres ſecatur à Philoſophis, quod in iis diuerſæ ſpectentur aeris diſpoſitiones, & affectiones: diuerſique in eis humores recipiantur: & diuerſa meteora ingenerentur: vt ſuo dicemus loco. Eſt igitur aer, maximè omnium elementorum alterabilis. Atque hoc de aere.

4. De Igne.

SVPREMVM, omniúmque nobiliſſimum Elementum eſt ignis in ſua ſphæra. Bifariam enim de igne loqui poſſumus, aut de eo, quatenus eſt in ſua ſphæra; aut quatenus apud nos eſt in materia craſſa.

THESIS I.

Ignis in ſua ſphæra, longè alius eſt, quam hic in terra.

IBi enim puriſſimus & ſimpliciſſimus eſt, ſine vlla aliorum elementorum mixtione. Eò enim vſque, non pertingunt, nec pertingere poſſunt. Hic verò impuriſſimus eſt: admixtus aëri: & ex aquæ ac terræ craſſioribus qualitatibus concretus: idque propter vſum noſtrum. In ſua ſphæra feruentiſſimus eſt, & ſummè ſiccus. Hic verò imaginem potiùs habere caloris & ſiccitatis iudicatur, quàm verū calorem & ſiccitatem, illius, quam habet in ſua ſphæra, collatione. Ibi ſubtiliſſimus & quaſi ſpiritus quidam corporeus magis, quam corpus eſt: eóque & inuiſibilis eſt noſtris oculis. Hic verò vt manifeſtum eſt, corpus eſt craſſum potiùs, quàm tenue propter admixtam aquæ etiam & terræ, ne dum aeris materiam. Proinde non ſolùm videri, verùm etiam tangi poteſt, ac contrectari. Motus eius inconſtans, fumo non caret, ſplendor purus non eſt, ſed rubeus. Diaphanus non eſt, ſicut aër & aqua: Edaciſſimus eſt, vtque ſe conſeruet opus habet alimonia. In ſua ſphæra nil edit. Eſt igitur maximum diſcrimen, inter ignem, quatenus in ſua eſt ſphæra: & inter eundem, quatenus apud nos, in materia craſſa recipitur. Neque enim diuerſæ ſunt ſpecies ignis: ſed vna & eadem, quoniam Deus vnum tantùm elementum ignis creauit. Sed diuerſitas hæc ex accidenti eſt. Quòd enim apud nos longè alius ſit, quàm in ſua ſphæra: habet hoc à materia ſubiecta, in quam recipitur. Ergo quæ de igne dicemus, de illo intelligenda ſunt, quatenus purum eſt elementum. Quæ enim per ſe & ex natura illi conueniunt: non autem quæ accipit ab inferioribus elementis apud nos, ea de illo conſideranda ſuſcipimus: nec ſumus deſcripturi ignem, niſi prout creatus à Deo fuit. Eſſe autem ſuper aerem & infra lunam, elementum ignis, etſi non defuerunt, qui negarint, vt L. Valla, & alij: quia ſcilicet ille neque videtur neque ſentitur, niſi ex effectis: ſed talibus, quæ illi etiam negant effecta eſſe ignis, ſuper aerem exiſtentis: tamen prætetquam quòd omnes philoſophi feſſi id ſunt: rationibus etiam firmiſſimis euincitur. 1. A quatuor primarum qualitatum συζυγίαις apertè demonſtratur. Conſtitutum enim eſt, eſſe illas quatuor: Calidum & ſiccum: Calidum & humidum: Frigidum & humidum: Frigidum & ſiccum.

Cùm autem manifeſtum ſit tribus poſtremis conſtitui tria elementa, aquam, aerem, terram, efficitur neceſſariò, prima συζυγίᾳ conſtitui ignem. Ac proinde ignem eſſe calidum & ſiccum: eóque & tenuiſſimum, leuiſſimúmque omniū elementorum: id quod etiam ipſius motus confirmat. Si omnium verò leuiſſimum eſt & tenuiſſimum elementū: ſupra aerem igitur ſit oportet. Leuioribus enim ſuperiora etiam loca debentur, ſicut natura docet. 2. Atque motus ignis qui apud nos eſt, idem euincit. Semper enim ſurſum aſcendit, in ipſo etiam aëre exiſtens: idque ſua natura: à nemine vel impulſus, vel pertractus. Subtilior igitur eſt aëre: Et ſphæra aëris, non eſt ignis locus: quia ibi quieſceret. Super aërem igitur, locus ignis proprius. Adde iam iis, rationem à meteoris ignitis quæ in ſuprema aëris parte generantur. Vndénam obſecro humores iſti, igniti fiunt, ſi ſuper aerem non eſt ignis? Nam à motu cœlorum, id fieri non poteſt: alioqui quicquid eleuatur in aëre, ignitum fieret, cùm omnia à cæli motu agitentur. Neque à radiorum ſolis reuerberatione: quia ij non reflectuntur in ſecundam aëris regionem, nedū in ſupremam. Neque etiam id oritur ex motu, aut ex virtute inferiorum elementorum. Inferiora enim non ita agunt in ſuperiora: vt ſuperiora in inferiora. Meritò igitur concludunt Philoſophi, omnia ignita meteora, ab igne, qui ſuper aërem

exiſtit,

exiſtit, ignita fieri. Quare citra controuerſiam à doctis omnibus ſtatuitur ignis ſuper aërem. Deſcribendus igitur nobis eſt.

THESIS II.

Ignis elementaris, corpus eſt valde ſimplex, percalidum, perque aridum, rariſſimum, atque tenuiſſimum, leuiſſimum, mobiliſſimúmque, ſumma vi generandi atque agendi præditum: omnis coloris expers, ac minimè lucidum: eóque in aſpectum non cadens, natura cœli ſimillimum: Lunæ globo ſubiectum, ſphæricum, à cœlorum motu celerrimè circumactum: denique nullius alimenti indigum, ac proinde ab igne, qui apud nos eſt, admodum diſſimile.

V*Alde ſimplex* voco: non quòd & ipſum non conſtet, ex materia & forma & duabus qualitatibus primis, vt reliqua elementa: ſed quia nihil habet in ſe ex aliis mixtum elementis permanétque puriſſimum; cùm nullum præter hoc, ſit verè purum, ſed mixta ſint omnia. Nec tamen propterea ita ſimplex eſt, vt cœli: cùm illi nulla harum qualitatum ſint præditi, quibus tam ignis, quàm reliqua elementa affecta ſunt. Comparatione igitur cœlorum, ſimplex non eſt, ſed collatum cum aliis elementis, perſimplex eſt: quia puriſſimum eſt elementum. Eſt etiam percalidum. Nihil enim frigiditatis aliunde excipit, neque à ſuperioribus cœlis, qui nec calidi nec frigidi ſunt: neque etiam ab aëre, qui potiùs calidus eſt ſua natura, quàm frigidus. Ergo percalidus eſt. Id quod inde etiam confirmatur: quia omnia ignita Meteora à ſphæra ignis inflammantur, in ſuprema aëris regione; quæ idcirco calidior eſt reliquis duabus, quia vicinior eſt igni elementari, imò illi contigua. Itaque dubitandum non eſt, quin ignis ille elementaris, calidiſſimus ſit. Si enim calidum ſua natura videmus eſſe hunc noſtrum ignẽ, idque in ipſa etiam materia frigida, vt in aqua & in terra: quantò calidior putandus eſt eſſe ignis ille elementaris: ab omni materia frigida purus ac vacuus? Eadem ratione, confirmatur illius ſiccitas, vel ſumma potiùs ariditas: ignis enim noſter, naturæ eſt ſiccæ: vnde etiam non exiccat minùs, quàm calefaciat. Multò maior igitur eſt elementaris ignis ariditas. Hinc etiam euincitur ipſius raritas atque tenuitas. Videmus enim noſtrum ignem, quò longiùs recedit à materia, in qua accenditur: eo etiam eum eſſe rariorem, ac tenuiorẽ: vt patet in ſuprema parte flammæ. Rariſſimus igitur eſt elementaris: Huc accedit quòd videri à nobis non poteſt, ſicut nec orbes iſti cœleſtes: idque propter ipſorum raritatẽ. Contrà verò videntur eorum Aſtra: quia partes ſunt orbium cœleſtium denſiores. Nam quò quid rarius ac tenuius eſt: eò etiam minùs viſibile eſt. Contrà quò quid denſius: eò maioris lucis ac coloris capax eſt; ideóque faciliùs in ſenſum oculi cadit. Adde quòd leuiſſimus eſt: id quod ſupremus locus, quem inter elemẽta occupat, apertè euincit. Leuia enim ſurſum feruntur, oritur autem leuitas ex raritate, ac tenuitate. Nam vt denſiora grauiora ſunt, ſic rariora ac tenuiora, leuiora etiam ſint oportet. Facit autem hoc caliditas. Calidi enim eſt rarefacere. Hinc quoque fit, vt ſit maximè mobilis. Nam quò quid leuius eſt, eò etiam citiùs ſurſum, velociúſque mouetur. Sua igitur natura mobiliſſimus eſt. Cuius rei fidem etiam facit noſter ignis, cui nullum elementum comparari poteſt, motus velocitate. Ac natura ita conſtitutum eſſe videmus, vt quò quid ſuperiorem tenet locum, eò etiam illud velocioris ſit motus. Ideò aqua, mobilior eſt terra in ſuo loco: aër, aqua: Cœli ſuperiores, inferioribus. Ergo etiam ignis, mobilior aëre. Summa etiam vi agendi & generandi præditum eſſe diximus. Facit hoc ipſius caliditas. Eſt enim caliditas magis actiua, quàm vlla alia primarum quatuor qualitatum. Ac videmus re ipſa inter animalia: quæ calidiora ſunt, ea etiam maiorem habere vim agendi, & generandi. Cur etiam primo vere, multò verò magis æſtate, arbores plus gignunt foliorum, florum, fructuum, quàm hyeme? Imò hyeme omni facultate generandi deſtituuntur. Quid ita? Quia calore deficiuntur. Calor igitur vim agendi, generandíque tradit. Vnde & ingenia frigida, minùs apta ſunt ad ſtudia, ad bella, ad magna negotia, quàm calida: Et ſenes minori vi agendi, & generandi, præditi ſunt; quàm iuuenes: quia frigidiores. Cùm itaque ignis calidiſſimus ſit: magna eum generandi & agendi vi præditum eſſe oportet; non quòd Ipſe gignat, ſed quòd vim generandi præbeat: ſicut etiam ſol ideò dicitur generare, iuxta illud: *Sol & homo generant hominem*: quia vim generandi homini præbet, præbet, inquam, tanquam cauſſa ſecunda, non vt prima. Vis enim generandi, propriè à Deo eſt, qui dixit, *Creſcite*, &c. Item, *germinet terra*, &c. Proinde quia ignis maximam vim habet agendi & generandi, Spiritus ſanctus, à quo regeneramur, & ad bona excitamur, igni comparari voluit.

Coloris expers eſt, & minimè lucidus, eóque in ſenſum non cadens. Rem ita ſe habere, manifeſtum eſt experientia; Nemo enim ignem illum vidit, aut videre poteſt. Quæ etiam cauſſa eſt, cur nonnulli negarint ſuper aërem ignem eſſe, quòd minimè luceat. Sed non cogitant iſti, lucem non poſſe ita in aliquo corpore recipi, vt illud viſibile reddat, niſi corpus ſit denſũ: & quò corpora ſunt rariora ac tenuiora, eò minùs eſſe viſibilia. Quæ cauſſa eſt, vt neque ita viſibilis ſit aer, quã aqua; quia aer rarior & tenuior eſt Aquâ, & Aqua Terrâ. Eadem cauſa eſt: cur ignis ille videri nõ poſſit: nõ quia procul diſtet, (videmus enim alioqui aſtra in octaua ſphæra:) ſed quia rariſſimus ac tenuiſſimus eſt. Idcircò verò noſter viſibilis eſt, quia in materia eſt craſſa: vt in ligno, aut candela. Ac quò magis recedit à materia craſſa: eò minùs videri poteſt. Quare ex eo, quòd videri non poteſt, Ignis ille Elementaris, ſtultè intulerunt, nullum eſſe ignem ſuper Aerem. Ergo etiam Cœli, ſi carerent Aſtris, quibus nobis ex parte viſibiles fiunt, negari poſſent eſſe ſuper Aërem. Quis enim orbes cœleſtes videre poteſt? Talis eſt & Ignis in ſua ſphæra. Proinde meritò diximus, *Ignem ſimillimum eſſe Cœlis*: nempe ſubſtantiâ tenuiſſimâ, rariſſimâ, puriſſimâ, maximè mobili, maximáque agendi vi præditâ: perfecta etiam ſphæræ figurâ. Denique vt Cœli, licèt maximè omnium agant in hæc inferiora: videri tamen à nobis non poſſunt: quia perfectiſſimè diaphani ſunt: ita etiam Ignis Elementaris, maximè agit in Aërem, & per hunc in hæc inferiora: interim tamen propter ſummam tenuitatem, nullius hominis ſenſu percipi poteſt.

Globo Lunæ eſt ſubiectum, illíque contiguum, probat ipſius leuitas: quia quò quid leuius eſt, eo etiam altiùs aſcẽdit, & leuioribus ſublimiora etiã loca à Deo conſtituta ſunt: grauioribus verò, inferiora. Eſt autem omnium Elementorum leuiſſimus Ignis. Subiectum igitur eſſe globo Lunę manifeſtum eſt. Nam ſupra Lunam eſſe non poteſt; cùm eiuſdem non ſit naturæ cum orbibus cœleſtibus. Hinc etiam ſequitur: eum figuræ eſſe ſphæricæ. Per ſe enim figuram non habet: ſicut neq; Aër, tenuiſſimus cùm ſit: ſed figurã accipit, aut à continente, aut à motu. Figurã pyramidalem quam in noſtro Igne cernimus, quum aſcendit: accipit à motu. Motus enim ſurſum, quia res tenuis aſcendendo acuitur; dat ei figuram hanc. Ille verò Elementaris, quia in ſuo eſt loco, nec motu recto in ſua ſphæra mouetur; idcircò figuram accipere non poteſt, niſi à ſuo continente. Nam cum omni prorſus carere figura, dari non poteſt, cùm & ipſe ſit corpus, eóque terminis clauſum: quod proprium eſt figuræ. Cùm igitur figuram ex ſe nullam habeat propter nimiam tenuitatem; carere autem non poſſit figurã, quia corpus eſt: à motu autem eam non accipiat, ſicut noſter: eam à ſuo tantùm continente accipiat oportet. Continetur autem à ſphæra Lunæ, continet verò ipſe Aërem, qui ſphæricus eſt. Sphæricæ igitur figuræ vtrinque eſt Ignis Elementaris.

Hinc quoque efficitur, eum à cœlis ſuo motu correptum, velociſſimè circumagi: velociſſimè, inquam, reſpectu aliorum Elementorum: non autem ſimpliciter, vel reſpectu orbium cœleſtium. Cùm enim omnes trahantur ab vltima ſphæra, hoc eſt, à primo mobili: quo ſublimiores, eóque viciniores ſunt primo mobili: eò etiam ampliores: & quò ampliores, eò etiam velociùs mouentur. Eodem enim temporis ſpatio omnes ab oriente in occidentem trahuntur. Plus autem ſpatij localis conficiunt eodem tempore, ſuperiores, quàm inferiores; quia longè ampliores ſunt. Qui autem eodem tempore, plus ſpatij conficit, quò etiam qui minùs: is velociùs hoc altero mouetur. Omnium igitur reliquorum mobilium Elementorum, quæ ſcilicet trahuntur à Cœlorum motu: velociſſimus eſt Ignis: & velociùs à Cœlis circumagitur, quàm vel Aër, vel Aqua. Deniq; nullius alimenti indigum eſt, quo foueatur, & conſeruetur: ſicut videmus hîc apud nos opus habere. Ratio eſt, quoniam in ſua ſphæra puriſſimus eſt: eóque in materia aliena non eſt, corruptioni, propter contrariam qualitatem, quam habeat cum igne, obnoxia. Cur enim ignis noſter conſumit materiam, in qua accenditur, vt lignum, ceram, & ſimilia? Quia talis materia, contraria eſt Igni: humida cùm ſit & frigida. Contrarium autem agit in contrarium ſibi appoſitum: dum in eo aliquid ſupereſt contrarietatis. Inde fit vt dum ignis in hac materia accenſus, eam perpetuò conſumit: ipſe quoque deficiente tali materia, cum ea ſimul deficiat, & euaneſcat. Proinde ſi conſeruari debeat, opus ſemper habet noua materia, in quam agat: & ita agendo, ſemper in nouam, in ea ſeruetur. Materiam hanc vocamus alimentum ignis. Vt enim alimento ſeruantur & augentur corpora

plantarum, & animalium: ſic noua materia combuſtibili, Ignis apud nos fouetur & augetur. Cùm itaque ignis Elementaris in materia aliena non ſit: conſumi non poteſt. Si non conſumi poteſt Ergo neque noua materia qua conſeruetur & foueatur, opus habere poteſt. Ex hac verò & ex aliis, quas explicuimus qualitates conditionéſq; Ignis Elementaris facilè liquet, quantum differat hic noſter ab illo. Hinc fit vt verè dicatur à Philoſophis, *nullum apud nos elementorum, purum eſſe:* quoniam neque noſter Ignis purus eſt: ſicut nec reliqua tria, Aër, Aqua, Terra. Id verò factum eſt ab optimo & ſapientiſſimo Deo, noſtra cauſſa. Nihil enim, aut certè parum, nobis eſſet vſui purus ignis. Nobis certè lumen præbere non poſſet: neque à nobis contrectari, propter ſummam ipſius raritatem. Itaque meritò ille, *Æther* nominatur: ἀπὸ τοῦ αἴθειν, & ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν: quòd ſcilicet & ſemper ardeat, ſine ſubiecta noua materia; & quòd perpetuò à cœlis rotetur. Hic autem noſter, dignus non eſt, qui Æther appelletur. Atque hæc de igne ſatis.

Hinc verò apparet, non ita abſurdum videri debere, quod à multis dicitur, quòd ſcriptura ait, *Impios cruciatum iri in ſempiternum ab igne:* hoc non eſſe intelligendum, de ſola apprehenſione iræ diuinæ, ſed etiam de igne materiali, quo corpora etiam ipſa cruciabuntur; neque tamen conſumentur: & ignis ille non extinguetur. Si enim vera ſunt quæ conclusimus de Igne Elementari; annon poterunt corpora impiorum, à tali Igne in ſempiternum cruciari? Eſt enim feruentiſſimus: ſcilicet non conſumat. adde præterea potentiam Dei. Si verò poterunt cruciari corpora, quid ni & animæ, propter coniunctionem cum corporibus ſympathiámque mutuam cruciari ab eodem poterunt igne? Nimis extenuant pœnas, quas Chriſtus hac voce Ignis ſignificare voluit: qui nomine *Ignis* nihil aliud interpretantur, niſi apprehenſionem iræ Dei contra peccata. Sed de iis aliàs.

Hactenus ex Moſis contextu didicimus, diſſerendum fuiſſe de vtraque Mundi parte: de cœleſti nimirum, & ſublunari ſeu Elementari. Nomine enim *Rachia* complexus eſt cœlos omnes: & Ignem atque aërem: Aquam verò diſtinctè indicauit & terram, quum dicit, *Deum dixiſſe, congregentur Aquæ in locum vnum & appareat arida.* Diſſeruimus igitur de Cœlis primùm: deinde de elementis, déque illorum natura & inter ſe tranſmutatione: & ad extremum vnumquodque deſcripſimus; Eſſentiam, naturam, & qualitates, proprietatéſque, vniuſcuiuſque, breuiter complexi.

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI PARTIS SECVNDÆ, LIBER TERTIVS.

DE METEORIS, QVAE NOMINE AQVARVM עליונים *ſignificata fuerunt.*

CAPVT I.

DISSERVIMVS hactenus de primis operum Dei omnium viſibilium principiis: déque communibus principiorum, adeòque corporum omnium Phyſicorum accidentibus: itémque de primis mundi partibus, Cœlis ſcil. & Elementis. Quia itaque ſatis dictum eſt de corporibus ſimplicibus, hoc eſt, de Elementis, déque ipſorum inter ſe mixtione, generatione: naturalis dicendi ratio poſtulat; vt ad corpora ex Elementis compoſita tranſeamus: déque ipſorum mixtione, ortu atque interitu: cauſiſque omnis motionis & generationis, & aliis ad eadem pertinentibus, deinceps ſermonem inſtituamus. Sunt autem corpora ex Elementis compoſita, duplicis generis: quædam, quæ *perfecta*, quædam verò quæ *imperfectæ mixtionis*, & *concretionis* vocantur. Perfectæ mixtionis, & concretionis dicuntur: quæcunque ex perfecta Elementorum admixtione naſcuntur: ac proinde quæ omnes primas quatuor qualitates conſequuntur; omnéſq; ſuas partes habent perfectè admixtas: veluti ſunt animalia & plantæ: *Imperfecta* verò vocantur, quæ ex imperfecta Elementorum mixtione generantur: eóque quibus aliqua deeſt quatuor qualitatum: & quæ omnes ſuæ formæ, propriáſque partes, admixtas non habent: qualia ſunt ea, quæ *meteora* vocantur. Itaque cùm corpus ſimplex eſſe definiatur, id quod materia & forma conſtans, duabus tantùm qualitatibus præditum eſt: compoſitum corpus id eſſe dicetur, quod Materia & Forma conſtans, pluribus quàm duabus qualitatibus præditum eſt. Et compoſitorum, ſeu concretorum corporum, aliud eſſe perfectum, aliud imperfectum. Perfectum id eſſe aiunt, quod naturæ ſuæ partibus omnibus eſt abſolutum: & ex omnibus primis qualitatibus conſtat. Imperfectum autem, quod è paucioribus.

Dicendum verò nobis eſt primùm de imperfectis; quæ ideò *meteora* ab Ariſtotele vocantur, quòd in ſublimi, hoc eſt, non in Terra, ſed in Aere pleraque omnia generentur. Pleraq; omnia inquam, non autem ſimpliciter omnia: quia nonnulla etiam intra terram generantur, vt videbimus. Deinde dicemus de perfectis: perfectorúmque generatione. Nam ſic etiam Moſes faciendum eſſe docuit: qui priori loco indicauit locum, vbi meteora, nubes, pluuiæ & alia id genus generantur: quum dixit, *Deum ſecunda die iuſſiſſe per Rachiah ſeparari aquas, quæ ſupra iam erant ad Rachiah ab aquis quæ infra.* Nomine enim *aquarum quæ ſupra ſunt ad Rachiah*, meteora ſignificaſſe Moſen: apertè ex Moſe ipſo demonſtrauimus. Ideò verò aquarum nomine, meteora indicauit, quia præcipua pars Materiæ, ex qua illa generantur, ſunt aquei humores ex aquis iſtis vi Solis & Cœlorum, in ſublime eleuati. Et quia hæc imperfecta ſunt corpora, atque ita imperfecta ſunt, vt Ariſtoteles ferè ea vocet in libris meteororum, τῶν ἀτελῶν Elementorum, ideircò de his primùm dicemus: ſicut etiam Moſes dicendum eſſe docet. Deinde dicemus de perfectis, veluti ſunt plantæ & animalia: quia etiam Moſes, poſtea de iis diſſeruit: vt quum ait: Deum tertio die dixiſſe; *Producat Terra herbam virentem*, &c. Et poſtea de animalibus.

De meteoris itaque nunc nobis diſſerendum eſt: quæ, & quotuplicia ſint, quæ ipſorum cauſæ, vbi generentur, qui ipſorum vſus, & alia cognitu vtilia quæque ad pietatem non parum valent, ſi ad verum vſum reuocentur omnia. Neque enim ſatis eſt nouiſſe, locum quendam, nempe hunc Aere deſtinatum à Deo fuiſſe meteoris generandis: ſed Chriſtiani hominis eſt, dare operam, vt quoad eius fieri poteſt, & vtile eſt, diligenter intelligat, quænam ſint hæc meteora, vnde generentur, per quas cauſas, in quos fines, quibúſve modis generentur. Nam Moſi ſatis fuit indicaſſe breuiter genera rerum. Sed voluit, vt porrò vnà in iis interpretandis, pro Chriſtiana pietate, & ſobrietate verſaremur quum poſſumus. Quoties, obſecro, Dauid in diligenti operum Dei naturalium contemplatione occupabatur, & tamen ſingulas creaturas ad Deum ſui autorem laudandum & celebrandum inuitabat: Et quot hiſce de rebus Pſalmos compoſuit, Eccleſiaſque reliquit? Mirum enim in modum afficitur pius animus horum operum Dei conſideratione, cognitione, ſcientia: & inde ad Deum laudandum, prædicandúmque accenditur: ſicut videmus contigiſſe ipſi quoque Danieli, & aliis piis viris. Ergo neque nos grauemur hæc opera Dei, adiuti ſincerioru m Philoſophorum auxilio, diligentius examinare: & eorum naturas cognoſcere: modò ſobriè id fiat.

II. Cæterùm, quia de corporum tam perfectorum, quàm imperfectorum mixtione & generatione diſſerendum nobis eſt. quædam adhuc vtriſque communia, præter ea, quæ antè de Elementis diximus, præfanda nobis ſunt: ac tum deinde ad ea, quæ meteororum propria ſunt, veniemus. Fecit idem Ariſtoteles in primo Meteororum. Non pauca, breuiter enim repetiit, quæ anteà fuſiùs in libro de Ortu, & interitu generatim explicarat: quoniam ea repetitio ad ſpecialem meteororum tractationem, rectè intelligendam, neceſſaria erat. Principio itaque hæc repetenda & retinenda ſunt in vniuerſum de Mundo, mundíque partibus.

1. *Mundum, hoc eſt, Vniuerſum, totúmque hoc corpus magnum, quod mundi nomine appellatur: è Cœlo, & ex quatuor Elementis veris corporibus, coagmentatum eſſe à Deo Opt. Max. conſtat.*

2. *Cœlum, etſi ex eadem Materia eſt prima, ex qua & Elementa, quia omnia ex primo chaos educta ſunt: diuerſa tamen ab Elementis eſt natura, propter longè diuerſam formam.*

3. *In cœlo igitur nulla ſunt Elementa, neque Elementorum qualitates: eóque neque Cœli, neque eorū aſtra, propriè loquendo, ſunt aut calida, aut frigida, aut ſicca, aut humida, niſi virtute,*

quaſenus

quatenus ſua virtute & motu, aut calefaciunt, aut exiccant, &c.

4. Quare Elementa omnia & ipſorum qualitates: infra orbem Lunæ ſint oportet.

5. Sunt autem Elementa cum ſuis qualitatibus materia, ex qua omnia miſcentur & generantur quæcunque generantur, & in quam etiam omnia reſoluuntur.

6. Cùm itaque & ſola Elementa inter ſe tranſmutentur, & ex iis ſolis omnia miſceantur & generentur. Elementa autem omnia infra Lunam ſint: Omnis etiam tranſmutatio, mixtio & generatio, atque & corruptio: & augmentum & decrementum. Omnis denique alteratio in finem vſque mundi: in hoc duntaxat ſpatio, quod infra Lunam eſt, fieri poteſt.

7. Porrò Elementa in iis, quæ ex ipſis fiunt. non vno & eodem modo inſunt: cùm in quibuſdam ſint, non actu, & ſuis formis, ſed tantùm virtute, & ſuis qualitatibus: vt in perfectè compoſitis: In aliis verò actu, & ſuis etiam formis. vt in imperfectè compoſitis, ſeu mixtis: vti ſunt multa meteora ignita, aquea, aërea, &c.

III. Atque hæc breuiter de iis, vnde omnia componuntur, miſcentur, generantur. Nunc quædam de ipſa mixtione & generatione.

THESIS I.

Mixtio, cùm ſit partium, quæ admiſcentur, vnitio: fieri illa poteſt, aut ita, vt partes omnes in mixto maneant actu, ſuiſque formis & figuris: aut ita, vt partes omnes maneant quidem ſuis formis, ſed non figuris, in mixto: Aut denique ita miſcentur partes, vt nulla earum, in mixto remaneat actu, & forma ſua, ſed tantum virtute: quod omnes partes in vnam ſubſtantialem formam ita vniantur: vt ex eis reſultet quoddam tertium corpus, quod ſit vnum per ſe.

EXemplum primum eſt, mixtio hordei, frumenti, ſpeltæ ſecalis, aliorúmque aridorum. Exemplum ſecundum eſt: ſi varia atterantur in minutiſſimas partes aromata: & ſimul componantur: aut etiam ſi aquam miſceas vino. Atque hæ mixtiones imperfectæ ſunt, & impropriè etiam dictæ mixtiones: & ad meteora multa pertinent. Exemplum tertij eſt, quum ex farina & aqua, fit panis: & cùm ex aqua, terra & igne, generatur lapis. In lapide enim non remanent hæc Elementa actu, vt liquet, ſed virtute tantùm, ſuis ſcilicet qualitatibus. Neque tamen etiam ſuis qualitatibus perfectè manent in mixto Elementa, quæ miſcentur. Nam in planta, exempli cauſſa, quæ ex Elementis componitur: non ineſt tanta caliditas, quanta eſt in igne per ſe, ſed remiſſa. Huius autem ratio eſt: quia Elementa, quum veniunt in compoſitionem mixti, agunt in ſe inuicem, & à ſe inuicem patiuntur ſuis qualitatibus contrariis. Vt, ignis ſua caliditate agit in frigiditatem terræ: & terra ſua frigiditate, in caliditatem ignis. Ita fit, vt agendo & patiendo inter ſe: vtriuſque Elementi qualitates in mixto maneant remiſſæ.

Si duo etiam fortes exercitus inter ſe diu pugnarent: vtriuſque vires tandem imminuantur oportet. Quòd ſi quis poſtea vtrumque capiat exercitum: habebit ille vtriuſque vires, ſed remiſſas, & infirmatas. Idem fit in compoſitionibus, & mixtionibus, ex Elementis in ipſo mixto, vt dictum eſt.

Eſt itaque Phyſica mixtio, miſcibilium Elementorum priùs ad inuicem alteratorum, in vna forma ſubſtantiali, vnitio: quia nec ſuis formis, nec ſuis qualitatibus intenſis, ſed tantùm remiſſis, in mixto remanent. Atque hoc eſt primum, quod de mixtione notandum eſt. Sequitur alterum, de iis quæ malè, & quæ bene miſcentur.

THESIS II.

Quæ faciliùs diuidi poſſunt, facilimè etiam poſſunt miſceri.

EST hæc certiſſima, vt exemplis iam patebit. Bene enim poſſunt miſceri, quæ ſunt parua; quæ verò magnæ ſunt qualitates, difficiliùs miſcentur: ſicut ſuprà explicatum eſt: faciliùs & meliùs miſceri aromata in minutiſſimas partes contuſa, quàm ſi craſſiora, & integra maneant. Et quò ſubtiliùs, & minutiùs confunduntur, eò etiam faciliùs & meliùs miſcentur. Faciliùs etiam miſceri poſſunt, quæ humida ſunt, quàm quæ arida. Faciliùs enim miſcetur vinum cum aqua, quàm frumentum cum hordeo, aut farina cum caſeo. Illa enim faciliùs diuiduntur.

Hinc etiam fit, vt quæ viſcoſa, aut vnctuoſa ſunt: licèt humida ſint, miſceri tamen non facilè poſſint: quia diuiſionem impediunt, eámque ferre non poſſunt. Vt mel & aqua, oleum & aqua: licèt ſint liquida omnia, miſceri tamen non poſſunt: quia neque diuiſionem inter ſe patiuntur.

THESIS III.

Quæ item à ſe inuicem pati non facilè poſſunt, ea etiam malè inter ſe poſſunt miſceri.

EXemplum adfert Ariſtoteles: de ſtanno & ære. Ab ære quia durum eſt, facilè poteſt pati ſtannum, quia molle: at verò non contra. Ideò malè miſceri ſimul poſſunt. Eadem de cauſſa in rebus moralibus: haud facilè coit amicitia, inter impares: inter eum, qui ſemper vult dominari, imperare, ferire, & eum qui nihil poſſit, niſi pati iniurias. Vnde illud, *Pares cum paribus, veteri prouerbio, facilimè congregantur.*

THESIS IV.

Differt autem mixtio à generatione, omníque alteratione.

NAm in generatione, Materia non miſcetur Formæ. Forma enim & Materia actu in re generata, manent: in alteratione itidem qualitates dici non poſſunt miſceri cũ ſuis ſubſtantiis: vt, albedo cum pariete: Albedo enim actu manet in pariete, & paries itidem manet. At verò in mixto, partes remanere acta non poſſunt: vt ſupra explicatum eſt. Atque hæc de iis quæ facilè, & quæ difficulter miſceri poſſunt: déque differentia inter mixtionem & alterationem, & generationem.

IV. Sequitur tertium de modo, quo ex Elementis mixtum generatur, ſiue perfectum, ſiue imperfectum: idque in genere: & quæ Elemẽta cum ſuis qualitatibus, in mixto maneant.

THESIS I.

Vt ex Elementis aliquid componatur, & miſceatur: neceſſe eſt, & Elementa ſibi ſimul eſſe proxima: & ne vnum ſit ſupra modum potentius altero.

PRimò coniungi non poſſunt, niſi in ſe inuicem agãt, eóque ſe tangant, & proxima ſint. vt ſuprà explicatum eſt. Secundò, ſi vnum ſupra modum ſuperet alterum qualitate contraria: potentius extinguet infirmius: aut conuertet in ſuam naturam: Non autem cum illo coniungetur, vt ex duobus componatur tertium. Exemplum, vt, ſi ſcyphus aquæ coniiciatur ſuper magnum ignem accenſum, non miſcebitur cum igne: ſed extinguetur ab igne, & in aërem ignémque vertetur. Vt igitur fiat mixtio, oportet, vt inter Elementa componentia, aliqua ſit proportio æqua & iuſta.

THESIS II.

Proportio autem iſta non conſiſtit in puncto indiuiſibili, ſed multos habet gradus: pro quorum varietate, varia etiam ex Elementis generantur.

EXplicatio à ſimili. Sanitas & bona valetudo hominis in æqua humorum proportione conſiſtit: non ita tamen, quaſi, ſi vnus humor aliquantum ſit altero maior, aut minor, confeſtim valetudo faceſſat, & morbus ſuccedat: alioqui perpauci ſani eſſent, cùm difficillimum ſit, corpus reperire, in quo humores omnes, ſint omnino coæquati & temperati. Habent igitur adæquatio & proportio humorum multos gradus. Nec dici poteſt quis ægrotus, niſi quum humores ita ſunt inter ſe inæquales, vt corpus exercere opera ſani non poſſit, & propter humorum nimiam inæqualitatem. Ita etiam de Elementorum proportione dicendum eſt, in mixtis. Tum dicuntur iuſtam habere proportionem, quando vnum materiã ita ſuperat alterum, vt illud corrumpat, & in ſuam naturam conuertat.

Cæterùm, quo plus vel minus humidi, aut ſicci, frigidi, aut calidi, venit in mixtionem: eò etiam magis perfecta vel imperfecta generantur mixta: vnde & variæ rerum ſpecies oriuntur.

THESIS III.

Eſt autem hæc iuſta proportio, ſecundùm omnes gradus, ſoli Deo perſpecta: proinde ſoli etiam Deo notum,

quid ex variis elementorum mixtionibus oriri poſſit.

THESIS IV.

Omne mixtum in terra reſidens: ex quatuor generatur elementis.

QVæ enim generantur vel infra terram, vel ſupra in aëre, non ex omnibus generari ſolent elementis: Ideo *imperfectè mixta* dicuntur, vti ſunt meteora. Quæ verò in terra: vt plantæ & animalia, ex omnibus generantur. Quod ſic explicatur & probatur.

Primò requiritur terra; Partes enim mixti perfecti, puta plantæ, neceſſe eſt eſſe ſolidas & firmas, non autem fluidas. Soliditas autem & firmitas, terræ eſt.

Deinde requiritur aqua: terra enim ſine aqua continuari non poteſt in ſuis partibus & conglutinari. Sicut neque ex farina ſine aqua, fieri poteſt panis.

Tertiò exigitur aër: Mixtio enim fieri debet ex contrariis inter ſe ſua mutua actione, qua vnum agit in alterum, alterando temperatis. Aër autem terræ opponitur vtraque qualitate. Vt igitur concurrit terra: ſic concurrat aër, terræ contrarium oportet; qui ſuis contrariis qualitatibus, caliditate ſcilicet & humiditate, temperet qualitates contrarias terræ; ſiccitatem ſcilicet & frigiditatem.

Eadem ratione probatur neceſſariò ad plantæ compoſitionem concurrere ignem: qui ex diametro pugnat cum aqua.

Eſt autem hîc obſeruanda magna Dei ſapientia, qui in his mixtis, quæ reſident in terra, vti ſunt plantæ, animalia, lapides, metalla; etſi ex omnibus quatuor elementis inter ſe temperatis, componi iuſſit: plus tamen terræ in eis eſſe voluit, quàm ignis, aut reliquorum elementorum: id quod nemo inficiari poteſt: & vt ex generatione ipſorum apparet. In quem verò id fecit finem? Ne à vi reliquorum, atque imprimis ignis, conſumerentur ipſa compoſita. Si enim, verbi gratia, tanta ignis quantitas eſſet in iis mixtis, quanta eſt terræ: cùm ignis maioris ſit efficacitatis, quàm terra: terram certè in mixto conſumeret, atque ita mixtum perfectum: imò ne miſceri quidem potuiſſet & generari. Etſi igitur videatur iniqua proportio horum duorum elementorum in animali, vel planta, quo ad quantitatem elementi vtriuſque; æquiſſima tamen eſt, quo ad vim agendi, & reſiſtendi in vtroque. Maiorem enim ignis quantitatem, compenſat maiori eiuſdem vi agendi. Et minorem terræ efficacitatem, compenſat maiori eiuſdem qualitate. Sic & Medici ſe gerunt in componendis medicamentis. Quæ maioris ſunt efficacitatis, ex iis parum componunt. Quæ verò minus habent virtutis, ex iis multum iniiciunt. Sic de ſimplicibus medicamentis. Quæ ſunt fortiora, vti eſt Rhabarbarum: eorum minores dant ægrotis quantitates. Quæ verò tenuiora, minoriſque virtutis, vti eſt Caſſia: eorum maiorem præbent copiam: vt maior quantitas, compenſet minorem virtutem: Ita Deus agit in mixtis his perfectis.

Manent autem elementa in mixto, non actu, & ſuis formis, ſed tantùm virtute, ſuiſque qualitatibus. Idque ſapientiſſimè factum eſt.

Si enim, verbi gratia; in homine ex elementis compoſito, manerent elementa actu, & ſuis formis: Ex iis non efficeretur tertium quoddam Ens, quod ſit vnum per ſe, nempe homo. Sed aceruus tantùm quidam eſſet elementorum: & Ens tertium per accidens. Ac ſi idem fieret in aliis etiam compoſitis, non differret vnum ab altero eſſentialiter, aut ſpecie. Eſt autem certa Philoſophorum propoſitio: Ex pluribus Entibus in actu, poſſe fieri vnum per ſe: ſed tamen, vnum per accidens. Proinde vt multa rerum genera eſſent in mundo; neceſſe fuit, Elementa, ex quibus omnia compoſita ſunt, & componuntur, deſinere actu id eſſe in compoſito, quod erant extra compoſitum. Cape craſſum exemplum. Vnde nam fit, vt ex tritico in farinam comminuto, & ex Aqua, fiat vnum per ſe, hoc eſt panis, qui eſt tertium quoddam Ens, à tritico & ab aqua ſpecie differens? Inde nimirum, quia neque triticum, neque aqua actu remanent in hoc mixto, quòd erant extra mixtum: ſed tantùm virtute. Et ſic fiat, quòd cùm omnia perfecta corpora ex iiſdem quatuor elementis compoſita ſint, diuerſorum tamen ſint generum & ſpecierum.

Imò ne qualitates quidem, quibus elementa manent in mixto. Eædem protinus ſunt actu & numero, in ipſo mixto, quæ erant in elementis, ſed diuerſæ. Apparet profectò manifeſtè, alium eſſe calorem, qui eſt in animali, quàm qui ſit in igne. Et tamen calor in animali, ab igne eſt, ex quo eſt compoſitum. Et id quidem meritò. Cùm enim Elementorum Formæ, non maneant actu in mixto: neque etiam eorum qualitates, eædem actu & numero in eo manere poſſunt. Sed corruptis eorum formis, corrumpuntur & horum accidentia. Et vt in mixto ſuccedit alia forma: ſic etiam alia accidentia ſuccedant neceſſe eſt: ſimilia tamen prioribus. Certa enim eſt hæc propoſitio Philoſophorum: *Accidentia non tranſire è ſubiecto in ſubiectum: ſed ſimilia tantùm generari.* Si enim, verbi gratia, ex vno igne, alium accendas; calor prioris ignis non tranſit in alterum; ſed ſimilis ingeneratur. Multò minùs igitur eædem qualitates elementorum tranſeunt in mixtum: cùm formæ elementorum in mixto corrumpantur. Sic in moralibus virtus & ſcientia parentis non tranſit in filium: ſed vt noua in filio generetur, neceſſe eſt. Sic, non eadem numero corruptio, quæ in Adam fuit poſt peccatum, tranſiit in liberos, ſed ſimilis in iis gignendis ingeneratur.

Atque hæc notata ſunto, de modo, quo & ex elementis miſcentur generantúrque alia corpora, & quo elementa manent in mixto.

V. De cauſſis porrò efficientibus omnis mixtionis, generationis, & corruptionis: dicam fuſiùs infrà, vbi Moſes ait, Deum dixiſſe, *Producat terra herbam virentem*, &c. Nunc vna Theſi rem abſoluo.

THESIS.

Poſt Deum, motus non tam cæli, quàm Planetarum ſub zodiaco, cauſſa eſt generationis & corruptionis in omnibus mixtis.

DE Deo nemo dubitat: cùm autor ſit primus rerum omnium, & primus motor: id quod etiam Philoſophi conceſſerunt: Vnde Ariſtoteles in 2. De generatione, probat: *Deum, primam generationis cauſſam efficientem eſſe.* Apud Ieſaiam autem 66. *Num ego, qui alios generare facio: ſterilis ero?* Deus igitur prima eſt omnis generationis cauſſa.

Motus porrò cælorum, ad generationem rerum concurrere, Deúmq; illis tanquam cauſſis ſecundis ad id vti: manifeſtum eſt, non ſolùm apud Philoſophos? qui ſtatuunt, omnia inferiora, pendere à virtute cælorum: verùm etiam apud eruditos Chriſtianos, idem eſt in confeſſo. Hoſeæ 2. Eſt elegans locus, vbi omnes cauſſæ generationis, ordine indicantur: Prima, id eſt *Deus*: ſecunda, *Cæli*: & tertia, *proxima cuiuſq; rei generalis in terra. Ego exaudiam cælos, inquit Dominus: Cæli exaudient terram: & terra exaudiet frumentum,* &c. hoc eſt. Ego dabo vim Cælis: Cæli, Terræ: *Terra: proferet & germinabit frumentum & alet.*

Cæterùm ad cælum quod attinet, non tam motus primi mobilis, cauſſa eſt generationis, & corruptionis: quàm motus Planetarum atque imprimis ſolis ſub zodiaco. Hoc inde manifeſtum fit: quia, (vt ipſe quoque Ariſtoteles 2. de Generatione teſtificatur, & experientia docet) quum aduenit ſol, vt primo vere, & æſtate, videmus plantas & arbores parturire omnes & generare: recedente autem ſole vt in autumno, & hyeme, ceſſant à generatione, & ad corruptionem accedunt. Deſinunt enim proferre fructus: abiiciunt folia, atque ita paulatim areſcunt, vt multæ penè mortuæ eſſe videantur. Idem videmus in auibus, gallinis, columbis, aliiſque animantibus ferè omnibus. Non ergo ſimpliciter quilibet Cæli motus: ſed motus Planetarum, & inprimis ſolis ſub zodiaco: cauſſa eſt tum generationis: quum ſcilicet ad nos accedunt: moti ſub ſignis arcticis: vt ſub Ariete, Tauro, Geminis: tum etiam corruptionis: quum ſcilicet à nobis recedunt, moti ſub ſignis meridionalibus, vt ſub Libra, Scorpione, &c. Si enim zodiacus declinat ab æquinoctiali, vt (Deo ſic ſapienter omnia ordinante) iuxta diuerſa tempora, diuerſæ generationes, corruptionesq; in Mundo inferiori fiant. Idem videmus in generatione meteororum: Ignita enim, vt cometæ, generantur potiùs æſtate: quum ſol efficax eſt in hæc inferiora, quàm alio tempore. Aquea verò, vt niues, pruinæ, pluuiæ, autumno & hyeme. Dubium igitur non eſt, quin motus Planetarum ſub zodiaco, cauſa ſint generationis, & corruptionis, tam perfectorum, quàm imperfectorum mixtorum, in hoc mundo. Ita videmus, quorſum Deus voluerit præter motum primi cæli: hos etiam diuerſos Planetarum, eſſe in cœlo: ad generationem nimirum in mundo, rerum omnium fouendam, conſeruandámque: & ad tam varia multipliciáq; rerum genera, in mundo excitanda: pérque varias vices generando, & corrumpendo, renouanda. Huius certè diuerſitatis cauſſa eſſe non poteſt ſolus primi mobilis motus. ſed varius Planetarum exigebatur. Eſt enim certiſſima propoſitio apud Philoſophos: *Idem ſemper manens idem, ſemper etiam parit idem*: hoc eſt, ſi aliqua ſit cauſſa in natura, quæ nullam in ſe mutationem, diuerſitatémque admittat: illa eundem ſemper, & eodem modo, parit effectum.

ctum. Atqui motus primi mobilis idem ſemper eſt, & uniformis manet. Non poteſt igitur cauſa eſſe tantæ in rebus diuerſitatis. Hoc autem verum eſt in cauſis naturalibus, non liberis. Etſi verò Deus idem ſemper eſt, & manet; quia tamen omnia agit non ex neceſſitate naturæ, ſed ex libera voluntate: idcirco nihil impedit, quin ipſe, prima & principalis ſit cauſa omnis talis diuerſitatis in rerum natura. Atque de cauſis generationis, & corruptionis, ſatis.

VI. Nunc de tempore, quo generatio, & res genitæ, duraturæ ſunt in Mundo.

THESIS I.

Generatio in Mundo, non poteſt eſſe æterna: eóque nec corruptio.

Etſi contrarium ſenſit Ariſtoteles, quia mundum ſentiebat vtrinque eſſe æternum: neque corporum reſurrectionem ad æternam vitam nouerat: Theſis tamen certiſſima eſt, quia iam nobis reuelauit Deus in ſacris literis. Veniet enim tempus, vt Chriſtus docet, quando homines neq; nubent, neque ducent vxores, eóque & reliquæ etiam generationes omnes ceſſabunt: & erit cœlum nouum. Neque vlla adfertur ratio ab Ariſtotele, quæ vllius ſit momenti ad ſuum probandum ſomnium: Natura (inquit) ſemper deſiderat quod melius eſt. Melius autem eſt, res ſemper eſſe, quàm non eſſe. Non poſſunt autem hæc generabilia ſemper in ſeipſis permanere, cùm ſint etiam corruptioni obnoxia: Ergo per ſucceſſionem generationis, ſemper maneant neceſſe eſt. Quare generatio perpetua.

Reſpond. Sed quis non videt falſam aſſumptionem? Minimè verò melius eſt, ſimpliciter, res generabiles ſemper eſſe, quàm non eſſe. Voluntas enim Dei, menſura eſt omnis boni: quia res aliqua eatenus bona eſt, quatenus voluntati diuinæ conformis eſt: eique ſeruit. In hunc enim finem omnia condita ſunt. *Propter ſemetipſum omnia creauit Deus.* Ergo aliquid eatenus bonum eſt, quatenus ad hunc accedit finem. Deus autem non vult, vt res omnes ſemper maneant: neque, vt quas vult ſemper manere, in eodem ſemper maneant ſtatu. Sed alias in meliori, vt electos, alias in peiori, vt impios. Vnde etiam falſum eſt, quòd ait, *non poſſe generabilia permanere ſemper, niſi per ſucceſſionem: eóque per continuam generationem.* Corpora enim noſtra, ac multò magis animæ, citra generationem ſemper manebunt: id quod & de aliis etiam rebus, præſertim de primis mundi partibus docet ſcriptura. Omnia enim renouabuntur: quia fiet cœlum nouum, & terra noua. Hoc autem & nobis & illis melius eſt: quàm ſi in ſolis tantùm liberis, per continuam, æternámque generationem continuemur. Ideò Apoſtolus Rom. 8. *Omnis creatura vanitati ſubiecta eſt non volens: ingemiſcit autem ac parturit vſque adhuc: expectans redemptionem filiorum Dei,* &c. Faceſſat igitur Ariſtotelea, cum ſua æterna & miſera generatione.

THESIS II.

Quicquid generatur, tandem etiam corrumpatur oportet.

Primò, hæc Dei eſt voluntas: qui eſt prima cauſa generationis. Secundò, ſi motus Planetarum, ſub certis zodiaci ſignis, cauſa eſt generationis, & ſub aliis, cauſa corruptionis, vt ſuprà probatum eſt: efficitur, omne quod generatur, illud etiam tandem corruptum iri. Ab ipſis quoque principiis rerum internis, quæ ſunt materia, forma, priuatio, idem confirmatur. Sed experientia ipſa, qua videmus omnia corrumpi, quæ etiam generantur, loco mille rationum, nobis eſſe debet poſt verbum Dei. *Omnia* (inquit Salomon) *vanitas: & nihil permanet ſub Cœlo.* Ac dixi, *quicquid generatur: illud etiam corrumpi.* Proinde anima rationalis non corrumpitur: quia neque generatur, ſed à Deo creatur.

THESIS III.

Omne corruptibile certam habet ſuæ durationis periodum, cùm diutiùs eſſe non poſſit.

In ſcripturis eſt Theſis, Deus enim cuique rei certos conſtituit terminos, tam temporum, quàm locorum, qui præteriri à rebus non poſſunt: ſed & ratio Phyſica hoc euincit.

Quicquid corruptioni obnoxium eſt, illud genitum eſt, Eſſéque recepit à prima cauſa, per motum cœli: (vt oſtenſum eſt,) & per eundem in Eſſe conſeruatur. Quicquid autē per motum cœli fit, & conſeruatur: certum etiam & definitum ſuæ durationis tempus habeat oportet. Accipit enim numerum & menſuram ſui eſſe, ex certis, hoc ſt, numeratis & menſuratis cœli reuolutionibus. Omne igitur corruptibile, numerum & menſuram ſui eſſe, eóq; periodum ſuæ durationis habeat oportet. Vt enim tempus eſt menſura motus, ſic motus cœli, menſura temporis. Et videmus veritatem huius Theſis in omnibus rebus: in roſis, in floribus, qui certo tempore durant, deinde pereunt. Ita de fructibus, & animantibus. Cæterùm, hæc rerum omnium periodus, non ita omnibus nota eſt, ſed Deo eſt perſpectiſſima.

THESIS IV.

Etſi verò omnia corruptioni obnoxia, certam habent ſuæ durationis periodum: non omnia tamen, vel rerum genera, vel cuiuſque ſpeciei indiuidua, eandem prorſus habent, ſed diuerſam.

Ac primò de rerum generibus, & ſpeciebus, res eſt manifeſta. Videmus enim quædam rerum genera, longiori, alia breuiori tempore durare. Longioris certè vitæ eſt homo ſuapte natura, quàm ſit equus, aut canis, &c. Elephantus verò longioris, quàm homo. Cauſa verò huiuſce differentiæ, primaria eſt Deus: qui ſic in natura ordinauit. Deinde verò à cælorum etiam influxibus, variiſque ſiderum & Planetarum aſpectibus non parum ad hanc rem deriuari, perſuaſum habeo. Proportio quoque loci continentis, cum corpore contento, plurimùm valet ad diuturnam vitam. Apparet hoc in herbis & plantis, quæ in vno loco plantatæ, feliciter creſcunt, & diu durant, in alio mox pereunt. Et hæ ſunt cauſæ externæ.

II. Cæterùm, ſi cauſas, in rebus ipſis inditas ſpectemus, ſunt illæ multæ & variæ, vt aliàs dicturi ſumus, Deo volente. In præſentia tenendæ ſunt hæ tres.

Prima, Durities cauſa eſt fortioris, & diuturnioris vitæ. Duriora enim magis reſiſtunt diuidenti, & corrumpenti. Idcirco ruſtici minus patiuntur, quàm nobiles delicati atque tenelli.

Secunda, Quò melior eſt humidi cum calido, & cum terreſtri ſiccitate commixtio, eò melior & diuturnior inde ſequitur vita. In humido enim & calido conſiſtit vita.

Contrà igitur, quò quid magis compoſitum eſt ex frigido & ſicco, conſumpto iam ferè naturali humido: eò breuioris illud fuerit vitæ. Id in ſenibus apparet, qui frigidi ſiccique ſunt, vt & terra.

Tertia, Homogenea diuturnioris ſunt durationis, quā heterogenea: vt lapides & metalla, quàm animalia. Atque hæc de rerum generibus. De indiuiduis quoque, idem manifeſtum eſt. Loquor autem *naturaliter*: remoto omni corrumpente extrinſeco, & violento. Videmus enim inter homines, alios citiùs, alios tardiùs mori. In cauſa ſunt poſt Dei voluntatem, varij ſiderum, ſub quibus nati ſunt, aſpectus, vt Aſtronomi ſentiunt, & verum eſſe cenſeo. Loci item continentis, cum indiuiduis contentis proportio, naturáque conueniens. Temperamenta Elementorum humorúmque mixtio, & bona naturæ (vt vocant) complexio. Ideo ſanguinei diutiùs viuunt, Melancholici citiùs moriuntur. Bona etiam vitæ ratio, non parum, imò multùm per omnem modum ad vitam prorogandum valet. Vult enim Deus, vt ſicut contraria contrariis curantur, ſic ſimilia ſimilibus nutriantur.

THESIS V.

Quod ſemel penitus corruptum eſt, illud idem numero, iterum generari naturaliter non poteſt.

Ratio Phyſica eſt, quoniam cùm res genita terminus ſit generationis: vbi duæ ſunt generationes, ibi duæ etiam ſint res genitæ numero inter ſe differentes, naturaliter neceſſe eſt. Fieri autem nequit, vt vna numero res, ſint duæ numero. Fieri igitur naturaliter nequit, vt eadem res numero, ſimul corrupta, altera generatione generetur. Proinde reſurrectio mortuorum, prorſus naturæ impoſſibilis eſt. Cæterùm, Deo naturæ auctori, nihil ἀδύνατον eſt: ſed quæcunq; vult, facit: vt etiam de principio, quicquid voluit, fecit.

VII. Nunc peculiaria quædam de meteoris præfanda ſunt.

THESIS I.

Omnium meteororum, ſicut & perfectorum mixtorum, efficiens cauſa poſt Deum, eſt motus Cæli & Planetarum, atque imprimis Solis ſub Zodiaco, vt antè explicatum eſt.

THESIS II.

Materialis, vapores ſunt vel humidi, vel ſicci admodum atque calidi, aut etiam frigidi, vt ſiderum, è terra vel aquis excitati. Tales ſunt, quos ſummo mane, vel ſub noctem è terra, vel è locis paluſtribus, & fluminibus excitari, & inſtar fumi, eleuari videmus.

THESIS III.

Formæ quæ in hanc Materiam inducuntur (vt deinceps explicaturi ſumus) multæ & variæ ſunt, prout ſubiecta Materia variè afficitur.

THESIS IV.

Fines quoque ſunt diuerſi: Omnes tamen ad gloriam Dei, inprimis: & ad commodum, vtilitatémque cum aliorum animantium, tum maximè hominum reſtringũtur.

THESIS V.

Porrò locus, vbi generantur, ferè aer eſt: quanquam nonnulla etiam ſubter terram generantur.

THESIS VI.

Sunt autem aeris regiones tres: in quarum ſingulis aliquot generantur meteora: reliquis in viſceribus terræ, genitis atque retentis.

HIc verò notanda eſt cauſſa cur diuidatur in regiones aër, & id non fiat de igne. Ea eſt ratio: quoniam ignis Elementaris, in ſua ſphæra, omnibus ſuis partibus æquabilis eſt: ex æquo ſubtilis & rarus, & ex æquo intentè calidus. Quomodo igitur in diuerſas diuidi queat partes? At verò aer, non vbique ſui ſimilis eſt. Ea enim pars, quæ contigua eſt igni, per aliquod loci ſpatium, calidiſſima eſt, æſtuátque propter ignis propinquitatem: id quod ex igneis meteoris apertè colligitur. Quæ verò à ſuperficie terræ aut aquarum pars incipit: & propter radiorum Solis reuerberationem per aliquod itidem interuallum aſcendendo calida eſt: quanquam non ita, vt ſuprema pars, igni vicina. Atque etiam hæc infima, quò altiùs aſcenditur, eò remiſſiorem habet calorem; id quod alti montes luculenter oſtendunt; vbi non tantus ſentitur calor, quantus in planitie. Ac tum etiam calidior eſt hæc infima pars, cùm Sol ſuis rectis radiis, eam ferit; vt æſtate; quàm cùm obliquis, & aliis autumni temporibus. At verò pars illa, quæ inter has duas eſt media: licèt ſua natura, ſicut & reliquæ duæ, calida ſit temperatè, quia hoc eſt commune toti aeri: tamen aliarum duarum comparatione ex accidenti frigida eſt: propterea quòd neque à ſphæra ignis, vt ſuperior; neque à reuerberatione radiorum Solis, ſicut inferior, calefieri poteſt, id quod apparet ex aquis & niuibus, quæ ibi generantur. Hæc prima eſt diuerſitas, nempe in calore accidentali. Altera eſt in humiditate, & ſiccitate itidem accidentali. Etſi enim totus àer vbique ſua natura humidus ſit, tamen in ea parte, qua attingit ignem elementarem: ex accidenti multum ariditatis ac ſiccitatis accipit ab igne: vnde & quæ ibi generantur ſicca ſunt, & ſicca deſcendunt. Ea autem parte, qua contingit aquas & terram: ex accidenti humidior fit aer quàm ſua ſit natura. Accipit enim humidos humores ab aqua: & à locis paluſtribus, terráque madefacta. Neque tamen hoc ſemper eodem modo. Aliquando enim humidior eſt, aliquando aridior, hæc infima pars: prout magis ac minùs à radiis Solis exiccantur humores excitati. At verò media pars, licèt ſua natura ſit, ſicut calida, ita etiam humida remiſsè ac temperatè ſua natura, & per ſe: tamen ex accidenti fit nonnunquam humidior ſolito, propter aqueos vapores, qui eò quidem vſque perueniunt: ſed à Solis radiis, qui eò vſque ſua reuerberatione non aſcendunt, areſieri non poſſunt. Neque etiam ab igne, qui eò vſque ſuam vim non ita demittit. Cùm itaque tanta differentia, tum caloris & frigoris, tum humiditatis & ſiccitatis, manifeſtè appareat in diuerſis aeris partibus, meritò Philoſophi aerem totum ſecarunt in tres regiones, in infimam, mediam, & ſupremam. Atque dixerunt, licèt totus aer ſit ſua natura, moderatè & calidus, & humidus: ex accidenti tamen, infimam regionem eſſe nonnunquam præter naturam, aut calidiorem, aut humidiorem, quàm eſſe debeat. Contrà ſupremam, eſſe ſemper, & ſupra modum, calidam: & ſupra modum ſiccam. Mediam verò, & frigidiorem, & humidiorem, quàm naturaliter illi conueniat, ſæpenumero eſſe. Atq; idem fit, vt pro diuerſis harum trium regionum qualitatibus & diſpoſitionibus, varia etiam in illis meteora generentur: vt mox videbimus.

THESIS VII.

Quatuor autem ſunt ad ſummam præcipua meteororum genera: Ignea, aerea, aquea, terreſtria.

IGnea ſunt, quæ in ſuprema regione aëris, ab igne ita inflammantur: vt naturæ igneæ facta ſint, quales ſunt Cometæ. Aërea, quæ ex vaporibus terræ ſiccis genita ad naturam tantùm aëris accedunt, vt venti. Aquea, quæ naturam aquæ retinent: vt pluuiæ, niues, &c. Terrea, quæ ex materia vaporum terreſtrium genita, è terra etiam effodiuntur: vt metalla, lapides, & foſſilia omnia. Licèt enim hæc foſſilia, ſint mixta perfecta, inter meteora tamen collocantur ab Ariſtotele: cùm ex vaporibus, vnde & reliqua, generentur.

THESIS VIII.

Duo porrò ſunt Elementa, è quibus materia tota omnium meteororum ſumitur, aqua & terra.

ETenim materia meteororum eſt humor, ſeu vapor & exhalatio quædam Elementorum: vi Solis excitata, & in ſublime eleuata: quam Ariſtoteles vocat ἀναθυμίασιν. Sola autem aqua & terra exhalationes emittunt. Cuius rei cauſa hæc eſt, quoniam, vt aliquod corpus exhalet, duo exiguntur. Primùm, vt partes habeat, alias craſſas, & alias ſubtiles, quæ à craſſis, vi alicuius calfacientis, ſeparari poſſint: ita vt ſubtiles aſcendant inſtar fumi: Craſſæ autem tanquam grauiores infra reſideant. Exemplum habemus in aqua igni appoſita. Fumi enim qui aſcendunt, dum ea bullit, nil aliud ſunt, quàm partes aquæ ſubtiliores, quæ vi ignis, à craſſioribus ſeparantur. Hanc ob cauſam ignis in ſua ſphæra exhalari non poteſt: neque terrea, quod partes omnes habet ſubtiliſſimas, nullas verò craſſas. Contra etiam lapis exhalari non poteſt aut metallũ, quia nullas partes habet ſubtiles, ſed omnes æquè craſſas. Secundò requiritur, vt ne partes ſubtiliores ſint nimis ſubtiles, ita vt ſubtiliores ſint omni vapore, nam ſic etiam exhalationes fieri non poſſent. Hanc ob cauſam purus aër non mittit exhalationes, quoniam (vt inquiunt Philoſophi) licèt ſit humidus & partes habeat alias craſſas, alias ſubtiles: ſubtilitas tamen vſque adeò rara eſt in aëre, vt omnem vaporis materiam, ſua ſubtilitate ſuperet. Ita fit, vt ex puro aëre, nullus vapor fieri queat, nulláve exhalatio. Aqua verò ideò exhalat, vt videmus: quia ſubtiles habet partes, & craſſas, à quibus illæ ſeparari poſſint. Ideò eius exhalationes, videmus eſſe fumo ſimiles. Terra itidem exhalat eandem ob cauſſam, ſed aridiores vapores: quales ſunt ἄτομοι, quos à Sole è terra excitatos per aërem volitare cernimus. Illi enim nil aliud ſunt: quàm partes terræ ſubtiliores. Ergo hæc duo tantum exhalationes emittunt: aqua & terra. Aër verò illas recipit: & de quorundam ſententia etiam ſphæra ignis: quod tamen non probo.

THESIS IX.

Duo autem ſunt prima harum exhalationum genera, è quibus omnia gignuntur meteora: vapor ſcilicet humidus ac frigidus: & vapor ſiccus, & frigidus.

ILle prior proprius aquæ eſt, alter terræ. Sed Ariſtoteles duplicem fecit ἀναθυμίασιν, exhalationem: ἀτμιδωδεστέραν: quaſi dicat, magis vaporabilem: πνευματωδεστέραν: quaſi dicat, magis ſpiritualem, quia ſubtilior eſt. Hæ duæ ſunt primæ, & per ſe exhalationes. Quædam tamen accedunt per accidens: vt quæ ex vtraque componuntur. Veluti eſt exhalatio ſicca & calida: excitata ex terra vehementer calefacta. Et vt eſt vapor humidus & calidus, excitatus ex aqua calefacta atque æſtuante & feruente. Cauſa porrò efficiens harum exhalationum eſt calor, quo aqua & terra à motu & lumine cœli, atque inprimis Solis calefiunt: vt ſuprà dictum eſt. Niſi enim calor accederet: huiuſmodi vapores non generarentur ex aqua, aut ex terra. Nam neque ex aqua ſupra focum poſita, exhalabit fumus: niſi ignem ſupponas. Idcircò ſemper etiam fiunt aliqua meteora in mundo: quia perpetuo cœlum & Sol, ſuo motu excitant vapores aliquot ex terra & aqua.

VIII. Dicendum eſt ad extremum, quæ ſit ſumma generationis meteororum omnium.

Omnia meteora generantur, aut ſine vapore, aut ex vapore.

SIne vapore quidem, vt quæ licèt appareant in aëre, aut etiam in vero cœlo: veluti galaxia, lacteus circulus, & alia: accidentia tamen potiùs ſunt, corporum lucidorum, quàm vt ſint aliquid ſolidæ ſubſtantiæ. Ex vapore autem vt omnia reliqua, quæ præter apparentiam, aliquid habent corporis.

THESIS II.

Quæ ex vapore gignuntur, alia ex vapore ſimplici, alia ex vapore non ſimplici, ſed qui in alio vapore ſit incluſus, generantur.

THESIS III.

Quæ ex vapore ſunt ſimplici, ea aut ex vapore ſicco & calido, inflammatoque gignuntur. Et talia propriè igni*ta vocantur: vt Cometæ. Aut, quæ ex vapore humido, & frigido: & hæc verè aquea ſunt, vt ros, pluuia. Aut denique ex vapore ſicco & frigido: vt venti, & terræmotus.*

THESIS IV.

Quæ verò ex vapore, qui ſit in alio vapore, vt in nube incluſus, generantur, ea duplicis ſunt generis.

QVædam enim generantur ex vapore ſicco terreſtri, qui incluſus in vapore humido, aqueo, nempe in nube, ita per huius conſtrictionem inflammatur, vt tandem perrupta nube, cum magno exeat ſtrepitu: vt tonitrua, & fulgura. Quædam verò ex ſimili etiam vapore, ſicco & frigido, qui in nube humida incluſus ſit, generantur: ſed ita, vt vapor ſiccus in humido incluſus, non inflammetur: quia magnam ab illo conſtrictionem non patitur. Atque ita exeat quidem cum aliquo ſtrepitu: ſed neque magno, neque cum ſplendore aliquo; talis eſt ventus turbinis. Hæc eſt ſumma eorum, quæ in genere de omnibus meteoris dicenda erant. Nunc ad ſingula genera veniendum eſt; atque inprimis ad ea, quæ ex vapore ſimplici. Deinde ad ea, quæ ex vapore, in alio vapore, vt in nube incluſo, generantur. Priori autem loco dicendum eſt de ignitis; quia hæc ſuperiorem tenent locum.

CAPVT II.

De ignitis, ſeu de primo meteororum genere.

TRADAM autem doctrinam generalem, ne ſingula cogamur ad amuſſim examinare.

1. Ignita meteora duplicis ſunt generis. Quædam verè inflammata & ignita ſunt: vt Cometæ, ſtellæ transuolantes, multáque alia. Quædam videntur inflammata eſſe, arderéque in aere: cùm tamen nullam habeãt veram realémq; inflammationem: vti ſunt nocturni ſplendores, ἅλως, galaxia. Dicam primò de primis, deinde de alteris.

2. Omnium verè ignitorum meteororum, vna eſt eadémque materia, eadémque efficiens cauſa. Materia eſt exhalatio ſicca & calida; quæ aliquando craſſior, aliquando minùs craſſa eſt. Efficiens prima, motus cœli, & Solis: altera, ignis Elementaris.

3. Formæ verò eorundem, diuerſæ ſunt & variæ. Diuerſæ enim fiunt, prout diuerſè etiam materia illorum inflammatur, variéque afficitur, atque diſponitur, vt in ſingulorum conſideratione perſpicuum fieri poteſt.

4. Omnia verò ferè in ſuprema aëris regione incenduntur. Quia enim hæc regio, propter vicinitatem ignis, calidior & ſiccior eſt, reliquis duabus, proinde, quicunque eò vſque eleuantur vapores, (Eleuantur autem ſicci tantùm) eos omnes in regione illa incendit, vicinus ignis, tanquam in ardenti fornace. Idque variis modis, pro qualitate & quãtitate (vt dictum eſt) materiæ eò eleuatæ. Dixi autem, *ferè*: quia nonnulla etiam accenduntur in inferiori regione à calore Solis vehementi, vt videbimus.

5. Omnia itaque ignita meteora, idem reapſe & ſubſtantia ſunt; nec differunt, niſi ſecundùm magis & minùs, figuriſque ipſis. Ariſtoteles meteor. 1. pag. 44. ταῦτα γὰρ πάντα ἐστὶ τὸ αὐτό. Διαφέρει δὲ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον.

6. Varietas autem figurarum, pendet partim ex materiæ quantitate diuerſa; partim ex diuerſo eiuſdem ſitu. Vbi enim plus aut minùs materiæ eleuatur; ibi etiam maiores vel minores apparent ignes. Et prout materia hæc eleuata ponitur, vel in longum, vel in latum, vel in orbem varias etiam figuras accipit. Proinde rectè Ariſtoteles docet hoſce ignes, ſeu ignita meteora, non differre, niſi figura, & magnitudine inter ſe.

7. Porrò duæ ſunt lineæ, ex quibus figuræ omnes componuntur: linea recta, & linea curua.

8. Hinc duæ etiam primæ ignitorum meteororum figuræ ſeu imagines, ad quas reliquæ omnes referuntur: figura nimirum Cometarum, & figura ſtellarum tranſcurrentium. Cometæ enim ad formam rectæ lineæ accedunt, pyramidales plerunque cùm ſint: ſemper autem longę. Stellæ verò ad curuam lineam: ſunt enim orbiculares, vt reliquæ veræ ſtellæ, quæ forma perfectiſſima eſt inter eas, quæ ex curuatis lineis componuntur.

9. Ad primam referuntur Cometæ: ῥάβδοι *virgulæ*, (vt Seneca vertit) δοκοὶ, *trabes*: δαλοὶ, *faces*: λύχνοι, *lucernæ*. Ad alteram figuram pertinent ἀστέρες διάττοντες: *ſtellæ traijcientes*: alij, *transuolantes*. *Helena ſtella*, & *Caſtoris* αἶγες, *capræ*. Et ſi quæ alia reperiuntur, huius generis μετέωρα. cum aliqua ſcilicet curuitate. Breuiter ſingula explico, præter Cometas. De iis enim fuſiùs dicam: quia horum ortu, natura, ſignificatione explicatis, reliqua omnia faciliùs intelligentur: quando reliqua etiam minùs ſunt nota, quàm Cometæ: quippe quæ à paucioribus etiam obſeruantur, quàm hæ ſtellæ comatæ, vel barbatæ.

1. Ῥάβδοι igitur, ſunt exhalationes terreæ, craſſæ, ſiccæ, calidæ: paulatim vi Solis in ſublime eleuatæ, & ab igne Elementari accenſæ, quæ figuram habent virgulatam, eóque ſunt ceu flammæ, raræ quidem illæ, ſed latè diffuſæ: ſerpente in longum igne: ſed diu non durante. Vnde & ab hac forma inflammationis in longum porrecta, & paulatim ignem accipiente, neque diu ardente, *ſtipulæ* à nonnullis vocantur, quòd celeriter ardere videantur, & citò deſinere. Cauſſa huius figuræ eſt: quia exhalatio hæc per aëris regiones aſcendendo, in longam veluti lineam paulatim protenditur; ita vt, poſtquam perducta fuerit in ſupremam aëris regionem; ibi non aliam figuram accipiat, quàm qua eò peruenerat: ſed tantùm accendatur. Ita videntur baculi quidam longi accenſi, vnde etiam vocantur ῥάβδοι. Differunt à Cometis, multis rebus: & maximè, quòd Cometę durent aliquot dies, ῥάβδοι autem breui tempore durant: vapore nimirum à vi ſuperioris ignis citò exhauſto. Tales noctu ſæpè æſtate generantur, & viſuntur in locis calidis, vt in Italia, & *ſtipulæ* vocari ſolent. Sic ferè definieris reliqua omnia ignita: mutata tantùm figura, ac quantitate materię.

2. Δοκοὶ, trabes, ſimiles ſunt ſuperioribus inflammatę exhalationes: ſed quæ inſtar trabium, latæ ſunt, & in longum etiam porrectæ, Plin. libr. 2. cap. 26. ſcribit, talem trabem accenſam apparuiſſe, cùm Lacedęmonij claſſe victi, imperium Græciæ amiſerunt.

3. Δαλοὶ *faces* nõ diſſimiles ſunt inflammationes, ſed quæ formam habent facis. Vt enim fax ab vna tantùm ardet parte, altera longiore, omnis ignis expertè manente: Sic etiam talis inflammatio, quę *fax* vocatur, ſe habet: Longa facit veſtigia, ſed priore tantùm parte ardet. Nec videntur (inquit Plinius) niſi cùm decidunt. Scribit Plinius libro 2. cap. 26. cùm Germanicus Cæſar, gladiatorum ſpectaculum ederet, ſimilem facem è cœlo decidiſſe in ipſa meridie: & omnibus ſpectantibus per medium populum percurriſſe. Alteram tamen, addit Plinius facis ſpeciem: quam *Bolidem* vocat. Hãc ait totam perpetuò ardere, & longiorem trahere limitem.

4. Λύχνοι, *lucernæ*, eiuſdem generis ſunt exhalationes, eodémque modo generantur: ſed quæ formam habent lucernarum, & candelarum. Superiori enim tantùm parte, inſtar candelarum accenſarum ardent. Et ratio eſt, quia cùm erecta ſtet talis materia longa, ſuperior pars duntaxat ab igne, primùm accenditur, qui deinde paulatim ſerpendo, totam tandem exhalationem conſumit. Ad hoc genus referri poſſent *linguæ igneæ*, quæ ſanctis Apoſtolis è cœlo deſcenderunt: ſi fuiſſent naturalia meteora. Certum eſt fuiſſe creatas in ſublimi à Spiritu ſancto: vt in eis ſuper Apoſtolos deſcẽderet. Verùm quando illud non fuit ex illis operibus Dei, de quibus agimus in præſentia, ſed ſpirituale: idcircò cum his illud non coniungimus: nec μετέωρον vocare volumus. Alia igitur quæ alterius ſunt figuræ, ex linea nimirùm curua procreatæ, breuiter explico.

5. *Stellæ traijcientes*, vel *transuolantes*: vapores ſunt itidem, non diſſimiles illis, de quibus dictum eſt. Differunt à ſtellis cadentibus è cœlo. Hæ enim materia craſſiores ſunt illis, ideóque & grauiores.

Cùm enim videamus illas ſtellas è cœlo, hoc eſt, ex aëre cadere, ignes ſint neceſſe eſt. Vnde apparet falli eos, qui putant, ſidera eſſe cœleſtia. Illa enim grauia non ſunt, ſicut nec illorum orbes. Et ſic intelligendus eſt Virgil. *Sæpe etiam ſtellas, vento impellente videbis Præcipites cœlo labi*, è cœlo, hoc eſt, ex aëre. *Trayeientes* illæ vocantur, quum vna accenſa in aëre, videtur aliam accendere, & hæc tertiam, ita vt tranſmittere vel traiicere lumen videantur ex vna in aliam: *Tranſuolantes* vocantur, cùm videntur in cœlo, & per cœlum volare. Cadentes autem de cœlo ſunt, quæ cadere videntur, quum tales humores decidunt. Quomodo illæ traiicientes ſtellæ generentur, duplex ratio ab Ariſtotele adfertur, lib. 1. Meteor. quarum prima eſt ex accenſione; altera ex eliſione, & iactu eſſe videtur. Vtraque autem egregiè exemplis explicatur à doctiſſimo F. Vicomercato.

Cæterùm non inficiamur, quin diuinitus etiam nonnunquam creentur à Deo: cùm ſymbolum ſuæ peculiaris præſentiæ exhibere conſtituit. Talem fuiſſe ſtellam, quæ apparuit Magis, non dubitamus. Naturalis enim non fuit. De ſtellis de quibus Matthæi 24. *tunc cadent ſtellæ de cœlo*: ne quiſpiam putet illas futuras eſſe ex horum numero, de quibus Ariſtoteles in Meteoris: De veris enim & cœleſtibus ſtellis loquitur Chriſtus: ſed intelligit eas caſuras è cœlo; hominum iudicio. Tantam enim futuram Mundi totius perturbationem, vt homines ſibi viſuri ſint videre, ipſas etiam ſtellas è cœlo cadere.

Pronunciant autem, vel potiùs ſignificant hæ ſtellæ, ſiccitatem: eóque & ſterilitatem, quæque has conſequuntur incommoda. Cùm enim ſint ex materia ſicca, ſiccam eſſe terram indicant. Significant etiam ventos: Quum enim tranſcurrant è loco ad locum: ſe de loco ferri demonſtrant; proinde argumento ſunt, turbatum iri ad aërem.

6. *Stella* autem *Helenæ*; *Caſtoris* item, *& Pollucis*, ſunt itidem non diſſimilis exhalationis, ſed craſſioris materiæ in figuram ſtellarum informatæ: inque infima regione, (de multorum ſententia) generatæ. Solent enim apparere nautis, vel ante magnas tempeſtates; vel in magnis tempeſtatibus: & inſidere velis & antennis aliiſque partibus nauiū: ſedem non ſecus atque volucres à ſede mutantes. Ac ſi ante tempeſtatem velo nauis inſideant; dicebant aliqui, ſidera eſſe Helenæ, & tempeſtatis ſubmerſioniſque prænuntiam eſſe. Si autem in tempeſtate velo & antennis nauis hęreant, aiebant ſidera Caſtoris & Pollucis eſſe: & ſalutem per ipſa prænuntiari. Sicut iam ſuperſtitioſi nautæ aiunt: quum hæc vident, ſe adiuuari à S. Nicolao, vel à S. Hermo: quaſi ſtellæ ſint è cœlo miſſæ ad ſignificandam ſalutem: cùm nil aliud ſiat, quàm vapores accenſi in aëre, qui à vento agitantur; & modò vni loco, modò alij hærent; & mox inde mouentur.

Tales ignes ſæpè viſi ſunt in cœmiteriis, vbi mortui ſepeliuntur: item circa patibula. Solet enim æſtate præſertim, ex cadauere ad ſuperficiem terræ, vapor ſiccus, calidus, viſcoſus vel vnctuoſus eleuari: qui citiſſimè ex calore Solis prope terram calefactam, inflammatur. Inde fit, vt talis ignis appareat. Atque hanc eſſe cauſſam talium ignium, manifeſtum eſt: quia in hyeme tales igneæ figuræ propter frigus non apparent. Tales etiam ignes quidam aiunt ſolitos fuiſſe videri ſupra caput equi, aut hominis velociter equitantis: horum quoque hæc ratio eſt: quòd ex veloci motu producatur in corpore currentis vehemēs calor. Inde autem vapor ſiccus, calidus & vnctuoſus, facilè eleuatur: qui in aëre etiam calido, citò inflammatur; atque ita ſupra caput currentis ceu candela quædam ardens vel ſtella apparet.

7. Ita etiam αἶγες, *capræ*, nil aliud ſunt, quàm ſimiles vapores, ſed in eam compoſitæ formam, vt capræ ſalientes eſſe videantur. Vnde & Medici pulſum ſalientem. *ſaltum caprinum* vocant. Aut αἶγες appellantur, quòd barbam caprinam habere videantur. Sunt enim αἶγες humores ſicci, & calidi, ab igne Elementari accenſi: in formam aut animalis, vt capræ, compoſiti: aut longi vtcunque alicuius corporis: quod ad latera habeat appendices ardentes: ſeu quòd longis radiis ardeat, ita vt barbam caprinam habere videantur. Tales enim ignes, cùm vndequaque ſcintillas mittunt, videntur barbas longas caprarum referre. Scribit Seneca talem fuiſſe eius ignis formam, qui, bellum aduerſus Perſeum Paulo gerente, lunari magnitudine apparuit. Imò ſe quoque non ſemel vidiſſe flammam, ſpecie ingentis pilæ: quæ tamen in ipſo curſu diſparuit. Et tale prodigium circa Auguſti exceſſum apparuiſſe.

II. Nunc de *Cometa* dicendum eſt, de quo cùm alij pleri que, tum maximè Ariſtoteles meteororum cap. 1. multa ſcripta reliquit. Ac recitatis priùs & refutatis antiquorum opinionibus: ſuam explicat ſententiam, in quatuor capita diſtinctam. Primùm enim explicat Cometarum ortum, ortúſque materiam, & effectricem cauſam. Deinde figurarum, quibus apparent diuerſarum cauſam, tum motum & ſitum, variáſque differentias, quemadmodum, & quando ſtella hęc comam aſſumere vel barbam videatur, & quando non videatur, tradit. Tertiò de eorum portentis agit: atque ex iis, quæ Cometarum apparitionem conſequuntur, confirmat ſuam de illorum ortu ſententiam. Poſtremò cauſam explicat, cur nec multi, nec ſæpè Cometæ appareant: & cur extra tropicos potiùs videantur, quàm intra. Nunc eius ſententiam, quia vero ſimilior, paucis complectemur, breuibúſque propoſitionibus.

THESIS I.

Locus ordinarius, vbi generantur Cometæ, ſuprema eſt aëris regio.

ORdinarium dico, quoniam aliquando in infima etiam regione generari, tradunt Philoſophi: id quod ipſorum vicinitas docet. Et tales craſſioris ſunt materiæ: & quaſi videntur non moueri.

THESIS II.

Materia, ex qua generantur, ſunt terrei vapores, ſicci, calidi & craſſi, quorum partes inter ſe bene cohærent.

TErreos, eóque ſiccos vapores eſſe dico: quoniam ſi aquei & humidi eſſent, in talem materiam, ignis ſuam inducere formam non poſſet. Deinde aio *eſſe calidos*: ex frigidis enim generantur venti, non autem ignis. Tertiò, *craſſos* eſſe contendimus: quoniam ſi ſubtiles eſſent, citò diſſoluerentur: nec tamdiu in eis duraret ignis. Cometæ autem durant per dies multos: Denique diximus, *horum vaporum partes bene inter ſe cohærere*. Hoc manifeſtè apparet ex figura Cometæ: Eſt enim ignita materia, bene inter ſe compacta. Atque hoc neceſſarium eſt. Eſt enim materia viſcoſa, & pinguis. Viſcoſa autem bene & tenaciter cohærent vt pix, & ſimiles. Hæc de materia.

THESIS III.

Efficiens Cometæ, duplex eſt cauſa, remota & propinqua.

REmota eſt Sol: Is enim radiis ſuis terram calefaciens, huiuſcemodi vapores, vt etiam alios omnes, è terra eleuat in ſublimem aëris locum: vbi igneſcunt. Proxima verò, eſt ignis Elementaris. Is enim ſuo calore, quia contiguus eſt ſupremæ aëris regioni: materiam in hac regione poſitam, aut in ignem conuertit ſtatim, ſi ſubtilior & rarior ſit: aut accendit, ſi craſſior, & viſcoſior. Lignum in igne non ſtatim vertitur in ignem, ſed primùm accenditur, & ardet aliquandiu. Multò minùs id facit ferrum. Quid ita? Quia materia eſt craſſa, denſa, dura: ſed tandem fit. Idem contingit vapori craſſo & viſcoſo, vnde Cometa generatur. Proinde Ariſtoteles ſic ait generari Cometam: nempe ſi contigerit in ſuperiori illo loco, vbi aëris eſt pars ſuprema igni contigua, materiam denſam ad ignem excipiendum idoneam, coactam eſſe, atque in eam ignis temperatus inciderit, hoc eſt, qui nec tam vehemens ſit vt materiam illam abſumat: nec tam debilis, vt ab ea citò reſtinguatur: ſed temperatè validior ea ſit, ac diutiùs durare poſſit: ſi inquā res ita ſe habuerit, materiam illam, ait Ariſtoteles, cùm accenditur, Cometam fieri. Vbi etiam notat, materiam illam ab igne in extremis partibus dilatari: ſed in medio denſam remanere. Ideircò videbis in Cometa, extremas partes, non ita lucentes, & ignitas, vt medium corpus: ſed eſſe inſtar nubecularum albarum & quaſi argentearum. Quia enim tenuiores ſunt: ideò etiam flammam habent tenuem, quæ inſtar argenti lucet.

THESIS IV.

Figura non ſemper eadem eſt, ſed varia, pro varia materiæ diſpoſitione, extenſione, aut contractione.

DVas præcipuas figuras ponit Ariſtoteles: *comam & barbam*: vnde & κομήτης, & πωγωνίας, ſeu πωγωνίτης à Græcis: à noſtris autem *crinita & barbata ſtella* appellatur. Accedit tertia figura, eáque etiam vſitata: cauda ſcilicet longa: vnde & *caudata ſtella* vocatur. *Comata* dicitur & *crinita*: cùm circumquaque radios lucentes, quaſi crines argenteos emittit. *Barbata*, cùm eos ab vna tantùm parte, nempe ab anteriori, hoc eſt, quæ verſus nos eſt, radios illos profert. *Caudata* verò vocatur, cùm tales radij elucent ei à parte tantùm poſteriori. Hæ ſunt præcipuæ Cometarum formæ. Plinius multas alias figuras recenſet; libro 2. cap. 25. vti ſunt,

ſunt. *Acontia*, (vtar eius verbis) *Xiphia, Ceratia, Hippas. Acontia* vocantur ἀπὸ τῦ ἀκοντίυ, quòd videntur quaſi iaculum quoddam citiſſimum, in terras à Ioue vibrari. *Xiphia* autem ἀπὸ τῦ ξίφυς, à gladio: quòd mucronis ſeu gladij formam habeant: pallidiſſimæ & ſplendidiſſimæ lucis exiſtentis pleni. *Ceratia*. à cornu; quòd certis quibuſdam cornibus diſtinguantur. *Hippei*, cùm ita ſunt compoſiti, vt equi formam referant. Sunt etiam (vt ait Plinius) qui facie humana apparentea, Dei effigiem in ſe oſtenient. Et aliæ figuræ leguntur apud Plinium, quarum ſingularum reddi poſſunt Phyſicæ rationes: ſed noſtri hoc non eſt inſtituti.

THESIS V.

Colores quoque quibus apparent, tres ferè eſſe ſolent, albus, rubens, niger.

RES eſt manifeſta ſenſibus, ſi quis eos obſeruet. Ratio verò horum colorum, à raritate & denſitate materiæ ſumitur. Aliquando enim vapor, ſeu materia Cometæ, ita in extremis ſuis partibus ſubtilis redditur ab igne: vt ignis flamma, in eis fiat alba; ſicut in paleis accenſis videmus: Et in aere, vbi lux propter aeris raritatem, alba eſſe videtur. Aliquando ita denſa eſt materia Cometæ, vt bene inflammari non poſſit: eóque rubicunda & ſanguinea eſſe videtur. Apparet hoc in materia quoque lignea bene denſa: & in ferro ignito. Denique aliquando materia eſt ita denſa & viſcoſa, vt non facile ignis in ea accendi queat. Ita niger fit; quia neutra pars vincit: hoc eſt, neque ignis, neque materia Cometæ. Exemplum habemus in ligno humido: in quod ignis, licèt agat; facilè tamen penetrare non poteſt. Inde fit, vt cùm iam aduſtum ſit lignum, deficientibus viribus ignem, illud nigrum concipiat colorem. Sic contingit materiæ Cometarum nonnunquam; ita vt videatur quædam nubes nigra, ſed in loco ſublimiore.

THESIS VI.

Tempus, quo apparet, ferè æſtas eſt, aut etiam autumnus: quo autem durare ſolet, breuiſſimum quidem, ſeptem eſt dierum: longiſſimum autem, octuaginta.

DE primo: Ratio eſt, quia æſtate abundat materia Cometæ, quæ debet eſſe calida, ſicca, non ita hyeme.

De ſecundo: teſtes ſunt hiſtoriæ. Et ita Plinius.

Qui verò ſcribunt, vt Seneca, Cometam aliquando viſum fuiſſe per ſex menſes, tempore Neronis; illis quidem credemus propter autoritatem: ſed quia idem nunquam prætérea legimus contigiſſe: idcirco quòd ait, vel verum fuit portentum, vel non fuit vera narratio. Ratio autem cur diu duret Cometes, à materia eius craſſa, dura & viſcoſa ſumitur. Ignis enim etiam apud nos diutiùs durat in materia dura, & viſcoſa, quàm in molli & fluida. Si quis verò interroget, quò abit, cùm deſinit apparere? Hac theſi reſpondeo.

THESIS VII.

Abit autem ſeu reſoluitur, vel in ignem, vel in aërem.

NAm idem videmus contingere materiæ ligni accenſi apud nos. Poſteaquam fuerit lignum bene combuſtum, tum in ignem vertitur, & in aerem.

De motu Cometæ, multa diſputant Philoſophi, ſed ego ſimpliciter, quid receptum ſit, breuitérque dicam.

THESIS VIII.

Motus Cometæ, curſum ſiderum primique mobilis ſequi ſolet, ab oriente in occidentem.

MOtus enim cœlorum, aerem, in quo eſt Cometa, ſecum impellit, eóque & cum aere Cometam. Nam commoto cœlo, neceſſe eſt & aerem, & quicquid in eo eſt, maximè verò quæ in ſuprema ſunt regione, commoueri. Hinc fit, vt vnde priùs motus eſt, eò redeat. Sicut & ſtellæ veræ propter motum cœli, quo rapiuntur omnia. Sed quid? Quòd aliquando viſi ſunt Cometæ, aliter moueri? Vt tempore Claudij & Neronis contigiſſe tradit Seneca. Claudianus enim Cometes à Septentrione, vbi primùm viſus eſt, in verticem ſurgendo, Orientem petiiſſe legitur, ſemper obſcurior. Qui autem viſus fuit tempore Neronis, in diuerſum illi, circumactus fuiſſe dicitur: quippe qui ab eadem parte ortus, in Occidentem tendens, ad meridiem deflexit: ibíque oculis ſe ſubduxit. Reſpondetur, aut fuiſſe Cometas non naturales, ſed portenta: aut non ipſos Cometas illis motibus fuiſſe motos; ſed ita viſos fuiſſe moueri propter aliquem nouum vaporem, in infima aeris regione excitatum: qui inflammatus Cometarum ſpeciem retulerit: Cometis paulatim fortè extinctis. Stat enim conſtans Philoſophorum ſententia: Cometas naturales, non alio moueri motu: quàm quo & aer, in quo ſunt. Sed dices adhuc: At videntur aliquando non moueri Cometæ: id quod etiam Seneca teſtatur. Reſp. Etſi non videntur moueri, mouentur tamen, ſed lentè, vt in regione infima; ſi quando ibi generantur: quod rariſſimè tamen fit.

THESIS IX.

Naturæ eſt ſiccæ admodum, eóque hominum conſtitutioni contrariæ atque diuerſæ.

COnſtitutio enim corporum noſtrûm bona, in temperato, humido & calido poſita eſt. Vehemens igitur ſiccitas & inflammatio Cometæ efficit, vt inimicus nobis ſit Cometes. Ac proinde nil boni portendat.

THESIS X.

Non multi autem ſimul, ſed vt plurimùm vnus tantùm apparet, atque is etiam rarè.

DIxi, *vt plurimum vnum tantùm apparere:* quia aliquando viſi ſunt duo, aut etiam tres ſimul, vt hiſtoriæ tradunt, ſed admodum rarò id contingit.

Ratio verò, cur & vnus tantùm, & is etiam rarò appareat: hæc redditur ab Ariſtotele, quòd licèt exhalatio ſicca, & craſſa, & calida conuenienter æſtate attrahatur à Sole, quæ eſt materia Cometarum, tamen hanc materiam contingit ferè diſſolui ac diſſipari à motu Solis & ſiderum. Non enim quæcunque attrahit Sol in ſublime, concreta manent, ſed ſæpe mox vi diſſoluuntur, & diſſipantur. Itaque ex tali materia generari non poſſunt Cometæ. Ac niſi hoc fieret, quotidie haberemus Cometas, æſtate & autumno. Quæ res certè commoda non eſſet humano generi, cùm, vt dictum eſt, Cometa aduerſetur noſtræ naturæ: Et cauſa ſit multorum morborum; & ſterilitatis, ſua ſiccitate & malignitate. Itaque beneficium eſt magnum, quòd rarò fiant Cometæ. Hoc autem beneficium, non tam cauſis naturalibus, vt motui Solis, qui talem materiam ſoluit: quàm Deo opt. max. adſcribendum eſt, qui humano generi bene vult, & optimè conſulit.

THESIS XI.

Neque tam intra tropicos, hoc eſt, ſolſtitiales circulos; quàm extra illos, oriri & apparere ſolent Cometæ.

HVius quoque rei, ab eodem Ariſtotele; redditur ratio: quòd, cùm Sol ſuo motu, non ſolùm materiam, Cometæ generando commodam attrahat, verùm etiam illam ſæpè diſſipet: ibi etiam maximè diſſipat, & diſſoluit; vbi maximè Sol ſuas exerit vires: & vbi magis viget virtus ipſius Solis. Viget autem maximè in ſolſtitialibus circulis, hoc eſt, intra tropicos. Proinde ibi non generantur facilè Cometæ.

THESIS XII.

Neque ita in regionibus frigidis, vt in calidis, eóque neque ita ad Septentrionem, vt inter Ortum & Occaſum: aut etiam ad Auſtrum oriri ſolitus eſt.

CAuſa eſt Phyſica, quoniam ſcilicet materia Cometæ ſicca eſt & calida. In regionibus ergo frigidis, & humidis admodum, non ita facilè talis materia cogi, & attrahi poteſt à Sole.

Hæc eadem cauſa docet; cur non ita hyeme, ſicut æſtate, & autumno appareant Cometæ, quòd ſcilicet deſit materia apta Cometæ generando, hyeme; non æſtate.

Hactenus de Cometarum loco; materia, cauſa efficiente, formis, coloribus, tempore, reſolutione, motu, natura, numero, breuiter dictum eſto.

III. Nunc de Cometę ſignificationibus ſeu Prognoſticis dicendum eſt.

De Cometarum Prognoſticis.

Conſtans fama, imò recepta, non tam vulgo, quàm etiam inter pleroſque doctos, magnęque autoritatis viros, ſententia eſt; cùm aliis ignibus meteoricis, tum maximè Cometis ſignificari bella, mortes Principum, peſtes, & annonę penuriam: vnde & Poëta ille cecinit, de Cometis, dicendo, *Illi etiã* (ſcilicet Cometę) *belli motus feráque arma minantur: Magnorum & clades populorum, & funera Regum.* Varię etiam hiſtorię, id confirmare videntur: multęque obſeruationes, atque experientię diuturnę perſpicuè docent.

Ptolemeus, vir magnæ eruditionis, & admirandę rerum cognitionis: in libro centum pronunciatorum, harum rerum pronunciationem, eámq; diſtinctam, Cometis tribuit. Pronunciatio enim poſtremo ſic ſcriptum reliquit; *Cometa* (inquit) *quorum intercapedo eſt quindecim ſignorum à Sole: ſi apparuerint in cardinibus regni alicuius, Regem, aut ex Principibus regni aliquem moriturum, pronunciant. Sin in loco ſuccedente: bene ſe habitura quæ theſauri eius ſunt: ſuum tamen adminiſtratorem mutaturum. Qui ſi in loco declinante: morbos ac repentinas mortes fore. Ac ſi ab occaſu moueantur ad ortum, externum hoſtem regiones incurſaturum. Sin non moueantur, prouincialem hoſtem futurum.* Sic ille. Quæ etiam verba citat F. Vicomer.

Certè rarò admodum Cometæ viſi ſunt: quos non ſit inſecutum malum aliquod ingens: bella ſcilicet maxima, regnorum mutationes, mortéſque Principum.

Exemplo eſt nobis mors Iulij Cæſaris; quæ bellum ciuile peperit. Illam præceſſerunt Cometę: de quibus Virgilius.

Non aliàs Cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere Cometa.

Exemplo nobis etiam eſt mors Neronis, paulò antequam moreretur ille nebulo, qui peſtis erat totius orbis, vt etiam nunc alij: *Cometes ſummè bonus* (vt Cor. Tacitus narrat) *apparuit, qui prænuntius fuit, mortis magni illius tyranni, & peſtilentiſſimi hominis.*

Beda vir doctus, & illa ætate presbyter venerabilis, ſcribit: *Sarracenis Gallias vaſtantibus, 14. continuis diebus duos fulſiſſe Cometas: vnam, qui matutino tempore Solem antecederet: alterum, qui veſperi, cum face ignea ſubſequeretur: Et vtrumque Aquilonem ſpectaſſe. Hos verò duos Cometas, maximus* (vt teſtatur P. Æmil.) *Caroli Metelli Francorum Regis cum Sarracenis conflictus ſequutus eſt: in quo conflictu ad trecenta & 70. hominum millia occubuerunt.*

Polydorus Virgilius in hiſtoria Anglicana, multos refert variis temporibus viſos fuiſſe in Anglia Cometas: quos grauiſſima bella, ſeditiones, cædes, peſtes, denique Principum mortes ſequutæ ſint.

Luithprandus, in libris de rebus per Europam geſtis, narrat Cometen miræ magnitudinis, ſub id tempus, quo Abdaramus Rex Sarracenorum à Radamito Galliarum Rege, bello eſt ſuperatus. Cometen, inquam, octo continuis diebus in Italia apparuiſſe. Hunc verò Cometen, non ita multò poſt, ſubſecuta eſt fames incredibilis: quę totam Italiam miſerè vaſtauit.

Exempla plura & vetera, & noua noſtrique temporis adferre poſſem, quibus idem confirmari poteſt. Italia teſtis eſſe poteſt, quæ poſt duos Cometas; vnum anni 1512. alterum, 1514. magnos bellorum tumultus, clades, vrbium direptiones, regnorum mutationes, experta eſt: vt apud hiſtoriographos noſtros videre eſt. Quid de Comete aliiſque ignibus, qui Venetiis paulò antequam à Turcis regnum Cypri caperetur, cũ tanta hominum, & virorum præclariſſimorum internecione viſi ſunt, dicemus? Nunquid tot hiſtoriæ, tot experimenta, & tot denique obſeruationes, nihil valebunt? Meo tempore, Argentinæ quum eſſem, ſpectatus fuit ab omnibus ingens Cometa qui verſus Galliam mouebatur. Et paulò pòſt ſequuta eſt mors Henrici: non ita multò pòſt, tumultus Amboſianus, & mors Franciſci: ac ſtatim bella ciuilia. Obſeruationes iſtæ nullo modo videntur eſſe contemnendæ: præſertim, cùm accedat etiam conſenſus multorum magnorum virorum.

Interim tamen multi in ea ſunt ſententia, cùm Cometæ, exhalationes ſint terræ & naturales; fieri quidem poſſe, vt aliquas generales, naturaléſque terræ qualitates deſignent, verùm, vt peculiariter indicent mortes Principum, regnorúmque mutationes, quæ non à cauſis naturalibus, ſed à Dei pendent voluntate: hoc neque fieri, neque ſine ſuperſtitione credi poſſe contendunt. Verùm iſti non cogitant, Deum vti ſolere cauſis ſecundis, atq; ideò ſignis etiam cœleſtibus, ad ſuam indicandam multis de rebus voluntatem: ſiue beneuolentiam, ſiue iudicia: & iram ipſius ſpectes. Res eſt naturalis, quòd multùm pluat: Sol enim eleuat vapores aqueos qui deinde verſi in nubes, in media aeris regione pluuiam faciunt. Contrà idem dico de nimia ſiccitate: vt quum Cœlum, hoc eſt, aer, non dat pluuiam ſuo tempore, vt tempore Eliæ. Naturalis enim cauſa eſt, quum Sol non eleuat aqueos humores, aut ſi eleuet, exiccat.

Quis tamen neget Deum aut nimia pluuia, aut nimia ſiccitate, ſuam aduerſus peccata patefacere iram? Cauſſæ ſecundæ inſeruiunt primæ. Proinde Dominus vtrũque coniungit in ſuis comminationibus: quum ait Deut. 28. *Dabo vobis Cælum æneum*, hoc eſt, efficiam, ne in aere condãtur nubes, quæ pluuiam vobis dent, ſed maneat ſiccum. Idem contrà dico de benedictionibus Dei. Ergo licèt Cometæ ex cauſſis generentur naturalibus; inde tamen non efficitur, quin appellari poſſint ſigna, & teſtes iræ Dei, aduerſus Mundum: quibus bella, peſtes, penurias, mutationes regnorum, Principum, aliorúmque magnorum virorum mortes, comminetur Deus.

Certè Chriſtus extremum impiorum exitium, quod futurum erat ad alterum ſuum ipſius aduentum, ſignificare voluit, ſignis cœleſtibus, cùm dixit Matth. 24. *Erunt ſigna in Sole & Luna, & Stellis: Sol obſcurabitur: Et Luna non dabit lumen ſuum: & tunc apparebit ſignum Filij hominis: & tunc plangent omnes tribus terræ*: quanquam quod ſignum erit iræ Dei impiis: erit ſignum perfectæ redemptionis filiis Dei.

Et antè Chriſtum ipſi etiam Prophetæ iiſdem ſignis vtebantur, ad iram Dei ſignificandam.

Ioel 2. *Dabo* (inquit Dominus) *prodigia in Cælo, & in terras ſanguinem & ignem, & columnas fumi antequam veniat dies Iehoua, magnus & terribilis.* Videtur alludere ad Cometas ſi non naturales, ſaltem ſupernaturales. Quæ enim, obſecro, ſunt hæ columnæ fumi? Sanguis & ignis? Ipſos Cometas interpretari commodè poſſumus: qui à materia quidem, ex qua ſunt, *fumi* vocentur. Sunt enim ex materia ſicca, & calida. A forma autem, quâ apparent, *columnæ* nominentur. Sunt enim oblongi. A qualitate vero quam accipiunt, *ignis* appellentur, ſunt enim igniti. A calore denique, quo apparent, *ſanguis* vocari poſſunt. Rubicundi enim & ſimiles ſanguini ſæpe videntur.

Hæc autem apertè Propheta commemorat, tanquam teſtimonia, prænunciáque iræ Dei. Sic iris oſtenſa Noæ Gen. 7. effectum fuit naturale: pro ſigno tamen vſus eſt Deus ad ſuam confirmandam promiſſionem. Quare hæc non ſunt inter ſe pugnantia: dicere Cometas, & alios ignes meteoricos effecta eſſe naturæ, & à cauſſis naturalibus proficiſci: & interim tamen hæc eadem effecta naturalia, ſigna eſſe ſupernaturalia iræ Dei, aduerſus tyrannos, aliósque ſceleratos homines.

Quid igitur abſurdi eſt, ſi quis dicat, cometas prænuncios eſſe ſterilitatis, peſtilentium morborum, grauiſſimorum bellorum ex Dei ordinatione?

II. Sed hic adde, naturaliter etiam poſſe ex iis cometis, ſi non apertè demonſtrari, ſaltem valdè probabiliter colligi hæc, quæ commemorauimus flagella Dei, famem, peſtilentiam, bella, mutationes regnorum.

A materia, vnde generantur Cometæ, quæ materia eſt ingens exhalatio, ſicca & calida, apparet manifeſtè, cùm per alios ignes meteoricos, tum maximè per Cometas, ſignificari magnam terræ ſiccitatem, & aduentitiam nimiam caliditatem: atque ita aerem ingenti materiæ calidæ & ſiccæ copia occupari, eóque quicquid humoris, ſeu vaporis humidi ex aquis, vi ſolis extrahitur: illud diſſolui, vt non poſſit in aquam, & pluuiam concreſcere.

Adde quòd ex copia ſiccę exhalationis, venti etiam excitantur, variique flatus: Naturaliter itaque & φυσικῶς, Cometæ ſignificant ſiccitatem, & ventos. Si enim Cometa diſſoluatur, in quid aliud diſſolui poteſt, quàm in ventos, hoc eſt, in ſiccam exhalationem, è qua conſtat ipſe: & è qua venti generari ſolent? Vnde illud: *Ventorum quoque certa dabunt ſibi ſigna Cometæ.* Proinde omnes Philoſophi vno conſenſu docent, cometarum apparitiones naturaliter conſequi ſolere ſiccitates magnas, & ventos vehementes, atque peſtilentes. Atque ideò magis, quò cometæ & plures, & crebriores, maioreſque apparent. Tota hæc doctrina Phyſica eſt, eóq; certiſſima. Quæ multis quoque exemplis, quorum aliqua citat Ariſtot. & quotidiana experientia, confirmari abundè poteſt. Vnde optimè concludit Ariſtot. dicendo: ὅταν μὲν ὦσι πυκνοὶ καὶ πλείους φαίνονται, ξηροὶ καὶ πνευματώδεις οἱ ἐνιαυτοὶ γίνονται ἐπιδήλως. Hinc verò quid ſequitur? Si anni ſint extremè ſicci, & calidi, atque ventoſi. Primò neceſſariò ſequitur terræ ſterilitas: eóque penuria annonę. Secundò efficitur etiam, vt humores in corporibus humanis, ad calidam & ſiccam intemperiem facilè reducantur: qualis eſt etiam inſecti aeris, qui nobiſcum viuit: & quales ſunt fructus, qui è terra extremè calida & ſicca proueniunt. Tertiò, in hac verò humorum intemperie, quid aliud expectari poteſt, quàm magna acutorum morborum graſſatio? Quartò ex eadem, tum aeris, tum corporum noſtrorum calida, & ſicca intemperie: fit, vt animi, qui συμπάθειαν habent cum corpore, facilè accendantur ad iram, ad contentiones, ad rixas & ad pugnas. Cùm verò Reges & Principes, exterìs ſint, & delicatiores, & animo etiam naturaliter elatiores humoréque habeant ad accenſionẽ magis accommodatos & faciles quàm alij: facilè contingit, vt talibus annis, ſiccis & calidis, citius & vehementius, quàm aliis temporibus, ad iracundiam Principes accendantur: ad contentiones, & ad vindictas, eóque ad bella in mundo excitanda. Hæc autem bella, ſæpè regnorũ mutationes ſecum afferunt. Non eſt igitur alienum à ratione, quòd ex cometarum apparitionibus viri docti, colligunt

futuras

futuras annonæ penurias, graues morbos, peſtilentias, bella, regnorum mutationes, & cùm aliorum multorum, tum maximè Principum mortes.

Notandum verò, non omnes Principes hoc incommodo affectum iri, quum apparent cometę, ſed de illis potiſſimùm, hæc probabiliter intelligenda ſunt: qui eam tenent partem, in qua cometa cernitur, & in quam ſpectat. Ac ne ij quidem omnes, aut ſemper hæc patiuntur, quæ cometes minatur: ſed ij comprimis, qui magis proni ſunt ad accipiendam talem humorum intemperiem: nempe calidam nimis & ſummè ſiccam. Et id multò magis, ſi ij Principes nullam vel exiguam habeant rationem valetudinis ſuæ: ſed gulæ, crapulæ, vino, libidinibus indulgeant: & à cupiditatibus atque ira, ſe vinci patiantur. Vinci autem ſe patiuntur, & ita ſe præcipites dant in hæc incommoda: quos Deus punire conſtituit, & vlciſci vult. Nam cenſeo, ſi non ſemper, ſæpè tamen cometas excitari per cauſas quidem naturales: ſed tamen ſpeciali Dei voluntate: vt iis ſua indicet iudicia, quæ executurus eſt in mundum, propter noſtra ſcelera. Non eſt enim res parui momenti, eóque contemnenda non eſt: quod obſeruatum eſt, iam inde à condito orbe; ſemper non ita multò poſt apparitiones cometarum excitata fuiſſe grauia bella, graſſatos lethales morbos, ſequutas magnorum Principum mortes, denique populos grauiſſima preſſos fame fuiſſe. Legantur hiſtorię: & qui de hiſce rebus longos ſcripſerunt commentarios: inter quos & Lycoſthenes in lib. de Prodigiis atque oſtentis, à condito orbe, vſq; ad ann. 1517. Vbicunq; narrat apparuiſſe cometam aliquem, aut alia cœleſtia potentia: ibi ſubdit ferè, quæ mala ſint ſubſecuta. Ergo iſta docent, non temerè contingere cometas, ſed ſingulari Dei iudicio: ac proinde Deum indicare velle ſua iudicia: idque quò magis ac magis ad pœnitentiam excitemur.

Ego itaque hanc de ſignificationibus cometarum quęſtionem ſic breuiter, tribus definio theſibus.

THESIS I.

Cometa, tametſi à naturalibus fiant cauſſis, ſolent tamen ad id à Deo ordinari, vt diuina eius iudicia per eos portendantur.

DEus enim naturalibus etiam effectis, ad ſuam vel beneuolentiam, vel iram mundo ſignificandam, vti conſueuit. Et, ſi non cadit capillus, &c. multo minùs cometæ.

THESIS II.

Porro naturaliter, primò & per ſe, ſiccitates, ventóſque noxios deſignant Cometa, præſertim ſi plures appareant, & crebriores.

EA enim ſignificant, ex quibus conſtant, & in quæ reſoluuntur: Conſtant autem ex magna copia exhalationis ſiccæ, & calidæ: quæ materia quoque ventorum eſt. Ac talium cometarum tempore, multi vapores ſicci in viſceribus terræ generantur, qui ſi non exeant, terræ motus, ſi exeant, ventos pariunt. Proinde meritò Philoſophi ex iis colligunt, aërem ſiccitate, ventiſque repletum, pluuiáſque impeditum iri: & annum futurum ſiccum, atque ventoſum.

THESIS III.

Ex conſequenti verò, & valde probabiliter, per hoſce Cometas, ſignificantur terræ ſterilitas, annonæque penuria, acutes morbi, & peſtilentia, plerunque etiam bella, & principum mortes, regnorúmque mutationes.

POſitis enim cauſſis, plerunque ſequuntur effecta. Aëris autem terræque nimia ſiccitas atque caliditas, ſterilitatis cauſſæ ſunt: eoque & penuriæ annonæ. Materia quoque terreſtris, ſicca & calida, eáque copioſa, inficere ſolet aërem, is autem infectus, corpora etiam, quæ in eo degunt, inficit, variéſque ac peſtilentes in eis morbos gignit. Ad hęc: corpora & nimia aëris caliditate inflammata, bilem accendunt: hæc verò ad iracundiam, eóq; ad contentionem, vindictam, pugnas, prælia. Hæc autem plerunque cauſſæ ſunt, cur fortes generoſique, adde & delicati Principes moriantur: vel morte violenta, in pugnis: vel naturali, ex nimiis tum animi moleſtiis, tum laboribus corporis: quibus Principibus ſublatis, regnorum & principatuum mutationes contingere ſolent.

Ceterùm, quia omnia ex Dei voluntate pendentiis autem, ſicut vlciſcitur ſcelera, ſic miſeretur reſipiſcentium. Idcirco cometæ Chriſtianis piíſque hominibus, metuendi non ſunt: ſed ex illis potiùs ad veram pœnitentiam, fidémque in Ieſum Chriſtum; animari debent. Cometæ enim, ſicut ſunt ceu feciales Dei, aduerſus impios: ſic precones ſunt eiuſdem apud pios; quibus eos ad veram reſipiſcentiam, & fidem hortatur.

Atque hæc de Cometa ſatis: ex quibus omnibus talem colligere poſſumus definitionem:

Cometa, exhalatio eſt multa, ſicca, calida, denſa, & craſſa: quæ vi ſolis in ſupremam aeris regionem euecta, ibique ab igne elementari inæqualiter accenſa, ita vt aut crinita aut barbata vt plurimum eſſe videatur: à motu Cœli agitata mouetur, ipſóſque ſtellarũ motus conſequitur: magnam terræ ſiccitatem caliditatémque, & ventos naturaliter primò & per ſe ſignificans: Ex conſequenti verò annonæ penuriam, grauéſque morbos, aliáque incommoda, ex Dei ſæpenumero ordinatione prænuncians: quo nos præmoniti, & peccatis reſipiſcamus. Ac de verè ignitis huc vſque: ſequitur

CAPVT III.

De non verè ignitis: Hoc eſt, de variis quæ in cœlo cernuntur, nudis imaginibus atque coloribus.

DIximus ſuprà, duo eſſe genera eorum, quæ generantur in Cœlo, ſeu in aëre, quædam enim generari ex veris vaporibus & hæc vera eſſe corpora meteorica, veluti ſunt omnia verè ignita, de quibus huc vſque diximus. quædam ex multis quidem generari vaporibus, & meteorica corpora conſequi, ſed non eſſe corpora, verùm accidentia potiùs corporum: veluti ſunt multæ imagines atque colores, qui in cœlo, aëréque à nobis cernuntur; & quæ ignita eſſe videntur, ſed non ſunt. Itaque duo quodam modo poſſumus dicere, eſſe Meteororum ignitorum genera: vnum eorum, quæ reuera, ſicut apparent, ſic etiam ſunt ignita: alterum eorum, quæ apparent quidem, ſed non ſunt: veluti ſunt multi cruenti colores, hiatus foueæ, & alia id genus: Vtrumque tamen ad opera Dei pertinet.

Diximus de primo genere, quantum ſatis fuit, & ſatis eſſe debet Chriſtiano homini. Dicendum nunc eſt de altero genere. Multa enim huius generis eſſe, quæ ſcilicet appareant in Cœlo, cùm tamen non ſint id, quod apparent, manifeſtum eſt. Videtur coloratum cœlum, modò cœruleum, modò album, modò rubrum: cùm tamen nullus verus ibi ſit color. In iride varij videntur eſſe colores: cùm tamen non ſint reuera. Videtur ſæpe cœlum eſſe perforatum, habere foſſas, & hiatus: cùm nihil minus habeat. An non & Aër, videtur albus: & mare cœruleum? Non ſunt tamen: cùm ſint corpora diaphana, incrnminata. Legimus in hiſtoriis, viſos aliquando fuiſſe in cœlo exercitus armatorum hominum inter ſe pugnantium: gladios, lanceas, profluentes ſanguines: quin & tubas fui ſe auditas, quæ claſſicum canerent: & alia id genus multa. Non dubito, quin ſæpe fuerint hæc verè in aëre à diabolis excitata, vt præſertim illa, quæ leguntur contigiſſe Romanis, & aliis ſuperſtitioſis dæmonéſque colentibus gentibus. Sed tamen plerunque etiam à cauſſis illa fuiſſe naturalibus, quibus fit ſæpè vt multa, etiam apud nos in terra id eſſe videantur, quod non ſunt, dubitandum non eſt. Remus in aqua contortus eſſe videtur, & non eſt. Cauſa tamen huius falſæ imaginis, naturalis eſt: radius ſcil. Solis reflexus, atque refractus. Sunt etiam picturæ tales, quæ videntur habere altiſſimas profunditates, prominentéſque montes; cùm nihil minus habeant: quippe quæ ſunt in plana tabella, aut in muro depictæ. Cauſſa tamen cur ita videantur, naturalis eſt: colorum ſcil. diuerſorum, accommodatè figuræ appoſitorum temperamentum. Quid mirum igitur, ſi idem contingat in aëre, præſertim in ſuprema altiſſimaq; eius regione: & nos ideò egregiè fallamur, quia harum rerum cauſſas ignoramus? An non etiam ſæpè ita venti alliduntur ad res ſolidas, præſertim ſi in iis ſint aliquæ concauitates & cauernæ, vt ſonos edant, qui videantur alicuius eſſe vel feræ vel tauri: putabant tamen Antiqui, aut terram mugire: aut tauros Dei ſacros eſſe, qui illos ederent ſonos. Refert Cæſar, quo die Pompeium bello Pharſalico ſuperauit, Antiochiæ in Syria bis tantùm exercitus clamorem, & ſignorum ſonum exauditum fuiſſe; vt ad muros armata ciuitas deſcenderet; perinde atque ſi iam adeſſent hoſtes: cùm tamen voces eſſent & ſtrepitus, in aëre excitati: vel à diabolis, vel à cauſſis naturalibus. Hæc & alia tam de vocibus auditis, quàm de exercitibus, montibus, armis, variiſque imaginibus in Cœlo viſis, leguntur. Quorum cauſſas qui ignorant, portenta eſſe iudicant, cùm tamen

ſæpenumero res ſint naturales, & à cauſſis naturalibus profectæ. Ergo horum quoque operum Dei naturalium rationes nobis, cauſſæque ſunt conſiderandæ, & cognoſcendæ: ne harum ignoratione fiat, vt ſuperſtitione aliqua, ſicut vulgaribus hominibus contingit, ſeducti, putemus eſſe miracula, quę effecta ſunt naturalia.

Dicam autem de coloribus imaginibúſq; omnibus in cœlo apparentibus: tam eorum Meteororum, quæ ex ſimplici vapore, quàm eorum, quæ ex vapore in alio vapore, hoc eſt, in nube incluſo, generantur. Etſi enim de prioris generis coloribus agit Ariſtoteles in 1. Meteor. lib. de poſterioris verò, in 3. diſputat. Quia tamen omnes, tam ij, quàm illi colores, quandam habent ignis ſpeciem (ſunt enim omnes colores, cumprimis ex igne luminoſo) eóque ad ignita Meteora pertinent: Conſultiùs iudico, ſi de omnibus ſimul, quàm ſi ſeparatim diſſeram. Quædam porrò primùm in genere præmittenda ſunt de coloribus, ac tum demum veniam ad cœleſtes, ſeu meteoricos: Difficiles hæ ſunt quæſtiones; & ideo pluribus verbis à Philoſophis tractantur: verùm nos breuiter tantùm ſummam tradituri ſumus: quatenus ſatis eſt, ad cognoſcenda hæc etiam Dei opera: quæ in aëre quotidie operatur, & quæ certè admirabilia ſunt: ſed à paucis conſiderantur, vt conſiderari debent.

Eſt enim in iis, ſicut & in aliis operibus omnibus, contemplanda inprimis admirabilis Dei ſapientia. Hæc verò ex parte perſpicitur: ſi cauſſas rerum tam admirabilium intelligamus. Age igitur.

2. De Coloribus in genere.

THESIS I.

Colores, Latinis dicuntur à colendo: quòd ſint cultus, & ornamentum cuiuſque corporis: Vnde & orationum ornamenta apud Rhetores colores Rhetorici *vocantur.*

THESIS II.

Omnes autem colores, aut veri ſunt, aut tantùm apparentes.

VEri ſunt: qui corporibus terminatis & intrinſecis ipſorum principiis, reuera inſunt, quibus conſpici poſſint. Eſt enim hæc mirabilis Dei ſapientia, quòd vt res à ſe creatę conſpici à nobis poſſint: aliqua coloris ſpecie, ſine qua, ſicut etiam ſine luce, nihil videri poteſt, eas ex ſuis ipſarum principiis, è quibus conſtant, affici ornaríque voluit: vti eſt color albus, proximus luci; & niger, ſimilis tenebris: & deinde qui ex iis componuntur: rubri, cærulei, cæſij, virides & alij propè infiniti. Qui ergo realiter inſunt corporibus terminatis colores, per quos opera externæ lucis conſpici poſſunt: ij veri vocantur, & ſunt colores. Apparentes autem duntaxat illi ſunt, qui aut ex veris terminatorum corporum coloribus in aliis terminatis corporibus generantur: id quod multis mirificiſque fit modis: vti ſunt apparentes colores, qui in ſpeculo, ex oppoſitis illi veris coloribus reſplendent: aut qui à luce, vel corpore lucido, in corpore interminato gignuntur: vt qui apparent in aqua, vel aëre, cùm videntur cærulei, vel rubei. Et quales denique ſunt omnes meteorici colores.

Dicam primùm aliquid de veris: vt inde meliùs dignoſcantur apparentes.

THESIS III.

Verus color igitur, eſt (vt Ariſtoteles definit in lib. de Senſu & ſenſ.) extremitas perſpicui in corpore terminato.

EXplico nunc, quid ſit corpus terminatum, & quid porrò corpus perſpicuum.

Duplex eſt corpus: terminatum & interminatum. Terminatum eſt, quod propria figura, & propriis terminis per ſe terminatur. Talia ſunt omnia corpora ſolida: vt inter Elementa ipſa terra. Et deinde quæcunque è terra ſunt; aut ex quatuor Elementis compoſita, vt lapides, metalla, animalia, arbores, &c. Interminata dicuntur, quæ per ſe nullam habent figuram, aut non terminantur, niſi terminis alicuis, alicuius ſcil. corporis ſolidi: talia ſunt omnia fluida: Aer, aqua, & ſimilia, quæ terminis ſe continentium, & non alia ratione terminantur.

Perſpicuum verò corpus dicitur, quod luminis eſt capax, quo perſpici poſſit. Quod etiam duplicis eſt generis: vnum eorum eſt, quæ ex ſe nullum habent lumen, neque illam qualitatem propriam, quâ per ſe videri perſpicique poſſint: ſed ſi videri debent, neceſſe eſt, vt lumine non à ſuis internis principiis producto, ſed aliunde accepto, & in ipſis non ſuperficie tenus duntaxat, ſed per totum corpus recepto, videantur. Talia ſunt omnia corpora, lucis quidem capacia, ſed interminata: hoc eſt, ſimpliciter tranſparentia: quæ propriè *diaphana* appellantur: veluti eſt aër, & aqua, quæ ex ſe nullum habent lumen aut qualitatem, qua videri poſſint: ſed per lumen in eis, quanta quanta ſunt, receptum videntur.

Alterum genus eſt eorum perſpicuorum, quæ lumen qualitatémque propriam, qua videri poſſint, ex ſuis internis principiis, ex ignis ſcilicet, & terræ, aliorúmque Elementorum, è quibus compoſita ſunt, contemperatione, productum in ſe, hoc eſt, in ſua habent ſuperficie. Talia ſunt primùm ignis, non in ſua ſphæra. (Eſt enim ibi inuiſibilis) ſed in materia terrea: vt in ligno, &c. Deinde omnia ex Elementis compoſita: vt lapis, planta, &c.

Tertio itaque loco notandum eſt, lumen, quo corpora fiunt viſibilia, duplex eſſe: proprium internúmque, & alienum, atque externum. Internum eſt, quod ex qualitatum luminoſi ignis, & opacæ terræ attemperatione, in corporibus, generatur. Vbi enim eſt ignis: ibi aliqua ſit lux, neceſſe eſt, quia ignis apud nos luminoſus eſt. Vbi verò terra, ibi opacitatem eſſe oportet. Eſt enim opaca. Ex lumine autem & opacitate, omnis generatur color. Proinde non immeritò verus color, dicitur eſſe lumen: Et illud quidem proprium atque internum. Externum verò, & alienum lumen, eſt illud, quod aliunde, hoc eſt, à corpore luminoſo, accipitur, acceditque corpori: vt viſibile ſua natura corpus, per illud lumen, actu videri queat: qualis eſt lux ſiderum, maximè Solis, & lux ignis, quæ accidunt corporibus omnibus. Vt igitur lumen, quod, verbi gratia, in aëre eſt, propriè qualitas eſt, ab extrinſeco recepta, in toto corpore diaphano interminato: ſic color, qui, verbi gratia, eſt in lapide, lumen eſt in ſuperficie corporis terminati; non ab extrinſeco receptũ; ſed naturalem ipſius corporis terminati, compoſitionem conſequens. Omne enim verè coloratum, ex Elementis compoſitum eſt. Ita vera apparet Ariſtotelis definitio: *Color eſt extremitas perſpicui, in corpore terminato.* Hoc enim perinde eſt, atque ſi dicas: Color, eſt lumen (quo ſcilicet corpus fit perſpicuum) in extremitate (hoc eſt, in ſuperficie) corporis terminati: (non enim actu perſpicuum, & viſibile eſt corpus terminatum, niſi in ſuperficie.) Ideo dixit, *in extremitate*, hoc eſt, in ſuperficie; non autem *in profundo*. quia in profundo, non eſt actu viſibilis color, ſed tantùm δυνάμει. Ideo & Pythag. dicebat, colorem eſſe ἐπιφάνειαν; hoc eſt, apparitionem in ſuperficie. Sed adde definitioni particulam, qua explicetur, vnde ſit corpori color ſeu lumen in ſuperficie, vt hæc ſit plena definitio.

Color eſt lumen in ſuperficie corporis terminati: naturalem eius conſequens compoſitionem. Hac enim particula diſcernitur hoc proprium & natiuum corporis lumen, quod coloris nomine ſignificatur; à lumine alieno, quod ei aduenit à Sole, vel ab igne; ſine quo illud proprium videri non poteſt. Hoc enim alienum non eſt ei à principiis internis; illud verò proprium & natiuum, à corporis ipſius perſpicui principiis eſt. Ita naturalis tantùm & verus color definitus eſt; qui corpori terminato ineſt per ſe & primò. Nam quòd poſtea alius ei obducatur color, vt quum paries pingitur variis coloribus; hic color non eſt ei naturalis, nec ineſt per ſe, ſed ex accidenti. Sic Plato, naturalem cuiuſque corporis colorem definiuit, quum dixit in Timæo: *Color eſt quaſi flamma quædam, & fulgor, à ſingulis corporibus* (ſcilicet terminatis) *emanans: partes habens vi ſua, ad ſentiendũ* (paſſiuè; hoc eſt, vt ſentiantur) *accommodatas.* Pulcherrima & plena eſt hæc Platonis definitio. Primò docet naturam & originem coloris: cùm eum vocet ceu flammam, & fulgorem. Docet autem eſſe lumẽ quoddam, quo ipſum corpus videri queat; & hoc proficiſci, cumprimis ab igne, ex quo vna cum aliis Elementis compoſitum eſt corpus viſibile. Flamma enim & fulgor ab igne ſunt. Secundò diſcernit natiuum colorem & lumen, ab extraneo: dicendo, à ſingulis corporibus emanans. Eſt igitur à principiis intrinſecis, eóque ineſt corpori per ſe. Extraneus autem ex accidenti. Tertiò docet proprium coloris effectum, qui eſt, efficere, vt ſingulæ partes corporis terminati, licèt actu videri nequeant, niſi externum quoque lumen accedat, ſua tamen vi & natura accommodatæ ſint ad videndum, hoc eſt, vt viſibiles ſint. Nunc tenemus, quid ſit naturalis color, *Eſt lumen in ſuperficie corporis opaci, ex principiis internis eiuſdem corporis proficiſcens.*

THE-

THESIS IV.

Generantur autem omnes colores, ex luce ignis, & ex opaco terræ, ac pro diuerſa horum duorum, inter ſe proportione, diuerſa etiam colorum genera oriuntur.

VT hæc intelligantur, notandum eſt primò, ad rationem coloris duo requiri: lucem natiuam ipſius corporis colorati, in eius ſuperficie; & opacum eiuſdem corporis, lucem illam in corpore terminans. Hoc liquet ex coloris definitione, à nobis explicata. Eſt enim color, lumen in extremitate corporis terminati: terminatur autem per opacum vnumquodque corpus. Lux porrò naturalis in corporibus, ex igne eſt: opacitas autem, ex terra: Ita primæ theſeos membrum, apparet verum: colores ſcilicet ex luce ignis, & ex opaco terræ generari. Proinde ſecundo loco notandum eſt: ex quatuor Elementis, è quibus omnia hæc perfecta corpora componuntur: vnum eſſe, à quo ſit lux: hic eſt ignis. Eſt enim luminoſus ſua natura. Vnum, à quo ſit opacitas, lucem in corpore terminans: hæc eſt terra: Et duo *διάφανα*, in quibus recipitur lumen, aër, & aqua. Sicut ergo ex varia quatuor Elementorum mixtione, variæ proficiſcuntur corporum perfectorum complexiones, atque naturæ, pro ratione calidi, & frigidi, humidi, & ſicci: ſic ex varia proportione luminoſi ignei, & opaci terrei in diaphano aqueo & aëreo eiuſdem corporis, diuerſi oriuntur ſurgúntque colores, in corporibus mixtis, perfectis & terminatis. Vbi enim plus lucis igneæ eſt, minus autem opacitatis terreæ, lucem in diaphano aëreo, & aqueo receptam, obumbrantis & terminantis; ibi naturaliter generatur albus color. Vbi autem oppoſitum fit, ibi generatur niger color, qui minus habet lucis. Nigredo enim priuatio eſt albedinis, eóque lucis. Albedo enim lux eſt, & lux, albedo quædam. Ex iis verò duobus primis coloribus, albo & nigro, reliqui omnes naſcuntur, eatenus inter ſe magis & minus diuerſi: quatenus etiam magis & minus participantur albedine atq; nigredine. Atq; hæc in genere de verorum colorũ natura, origine, diuerſitate. Quæ cognitio, ad ea quæ de apparentibus in aëre coloribus dicenda ſunt, perneceſſaria eſt. Duo enim ſunt colorum genera: Verorum vnum, eorum ſcilicet, qui apparent in corporibus mixtis terminatis: Et non verorum alterum: nimirum eorum, qui apparent in ipſo aëre, corpore verè diaphano.

3. Quia verò plerique omnes ij apparentes in cœlo colores, fiunt in nubibus: quaſdam alias theſes addo de nubibus. Hæc igitur eſto

THESIS V.

Nubes, exhalatio eſt copioſa in media aeris regione collecta: quæ à calore interno, quo excitata eſt, in illo aere ſuſpenſa tenetur: aerea ferè natura & ipſa exiſtens.

THESIS VI.

Nubium autem, aliæ ſunt craſſiores, eóque magis opacæ, aliæ tenuiores, eóque minùs opacæ.

RAtio huius diuerſitatis in nubibus, ſumitur ex variis vaporum generibus, vel craſſiorum, vel tenuiorum, vel aridiorum, non humidiorum, ex quibus illæ generantur.

THESIS VII.

Lux porrò Solis, aut Lunæ, aliorúmque ſiderum, vel etiam ignitorum, quæ ſupra nubes, in vltima aeris regione exiſtunt, in nubes infra ſe poſitas, irradiat, vt liquet.

THESIS VIII.

Nunc autem ex luce & opaco, color verus, in vero mixto & perfecto corpore, generatur: (vt dictum eſt.) Et pro lucis & opaci inter ſe proportione, varij generantur colores, vt ſuprà quoque viſum eſt.

THESIS IX.

Ergo apparentium quoque in cœlo & in aere colorum varietas: à varia tum lucis (vel ſidereæ vel meteoricæ, hoc eſt, alicuius igniti meteori:) tum nubis, in quam reſulget lux, inter ſe proportione, proficiſcitur.

APparet hoc apertè, cùm Sol aut oritur, aut occidit. Si nubes quæ inter ipſum Solem & nos interponitur, tenuior ſit, lux Solis, quæ in hanc nubem irradiat, colorem apparentem gignit albiorem. Si craſſior verò ſit nubes, color apparet vel magis vel minùs rubicundus.

THESIS X.

Eſt autem duplex nubium, ad Solis aliorúmve ſiderum, accenſæque exhalationis lucem, poſitio atque ſitus. Ac proinde duplex etiam ratio, qua colores omnes in aere apparentes generentur.

AVt enim nubes inter ſolem, accenſámve exhalationẽ, & inter noſtrum aſpectum, rectà eſt interiecta; aut illis adiacet ad latera, vel etiam è regione poſita eſt.

Si ergo primo ſe habeant modo nubes, tum colores, qui in nubibus apparent, fiunt in illis, à luce, κατὰ διάκλασιν, hoc eſt, per quandam veluti fracturam radiorum ſolis, vel igniti meteori, ſine vlla ipſorum reflexione. Túncq; pro qualitate nubis apparent colores vel cruenti, vel cærulei, aut albi: de quibus Ariſtoteles in lib. Meteor. 1. Si autem ſecundo modo, tunc colores fiunt, κατ' ἀνάκλασιν, per reflexionem radiorum, quales ſunt iridis, coronæ ſeu halo, pareliorum virgarúmque colores: de quibus in 3. diſputatur Meteor.

His ita explicatis, facilior fuerit ad intelligendum ratio, qua vnumquodque eorum, de quibus iam dicturi ſumus, generatur.

Regula generalis hæc eſto: quæ ad rationem omnium colorum in Cœlo apparentium cognoſcendam neceſſaria eſt.

THESIS XI.

Pro varia & nubium denſitate ac raritate, & lucis in nubes refulgentis quantitate, varij etiam in aëre apparent colores.

HOc apparet manifeſtè in ſolis ortu atq; occaſu, vt nunc explicatum eſt. Atque hinc ſigna ſumuntur certæ vel pluuiæ, vel ſerenitatis: Sicut & Dominus Ieſus Chriſtus, cõfirmare videtur, quando Phariſæis & Saducæis dixit Matt. 16. *Quando ſerum eſt dici: dicitis, ſerenitas erit, Rubet enim Cœlum*, (hoc eſt, aër) *Et mane: Hodie erit tempeſtas, Rubet enim Cœlum triſte.* Neque improbat hanc cognitionem, ſed tanquam certam probat. Improbat autem, quòd cùm Phariſæi optimè ſcirent cognoſcere faciem cœli; & de pluuia ac ſerenitate rectè iudicare, interim non cogitarent impletum eſſe tempus, quo Meſſias venturus erat: Et ſignis apertis, iã adueniſſe Mundi ſeruatorem demonſtraretur. Ideo dixit; *Hypocritæ, faciem cœli diſcernere noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis?* Noſtis (inquit) diſcernere faciem cœli. Scientia igitur eſt certa, & per ſe non improbanda.

4 Sed iam ad ſingula venio præcipua capita eorũ, quæ in cœlo apparent: nec tamen reuera id ſunt quod apparent.

Sunt autem hæc ſingularia capita explicanda; quid ſit, & vnde generetur.

1. Γαλαξίας: *quem Cicero* lacteum orbem *vocat. Vulgo,* via lactea. *Ariſtoteles vocat γάλα, lac: quòd videatur album in cœlo ſparſum.*

2. Χάσμα, *&* Βόθυνος, *Latinè hiatum & foueam.*

3 *Colores quidam cœleſtes: vt flauus, ater, purpureus atque cæruleus, ij enim ſunt præcipui, & ordinarij.*

4. *Splendores nocturni.*

5. *Halo: ſeu* corona*: quæ inprimis circa Lunam videtur.*

6. Παρήλιοι, *apparentes Soles.*

7. *Lineæ, ſeu virgæ perpendiculares.*

8. *Iris.*

Complexus hîc ſum tam quæ gignuntur per reflexionem radiorum & luminis, quàm quæ per rectam eorundem radiorum fracturam. Omnia enim ad ignita meteora pertinent: quia ſplendorem habent. Breuiter ex omnibus me expediam, Phyſicè de iis diſſerendo.

Si vnquam vidi Philoſophos ſtulteſcere: vidi cumprimis, in diſputatione περὶ τοῦ γαλαξίου. Notũ omnes, quid γαλαξίας ſeu lactei orbis nomine intelligatur: nempe ea cœli plaga, quæ vt refertiſſima ſtellis eſt omne genus; ſic etiam aſperſa eſſe videtur quibuſdam quaſi miraculis, quæ lactei coloris eſſe videntur, quæ cauſſa eſt, cur *via lactea & orbis lacteus*, vel etiam *lac* appelletur. Sed quid ſit; & vnde fiat, Deum immortalem, quot Philoſophorum, vt de vulgaribus taceam hominibus, ſententiæ! Ariſtoteles tres Poëtarum,

& Philoſophorum opiniones & recitat, & refutat: idq; merito: ſed profectò neq; ipſius phantaſia, vera eſſe poteſt. Senſit enim Galaxiam eſſe ex eadem materia, ex qua eſt & Cometes: & in eodem loco, & eodem modo generari quo & Cometes: neque à Cometa differre γαλα, quàm magnitudinè & tempore. Cometam enim longè maiorem eſſe, lacteo orbe: & minori temporis ſpatio durare, quàm Galaxiam, Galaxiam enim ſemper durare in ea (vt is putat) aëris plaga, in qua videtur: cùm Cometes vltra 80. dies, ad ſummum durare nequeat. Sed validiſſimis multiſque rationibus demonſtratur, fieri non poſſe, vt hæc Ariſtotelis ſententia vera ſit. Qui volet videre, legat Vicomercatum, in primo Meteor. cap. 8. vbi de Galaxia agitur. Præter alias, hæc vna etiam euincit, lacteum circulum neque eſſe in regione aëris: neq; ex vapore: vel exhalatione generari, nec denique inter meteora connumerari poſſe. Meteora enim mutantur, nec diu durant. At verò Galaxias, idem ſemper eſt, & in eodem loco, & mutatur nunquam. Docet hoc viſus ipſe: qui non fallitur in hac parte. Omnes itaque docti ſentiunt, orbem hūc lacteum, minimè eſſe in aëre, aut in igne, ſed in octaua ſphęra: vbi ſtellæ ſunt ſemper eædem: Verùm, an ſit circulus ille lacteus, ita creatus à Deo, an verò ab aliqua ſtella, vel ſtellis, ſua luce generetur, diſputant docti: quorum ſententias omnes referre, nō eſt operæpretium: multò minùs ſtultā vulgi ſuperſtitioſi phantaſiam. Vulgus enim putat, hanc viam lacteam, viam eſſe, per quam animæ defunctorum proficiſcantur ad S. Iacobum in Galitiam. O ſtultam ſuperſtitionem: Quia enim hic magnus & longus circulus, vocatur *Galaxia*: ideo putarunt ita vocari à *Galitia*, vbi templum eſſe aiunt S. Iacobi. Sed quid ſtultius dici poteſt?

Auerroes tres adfert explicationes, quibus declarat, quid ſit iſte Galaxias: quarum ſecunda magis probatur doctis. Ea eſt, partem illam cœli, vbi videtur iſte circulus, lumen illud album, quod ſimile lacti eſſe videtur: accipere à ſtellis vicinis, non per reflexionem vllam, (quæ fieri non poteſt, in corpore tam ſubtili & diaphano interminato:) ſed eo modo, quo etiam luna, lucem accipit à ſole. Eſſe enim illam cæli partem denſiorem reliquis. Ac ſtellarum illarum, quę ſunt in Galaxia, frequentiam in cauſa eſſe, cur lumen illud multiplicatum conſeruetur. Paruitate autem earundem fieri: vt illud valde ſplendidum non ſit: ſed colori potiùs albo, quàm communi, ſimile eſſe videatur.

Philoponus ſentit, partem illam cœli quæ colore lacteo conſpicitur: colorem illum à nullis accipere ſtellis, ſed ſua natura, ita eſſe affectum: vt ſcil. lumen illud exiguum, & tenue, colori potiùs, quàm lumini ſimile, inque varias diſperſum partes, à creatore habeat. In quem verò finem: id nos latere. Verùm Plinius addit circulum hūc, frugibus gignendis atque fouendis, vim influere, & quaſi lac præbere. *Huius* (inquit) *de flumio, velut ex vbere aliquo, facta cuncta lacteſcūt.* Hæc Plinius. Ita diceretur lacteus circulus non ſolùm à colore, & forma; verùm etiam à vi, quam frugibus fouendis quaſi lac inſtillat.

Ergo ex iis omnibus ſic cenſeo definiri poſſe Galaxiam, & totam hanc quæſtionem expediri, hac Theſi.

THESIS.

Γαλαξίας, ſplendor eſt, lacteo colori ſimilis, in certis quibuſdam octauæ ſphæræ partibus mediocriter denſis, aut à Deo de principio Mundi creatus, aut à vicinis ſtellis ſua luce productus: qui à Septentrione ad Auſtrum extra tropicum porrectus, ad vtrumque polum ita ſeſe extendit, vt quaſi orbem faciat: qui tum à colore, tum fortè etiam à vi, quam frugibus fouendis ceu lac infantibus præbet, lacteus orbis *circulúſque appellatur.*

SPlendorem eſſe, lacteo colori ſimilem, manifeſtum eſt. Hunc eſſe in certis octauæ ſphæræ partibus, euincitur illa ratione, quæ antea allata eſt: quòd ſc. iſte circulus ſemper idem ſit, inque eodem loco, & ſitu, id quod proprium eſt eorum, quæ ſunt in octaua ſphæra. Has verò partes eſſe mediocriter denſas, inde liquet: quia neque lucent vt ſtellæ, neque carent omni luce, vt reliquum Cœlum. Non ſunt igitur ita denſæ vt ſtellæ. Stella enim nil eſt aliud, quàm denſior pars ſui Cœli. Neque etiam ita ſunt diaphanæ, vt reliquum Cœlum: Proinde mediocriter denſæ ſunt, alioqui nihil in eis eſſet luminis. Cauſſam porrò huius ſplendoris, & circuli efficientem, eſſe, aut Deum immediatè, qui in creatione Mundi, eam partem ita affecerit; aut ſtellas vicinas, quæ lucem illis mediocriter denſis Cœli partibus, vt etiam Sol Lunæ, præbeant. Videtur omnino eſſe neceſſarium. Vtra autem ſententia ſit verior: non definimus. An etiam circulus iſte vim præbeat frugibus fouendis, nec ne præbeat, definire noſtrum non eſt. Certum eſt, nihil eſſe in cœleſtibus orbibus, quod non agat in hæc inferiora: ſed peculiarem vim alendi fruges traditam eſſe à Deo, huic lacteo circulo, incertum eſt. Nam quòd vocetur γαλα, & γαλαξίας, lacteúſque orbis; à colore illius ſplendoris vocari, extra controuerſiam eſt. Sed an etiam à vi, quam ceu lac præbeat frugibus: nemo eſt, qui docuerit, niſi Plinius. Neque *orbem vocaui*, ſed *quaſi orbem*: quoniam licèt circulus ſit, tamen orbis non eſt, vt manifeſtè apparet.

Denique quomodo faciat hunc circulum ille ſplendor, apparet vi[illegible]i, & oculis noſtris. Incipit enim ab ea parte, vbi ſunt Gemini, & obliquè ad partem illam protenditur, vbi eſt Sagittarius: atque ita dimidiam circuli partem efficit. Deinde à Sagittario, ſeſe attollendo ad Geminos redit: & ita alteram conficit circuli partem. Quare totus circulus extra vtrumque eſt tropicum.

2. *Eſt autem omnium pulcherrimus, iſte circulus: eóque magnum Cœli ornamentum.*

CAuſſa huius pulchritudinis, ſunt multæ præclaræque ſtellæ, quas in ſe complectitur.

Primum ibi locum tenet, *Caſſiopeia*, quæ tredecim ſtellis, magis minúſve inſignibus conſtat. Alterum locum tenet *Cygnus*: qui duodecim. Tertium, *Aquila*: quę quatuor. Quartum, *Scorpionis cauda*: quæ quinque. Quintum, *Sagittarius*: qui tribus. Sextum, *Centaurus*: qui ſex. Septimum, *Nauis Argiua*: quæ 23. Octauum, *Gemini*, qui 18. Nonum, *Heniochus*, ſeu *auriga*: qui ſeptem. Decimum, *Perſeus*, qui decem & ſeptem conſtat ſtellis. Poſtremum tenent *Sporades*, ſparſa ſidera: quę ita vocantur, quòd neque certum ordinem habeant, neque certam imaginem conſtituant.

Tot igitur cùm ſit ſplendidiſſimis ſtellis ornatus lacteus circulus: non poteſt non niſi pulcerrimum eſſe Dei opus. Ita inter Meteora non eſt.

5. Sequuntur iam vera Meteora tantùm apparentia.

THESIS I.

Χάσματα & βόθυνοι, hoc eſt, hiatus & fouea, ſplendor eſt aut ab exhalatione aliqua in ſupero aere accenſa, aut à Sole in tali excitatus nube: cuius medium corpus, denſum ſit, eóque nigrum. Extremæ autem partes, rariores, eóque albæ: ac proinde, quo fit, vt Cœlum apertum eſſe, profundámque foueam habere videatur: cùm tamen nihil minus, quam tale quid reipſa habeat.

HVius apparentis hiatus vel foueæ in cœlo, rationem clariùs explico, & exemplo à pictoribus ſumpto, illuſtrem reddo.

Nigrum minùs mouet viſum, percellitve oculos: quàm aut albus, aut rubeus, aliúſve color. Ratio eſt, quia minus habet luminis, & plus opacitatis. Multò verò minus mouebit, ſi in medio aliorum vehementer percellentium colorum, vti eſt albus, & rubeus, collocetur. Hi enim magis etiam obſcurum reddunt nigrum colorem, ſua magna luce, propter antiperiſtaſim. Hæc cauſſa eſt, cur ſi pictor velit in tabella fingere profundam aliquam obſcurámque vallem: ſoleat ad latera, vel circumcirca pingere, variis coloribus, rubro, viridi, albo & cœruleo, arbores, montes, aut aliquid aliud, in medio verò nigrum apponere colorem, forma qua vallem repræſentare vult. Si in talem picturam è longinquo intuearis, videberis videre prominentes vtrinque montes, in medio autem profundiſſimam vallem. Idem de puteo, vel caua cella, vel ſcala, & aliis ſimilibus dico, quod de valle, intra montes pingenda dixi. Vnde verò hoc ſit: vt quia color niger in medio albi & rubri poſitus eſt; videatur vallis ibi eſſe profunda, cùm tamen non ſit: Ratio eſt, quia niger color minùs percellit viſum: Fortiter autem id faciunt, albus, rubeus, cœruleúſque, colores.

Eadem cauſſa eſt in aëre, cùm apparent tales hiatus ac foueæ profundæ. Nubes enim in qua apparent iſti hiatus, denſior eſt in medio, eóque obſcurior: quàm in extremitatibus: quæ cùm ſint raræ, ſunt etiam albæ ſua natura, aliæ magis, aliæ minus.

Quum itaque vel accenſa exhalatio è ſuprema regione aëris, vel ſol è ſuo Cœlo in hanc nubem, ſua luce agant: fit, vt media nubis pars quæ denſa eſt, minus capiat luminis,

Propter denſitatem, eóque maneat nigra.

Partes verò extremæ eiuſdem nubis, quia raræ ſunt omnes, quanquam ſæpe diuerſo, & inæquali modo plus capiant luminis, pro ratione ſuæ raritatis, eóque variis coloribus, albo, rubeo, cæruleo aſſ ctæ eſſe videantur. Cùm autem niger color (vt dictū eſt) minus viſum moueat, quàm reliqui colores: fit, vt nobis, qui procul abſumus ab ea nube: pars nubis media & nigra, videatur magis procul à nobis abeſſe, quàm extremæ eius partes quæ ſunt lucidiores, quia rariores: eóque fit, vt quædam ibi profunda vorago nobis eſſe videatur: cùm tamen non ſit Ergo quòd ſint hiatus & foueæ cœleſtes quæve illorum cauſſæ: perſpicuè tenemus. Quæ, ſi maiores ſint, χάσματα, ſi minores, βόθυνοι appellantur. Ne quiſpiam tamen hinc colligat, non alio ſenſu dici in ſcripturis Cœlos aperiri: quàm quo hic docuimus. Eſt enim longè diuerſa ratio vtriuſque In ſcripturis, figurata eſt locutio: qua nil aliud ſignificatur, quam excellens Dei, rerúmque diuinarum cognitio, præſénſque viſio, qua, remotis impedimentis omnibus, ac ceu aperto Cœlo, Deū præſentem videmus. Sic Stephanus dicitur, *Cœlis apertis vidiſſe Dominum Ieſum ad dextram Patris ſedentem.* Ac ſic Chriſtus de ſe Ioan 1 *Videbitis Cœlos apertos, & Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Hic verò Phyſicè loquimur; & nomine *Cœli*, intelligimus aërem: Et explicamus, qua ratione fiat, vt oculis noſtris nonnunquam videatur quaſi Cœlum aperiri: cùm tamen non aperiatur, neq; vlli veri fiant in cœlo, aut etiam in aëre hiatus. Itaque explicatio hæc, nihil cum locis ſcripturarum, vbi dicitur *aperiri aliquando Cœlum*, commune habet.

6. Nunc ſpeciatim de coloribus, flauo, cæruleo, purpureo, qui in Cœlis ſolent apparere: vndénam fiant, dicendum eſt.

Principio conſtat, nullos in Cœlo, aut in aëre veros eſſe colores.

Hoc liquet ex veri coloris definitione, quæ paulò antè explicata fuit. Sunt enim Cœli, & aër, corpora diaphana interminata, neque ex Elemētis compoſita ſunt; color autem lumen eſt in ſuperficie corporis terminati Eiuſdem corporis compoſitionem ex Elementis conſequens.

Deinde liquet, vt pro varia lucis, & veri opaci inter ſe proportione, varia colorum genera oriuntur: ſic etiam à varia lucis vel ſidereæ vel meteoricæ, & nubis in quam refulget lux, inter ſe proportione, varios in Cœlo apparentes colores generari: vt antè explicatū eſt. Ac cùm color albus & niger, primi ſint colores: Ex iis duobus, reliquos omnes generari, varios & diuerſos, pro varia & diuerſa horum duorum inter ſe mixtione. Hæc cùm ita ſe habeant, theſes pono.

THESIS I.

Cùm nubes inter lucem refulgentem, & inter noſtrum aſpectum poſita tenuis eſt, raraque & ſicca: tum cœlum flauum eſſe videtur, aut rubrum: eóque ſerenitatis eſt ac ventorum index.

THESIS II.

Contrà, Si nubes terreſtris ſit admodum, & aquoſa, eóque denſa, Cœlum videtur fuſcum, atque atrum: eóque pluuiam, ac tempeſtatem ſignificat.

THESIS III.

Si verò nubes, mediam quandam teneat naturam, inclinans potiùs ad ſiccum & rarum: Cœlum videtur eſſe cœruleum.

HOrum omnium ratio antè eſt explicata; ſimilitudo autem à fumo & igne accepta illuſtrem illam facit. Quò ligna, in quæ agit ignis, ſunt aridiora, eóque & rariora, eò flammam etiam ex eis reddit ignis clariorem, magiſq; flauam, & verò etiam albam. Parum enim habet fumi. Quò verò ligna ſunt humidiora, eóque denſiora: eò etiam flamma ex iis redditur atrior, obſcurior. Habet enim plus fumi craſſi, & humidi. Si autem ligna medioeris ſint conditionis, inter humidum & ſiccum, craſſum, & tenue; flamma etiam magis & minùs efficitur ex eis, cœrulea.

Summa: Quòd cœlum, modò album ac pallidum, modò contrà ſub-fuſcum, nunc rubicundum, nunc cœruleum, hoc habet partim à nubibus interpoſitis, vel minus vel magis denſis, magis minū vel humidis; partim habet à ſplendore in ipſas irradiante vel magis vel minus efficaci.

Summa etiam eorum, quæ portendunt, hæc eſt: quoniam nigredo nubis, à craſſo eſt humore: humor autem craſſus, pluuias gignit: ideirco nigror & ob[ſcuri]tas nubium, humectas tempeſtates portendit. Contra, quia flauus [nubium co]lor, ex arida eſt tenuíque exhalatione, talis autem ex[halat]io, materia eſt venti, & minimè ad pluuias valet, ſed ad ſerenitatem: Ideirco in cœlo flauus & rubeus color, ſerenitatem & ventos indicant.

THESIS I.

7. Splendores nocturni, qui ſcilicet repentino motu, magnam Cœli partem, in ſumma noctis obſcuritate, illuſtrare nonnunquam ſolent: ex accenſa exhalatione tenui, & rara, generantur: quæ exhalatio, cùm propter ſubtilitatem, citò inflammetur, & citò etiam deficiat: efficit, vt tales etiam ſplendores parum durent: tam diu ſcilicet, quam diu illa lucem emittit.

THeſis perſpicua eſt. Illud tantùm addo: tales ſplendores nocturnos, vocari ab aliis, vt à Plinio: *Lumina de Cœlo viſa.* Et tale lumen de Cœlo viſum, ait Plinius apparuiſſe, & conſpectum fuiſſe, C. Cæcilio, & Cn. Papyrio Conſulibus.

THESIS II.

Portendunt autem ſerenitatem: & æſtum.

RAtio ſumitur à materia, ex qua fiunt. Cùm enim fiant ex accenſa exhalatione tenui, & rara: hæc autem idonea non ſit ad pluuiam: pluuiam indicare non poteſt. Serenitatem igitur. Ipſa quoque inflammatione ſubita, cùm fiat ab igne tale materia, exiſtente in aëre, non niſi æſtum indicare poteſt.

THESIS I.

8. *Ἅλως, quem Latini, Plinius & Seneca,* coronam *vocant. ſplendor eſt tenuis atque obſcurus, colori albo, partim etiam nigro, ſimilis, formam habens circuli, qui apparens in nubibus, Solem, vel Lunam, vel aliam ſtellam ambire videtur, & coronare.*

HAlos, ab ἅλω, hoc eſt, area, in qua paleæ, à granis tritici triturando ſecernuntur: ideo denominatur circulus iſte, quòd rotundus ſit, ſicut hæ areæ eſſe ſolent.

Etſi verò videtur eſſe circa Solem, aut Lunam: ibi tamen non eſt, ſed in nube, quæ Soli aut Lunę oppoſita eſt. Aliquando enim illis adeſt ἅλως: aliquando non adeſt: aliquādo maior apparet, aliquando minor. Iſta autem mutatio, in ea quæ ſunt ſupra ſphæram ignis, non cadit, ſed in aëre tantùm fit: ſicut etiam de Eclipſi manifeſtum eſt. Hoc etiam Seneca monet, dicendo: *Non longè à terra fit talis effigies. quam, viſus noſter imbecillis deceptus, circa ſidus putat poſitam.*

THESIS II.

Producitur autem in vapore humido, calidóque, à Sole vel Luna, aliáve ſtella, ſuo ipſorum radio, vaporem illum, rectà & ex diametro ferientibus, atque vt in circulum extendatur, efficientibus.

EGregiè & peraccommodato ſimili, totam huius Halo ſeu coronæ generationem, explicat Seneca, in ſuarum Quæſtionum naturalium lib. 1. cap. 2.

Cùm in piſcinam (inquit) lapis miſſus eſt videmus in multos orbes aquam deſcendere: & [prim]ùm fieri anguſtiſſimum orbem, deinde laxiores ac maiores, donec euaneſcat in petus, & in planitiem immotarum aquarum ſoluatur, Tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre. Cùm ſpiſſior factus, plagam ſentire poteſt, lux Solis aut Lunæ vel cuiuſlibet ſideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Hoc eſt Simile Mox affert rationem, dicens: *Nam humor & aër & omne quod ex ictu formam accipit. in talem habitum impellitur qualis eſt eius, quod impellit. Omne autem lumen rotundum eſt. Ergo & aër percuſſus lumine, hunc modum exhibet. Ob hoc, tales ſplendores Græci areas* (area eſt ἅλως) *vocauere. quia ferè terendis frugibus loca deſtinata, ſunt rotunda.* Hæc Seneca.

Monet præterea quod nos quoque antè diximus ex Ariſtotele. Coronam hanc fieri non circa ſidus, licèt ita noſter iudicet oculus, ſed in aëre. Et rationem affert obſeruandam. *Quia forma (inquit) craſſis ſpiritus corporibus imprimi ſolent: in ſubtilibus non habent, vbi conſiſtant aut hæreant.* In viſi-

nia autem Solis, & ſtellarum, æther tenuis eſt. Proinde nihil tale fieri poteſt. Exemplum verò adfert, dicendo: *In balneis quoque circa lucernam tale quiddam aſpici ſolet, ob aëris denſi obſcuritatem.* Hęc omnia Seneca. Inde luculenter apparet, coronam hanc, quam *Halo* vocant, fieri non in Cœlo, ſed in humore non admodum tenui, qui non niſi in aëre eſſe poteſt.

THESIS III.

Neque fieri poteſt ἅλως, niſi aer ſit pacatus.

VEnti enim omnem turbant figuram. Ideo Seneca, hoc confirmans, ita ſcribit: *Nullam coronam colligi, niſi ſtabili aëre, & pigro vento. Aliter non ſolet aſpici. Nam qui ſtat aer, impelli & diduci, & in aliquam faciem fingi poteſt. Is autem qui fluit, ne feritur quidem lumine. Non enim formatur, nec reſiſtit, quia quæque pars eius diſſipatur.* Confirmat hoc, ſimili aquæ. *Lapillus in piſcinam, aut in lacum, & in aliquam alligatam aquam miſſus, circulos facit innumerabiles. In flumine autem currente, hoc non facit. Quid ita? Quia* (inquit) *omnem figuram, fugiens aqua diſturbat. Hoc idem in aere euenit, vt ille qui manet, poſſit figurari, at ille qui rapitur, & currit, non dat ſui poteſtatem, & omnem ictum, venientemque formam exturbat.*

THESIS IV.

Frequentiùs etiam fit circa Lunam, quàm circa Solem, aliáve aſtra.

RAtio eſt, quia Sol vi ſuorum radiorum faciliùs, citiúſque diſſoluit, conſumitque vaporem, in quo ἅλως produci ſolet, quàm Luna. Reliqua verò aſtra, infirmioris ſunt lucis, quàm vt poſſint ſemper in humore ſubiecto ſplendorem, huius præſertim figuræ, cuius eſt ἅλως, efficere. Luna autem neque tam vehementis eſt luminis, vt Sol; neque tam exigui, vt reliquæ ſtellæ. Ideo ſæpiùs circa eam apparet Halos.

THESIS V.

Varia autem Halos ſignificat, portenditque: prout variè ipſe etiam afficitur.

SI enim denſior fiat, ad nigredinem, aut ad viriditatem inclinans, pluuiam imminere ſignificat. Si autem diſſipetur, atque in vna parte frangatur, in alia autem non, ventum pręnunciat. Si verò circulus iſte paulatim omni ex parte euaneſcat, atque albeſcat, ſerenitatem, aëriſque tranquillitatem portendit.

THESIS VI.

In ἅλῳ autem non apparet figura Solis perfecta, vt in παρηλίοις, ſed tantùm color, rotundáque forma.

RAtionem adfert Ariſtoteles, quia nubes illa tota, in qua apparet ἅλως, in minutas ad ſenſum partes diuiſa eſt. Ideo in nimis etiam paruis, & in minutim fractis ſpeculis, color tantùm intuentis in ea, non autem forma apparere poteſt.

De παρηλίοις.

THESIS I.

Παρήλιοι, ſplendores ſunt, in nubibus apparentes, tam fulgore, quam figura τῷ ἡλίῳ, Soli ita perſimiles: vt alij omnino Soles eſſe videantur, atque ita videantur, vt ſæpe vix inter ipſos, verúmque Solem diſcernere queas.

ΠΑρήλιος enim dicitur à παρὰ, *apud*, & ἥλιος, *Sol*, quaſi dicas, *apud Solem*. Talis enim imago, ſplendore, & figura ſimilis Soli: videtur etiam ſita eſſe apud Solem, cùm tamen procul abſit. Sol enim in medio cœlorũ eſt, παρήλιος autem in aëre. Quanquam hoc nomine imagines etiam, Lunæ ſimiles intelliguntur. Proinde, cùm referunt Lunę imaginem: vocari ſolent (teſte Plinio) *Soles nocturni*. Quum enim referunt Solem, interdiu tantùm fiunt: cùm Sol non appareat noctu. Vocantur & παρασελῆναι, quum referunt Lunam. Sępè autem tales plures Soles & Lunæ apparuerunt in aëre: vt in hiſtoriis patet. Et Lycoſthenes in lib. de Prodigiis, multa recenſet exempla. Anno poſt Chriſtum natum 110. in Gallia tres Soles, & tres Lunæ viſæ fuerunt.

THESIS II.

Generaliter autem παρήλιοι in nube denſa, æquabili, atque humecta, Soli ex aduerſo oppoſita: a radiis Solis illam, aëre exiſtente quieto, ita percellentibus: vt per ἀνάκλασιν, hoc eſt, reflexionem, perfectam in ea, tanquam in ſpeculo, Solis imaginem relinquant, eodemque etiam modo παρασελῆναι gignuntur.

PRimò, generari παρηλίους in nube, (ſunt autẽ hæ in aëre, non in Cælo) manifeſtum eſt. Non enim generantur in Cælis, quum neque imagines recipere poſſint, cùm nimis ſint ſubtiles, atque diaphani interminati: Omnis autem figura in corpore aliqua ratione terminato recipiatur oportet. Neq; quæ in Cælis fiunt mutantur: παρήλιος autem non diu durat. Neque etiam fiunt in aëre ſimplici: cùm & ipſe nimis diaphanus ſit, & omnino interminatus. Apparent tamen παρήλιοι in aëre, in quo nil aliud recipi ſolet, quàm exhalationes & nubes. In nube igitur generantur.

Secundò, neceſſe eſt, nubem hanc eſſe mediocriter denſam, æquabilem, humectam: Denſam quidem, vt hac denſitate, quaſi opacitate quadam, fiat vtcũque terminatum corpus, in quo recipi poſſit imago. Et quidem mediocriter denſam. Si enim nimis eſſet denſa, recipere itidem imaginẽ non poſſet, vt neque lapis, aut lignum. Item oportet eſſe æquabilem: vti omnia ſpecula ſunt, alioqui in ea recipi, & efformari non poſſet imago. Eadem ratione humecta ſit oportet: vt lucem & imaginem recipere, eámq; etiam referre queat: Cuius generis etiam ſunt omnia ſpecula; ex materia ſcilicet aquea: ſicut eſt chryſtallus. Nõ enim tales imagines recipi poſſunt, niſi in corpore diaphano aqueo.

Tertiò, ex aduerſo, Soli oppoſitam eſſe oportet: vt totam Solis faciem recipere, & referre poſſit. Nam ſi deſuper eam, Sol ſuis radiis feriret, imaginem diſſiparet, nihílque imprimeret. Si verò ad latus ſit, dimidia tantùm pars faciei ſolaris repræſentabitur. Proinde neceſſaria eſt, non ſolùm nubis denſitas, humiditas, & æquabilitas, verùm etiam commoda eius ad Solem poſitio.

Quartò, neceſſaria eſt radiorum reflexio. Sic enim vltra nubem tranſiret, propter raritatem nullam imaginem relinqueret.

Deniq; dixi, *aëre exiſtente quieto, & immoto*. Si.n. turbetur à ventis, turbabitur & nubes. In ea autem turbata, imago recipi nequit. Certè neque ſi inſpicias in aquam turbatam, vti eſt torrentis; imaginem tui in illa, neq; relinquere, neq; videre poteris: Sed in aqua placida: optimè videbis. Sic igitur generantur Solis & Lunæ imagines in aëre.

Exemplum generationis pareliorum habemus in aqua. Si Sol luceat, & ſuis radiis aquam placidam, quæ aliquo vaſe, vt pelui, vtcunque terminetur, eam ita feriat, vt radij reflectantur: Solis ipſius imaginem, in ea aqua, tanquam in ſpeculo, relucentem videbis. Idem fit in nube, vt declaratum eſt, quia nubes ex aqua eſt.

Si quis hæc ad res ſpirituales, & ad animum noſtrum accommodet; videbit non diſſimili ratione generari in mentibus noſtris, imagines rerum intelligibilium, atque cumprimis Dei. Oportet enim ante omnia, mentem noſtram, quæ ſuapte natura capax eſt omnium formarum, eſſe pacatam, non turbatam variis mundi, & carnis cogitationibus, affectibus, concupiſcentiis. Hic eſt noſter ſabbathiſmus. Deinde neceſſe eſt, vt Deus ipſe, verus & æternus Sol, radiis ſui ſpiritus illabatur in mentes noſtras: eáſque ita illuſtret, vt per quandam cæleſtem reflexionem, quæ in nobis reſideat, & operetur, veram ſui in nobis imaginem producat. Sed de iis aliàs.

Nunc pergo explicare opera Dei Phyſica.

THESIS III.

Portendunt autem παρήλιοι, partim ſua natura, res naturales, partim ex Dei ordinatione, diuina eius iudicia.

NAturaliter portendunt, & prænuntiant pluuias. Ratio eſt: quia non niſi in nubibus mediocriter denſis generantur. Nubes autem tales materia ſunt pluuiæ.

Ex Dei autem ordinatione varia eius iudicia, vel bella: vel fames, vel peſtilentias, ſicut liquet ex hiſtoriis, prænunciant. Anno 414. Menſe Sept. tres Soles viſi ſunt in meridie: & Luna cum ſigno crucis in media facie. Sequuta ſunt ſchiſmata in Eccleſia; multæque vrbes, ex terræ motu corruerunt.

X. De Lineis perpendicularibus.

APparent etiam nonunquam quædam quaſi virgarum imagines: eiuſdem ferè coloris, cuius & *iris* eſt, de quo mox dicam. Proinde quia hæ virgæ non differunt ab iride, neque materia. Generantur enim in ſimili nube,

in qua & iris) neque efficiente (ab iiſdem enim Solis radiis à quibus & iris) neque efficiendi modo: (per reflexionem enim radiorum generantur, ſicut & iris) neque colore (eiuſdem enim ſunt, cuius ferè & iris.) Denique nec ſignificationibus, ſed tantùm forma: quòd cùm iris propriè arcus habeat formam, iſtæ habent linearum rectarum figuras: idcirco ex iridis explicatione, quid etiam ſint lineæ perpendiculares, & quomodo generentur, faciliùs intelligetur, quàm ſi ſpeciatim de iis, deinde de iride dicerem. Ego tantùm Theſi vna contentus ero.

THESIS.

Lineæ perpendiculares, ſplendores ſunt, à Solis radiis per reflexionem, in nube minime concaua, ſed plana, tenui, humecta atque æquabili, generati, qui iiſdem quaſi coloribus, quibus & iris, affecti: inſtar rectarum linearum, in aëre videri nonnunquam ſolent.

CÆterùm, vt dixi, quia hæ lineæ, non differunt ab iride, niſi figura recta, cùm iris habeat obliquam, formam ſcilicet arcus; idcirco ex iis, quæ iam de iride ſubiiciam, facilè, quicquid de iis lineis perpendicularibus cognoſcere vtile eſt, intelligetur.

Eſt autem diligentiùs de iride dicendum, quàm de aliis, quæ apparent ignita, & non ſunt, dictum fuerit. Ariſtoteles quoque longam de iride habet diſputationem: ego tamen breuibus, ſummam complectar.

II. Hæc autem capita, breuiter explicabo.

1. *De variis nominibus, quibus iris appellata fuit, & appellatur.*

2. *De radiis, & eorum reflexionibus: quantum neceſſe eſt ad veram iridis cognitionem.*

3. *De ſubiecta materia in qua producitur, & apparet.*

4. *De efficiente cauſſa, à qua generatur.*

5. *De coloribus variis, quibus apparet iris, & vndénam generentur, quot ſint etiam, & quomodo inter ſe ordinentur.*

6. *De multiplici iridis generatione, deque eiuſdem multiplicatione.*

7. *De figura iridis, cur ſcilicet ſit ſemicirculus, non autem perfectus circulus.*

8. *De ſignificationibus, & prognoſticis ipſius iridis: vbi & de ſignificatione, qua Dominus ſignificare voluit Noë, & omnibus poſteris: non futurum amplius tale diluuium, quale tum fuit.*

Ad nomina quod attinet, *Primum* & receptum eſt Ἶρις. Porrò ἀπὸ τοῦ εἴρω, quod eſt *dico*, deducunt, & ita vocatam eſſe volunt, quod pluuiæ prænuntia. Nam etiam à Poëtis, iris fingebatur eſſe nuncius Iouis. Certè nuncius eſt Dei; quo ſignificatur, Deum ita placatum eſſe humano generi, vt non amplius ſit mundum diluuio perditurus. Imò & veræ reconciliationis per Chriſti crucem factæ, nuncius eſt certo quodam modo, vt poſtea explicabitur.

Secundò, à Græcis quoque Poëtis vocata fuit *Thaumantis filia*; quòd (vt Plato interpretatur) inter omnia meteora, nil ferè ſit maiori admiratione dignum, atque eſt iris. Vnde de veſte pretioſiſſima atque variis coloribus formoſiſſima, prouerbium illud dici ſolebat; ὑπὲρ πᾶσαν ἶριν. Cœl. libr. 12. cap. 12.

Tertiò, *Iunonis* quoquè *arcus*, ab antiquis idolorum ſacerdotibus vocabatur; propterea quòd Iunonem diuinam aëris vim eſſe dicebant; à qua iris verè produceretur. Vnde & aër, (vt Cic. tradit) Iunonis nomini conſecrabatur.

Quartò; Alij vocârunt eam, *Dæmonis* (hoc eſt, ſapientis) *arcum*; quod diuinæ ſapientiæ ſignum ſit; quo Deus nuntiat hominibus, mundum, diluuio aquarum non periturum.

Quintò, קשת *Dei*, vocatur apud Hebræos in Bibliis: Sic enim Deus Geneſ. 9. *Arcum meum* poſui in nube. Signum eſt militare. Eo enim declarat Deus, potentiam ſuam cœleſtem, ſe vno momento è cœlis pugnando, totum mundum perdere poſſe (ſicut & olim fecit) ſi velit.

Sextò, Heſiodus vocauit πολυώνυμον ὕδωρ, *multi nominis aquam*. Propter varietatem colorum; quibus eadem nubes apparet.

Septimò, *Arquus*, à colore flauo; vt nonnulli volunt.

2. Ad ſecundum quod attinet; de radiis, & eorum reflexibus; quibus etiam generatur Iris.

THESIS I.

Radius triplex eſt: rectus, reflexus & refractus.

REctus eſt ille, qui per medium tranſiens, ſecundùm lineam rectam, multiplicatur. Vt cùm ſol ſupra noſtrum caput exiſtens, rectà ſuis radiis, penetrat nubes omnes, inque terram pertingit.

Reflexus eſt ille, qui occurrens medio, cuius denſitatem ſoliditatémque pertranſire non poteſt, aut in ſeipſum, aut in partem contrariam reflectitur. In ſeipſum. vt quum radius lucis, qui in ſpeculum rectà incurrit, in ſeipſum reflectitur; quia propter denſitatem & ſoliditatem ſpeculi, penetrare illud non potuit.

In contrariam verò partem: vt quum idem radius obliquè & à latere, in ſpeculum incurrit. Tunc enim reflectitur radius, non in ſeipſum: ſed vltra alterum ſpeculi latus, priori contrarium. Sic ſol hyeme, radios reflectit, quibus ferit obliquè terram. Proinde non multum calefacit.

Refractus verò radius eſt, qui neque rectum habet inceſſum, neque etiam vllum reflexum; vt radius, quo ſol ita ferit aquas, vt neque rectà illas penetrare, propter denſius aquæ elementum, neque integer reflecti queat; ſed tantum fractus. Frangitur enim tunc radius.

Cuius rei fidem facit remus; qui ideo fractus eſſe ſub aqua videtur, quia radius ipſe, quo inſpicis remum, fractus ab aqua eſt, & ita reflexus.

THESIS II.

Viſio quoque noſtra, triplex eſt, recta, reflexa, refracta.

R*Ecta* eſt, qua aliquid in conſpectu propoſitum, recto oculorum radio videmus. Vt qui rectà intuetur in ſpeculum, illúdque videt. Et vt illa, quâ Chriſtum viſuri ſumus facie ad faciem.

Reflexa eſt, qua aliquid obliquo & reflexo radio intuemur, vt qui aliquem pone ſe ſtantem, videt ex ſpeculo; in quod intuetur.

Refracta eſt, qua aliquid per radium fractum videmus, vt quum videmus remum in aqua ceu contortum, aut fractum. Frangitur enim ab aqua propter ipſius denſitatem & lenitatem, non ſolùm radius ſolis; ſed etiam radius oculi noſtri.

Hac videndi ratione nunquam res videntur, vti ſunt, aut ſe habent; ſicut exemplum remi in aqua docet. Proinde hac viſione decipitur mirum in modum ſenſus viſus.

THESIS III.

Vt ad viſionem rectam, vnus tantùm requiritur rectus radius: ita ad reflexum duo ſemper requiruntur: radius (*quem vocant*) incidentiæ: & (*quem vocant*) reflexionis.

I*Ncidentiæ eſt*; qui rectà incidit in oculum; Verbi gratia, in ſpeculum. *Reflexionis* autem dicitur, qui ab eo reflectitur. Dicam pleniùs. Incidentiæ radium vocant, qui à corpore radium emittente, ad ſuperficiem corporis, radium reflectentis, protenditur; vt radius ſolis, cadens in ſuperficiem ſpeculi, radium eundem reflectentis.

Contrà, radium reflexionis dum appellant; qui à ſuperficie corporis reflectentis, continuatur ad locum vſque vbi terminatur; Vt radius ſolis à ſpeculo in parietem reuerberatus atque reflexus.

THESIS IV.

His duobus radiis reſpondent duo Anguli, qui ad videndum aliquid reflexè concurrunt: & qui iiſdem nominibus vocantur: angulus *ſcilicet* incidentiæ: & angulus reflexionis.

SI quem enim pone me exiſtentem videre in ſpeculo velim, neceſſe eſt, vt illius imago recto angulo, recipiatur in ſpeculo: Deinde à ſpeculo, angulo reflexo perducatur ad meum oculum. Idem fit in iride à nobis viſa. Recto angulo, generatur à radiis Solis, Deinde reflexo, ad noſtros oculos perducitur, per reflexos item ſolis radios.

3. THESIS I.

Subiectum in quo iris producitur, nubes eſt tenuis, denſa, æquabilis, ac rorida: quæ ſoli ex aduerſo obiecta, radios eius rectos inſtar ſpeculi, recipit atque reflectit.

TAlem debere eſſe nubem; antea etiam in explicatione παρηλίων, demonſtratum eſt. Si enim eſſet dura: recipere imagines, aut colores non poſſet. Ergo tenuis ſit oportet. Niſi etiam denſa: non repræſentaret colores rece-

ptos: quia eſſet omnino interminata. Denſitate igitur, tanquam opacitate, opus eſt, qua terminetur. Æquabilem quoque eſſe neceſſum eſt: alioqui reflecti non poſſent radij. Proinde dixi, *oportere eam inſtar ſpeculi, obiectam eſſe ſoli, vt poſſit radios recipere & reflectere.* Ex corpore autẽ diaphano, vti aqua eſt, fieri poteſt ſpeculum, non ſolùm obductione corporis opaci, vt fit in noſtris ſpeculis: ſed etiam denſatione ipſius diaphani. Apparet hoc in chryſtallo: Quid enim aliud eſt niſi aqua gelu conſtricta & condenſata? Imò ipſe etiam aër aliquando ita, ex vaporibus humidis & frigore condenſatur, vt ambulantium imagines referre poſſit. Narrat exemplum Ariſtoteles de quodam, qui tam craſſum & condenſatum aërem ante ſe, cùm ambularet, habebat: vt in eo ſui intueretur imaginem ſibi præeuntem. Hoc ideò illi contingebat: quia aër factus illi erat vt ſpeculum. Qualis ergo eſſe debeat nubes, in qua fit iris, manifeſtum eſt.

THESIS II.

Nubes tamen, in qua fit iris, non æqualiter vbique tenuis, denſa, & rorida eſt, ſed in diuerſis ſuis partibus, diuerſo etiam ſe habet modo. Vnde & diuerſi in ea colores, quaſi in diuerſis ſpeculis, apparent.

TOt autem conſtituuntur partes, quot ferè colores diuerſi in ea apparent. Ex diuerſa enim nubis conſtitutione, diuerſi etiam in ea fiunt colores.

Sunt qui ſic explicant.

Ab Horizonte vſque ad mediam aëris regionem ſtatuunt aërem, qui formam habeat ſemiglobi ſiue pyramidis, cuius baſis in terra ſit; & totum hunc ſemiglobum in tres diuidũt partes. In ſuprema, collocant nubem denſam, nigram, aquis plenam, quæ in magnam reſoluatur pluuiam. In eius concauo ſtatuunt aërem, à ſubtili ratione, hoc eſt, tenui minutiſſimarum guttarum deſcenſu ex nube denſa fluentium, humectum, & à frigore denſatum. Hæc eſt media pars ſemiglobi. Sub hoc collocant craſſiorem rationem: hoc eſt, craſſiorum guttarum deſcenſum. Nam quò magis deſcendit aqua pluuiæ: eo guttæ fiunt craſſiores. Atque hæc aëris pars ſic affecta, infima eſt, ſemiglobi, ſeu pyramidis pars. Totus verò hic aër, in has tres partes diſtinctus: propter nubem & rorationem ſeu pluuiam, quæ frigus etiam parit, humidus & denſus eſt: ſed inæquali ratione, quòd in vna parte denſior ſit, & aquoſior, quàm in altera. Itaque has tres diuerſè affectas aëris partes in hoc ſemiglobo: ceu tria diuerſa eſſe ſpecula, in quibus tres etiam diuerſi appareant colores. Sic ſolent iſti ſubiectum iridis explicare. Sed ſiue conſtituas tres partes aëris: ſiue tres partes nubis, quæ omnes tres aëris partes occupent, & diuerſè afficiant: perinde fuerit. Rem ipſam tenemus; quódnam ſit iridis ſubiectum, in quo fit; & quàm variè affectum ſit; ac proinde vnde etiam maximè fiat, vt tres varij colores in iride videantur.

4. De cauſſa efficiente.

THESIS.

Sol ex aduerſo, totam hanc nubem, ſeu nubiloſum aërem, ſuis percellens radiis, iridem efficit: ac pro varia trium nubis ſeu aëris partium affectione, varios etiam in eis, tanquam in tribus diuerſis ſpeculis, colores excitat.

EXemplum habemus in ſolis ortu, atque occaſu. Prout variæ affectæ ſunt nubes, quæ illi opponuntur; ita ipſe, ſuis radiis eos percellens, varios in eis parit colores; nigros in parte nubis denſiori: rubros in minùs denſa; Atque ita de aliis.

Exemplum item habemus in naui. Si quis nauiget in aqua pellucida, lucente Sole: perſpiciet ex varia aquæ per remos facta eleuatione, & percuſſione, varios in externis nauis aſſeribus Soli obiectis, à ſole ſuis radiis aquam percellente, colores excitari. Quid? Duo triáve accipias pocula vitrea: vnúmque iuxta alterum ponas: eáque impleas aqua diuerſa, ita vt in vno ſit clarior, in altero minùs clara: Deinde ex aduerſo ſit vel candela, vel ſol, qui ſuo lumine in illa agat pocula. Videbis varios inde colores in altera ſoli oppoſita parte generari. Sed quid clarius exemplo Lunæ, quum eſt oppoſita ſoli? Sol in illam ſuis agens radiis, in parte Lunæ denſiori, quæ magis recipit & retinet lumen, ſplendidiorem gignit colorem. In parte verò rariori, colorem quaſi ſub-fuſcum: qui nihil aliud eſt, quàm lucis priuatio. Tenebræ enim nigræ eſſe videntur. Supra quoque generalem de coloribus regulam attulimus: pro diuerſa qualitate nubium & diuerſa quantitate lucis receptæ: diuerſos etiam generari colores. Quid vis ampliùs? Duo capias ſpecula, quorum vnum ſubtilius ſit altero, & tertius, ac magis læue, inſpice in vtrumque, videbis varios tibi referri colores ab vtroque: quia illa variè ſunt parata, & effecta.

Dubium igitur non eſt, quin ſol, efficiens ſit iridis cauſſa, varióſque colores in nube iridis, prout variè affectæ ſunt nubis partes, efficiat: modò ex aduerſo nubis poſitus ſit commodè ſol. Nam niſi ex oppoſito ita ſit oppoſitus, vt ex æquo ſuis radiis, in illas diuerſas nubis partes diſtinctè agere poſſit: ſed ſit, verbi gratia, ſupra nubem: profectò diuerſos colores producere non poterit. Aget enim in ſupremam tantùm partem, vbi nubes denſior eſt & nigra, neq; inde reflectentur radij ſolares; ſed frangentur. Vt autem in iride varij generentur colores; opus eſt, & vt ſingulæ nubis partes diſtinctè percellantur radiis, & vt fiat radiorum reflexio. Eſt igitur neceſſe, ſolem ex aduerſo nubis eſſe, idque neque admodum altè, neque admodum demiſſè.

5 Quintum caput difficilius eſt, de coloribus qui apparent in iride, quomodo generentur: & qui fiat, vt tot ſint, ac tales, non plures, nec alij, & ita ſemper inter ſe ſint ordinati, vt verè non mutetur ordo.

Difficile certè eſt, ſingula hæc paucis verbis, & modico tempore exactè explicare. Neque ego hoc in præſentia profiteor; ſed tantùm ſummatim, opera Dei Phyſica conſideranda, & declaranda ſuſcepi: quantum ſatis ſit Chriſtiano homini.

Expediam igitur etiam hoc caput, breuiter, dilucidè tamen, præſertim cum iacta ſint fundamenta de generatione colorum.

THESIS I.

Colores in iride, veri ac naturales non ſunt colores, ſed tantum apparentes, ſpeciem duntaxat coloris habentes, ac proinde quoq; meritò ἐμφάσεις ab Ariſtotele, appellantur.

NAturalis enim color ille eſſe videtur: qui ex primarum qualitatum elementarium, in corpore ex elementis cõpoſito, proportione, debitáque mixtione generatur, ſicut ſuprà docuimus: quales ſunt, qui in facie ſunt hominis. Tale autem corpus non eſt nubes, in qua iris fit. Proinde veri colores, in ea eſſe poſſunt. *Apparentes* autem *colores*, quos nonnulli ideo *formales* vocant, quia formantur, hoc eſt, ſpeciem habent coloris: illi eſſe dicuntur: qui aut generantur ex mixtione, non Elementorum, ſed ſpecierum viſibilium; quales ſunt, qui in ſpeculo relucent, ex veris humanæ faciei coloribus; Aut fiunt ex lucis per opacum terreſtre, vel aqueum, tranſitione; vel, vt meliùs dicam, qui fiunt per lucis in diaphanum, aliquo modo terminatum, irradiationem. Et tales ſunt omnes colores meteorici de quibus agimus.

THESIS II.

Si Sol ex aduerſo nubis exiſtens, totam nubem, quæ formam habet hemiſphæricam, & ſemiglobi, ſuis percellit radiis, pro diuerſa partium nubis affectione, & pro diuerſa Solis in illas partes irradiatione, diuerſa etiam in eis tanquam in ſpeculis diſtinctis, apparentes colores generabit.

DIuerſa enim radiorum ad ipſum ſolem, & ad oculos noſtros, reflexio, ex illis fiat diuerſis nubis partibus, tanquam ex diuerſis, variéque paratis ſpeculis neceſſe eſt. A diuerſa autem ex diuerſis ſpeculis, radiorum reflexione: diuerſi generantur colores; vt aliquot exemplis paulò antè oſtendimus. Deinde quò plus minúſve lucis in aliqua nube recipitur, eò etiam lucidior, minúſve lucidus in ea generabitur color. Atqui in diuerſis nubis partibus, diuerſa ratione accipitur Solis lux. In remotiore enim minùs; in viciniore plus recipitur. Nam quò ſol longiùs diſtat; eò imbecilliores ſunt eius radij. Ergo pro varia etiam ſolis in partes nubis irradiatione, diuerſi in illis generantur colores.

THESIS III.

Vt tres ſunt nubis partes, diuerſè inter ſe affectæ, diuerſoque etiam modo a ſole irradiatæ: ſic tria ſolent colorum genera in illis apparere: qui iridis colores *appellantur.*

Vnde;

VNus, *rubicundi* ſpeciem habet: qualis eſt, qui in flamma denſi ligni, vt quercus ardẽtis apparet, & ſanguini nonnunquam ſimilis, viuóque rubello. Proinde cùm eum vident ruſtici, copiam vini futuram prædicunt.

Alter, *citrinus* eſt ac flauus, ſegetibus maturis perſimilis. Proinde cùm eum intuentur ruſtici, aiunt futuram copiam frumenti.

Tertius, *viridis* eſt, colori olearum maturarum ſimilis: aliquid ſæpe cœrulei colori habens. Idcirco vulgus ait illo colore portendi, partim copiam olei, partim ſerenitatem cœli.

Ac *rubeum puniceúmque* colorem generari aiunt in ea nubis parte, quæ ſupremum tenet locum: quippe quæ plus terrei aduſtique fumi habet, eóque & leuior eſt. Si enim lux in nubem fumoſam atque terreſtrem irradiat, colorem efficit rubeum; vt in ortu, occaſúque ſolis, ſæpe videre eſt. At verò colorem viridem, ac cœruleum: in ea nubis parte generari, vbi craſſior fit roratio: hoc eſt, vbi denſior & aquoſior eſt nubes; eóque & grauior. Hæc autem eſt infima. Vbi enim plus eſt denſitatis, & opacitatis; ibi minus eſt lucis, eóque plus tenebrarum, quæ ſua natura nigræ ſunt: quia priuatio ſunt lucis. Hæc cauſſa eſt, cur lux ſolis in nubem talem, denſam ſcilicet, & aquoſam, irradians viridem & cœruleum generet colorem. Proinde, cùm etiam in profundum aquarum maris ſua penetrat luce: aqua videtur eſſe viridis, aut cærulea. Ratio eſt: quia talis color ex penetratione luminis, humidi, aquei generatur. Denique colorẽ flauum Citri maturi ſimilem, in medio aëre humido, ſeu in nubis parte generari, contendunt: quòd talis color medius ſit inter rubeum, & viridem. Vt enim humor in media nubis parte contentus, leuior eſt ſubtiliórque inferiore, craſſior verò ſuperiore, eóque inter vtrumque medius: ſic etiam lux Solis in hanc partem irradians, medium colorem inter viridem, & rubeum, generat. Hic autem eſt flauus. Hæc eſt vera & naturalis cauſa diuerſorum colorum in iride. Fuerunt qui ſenſerint hos diuerſos colores, ex quatuor trahi Elementis: ab igne, ruborem in ſummo. A terra, viridem in imo. Ex aëre, lacteum, ſeu flauum. Ex aqua, cœruleum: Cœl. lib. 12. c. 16. Sed vera ratio ea eſt, quam ex Ariſtotele priori loco recitauimus.

THESIS IV.

Naturalis eſt ordo colorum in iride, ac proinde non facilè mutatur.

PRobatio huius Theſis ex ſuperioribus patet. Summa de coloribus iridis, hæc eſt: Vt imagines in ſpeculo fiunt: ſic colores in iride. In ſpeculo, per vitri perſpicuitatem recipiuntur, & tranſmittuntur rerum imagines, & colores. Per plumbi autem denſitatem, repercutiuntur. Ita igitur per nubis roſcidam partem, Solis radius tranſmittitur. Per denſam autem partem, quæ ſuprema eſt, repercutitur. Inde colores. Horum autem diuerſitas, ex diuerſa eſt tum partium nubis diſpoſitione; tum quantitate lucis ſolaris in illas repercuſſione.

THESIS I.

6. *Duplex eſt iridis genus: ſolaris nimirum, & lunaris*

NAm vt interdiu ſæpe fit iris à Sole, ſic etiam noctu nonnunquam à Luna. Verùm magnum inter vtramque diſcrimen eſt. Primùm, in ſolari multi ſunt colores; in lunari, vnus tantùm, albus nimirum: cuius rei cauſſa eſt, tum noctis obſcuritas, tum etiam frigiditas, qua nubes nimiùm denſatur. Addo, & infirmitas radiorum Lunæ, qui penetrare porrò in nubis ita nimis denſatæ profundum non poſſunt: ſed ſuperficie tenus tantùm eam perſtringunt. Inde enim fit vt color iridis lunaris, albus tantùm ſit. Deinde quotannis ſæpe apparet iris ſolaris, in autumno maximè: & lunaris (vt ait Ariſtoteles) bis tantùm intra 50. annos. Quanquam non omnes, ſententiæ Ariſtotelis ſubſcribunt: Experti enim ſunt alij, vno eodémque anno, bis iridem Lunæ apparuiſſe. Cœl. lib. 12. cap. 27.

THESIS II.

Poteſt autem ſolaris iris, vno & eodem die, bis apparere: partim horis diſtinctis, partim etiam eadem hora, ſed diuerſis oppoſitiſque in locis.

EXprientia hoc docet: deinde Philoſophi apertis demonſtrationibus euincunt: ac quomodo id fieri poſſit, docent.

THESIS III.

Imò duæ ſimul vno eodémque die, eadémque hora, & in eodem loco, ac ſitu, generari poſſunt, modò vna contineat alteram.

HOc etiam apertè explicant, atque demonſtrant. Ideo *continentem* vocant *ſuperiorem*. *Contentam* autem inferiorem iridem. Cæterùm, contrario modo ſe habent colores in vna, atque altera. Nam radiorum quoque contraria eſt in vtraque reflexio. Quemadmodum perſpicuè apud Philoſophos demonſtratur.

7. De Figura Iridis.

THESIS I.

Cauſſa, cur iris modo dimidiati circuli figuram habeat, modo minorem ſemicirculo: ea partim à ſubiecto eſt, partim ab efficiente: ſicut etiam de colorum generatione, & diuerſitate dictum eſt.

CAuſſa à ſubiecto eſt, quia nubes ſemigloboſa eſt effigie: ſed in pyramidem tendente. Cauſſa ab efficiente eſt, quia Sol non ſemper eodem modo & ſitu, ſe habet ad nubẽ: cùm modò altiùs aſcendat ſupra Horizontem: modò propior ſit Horizonti. Horizontem autem accipio cum Ariſtotele, pro ſuperficie circulari, quæ ſuperficiem terræ continens, vſque ad extremas Cœli partes à nobis in latitudinem viſas protenditur: & cuius centrum eſt ipſe noſter oculus, hæc videns. Ita Horizon variatur, prout etiam oculus videns variatur.

Eſt enim in ſumma hic Horizon, nil aliud, quàm ſuperficies circularis, viſum cuiuſque in ſuperficie terræ, finiens atque terminans. Alioqui aliter definitur Horizon, ab Aſtronomis; vt patet in Sphæra.

Quia itaque Horizon per medium ſecat, Cœlum ipſum: Materia autem ſeu ſubiectum, in quo fit iris, eſt nubes in hac media Cœli parte collecta: eóq; ſemiglobi formam habens, in pyramidem infimè tendentem; idcirco ſi Sol, in ortu, aut in occaſu, ad punctum Horizontis exiſtens, totam hanc irradiet nubem; fiet vt etiam iris, formam perfecti ſemicirculi accipiat.

Sed quia, quantò magis Sol deprimitur, aduerſus Horizontem, eò altiùs eleuantur poli, & centrum iridis ſupra Horizontem; & contrà, quanto altius aſſurgit Sol ſupra Horizontem, tantò magis deprimuntur poli, & centrum iridis ſub Horizonte, vt docet experientia: idcirco fit etiam, vt iris non ſemper perfectum habeat ſemicirculum. Hinc ergo ſequitur

THESIS II.

Quantò magis Sol vel ortui propinquior eſt, vel ad occaſum vergit: eò etiam maior fit iridis ſemicirculus. Et contra, eò iſte etiam minor fit: quò ille magis ſupra Horizontem eleuatur.

ESt hæc ſenſui manifeſta Theſis, & ratio id euincit, vt quiuis facilè colligere poteſt ex prædictis: cùm Sol ſuo aſcenſu, vel deſcenſu, cauſſa ſit non poſtrema figuræ iridis. Ergo hæc etiam certa fuerit

THESIS III.

Sicut, ſi Sol exiſtat in ortu vel in occaſu ad punctum Horizontis, eóque ad fundamentum nubis, perfectus apparebit circulus iridis: ita ſi ſic ſupra Horizontem eleuetur, vt etiam ſupra totam nubem, iridis materiam, aſcendat: nulla prorſus iris apparebit.

SI enim perfectus ſemicirculus apparet, Sole exiſtente ad ortum, vel occaſum: quia tunc in ipſo eſt Horizonte: minus autem quò Sol altiùs ab Horizonte recedit: Ergo nullus apparebit, ſi ſupra nubem ſit; centro Horizontis, ex aduerſo, exiſtens. Quare apparet, formam iridis naſci tum ex figura ſubiecti, tum ex ſitu Solis: id quod alij vno verbo dicunt, ex tumore maiore vel minore ipſius Horizontis. Atque hæc de figura. Hinc facilè expeditur.

8. De ſitibus, Mundique partibus, in[illegible]bus iris apparere poſſit, & ſole[illegible]

THESIS I.

In omni Cœli ſitu, omnique Mundi parte, Sole neque

ſupra, neque infra nubem, ſed aduerſus nubem exiſtente, ſuiſque radiis illam ex aduerſo feriente, generari poteſt iris. Hæc etiam ex præcedentibus manifeſta eſt.

THESIS II.

Etſi verò generari vbique poteſt, ea qua dictum eſt ratione, iris, videri tamen non poteſt: niſi oculus videntis, medius ſit intra nubem roſcidam, in qua fit iris: & intra Solem, a quo fit.

Ratio huius manifeſta eſt: Eſt enim neceſſe, ſi videri debeat iris: vt radij Solis, ab extremitate nubis reflexi & ſua reflexione iridem producentes, in oculum etiam videntis reflectantur. Hoc verò fieri nequit, niſi oculus inter Solem, & nubem poſitus ſit. Proinde in regione ſeptentrionali, iris ad meridiem nunquam apparebit: ſed Sole exiſtente in oriente, iris apparebit in occidente: & contrà. Sole autem exiſtente in ſeptentrione, nunquam apparebit iris ad meridiem iis, qui in ſeptentrione ſunt.

De tempore, quo apparet iris Solaris, non eſt cur multa dicamus. Conſtat primò, non apparere, quia neque fit, niſi interdiu. Secundò, ſæpiùs ac occaſum tendente Sole fit, quàm cùm oritur. Tertiò, in autumno ſæpiùs, atque in hyeme, quàm alio anni tempore. Quartò, lunarem autem iridem, tantùm noctu.

9. De ſignificationibus iridis quod attinet.

THESIS I.

Iris ſolaris, naturaliter, neque pluuiam certam minatur, neque ſerenitatem ſemper indicat. ſed alterutrum portendit, cùm tam vnius, quàm alterius indicium eſſe poſſit.

Ratio ſumitur à cauſſis iridis efficientibus, à nube ſcilic. roſcida, & à Sole. Nam propter humiditatem nubis, fieri poteſt, vt pluat poſt apparitionem iridis: nempe, ſi radij Solis ſint imbecilliores, quàm vt illam humiditatem exiccare poſſint. Fieri etiam poteſt, vt Solis calore humiditatem nubis exiccante, ſerenum ſequatur tempus. Proinde naturaliter iris, tam pluuiæ, quàm ſerenitatis ſignum eſt: ſed ſi pluuiæ, non tamen magnæ, propter Solis vim, quæ impedit.

THESIS II.

Iris ex Dei ordinatione habet, eáque ſola, vt ſignum ſit non futuri diluuij.

Signum eſſe ex Dei ordinatione non futuri diluuij, manifeſtum eſt ex Geneſ 9. Promiſit enim Deus Noæ, & in ipſo, toti humano generi, ſe nunquam deinceps tale diluuium miſſurum, quale tunc miſerat Et, huius ſuę promiſſionis certiſſimum ſignum eſſe voluit iridem, in ſempiternum. Cæterùm an etiam naturaliter iris hoc ſignificet, controuertitur.

Non deſunt enim qui id affirment, hac ducti ratione: iris generatur non ex ſola cauſſa humida, quę eſt nubes ſed etiam ex cauſſa humiditatem exiccante, quæ eſt Solis calor & lux. Ergo ſicut naturaliter portendere non poteſt certam pluuia, propter humiditatem nubis: cùm poſſit etiam index eſſe ſerenitatis propter vim Solis: ſic multò minùs iridem ſequi poteſt tanta aquarum copia, quæ diluuium efficiat. Quare naturaliter, certũ non futuri diluuij indicium, teſtimoniumque præbet iris. Sed ſi hæc ratio valeret, valuiſſet etiam à cõdito orbe, & ante diluuium. Nam etiam ante diluuium fuiſſe iridem non dubito: cùm fuerunt etiam cauſæ iridis, nubes, & Sol. Vnde fieri nequit, vt iris ex cauſis generetur naturalibus, quin etiam fuerit ante diluuium. Manifeſtum autẽ eſt, iridem ante diluuium, non fuiſſe tale ſignum, quod naturaliter ſignificaret non futurum diluuium. Sequutum enim eſt diluuium. Ergo neque nunc talem habet naturaliter ſignificationem. Poſt diluuium autem Deus iridi hanc dedit ſignificationem, vt ſit fœderis ſui cum humano genere, ſignum: quo moneamur, ex Dei erga nos beneuolentia fieri, non autem ex cauſſis naturalibus, vt nunquam futurum ſit diluuium. Quod cùm ſemper huc vſque poſt tot annorum millia ſeruatum fuerit: Duplex inde magna nobis vtilitas accedere de[bet]: vna, vt ex iride, confirmemur in fide, de veritate promi[ſſionu]m diuinarum. Si enim nunquam non ſeruauit hoc ſuum promiſſum, quod tamen in morte & ſanguine Chriſti firmatum non fuit: quantò magis ſeruabit eas promiſſiones, quæ factæ ſunt nobis in Chriſto, & Chriſti ſanguine confirmatæ fuerunt? Altera vtilitas eſt, vt hinc etiam confirmemur in fiducia, de beneuolentia Dei erga nos electos, & qui ſanguine [C]hriſti redempti ſumus. Si enim tantus fuit amor De[i] erga totum humanum genus, cuius maior pars inimica eſt D[eo], vt decreuerit non ampliùs, diluuio illos perdere; quantò maior & firmior erga nos eſſe putanda eſt beneuolentia Patris, quâ nos complexus eſt in Chriſto filio ſuo proprio? cui propter nos non pepercit: ſed pro nobis illum in mortem tradidit? Ergo non ſolùm verior, ac certior eſt ſententia, verùm etiam nobis vtilior, quâ docemur, itidem ex ſola Dei ordinatione ha[be]re, vt prænuntia nobis ſit non futuri vnquam diluuij, talis nimirum, quali totum humanum genus, tempore Noæ ſublatum fuit.

THESIS III.

Eſt etiam iris quodammodo, ſignum reconciliationis per crucem Chriſti factæ.

Quidam ſic explicant; Arcus, ſignum eſt militare, eo enim iaculamur ſagittas in hoſtes: ac tum arcus concaua [pars], & cornua, non erga hoſtem verſa ſunt, ſed in nos qui iaculamur: Connexum autem arcus, hoſtes reſpicit. Si autem inuertas arcum, ita vt partem, qua ſagittæ iaciuntur, ab hoſtibus auertas, & in teipſum conuertas, teſtimonium eſt deditionis, eóq; reconciliationis; quòd ſcil. nolis ampliùs cum hoſtibus pugnare, ſed illos pro amicis habere. Quemadmodum etiam faciunt, qui gladium, quo pugnabant contra aliquem, in ſe inuertunt, manubrio aduerſæ parti oblato.

Sic igitur inquiunt, Deus cùm immiſit diluuium, ſe humano generi infenſum eſſe declarauit. Aquis enim è cœlo, quaſi arcu, ſagittas in homines iaculando, pugnabat. At poſt diluuium quaſi arcum, & arma è nobis auertendo, ſe nobis reconciliatum eſſe ſignificauit, & quaſi ſeſe dedidit. Hæc autem reconciliatio, futura erat per Chriſti crucem. Hanc enim [cùm] in ſe conuertendo, & in ea, peccata noſtra expiando: nos [ſibi] reconciliauit. Non immeritò igitur (aiunt) arcu cœleſti, ſignificari nobis reconciliationem per Chriſtum factam. Subtilis eſt hæc cogitatio atque pia, ſed parum firma. Firmitudo potius pendet ex altiori principio: nempe inde, quia omnia externa beneficia Dei in electos collata, Xenia ſunt illius veræ & ſempiternæ beneuolentiæ, qua nos complexus eſt in Chriſto, ante iacta mundi fundamenta. Omnia enim in nos beneficia, ex eodem emanant fonte: ex æterno ſcilicet, quo nos amauit in Chriſto ad æternam vitam amore fluunt.

Cùm igitur iris ſignum ſit huius certi beneficij, quòd nolit perdere diluuio humanum genus: Eſt ex conſequenti argumentum electis Dei, ſe ita eſſe in Chriſto reconciliatos, vt perire eos nolit Pater cœleſtis: ſed ſeruari in vitam ęternam.

THESIS IV.

Lunaris autem iris, longam ſignificat tempeſtatem, aurámque inſtabilem.

A Materia, vnde fit, ratio colligitur. Rarò enim apparet & tum fit ex magna humoris materia: qui hu[mor ex] magno eſt vento, inter Auſtralem & Occidentalem m[edio], & quum Luna valde meridionalis eſt. Albertus Magnus li. 3. Tract. 4 cap. 22.

11. *De fulmine, fulgure, fulgetro, preſtere.*

Diximus de verè ignitis meteoris, deque iis, quæ videntur ignita eſſe, cùm tamen reuera non ſint: ac proinde, quæ συμφάσεις ab Ariſtotele, meritò appellantur. Quatuor adhuc reſtant explicanda: quæ ideirco ad ignita meteora referuntur, quòd citra ignem non fiant. Sunt autem, fulmen, fulgur fulgetrum & preſter: quorum illa quidem tria Latina à fulgore dicuntur: hoc autem Græcum, ἀπὸ τοῦ πρήθειν, vel πρήθεσθαι, quod eſt καίειν, deriuatur: πρηστὴρ autẽ ἀπὸ τοῦ πυρὸς, deducunt Grammatici, proinde ad ignita pertinent. Etſi enim hæc non ex vapore, exhalatione ve ſimplici, vt ſuperiora; ſed ex vapore in alio, hoc eſt, in nube incluſo generentur: quia tamen non ſine igne fiunt, eóque ad ignita meteora pertinent: de iis quoque diſſerere conſtitui, & cum ſuperioribus coniungere, antequam ad aërea deſcendam.

Ac primùm de Fulmine. Huius enim cognitio efficit, vt etiam reliqua tria faciliùs intelligantur. Multa autem de Fulmine, quod ab Ariſtotele κεραυνὸς appellatur, ſuperſtitioſè ſcripta reliquerunt Plinius & Seneca, & alij. Sed nos ea tantùm, quæ naturalia ſunt, & quatenus vera ſunt D[ei opera] in natura, perſtringemus.

De

De hoc verò multum Ariſtoteles, partim in fine ſecundi: partim in tertio libr. Meteor. ſcripſit. ſed nos hanc materiam complectemur paucis.

Quid ſit *Fulmē*, quod Ariſtoteles *κεραυνὸν* vocat, diſputatur inter Philoſophos. Permulti contendunt, eſſe lapidem: qui ex materia viſcoſa & calida, atque terreſtri, in nube materiam illam vndique conſtringente, coactus atque congenitus: tandem fracta nube, inde magno cum fragore inſtar globi bombardæ, emittitur, atque in terram vibratur. Atque hanc ſententiam multis confirmare rationibus conantur: quorum non poſtremæ, hæ duæ ſunt. Prima, quòd ſæpe poſt ictum fulminis, tales reperti fuerunt lapides: quorum ictu, domus aliqua, vel arbor, vel aliquid aliud, aut corruit, aut diſiectum fuit. Auicenna inter alios, hanc tuetur ſententiā. Altera ratio: quòd talia fulminis effecta ſæpe reperiuntur, quæ non potuerint, niſi à tali fieri lapide; vt ſunt foramina, in corporibus ſolidis à fulmine, ita facta: vt terebro facta eſſe dixeris, & alia id genus. Accedunt antiquorum Poëtarum teſtimonia: qui *Fulmina, ſagittas*, & *iacula Iouis* appellarunt: quam vocem, vulgus adhuc retinet; & hæc vocat *ſagittas*.

Alij, quorum princeps eſt Ariſtoteles, nil aliud eſſe docēt, quàm multam, ſubtilem, calidam & ſiccam exhalationem, eamque in nube accenſam, atque ita ſubtilem, ac tenuem, vt Ariſtoteles eam vocet *πνεῦμα ſpiritum*: qui è nube inſtar flaminæ egreſſus, omnia hæc, quæ de Fulmine prædicantur, admiranda effecta efficiat. Id verò ideo confirmare conantur, quòd fulmen denſiſſima quæq; ſine vlla ruptura pertranſeat: quod certè fieri non poſſet, ſi fulmen eſſet lapis: vt quòd aliquando totum vinum derepente dolio illæſo, exhauſiſſe conſumſiſſéque legatur: quòd hominem interficiat, nulla in eo facta nota: quòd argentum in crumena liquefaciat, illæſa crumena: quòd medullam vitis exiccet, vitémque areſaciat, cortice tamen & ligno vitis intacto, & alia id genus permulta: ex quibus colligunt, fulmen, lapidem aut metallum eſſe non poſſe: ſed tantùm ſpiritum, hoc eſt, tenuiſſimam exhalationem, ſiccam, calidam, & accenſam. Sic Cic. in lib. de Diuinatione, *Fulmen* eſſe dixit *ardorem, ex nubium conflictu, expreſſum*. Verùm vtraque ſententia conciliari facilè poteſt; ſi diſtinguamus fulmen, à fulmineo lapide: & ſciamus, ſæpe fulmen fieri ſine lapide, nonnunquam, cum lapide.

THESIS I.

Fulmen itaque in genere, exhalatio eſt ſicca, atque calida, eaque multa: quæ a nube frigida vndique concluſa, atque conſtricta, & ex ea conſtrictione, magis ac magis propter ἀντιπερίστασιν inflammata, tandem è nube violenter effracta, cum fragore erumpens, in terram vſque deuoluitur, ac pro varia ſui denſitate, & inflammatione, variè etiam corpora ſibi obuia percellit, afficit, incendit.

TRia capita hic ſunt: Materia, ex qua fit fulmen. Modus, quo fit. Et ratio, vnde fulminum diuerſitas pendet.

Materia eſt exhalatio primò ſicca: talis eſt & materia venti: & omnium ignitorum. Secundò, calida: differt igitur à materia ventorum, quæ frigida eſt. Tertiò, eaque multa: hac differt fulmen, à fulgore, & fulgetro, & preſtere. Horum enim materia licèt ſicca & calida, non tamen multa eſt. Hæc de materia.

At Generatio fit hoc modo. Exhalatio hæc ſeu vapor eleuatus è terra vi ſolis ſi incidat in nubem, ab ea circumdatur, nec ſinitur altiùs aſcendere: nubes frigida, agit in hanc calidam materiam, & viciſſim hæc calida materia in nubem ſe conſtringentem, renititur, & quò magis à nube premitur, eò magis materia concluſa accenditur; & vſque adeò accenditur, vt vi cogatur erumpere, ſicut & ignis, & cum igne globus è bombarda. Hoc autem fieri non poteſt, niſi frangatur violenter nubes. Nubes verò frangi non poteſt ſine fragore, ſicut etiam fit in exoneratione bombardæ, in caſtanea in ignem coniecta. Ergo ſemper cum fragore eſt Fulmen.

Tertiò, Ratio verò, qua fulmen vnum differt ab alio, diuerſitas eſt denſitatis, & inflammationis materię fulmineę. Nam non alia ratione inter ſe differunt, niſi maioris exhalationis aut denſitate, aut inflammatione. Quæ enim tenuiorem habent exhalationem; illa etiam minùs inflammata ſunt: ac proinde etiam aut minimè, aut minùs adurunt: Quæ verò denſiorem & inflammatiorem, ea maximè etiam incendunt: & maiora dant mala.

Tria itaque ſtatuuntur fulminum genera; Vnum. ſubtilis materiæ, & lucidi ſplendoris: alterum. denſioris, ac fumidæ flammæ. Tertium, verè igneum atque exurens. Primum, eſt illud, quod propter lucidiſſimum ſplendorem, maiorémque materiæ tenuitatem, Ariſtoteles ait à Poëtis vocatum fuiſſe *ἀργῆτα*: hoc eſt, *ſplendidum*, proinde ipſe illud vocat, ὡς ἀπτ-ικόν. Eſt enim hoc fulmen; ſiccum admodum ac tenue, ac proinde per anguſtiſſima quæque tranſit, penetrat: eóq; percutit, ſcindit, euellit domos, arbores, & alia corpora dura. Non vrit tamen præ ſua nimia tenuitate.

Seneca vocat hoc primum genus, *flammeum* & *perforans*, hoc eſt, lucidum, & omnia penetrans. Tale eſt quo ſummitates turrium deiiciuntur, & euelluntur arbores.

Alterum, eſt illud, quod prioris comparatione, minus ſiccum eſt. Magis autem denſum & viſcoſum, eóque flammam habet fumidam, ſicut etiam videmus in ligno viridi, tales flammas, ſed non ſine fumo, propter maiorem materiæ craſſitiem, & humiditatem: eóq; quia plus in hoc ignis eſt, quàm in priore: (plus enim ſemper ignis eſt in materia denſiore, quàm in rariore.) Idcirco hoc alterum fulmen, etſi quæ tangit, non penitus exurit, ea tamen, & fumo quodam denigrat, & ſua flamma amburit, depaſcitúrque intra & extra. Atq; hac de cauſſa, αἰθαλῶδες ab Ariſtotele appellatur: ab aliis autem (eodem Ariſtotele teſte) ψολόεις, hoc eſt, ardens, & fumoſum fulmen appellatur. Tale eſt, quo etiam crumenâ tantùm denigratâ, æs intus poſitum liqueſcit. Suo enim ictu, dura rumpit, & liquefacit, non autem perforat.

Tertium eſt magis ignitum, quàm reliqua duo: Et plus etiam terreſtris habet materiæ, eóq; non denigrat tantùm aut amburit, vt ſecundum: ſed exurit, atq; conſumit: & illuſtriora poſt ſe relinquit ignis veſtigia: Tale eſt, quo nonnunquā tota aliqua domus, hoc fulmine tacta conflagrat, aut arbor ardet. Proinde hoc Seneca, meritò *igneum* vocat, & ſub alterius generis nomine: quod Ariſtoteles vocauit, αἰθαλῶδες comprehendit. Reuera tamen ab eo diſtinguitur.

Eſt igitur omne fulmen, aut nil vrens, ſed tamen diſſipans: aut ambutens, & fumigans: aut exurens.

THESIS III.

Cum fulmine, etſi non ſemper, ſæpe tamen coniungitur lapis fulmineus: quem vulgo ſagittam *vocant.*

DIffert multis hic lapis, à fulmine. Fulmen enim mera eſt exhalatio inflammata, aliquando etiam fumida, vt dictum eſt. Sed lapis fulmineus, ſolidum, & durum eſt corpus, quod in fulmine generatur. Plerunque enim cum exhalatione ſicca & calida, miſcetur materia terreſtris metallaris; & vi ſolis, ſurſum, vnà cum exhalatione illa, eleuatur. Si verò hæc tota materia, incidat in nubem aliquam, & ab ea conſtringatur vndique, fit, vt ſicut exhalatio inflammatur, & in fulmen vertitur, ſicut ſuprà explicatum eſt; Sic etiam materia metallaris ab humore nubis circumfuſo, non ſecus quàm farina ab aqua, in maſſam conglutinetur: Et deinde ab eodem calore, à quo exhalatio inflammatur, hæc etiam conglobata materia coquatur, & induretur. Erumpente verò fulmine è nube; ipſe quoque lapis, inſtar globi, è bombarda, in terram magno cum fragore, & ſtrepitu, vibratur.

THESIS IV.

Sunt autem hæc cuiuſuis fulminis propria: Primùm, vt celeri curſu, intra breuiſſimum temporis ſpatium decidat, ſuámque vim exerat: Deinde, vt dura potiùs, quia reſiſtunt, quàm mollia perrumpat: Tertiò, vt fœtidæ & peſtilentis ſit naturæ; Poſtremo, vt cum fragore fiat, atque fulgore, ſeu ſplendore.

THESIS V.

Etſi verò eodem tempore, & fragor fiat, & ſplendor: ex fulminis è nubibus eruptione: citiùs tamen videtur à nobis ſplendor, quàm fragor audiatur: vt etiam in exoneratione bombardæ contingit.

RAtio huiuſce differentiæ eſt, partim maior lucis tenuitas, quàm fragoris. Illa enim propter tenuitatem, vno momento totum aërem illuſtrat; Sonus autem non ita, ſed vnam poſt alteram aëris partem percutit; donec ad aures perueniat: partim etiam, quia auditus hebetior, quàm viſus.

THESIS VI.

Solent autem fieri in vere & autumno: rariſſimè verò, hyeme & æſtate.

VTriuſque ratio eſt: vt etiam Ariſtoteles & Plinius docent: quia æſtate, maximus æſtus conſumit materiam fulminis, eamque diſſoluit ſuo immenſo calore. Hyeme autem frigus non ſinit eleuari vapores calidos. At in vere & autumno temperatior eſt aër: ac proinde & eleuantur vapores calidi; & non facilè conſumuntur. Itaque faciliùs eo tẽpore generantur fulmina. Atque hæc cauſſa eſt; cur in regionibus temperatioribus, vt in Italia, plura fiant fulmina, quàm aut in valde frigidis, aut in valde calidis.

THESIS VII.

Semper autem fulminis vim atque impetum: ipſa etiam aëris agilitas, & penetrabilis vis adiuuat.

THESIS VIII.

Fulminum verò effecta, multa variáque, & admirabilia ſunt.

ATque ita mirabilia ſunt: vt ea permulti iudicarent, non à cauſis naturalibus proficiſci, ſed immediatè à Deo. Ideo Poëtæ dicebant Fulmen, *ſagittam eſſe Iouis*: & Iouem ideo tonare, vt inferi eum timeant: & per tonitrum comminari mortalibus, per fulmen autem eos ferire. Nos non inficiamur, quin Deus cauſſa ſit prima rerum omnium, ſed eum ſolere vti cauſſis ſecundis, contendimus: Ac proinde multorum effectorum reddi poſſe rationem naturalẽ, quorum tamen Deus primarius autor eſt. Idem concludimus de effectis Fulminis: quorum aliquot commemorare, rationémque reddere, operæpretium eſſe iudico.

Primò, qui ſit, quòd aliquando flores vuæ in viribus, & vites ipſæ exiccantur à fulmine: cùm tamen nullum aduſtionis ſignum appareat? A fulmine primi generis fit: quòd propter ſubtilitatem penetrat petrarum vitis corpus, ad medullam vſque, & eius ſuccum interiorem exiccat: quo exiccato, fit, vt flores exareſcant, & vitis. Ab eodem & eandem ob cauſſam fit, vt æs in crumena liqueſcat, intacta illæſaque crumena. Item, vt homines aliqui legantur à fulmine interfecti, nulla interim in corpore nota relicta. Item, vt dolio intacto, vinum totum legamus exhauſtum fuiſſe. Quia enim materia talis fulminis, valde rara eſt, ideo penetrat corpora poroſa, & mollia, atque cedentia, ſine vlla ipſorum læſione: vinum verò in dolio poſitum, ſuo magno calore abſumat; & æs in crumena liquefaciat, ac in cineres redigat: vitalem item humorem in homine exiccet, eóque homines interficiat. Eadem cauſa eſt, cur illæſo oculo externè illum excæcet: exiccato humore.

Secundò, qui ſit, quòd contrà, nonnunquam crumena aduratur, fumóque denigretur: æs verò intus poſitum non liqueſcat: & dolium item comburatur. Vinum autem per aliquod temporis ſpatium, vt per triduum aliquando, non effluat, & cutis, caróque humana itidem amburatur, homo tamen non moriatur: & veſtes aliquando & calceos hominis comburat: hominem autem non lædat? Reſpondeo, à ſecundi generis fulmine fit: quia enim denſæ eſt, viſcoſæque materiæ, non facilè penetrat. Ita fit, vt ſuo calore externa tantùm adurat, & fumo inficiat: integra manente interiora ſubſtantia, atque vitali humore. Ac quod de vino dictum eſt, peculiarem etiam habet rationem. Nam propter admixtionem materiæ viſcoſæ ipſius fulminis, vino obducitur quaſi pellis quædam viſcoſa, qua continetur, ne effluat aduſto etiam dolio: non ſecus atque ouum in ventre gallinæ, pellicula tenella continetur. Quòd verò nonnunquam videamus fulmine barbam tantùm, aut pilos capitis comburi, illæſa carne, hoc ideo fit, quia exhalatio illa fulminis, debilis admodum eſt, quia modica, & parum inflammata; vt duriora comburere nequeat.

Tertiò, quòd verò nonnunquam tota aliqua domus, fulmine tacta conflagret, vt ego Venetiis vidi; aut arbores ardeant, & alia id genus fiant; manifeſtum eſt, ea fieri tertij generis fulminibus, quæ verè ignea, & [illegible] vocantur.

Cæterùm, quid dicemus de lapidibus & metallicis globis, qui cum fulmine in terram vibrantur, & quibus aut arbores, aut homines ita feriuntur, vt ſæpe etiam per medium à capite ad pedes vſque ſecentur? Quidam ſentiunt in ſublime iſta eleuari cum vaporibus mixta, & cum illis in nubibus conſtringi: & inde porrò etiam in terram, vi igniti fulminis vibrari.

Alij, ex admixtione exhalationis duplicis, humidæ ſcilicet atque ſiccæ, materiæque terreæ, & metallaris, inter nubem generari, & coqui: & ex ea etiam in terram detorqueri. Vtrumq; verò fieri poſſe, non dubitamus. Certe ſi verum eſt, quod Ariſtoteles refert, vitulum, animal verſi & perfectum è Cælo decidiſſe: alterutrum dicendum eſt, aut merum Dei opus, eóque portentum fuiſſe: aut eò priùs, à turbine aliquo fuiſſe euectum. Nam generationem animalium, præſertim perfectorum, in aëre fieri poſſe, non conceditur à Philoſophis; cùm ea generantur è ſemine animalis eiuſdem ſpeciei: vt etiam Moſes docebit in quinto & ſexto die.

Mirabiliſſimum verò eſt, quod de lapide Anaxagoræ, & Ariſt. Meteor. lib. 1. in c. de Cometa, & Plin. li. 2. c. 25. referunt.

Anaxagoras Clazomenius, Olympiade 28. anno ſecundo prædixit caſurum lapidem è cœlo: & quibúſnam diebus eſſet caſurus: atque ſicut prædixerat, ſic etiam euenit. In parte Thraciæ, ad Ægos flumen, cecidit lapis, idque interdiu: magnitudine vehis (inquit Plin.) h.e magnitudine plauſtri fœni: colore autem aduſto: Cometa illis quoque noctibus flagrante. Lapidem hunc ait Plinius ſuo quoque tempore viſum fuiſſe. Oſtendebatur enim, ſi quis eum videre vellet. Huius lapidis alij quoque autores meminerunt.

Quæſitum autem fuit, qui fieri potuerit, vt tam magnus lapis è cœlo cadere potuerit: an quòd eò euectus fuerit è terra, vi ventorum, & poſteà ceſſantibus ventis, deciderit? an quòd in aëre genitus, & concretus fuerit ex vapore terreo, atque halitu, quemadmodum etiam in animalium corporibus, lapides in renibus, aut in veſica concreſcunt. Ariſtoteles cenſuit, in altum fuiſſe vi ventorum ſublatum. Alij mallent dicere genitum fuiſſe atq; cõcretum in aëre, ex materia terrea, niſi magnitudo lapidis obſtaret. Videtur enim omnino fieri non potuiſſe, vt tamdiu lapis ille fuerit in ſublimi, donec in tantam magnitudinem concreſceret. Hinc certè videmus mirabilem Dei potentiam, admirandáque eius opera. Si, vt tunc tantum lapidem è Cœlo emiſit: nunc tot ſimiles lapides in terram vibraret, quot ſunt grandines, quum grandinat: an non totum humanum genus periret? Imò ſi tantùm fulmina continuaret, per vnum aut alterum diem, vt poteſt facere, quò ſe miſeri mortales verterent? Quæ regum potentia opponi poſſet? Ergo ex iis mirabilibus Dei operibus, quæ operatur in aëre, diſcamus timere Deum. Atque hæc de Fulmine, vera Iouis, hoc eſt, Iehouæ ſagitta, ſatis ſunto.

De Fulgure.

EX iis verò probè intellectis, facilè intelliguntur, quæ etiam de fulgure, fulgetro, atque preſtere, traduntur. Omnia enim ex eadem materia fiunt, & eodem ferè modo generantur, niſi quod materia Fulminis, multa eſt, cum aliorum ſit modica.

THESIS I.

Fulgur ſplendor eſt, aut ex fulminis inflammatione, aut per ſeſe, hoc eſt, propria ſua accenſa materia, emicans.

PRimùm enim, ex omni flamma ſplendor edi ſolet. Ergo cùm nube diſciſſa, fulmen efficitur, ſplendor ſtatim conſequatur oportet. Fulmen enim materia eſt accenſa, & ignita. Fulménque eſt, quod incendit. Fulgur autem ſplendor, qui emicat. Deinde ſæpe exhalatio ſicca, & calida in nubibus concluſa atque inflammata, modica eſt, & non tanta, vt inde fulmen gigni poſſit. Splendor itaque, qui tum ex accenſa illa modica exhalatione effulget: fulgur eſt, per ſeſe emicans, abſque fulmine.

THESIS II.

Duplex eſt ergo fulgur, vnum, quod ex fulmine, alterum, quod per ſe, citra fulmen emicat.

THESIS III.

Vt verò fulmen ſine fragore non fit: ita neque fulgur.

REs per ſe eſt manifeſta. Cauſſa eadẽ eſt vtriuſque. Nam primum quidem, quum fulgur emicat ex fulmine, manifeſta eſt cauſſa, cur ſine frágore fulgur non fiat. Si enim Fulmen ideo cum fragore fit, quia egreditur è nube violenter à ſe perrupta, efficitur, etiam fulgur, quod ex fulmine naſcitur, non ſine ſtrepitu, eandem ob cauſſam fieri. Quum autem ſine fulmine, per ſe emicat, non emicat, niſi è nube per vim effracta, egreſſum. Semper igitur propter perruptam nubem, fulgur fit cum fragore.

Sic ex lignis ardentibus erumpens fumus, ſtrepitum edit. Sic caſtanea, quũ torretur, calore diſrupta, ſonitum facit. Sic veſica, aëris plena, ſi violenter diſrumpatur, crepat. Ad hunc igitur modum, omnis exhalatio, ſiue fulminis ſiue fulguris, cùm perrupta nube egreditur, ſonitum reddit.

THESIS IV.

Eſt porrò inter vtrunque, fulmen ſcilicet & fulgur

gur, diſcrimen, neque ſimplex, neque paruum.

PRimùm: quòd fulgur per ſe emicans, non multò fit ſpiritu, & illo quidem ſparſo, & per interualla exeunte: Fulmen verò, multum eſt ſpiritus, & ille totus ſimul excluſus è nube; ideóque maiori cum ſtrepitu, quàm fulgur egreditur. Deinde, quòd fulmen in terram vſque deuoluitur, terrenáque tangit corpora: At verò fulgur huc vſque non pertingit, ſed è longinquo oculos noſtros perſtringit, reſplendens ſub nubibus: & in nubibus etiam extinctum, euaneſcit.

Proinde apparet, magnum diſcrimen eſſe inter fulmen, & fulgur, tum ratione materiæ, è qua generantur: quòd illud ex multa, hoc ex modica; tum ratione, è nube, egrediendi, quòd illud ſimul totum, hoc verò per interualla; tum ratione impetus & fragoris: quòd illud cum maiori, hoc verò cum minori fiat, tum ratione loci, quo pertingunt: quòd Fulmen in terram vſque vibretur; Fulgur verò intra nubes extinguatur. Denique ratione etiam effectuum: Neque enim ea præſtat effecta, fulgur, quæ fulmen; vt notum eſt. Atque hæc de fulgure.

De fulgetro.

QVæ verò diximus de fulgure, ea maximè faciunt ad cognitionem fulgetri.

THESIS I.

Fulgetrum ſplendor eſt, ſeu coruſcatio: quæ ex modica, tenuíque exhalatione in tenui nube accenſa, per interualla vel cum nullo, vel cum paruo ſonitu, per totum aerem vno momento emicat.

SPlendorem eſſe ſeu coruſcationem, quæ aut ſine ſtrepitu, aut cum paruo ſono, & per interualla, vno momento, totum illuſtret aërem, experientia docet. Oriri etiam hunc ſplendorem, ex materia aliqua accenſa, manifeſtum eſt: quia lux ex igne eſt. At verò, & modicam eſſe illam accenſam materiam, & tenuem nubem, è qua erumpit, colligitur ex effectis. Si enim multa eſſet materia, & nubes etiam eſſet denſa: non ſine magno ſtrepitu, & fragore, id fieret. Cùm autem, vel nullus, vel paruus ſonitus audiatur: apparet, tenuiſſimam eſſe, & materiam fulgetri, & nubem, è qua exit.

Aërem verò impleri lumine fulgetri: apparet inde luculenter, quòd in domus & cubicula, per feneſtrarum rimas, copioſè ingreditur, ac penetrat.

THESIS II.

Sunt autem Fulgetra ſæpe noxia, teneris præſertim herbulis.

QVia enim materia ſubtiliſſima eſt fulgetrorum; idcircò facilè penetrant. Quia verò ignita, ideò herbas exiccant.

THESIS III.

Fieri verò ſolent, in tempeſtatibus: & præſertim pluuioſis noctibus.

THESIS IV.

Etſi autem eodem tempore, tàm fulgur, & fulgetrum, quàm fulmen fiant, quo etiam ipſorum ſonitus, ſiue magni, ſiue parui: prius tamen videtur ſplendor, quàm ſonitus tonitrúve audiatur.

EFfectus manifeſtus eſt. Poſt viſum enim ſplendorem fulgetri, audire ſolemus tonitru aliquod, licèt tenue: cùm tamen tunc fiat, quum rumpitur nubes. Tunc autem hæc rumpitur, cùm materia inflammata, cum fulgore exit. Ratio huius rei, ſuprà eſt aſſignata. Ergo licèt fulgur ad formam fulminis, & fulgetrum ad formam fulguris accedat, magnum tamen inter ipſa, eſt diſcrimen.

De Preſtere.

Reſtat poſtremum Meteoron ignitum: quod πρηστὴρ ab Ariſtotele appellatur: Latinè, *igneus turbo:* πρηστὴρ enim aliquando pro fulmine capitur: de quo ſuprà: nonnunquam diuerſa res eſt à fulmine. Et de hoc hic dicendum eſt: de quo Ariſtoteles Meteor. lib. 3. cap. 1.

THESIS I.

Πρηστὴρ, ſeu τυφὼν, turbo eſt accenſus, qui tum aërem ſibi proximum incendit, tum reliqua à ſe contacta, amburit, atque proſternit.

PReſterem, eſſe turbinem: docent & Ariſt. & Plin. Et quidem aiunt non differre πρηστῆρα, à typhone, niſi accenſione. Quid autem ſit turbo, ſeu typhon, docet idem Ariſtoteles, & nos in Meteoris aëreis explicabimus. Inter ventos connumeratur; ſed incluſus in nube. Exhalatio enim eſt ſicca, in nube concluſa: vt ſuo videbimus loco. Eſſe verò accenſum turbinem: ipſa vox indicat πρη[illegible], quam Ariſtoteles, à πίμπρημι, quod eſt incendo, deducit.

Καλεῖται (inquit) πρηστὴρ· ὅταν [illegible] τὸν ἀέρα, τῷ πυρῶδες χρωματίζων. Sunt qui à πρήθω, quod idem ſignificat, deducant. Ita apparet à nomine, inter ignea collocandum eſſe Plinius lib. 2. cap. 49. ait fulmen eo modo diſtare à preſtere, quo flamma ab igne: Et hunc latè fundi flatu: illud autem conglobari impetu.

Quòd autem πρηστὴρ, proximum aërem accendat, didicimus ex Ariſtotele. Quòd verò reliqua à ſe contacta amburat, & proſternat: docet Plinius lib. 2. cap. 48. dicendo: *Idem verò* (turbo ſcilicet) *ardentior, accenſúſque dum furit: preſter vocatur: amburens contacta, pariter & penetrans.*

Seneca etiam lib. natural. quæſt. 5. cap. 13. ſic de turbine & preſtere, ſcribit:

Hic ventus circumactus, & eundem ambiens locum & ſe, ipſa vertigine concitans: turbo eſt. Qui ſi pugnacior eſt, ac diutius volutatur: inflammatur, & efficit, quem πρηστῆρα Græci vocant. Hic eſt igneus turbo. Hæc ille.

THESIS II.

Eſt itaque preſteris materia, eadem quæ & typhonis, ventorúmque omnium & tonitrui, & fulminis ac fulguris: exhalatio ſcilicet ſicca.

DOcet hoc Ariſtoteles lib. de Mundo: in hæc verba, ἀπὸ δὲ τῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως γίνονται ἄνεμοι [illegible] βρονταί τε καὶ ἀστραπαὶ καὶ πρηστῆρες καὶ κεραυνοί: ſed hæc materia, alias diuerſáſque aſſumit qualitates, quum inde fiunt preſteres, & fulmina, quàm quum ſimplices generantur venti.

THESIS III.

Forma verò preſteris rotunda eſt, & ferè ampliſſimè longæque columnæ figuram habet.

LVcretius, qui preſterem quoque egregiè deſcripſit, vocat eum *columnam:* nempe, igneam. Ait enim, aliquandò preſterem, inſtar columnæ igneæ, demitti paulatim in mare de cœlo: quæ columna, vbi diſciſſa eſt, vis venti ſpargitur, aquáſque maris mirabiliter calefacit. Talis figura eſt omnis ferè turbo: id quod ab effectu apparet; dum puluerem, paleas, & alia per gyrum in ſublime, è terra: & naues, è mari eleuat: quomodo magnum quoque Anaxagoræ lapidem eleuatum fuiſſe in ſublime, voluit Ariſtoteles.

Quia itaque, & preſter turbo eſt, ſed igneus; fit, vt, ſicut à turbine, ſic etiam à preſtere, nonnunquam naues, quas in mari corripiunt, ſecúmque inuoluunt: & homines, & res etiam aliæ in ſublime rapiantur.

Huic ſimilis fuit, currus igneus: qui Eliam in cœlum ſubuexit. Quanquam enim ea res, non naturalis, ſed ſupra naturam, diuina tantùm potentia, facta fuiſſe creditur: ad figuram tamen, & effectum quod attinet, magnam cum preſtere habuit ſimilitudinem. Currus enim fuit igneus: qui tanquam turbo, & preſter, Eliam complexus, in cœlum ſubuexit. Imò fieri etiam poteſt, vt Deus ad currum illum fabricandum, cauſſis naturalibus vſus fuerit: materia ſcilicet è qua etiam turbines naturales fiunt: neque enim hoc pugnat cum ſcripturis.

Res certè fuit haud abſimilis preſteri. & aëreus fuit currus. Atque hæc de ignitis omnibus Meteoris dicta ſunto. Eſt autem eorum, præter alios, duplex vſus. *Vnus*, vt his, fidem de miraculis igneis, in aëre factis, confirmemus: hoc modo, ſi naturaliter, ex prima Dei ordinatione, tot, & tanta, támque varia ignita meteora, in aëre generantur, vt videmus quotidie: quid mirum igitur, quòd ſcriptura prædicat, de columna ignis, quæ in aëre apparebat Iſraëlitis, eíſque præibat in terram Chanaan? Quid miramur, ignem, toties è Cœlo fuiſſe miſſum: partim ſupra hoſtes Dei, *ſupra Sodomitas, ſupra Nadab, & Abihu, ſupra 250. viros rebelles, qui offerebant incenſum:* Num. 16. Item *ſupra quinquagenarios: partim ſupra holocauſta, & ſacrificia Abrahæ*, Geneſ. 15. *Aaronis*, Leuit. 9. *Eliæ*, 1. Melach. 18. *Salomonis*, 2. Paral. 7. Quid abſurdi narrat ſcriptura: quum docet, Spiritum ſanctum in forma linguarum ignearum, ſupra Apoſtolos è Cœlo deſcendiſſe: viſáſque eas ab omnibus, qui aderant, fuiſſe? Quid etiam eſt, cur non credatur quod ait, *igne renouatum iri Mundum: Et impios in igne perpetuò eſſe cruciandos: nos verò rapiendos eſſe in aera & ituros obuiam Christo*: cùm videamus, turbine, & preſtere, maximas grauiſſimaſque naues, in Cœlum ſubuehi: quemadmodum & ſuo curru Elias? Ergo ad con-

firmandam fidem de iis, quæ narrat ſcriptura, admirandis, & diuina potentia factis, vel faciendis in aëre operibus ignitis, vtendum nobis eſt hac doctrina naturali de meteoris ignitis. Hunc vſum docet Apoſtolus, quum ab eo, quod fit naturaliter in ſemente tritici, milij, & cuiuſuis alterius leguminis: nempe quòd prius putreſcant in terra, & poſtea viua, & pulchra reſurgant: corporum quoque noſtrorum, probat vel confirmat potiùs glorioſam à mortuis reſurrectionem. Ac infinita ſunt in ſcripturis teſtimonia: quibus à rebus, quas quotidie naturaliter fieri videmus, confirmantur res ſupernaturales. Et meritò: Eſt enim eadem Dei potentia; qua & illa fiunt naturaliter, & iſta ſupernaturaliter. Atque hinc apparet, quam vtilis ſit cognitio rerum naturalium, quam *Phyſicam Philoſophiam* appellant. Scientia enim Phyſicorum Dei operum, ſeruit ſupernaturalibus eiuſdem Dei operibus aduerſus calumniatores confirmandis. Hic igitur primus eſto vſus huius doctrinæ, de igneis meteoris.

Alter vſus, ad præſentem pertinet vitam. Sunt hæc, & alia etiam, quæ in aëre, & in cœlis fiunt naturaliter, opera, non ſolùm præcedentium cauſſarum effecta, ſed ſæpe etiam ſubſequentium, imminentiúmque aliorum effectorum, ſiccitatis, ſterilitatis, peſtilentiæ, & id genus aliarum vel calamitatum, vel benedictionum, aut ſigna, aut cauſſæ, aut vtrúmque; ac proinde monent nos, quomodo debeamus nobis, antequam eam contingant, proſpicere. Exemplum: Præmonuerat Deus per ſomnium Pharaoni immiſſum de futura ſterilitate Ioſephum: in quem verò finem? Præter alios, vt toti Ægypto, & ex conſequenti ſuo etiam parenti, ſuíſque fratribus, de annona proſpiceret. In eundem etiam finem præmonet nos per ſigna operáque cœleſtia, vti ſunt Cometæ, fulmina, & alia meteora, rerum futurarum: vt in tempore, proſpicere nobis, noſtríſque poſſimus. Deus etiam iſte, contemnendus non eſt. Vocantur hæc ab omnibus prognoſtica. Prognoſticum autem, quid ſit, nemo ignorat. Eſt enim imminentis euentus, futuræque rei, ſignum, ac ceu præſagium. Proinde meteora, de quibus diximus huc vſque, non tam effecta ſunt naturalia, ex naturalibus cauſſis profecta, quàm etiam aliarum rerum, tempeſtatúmque indicia: vt pluuiæ futuræ, vt niuis, vt venti, vt ſerenitatis, vt ſiccitatis, vt penuriæ, & ſimilium. Et ſigna ſunt aliquando quidem neceſſaria: aliquando tantùm probabilia. Neceſſaria quidem; vt quum non ſolùm ſunt ſigna, verùm etiam cauſſæ eorum, quæ futura ſunt, naturales. Exemplum: Vt magna nubium copia, cauſſa eſt materialis inſequentis pluuiæ, eáque naturalis. Erit igitur ſignum etiam pluuiæ futuræ neceſſarium: Eſt enim eadem, ſignum neceſſarium, & certum, collectæ antea aquæ in media regione aëris. Oportet igitur eam aquam deſcendere. Probabilia autem, vt diuturna pluuia, probabiliter indicat futuram ſterilitatem: Sic de ignitis meteoris eſt dicendum.

Quædam itaque ignita meteora: ſigna ſunt rerum futurarum neceſſaria, quædam probabilia; & eadem meteora, ſigna ſunt quarundam rerum certa, & aliarum incerta; ſicut in loco de Cometa diximus. Monet autem nos Deus per hæc ſigna, rerum futurarum, vt ſicut antea diximus, munire nos poſſimus aduerſus id genus calamitates: ſi non alia ratione, ſaltem fide, pœnitentia, & precibus.

CAPVT IV.

De Aereis Meteoris.

EXplicatis ignitis Meteoris: ratio docendi poſtulat, vt nunc de aëreis diſſeramus. Poſt ignem enim ſequitur aër. Sunt autem & hæc duplicis generis. Quædam enim ex ſimplici fiunt exhalatione; vt venti ſimplices & terræ motus: quædam ex exhalatione in vapore incluſa, per eruptionem; vt procella ἐκνεφίας, *turbo*, τυφὼν & *tonitru*. Ac primùm de vento, vnde ferè reliqua pendent. Etſi vero in Pſalmo 105 Deus prædicatur, cauſſa efficiens ventorum, quum ait Dauid, *Deum, illum eſſe qui producit ventos de theſauris ſuis*: non negatur tamen, Deum ad ventos producendos, vti cauſſis ſecundis, ad hoc officium deſtinatis. Nam etiam ibidem legimus, *Deum, eum eſſe, qui aſcendere facit nubes* (hoc eſt, exhalationes omnes) *ab extremo terræ*, (hoc eſt, è terra, quæ extrema Mundi pars eſt:) *& inde facit pluuias, & fulgura*: hoc eſt, meteora, tum aquea, tum ignea: Geneſeos tamen cap. 2. ait Moſes, *Aſcendebant autem è terra, vapor ſeu nubes: & irrigabat terram. Aſcendebat* (inquit) nempe naturaliter vapor, Deo ſcilicet eum, ſed per Solem è terra eleuante. Imò, hoc eſt, quod in eo Pſalmo admiratur Dauid, & à quo laudat Deum: nempe quòd tam pulchrum ordinem in Mundo ſtatuerit: vt nubes ex ipſius ordinatione, aſcendant è terra, vi Solis attractæ: indéque & pluuias & fulgetra, & ventos eliciat, omniaque regat ſua prouidentia, modò vtens, modò non vtens cauſſis ſecundis. Nihil igitur contra ſcripturas facimus: quòd horum meteororum cauſſas naturales inueſtigamus. Nam cùm dicit Dauid, *Deum producere ventos de theſauris ſuis*: docet, ignotum quidem eſſe vulgo vnde veniant venti, & quò eant, vt etiam ait Chriſtus, Ioan. 3. Sed ſimul tamen etiam indicat, illorum materiam eſſe in terra abditam. Ventorum enim materia ſunt exhalationes è terra ſiccæ, vi Solis in aërem euectæ, vt videbimus. Proinde ait, *Qui educit ventos de theſauris ſuis*. Sed vulgus hæc ignorat, quæ tamen noſſe vtile eſt. Permittendum igitur nobis non eſt, vt quæ naturaliter de ventis ſciri poſſunt, déque eorum cauſſis: ea nos negligamus, & ignoremus. Præſertim cùm in ſcripturis, ventorum mentio, quàm ſæpiſſimè fiat: & ad facienda mirabilia, eis vſus ſit Deus: eorúmque cognitio ad multos locos S. literarum intelligendos, plurimum valeat. Dicemus itaque de ventis, primum quidem ea quæ omnibus ſunt communia. Deinde quæ ſingulorum propria ſunt: multi enim ſunt venti.

THESIS I.

Materia ventorum, exhalationes ſunt ſiccæ, & frigidæ.

PRimò, *exhalationes* eſſe dico: aduerſus eos, qui ventum dicebant, nil aliud eſſe, quàm aërem commotum, ſeu fluentem: eúmque ſolum, materiam eſſe ventorum. Aiebant enim, eundem aerem, aerem vocari, quum eſt quietus: ventum autem, cùm agitatur: Nubem verò, cùm denſatur. Quam ſententiam, multis rationibus, refellit Ariſtoteles, lib. 2. c. 4. & meritò id quidem. Omnium enim meteororum materia, ſunt exhalationes, vel ſiccæ, è terra, vel humidæ, ex aquis: vt ſuprà demonſtratum eſt, quæ exhalationes, nomine aquarum, quæ ſupra eſſe ad firmamentum leguntur, à Moſe ſignificatæ ſunt. De materia meteororum igneorum, ſatis apertè declaratum, probatúmque id eſt. De aqueorum materia, nemo non videt, eam eſſe vapores humidos. De terreis meteoris, nemo dubitat: quin ea ſint ex terreſtribus vaporibus. Neque igitur aereorum materia, ſolus aer eſſe poteſt: ſed principalis materia ventorum, & omnium aereorum, ſunt exhalationes: eæque ſiccæ, quæ in mediam regionem aeris, vi Solis ſubductæ, à nubibus autem tum frigefactæ, tum repercuſſæ, vi coguntur aerem hunc turbare, & cum illo ſpargi per latus: id quod ſpirare vocant, vt declarabimus. Hæc eſt materia ventorum. Deinde aer humidus eſt, & calidus: venti autem ſicci, & frigidi ferè.

Secundò, notandum, quum dicimus materiam hanc *exhalationem eſſe ſiccam*: intelligendum eſſe dictum, non ſimpliciter; ſed reſpectu prædominantis: &, vt loquitur Ariſtoteles, κατὰ τὴν ὑπεροχήν. Nulla enim eſt exhalatio tam ſicca, quæ non ſuam etiam habeat humiditatem: nec contrà. Quis enim fumus igneus tam ſiccus eſt, qui non ſuum habeat humorem? Certè nulla exhalatio fieri poteſt è terra: niſi ea humore profundatur. Ideò rectè ait Ariſtoteles, ἔστι δ' οὐκ ἔστι τὸ ὑγρὸν ἄνευ τοῦ ξηροῦ οὔτε τὸ ξηρὸν, ἄνευ τοῦ ὑγροῦ ἀλλὰ πάντα ταῦτα λέγεται κατὰ τὴν ὑπεροχήν.

Tertiò, obſeruandum, cum materiam ventorum Ariſtoteles vocet exhalationem calidam, nos verò dicamus eſſe frigidam: quomodo hæc cohæreant: Ille reſpicit initium, quum hæc materia è terra eleuatur. Calefit enim vi ſolis: ſed tamen non eſt proxima venti materia. Poſſet enim in aliud meteorum; vt in igneum mutari: ſi aſcendere permitteretur in ſupremam aëris regionem. Nos igitur cum aliis, reſpicimus immediatam materiam venti: quæ tum demum verè fit ventus, quum in nubem frigidam impingens ipſa etiam frigefacta, vi deprimitur in hanc infimam regionem: & in latus aliquod mouetur. Cæteroqui, initio calida eſt, non quidem per ſe, ſed per Solis vim. Quæ ergo ſit ventorum materia, perſpicuum eſt. Eſt exhalatio terræ: ſed cum aëre coniuncta.

THESIS II.

Efficiens cauſſa ventorum naturalis, eſt tum frigiditas mediæ regionis: tum aliæ multæ exhalationes, priorem ſubſequentes, & infernè eam agitantes.

DE naturalibus, & ſecundis cauſſis loquimur. Natura enim prima, & ſupernaturalis, Deus eſt, vt Pſalm. 105. *Qui producit ventos de theſauris ſuis*. Neque de remotis, ſed de propinquis iiſdémque propriis veríſque cauſſis diſſerimus. Nam Sol cauſſa eſt generalis, omniũ exhalationũ, quatenus ipſe

ipſe eas è terra,& aquis excitat. Sed propinqua, eóque propria cauſſa ventorum non eſt. Neque nobis hîc ſermo eſt de aliis cauſis, quàm de perpetuis. Vis enim etiam aſtrorum, Planetarum; quorum alia, atque alia coitione, alióque aſpectu, venti magis ac magis excitantur: vt ipſa docet experientia. Sed cauſſa hæc non videtur eſſe perpetua. Proinde hanc non poſuimus in Theſi. Quæ verò poſitæ ſunt; hæ demum ſunt nubes, propinquæ, perpetuæ. Hoc iam liquidò apparebit, ſi modum, quo venti generantur, explicemus.

Quomodo venti generantur? Prius cape exemplum. Eſto fumus, qui ex acceſo igne in viridi ligno, continenter aſcendat: Eſto deinde supernè amplitudo aliqua, vel parietis, vel laminæ ferreæ, quæ fumum aſcendentem reprimat, & deorſum pellat: Infernè verò fumus idem qui deorſum pellitur, à reliquo qui ſuccedit, ne deorſum deſcendat, propellatur: quò obſecro tendet fumus iſte intermedius? Cogetur in latus aliquod, impetuoſè fluere, atque ſpirare: in illam ſcilicet partem, qua tranſire poteſt. Vnde verò iſte motus: & ſpiratio? à duabus cauſis: vna ſuperna, quæ depellit, ne aſcendat: altera inferna, quæ propellit, ne deſcendat. Cui accedit etiam propria fumi leuitas: qua fit, vt non poſſit per ſe deorſum deſcendere: vt in caminis fieri videmus. Hoc ſanè modo etiam ventorum fit generatio. Vapor ſiccus, & verò etiam vi Solis calefactus, dum aſcendit, vt ſupremam aëris regionem petat: ſimul ac peruenerit ad mediam regionem: ibi non ſolùm ab aëre illo frigido, frigeſit: verùm etiam à nube craſſa, & frigida, tum magis ac magis fit frigidus, tum violenter deorſum pellitur, tanquam contrarium à contrario: Quia verò vapor iſte multus continenter è terra aſcendit: fit, vt vapor qui depellitur, ab aliis eiuſdem vaporis partibus perpetuò aſcendentibus, ne deſcendat, propellatur. Hic verò ita vtrinque violenter agitatus vapor: agitat etiam circumſtantem aerem, & vſque adeò augetur & vapor: & tam aëris, quàm vaporis motus, vt vterque ſimul impetuoſè, in latus flare cogatur. Sic, inquam, generatur ventus ab iis duabus, vt dictum eſt, cauſſis: vna ſuprema, altera inferna. Ariſtoteles aliud affert ſimile: explicaturus, non tam quomodo generentur: quàm quomodo augeantur venti. Docet eandem in ſumma eſſe naſcentium & creſcentium ventorum rationem, quæ & fluuiorum. Explico. Quum pluit, aqua quæ rectà deſcendit, à terra in quam cadit, impeditur, ne magis inferiùs deſcendat: ſurſum etiam redire non poteſt. Vſque adeò verò augentur guttæ: vt aqua illa facta copioſa, in latus aliquod impetuoſè fluere cogatur: atque ita generatur fluuius aliquis, & torrens aquarum augetur. Idem de exhalationibus, quæ ſurſum aſcendunt: & vnde gignuntur, augentúrque venti, dicendum eſt. Eſt itaque perſpicuum quomodo generetur ventus: ac proinde, quæ ſint veræ, & proximæ venti cauſſæ. Hinc ſequitur tertia theſis de motu ventorum: qualis ſit, & vnde oriatur.

THESIS III.

Ventorum motus initium habet è ſupero loco: obliquúſque eſt, & lateraliter in contrarium, aduerſúmque locum fluit.

MAteria quidem venti, ab infero loco, id eſt, à terra ortum habet, & inde ſuum naturalem incipit curſum, qui ſurſum tendit, propter materiæ leuitatem: At verò motus eiuſdem materiæ, quatenus ventus eſt facta: à ſupero incipit loco, quum ab aere denſo & à nube frigida, violenter depellitur. Obliquus verò eſt, & tortuoſus: quoniam exhalatio illa depulſa, non poteſt rectà deorſum reflecti: partim propter leuitatem ſuam, (leuium enim non eſt deſcendere:) partim propter alias exhalationes, continenter aſcendentes & deſcendentem, vel potiùs vi detruſam, propellentes. Cui rationi accedit motus aeris naturalis, qui eſt ad formam orbis. Coniuncti autem ſunt motus, exhalationis ventoſæ & aeris.

Lateraliter autem mouetur ventus, & in locum oppoſitum: puta qui ab Oriente, in Occidentem: & qui ab Aquilone, ad Meridiem: propterea quòd pellitur à nube frigida, vt dictum eſt, non tam è ſupernis deorſum: quàm etiam ex latere vno, in latus contrarium. Tales enim nubes, quæ ventos excitant, magnum occupant ſpatium, non tam in latitudine, quàm in altitudine, & craſſitie. Ab illa igitur parte, quam implet nubes: ad illam, quæ ex aduerſo nubis eſt, per aerem intermedium pellitur exhalatio ventoſa: & ita fit motus venti lateraliter, ab oppoſito in oppoſitum locum. Proinde videmus ventos inde flare, vbi nubes ſunt denſiores. Cui etiam accedit ratio, à Planetarum ſitu, & aſpectu ducta. Cùm enim & ipſa ſæpè, vt ſuprà dictum eſt, ad vētorum generationem concurrant: in oppoſitam partem mouean̄tur venti neceſſe eſt, ab ea in qua ſitum habent Planetæ illi, à quibus cientur. Vt ſi à ſole ventus excitatur, & is ſit in Oriente, ventum quoque moueri ab Oriente in Occidentem oportet. Materia enim venti in Oriente erit.

Talis eſt ventorum motus: Et hæ illius cauſſæ.

Porrò de tempore, quo maximè venti generantur, hæc eſto theſis:

THESIS IV.

Sæpe generantur, in Vere, & Autumno: rarò autem hyeme, & æſtate, communes venti.

PRimum, cur non generentur æſtate, ſeu tempore magni æſtus; ratio eſt, quoniam, qui à Sole eleuantur vapores æſtate, eoſdem etiam ſuo maximo æſtu conſumit Sol: vt non ſinat eos ad mediam regionem peruenire: & inde ventos gigni. Deinde tempore magni æſtus, terra vehementer ſicca eſt. Ita inde eleuari non facilè poſſunt, niſi vapores, ſeu exhalationes, vehementer ſiccæ, calidæ, & inflammabiles: proinde æſtate ſæpius videmus ignita meteora, quàm aquea, aut aërea. Videmus etiam, ſi pluat æſtate, ferè contingere, vt poſt pluuiam, fiant venti. Quid ita? Quia cùm terra facta ſit humidior, inde vi ſolis materia ventis generandis accommodata, eleuatur. Vt enim venti generentur, neceſſe eſt, materiam eſſe non vſque adeò ſiccam, quin ſuam etiam habeat humiditatem: alioqui ventus non fieret, nec continuaretur. A contrario igitur apparet hanc eſſe cauſſam, cur æſtate non ita generentur venti: quia terra nimis ſicca eſt. Sicut neque è lignis aridiſſimis accenſis, fumus exit. Atque hoc de communibus ventis, veriſſimum eſt. Cæterum de vehementiſſimis ventis, qui diruunt domos, & euellunt arbores, alia eſt ratio. Fiunt enim hi æſtate potiſſimum: cuius ratio eſt quoniam tunc poſt pluuiam, quæ ſupra multum, & craſſum terræ puluerem cadit, eleuari ſolent vapores omnino craſſi, ac verè terreſtres. Si ex his igitur craſſis vaporibus, & aëre agitatur ventus, vehementiſſimè concutiunt ædificia, arbores que & alia corpora. Id quod maximè contingere cernimus, tempore caniculari: quo maximus viget æſtus. Cæterùm, cur communes venti non ita æſtate, ſicut autumno & vere fiant: ratio explicata eſt.

Secundò, ideo verò hyeme non contingunt ita venti, quia è terra, propter frigus conſtricta, atque concreta, materia ventorum elici non poteſt. Verùm autumno, & vere, quia neque terra ita ex frigore concreta eſt, quin vapores ventoſi elici ex ea poſſint; neque Sol tantam habet vim, vt tales vapores exiccare, & conſumere penitus queat: idcircò, vt plus pluuiæ: ſic etiam plus ventorum, tunc generari poteſt. Atque hæc tempora ſunt ventorum ordinaria.

Hinc etiam de locis in genere vbi potiſſimùm generentur, facile eſt iudicare.

THESIS V.

Locus vbi ſpirent venti, eſt paulò infra mediam regionem, in terram vſque.

RAtio eſt, quia pellitur materia venti, è media regione, in infimam. Ergo non ita multò infrà mediam regionem, incipit flare ventus. Docent hoc etiam montes, vbi ſpirare ſolent venti, & dipellere etiam è cælo nubes. Non ita autem in vallibus vmbroſis: quoniam Sol tantam ibi non habet vim, vt exhalationes ſuas, vnde fiunt venti, eleuare queat.

THESIS VI.

In paludibus item deſertis & amplis, in regione temperatè humida, excitari ſolent venti.

RAtio ducitur à materia, ventis gignendis idonea, vt ſuprà explicatum eſt. Atque hæc de locis ventorum in genere.

Ex his autem omnibus, quæ ventorum omnium communium ſunt: facilè colligi poteſt, venti definitio.

Ventus exhalatio eſt, magis ſicca, quàm humida: quæ vi Solis è terra, ad mediam regionem aeris eleuata, & nubi frigidæ illiſa, atque è calida, frigida effecta: à nubéque deorſum violenter depulſa, infernè verò, partim à ſua naturali leuitate, partim ab aliis exhalationibus continenter aſcendentibus, ne rectà deorſum moueri queat: impedita: obliquè cum aere, à ſe impulſo, & agitato, lateraliter mouetur, & in locum, loco vnde incipit moueri, oppoſitum, fluit ad varios fines, à Deo Opt. Max. ordinata.

Vel breuius ſic.

Ventus, flatus eſt aerea natura, ex vaporibus terræ, ſiccis & frigidis: in media regione aeris & nube frigida excitatus: & per hanc infimam regionem, obliquè delatus: atque lateraliter, in locum, loco vnde incipit oppoſitum ſpirans: cùm ad repugnan-

dum aërem, corporáque animata fouenda ac recreanda, tum etiam ad multa Dei iudicia in ipſos mortales exequenda, ordinatus. Conſtat hæc definitio ex omnibus cauſſis: & è præcipuis proprietatibus venti.

Additur hic quæſtio, cùm ſciamus, è quibus cauſſis generetur ventus, atque ad flandum excitetur; quænam illa ſint, quæ illum ſiſtant, ceſſetéque faciant? Reſpond. facilis eſt: Remotis cauſſis, remoueri effecta: vetus, certáque eſt propoſitio. Si itaque aut materia venti conſumatur: aut frigida illa nubes, vnde exhalatio deprimitur, euaneſcat, deſinit ventus.

Materia autem conſumitur, à Sole potiſſimum, cùm luce caloréque ſuo, quicquid humidi eſt in exhalatione, abſumit. Nam tum etiam fumus, è ligno accenſo, egredi deſinit: quum, quicquid humoris erat in ligno, abſumptum fuerit. Idem Sol dicitur ventos, antequam fiant, ideo impedire: quia materiam vnde poterat ventus generari, antequam generetur, ineptam nulláмque reddit ad venti generationem, aut terram nimis exſiccando, antequam emittat exhalationem: aut exhalationem iam factam, antequam perueniat ad mediam regionem, penitus abſumendo, vel certè labefaciendo: vt Ariſtoteles prudenter ibi explicat, vbi incipit, ὁ δ' ἥλιος καὶ παύει καὶ συνεγείρει τὰ πνεύματα.

Cùm igitur Sol ille hic, qui ventos, ne oriantur, impedit, materiam ante illorum ortum tabefaciendo: idem etiam eſt, qui exortos ſiſtit, materiam vnde illi orti ſunt, & flant, paulatim abſumendo. Hæc eſt cauſſa naturalis, ventos ſiſtens. Additur & pluuia, quæ hæcque Phyſica ratio illos ſedandi. Additur & pluuia, quæ idem præſtat. Ciet ventos, cùm terram nimis ſiccam ita humectat, madefaciendo, vt ex ea aſcendere poſſint exhalationes, ventorum materia. Eoſdem ſiſtit, cùm ſua nimia humectatione, aut fumos aſcendentes corrumpit, aut terræ foramina, ne fumi exeant, obſtruit. Hæ ſunt naturales cauſæ. At verò ſupernaturalis cauſa, Deus eſt, qui ſuo ſimplici iuſſu, ſicut excitat, ſic etiam ſedat ventos. Proinde Dominus Ieſus, vt declararet quiſnam eſſet, filius nimirum altiſſimi, altiſſimus Deus: imperabat ventis, vt flare deſinerent. Ad ſummam, poſt Deum, nimius calor, & nimium frigus, nimia humiditas & nimia ſiccitas, ventos, & ne fiant, impediunt, & diſpellunt factos.

De Numero ventorum.

Quæ communia ſunt ventorum omnium, ea breuiter abſoluimus: nimirum quænam ſit ventorum materia, quæ efficientes cauſſæ, quomodo generentur, qualis eorum motus, vnde incipiant, & quò tendant, denique quo tempore, & quibúſnam in locis potiſſimùm fiant; è quibus omnibus, venti definitio collecta eſt. Quibus etiam adiecta eſt explicatio quæſtionis, à quónam, quáve ratione ſedentur, ſiſtantúrque venti. Nunc explicanda ſunt ventorum Genera, & ea, quæ ſunt ſingulorum principia; vt, quibúſnam è locis flent, & quæ cuiuſque ſint qualitates, ac proprietates: De ſimplicibus autem hîc: ventis loquimur: nondum autem de illis, qui ex materia, in nube incluſa: vt ſunt Turbo, & ἐκνεφίας, generantur.

Ad primum igitur quod attinet, hæc eſto

THESIS.

Quatuor ſunt prima ventorum genera: octo autem adiuncta illis ſpecies.

EXplico: Quatuor eſſe prima genera, nemo dubitat, vti etiam ſunt quatuor primæ ac præcipuæ Mundi partes. Sed ſunt qui omnes, tantùm octo eſſe contendant: in ſingulis quatuor partibus mundi, duos collocantes. Ariſtoteles quatuor primis adiecit octo & 12. ſtatuit. Alij 12. addunt illis primis quatuor, & faciunt 16. Nec defuerũt, qui 32. numerarint: Et alij etiam 36. vt nautæ multi. Sed vulgata, receptáque Ariſtotelis partitio: quando etiam Patribus, Damaſceno, & aliis ferè omnibus probata fuit, nobis quoque retinenda eſſe videtur. Eſt enim receptum apud omnes, tot eſſe ventorum genera, quot ſunt Mundi plagæ.

Prima autem partitione, tota terra in quatuor partes ſecatur: *Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem.* Ab iis igitur, quatuor ſurgunt primi & principales venti: *Subſolanus,* & *Zephyrus,* ſeu *Fauonius* oppoſiti. Tum *Boreas* & *Notus* itidem oppoſiti.

Secunda partitione, ſingulæ hæ partes primæ, diuiduntur in duas alias plagas: ita vt in ſumma, duodecim ſint totius terræ, ſeu Mundi plagæ, hinc totidem fiunt venti: ita vt ab Orientis triplici parte, ſpirent tres venti: Et contrà à triplici parte Occidentis, tres alij. Item à triplici parte Meridiei ſeu Auſtri, tres alij: & itidem tres, à tribus partibus Septentrionis, ſeu Aquilonis.

Atque hæc vna eſt ratio, cur 12. tantùm ventos ſtatuunt. Altera accedit ratio, à duodecim ſignis cæleſtibus petita. Singula enim ſigna, ad ſingulos ventos vim habere contenduntur: cùm ſub ipſis moueantur Planetæ: quorum motu generatio conſeruatur.

Vt igitur tria ſemper ſunt Septentrionalia ſigna, *Cancer, Gemini* & *Leo*: Et tria Auſtralia, *Capricornus, Sagittarius,* & *Aquarius*: & tria Orientalia: denique tria Occidentalia: Ita etiam in ſingulis quatuor Mundi plagis, tria eſſe ventorum genera, ſignis illis reſpondentia. Horum nomina ventorum quia diuerſa ſunt tam apud Græcos, quam apud Latinos, non recito ſingula. Legantur apud alios. Nomina apud Latinos vulgo recepta hæc ſunt: *Medius*, eóque primus in Oriente, eſt *Subſolanus*: eius collateralis, à dextris eſt *Vulturnus*, à ſiniſtris *Eurus*.

Medius in Occidente, eſt *Zephyrus*, qui & *Fauonius*: *Africus* ad dexteram, & *Circius*, qui Græcis dicitur ἀργέστης, ad ſiniſtram. Medius in Meridie, *Notus* eſt, ſeu *Auſter*: ad dexteram eius eſt *Euroauſter*, ſeu *Lybanotus*, ad ſiniſtram autem *Auſter Africus*, quem Græci φοινικίαν vocant. Denique Medius in Septentrione eſt *Boreas* qui & *Aquilo*: ad dextram eſt *Meſes*: ad ſiniſtram *Corus*. Hæc eſt recepta partitio, quòd totidem etiam obſeruarint eſſe Mundi plagas: quarum vnaquæque de multorum ſententia, continet in amplitudine ſtadiorum viginti millia: quæ conficiunt 375. milliaria Germanica. Ita tamen plerumque ſpatium occupat quiſque ventus, vbi excitatur.

Dominus Ieſus quatuor tantùm ventorum partitione contentus fuit, cùm dixit, Matt. 24. *A quatuor ventis terra congregabit electos eius.* Sic alibi horum quatuor mentio fit ſæpe: 1. Paral. 9. Dan. 7. *Venti quatuor pugnant in mari magno.*

Ad *loca* quod attinet, vnde flet quiſque ventus, etſi paulò antè ſunt indicata, tamen eſt ſtatuenda.

THESIS.

Omnes venti, ab aliqua quatuor Mundi partium ſpirant.

EXPLICATIO.

AB Oriente ſpirat *Subſolanus*: qui ita vocatur, quòd ſit genereturque ſub Sole. Ab Occidente, flat *Zephyrus* quem ſic vocatum volunt, quòd eius flatu, terræ germina viuificentur. Ideo Latinis, eundem ob cauſſam, *Fauonius* appellatur, à *fouendo*, quòd foueat omnia, genitaliſque ſit mundi ſpecies.

A Septentrione, eóque à polo Arctico ſpirat *Boreas*, qui & *Septentrionalis ventus* vocari ſolet à loco vnde venit. Cur autem pars illa mundi, *Septentrio* vocetur, notum eſt: nempe propter ſeptem ſtellas, quæ circa polum illum verſantur: quaſi *ſeptem Teriones*: vt ait Varro. Boream verò vocant, ἀπὸ τῆς βοῆς; quòd ſit ſonorus, & procelloſus.

A Meridie, óque à polo Antarctico, flat *Auſter*, qui Græcis Νότος dicitur. Et Auſtrum vocari aiunt, quod pluuiam adferat, quaſi hauriens aquas. Νότος autem Græcè, ab humiditate, quòd humidus ſit.

His, de quatuor primis ventis, probè perceptis, facilè intelligitur, vndénam, ipſorum collaterales ſpirent. Omnes tres Orientales; ab Oriente flant. Sed in tres partes diuiditur Oriens: in *Orientem Aequinoctialem*. in *Orientem Aeſtiualem*: & in *Orientem Brumalem.* Et eodem modo Occidens: Et ita reliquæ duæ partes, ſuos habent ordines.

Hoc autem tetraſticho, & numerus, & ordo, & ſitus ventorum breuiter comprehenduntur;

Sunt Subſolanus, Vulturnus, Eurus, Eous.
Eous, Oriens eſt ſunt igitur venti Orientales illi tres.
Circius Occaſum, Africus, & Zephyrus afflant.
Ij Occidentales:
Adueniunt Aquilo, Septentrio, & Corus ab Arcto:
Id eſt, à polo Arctico, ſeu ab Vrſa minori.
Atque die medio, Auſter Africus, Notus, Euroauſter.

Hæc de numero, ordine, ſitu, nominibúſque ventorum, ſatis.

Venio iam ad Tertium, hoc eſt, ad *proprietates* cuiuſque venti.

Sunt autem omnia ad certos vſus creata, & ordinata à Deo noſtro, Iehoua Elohim. Vnde dictum illud Philoſophicum, *Deus & natura nihil agunt fruſtrà.* Omnia verò ad mundi conſeruationem, ad bonum noſtrum, & ad Dei gloriam. Ergo etiam venti. Proinde notum eſt, licèt materia omnium ventorum immediata, & proxima, ſit ſua origine, ſicca & frigida, vt antè explicatum eſt: tamen ventos ipſi varias aſſumunt qualitates, à locis vnde flant, & per quos tranſeunt, & verò etiam à ſtellis, ſub quibus fiunt. Et quoniam medij, ſeu collaterales venti ſapiunt (vt dicitur in Scholis) naturam extremorum: nec variant, niſi ſecundùm magis, & minus: Idcirco explicatis proprietatibus.

tibus primorum quatuor ventorum: facilè, quæ ſint & reliquorum, intelligetur. Incipiam ab Oriente.

THESIS I.

Subſolanus, cum ſuis collateralibus: calidus eſt, & ſiccus, ſerenitatémque inducit.

HVius rei cauſſa eſt ſolis præſentia: qua & dum oritur, & dum aſcendit, partim humiditatem materię illius conſumendo, ſiccum eum reddit: partim, perpetuum calorem communicando, calidum ipſum efficit. Proinde talis ventus, ſolet etiam ſerenitatem inducere; ſua ſiccitate, & caliditate, humidas & frigidas abigendo nubes.

THESIS II.

Zephyrus, cum ſuis, contrà frigidus eſt & humidus.

CAuſſa eſt, quia ſole, ad occaſum accedente ſub noſtro Horizonte: vapor Occidentalis, vnde oritur Zephyrus, non ita ſenſibiliter caleſit vi Subſolani materia. Ita fit, vt Zephyrus, maneat humidus & frigidus. Vnde etiam totus aër, tam infimæ, quàm mediæ regionis, in Occidente frigidus eſt, & humidus, magis quàm alibi, propter ſolis abſentiam. Quia itaque oppoſitæ ſunt cauſſæ, ſolis præſentia & abſentia; ideircò, oppoſitos etiam gignunt effectus.

THESIS III.

Boreas cum ſuis collateralibus: Primò frigidus eſt, & ſiccus: Secundo, vehementiùs & frequentiùs flat in Verè & Autumno, quam aliis anni temporibus: Tertio, ſerenitatem inducere ſolet.

RAtio primæ qualitatis eſt, quoniam à locis frigidiſſimis, nempe ab Arctico, oritur: Et quidem (vt aiunt Poëtæ) montibus ſub altis, eóque frigidis: quales dicuntur eſſe montes Hyperborei, & Rhodopæi: Vnde & Boreas, de quorundam ſententia, à montibus Hyperboreis appellatur ventus iſte: quanquam alij meliùs ἀπὸ τῆς βοῆς, appellati malunt, quòd ventus ſit ſonorus, & procelloſus. At propter abſentiam ſolis, loca Septentrionalia, frigidiſſima ſunt: Cùm ergo per illa tranſeat ventus Borealis, frigidus ſit oportet, & ſiccus. Frigus enim conſtringit & ſiccat.

Ratio autem ſecundæ qualitatis, hæc eſt. Ideò Boreales, ſeu Aquilonares venti, vehementiùs & frequentiùs ſpirant: Primò Vere & Autumno, quam aliis temporibus: quia in vere quidem, Sol aſcendens à Meridie, & paulatim ſigna Auſtralia deſerens: vapores frigidos & ſiccos, qui hyeme congregati fuerunt ſub terra, vel in aëre: pellit ante ſe, verſus Arcticum. Qui, quando illuc peruenerint; cùm non poſſint vlteriùs progredi; erumpunt, & agitant aërem: atque ita tempore veris vertuntur in ventos Septentrionales vehementes. In Autumno autem ideò idem fit: quia ſole à nobis recedente, & ſigna Septentrionalia relinquente, & ad Auſtralia tendente; regio Septentrionalis, intensè fit frigida, calórque remittit. Ita fit, vt vapores frigidi, & ſicci excitati è terra, & in mediam illam aëris regionem, quæ ad Arcticum eſt, eóque & frigidiſſima, eleuati: repercuſſi à frigiditate regionis, in ventos, aërem vehementer impellentes, conuertantur. Hæc ratio eſt, cur venti Septentrionales, tam vehementes ſint, & frequentes tempore primi veris & autumni.

Ratio verò cur etiam inducant ſerenitatem; duplex eſt: Vna, ſumitur ab ipſorum frigiditate, & ſiccitate; quibus terra conſtringitur, ne vapores humidos, qui in pluuioſas nubes conuertuntur, euaporare queat. Altera ratio ſumitur à motu ipſorum ventorum. Quia enim vehementes ſunt, minùs tortuosè flant, quàm qui lentiùs flant: eóque, cùm quaſi recto curſu flant, ſi quas obuias habeant nubes, eas diſſipant.

Hanc dat etiam ſcriptura his ventis proprietatem; Prou. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluuias: & facies triſtis linguam detrahentem.* Hæ ſunt Borealium ventorum proprietates.

THESIS IV.

Auſtrales venti, calidi ſunt & humidi, & pluuias inducunt.

RAtio caliditatis & humiditatis; à locis, vnde naſcuntur, & per quos tranſeunt, petitur. Oriuntur in locis calidis, quia in Meridie, vbi propter maiorem ſolis propinquitatem ſupra terram, aër calidior eſt, quàm alibi. Spirant autem & tranſeunt per regionem humidam, verſus Arcticum: Cùm igitur calidi ſint à loco ſui ortus: facilè humores, quos inueniunt, cogunt in nubes, atque ita, & ipſi ſunt humidi, & pluuiam inducunt.

Accedit alia ratio, cur pluuiam inducant; ab ipſorum motu petita. Longè diuerſo motu flant Auſtrales, quàm Septentrionales. Ij enim quaſi per rectam lineam ſpirant: & ideircò, vt dictum eſt, ſi quas inueniunt nubes in aëre, diſſipant. Sed Auſtrales tortuoſiùs quàm reliqui, flant. Inde fit, vt ſi quas inueniant humiditates, & vapores, eos inuoluant, in nubes cogant; & inde pluuiam inducant. Ideircò quidam putant vocari ventum illum, Auſtrum, ab *hauriendo*, quòd hauriat aquas à mari, & lacubus, terráque humida, eáſque pluat. Νότος certè Græcis dicitur, ab humiditate ἀπὸ τῆς νοτίδος: Atque de propriis ſingulorum ventorum qualitatibus, & effectis ſatis.

Nunc iis præcipuis capitibus explicatis: quædam alia de ventis, breuiter notanda ſunt.

THESIS I.

Venti ex diametro contrarij, puta Subſolanus & Zephyrus, eodem vt ſimul tempore, ſub eodémque Horizonte diu ſpirent, naturaliter fieri nequit.

RAtio Ariſtotelis eſt, quia aut ex æquo fortes erunt ambo, aut vnus fortior, alter imbecillior fuerit. Si ex æquo fortes; alter alterum impediet, ne liberè flare poſſit. Ita neuter durare poterit. Si alter fortior altero; imbecillior, victus à fortiori, ſuccumbere cogitur, & ſubſidere.

THESIS II.

Venti obliquè oppoſiti, ſæpè flant ſimul: & quò obliquiores ſunt, eò etiam maiores inter ſe pugnas excitant, tempeſtates cient.

RAtio eſt, quia ij venti, cùm non pugnent ex diametro inter ſe, diutiùs durant & flant. Et inde etiam fit, vt maiores, ac diuturniores excitent tempeſtates.

THESIS III.

Orientales, & Septentrionales venti, ſalubriores ſunt corporibus noſtris: quam Occidentales, & Auſtrales.

RAtio eſt: quia Oriens & Septentrio, minus habent, & adferunt humorum. Sunt enim ſicci. Humores autem nimij reſoluunt & grauant corpora animantium, morbóſque inducunt. Nam humiditas mater eſt omnis corruptionis. Proinde quo tempore flant Occidentales; & Auſtrales; non temerè egrediendum eſt ex ædibus, aut ſe quis debet dare in viam, & iter longum ingredi.

Hęc ſunt quæ de ventis ſimplicibus habui dicere. Qui plura cupit, legat Ariſto. Meteor. lib. 2. cap. 5. 6. Senecam autem in lib. 5. cap. 1. Et Plinium lib. 2. Gell. 2. cap 22.

Eſt autem hæc de ventis doctrina, diligenter obſeruanda Studioſis, non tam Medicinæ, quam etiam Theologiæ. quoniam in ſacris literis, ſæpe fit ventorum mentio: Et licèt Deus, ſine ventis facere poſſit quicquid vult, is tamen peculiariter, prædicatur naturalia per ventos effeciſſe.

Gen. 8. *Immittit Ventum & ſiccat aquas.* Subſolanus fuit, aut Septentrio.

Per ventum vrentem, locuſtas leuauit in omnes fines terræ. Exod. 10. Auſtralis fuiſſe videtur.

Immittit ventum magnum in mare, & efficit vt nauis, vbi erat Ionas fugiens à facie Domini periclitetur, Ion. 1.

Act. 2. *quum deſcendit Spiritus ſanctus, factus fuit ceu ventus vehemens, totam domum concutiens.*

Et in Pſal. ſæpe dicitur *Deus ambulare, & equitare ſuper pennas ventorum.* Et venti dicuntur *ipſius Angeli, & nuncij.* Aliáque infinita ſunt in ſcripturis: quorum perfecta cognitio, aliquam poſtulat ventorum, & qualitatum eorum cognitionem.

Ioan. 3. dicitur *homo renaſci ex Spiritu*: An non ex ſolo afflatu Zephyri, omnia reuiuiſcent? An non vento Septentrionis & Euro, omnis pellitur nubes, & ſerenantur omnia? Quid mirum igitur, quòd afflatu Spiritus ſancti pellantur peccata, feruetur mens, caleſiat cor ad amorem Dei?

De Terræmotu.

Inter alia aërea meteora, admirandum quoque & terrificum illud Dei opus connumeratur, quod ſacra ſcriptura ſimpliciter vocat רעש *commotionem* & *tremorem*, vt Amoſi primo: Ariſtoteles appellat σεισμὸν & κίνησιν γῆς: nos *concuſſionem, & motum terræ*, ſeu *terræmotum*. Neque enim iam diſſerimus de operibus Dei, eóque de terræ motibus, quæ ſupra naturam, ſola Dei potentia facta leguntur in ſacris literis: ſed tantùm de naturalibus: quorum exempla, non minùs quàm reliquorum, habemus in Scripturis. Neque verò mirari quis debet, terræmotus collocari à no-

bis, inter meteora aërea, cùm fiant in terris. Non enim denominatio Meteororum fit a locis vbi fiunt: ſed à natura, cuius ſunt, & quam conſecuta ſunt. Sicut & de ignitis dictum eſt. Non enim ignita dicuntur, quaſi fiant in ſphæra ignis,(fiunt enim potiùs in vltima aëris regione) ſed quia, naturæ ſunt igneæ. Ita de Aqueis dicetur. Ita de aëreis omnibus,& de terræ motu dicimus. Meritò igitur inter Meteora aërea collocatur ab omnibus doctis. Porrò de hoc, ſex nobis ſunt explicanda.

1. *Quæ materia terræmotus, quæve cauſſa eius efficiens: & inde colligetur quid ſit.*
2. *Partitio terræmotus, ſeu quot, & quænam eius ſpecies.*
3. *De tempore & loco, quo & vbi fieri terræmotus ſoliti ſint.*
4. *De duratione, quàm diu durare ſoleant terræmotus.*
5. *De ſignis præcedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus terræmotuum.*
6. *De effectis terræmotus.*

Omnia, quàm poterimus, breuiſſimè perſtringemus: ita tamen vt perſpicuitatem non ſimus neglecturi: neque aliquid, quod cognoſcere operæ pretium ſit, omiſſuri. Qui plura poſtea volet; legat præter alios Senecam, qui totum ſextum librum de terræmotu ſcripſit.

Ad *primum* quod attinet, Ariſtoteles tres commemorat antiquorum Philoſophorum ſententias de materia, cauſſaque terræmotus: quas etiam, vt abſurdas refellit.

De iiſdem & Seneca fusè diſputat. Quanquam aliter Anaxagoræ cum primis ſententiam interpretatus eſt, quàm Ariſtoteles. Summa eſt: Quoſdam voluiſſe, ab igne, ex colliſione nubium & aëris excitato, in cauernas terræ ingreſſo, ibi concluſo, & ne, quà ingreſſus eſt, exire inde poſſit multis modis impedito, exitum tamen alibi quærente, & non inueniente Terram commoueri, & agitari, taléque fieri terræmotum, & quaſſationem: vt ſæpe noui erumpant montes, flumina mutent curſus, & alueos ſuos, corruant ædificia, aliaque fiant mirabilia. Alios autem Philoſophos: Terræmotus cauſſam, in aquam retuliſſe: Accidere enim nonnunquam, vt terræ concauitates, aquarum ſint plenæ; imbres verò magni decidant; qui cùm in illas concauitates recipi nequeant, & vim tamen inferant, aquámque, concauitatibus incluſam coarctent: inde fieri, vt terra ſubtus concutiatur. Alios denique Philoſophos contendiſſe, hoc fieri ab aëre, in concauitatibus illis incluſo. Refutat hos omnes Ariſtoteles: qui volet, legat.

Interim negari non poteſt; quin multi terræmotus, ab igne in cauernis terræ concluſo, & exitum quærente, facti ſæpe fuerint: Vt de monte Veſuuio intra Nolam, & Neapolim in Italia conſtat: Et de alio etiam monte, qui meo tempore Puteolis erupit vi ignis ſulphurei, qui ſubtus latebat, excitatus; cum antè per multos dies multi magnique præceſſiſſent terræmotus.

Quo ex nouo monte, per aliquot ſeptimanas, hinc inde emicabat ignis. Atque hæc accidere in locis ſulphureis: qualis eſt ea regio, mirandum non eſt. Nam ſubinde in cauernis terræ, nouus ex ſulphure ignis producitur; qui cùm multus eſt factus, & exitum quærat, nec tamen inueniat, concutit terram. At dicent Ariſtotelici: cauſſam eſſe exhalationes ſulphureas, talium terræmotuum: non autem ſimpliciter ignem: ſed hoc quid aliud fuerit, quàm idem, verùm aliis verbis dicere?

Opinio etiam, quæ ait, ſæpè ex aëre incluſo, & exitum quærente, terræmotum fieri: non vſque adeò abſurda videri debet. In quid enim aliud tandem conuertuntur exhalationes, è quibus affirmat Ariſtoteles fieri terræmotum, quàm in aërem? Scio aërem ſubtiliorem eſſe, quàm tales terræ exhalationes, vnde ait generari terræmotum: ſed cùm non ſint multum diſſimiles aëri, apparet ſententiam, quæ cauſam terræmotuum transfert in ventos, & in aërem ſubtus terram generatum, ibique incluſum, non diſſimilem eſſe vero. Quia tamen recepta eſt Ariſtotelis ſententia, eáque probabilior eſt, & ſi rectè intelligatur, verior ac certior, ſicut ipſe multis probat rationibus, ideircò eam quoque nos retinebimus.

THESIS I.

Materia terræmotus, vapores ſunt terreſtres, ſicci & craſſi, & ferè frigidi: vi ſolis, in cauernis terræ excitati atque incluſi, violentérque detenti.

HÆc eſt materialis cauſſa. Adieci particulam *ferè frigidi*: propter vapores, qui ex terra ſulphurea generantur. Non poſſunt enim ij non eſſe calidi: cùm ex materia ſint, non tam terrea quàm ignea. Certum eſt, vt ſuprà oſtendi, ex huiuſmodi etiam ſulphureis vaporibus, Terræmotus generari. Cæterùm frigidi ſint reliqui neceſſe eſt: cùm ex terra, quæ frigida eſt, & in ipſa terra excitentur.

THESIS II.

Cauſa vero efficiens, eſt talium vaporum, vt è cauernis terræ erumpant, vehemens conatus, quo ſurſum deorſum, hac atque illac agitantur.

RAtio eſt, quia dum ita conantur exire: exitum autem, tum propter ſuam ipſorum denſitatem atque craſſitiem, tum propter nimis compactam terræ planiciem, facilè inuenire non poſſint: efficere aliter non poſſunt, quàm vt terram ipſam conquaſſent. Neque mirum id videri debet.

An non videmus quantam vim habeat ventus in ſuperficie terræ liber? Modico vento & flatu extingues ignem accenſum, vt candelam. Eodem contrà accendes ignem in fornace.

Item ventus, totum mare mirabiliter turbat, & concutit, ventus conuellit arbores; dirruit turres, & alia infinita, mirandáque efficit.

Turbines etiam, qui aliud non ſunt, quàm venti, magnas onuſtáſque naues in cœlum euehunt. Si hoc efficit ventus, in ſuperficie terræ, vbi liber eſt, & qui exhalatio eſt ſubtilis: quid ni vapores craſſi, in cauernis terræ concluſi, violentérque detenti, terram concutiant? Si modicus etiam vapor in nube incluſus, ita illam agitet, ſui exitus cauſſa; vt ex ea tandem erumpendo, tantum edat fragorem, quem *tonitru* vocamus: quis miretur, quòd multus vapor, in terra incluſus, ſuos edat ſtrepitus, & terram tremere faciat? Sed exemplum cape à noſtro corpore. Varij in noſtris inteſtinis generantur ſubinde vapores, & flatus, quos ij edant fremitus, quę tormina excitent in inteſtinis, dum quærunt exitum, & non inueniunt, ſentimus: & vſque adeò ſæpè ita conquaſſant inteſtina, latera, & totum corpus, vt nonnulli ideò crepent, moriantúrque, quia flatus emittere non poſſunt. Quòd igitur etiam terra conquaſſetur à flatibus, qui in eius viſceribus concluſi detinentur, mirum non eſt. Hinc ſequitur definitio:

Terræmotus itaque conquaſſatio eſt terræ à multis vaporibus craſſis & ſiccis, ferèque frigidis vi Solis & ignis in viſceribus terræ excitatis & liberum exitum quærentibus: illum autem, tum propter ſuam craſſitiem, tum propter nimiam terræ denſitatem, non inuenientibus, effecta: qua conquaſſatione, & terra tremit, & magnæ in ea ſæpe rimæ fiunt: & ſaxa rumpuntur & ædificia corruunt, & arbores extirpantur, & flumina curſus mutant, & alia multa eiuſdem generis eduntur admiranda.

Tota definitio, ex iis quæ dicta ſunt, colligitur, & manifeſta eſt: præter effecta, quæ ex hiſtoriis patent. Si quis verò maiorem definitionis confirmationem requirat; legat Ariſtot. in cap 7. vbi decem ſignis ſeu rationibus probat, Terræmotum à tali exhalatione, quæ explicata eſt, proficiſci. Atque hæc de primo ſatis. Venio ad alterum.

2. De ſpeciebus terræmotus.

THESIS.

Tres ſunt Terræmotus ſpecies, tremor, inclinatio, ſuccuſſio.

SIc Seneca partitus eſt, lib.6.cap.21. *Tremor* eſt, quum à talibus vaporibus ita concutitur terra; vt interno tantùm tremore quatiatur, & in ſeipſa vibretur. Hæc ſpecies fit, quum vapor in viſceribus terræ multus non eſt. Huius Tremoris exemplum habemus in venis animalium, noſtrorum corporum Item in Paralyticis.

Inclinatio eſt quum terra, ex tali concuſſione, inſtar nauigij in aliquam partem ita deprimitur, vt ædificia videas inclinari, & rurſus erigi. Vidi ego Rauennæ talem inclinationem. Parietes enim cœnaculi, ex terræmotu, ſuo loco mouebantur, & inclinabantur, vt ruere velle viderentur, ſed rurſus mox redibant ad ſuum locum. Hæc eſt magna Dei prouidentia.

Succuſſio autem dicitur, quum terra conquaſſata, ſurſum & deorſum mouetur. Talis ſuccuſſio fit ſicut & inclinatio, quum materia Terræmotus multa eſt.

Exemplum huius rei habemus in iis, qui vehementi cholica laborant. Si enim iaceant in lecto: ſurſum & deorſum, à flatibus multis, qui in inteſtinis ſunt, ſuccutiuntur.

3. De loco & tempore Terræmotus.

THESIS I.

In locis mollibus, cauernoſis, & ventis procelliſque Maris obnoxiis, frequentiùs fiunt Terræmotus, quàm alibi.

PRimò dixi, *in locis mollibus, & tenebris.* Nam ſi tantùm lapideus ſit, eóque durus locus, non facilè commoueri poteſt: nec etiam intro vapores penetrare, qui materia ſunt terræmotus. Si etiam terra loci alicuius ſit ſicca nimium & dura: Poroſa quoque, vt Medici loquuntur, eſſe ſolet, & multas habere rimas, per quas vapores, intus excitati, facilè exire poſſunt. Si verò mollis ſit, ita vt in ſuperficie humiditatem habeat, foramina terræ, & rimas obturantem: vapor in ea incluſus, non facilè poteſt expirare. & inde fit, vt violenter detentus conquaſſet terram.

Secundò, *in locis cauernoſis generantur*, non ita in aliis. Ratio eſt, quòd vapores non facilè excitantur, vbi cauernę non ſint aliquæ.

Cur enim etiam flatus in noſtris inteſtinis, & in ventriculo, citiùs, & magis excitantur, quàm in tibiis, manibus, & aliis ſimilibus partibus? Quia ventriculus, & inteſtina, totus denique venter cauernoſus eſt; non ita alia corporis membra. Ita de locis terræ dicendum eſt. Ideò videmus è cauernis ſubterraneis, ſi apertæ ſint, ſemper ventum efflare. Si itaque concluſæ ſint ſupernè, vt exhalare flatus incluſi nequeant, terræmotus fiat oportet.

Tertiò, *loca etiam maritima, ventis & procellis maris obnoxia:* magis etiam obnoxia ſunt terræmotibus, quàm alia loca. Ratio eſt, quia faciliùs loca iſta implentur vaporibus; qui cùm facilè exire nequeant, idque propter continuam ventorum aliorum ſucceſſionem, qui ne priores exeant, impediunt: hinc fit, vt incluſi vapores ac venti, terram concutiant.

Proinde ſi locus aliquis, omnes has tres habeat conditiones: is omnium maximè obnoxius erit terræmotibus: & contrà. Nunc tenemus quæ loca magis, & quæ minùs obnoxia ſint terræmotibus.

Ad *tempus* quod attinet:

THESIS II.

Sicut venti, magis primo Vere & Autumno regnant, quam aliis anni temporibus, ſic etiam terræmotus.

RAtio eadem eſt, quæ ſuprà etiam de ventis allata eſt. In vere enim liqueſcunt niues, abundant pluuiæ, & frigiditas ex hyeme relicta adhuc manet ſupra faciem terræ, licet remiſſior. Hæc autem duo, humiditas ſcilicet & frigus, ora rimáſque terræ obſtruunt, ne vapores intus excitati, erumpant. Tunc tamen temporis plures quàm aliàs, excitantur vapores, ſicut è terra, ſic etiam in viſceribus terræ. Huius rei ſignum apparet, quòd primo vere videmus ad pedes arborum, multum è terra fumi euaporare. Cùm igitur tum temporis & multum vaporum generetur in viſceribus terræ; & terra ipſa obſtruatur, tum à frigore, tum ab aquis, ne euaporare poſſint ſpiritus; fit vt eo tempore magis, quàm aliis terræmotus generentur.

De Autumno eadem ferè ratio eſt. Eſt enim humidus, & frigidus eſſe incipit, quia calor Solis remittit. Ideò & humores quidem cientur, nec conſumuntur; & terra obſtruitur, à frigore, & pluuiis, ne inde exire poſſint incluſi vapores. Proinde vt tunc oriantur terræmotus, in locis nimirum idoneis, neceſſe eſt.

4. De duratione Terræmotus.

THESIS I.

Pro qualitate ac quantitate vaporis in terra incluſi, & pro diſpoſitione loci, vbi terræmotus fiunt; ipſi etiam Terræmotus aut magis, aut minus diuturni ſunt.

AD qualitatem vaporis quod attinet: Primò, quò denſior eſt, eò tardiùs & difficiliùs euaporare poteſt: denſitas enim tranſitum eius retardat.

Secundò, quò frigidior, & hebetior eſt vapor, eò etiam tardior eſt. Frigiditas enim retardat, & pigrum reddit. Sicut contrà caliditas, velociorem: vt in iuuenibus, & ſenibus diſcrimen hoc videri poteſt. Ideò etiam febris quartana diuturnior eſt, quàm tertiana, aut alia: quia frigida eſt, & ex frigidis humoribus nata. Materia autem frigida, ſemper tardioris eſt motus, quàm calida.

Copioſior etiam vapor, tardiùs totus euaneſcit, quàm modicus. Eandem moram, aut diuturniorem facit, aut breuiorem; ipſa etiam loci, vbi fit terræmotus, diſpoſitio.

Quo enim ſuperficies terræ, ſub cuius cauernis materia eſt terræmotus, fuerit compactior, & minùs rimoſa: eò etiam diuturnior erit terræmotus, quia difficiliùs & tardiùs per illam erumpent vapores.

Ibi autem compactior eſt terra: vbi, aut lapidoſior eſt lutoſus, aut aquoſior. Proinde quòd annis præteritis tamdiu durauerit terræmotus Ferrariæ in Italia, non miror. Locus enim eſt & aquoſus, & cretoſus: vbi non facilè exhalare poſſunt incluſi ſubtus vapores. Ariſtoteles vult ad biennium vſque durare poſſe, in aliquo loco terræmotum. Sic Pli. c. 82.

THESIS II.

Pro quantitate autem tum loci, vbi materia terræmotus cogitur: tum etiam materia ipſius terræmotus: maior etiam & minor fit terræmotus: maioráque vel minora dat mala, & damna.

ET theſis, & eius ratio eſt perſpicua. Exempla verò, rem ita eſſe confirmant.

Fuerunt ſcribúntque nonnulli, Terræmotu diuiſam fuiſſe Africam ab Hiſpania: Siciliam item ab Italia: Ægyptum à Cypro: & alia loca ac prouincias, ab aliis. Si hæc vera ſunt, vnde tanta diuiſio niſi à maxima loci amplitudine, quam terræmotus materia occupauerat? Scribit tamen Seneca, nullum inuentum fuiſſe terræmotum, qui locum occupauerit ducentis milliaribus ampliorem, *Seneca lib. 6. Natur. Quaſt. cap. 29. refert quid alij ſcriptum reliquerint. Vide & Plin. lib. 2. cap. 88.*

5. De ſignis terræmotus.

THESIS I.

Signa terræmotum præcedentia, duo ſunt præcipua.

PRimum magna aëris tranquillitas, in locis, vbi regnare ſolent venti. Tunc enim omnes venti ceſſare ſolent, quum futurus eſt, inſtátque terræmotus, illis etiam locis, vbi regnare conſueuerunt. Itaque tunc ſignum eſt, totam ventorum materiam, tendere in profundum terræ. Tunc etiam nihil ſpirat è terra; propterea quòd cauernæ talium locorum, totum vaporem occluſum tenent, alio illum ſemper repellente, & intrante. Quid igitur tunc aliud expectari poteſt, quàm terræmotus? Summa igitur aëris tranquillitas terræmotum portendit.

Alterum ſignum. Cùm terræmotus citò eſt futurus, tunc paulò ante ſolet aër frigidior eſſe ſolito. Cuius rei præcipua cauſſa eſt, quòd frigiditas, vna eſt ex cauſſis, quæ terram comprimunt, ne vapores erumpant. Cùm itaque aer ſolito frigidior eſt talibus temporibus, & in talibus locis terræmotum portendit è propinquo.

Alia hic addo ſigna, magis peculiaria: ex Plin. cap. 81.

1. Cùm inſtat terræmotus; volucres ſedere ſolent pauidę in ſolo. Ratio eſt: quia perſentiſcunt tremorem aliquem, radices arborum, arborémque concutientem.

2. In puteis, turbidior fit aqua, cum odoris odio. Ex commotione enim ſubterranea, turbantur aquæ putei. Ideò Pherecides Philoſophus, ex hauſtu aquæ putei, præſenſit prædixitque Lacedæmoniis totius vrbis ex terræmotu ruinam. Plin. cap 79.

3. In Cœlo quoque ex aduerſo Solis, apparere ſolent lineę quædam longæ & ſtrictæ nigrorum naturalium: idque aut interdiu, aut maximè poſt Solis occaſum.

Naturæ verò hoc ſigno præſentiunt terræmotum: quum quieſcente aere, nullóque flante vento, videtur derepente intumeſcere flatus maris, & nauem quati.

Argumento id eſt, iam commoueri cœpiſſe terram in fundo maris.

Quum verò perſentiſcitur terræmotus, quæ remedia bona ſint ad illum euitandum; docere conatur Plin. lib. 2. cap. 82. Sed omittit quòd præcipuum eſt: *pœnitentiam* ſcilicet, & *nominis Dei inuocationem.* In hunc enim finem præmonſtrat, ac prædicit flagella: vt maturè reſipiſcamus. Sic Amos prædixit biennio antè, terræmotum, qui in Iudæa futurus erat, vt reſipiſcerent Iudæi.

THESIS II.

Signum concomitans præcipuum eſt editus ſonitus continuatio.

CVm enim editur terræmotus, ſonitus fit aliquis, quia erupit vaporis pars aliqua violenter. Si igitur continuetur ſonus: argumento eſt intus adhuc latere materiam terræmotus: quæ non ceſſabit concutere terram, donec tota conſumatur. Exemplum habemus domi noſtræ in inteſtinis, quum adhuc flatus inſunt, ceu mugitus audiuntur. Fremit enim venter, & quaſi mugit, propter flatus qui excurrunt.

THESIS III.

Subſequens ſignum, peſtilentia eſt.

Peſtilens enim eſt materia terræmotus: vt demonſtrat Ariſtoteles,& Seneca: quia ſubterraneus eſt flatus. Omnia autem ſubterranea noxia ſunt: quia vento & motu, quibus purgentur, carent. Ac videmus aquas, quæ expoſitæ non ſint vento,& quæ neque per ſe flando, neque hauriendo agitentur, ſed latent in profundo terræ, eſſe peſtilentes. Talis eſt & ſpiritus ſubterraneus. Cùm itaque exhalat, inficit aërem hunc. Inde peſtilentia iis, qui eum hauriunt. Exemplum adfert Seneca cap.27. ſexcentarum ouium, quæ ſtatim poſt terræmotum in agro Campano, peſtilentiâ perierunt.

6. De effectis admirandis terræmotus, quæ ſuo edit motu.

THESIS I.

Multa autem & admirabilia ſunt, quæ ſuo motu efficere ſoleat terræmotus, idque tum in continenti, tum in fundis fluminum & terris, tum denique in inſulis.

Perfecta eſt hæc terræ partitio. Omnis enim terra, aut ſubtus aquas eſt: ita habes fundos fluminum. Aut ſupra aquas, ſic habes inſulas, quæ eminent ex aquis. Aut extra aquas, ſic habes continentem. Mirabilia autem à terræmotibus variis edita in ſingulis iis terræ partibus, quis recenſeat? Quædam narrat Ariſtoteles, quorum etiam rationem reddit: plura Seneca, ſed Plinius quàm plurima: Legatur in cap.79. 80. & ſequentibus lib.2. Pauca quædam inſigniora referam: nec ſingulis recitandis, teram tempus.

In continenti, multæ vrbes funditus ex terræmotu euerſæ fuiſſe leguntur. De Lacedæmoniorum vrbe teſtatur Plinius cap.79. quam etiam illis ruinam prædixerat paulò antè Anaximander Mileſius Phyſicus. Quid mirum igitur, quòd ædificia corruant, quando tota aliqua ciuitas funditus perit? Quid contigerit Ferrariæ, ſcimus. Tiberij temporibus, duodecim vrbes in Aſia, vna nocte proſtratæ fuerunt. Plin. cap. 84.

Montes aliquando à terræmotu ſuccuſſi, inter ſe concurrerunt, aſſultarunt, & loco receſſerunt, idque magno edito crepitu; villæ colliſæ,& prata, in contrarias ſedes tranſgreſſa: Plinius cap.83. Florentiola, oppidum non vulgare in Alpibus Hetruriæ, totum meo tempore euerſum, & ſubmerſum à terræmotu. Hæc in continenti.

In aquis verò aliquando mare multis in locis receſſit propter terræmotum: & in eius locum emerſerunt nouæ terræ,& inſulæ: ſpiritu ſubterraneo, fundum maris ſupra aquas attollente: & inde inſulas faciente. Exempla adfert Plin.cap.85.86.87. Talis fuit inſula Delos, & Rhodos, præter alias quas commemorat Plin.c.87. Contrà, quæ coniunctæ erant terræ, & prouinciæ, vi terræmotus diſiunctæ fuerunt, mari ad multa miliaria interiecto. Exempla multa recitat Plin.cap 88. Sic teſtatur auulſam fuiſſe Siciliam, Italiæ, mari interiecto: cùm antè eſſent coniunctæ. Sic Cyprum, Syriæ. Sic Eubœam Bœotiæ, &c. Idem contigiſſe Hiſpaniæ & Africæ, ſcribit etiam Seneca lib.6.cap.19.

Rurſus, quæ in medio mari erant inſulæ: eas terræmotus abſtulit,& mari, quod inter inſulas & continentem interiacebat, alio progreſſo, eas continenti adiunxit: quemadmodum multis exemplis declarat Plinius cap.89. Nonnunquam verò totas penitus abſtulit terras: & eo, mare fecit effluere. Nam vbi iam Atlanticum mare eſt; ibi multæ erant terræ, teſte Platone, vt refert Plinius cap.90. vbi & alia multa recitat exempla. Multa & ego vidi in Italia mirabilia terræmotus effecta.

Sunt qui numerent nouem motus, quos facit terræmotus in continenti: Et cuiuſque reddunt rationem. Sed qui volet: hos legat apud Albertum Magnum.

Ariſtoteles duos motus narrat, quos efficit iſte ſpiritus, quem terræmotum vocamus. Vnus eſt, quo efficit, vt terra tremat, & in latum vibretur: vt faciunt, quibus manus tremunt. Alter eſt: quo efficit, vt terra ſuccutiatur, ſurſum deorſum: qualis eſt motus pulſus noſtri: Seneca adiecit tertium motum: quum terra, inſtar nauigij, in vnam inclinat partem: Vnde tres ſpecies terræmotus collegimus; quas ſuprà declarauimus.

Hæc omnia verò agit ſpiritus in viſceribus terræ variis modis, copioſè excitatus, & incluſus: dum quærens exitum, illum propter terræ ſoliditatem non inuenit. Tunc enim violenter terram concutit: vt illa aut ſurſum deorſum ſuccutiatur: aut tremat, inque ſeipſam vibretur: aut inclinet in vnam partem.

Neque verò mirandum eſt, ſpiritus iſtos tantam habere vim, vt tantam terræ molem concutere poſſint. Videmus enim quid poſſit ventus liber in ſuperficie: quid verò non efficit violenter incluſus atque detentus. Videbimus etiam, quid poſſit ſpiritus idem, igni admixtus in bombarda. Imò videmus, quanta ſit vis flatuum, in corporibus noſtris. Hinc verò diſcimus, ſi tanta vis eſt ſpiritus terrei, vt euertat ciuitates, transferat montes, & tanta efficiat mirabilia: quid poſtea dicemus de vi Spiritus diuini, cùm afflat ſuos electos? Quid mirum, quòd totam renouet naturam: magnáque & mirabilia efficiat in hominibus? Sic Chriſtus Iohan. 3. doctrinam de regeneratione per Spiritum ſanctum, confirmauit exemplo ſumto à vento: qui, cùm non videatur à nobis, mirabilia tamen operetur: quæ nos ipſi ſentiamus. Hæc de terræmotu ſatis. Qui plura velit, legat Senecæ Queſtio. Natur. librum ſextum totum. Et Ariſtotelem Meteor. lib 2. cap.7.8.

3. Περὶ ἐκνεφίου, ſeu de Procella.

THESIS I.

Inter aerea meteora, ipſe etiam Ecnephias, commemoratur: Eſt enim ventus, è nubibus, vt erumpēs. Proinde dicitur ἐκνεφίας: quod ἐκ τῶν νεφῶν oriatur. Vnde quidam eum vocant Nubigenam, *genitum è nube.*

Ariſtoteles lib. de Mundo, ſic eum definiuit: οἱ ἐκ τῶν ῥαγέντων νεφῶν ἐξωθούμενοι καὶ ἄνεμοι, καὶ ἀναλύοντες τὰ πάχη πρὸς ἑαυτοὺς τῶν νεφῶν ἐκνεφίαι καλοῦνται, quaſi dicat, *venti, qui ſecundùm nubis rupturam fiunt, amplitudinémque illius in ſeipſos diſſoluunt, illi vocantur* ἐκνεφίαι. Ideò Plin. lib.2.cap. 48. ſic, *Flatus repentini, magno illati pondere, incurſúque ſubito, ſiccam ruperint nubem, procellam gignunt quæ vocatur à Græcis, ἐκνεφίας.* Sic ille. Ventus enim hic, cùm è nube egreditur, non paruum aliquod facit foramen in nube, vt facit nonnunquam flatus quidam, qui edit tonitru, eò quòd paulatim & per vices è paruo foramine exeat. Sed ἐκνεφίας latè frangit nubem, eóque totus ſimul egreditur: ſicut infantes noſtri, matrum ſecundinam rumpunt, totique exeunt. Proinde ſic eum definire poſſumus.

THESIS II.

Ecnephias, flatus eſt procelloſus: qui è craſſa, ſiccáque & calida exhalatione collectus, atque conflatus: & è nube, violenter compreſſa, laté que fracta, exortus, ſumóque accenſus: ſupra terram, obliquè defertur, atque agitatur, aërem ſemper obſcurans: Sæpè autem imbrem etiam præcedens.

Cæterùm, cùm illum ſequitur imber: alio vocari ſolet nomine, nempe ὑδρίας, quaſi dicat, *aquator.* Sic Ariſtoteles.

4. Περὶ τυφῶνος, ſeu de Turbine.

Eiuſdem ferè generis eſt τυφὼν quem Latini, *turbinem & verticem* vocant, à τύφω *inflammo*, appellatus: quòd non ſine inflammatione è nube exeat hic ventus; quanquam egreſſus, nullam ſecum habeat flammam, vt preſter.

Turbo autem à Latinis dicitur: quod obiecta quæque deturbet,& *vortex*, quod omnia, in quæ incidit; ſecum voluat. Turbulentus enim eſt ventus, quo nullus inimicior eſt infeſtiórque nauigantibus. Si enim recta ſupra nauem deſcendat, eam totam inuoluit, ſecúmque in ſublime trahit. Nam tortuoſus eſt ventus: vt omnes norunt. Quid ſit Turbo, non poſſum meliùs exprimere, quàm verbis Plin.l.cap.48 de repentinis flatibus, qui ſunt Ecnephias, turbo, preſter. Vult cum Ariſtotele Plinius, hos omnes eiuſdem eſſe naturæ, & non differre niſi modo è nube erumpendi & inflammatione. Poſtquam dixiſſet de procella, ſeu Ecnephia, ſubiecit de Turbine hæc verba *Sin verò depreſſo ſinu, arctiùs rotati* (vēti ij repentini) *effregerint* (nubem) *ſine igne, hoc eſt ſine fulmine: verticem faciunt, qui Typhon vocatur, id eſt, vibratus Ecnephias.* Hæc ille.

Poſtea proprium eius effectum deſcribens ait: *Idem, ille ſua ipſo repercuſſus correpta, ſecum in cœlum refert ſorbétque in excelſum.* Deinde verò ſubiicit de diſcrimine inter preſterem,& turbinem, dicens; *Idem* (turbo ſcilicet) *ardentior, accenſuſque dum fuit: preſter vocatur, amburens contacta.* In ſumma, non differt vnus ab altero niſi inflammatione; quòd turbo, non deſcendat cum flamma; Preſter autem totus accenſus & igneus (vt ſuprà vidimus) ſit. Sic igitur definio.

THESIS.

Turbo, flatus eſt repentinus & vehemens, ex anguſtia quaſi

quaſi ex angiportu nubis violenter effracta, tortuoſè in terram rectà delatus, qui è terra, inſtar pilæ repercuſſus, ſua rotunditate quæcunque inuenit ſecum conuoluens, in ſublime defert, à preſtere non niſi inflammatione, differens.

PReſter enim *igneus turbo* eſt: vt vocat Seneca. Turbo autem ſimpliciter ſine igne eſt. Itaque turbo ventus eſt rapidus, verticem ſine igne faciens, omniáque conuoluens. De iis procelloſis ſpiritibus ſæpè in ſcripturis, vt in Pſal. & *ſpiritus procellarum* vocantur.

5. De Tonitru.

TOnitru quid ſit, norunt omnes, ipſo auditus ſenſu. Sed quomodo, & vnde generetur, ignorat vulgus.

THESIS I.

Biſariam generatur: aut in nube frigida, atque humida, aut ex ipſius nubis violenta fractione.

PRimus modus talis eſt. Quum vapor ſiccus & calidus, incluſus eſt in nube frigida & humida, ægrè ferens propter antiperiſtaſim, ibi eſſe: diſcurrénſque hac atque illac exeundi è nube gratia: talem edit ſonitum, qualem & candens ferrum, aut aliquid aliud ignitum, in aquam coniectum, aut aqua aſperſum. Ita gignitur tonitruum paruum atque tenue: hoc eſt, ſonitus quidam, qui aliquandiu durans, ceu tumultuari, & indignabundus obmurmurare videtur. Alter modus, eſt vehementior. Is autem eſt, quum vapor ille ſiccus & calidus, imò inflammatus, fracta violenter nube, impetuoſè egreditur: Tunc enim ſonitum edit vehementem: qualem bombarda, quum exoneratur, aut caſtanea in igne, quum crepat, & veſica, vento plena, quum frangitur. Sonitus ille, *tonitru* appellatur. Sed hæc violenta nubis fractio, fit aut vno impetu, quum ſcil. totus ſimul egreditur vapor, aut per vices, & ſucceſſiuè. Quum primo modo fit, puta cum fit fulmen, aut preſter, tunc vehementiſſimum fit tonitru, ſed non diu durans. Quum verò ſecundo modo, ſicut paulatim fit tonitru, & diu durans. Ac tunc videtur nobis eſſe in cœlo ceu currus, qui ſuper ſaxa inæqualia rotetur. Argumento tunc eſt, totum flatum nondum eſſe è nube egreſſum, ſed paulatim egredi. Rotatur autem ſtrepitus per aërem, & amplificatur: dum aures noſtras feriat. Hæc eſt tonitrui generatio. Si quis alios modos velit, legat Ariſtot. & Plin. lib. 2. cap. 43. Hinc duo tonitrui genera, quæ Senecæ verbis ſic explico: Quæſt. Nat. lib. 2. cap. 27.

THESIS II.

Tonitrui genera ſunt duo: vnum, in nube: alterum extra nubem, genitum.

SEneca Nat. Quæſt. lib. 2. c. 27. optimè explicat. *Vnum eſt: cuius graue murmur eſt: quale terrarum motum antecedit, clauſo vento & fremitu.* Et mox, quomodo hoc fiat, explicat iis verbis: *Quum ſpiritum inter ſe clauſerunt nubes, in concauis partibus earum volutatus aer, ſimilem agit mugitibus ſonum, raucum & æqualem, & continuum. Itaque etiam vbi illa regio humida eſt: exitum claudit. Ideò huiuſmodi tonitrua, venturi prænuntia imbris ſunt. Aliud genus eſt acre, quod crepitum magis dixerim quàm ſonum. qualem audire ſolemus, quum ſupra caput alicuius dirupta veſica eſt. Talia eduntur tonitrua quum globata diſſoluitur nubes: & ſpiritum, quo diſtenta fuerat, emittit. Hoc propriè fragor dicitur, ſubitus, & vehemens.* Et mox: *Hic fieri illo quoque modo poteſt: vt incluſus aër caua nube, & motu ipſo extenuatus, diffundatur. Deinde quum maiorem ſibi locum quærit: à quibus inuolutus eſt, ſonum patitur.* Docet etiam fieri poſſe, vt nubes cauæ inter ſe colliſæ talem edant ſonum: ſicut quum nos manibus ſimul illiſis, ſonitum edimus. Quòd ſi quis excipiat: At nubes illiduntur etiam montibus, nec tamen tonitru edunt. Reſpondet, primùm; Cap. 28. *Non quocunque modo impulſas nubes edere ſonum, ſed ſi aptè ſint compoſita ad ſonum edendum.* Simile adfert dicendo. *Auerſa etiam manus, inter ſe colliſa non plaudunt, ſed palma cum palma plauſum facit. Et plurimum intereſt, vtrum caua concutiantur: an plana, & extenta.*

Deinde non tantùm nubes, ire oportet: ſed agi magna vi & procelloſa. Poſtea ſubdit c. 29 præter hæc, *naturâ aptus eſt aer ad voces: cùm vox etiam nil aliud ſit, quàm ictus aër.* Docet etiam ex ſententia Aſclepiodoti, fieri poſſe, vt ex colliſione etiam corporum ſolidorum, quæ in aërem eleuantur, fiant tonitrua. Sic contigit Puteolis, quum ex igne ſulphureo excitata, & per aërem volitantia ſaxa inter ſe collidebantur. Ex his, tonitrui definitionem ſic colligo.

THESIS III.

Tonitru, ſonitus eſt, qui aut ex agitatione vaporis ſicci, & calidi in nube frigida & humida, propter antiperiſtaſim, excitatus: aut ex eiuſdem vaporis, è nube violenter fracta, eruptione generatus, aut etiam nonnunquam ex nubium cauarum colliſione, coortus: per aerem, ad aures vſque noſtras defertur.

ATque hæc de tonitru naturali ſatis. Nam ſupernaturalia exempla, à ſolo Deo excitata inueniuntur: qualia multa in S. Literis leguntur: vt Exod. 19. *cùm daturus eſſet legem, &c.* Et qualis fuit vox illa Patris ad Filium: *Et glorificaui, & glorificabo*: Ioh. 12. De qua dixerunt quidam, qui eam audierant, fuiſſe tonitruum. Sed de iis non diſſerimus hic.

Porrò ad hæc ſupernaturalia confirmanda, ſeruiunt nobis naturalia: quia eadem eſt omnipotentia, quâ & naturalia, per cauſſas ſecundas; & ſupernaturalia, per ſeipſum operatur Deus. Ac de Meteoris aëreis hæc ſunt, quæ ego explicanda fuiſſe iudicaui.

CAPVT V.

De Meteoris Aqueis.

AQVÆ Meteora vocamus, corpora imperfecta: ex humidis frigidíſque ſua natura vaporibus in aëre procreata: quales ſunt nubes, etiam aqua pluuialis, & nix, & ros, & grando, &c. vocant alij impreſſiones humidas, in aëre generatas.

Proinde inter Meteora aquea, immeritò collocauit Ariſtoteles, etiam fluuios, fontes, & maria, &c. Neque enim hæc aut generantur in aëre: aut ſaltem ex vaporibus humidis. Sed primùm quidem initio, facta fuit diſtinctio inter aquas quæ ſupra erant & eſſe debebant ad firmamentum: & inter eas quæ infra firmamentum. Deinde, quæ infra, collectæ fuerunt in vnum locum, vt appareret arida, quas & mare vocauit: Hic eſt Oceanus. Tertiò, ex Oceano deducti omnes fluuij, & fontes; vt in Eccl. cap 1. legitur. Certè flumina, quæ initio ex Paradiſo terreſtri prodibant, ex vaporibus humidis non fuerunt generata, ac proinde inter meteora, connumerari non potuerunt. Vnde igitur flumina, & fontes, & Thermæ? A mari originem habent: tranſeunt autem per venas terræ; & ſeſe variis in locis exerunt. Vt enim in noſtro corpore ſunt venæ; per quas fluit ſanguis; ſic etiam terræ corpus, ſuas habet venas per quas fluunt aquæ: & humano generi variis in locis, ad varios vſus, ſemper ſuppeditantur à Deo, earum autore, præter illas, quas è cœlo ſubinde, & certis temporibus pluit. Atque experientia idem confirmat. Qui enim fodiunt terras, ſubinde inueniſit aquarum venas; vnde putei, & fontes conſtituuntur. Plato idem vidit & docuit, qui in Phædone ſtatuit ſub terris, hoc eſt, in medio terræ magnam aquarum copiam, quam *Tartarum* vocat: ex qua, tanquam ex fonte, ait dimanare omnes fluuios, fontes, thermas, lacus, maria. Hæc ſententia magis conſentanea eſt cum S. Literis, quàm Ariſtotelis. Quare immeritò, mare & fontes, inter meteora collocantur. Certè ſtultiſſimum eſt, mare Oceanum inter Meteora numerari. Dicam tamen, quomodo excuſari poſſit Ariſtot. Nempe, cum non fuiſſe ita ſtultum, vt ſenſerit, fluuios omnes & omnia maria, ex vaporibus humidis, ſicut vera Meteora generari. Vnde enim hi vapores humidi priùs ſunt, quàm ex aquis, atque inprimis ex Oceano, hoc eſt, ex elemento aquæ? Vt ipſe apertè docuit initio etiam Meteorologicorum ſuorum. Quid igitur ſibi voluit, quòd de Meteoris aqueis tractans, tractauit & de fluminibus & de mari. & quòd flumina quoque generari docet, ex vaporibus humidis, in terra incluſis? Reſponderi poteſt, primùm quidem, ad fluuios quòd attinet, non eum ſenſiſſe, omnes eodem modo generari, ſed quoſdam. Ad mare quod attinet, minimè illud inter Meteora ab Ariſtotele collocari: ſed quoniam de aqueis Meteoris agebat, captata inde occaſione; voluiſſe de omnibus aquis, & de Oceano, diſſerere: præſertim, quòd explicandæ erant quædam maris qualitates, quæ à Sole & Stellis, per abſtractionem Meteororum, è mari, in eo generantur, vt ſalſedo. Sic defendi poteſt Ariſtoteles.

Cæterùm illud ſtatuendum eſt, magnum eſſe diſcrimen inter aquas (ſicut docet Moſes) quæ ſupra ſunt ad firmamentum & inter illas, quæ ſunt infra firmamentum. Et cùm nomine illarum aquarum intelligantur Meteora, vt antè ex contextu, verbiſque Moſis apertè demonſtrauimus, minimè has alteras aquas, in genere Meteororum collocari poſſe. Proinde nos quoque de mari, & fontibus, aliiſque aquis, quæ ſunt infra firmamentum: diſſeremus ſeorſim, ſuo loco, abſolutis ſcilicet omnibus Meteoris: ſicut ordo Moſaicus docet eſſe faciendum.

Nunc de Meteoris aqueis diſſerendum eſt. Ac primùm quidem, quæ communia ſunt omnibus: deinde, quæ ſingulorum propria, explicabo.

THESIS I.

Materia omnium Meteororum aqueorum, propriè ex Elemento eſt aqua: & vapores ſunt humidi: & frigidi quidem per ſe, ſed calidi ex accidente.

DIxi, *propriè materiam eſſe ex aqua*: quia licèt ex terra etiam aſcendant vapores: non aſcendunt tamen, niſi quatenus aquâ fuit perfuſa terra: eóque terra, non eſt propriè materia aqueorum Meteororum: ſicut etiam nomen, ſeu Epitheton ipſum docet. Aquea enim vocantur ab aqua, ipſorum materia. Quanquam cum aqua, ſæpè etiam materia terrea ſimul in ſublime eleuatur: vnde craſſiores etiam ſunt, & nigræ nubes: & lapides fulminis, & alia id genus craſſiora, quæ in aëre generantur. Sunt autem vapores iſti aquei frigidi per ſe, & naturâ: ſicut etiam Elementum aquę. Sed ex accidenti, hoc eſt, propter vim Solis, à quo eleuantur calidi, aſcendunt vſque ad ſecundam regionem aëris, ibi verò, ſuam amittunt accidentariam caliditatem: ſicut etiam de materia communi ventorum, dictum eſt. Eſt enim ea regio frigida.

THESIS II.

Cauſſa communis Meteororum omnium efficiens, & naturalis, vna & eadem eſt: Motus ſcilicet corporum cæleſtium, atque in primis Solis.

EſT etiam hæc manifeſta, ex iis, quæ aliàs diximus de communibus omnium meteororum cauſſis. Sol cumprimis ſua luce & motu, vapores elicit ex aquis; eóſque euehit in altum. Et vt diuerſis temporibus, diuerſus eſt proprius eius motus: ſic diuerſa etiam per illum generantur meteora aquea, alia hyeme, alia æſtate: alia noctu, alia interdiu. De particularibus verò quorundam cauſſis, ſuo dicetur loco. Supernaturalis verò cauſſa omnium & prima, Deus eſt: qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.

THESIS III.

Locus Meteororum aqueorum certus, duplex eſt: media aëris regio, & infima.

IN iis enim omnibus videmus, quædam generari, & alia in infima. In media, pluuiales aquæ: in infima, ros & pruina. Iſtæ duæ regiones, certa ſunt loca aqueorum Meteororum. Nam de ventre terræ, quòd ibi etiam generentur talia meteora, non ita certum eſt. Supra mediam regionem non aſcendit materia horum Meteororum, propter ſuam craſſitiem. Si quæ ſint cum ipſa, partes ſubtiles, exhalationes ſcilicet, coniunctæ, illæ aſcendunt ſuperius. Craſſior verò & humidior materia, in media manet.

THESIS IV.

Sunt autem vera Meteora aquea, duplicis generis: quædam generantur cum nube, quædam verò ſine nube.

CVm nube, vt pluuia, nix, grando: ſine nube, ſereno tempore; vt ros, pruina.

THESIS V.

Porrò, in ſumma aquea Meteora, nouem ſunt: Nebula, ros, pruina, nubes, pluuia, nix, grando, granedula. De ſingulis breuiter dicemus.

SVnt hæc omnia non tam mirabilia, quàm etiam vtilia (vnam ſi excipias grandinem, quam vlciſcendi noſtras iniquitates cauſſa, immittere ſolet Dominus) & neceſſaria humano generi. Proinde etiam vtile eſt, non ſolùm honeſtum & laude dignum: hæc omnia Dei opera contemplari, & quomodo generentur, quæve illorum ſint effecta, quæ proprietates, diligenter inueſtigare & noſſe. Dicam quod Seneca habet in Præfatione libri tertij, qui eſt de aquis: quanquam aliis verbis.

Si laudabile, honorificum, & vtile eſt magnorum virorum, Regum, Imperatorúmque facta, & res præclarè geſtas legere, cognoſcere, memoria tenere: quantò vtilius, honeſtius, & maiori laude dignius eſt: magna opera Dei noſtri, quę tanta ſapientia, bonitate, & potentia, noſtra cauſſa creauit, procreat, regit, cognoſcere & intelligere? Hinc apparet illos falli turpiter, qui commendant profanarum hiſtoriarum lectionem: Philoſophorum autem, improbant, cùm tamen in illis, res tantum geſtæ ab hominibus: in iis verò opera Dei, eorúmque vires, qualitates, effecta, vſus explicentur. Lege Pſalmos, Iobum, & libros Salomonis, & videbis, quàm ſæpè verſetur in contemplatione, & explicatione horum Dei operum, quæ *Phyſica* vocamus: & præſertim in Meteoris variis declarandis. Opus igitur eſt Chriſtiano homine dignum.

De nebula, quæ & caligo dicitur.

DE Nebula inprimis dicendum eſt, quia hæc nonnunquam erumpit tam iis, quæ generantur ſine nube, quàm iis etiam quæ cum nube fiunt. Ὀμίχλην vocat Ariſtoteles: & ait eſſe *περίττωμα τῆς εἰς ὕδωρ συγκρίσεως*, quaſi dicat, *excrementum, & quod ſupereſt nebulæ, quæ in aquam conuertitur*. Ideóque eam etiam appellat νεφέλην ἄγονον: quaſi dicat, *ſterilem nubem*: quia non gignit pluuiam.

Cæterùm hæc nebula fit aliquando ante pluuiam: eóque tunc principium eſt nubis maioris, & pluuioſæ. Sæpiùs verò poſt pluuiam: & tunc, ſignum eſt ſerenitatis. Eſt enim tunc nil aliud verè, quàm ſubtilior pars, quam præcedens nubes, & pluuia, in aëre reliquit. Aliquando etiam excitatur, neque ante pluuiam, neque ſtatim poſt pluuiam: ſed tantùm poſt vdum noctis, aut diei. Si poſt humiditatem noctis: ſignum eſt ſerenitatis diurnæ. Si poſt humiditatem diei, ſignum eſt ſerenitatis nocturnæ: id quod æſtate plerunque contingit. Et tunc ſignum eſt ſerenitatis; & materia roris futuri ea nocte. Sic igitur deſcribimus.

THESIS.

Nebula, humor eſt aqueus ſubtilis: qui à Sole eleuatus, per ſe, & ſua natura & ſerenitatis ſignum eſt & roris materia.

DIxi *per ſe, & ſua natura*; quia ſi poſt ipſam ſequatur pluuia, per aliud id fit: nempe quia craſſiores [illegible] illum ſubtilem ſubſecuti ſunt. Hanc ob cauſſam non ſimpliciter dixit Ariſtoteles, *Nebulam eſſe ſignum ſereni cæli duntaxat*: indicans aliquando etiam ſignum eſſe pluuiæ.

Sequitur igitur

2. De Rore.

THESIS I.

Materia roris vapor eſt ſubtilis, & humidus.

MAteria enim omnium Meteororum aqueorum, eſt vapor aqueus; ſed hic aut craſſus, aut ſubtilis. Si craſſus, inde generatur pluuia, nix, grando, &c. Si ſubtilis, inde ros, æſtate; & pruina, hyeme.

THESIS II.

Cauſſa efficiens propria & proxima, eſt temperata aëris caliditas & frigiditas.

DIximus, cauſſam communem eſſe Solem ſuo motu, & calore. Sed ſi calor nimius ſit Solis, ſubtilem hunc vaporem, prorſus conſumet. Ideoque generari inde non poterit ros. Si nimium lentus, vt hyeme: non pellit frigus aëris, eóque nec generabitur ros, ſed denſabitur à frigore in pruinam. Opus igitur eſt temperato calore, & temperato frigore. Ita Deus optimè ei proſpexit. Proinde hinc ſequitur

THESIS III.

Adiuuans cauſſa roris, eſt ventus Auſtralis, ſed lentè flans: impediens autem Septentrionalis.

RAtio eſt, quia ille calidus eſt, & humidus, ideóque accommodatus ad roris generationem. Alter autem frigidus, & ſiccus, ideóque incommodus. Hinc etiam

THESIS IV.

Tempus, rori generando commodum, eſt ver, & autumnus: idque ſereno Cælo, & ſi venti non flent.

RAtio eſt, quia vtrumque tempus, temperatè calidum & frigidum eſt, & in aëre, vbi generatur ros, viget temperatus calor, & temperata frigiditas: ideò dicit Ariſtoteles, *tunc eſſe commodum tempus, quum Sol eſt in æquinoctiali*. In locis tamen, vbi æſtate, non ita magnus eſt æſtus, ſed temperatus, facilè ros generari poteſt. Perinde enim tunc eſt ibi, atque ſi Sol eſſet in æquinoctio. Addidi, *ſi venti non flent*. Alioqui enim diſſiparent vaporem illum ſubtilem. Et ſereno Cœlo. Nebuloſo enim non poteſt.

THESIS V.

Locus, vbi ros generatur, infima eſt regio aëris.

Ariſto-

ARiſtotelis dicto confirmatur, qui ait, *ſupra altos montes non deſcendere rorem.* Hoc enim apertum eſt ſignum generari in regione inferiori.

THESIS VI.

Duæ autem ſunt præcipuæ proprietates roris.

VNa eſt, quòd temperatè calidus eſt, & frigidus. Nam etiam ex talibus cauſſis generatur, & in tali tempore. Ideò ad recreandum aduſta valet: Eccleſiaſtici 43. verſ. 24. *Ros vredini occurrens, exhilarat.*

Altera, quòd ſoluit aluum animalium. Hoc liquet experientia, ſi quis edat vuas, aut alios fructus, rore aſperſos nocturno Ratio verò eſt, quia ros, naturæ eſt calidæ & ſubtilis, humidæque. Quatenus ſubtilis eſt naturæ, facilè penetrat in inteſtina. Quatenus calidæ, iuuat, & roborat vim expultricem.

His verò accedit, quòd herbas & fructus refrigerat, & fouet, ac quaſi nutrit.

3. De Manna.

MIrabile quoque ac verè diuinum opus eſt, *Manna*: de quo ſcriptura perſæpè loquitur: quod nomen, vnde deriuatum ſit, quiuis ex c. 16. Exod. cognoſcere poteſt. Species eſt roris, ſed denſioris, vt pruina.

THESIS.

Manna, ros eſt denſior, hoc eſt, vapor pinguis admodum, & viſcoſus, ex aquæ, terræ, & aëris mixtione, vi frigoris nocturni concretus, atque prædulcis: qui ſereno cælo, atque noctu, ſuper plantarum, & herbarum folia, inſtar coriandri, decidens, plantas quidem ipſas exiccat, marceſceréque facit: ad purgationem verò, eóque ad ſalutem humani corporis, à Deo ordinatus eſt.

PRoinde, quia eius proprium eſt, purgare, aluúmque ſoluere. Ideò verè miraculum fuit, quod Iſraëlitæ, eò tanquam cibo ſuſtentati & nutriti fuerint in deſerto. Fuit enim præter naturam Mannæ. Eſt autem in Theſi expreſſa Materia efficiens, forma, tempus quo generatur, & modus, propria etiam effecta, finis.

4. De Pruina, quæ πάχνη dicitur.

THESIS.

Pruina, ros eſt: qui ex intenſo frigore noctis hyeme, ſerenoque cælo, & leuiter flante Aquilone, in infima aëris regione, non multum à terra in ſalis formam concretus, cùm ad alios vſus, tum maximè ad vermes è terra tollendos: ne iactas in eam ſementes corrodant, ordinatus eſt.

HAbentur etiam hic omnes cauſſæ: & omnia ſunt perſpicua.

5. De Nube.

THESIS.

Nubes, vapor eſt humidus & craſſus, qui ad mediam aëris regionem à ſole eleuatus, à frigore autem regionis condenſatus: tam diu talis manet, donec calore ſolis liquefactus, in pluuiam conuertatur.

NIhil enim eſt nubes aliud, quàm materia pluuiæ: imò pluuia ipſa, ſed ſubtiliter concreta. Nam primùm ex aquis, eleuantur vapores in ſecundam regionem, qui concreti, fiunt nubes: liquefacti autem fiunt pluuia guttatim decidens. Sic Pſalm. 77. *Inundarunt aquas nubes:* hoc eſt, nubes demiſerunt aquarum inundationes. De iis Eccleſiaſtici 42. *Propter hoc: theſauris eius recluſis: nubes tanquam volucres, prouolant.* Theſauri iſti, vapores ſunt in terra & in aquis abditi: è quibus omnia educit meteora Deus, ventos, fulmina, rorem, grandines, nubes, pluuias, niues, &c. Eſt enim omnium horum materia, in terra, & aquis: vt ſuprà oſtenſum eſt. Tunc igitur Deus dicitur aperire theſauros ſuos; cùm vi ſolis, exhalationes & vapores aſcendere facit in altum; & inde varia format meteora. Ita apertè docet Siracides, quomodo generentur nubes: quæ nubes, materia ſunt aquæ, niuis, grandinis, glaciei, &c. Hæc de nube.

6. De Pluuia.

EX iis quæ dicta ſunt de Nube: facilè intelligitur, quid ſit pluuia. Si enim nubes nil aliud eſt, quàm pluuia concreta in cælo manens: Pluuia igitur nil aliud fuerit, quam nubes liquefacta, guttatim in terram decidens. Sic verò definiri poteſt.

THESIS I.

Pluuia, eſt fluxus humidæ nubis, quæ à calore ſolis paulatim liquefacta, aquam guttatim è media aëris regione in terram demittit, ad varios viuentium omnium vſus.

MAteria igitur pluuię, eſt nubes aquoſa. Cauſſa efficiens eſt calor ſolis, qui nubem liquefacit: Calor enim, humida congelata, liquefacit. Ac calorem ſolis, cauſſam eſſe pluuiæ, inde apparet; quia quum immenſum eſt frigus, ſicut media hyeme: non ita facilè pluere poteſt. Contrà verò, quò calor vehementior eſt: eò etiam, ſi nubes in aëre ſint concretæ, copioſior aqua, & maiori cum impetu, decidit è nubibus; ſicut media æſtate fieri ſolet, quum pluit.

THESIS II.

Sicut autem aquæ fontium, à variis terrarum per quas tranſeunt qualitatibus, varias & ipſæ ſortiuntur qualitates, puta, vt vna ſit dulcis, altera ſalſa: ita etiam contingit aquæ pluuiali, à qualitatibus terrarum, & aquarum, vndè vapores, nubium pluuiæque materia, exhalant.

THESIS III.

Eſt autem duplex pluuia: naturalis, & prodigioſa.

NAturalem vocamus, quæ tota à cauſſis proficiſcitur naturalibus, ſiue illa ſit maior, ſiue minor. Magis enim & minùs, non variant ſpeciem. Prodigioſas vocamus, quæ licèt ex parte fiant à naturalibus cauſſis, tamen quædam ſecum adferunt, quæ ſunt inſolita, & quorum ratio naturalis vera reddi non poteſt. Exemplum: vt quando cum aqua ſimul etiam pluit ſanguis, aut lana, aut lateres, aut animalcula, & alia id genus: quorum exempla aliquot recitat Plinius libr. 2. cap. 56. quod eſt de prodigioſis pluuiis. Sunt qui conantur harum quoque prodigioſarum pluuiarum naturalem reddere rationem: nempe, haſce res, lanam, ferrum, lateres, & alia, è terra fuiſſe priùs à Sole, cum vaporibus ipſis, in Cælum eleuatas: & deinde cum aqua pluuiali, deſcendiſſe. Alij, neſcio quibus ſtellarum influxibus aſcribunt. Sed omnia iſta nugatoria ſunt: & nulla firma nituntur ratione. Sentio itaque, tales pluuias verè prodigioſas eſſe & fieri, aut ſola Dei potentia, eóque iram Dei portendere: qualis fuit & illa, quum pluit ſulphure & igne ſupra Sodomam, & alias vrbes: Geneſ. 19. aut etiam Dæmonum præſtigiis Deo permittente, fieri. Fieri tamen poſſe non eo inficias, vt aliquando Sol ſuo immenſo calore ità coquat nubem, vt quæ inde deſcendit aqua, colorem capiat rubeum, & quaſi ſanguineū. Sicut etiam videmus febricitantium vrinam, præ nimio calore accenſi & inflammati ſanguinis, rubeam admodum è veſica emitti, vt ſanguinem referat, cùm tamen ſanguis non ſit. De ranis etiam, quibus pluit nonnunquam, præſertim in regionibus calidis & tempore magni æſtus: plerique omnes ſentiunt non generari in aëre: ſed in puluere, & ex puluere. Simulac enim craſſæ guttæ in puluerulentam terram inciderunt: ſtatim ex illa materia aquoſa & terrea, calore ingenti operante, & materiam illam viuificante, tales ranunculas generari.

Sed experientia ipſa deprehenſum eſt, ranas pluiſſe ſupra aſſeres mundos. Itaque non pugnat cum natura, ex aqua viſcoſa, cum puluere in aërem euecta, cúmque eo mixta, vi Solis, & æſtuantis aëris, talia animalcula, in aëre generata fuiſſe, & inde pluiſſe. Nam etiam in aqua, & ex aqua pluuiali, ſi adſeruetur in pelui, generantur neſcio qui piſciculi. Quidni igitur & ranæ, dum ea aqua in aëre eſt, generari ex ea queant? Sed vtut ſit de iſtis ranis, apparet etiam hinc mirabilis Dei potentia: quod ex ſimplici puluere, & aqua, vi caloris ſolaris, vno temporis momento, generari hæc animalia poſſint, ita iubente Deo. Quid igitur mirantur homines impij, quòd credimus ex pulueribus noſtrorum corporum, accedente cuiuſque ſpiritu, idque per vim Spiritus S. ad ſuum proprium corpus, denuò collectum iri hæc corpora: nóſque ad æternam vitam reſurrecturos!

THESIS IV.

Neque ſine cauſſa fit: primo quidem, vt ſæpiùs, anni tempore & diutiùs pluat, quàm aut ningat, aut

grandinet, aut ros vel pruina deſcendat: & deinde, vt guttatim, non autem tota ſimul aqua ſuper terram deſluat.

RAtio primi eſt: quia magis neceſſaria eſt terræ pluuia, quàm vllum aliud Meteoron. Ideò hoc inter ſingularia Dei beneficia, mundo ſummè neceſſaria connumerauit Chriſtus: apud Matth. dicendo, *Qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, &c.* Quòd etiam diutius pluat, puta aliquando per octiduum menſémve integrum: ratio Phyſica eſt, quia citò ex aqua, quæ iam pluit, denuò generatur noua nubes quæ liquefacta à Sole, continuat pluuiam; vt ſit quidam circuitus, à pluuia ad nubem, & à nube ad pluuiam. Non certè ſic ex niue, noua niuis generatur materia. Ratio verò ſecundi; Phyſica quoque eſt: quoniam Sol non ſimul vno momento totam nubem liquefacit, ſed paulatim. Vt igitur paulatim liqueſit nubes; ſic etiam paulatim, & guttatim deſcendit aqua. Sed huc accedit alia ratio. Ea autem eſt: ideò Deum velle, vt guttatim pluat, non autem tota ſimul effundatur aqua: quia hic alter modus, vtilis non eſſet terræ. Obruerentur enim & ſuffocarentur omnia; neque tecta ſuſtinere poſſent tantum pondus, ſi tota ſimul aqua quę in nubibus eſt, effunderetur. Ideò igitur vult Deus guttatim eam deſcendere: quia hæc ratio vtiliſſima eſt terræ. Quare agnoſcamus ex pluuia maximam Dei beneuolentiam & prouidentiam: non ſolùm in collatione aquæ pluuialis, ſed etiam in modo, quo illam confert. Effundit ſupra nos Deus aquam ſua manu: prout videt nobis vtile eſſe. Sunt enim nubes, vt ſpongia quædam aquarum plena. Deus autem manu ſuæ prouidentiæ, ſpongiam hanc comprimit: non totam ſimul & quantum poteſt: ſed paulatim, vt molliter paulatimque deſcendat aqua.

THESIS V.

Signa etiam, quibus Deus præmonſtrat imminentem pluuiam, contemnenda non ſunt.

OB noſtrum enim commodum, illam præmonſtrat: puta, vt agricola intelligat an debeat iam ſementem iactare in agros: an differre. Et nauta, an debeat nauem ſoluere, necne, &c. Multa autem ſunt ſigna imminentis pluuiæ, eáque naturalia: quorum quædam ſolis rerum cœleſtium peritis nota ſunt: vti ſunt ſtellarum aſpectus. Alia rudioribus quoque & vulgaribus hominibus notiſſima. Obſeruata hæc fuerunt à Philoſophis, & libris etiam conſignata.

Vnius mentionem fecit Chriſtus, tanquam veri & certi pluuiæ ſigni: quum dixit, Matth. 16. *quando ſerum eſt, dicitis: ſerenitas erit: Rubet enim Cœlum. Et mane: hodie erit tempeſtas. Rubet enim triſte Cœlum.* Rubor igitur nubium ſicut veſpertinus, ſignum eſt ſerenitatis: ſic matutinus, imminentis pluuiæ. Talis enim nubes, mane humida eſt: veſperi ſicca.

Aliud ſignum eſt, Si ſol pallidus eſſe videatur aut Luna: Pallor enim ille inde proficiſcitur: quia Sol aut Luna ſuis radiis aquoſam nubem feriunt. Proinde indicat pallor ille, iam materiam pluuiæ præparatam eſſe. Contrà verò, ſerenitatis ſignum eſt: ſi rubicundus apparet Sol. Rubor enim ille, ex reuerberatione radiorum Solis in vaporem ſiccum atque aduſtum, proficiſcitur.

Aliud, ſi nebula ſeu caligo, augeatur, craſſior fiat, & altiùs aſcendat. Argumento enim eſt, vaporem humidum, qui materia eſt pluuiæ, maiorem & fortiorem eſſe, quàm vt poſſit à Sole diſſolui & conſumi. Ita ex nebula fit nubes, & ex nube, aqua. Contrà, ſerenitatis ſignũ eſt, ſi nebulam illam videas fieri ſubtiliorem: & in guttulas reſolui. Argumẽto enim eſt, tunc à Sole conſumi. Neque minùs perſpicuè præmonſtrat pluuiam nimia & extra ordinem facta humiditas, in parietibus, in ſale, & aliis rebus, &c. Signum enim eſt magnam vaporum copiam eleuari; è qua coguntur pluuioſæ nubes. Idem, & eandem ob cauſſam, ſignificat inſolens ſtridor lucernæ, vel candelæ accenſæ. Oritur enim ille ex vaporis humidi acceſſione. Neque ſuperſtitio eſt, quòd, quum ranæ frequentiùs ſolito, coaxant, ruſtici aiunt eas pluuiam vocare. Res enim eſt Phyſica. Omne enim ſimile gaudet ſuo ſimili, & ſuæ naturæ vtili ac conuenienti. Cùm itaque ranæ, ſummopere delectentur aqua, vtpote ſuæ naturæ commoda: Idcircò quum præſentiunt pluuiam, lætantur, & in teſtimonium lætitiæ canunt.

Eandem ob cauſſam galli; quum frequentiùs, & hora inſueta, canunt, dicuntur pluuiam prædicere. Ideo enim canunt, quia ſentiunt ſe à vaporibus iam per aërem ſparſis refrigerari: id quod illis voluptatem affert: calidi cùm ſint. Sunt & alia multa apud naturæ obſeruatores Philoſophos. Ridemus hæc, quia vulgaria ſunt, vilia, & quaſi anilia, ſunt tamen omnia Dei opera, quæ non ſine cauſſa, in mundo fieri, & continuari vult. Sancti certè in Scripturis, non dedignantur rebus quibuſque, etiam viliſſimis recenſendis, vtpote operibus Dei, Deum ipſum laudare, & glorificare. Et exemplis viliſſimorum animalium, nos ad varias virtutes adhortari; exemplo formicæ, ad ſegnitiem pellendam; & ad paranda nobis noſtríſque liberis in tempore, neceſſaria. Sic cùm audimus ranas ideò frequenter cantare, & lætari, quia ſentiunt inſtare pluuiam ſibi amicam, diſcamus & nos lætari, Deúmque ardentiùs inuocare: cùm ſentimus appropinquare diem Domini, diem, inquam, quo arctiùs, quàm in hac carne, coniungendi ſumus cum Chriſto. Adde quòd hęc ſigna explicanda ſunt ne quis putet ſuperſtitiones eſſe. Habent enim cauſas naturales. Sed pergamus: ſatis de pluuia, præclaro Dei opere, dictum eſt.

7. De Niue.

AFfinis pluuiæ eſt, Nix, quæ χιὼν ab Ariſtotele vocatur. Nihil enim aliud eſt Nix, quàm nubes aquoſa congelata; ſeu quàm aquæ guttæ, tenuiter congelatæ, idque à frigore aëris circumſtante. Ideò quidam vocarunt eam; *ſpumam aquæ cœleſtis*, id eſt, pluuiæ. Qua voce, & materiam, & formam niuis eleganter explicarunt. Materiam quidem, quia ſpuma, eiuſdem materiæ eſt, cuius & illud, cuius eſt ſpuma. Formam verò, quia nix figuram habet ſpumæ albæ. Materia ergo niuis, eadem eſt, quæ etiam pluuiæ.

De forma niuis, ſic ſcribit Dauid Pſalm. 147. *Qui dat niuem, ſicut lanam.* Videtur enim Deus, lanam albam è cœlo proiicere.

Cauſſa efficiens proxima, eſt frigiditas aëris, ab hac enim nubes condenſatur.

Locus vbi generatur, eſt media aëris regio. Ibi enim generatur, non autem in infima, vt Plato exiſtimauit. Eſt enim hæc infima, illius reſpectu, ſemper calida. Idcircò non hinc facilè congelari poteſt. Imò ſæpè videmus, niues quæ in montibus manent niues, cùm propiùs nos accedunt, verti in aquam: atque ita quòd nix eſt in montibus, in terra eſt mera pluuia. Vnde hoc diſcrimen? Quia in montibus altis non viget calor, à quo niues liquefieri in aquam poſſint, quemadmodum in vallibus, & prope terram. Ideò etiam generatur hyeme: non autem æſtate, & potiùs initio veris, quàm initio autumni. Frigidior eſt enim aër initio veris, propter proximam hyemem quæ præceſſit, quàm initio autumni, propter æſtatem, cuius adhuc calorem ex parte retinet.

Excipiuntur loca frigidiora, vt Aquilonaria, & montes, qui Aquilonem ſpectant, & in quibus Aquilo regnat. Quia enim perpetuò eſt intenſa frigiditas, ideò, ſemper etiam generari poſſunt ibi niues, ita vt aliquando etiam media æſtate ningat.

Vſus niuis notus eſt. Pinguefacit agros, cuſtodit vineas, & arbores, ne à nimio frigore perdantur.

Ex illa quoque generantur chryſtallus, & berillus, in montibus ſcilicet frigidiſſimis, vti ſunt Aquilonares. Vſque adeò enim ſucceſſu temporis obduratur nix: vt inde fiat chryſtallus, & berillus.

THESIS.

Nix, nubes eſt aquoſa, in media aëris regione, tenuiter congelata, quæ à debili Solis calore, in tenues particulas tenuiter, & paulatim diſſoluta, ac inſtar albæ lanæ carminata, in terram, ad vtilitatem ſegetum, vitium atque arborum, alióſque vſus, frigidis temporibus molliter decidit.

8. De Grandine.

THESIS I.

Grando, quæ χάλαζα dicitur, ex eadem fit materia ex qua & nix, & eodem ferè modo generatur.

EXPLICATIO.

DIxi, *ferè*: quoniam aliquod diſcrimen eſt in vtriuſque generatione: vnde etiam variant inter ſe, ſecundùm magis & minùs denſum. Nix enim ex nube aquoſa molliter coacta fit, vt ſuprà diximus: Grando autem ex eadem, ſed duriùs congelata ac conglobata. Non ſolùm enim plus frigoris, accipit in media regione, materia grandinis, quàm materia niuis: ſed etiam inter decidendum, durius condenſatur in infima regione calida, propter ἀντιπερίστασιν, quàm nix. Vt hoc intelligatur, notanda ſunt quædã principia Philoſophiæ certiſſima; ex quibus perſpicuũ fiet, quomodo fieri poſſit, vt eadẽ materia, nubes ſc. aquoſa, in grãdine ſit durius conglobata, in niue autem molliùs, cùm tamen nix generetur

neretur tempore frigido: frigoris autem ſit denſare. Grando verò, tempeſtate calida: calidi autem ſit rarefacere & mollire. Videntur enim hæc inter ſe pugnare: præſertim cùm etiam in eadem aëris regione, tam grando, quàm nix generetur. Ergo hæc quatuor Axiomata, quæ Deus in Natura conſtituit, & vult eſſe perpetua, & quorum explicatio, ad multa vtilis eſt, primùm notanda ſunt.

Omne contrarium, vicinum ſuo contrario, aut illud fugat, aut ab eo fugit. Fugat, ſi fortius ſit: fugit, ſi debilius, ne ab altero corrumpatur. Ideo cùm accedit æſtas, in qua, calor fortior eſt frigore: calor fugat frigus, & frigus fugit à calore in aëre dominante, ſéque recipit in loca ſubterranea. Sic impij perſequuntur pios; & pij fugiunt à conſortio impiorum. Sic lux fugat tenebras, & tenebræ fugiunt à præſentia lucis. Hinc illa dicta Spiritus S. *Quæ conuentio luci, ad tenebras?* Et ad pios, *fugite de medio eorum*, ſcilicet impiorum.

Et mulier, id eſt, Eccleſia, *à facie ſerpentis volauit in deſertum*, Apoc. 12.

Alterum principium: *Omne contrarium, dum ſuum fugit contrarium: ſeſe ſuáſque vires vnit, eóque fortius fit. Et ſi diſperſum erat: in vnum ſe cogit locum, ibique fortius, & efficacius operatur.* Virtus enim vnita, fortior eſt ſe ipſa diſſipata. Hinc fit, vt æſtate, calore in aëre dominante, frigus in locis ſubterraneis collectum & vnitum, ſit maius & fortius: eoq́; ea etiã loca, vbi frigus eſt collectum, veluti vinariæ cellæ, frigidiora ſint ſolito. Contrà verò, hyeme, frigore aërem occupante; cellæ in quibus collectus eſt calor, ſint calidiores, quàm antea. Idem de puteis & thermis dico: Sic quia Spiritus & caro contraria ſunt, idcirco quò magis Spiritus declinat ab operibus carnis, fugítque à Mundo, & ſeſe colligit; eò etiam fortior fit, & valentior. Atque hoc eſt, quod Philoſophi vocant ἀντιπεριστάσει: quia fit, vt vnum contrarium, propter alterum ſe circumſtans, ſeſe colligat & fortius fiat. Hinc

Tertium notandum eſt: *Etſi media aëris regio ſemper frigida eſt: tamen æſtate, ſolito etiam frigidior eſt.* Ratio eſt ipſa ἀντιπερίστασις, & pendet ex iis quæ dicta ſunt. Tunc enim & ſuprema calidior eſt, non ſolùm propter ſphæram ignis vicinam, verùm etiam propter Solem, qui tunc magis penetrat ſuo calore in ſupremam aëris regionem, quàm aliis temporibus. Et infima etiam, ſolito feruentior eſt: ſicut ſentimus, & res ipſa docet. Si igitur omne contrarium, fugatur à ſuo contrario, ſeſe vnit, & fortius fit: æſtate autem; frigus, quod diſperſum erat ſupra & infra mediæ regionis centrum, totum vtrinque in mediam regionem pellitur, ipſum pulſum ſeſe vnit & colligit: efficitur æſtate, mediam regionem, eſſe ſolito frigidiorem, propter ἀντιπερίστασιν caloris, vtrinque illam prementis: Poſtremò

Quartum axioma notandum eſt: *Quò plus aliquid ſua natura frigidum ab alio caloris receperit: ſi poſtea remotum à ſuo calefaciente, denuò exponatur frigori, illud fiet frigidius: antequam de principio fuerit ſua natura.* Exemplum. Si enim accipias aquam frigidam ſua natura, eamq́; igni appoſitam optimè calefacias: & poſtea remotam ab igne, denuò frigori exponas: videbis eam paulò pòſt factam fuiſſe frigidiorem. Citiùs enim & duriùs congelabitur, quàm alia aqua, quæ non fuerit calefacta. Et ratio eſt: quia propter calorem, quem accepit, facta fuit rarior: Eſt enim caloris, rarefacere. Quò autem aliquid rarius eſt: in illud etiam, frigus, & citiùs, & fortiùs penetrat: eoq́; citiùs res illa congelatur: quia partes rariores, minùs reſiſtunt, quàm denſiores & vnitiores. Atque hæc etiam cauſſa eſt, cur qui nouerunt veritatem Euangelij, & guſtauerunt dona cæleſtia, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, vt loquitur Apoſtolus Hebr. 6. ſi poſtea deficiant à Chriſto, fiant ſceleratiores, & inimiciores hoſtes veritatis: quàm qui illam nunquam nouerunt. In hos enim Satan, plus habet poteſtatis, & fortiùs ſuas exerit vires: vt etiam parabola Euangelica docet Lucæ 2. His explicatis, facilè intelligitur, qui fiat, quòd eadem nubes aquoſa, quæ eſt materia niuis & grandinis, ſit in niue mollius, in grandine autem duriùs concreta: cùm tamen nix fiat hyeme, quo tempore maiores vires, habet frigus: Grando autem conglobetur æſtate. Imò hæc temporis differentia efficit, vt grando concretior ſit niue. Nam iuxta tertium ἀξίωμα, media aëris regio, vbi tam grando quàm nix prima ſuæ generationis capiunt initia, frigidior eſt æſtate quàm hyeme, hoc eſt (vt ita loquar) centrum & medium illius regionis frigidius eſt æſtate, quã hyeme, propter antiperiſtaſin, vt antea dictum eſt. Ergo materia grandinis plus frigoris accipit ibi, quàm niuis. Deinde nubes aquoſa, è qua generatur tam grando, quàm nix æſtate, facilimè, citiùs & duriùs congelari poteſt, quàm hyeme. Ratio eſt: quia æſtate, calidior illa aſcendit in mediam regionem, quàm hyeme; fuit enim magis à Sole calefacta, eóque etiam magis rarefacta (iuxta quartum axioma.) *Sua natura frigidum, quò plus caloris ab alio accipit, ſi poſteà à ſuo calefaciente remotum, frigori iterum exponatur, eò frigidius etiam fiet, & citiùs, duriúſque congelabitur.* Sed hoc præterea accedit, quòd quando deſcendit guttatim materia grandinis, in ipſa infima regione, magis ac magis congelatur, idque propterea quòd aëris calor frigus nubis magis intra nubem pellit, & illud fortiùs factum materiam ipſam duriùs conglobat. Hæc eſt vis ἀντιπεριστάσεως.

Apparet itaque, quomodo generetur grando: & quæ cauſſa ſit, cur concretior ſit, & conglobatior deſcendat, quàm nix. Hæc explicatio, ad multa alia Dei opera intelligenda, vtilis fuerit. De hac grandinis materia, generatione, & forma ſic cecinit Dauid, Pſalmo 147. *Proiicit chryſtallum ſuam* (Hebr. קרחו glaciem, & intelligit grandinem,) *ſicut bucellas ante faciem frigoris eius, quis ſuſtinebit?* Dixerat enim antea de generatione niuis, & nebularum: *Qui dat niuem, ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.* Poſtea ſubiecit de grandine: dicendo, *Proiicit grandinem ſuam, ſicut bucellas:* Guttæ enim decidentes, nimio ſuo frigore propter antiperiſtaſin aëris calidi magisq; vnitæ, condenſantur. Et ideo quaſi in fruſtula formantur. Cur ſicut bucellas, hoc eſt, rotundæ figuræ dat grandinem Deus? Figuram hanc inter deſcendendum accipiunt. Et ratio phyſica eſt: Quidquid enim deſcendit, cùm contrarium ſit, tendit ad centrum, & ad vnionem cum ſuo ſimili. Ac proinde ſi partes habeat fluxiles, ſeſe inuicem vniũt: Et ideo formam ſphæricam, quâ nihil magis vnitum accipiunt: & vſque adeò naturale eſt, vt quod deſcendit in formam rotundam, quoad eius fieri poteſt, ſe conformet, vt homo etiam, ſi è ſublimi cadat turri, non rectus facile ſit deſcenſurus: ſed in gyrum vertatur, neceſſe ſit. Hæc eſt natura eorum, quæ deſcendunt. Sicut etiam in aquæ guttis, apparet.

THESIS II

Grando, vtilitatem nullam affert terræ, ſed damnum, eóque teſtimonium iræ Dei eſt peccatum.

FRuges enim mortificat, adurit, cædit, terrámque, in quam cadit, ſterilem ex parte reddit. Eſt enim frigida, & plurimum aduſti. Hæc autem duo ad ſterilitatem faciunt. Sic ergo deſcribitur grando.

THESIS III.

Grando, nubes eſt aquoſa, in media aëris regione intensè frigida effecta, atque concretà, quæ guttatim decidens, magis ac magis in infima regione, propter antiperiſtaſin aëris calidi, frigiditate naturali ſeſe contrahente, conglobatur; magnóque impetu, modò ſola, modò cum pluuia, terram petit, ad fruges, propter noſtra peccata lædendas, à Deo ordinata.

9. ADdunt permulti tanquam alteram ſpeciem, aliud genus grandinis, quod *granulam, & granedulam*, vocãt.

THESIS I.

Granula, eiuſdem eſt impreſſionis cuius & grando: ſi hoc excipias, quod tantum frigoris non accedit materiæ granulæ, quantum materiæ grandinis: ac proinde non ita grana eius magna ſunt neque dura, atque ſunt grandinis.

RAtio eſt: quia materia grandinis, calidior antea fuit, vtpote tempore calido eleuata à Sole: eóq; capacior congelationis: vt anteà explicatum eſt, quàm materia granulæ, quæ eleuatur è terra, circa Februarium, & Martium menſes.

Hæc de Meteoris aqueis, ſatis ſunto. Nam, vt antea diximus, ex ſententia Moſis, mare, & flumina, ad genus Meteororum non pertinent: cùm differentes ſint aquæ, quæ ſupra ſunt, ad firmamentum, ab illis quæ ſunt infra. Itaque ſeorſim de mari, & fluuiis, fontibúſque dicemus.

CAPVT VI.

De Terreis Meteoris.

REſtat nunc, vt dicamus de terreis Meteoris: Metallis ſc. & lapidibus, & aliis quibuſdam: quæ omnia, *foſſilia* appellari ſolent, quòd è terra effodiantur. Hęc tametſi in ſublimi non generentur, vnde propriè Meteora appellantur: inter Meteora tamen connumerantur, propter materiam, è qua fiunt, ipſis cum aliis omnibus Meteoris, communem. Nam etiam hæc foſſilia omnia ex vaporibus & exhalationibus terreis,

& aqueis generantur. Eſt autem diſcrimen magnum inter hæc, & reliqua Meteora. Illa enim imperfecta ſunt corpora: iſta perfecta.

THESIS I.

Materia omnium foſſilium, exhalationes & vapores ſunt terrei atque aquei: eóque ipſorum locus, & quaſi vterus vbi generentur, ſunt variæ ipſius terræ venæ.

PRæter Philoſophiam, ipſa etiam ſcriptura hoc docet Iob. 28. *Certè eſt argento latebra, & locus auro, vnde eliciunt. Ferrum e puluere capitur, & lapis effundit æs.* Et paulò pòſt: *Locus Sapphiri lapides eius: & pulueres auri ſunt ei.* Hoc eſt: Eſt regio aliqua, cuius lapides ſunt locus Sapphiri, hoc eſt, in cuius lapidibus inueniuntur Sapphiri.

Et alia eſt regio: vbi puluis, aurum eſt. Docet apertè, metalla & lapides pretioſos; in terræ viſceribus, & ex materia terrea, cum qua ſemper mixta eſt aqua, generari.

Magna profectò, & incredibilis eſt Dei noſtri ſapientia; qui ita omnia condidit, vt primùm quidem, rerum omnium viſibilium vnum fecerit principium, vnde omnia educerentur: nempe materiam illam primam, quam *Chaos* vocârunt Græci: Moſes terram תהו ובהו Deinde verò creatis cælis; totam illam materiam in quatuor conuerterit, & diſtinxerit partes: hoc eſt, in quatuor Elementa. Deinde verò, reliqua omnia, aut ex quatuor elementis componat, aut animalia: aut ex aliquibus ipſorum, vti Meteora. Atque inprimis apparet, quot, quales, quantóſq; theſauros nobis è terra omnium viliſſimo elemento ſuppeditet Deus. Cùm ex hac non ſolùm cibi omnes & veſtimenta, & medicamenta, quæ humanæ vitæ neceſſaria ſunt: ſed quæcunq; etiam in Mundo pretioſiſſima habentur, colligantur: Argentum, aurum, lapides pretioſi, &c. Hoc voluit indicare Iobus. Quid igitur expectandum erit filiis Dei in Cœlo, ex præſentia Dei in carne noſtra manifeſtati? Sed redeamus ad inſtitutum. Diximus de materia, & loco vbi omnia foſſilia generantur. Sequitur partitio.

II.

Tria ſunt primò foſſilium genera: Metalla, lapides, & media quadam inter hæc.

TErtij generis nomen proprium non inuenio: niſi quòd *ſucci concreti*, ab Agricola: Metallica autem ab aliis (vt à Cardano) vocantur: Sed nomina ipſorum, quæ ſub hoc tertio genere continentur, nota ſunt, vti eſt *ſulphur, nitrum, alumen*, & alia id genus. Singula itaq; genera nunc breuiter percurram: & quomodo hæc opera Dei generentur, qualiáque ſint, paucis demonſtrabo. Neque enim hiſtoriam ſcribimus, ſed opera Dei, breuiter tantùm indicamus.

De Metallis in communi: hoc eſt, de communi metallorum ortu, & natura.

MEtalla vocantur quaſi μετ' ἄλλα: quòd vbi inuenitur vena vna, non procul inueniatur & alia. *Plin. lib. 33 c. 6.*

THESIS I.

Omnium Metallorum materia, vapores ſeu humores ſunt aquei magis, quam terrei; craſſi tamen, atque viſcoſi.

SIc apertè docuit Plato in Timæo: & hanc materiam vocauit aquas fuſiles. Ariſt. in Meteor. duo exhalationis genera, non ſolùm è terra & aquis, exhalare, & in ſublime duci, vnde fiunt ignea, aërea & aquea Meteora, docuit: ſed etiam ſub terris, duo his ſimilia, poſuit: quorum vnum, aridum ſit, hoc eſt, magis terreum, quàm aqueum: alterum humectum, hoc eſt, magis aqueum, quàm terreum. Et ex illo arido, vult generari duriora foſſilia vt ſunt lapides: ex humecto autem, omnia quæ fundi & duci poſſunt, aurum, argentum, &c. Cùm enim fundi poſſint, declarant ſe habere plus humecti, quàm aridi, ac proinde plus aquæ, quàm terræ: Eadem ſententia eſt Theophraſti, in libro de lapidibus, & omnium denique doctorum virorum.

Non dixi verò, *materiam metallorum, eſſe ſimpliciter aquoſum humorem*: ſed *humorem magis aquoſum, quàm terreum.* Ratio eſt: quia non ſimplex vapor aqueus eſt: vera metallorum materia: Quomodo enim cohærerent, & tam ſolida eſſent? Mixtam ergo habeant terram neceſſe eſt. Sed plus aquæ habent, quàm terræ: quia id demonſtrat eorum natura qua fundi poſſunt. Et vſque adeo proprium metallorum eſt, habere plus aquæ, quàm terræ, vt quod etiam plus huius humecti habet quàm aliud: idem quoque purius, & præſtantius ſit altero. Illud autem agnoſcitur plus habere humidi: quod etiam magis flexile eſt. Sicut aurum magis, quàm argentum, & argentum magis flexile eſt, & fuſibile, quàm ferrum. Materia itaque in genere metallorum omnium, vapores ſunt, humecti atque viſcoſi: terra non tam pingui, quàm tenui admixti.

II.

Efficientes metallorum omnium, naturales cauſæ ſunt duæ, calor, & frigus.

CAlor præcedit, deinde ſubſequitur frigus, ad generationem omnium metallorum.

Calor enim primùm miſcet, bene temperat, congelátque materiam: quæ deinde à frigore condenſata, aut in aurum, aut in argentum, aut in aliud metallum efformatur. Caloris enim eſt rarefacere, eoque miſcere, & bene temperare ſimul res liquefactas: frigoris autem eſt denſare, & ad certam formam redigere: ſicut in omnibus rebus, quæ ex liquidis formantur, & fiunt, manifeſtè apparet, vt in cera. Calor itaque eſt id, quo humor viſcoſus bene miſcetur, compingitur, decoquitur: ex qua mixtione, ac decoctione, & ex quantitate, maiore vel minore humiditatis in materia, tota ferè pendet varietas metallorum, vt mox dicemus. Proinde calor, eſt prima & principalis cauſa, metallorum. Frigus autem additum, & ſubſequens, nil aliud agit; niſi quòd vaporem viſcoſum à calore mixtum, compactum, concoctum ſtringendo, & conſolidando, efformet. Cæterùm illud ſemper retinendum eſt nobis; Deum hæc omnia agere per cauſas has ſecundas. Illud etiam prætereundum non eſt, inter cauſas ſecundas metallorum efficientes, primum locum tenere cœlum: primò, quia in genere cauſa eſt omnium inferiorum: ſecundò, quia ſpeciatim, virtus quædam peculiaris à Cœlo communicatur in materia, è qua fiunt metalla, qua virtute, per calidum & frigidum generantur.

III.

Eſt autem proprium omnium metallorum, vt præterquam quòd ſunt omnia ὀρυκτὰ, foſſilia: ſint etiam omnia ſua natura, σκληρὰ, dura: ſecundo χυτὰ, fuſilia: tertiò elata, ductilia: quarto, colorata, & fulgida: quintò, ſonora: ſextò, ſapida & odora, ita tamen vt omnia hæc, ſecundum magis & minus illis conueniant.

DIxi, *ſua natura*, hoc eſt, antequam mutentur arte. Omnia enim talia ſunt quum è terra eruuntur. Itaque ſic definiri ſolet:

Metallum eſt corpus foſſile, & durum: quod ſi ab igne, ſi ſuam ſeruet naturam, liqueſcere, & malleo diduci in latum & profundum poteſt. Ac ratio, cur omnia liquari poſſint, eſt: quia humecto vapore conſtant omnia. Proinde quòd quodq; illorum plus habet humiditatis, vt aurum, argentum, plumbum; eò etiam faciliùs funduntur, quàm quæ minus habent, quale eſt ferrum, & æs. Et eadem etiam, eandémque ob cauſam grauiora, ponderoſioráque ſunt; illis, quæ ſunt ſicciora.

IV.

Ab eadem etiam aquea humiditate, modò decenter, & legitimè cocta ſint: pendet omnis eorum ſplendor, atque præſtantia.

QValis enim Metallorum vapor fuerit, multus an modicus; bene vel malè mixtus, coctus vel crudus; talis quoq; & color, & ſplendor, & omnis excellentia Metallorum exiſtet. Idcirco dixi, *modò decenter & legitimè cocta ſint.* Ita fit, vt licèt plumbum mollius ſit & fluxilius, quàm aurum argentúmve: tamen, non tam lucidum ſit, & perfectum: ídque propterea, quòd aurum, & argentum, præterquam quòd longè præſtantioris ſunt compoſitionis, & materiæ: ſunt etiam meliùs cocta, quàm plumbum. Ita rubiginem non ita contrahunt aurum, & argentum: vt reliqua Metalla: quia minus terræ habent illa, quàm hæc. Rubigo enim nil aliud, quàm terra exiccata: excrementum ſcilicet Metalli.

V.

Etſi verò propter materiam qua conſtant, natura ſint frigida, & humida, metalla omnia: propter efficientes tamen, innatum habent aliquem calorem, quo temperata ſunt, & ſiccitatem, qua cohærent.

VI.

Temperauit etiam ita omnia Deus ſua providentia,

dentia: vt voluerit vbique omnia generari Metalla: ſed alibi vnum, alibi aliud.

VII.

Ad hoc verò accommodauit tum cœli temperiem, tum terræ humiditatem, alibi aliud.

PEr hæc enim tanquam per cauſſas ſecundas: procreat Deus Metalla omnia. Proinde videmus, neque in regionibus nimium ſiccis, qualis eſt Africa, facilè generari metalla: quia materia, hoc eſt, vapor humidus, illic non ſuppetit: neque etiam in regionibus valde frigidis, naſci aurum, & argentum, ſed in locis tantùm humidis & calidis. Calore enim hæc, aurum videlicet & argentum, perficiuntur; alia verò metalla frigiditate. Ideo in Oriente maximè aurum & argentum, naſcitur, in Occidente autem reliqua.

VIII.

Etſi verò diuerſis in locis terra generantur: vt plurimum tamen inter lapides, fiunt: eóque magis in montibus, quàm in planitie naſcuntur. Et in altioribus, quàm in humilioribus. Et in ſterilioribus, quàm in plantarum, fruticum, herbarúmque feracibus.

HÆc enim ſuccum terræ exugunt. Vbi igitur minus plantarum, ibi plus metallorum. Magna profectò eſt Dei prouidentia: quos prorſus ſteriles iudicamus montes, ibi maximè latent theſauri.

IX.

Nec minùs viuunt, patiuntur, & fouentur, augentúrque Metalla, & a ſuis fodinis, quàm arbores, & frutices, in & a ſuis terris.

EXperientia hoc docet. Itaque effoſſa è ſuis locis, licèt ſuam retineant diu formam & naturam: nunquam tamen ampliùs augentur: quia ſuo deſtituuntur alimento. Quorum autem eſt nutritio, augmentum & decrementum, eorum etiam eſt vita: vbi vita, ibi anima.

Quare cùm tam Metalla, quàm plantæ, in ſuis, & à ſuis terris, æquè alantur, & foueantur, radicéſque in illis fixas habeant, & viuant: idcirco non minùs metallis, quàm plantis in ſuis cuiuſque locis, anima tribuenda eſſe, non paucis, neque indoctis viris videtur. Octo hoc rationibus probat H. Cardanus, de Subtilitate lib. 5. pag. 150. Horum autem, ſicut & plantarum, anima, cœleſte quoddam calidum eſt de Hippocratis ſententia, quod vbi perit, ſeu extinguitur, ipſum metallum, amittit animam: & grauius fit, quàm antè erat: ſicut & quodque animal. Atque hoc tanquam argumento firmiſſimo vtuntur ad demonſtrandam in Metallis animam. Plumbum enim cùm in ceruſſam vertitur, & vritur, quia amittit natiuum calorem, grauius fit. Proinde concludunt, metalla in ſuis venis viuere, quia ibi generantur, & nutriuntur: eóque plantas vocant in terra ſepultas.

X.

Metallorum ſimplicium genera, quæ apud omnes certa ſunt, ſunt ſeptem: Aurum, argentum, *&* æs: ferrum, chalybs: plumbum *&* ſtannum: *quod &* plumbum album *vocatur.*

ORichalcum foſſile ſeu natiuum additur ſeptimum Nam factitium & commune, non eſt ſimplex metallum. Electrum quoque, metallum eſt compoſitum: ſi Pauſaniæ credimus. Permulta verò alia Metallorum genera, nos latent. Argentum viuum, id eſt, ὑδράργυρον metallum non eſt: Excrementum Metallorum potiùs, nonnulli vocant: metallicum quiddam eſt.

XI.

Sunt etiam inter ſe mixta Metalla, ita vt in vno, multæ partes reperiantur alterius: in aliis plures, in aliis pauciores.

QVomodo ſint mixta, legatur Agricola de Foſſ. lib. 10. Hinc fit, vt inter quæ magna eſt ſimilitudo, & proportio: ignobilius tranſmutari poſſe dicatur, in nobilius, vt ferrum in æs. Quæ enim tranſmutabilia ſunt natura ſua, ea etiam arte tranſmutari faciliùs poſſunt. Ars enim iuuat naturam. Illa autem natura tranſmutabilia ſunt inter ſe, quæ (vt Card. ſcribit pag. 181.) ſpecie non differunt, ſed ſolis accidentibus, vt æs & ferrum. Sed quæ natura ſua tranſmutabilia non ſunt, ea vt arte tranſmutentur, fieri nullo modo poteſt. Hoc enim ſolius Dei eſt. Quæ verò ſint inter ſe tranſmutabilia, meum non eſt definire. Diſputent alij de iis rebus. Nos tantùm opera Dei eorúmque naturas, vt inde, quanta ſit Dei potentia, ſapientia, & bonitas erga nos, lucidiùs appareat, breuiter contemplemur. Scripſit præter alios de hac quæſtione doctiſſimus vir Thomas Eraſtus piæ memoriæ, in ſecunda parte ſuarum Diſputationum aduerſus Paracelſum. Et Card. de ſubtilitate lib. 6. pag. 174. 180.

Ego itaque iis omiſſis, redeo ad inſtitutum: & de ſingulis ſuprà nominatis Metallis, aliquid breuiter dicam.

I. De Auro.

THESIS I.

Aurum metallorum omnium nobiliſſimum, longè plus humoris habet, quàm terræ, partibúſque conſtat bene calore compactis, denſis, & flauis.

II.

Indéque etiam fit, vt inter omnia metalla, ipſum maximè niteat, & ſplendeat. Poſt ipſum, Argentum, *Poſt hoc, Æs. Inde album plumbum, quod* Stannum *vocamus. Tum ferrum, & nigrum plumbum. Nitor enim fit ex humido puro, leui, ac ſolido: in quo colligitur, ſicut etiam in ſpeculis. Proinde quod minùs lucet, minus etiam purum eſt.*

III.

Eſt autem Aurum, quò purius, eò etiam mollius, & tractabilius.

NAm & moderatiſſimo calore coquitur, & multò plus habet aquæ, quàm terræ. Proinde quum durum eſt, vt flecti nequeat, facilè, impurum ſit oportet. Mixtione autem ferri, etiam modici, aurum fit tum contumax, tum ſubnigrum. Quæ etiam nimis coquuntur exuruntúrque, duriora fiunt. Exemplum in ouis.

IV.

Cauſſa verò, cur perſpicuum, ſeu diaphanum non ſit aurum, neque etiam aliud quoduis metallum, eſt terræ mixtio.

AQua enim per ſe, & aër, & ignis, diaphana ſunt. Sola terra opaca. Quicquid igitur adiaphanum eſt, hoc habet à terra. Sicut etiam in ſpeculis apparet.

V.

Solum etiam aurum, inter metalla ſuauem habet, & præſtantem odorem: poſt ipſum, argentum.

RAtio eſt, quia ſuauiore calore generatur eius ſubſtantia, quàm aliorum. Ideo plurium etiam annorum ſpatio opus eſt, ad eius generationem, quàm ad aliorum.

VI.

Omnium quoque Metallorum, ſicut molliſſimum & tenuiſſimum eſt: ſic etiam magis ductile, ita vt vncia vna Auri, tegere poſſit octo argenti pondo. Tanta eſt auri puritas, longáque coctio.

ATque hinc etiam fit, vt modico auro, magna ampliſſimáque vaſa inaurari poſſint: quod certè nulli alij metallo accidere poteſt.

VII.

Idem, propter eandem cauſam, nempe propter tenuitatem, conſumi ab igne non poſſe dicitur: niſi venenis coniunctum. Hæc enim vim illius corrumpunt.

VIII.

Idem quoque non tingit, quia pingue non eſt.

PRopria itaque auri ſunt, bene olere, ignibus non conſumi, non fœdari, tenuiſſimum eſſe, grauiſſimum, & tenaciſſimum, eóque maximè omnium ductile.

IX.

Eſt etiam ipſum inprimis, omnium metallorum perfectius: deinde Argentum. Ac proinde vtrumque, in omnibus aliis metallis latere dicitur: & omnia metalla ad illud conari, atque eniti.

X.

Vſus verò auri, multiplex, & eximius eſt.

NOn ſolùm enim valet ad ornatum (in quem etiam vſum Deus creauit, vnde Auro ſuum ornauit templum:) ſed etiam mirabiliter ad alenda corpora noſtra, ad morbos curandos, & ad valetudinem conſeruandam, prout ad hos vſus paratum fuerit. Qua de re legatur Plin. lib. 33. cap. 4.

2. De Argento.

THESIS I.

Argentum corpus eſt ex vapore non ita excalefacto, aut puro, concretum, ſicut aurum eſt.

II.

Frigidius eſt enim auro.

DOcent hoc, ipſa etiam loca, vbi generatur. In locis enim frigidis naſcitur, & colligitur, in Occidente ſcilicet, cùm aurum in Oriente potiſſimùm naſcatur.

III.

Neque igni, vt aurum, reſiſtit, ſed quum funditur, aliquid ſemper ex eo deperit. Ac proinde non ita purum eſſe, vt aurum, apertè euincitur.

IV.

Tenuitate tamen ſubſtantia, & puritate, & firmitudine, ſimile adeò eſt auro: vt optimum argentum, aurum ſubſtantia imperfectum, & colore deficiens eſſe dicatur. Ac proinde longis temporum periodis, ſi purum ſit: commutari aliqua ex parte in aurum poſſe.

HOc affirmant, propter particulas *Auri*, quæ ſunt in argento. Sed ſi hæc ex argento tollantur, nunquam in ſempiternum, ex argento fieri aurum poſſe contendunt. Idem de Ferro in æs: & de plumbo nigro, in argentum ſentiunt.

V.

Vſus quoque Argenti, longè latéque patet.

3. De Ære.

THESIS I.

Aes, mixtione terræ magis, quàm humore conſtat.

A qualitatibus liquet ipſius.

II.

Eſt enim leuius argento, & rubigine citiùs, faciliúſque obducitur: ac denique dum coquitur, ſordes relinquit. Hæc autem omnia Terræ ſunt propria.

III.

In frigidis quoque & aridis locis, vt in lapidoſis montibus naſci ſæpius ſolet.

IV.

Ac copia eius in Cypro inſula, maior quàm vllibi prouenit: vnde & cuprum, aut æs Cyprium *appellari ſolet.*

V.

Æs Cyprium: *cùm ad multos vſus, tum maximè ad nolas conficiendas, & ad vaſa, cibis coquendis parandíſque vtilia, accommodatum eſt.*

4. De Ferro.

THESIS I.

Ferrum, quod cum ære magnam habet affinitatem: longè maiori terræ portione, quàm humoris concretum eſt.

II.

Proinde leuius eſt, auro, argento, & ære, poroſum quoque, nigrum, & inæquale.

III.

In frigidis autem & aridis locis, vt in lapidoſis montibus, frequenter naſcitur.

IV.

Vſus eius, tam ad malum, quàm ad bonum extenditur.

5. De Chalybe.

THESIS I.

Chalybs, ferri ſpecies eſt, communi ferro, propter maiorem, magíſque decoctam humiditatem, denſior.

II.

Proinde in calidioribus, quàm ferrum, regionibus naſcitur: ſic diuina ordinante prouidentia: vt maiori æſtus vi, illius humor decoquatur.

6. De Plumbo.

THESIS I.

Plumbum corpus eſt, ex humore craſſo, impuro, maléque decocto, genitum.

II.

Atque inde fit, vt molle, nigrum, graue, & valde denſum ſit.

III.

Proinde licèt molliſſimum ſit, atque flexile magis quam aurum: non ideò tamen perfecta eſt ſubſtantia, neque ductile, vt aurum. Materia enim, mixtione & decoctione, coque & forma, ac perfectione maximè differunt.

IV.

In locis quoque frigidis, & humectis naſcitur plerunque: cùm Aurum in calidis generetur.

V.

Species plumbi variantur: prout humoris etiam, quo conſtat, ſinceritas, calórque diuerſus quo coquitur: diuerſa ſunt.

VI.

Vſus verò eius, multiplex & magnus eſt: cùm ad alia, tum ad ædificia.

7. De Stanno.

THESIS I.

Stannum, quod plumbum album vocatur: eiuſdem materiæ eſt, cuius & plumbum nigrum: ſed aliquanto magis decocta: ideóque leuius eſt: & rarius plumbo.

II.

Ad domeſticos autem vſus, accommodatiſſimum eſt.

8. De Orichalco.

THESIS I.

Orichalcum, ὀρείχαλκον, dicitur ab ὄρος, monte: quod in montibus naſcatur, & ibi fodiatur.

II.

Eiuſdem eſt materiei, & naturæ, cuius & æs Cyprium, niſi quòd orichalci materia, maiori calore decocta eſt.

III.

Atque hinc fit, vt ære ſit purius, nitidius, & durius.

II. De Lapidibus.

ALterum terrenorum Meteororum genus, quæ *Foſſilia* nuncupantur, *Mineralia*: lapides omnis generis continet, non arte factos, ſed à natura genitos. Dicam de iis primùm in genere: Deinde de ſingulis ſpeciatim & propriè. Vtiliſſima hæc quoque fuerit tractatio, tum ad cognoſcendam maximam Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem

tem, qui ex materia tam vili, ex vaporibus ſcilicet terreis atque aqueis non ſolùm tot támque præſtantia, & humano generi vtiliſſima Metallorum genera profert: verùm etiam tā multos lapides, tam præclaras pretioſaſq; gemmas quotidie procreet: idque ſub terris, vbi nihil minus crederetur, quàm tales latere theſauros. Vtilis etiam eſt harum rerum cognitio, ad vanitatem hominum pernoſcendam; eoque ad mundi contemptum. Admirantur homines, ſuſpiciunt, & tantùm non adorant aurum, argentum, lapides pretioſos: nec verentur lapillum vnum, multis millibus coronatorum coëmere, & quidvis aliud profundere, iis ſeſe ornare, próq; iis magnas ſuſcipere pugnas. Sed ſi quis omnium iſtarum rerum materiam inſpiciat; & vbi, & quomodo generentur, intelligat; quid obſecro hoc hominum ſtudio vanius inueniet? An non tam plumbum, quàm aurum & argentum, & tam ſaxa, quàm gemmæ, ex eadem materia, eodem modo, & iiſdem in locis generantur? Denique vtilitatem non paruam affert horum cognitio vitæ humanæ. Admirabiles enim & verè diuinæ virtutes, inditæ ſunt à Deo hiſce lapidibus: quas, qui probè noſceret, & legitimè vteretur, multis certè malis, morborúmque generibus liberaretur: & optimè ſuæ conſuleretur vitæ. Vt non immeritò natum ſit inter homines verus illud prouerbium: *Virtutem omnem in verbis, herbis, & lapidibus poſitam eſſe.* Breuiter igitur, hoc quoque alterum Foſſilium genus, percurremus. Qui plura porrò volet, legat Theophraſtum, Plinium, & alios, qui hiſce de rebus multa ſcripta nobis reliquerunt.

THESIS I.

Vt metalla omnia, ex eadem ſunt materia: ex humore ſcilicet ſeu vapore aqueo, terrea exhalatione permixto: Et vt eaſdem habent cauſſas efficientes, nempe præter cœleſtem virtutem, ipſum calorem, & frigus: pro diuerſa autem materiæ contemperatione: próque diuerſa eiuſdem coctione, & concretione, varia etiam ſunt ipſorum genera: ſic iidem omnibus contingit lapidibus.

II.

Ex eadem enim ſunt omnes materia, ex vaporibus nimirum ſiccioribus terræ: humido, aqueo contemperatis: quanquam alij ex craſſioribus, alij ex ſubtilioribus. Et omnes eodem ferè modo generantur: quanquam alij meliùs, alij peiùs coquantur. Atque ita diuerſa inde lapidum genera oriuntur.

III.

Sunt autem lapidum omnium genera quinque: Gemmæ, Marmora, Cotes, Silices, Saxa.

3. De Gemmis.

THESIS I.

Gemma, lapillus eſt pretioſus, ſua natura paruus, inuentúque rarus: lucidus, viſúque delectabilis, & ad varios humanos vſus, accommodatus.

II.

Etſi verò omnes, ex eadem generantur materia, & eodem ferè modo: propter diuerſam tamen materiæ temperationem: diuerſa etiam inter ſe ſunt quantitatis, qualitatis, perſpicuitatis, coloris, molliciei, duriciei, & virtutis.

Exemplum quantitatis.

Si enim materia, hoc eſt, vapor ille, ex quo generantur, copioſus ſit, & in cauernis amplis incluſus, magni fiunt lapides. Contra verò parui, ſi paucus fuerit, & in anguſto loco abditus.

Exemplum qualitatis.

Si humor iſte ſit perſpicuus, aut cuiuſvis coloris, talis quoque erit lapis. Qualis enim eſt vapor, talis etiam condenſatur, & coaleſcit; eóque talis fit inde lapis.

Exemplum molliciei & duriciei.

Prout magis minúſve, vapor ille conſtringitur, ita etiam mollicies, & duricies maior vel minor fit lapidis. Ac prout æqualiter, aut inæqualiter fuſus fuerit vapor in ipſius generatione: ita etiam vel leuorem, vel aſperitatem accipiet lapis.

III.

Alimentum quoque capiunt à locis, vbi generantur tales lapilli, non ſecus, quàm Metalla, & plantæ à ſuis.

IV.

Gemmarum, aliæ veræ, & quæ propriè: aliæ non ita veræ, & quæ haud propriè dicuntur gemmæ.

VEræ ſunt, quæ bene nitent, elegantérque fulgent, & limam non ſentiunt.

Non ita veræ, quæ aut nihil, aut parum nitent: quæque limam ſentiunt. Cuiuſmodi ſunt Coralli, Turcheſiæ, & alia id genus.

V.

Dignoſcuntur autem veræ Gemmæ à falſis, tactu, viſu, limâ.

T*Actu*, quia grauiores vitro ſunt, fictitiiſque gemmis, & frigidiores; & ſubſtantiæ ſunt viuacioris. *Viſu*, quia ſplendor eorum, nitidior eſt, conſtantior, & magis oculos implens, neque lucernæ lumine, hebetantur. *Lima* denique; quia non atteruntur.

VI.

Gemmarum vitia, alia in colore ſunt, alia in ſubſtantiâ gemmæ.

IN colore; vt ſi fumus obſcurior ſit, nubecula candidior; vmbra verò tenuior & nigrior. In ſubſtantia verò, vt ſi ſcabroſa ſit; ſi punctum, ſeu bullam paruam habeat; ſi ſcobem, ſi vomicam, ſi rubiginem; ſi denique capillum in ſuperficie habeat, & quæcunque deformem reddunt gemmam.

VII.

Duæ verò ſunt inprimis Gemmarum generationes: Orientales, & Occidentales.

ILlæ ideo præſtantiores ſunt iſtis, quia in locis & humidioribus, & calidioribus naſcuntur.

VIII.

Deinde in tria etiam genera, tam iſtæ, quàm illæ diuiduntur, in perſpicuas, in opacas, & in mixtas.

P*Erſpicuas* vocamus, quæ tranſlucent, & tranſparent, vt eſt Adamas. *Opacas*, quæ fulgent quidem, ſed non tranſlucent, vt Onyx. *Mixtas*, quæ partim opacæ, & partim perſpicuæ ſunt: vti eſt Iaſpis, Sardonyx, &c.

IX.

Perſpicuitatis autem cauſſæ duæ ſunt, ſubſtantia aquea, & priuatio coloris.

QVò enim ſubſtantia gemmæ magis fuerit aquea, eò etiam magis perſpicua fuerit, ſicut & aqua eſt, non autem terra, diaphana. Quæ etiam colorata ſunt, diaphana eſſe non vſque adeò poſſunt; vt aqua, nigro, aut rubro tincta colore.

X.

Porrò pretioſiſſimæ iudicantur Smaragdus viridis, Carbunculus rubens, Adamas candidus, Margarita lactea, Sapphyrus cœruleus, Chryſolythus aureus, & Hyacinthus.

XI.

Sicut autem Metalla, ſic etiam, & multò quidem magis lapides viuere iudicantur, & ſcribuntur: imò & morbos, & ſenectutem, & tandem mortem etiam pati.

HOc ab effectis probant, quum ſcilicet ſua deſtituti ſunt virtute. Vitam enim, cauſſam eſſe actionum, etiam in lapidibus, ſicut & in Metallis, & in plantis. Proinde tradunt Herculeum lapidem, ſenio confectum, non poſſe ampliùs trahere ferrum. Alios etiam lapides, videmus longo temporis ſucceſſu, obſcurari, & viribus deſtitui. Ergo,

ſicut piper, tunc mortuum eſſe dicetur, & deſiiſſe piper eſſe, cùm non amplius ſumitur ab homine. excalefacit id, quod & de reliquis Aromatis dicitur, ita etiam de lapidibus idem ſentiunt.

XII.

Maiores etiam vires in multis ſunt lapidibus quàm in plantis, & animalibus.

EXemplo eſto lapis Herculeus, hoc eſt, Magnes: quæ ferrum & ad ſe trahit, ſuſpenſumq; tenet ſola ſua virtute; & illud etiam ad polum dirigit. Aliæ quoque innumerabiles & ſtupendæ virtutes narrantur de gemmis; vt mox videbimus: quæ in nulla vel planta vel animali ſunt. Ergo licèt nobilior creatura ſit animal, atque in primis homo, quàm ſint lapides: interim tamen Deus; vt & ſuam declaret potentiam, & noſtram confundat ſuperbiam: maiores quaſdam virtutes, in lapidibus collocauit, quàm in nobis eſſe voluerit. Neque etiam voluit, vt nobiliſſimi lapides, prætioſæq; gemmæ id poſſint, quod poteſt viliſſimus lapis Herculeus, vt hinc appareat harum rerum omnium vnum eſſe autorem, eúmq; liberum: qui, quæcunque voluit, fecit in Cœlo & in terra: pro ſua libera voluntate. Atque his Exemplis confirmari optimè poteſt doctrina de Electione, & reprobatione, vocatióneque diuina. Elegit enim Deus quos voluit; & reprobauit quos voluit; & vocat ignobiles, maximiſque cumulat donis, & beneficiis: vt confundat nobiles.

Item alium vſum cape ex hac doctrina de lapidibus. Etſi omnes lapides & metalla, ex eadem ſunt materia: quantum tamen diſcrimen conſtituit Deus inter aurum, & plumbum; argentum & ferrum; gemmas, & ſaxa? Sic omnes homines ex vna & eadem ſunt maſſa: quoſdam tamen voluit eſſe lapides pretioſos, aurum & argentum: alios verò, mera ſaxa. Proinde ſacra ſcriptura, tum in veteri teſtamento, tum in nouo comparauit Electos omnes, è quibus conſtat ſancta Eccleſia; pretioſis lapidibus: è quibus ædificata eſt Hieruſalem ſuperna, vt ſcilicet oſtenderet, nos omnes è terra quidem eſſe, ad ſubſtantiam quod attinet, & ex communi omnium hominum maſſa: (omnes enim lapides in terra generantur, & è communi omnium lapidum vapore:) ſed per gratiam operante virtute cœleſtis Patris, & calore Spiritus ſancti: nos factos eſſe Filios Dei renatos non ex ſanguinibus; non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri: ſed ex Deo. Ergo nunc aliquot lapides pretioſos atque inprimis illos, quos habemus in ſacris, vt in pectorali ſummi ſacerdotis deſcriptos, Exod. 28. & in Apoc. 21. eorúmque vires ac proprietates, breuiter explicare operæpretium eſt.

Duodecim lapides pretioſi, erant in pectorali ſummi Pontificis, & iidem etiam in ſuperhumerali: quibus ſignificatur, Electos omnes eſſe in pectore Chriſti ſummi Pontificis noſtri, & in ipſius humeris: quia & nos charos habet, & portat ac regit; Et ex iis conſtare Eccleſiam; neque alios futuros in Cœlo, quàm Electos.

Primus lapis in Apoc. eſt, *Iaſpis*. Lapis eſt diuerſorum colorum: Viridis enim eſt, multis ſanguineis guttulis aſperſus: ſplendens, nec valde paruus. Is, ſi è collo ſuſpenſus ad ventriculum propendeat; mirum in modum eum confirmat, vt ſcribit Galenus. Vim etiam habet mirabilem, ſanguinem, è naribus præſertim manantem, ſiſtendi: Et ipſos etiam menſes prohibendi. Vtriuſque autem rei ratio eſt, quia vim habet adſtringentem. Sunt qui ſcribunt, valere etiam aduerſus carnis luxuriam. Fieri poteſt propter vim adſtringentem.

Secundus eſt *Sapphirus*: duritie eſt maxima; colore cœruleo, oculiſque iucundo. Recreat igitur oculos, imò totum hominem. Epotus verò, valere aduerſus bilem nigram, melancholiam, & aduerſus ictus Scorpionum, dicitur. Teſtatur Albertus Mag. lapidem hunc, ſolo contactu, *Anthracem*, quem nos *peſtilentem Carbunculum* vocamus, curare: Et ſe id bis expertum fuiſſe. Hæc omnia efficit, quia Alexipharmacum habet vim. Proinde contactu diuturno Sapphiri: virus, ſeu venenum Anthracis extinguitur.

Sunt etiam qui ſcribant, hoc lapide hominem reddi caſtum; internum carnis ardorem refrigerari: ſudorem reſtringi; ſordes ex oculis purgari, ſi prius in aquam ponatur: & ea aqua, oculi lauentur.

Tertius, eſt *Chalcidonius*: Lapis eſt ſubpallidus, & ſubobſcurus. Si perforetur, vi lapidis, qui *Smeris* dicitur, & collo ſuſpendatur: aiunt valere aduerſus illuſiones phantaſticas, & ex Melancholia exortas. Certum autem eſt, vires corporis, hoc confirmari.

Quartus, eſt *Smaragdus*. Lapillus eſt nitidiſſimus: ac ſplendore, pulchritudinéque, omnium aliarum gemmarum præſtantiſſimus. Verùm vt molliſſima eſt gemma: ſic etiam omnibus ferè caſibus maximè obnoxia. Ac præter alia, dicitur non poſſe coitum ferre: Et ſi tunc geſtetur, frangi: Hoc enim legitur contigiſſe cuidam Vngariæ Regi, nomine Belæ. Quum enim decumberet cum vxore: lapillum hunc, quem in digito habebat, in tres partes aiunt fractum fuiſſe. Certum eſt calore vexatum, diſrumpi: quia molliſſima, & fragilis eſt. Ideo vexatur ab igne, & æſtu. Hinc etiam fit, vt pauci illam geſtent: quia omnium iniuriis expoſita eſt. Venenis, epota reſiſtit; & morbos caducos, ſeu Epilepſiam curat. Scribunt etiam, hac gemma, ſi geſtetur, inſomnia, & imagines in ſomniis moueri. Imminui ſomnum, memoriam autem augeri. Hanc vim habet, quia maximæ eſt ſiccitatis.

Quintus, eſt *Sardonix*: Lapis eſt rubei ſplendoris: quanquã inueniri etiam aiunt, qui colorem habeant & album, & nigrum diſtinctos: atque hos eſſe præſtantiſſimos. In India, & Arabia inueniuntur. Et ad pudicitiam valere ſcribunt. Ex Sarda, & Onyche compoſitus eſt lapis. Vnde & nomen habet ſuum, ait Plinius.

Sextus eſt *Sardius*, ſeu *Sarda* Latinè. Lapillus eſt, qui primùm Sardibus repertus eſt: vnde & nomen accepit. Ita ſe habet ad lignum: ſicut magnes, ſeu Herculeus lapis, ad ferrum. Proinde adhæret nauibus: lignúmque omne ad ſe trahit. Dicitur animum ad gaudium accendere, & exhilarare. Rubei coloris eſt. Qui minùs ruber eſt, vocatur vulgò *Corneolus*. Aptiſſimæ ſunt ſigillis imprimendis, hæ tres gemmæ: Sardonix, Sarda, & Corneolus. Ceram enim non retinent (vt aliæ) & facilè cælantur: nec humore hebetantur.

Septimus dicitur *Chryſolithus* Gẽma, eſt (inquit Plinius) aurei coloris: micans. Vnde & nomen accepit. Duritie parum cedit Sapphiro. Rarus tamen abſq; maculis quibuſdam inuenitur, nigris: quibus vitiatur. Creditur, hac gemma, ſi ita geſtetur, vt carnem tangat: Venerem, ſupra hominum opinionem, coërceri. Proficiſcitur hoc inde, quia miræ frigiditatis eſt. Inde fit, vt poſita ſub lingua, ſitim febricitantium euidentiſſimè reſtinguat. Hora matutina lucidiùs ſplendere, quàm aliis temporibus dicitur.

Octauus nominatur *Beryllus*. Coloris eſt ſubpallidi, tranſparentiſque, & plures habens in ſe guttas. Vim habere aiunt aduerſus dolorem hepatis, & oculis ex morbo lachrymantibus prodeſſe, oppoſitúmque Soli, ignem accendere.

Nonus eſt *Topazius*. Subuiridis eſt gemma, (inquit Plinius) quæ ſola inter alias gemmas, à cote propter mollitiem politur, limáque tangitur. Et hic eſt vulgaris Topazius. Alius eſt præſtantior, veréque Orientalis: quia auro ſimilis eſt omnino. Vterque dicitur valere aduerſus hæmorrhoidam, & lunaticam paſſionem.

Decimus eſt Chryſopraſus: qui & *Chryſopraſius*: ſimilis admodum eſt Chryſolitho. Habet enim auri guttas, intus micantes, manens ipſe ſubuiridis, & in tenebris clariùs lucere, quàm in luce dicitur.

Vndecimus appellatur *Hyacinthus*, optimus, puniceus eſt, & paruus lapillus, rarò lentis magnitudinem ſuperans. Magnas huic vires tribuunt: Quòd à fulgure tutos reddat eos, à quibus geſtatur. Quòd à peſtilentiæ periculo præſeruet, in ipſo etiam aëre peſtilenti habitantes. Quòd denique ſomnum conciliet: Et hoc ſe expertum eſſe ait Albertus. Eſt alius vulgaris Hyacinthus, aureus ac flauus.

Duodecimus eſt *Amethyſtus*. Colorem habet vini rubelli: & tranſparens eſt. Datur huic, quòd alligatus vmbilico, ebrietatem prohibeat, & ſomnia moueat. Vnde & *Achaloma* Hebraicè vocatur אחלמה, à חלם, quod eſt *ſomniare*: aiunt Hebræi. Hoc ſatis eſt reſcripſiſſe lapides, qui in Apoc. 21. habentur, & ſæpe etiam in ſcripturis aliis. Quidam alij commemorantur Exod. 28. vt *Lincurius*, *Achates*, *Onychinus*, *Carbunculus*. Sed legantur præter alia, Scholia Vatabli in eum locum.

Præterire non poſſum, quin dicam aliquid de notiſſimo omnibus lapillo, & pretioſiſſimo quidem illo, Adamante ſcilicet.

Adamas, duriſſima eſt omnium gemma. Reliquas enim omnes ſua duritie findit, eóque cælaturæ, quæ in aliis gemmis fieri debeat, pernecesſaria. Hinc etiam fit, vt ipſius quoque ramenta ſint in magno pretio: ita vt ſcrupulus vnus, ſex vendatur coronatis. Alij etiam ei attribuunt; quòd cuſpis cuiuſvis teli, vel gladij illita adamantis puluere, quamuis duriſſimam loricam & arma traiiciat. Argumentum eſt maximæ tenuitatis, & duritiei. Igni quoque ad nonum vſque diem reſiſtere dicitur: Trahit etiam feſtucas, ſi incaleſcat. Idem nocturnos abigit timores, brachio ſiniſtro ita alligatus; vt carnem tangat. Et hoc ſæpe expertum ſe fuiſſe ait Cardanus. Falſum autem eſſe ſcribit, quòd alij ſcribunt non frangi ictu, cùm malleo in ſcobem redigatur,

vt ipſe

vt ipſe expertus eſt. Falſum etiam eſſe, quod fertur, Magnetem ab Adamante impediti poſſe, ne ferrum trahat.

De vero Carbunculo: qui *Pyropus* quoque dicitur, mira ſcribuntur. Illum præter alia in tenebris valde ſplendere: Et ſi magnus ſit, ita illuſtrare locum aliquem poſſe media nocte, perinde ac ſi ibi luceret ſol. Alacrem reddit hominem. Atque de lapillis pretioſis, ſiue gemmis, ſatis.

In quibus tantas cùm collocarit virtutes Deus, qui tamen omnes, ex viliſſima ſunt materia, ex vaporibus ſcilicet terræ, in eiuſdem viſceribus geniti, contemplari nobis licet, imò debemus, quanta ſit Dei potentia. Atque hinc etiam diſcere, non eſſe mirum, quod de nobis, omnibúſque piis tradunt ſacræ literæ: nos licèt ex viliſſima ſimus materia, ex carne ſcilicet, & ſanguine, futuros tamen in cœlo ſicut ſtellas cœli, ſplendentes, ac refulgentes. Præſtat hoc DEVS lapidibus; poterit præſtare, & nobis: & certò præſtabit. Hoc eſt primum genus lapidum. Reliqua percurro.

Marmora etiam, mirabilia ſunt Dei opera inter lapides puriora, & nobilia ſunt inſtar ſpeculorum; cùm in eis reluceant imagines intuentium. Quinque faciunt genera nobilia, *Phengiticum, Parium, Zeblicum, Porphyrites, & Ophites.* Atque alia ſunt candida, alia nigra, alia viridia, alia maculis diſtincta: Neque hæc fruſtrà creauit Deus. His, præter alia voluit ſuum ornari tabernaculum, templúmque. Inter Marmora Alebaſtrum etiam commemoratur; lapis perſpicuus, & plerunque candidus: ex quo pyxides, ad vnguenta pretioſa atque odora excipienda, fiunt; qualis fuit illa, in qua fuit vnguentum pretioſum, quo Dominus Ieſus vnctus fuit, paulò ante mortem. Nihil enim exugunt ex liquoribus, quos recipiunt: ſed meliùs, quàm vllum aliud vaſis genus ſeruant. Fuit ergo & hic lapis vtilis humano generi. Hoc ſecundum genus lapidum ſequuntur *Cotes*: qui lapides ipſi quoque magnos, & neceſſarios habent vſus. Tria ſunt genera præcipua. Primum eſt, *Lydius lapis*. Hoc probatur aurum & argentum cum primis, an plura ſint necne, ſed & aliorum etiam Metallorum colores refert. Lapis eſt notus omnibus. tenui ſubſtantia: colore autem nigro & ſplendente. Secundum ſunt *Damaſcena cotes*. Hæ chalybem ſi illi affricentur, celerrimè conſumunt. Cultellis igitur, gladiis, & aliis id genus inſtrumentis ferreis acuendis accommodatæ ſunt, Itaque harum etiam vſus fuit neceſſarius. Tertium cotium genus non ita paſſim reperitur. Plurimum verò effoditur Clauennæ, & Plurij apud Rethos: ex quo genere fiunt lebetes, & alia vaſa culinaria, coquendis cibis accommodatiſſima: Nihil eſt ad hunc vſum iſto lapide præſtantius. Habent ſuas fodinas ibi, in quibus effoditur hic lapis: ſicut alibi ſunt fodinæ aureæ, argenteæ, & ferreæ, &c. Conſtat humido lento: ideo diu reſiſtit igni. Tener etiam eſt, vt cælari poſſit. Coloris eſt cinerei. Ex his vaſis, vehuntur per totam Italiam infinita. Non maculant cibos, neque vllo inficiunt odore, qui in eis coquuntur. Huius itaque etiam lapidis vſus fuit vtiliſſimus. Apud Indos, cotes ſunt, flaui coloris, & perſpicui: quæ ideo *Nouaculæ* appellantur, quòd inſtar nouaculæ ferreæ ſcindant. Has acui aiunt, ſola aqua: ſine alia cote, aut mola. Atque de cotibus ſatis; quarum vſus, quàm neceſſarij fuerint humano generi, vidimus. Sequitur quartum Genus. Hi ſunt *Silices*, quorum varia quoque ſunt genera, & vſus neceſſarij. Præcipuum genus, eſt Silex è quo ignis excutitur. Debent omnes cumprimis Doctores & ſtudioſi opifices, nautæ, & denique quicunque noctu coguntur ſurgere, & operari, gratias agere Deo pro huius lapidis beneficio. Imò totus Mundus deberet pro hoc vili lapide, ingentes gratias habere creatori Chriſto. Per hunc enim omnia facta ſunt. Vnde enim ignem rem tam neceſſariam haberemus facilè, ſi careremus hoc lapide? Poſtremùm genus lapidum, eſt *ſaxū*: cuius ſpecies etiam enumerantur aliquot. Primum locum tenet *Herculeus lapis*, qui *Magnes* appellatur; cuius virtus mirabiliſſima eſt, & omnibus nota. Tria faciunt huius lapidis genera.

Primum, eſt *ferrugineum Magnes*: ſic vocatus, quòd & ſubſtantia, coloréque ſit ferro ſimilis, & ferrum attrahat. Duas enim habet hic lapis virtutes: vnam, vt trahat ferrum ad ſe. Tanta eſt hæc virtus in Magnete erga ferrum, vt etiam ſi inter ferrum, & Magnetem interponas tabulam, ſeu menſam: interim tamen non deſinat illud mouere, quocunque ipſam etiam tu moueris. Tale exemplum refert Auguſtinus, Tom. 5 de Ciuitate Dei, lib. 2. cap. 4. Argumento igitur eſt, vim huius lapidis maximam eſſe, quando etiam corpora penetrat. Nec ſolùm trahit ferrum immediatè illi appoſitum, aut ſuper tabulam poſitum, ſed etiam ferro attracto vim imprimit, aliud quoque ferrum attrahendi, & hoc alteri. Auguſtinus loco antè citato narrat ſe vidiſſe, ab hoc lapide in alto ſuſpenſo, attrahi annulum ferreum, & ſuſpendi; & huic admotum alterum annulum, ipſum quoque ſuſpenſum adhæſiſſe priori alteri, qui Magneti adhærebat; & tertium adhæſiſſe ſecundo, & quartum tertio; ita vt catena annulorum ferreorum penderet ex Magnete ſuſpenſa. Quod de ferro diximus: idem de Chalybe dictum volumus.

Fracaſtorius Veronenſis, refert ſe vidiſſe, à Magnete ipſum etiam Argentum trahi. Sed generaliter non trahit niſi ferrum & chalybem; quod in ea maxima ſit quantitas ferri. Ratio cur trahat ita ferrum: reuera ignoratur: tamen ineſſe illi hanc virtutem videmus: ſed vndenam, hoc eſt, è quibus principiis naturalibus, neſcimus. Proinde inter opera Dei mirabilia, quorum rationes ignorari à nobis voluit Deus, connumeratur ab Auguſtino. Cardanus tamen conatur reddere rationem, & ait; ideo attrahi ferrum à Magnete, quòd illud ſit huius alimentum. Quod inde ait confirmari, quia in ſcobe ferri ſeruatur Magnes. Illud etiam certum eſt, ſi ferri aliquid addatur aliis Metallis: illa quoque facilè poſſe à Magnete trahi. Proinde argentum, quod Fracaſtorius dixit ſe vidiſſe ab hoc lapide trahi, ferro mixtum fuiſſe euincitur; niſi fortè aliud Magnetis genus fuerit, quod ipſe habebat. Citiùs autem, & faciliùs trahit ferrum nitidum, quàm rubigine obſitum. Neque impediri poſſe vel ab Adamante, vel ab allio, aut cæpis: (vt vulgus ſentit, quin ſemper trahat ferrum: contendit Cardanus: Hoc quoque mirabile eſt, quòd ferrum, Magneti affricatum, faciliùs ad ſe trahit aliud ferrum, quàm ipſe lapis trahat. Videtur hoc effectu, Magnetis vis ferro roborari. Addunt & hoc, ſi ferrum à Magnete contactum ſit; & illud ſit multum: modicam Magnetis partem trahi ab illo magno ferri fruſto. Diximus de prima ferrugineæ Magnetis virtute. Altera virtus eſt, quòd illita ferro (vt in pyxide nautica, & in Horologiis videmus:) illud mouet, aut ad Boream, aut ad Meridiem: prout ſe habet pars illius Magnetis. Duas enim habet partes: vnam, quæ iacet ad Meridiem: alteram, quæ ad Boream. Illa igitur, ferrum mouet ad Meridiem: hæc altera ad Boream, quemadmodum fusè explicat Cardanus de Subtilitate lib. 2. pag. 215. Quantus ſit iſte vſus Magnetis, nemo non videt. Miſeri nautæ, quomodo ſe ſuáſque naues regerent, ſi hoc lapide carerent? Cæterùm hac Magnetis virtute, ſicut & aliis præclariſſimis Dei creaturis, abutitur, & ſæpe abuſus eſt diabolus, ad malum: ad ſeducendos ſcilicet populos, illóſque ad idololatriam pellendos. Docuit enim ſacrificulos, ita componere ſua idola ferro adhibito, & Magnete, vt idola ipſa, aut ſaltem eorum lingua vel caput, vi Magnetis moueatur: & ex motu etiam fiſtularum in idolis latentium, & vi Magnetis permotarum: loqui ſæpenumero, & reſponſa dare viſa ſint. Tota hæc impoſtura à vi Magnetis profecta eſt. Quomodo hoc fiat; explicat Cardanus pag. 216. Atque hæc de ferrugineo Magnete ſatis.

Altera ſpecies Magnetis, eſt lapis qui *Creagus* appellatur: quaſi carnem ducens. Hæret enim carni, & labiis, ſi adhibeatur. Sed non facilè iam inuenitur, hic lapis.

Tertius etiam accedit, *Magnes*, qui *Carneus* appellatur; Hoc lapide, acus quæuis illita, carnem cuiuſuis hominis penetrat abſque dolore: vſque ad ipſa oſſa: idque ſine obſeruatione, vel neruorum, vel venarum. Cardanus ait ſe huius rei experimentum vidiſſe. Ac putat fieri poſſe, vt ſicut proprietas Magnetis ferruginei, eſt, vt trahat ferrum; ſic etiam occulta quædam proprietas, huic tertio, ſit efficiendi; vt acus hoc Magnete confricata, perforet carnem abſque dolore, vnde & *carneus lapis* appellatur ab effectu. Hoc eſt primum genus eorum lapidum, qui communi vulgatáque voce *ſaxa* appellantur.

Altera ſpecies, eſt lapis, qui *Sarcophagus* à ſcriptoribus vocatur. Hoc nomine fuit appellatus, quòd corpora, in monumentis ex hoc lapide paratis, ſepulta, intra quadraginta dies, tota præter dentes ederentur, & conſumerentur. Inde factum, vt hunc lapidem carni, in corpore humano ſuperuaneæ, & corpus deformanti, aut corruptæ exedendæ adhibuerint; quòd ſine dolore exederet. Vnde etiam quod Medici vocant, *excaroticum*. Atque huius lapidis puluere, carni adhibito, optimè fieri cauteria ſine dolore: Et conferre aiunt mirabiliter podagrorum doloribus mitigandis; quòd paulatim humores conſumet, & extenuet. Id quod & aceto fortiſſimo fieri aiunt. Quis non videat huius etiam lapidis viſum mirabilem. Omnia autem propter nos fecit Deus.

Lapis iſte, leuis eſt (vt ſcribunt Philoſophi) candidus, aut ſubcinereus, farinabiliſque, in cuius ſuperficie, velut farina quædam leuis reſidet. In imo autem, & intus ſunt velut venæ luteæ.

Tertia ſpecies eſt *Calamochus*: ex harundinum ſpuma, in paluſtribus locis genitus. Foraminibus plenus, non abſimilis viribus, Sarcophago.

Sequitur hunc alius quem *Halcyonium* vocant: è maris ſpuma concretus, viribus & forma ſimilis ſuperiori.

Quinta, *Pumex*: quid ſit, norunt omnes. Lapis eſt mollis, igne ſulphureo exuſtus: & per auras delatus. Dicitur prohibere muſtum, ne ferueat.

Sexta, *Smiris*, è genere eſt Oſtracoſorum lapidum. Atterit pleraſque gemmas: & fricando, dentes mundat. Polit & ferrum, & exacuit: nitorémque illi addit.

Septima, *Tartarum* quoque quod ex vini fecibus, ſuapte natura fit, vim detergendi habere mirabilem ſcribitur, & ad alios mirabiles vſus valere.

Octaua, ſunt & *lapides nigri*, ſectiles, è quibus libelli ad ſcribendum, quos pugillares vocant, conficiuntur: & tabulæ magnæ ſcriptoriæ.

Quid de *Aetite* dicam? Qui adhibetur parturientibus, miro modo ad facilè & citò pariendum, illas iuuat.

IV. De Mediis foſſilibus.

EXplicatis duobus primis foſſilium generibus, Metallis ſcilicet & lapidibus: reſtat, vt de tertio etiam genere, de mediis ſcilicet foſſilibus, quæ & metallica, & ſucci concreti, & media mineralia appellari ſolent, breuiter aliquid dicamus. Metallica appellari ſolent ab aliquibus: quia naturam quidem participant metallorum, ſed metalla non ſunt: vti verbi gratia eſt argentum viuum, ſulphur, nitrum, &c. Maximam enim habent affinitatem, colore, materia, odore, cum metallis. Succi autem concreti: quia non ita coquuntur, nec coaleſcunt, vt fiant, vel metalla, vel lapides, dura ſcilicet corpora: ſed manent ſucci non quidem fluidi, ſed cōcreti hoc eſt, neque duri valde, neque aquei qui fluant. Media verò foſſilia, & mineralia vocantur: quia medium locum tenent inter metalla, & lapides. Nam metalla, ex materia potiùs humida, quàm ſicca generantur: & iuſtus illis accedit calor, quo tota materia optimè miſceri, cōſtringi, & decoqui poteſt: ita vt porrò accedente iuſto etiam frigore, fortiter obdureſcant. Lapides contrà, ex materia potiùs ſicca, quàm humida fiunt, quibus tantus etiam accedit calor, vt per optimè miſceantur, & decoquantur, donec perfectè lapideſcant: ſicut ſuprà explicatum eſt abundè. At verò media hæc foſſilia, neque tanto humore cōſtant, quantus ad formam metalli capiendam ſit ſatis; neque rurſus tanta vaporis ſiccitate conſtant; vt perfectè in lapides conſtringi poſſint, & lapideſcere; præſertim cùm deſit etiam ſemper congruens calor, materiæque concretio. Proinde mediam accipiunt naturam inter vtrumque illud genus. Ideo meritò etiam media foſſilia, & media mineralia appellantur. Quæ cùm ita ſe habeant: non eſt neceſſarium, vt oſtendamus, quæ ſit illorum materia, quæ efficientes cauſæ, & quomodo generentur, aut vbi. Ex iis enim quæ dicta ſunt de aliis duobus generibus: quia etiam de hoc medio genere dici poſſunt facilè intelliguntur: retenta illa regula Philoſophica; *Medium capit naturam vtriuſque extremi, ſed remiſſè.* Ideo hæc media foſſilia mediam retinent materiam inter vtrumque extremum genus; vt dictum eſt: Et mediocri etiam calore miſcentur, mediocrique frigore conſtringuntur. Atque hoc ſatis eſſe debet.

Cæterùm quia horum tertij generis foſſilium innumeræ propè & infinitæ ſunt ſpecies; idcirco non referam omnes, neque de ſingulis diſſeram, ſed tantū præcipuas quaſdam attingam, quæ & notiores ſunt, & magis in vſu; idque vt hinc etiam appareat, quanta ſit Dei erga nos beneuolentia, & bonitas, qui tot tamque varia rerum genera, vbique locorum, noſtra cauſa creauit; & quotidie per cauſas ſecundas producit.

Georgius Agricola vir doctiſſimus, in libro duodecimo, & vltimo, de re Metallica, de iſtis ſuccis concretis doctiſſimè diſſeruit, quomodo ſcilicet generentur natura, & arte etiam conficiantur. Hæc præcipua Sal, Nitrum, Halinitrum, Alumen, Atramentum ſutorium, Sulphur, Bitumen. Et denique vitrum, tam quod per ſe naſcitur, quàm quod è materia tali natum, arte demum perficitur. Verùm & multò plura his reperiuntur media foſſilia: & nobis conſiderandum eſt, non tam quomodo ea generentur & conficiantur, quàm quæ ſint illorum vires: & in quos vſus data ſint.

Hier. igitur *Cardanus* multò plura collegit de iis mediis foſſilibus, quæ *metallica* ab ipſo appellantur: & docet, non tam quomodo fiant, quàm in quem vſum nobis data ſint, & quæ ſint ipſorum vires. Ego præcipua breuiter explico. Et cum Agricola incipio à Sale.

Sal, quid ſit, & ad quot, qualéſque vſus datus nobis ſit, norunt omnes. Eius materiam quidam volunt magis terream eſſe, quàm aqueam: & ideo ſuccum terreum potiùs dicendum eſſe, quàm aqueum. Non ſolùm autem ſapidos reddit cibos; ſed res etiam omnes præſeruat à corruptione. Genera item multa Salis à Deo creantur, & nobis in vſus varios traduntur.

1. Eſt Sal, quod ſimpliciter è petris foditur: Et ideo *Salpetra* vocatur.

2. Eſt & *Sal*, quod *Ammoniacum* vocant. Eruitur ſub arena ardentiſſima: eóque amariſſimum eſſe tradunt: quia vehementer decoctum. Omne enim ſalſum, vehementer coctum, amarum fit.

3. Eſt & Sal, quod *Gemma* vocatur; propterea quòd inſtar Chryſtalli niteat, ac ſplendeat. Et hoc acutius eſt ſale factitio. Sequitur

Nitrum, quod etiam notum eſt. In arena Nili præcipuè inueniri docent. Huius candidior pars: *Aphronitrum*, appellatur: quaſi ſpuma nitri. Amarius eſt nitrum Sale: minus verò ſalſum. Ideo verò inter vtrumque eſt Halinitrum, mediam habens qualitatem.

Halinitrum itaque medium quiddam eſt inter Salem, & Nitrum: quanquam inter Salis genera connumeratur. Tenuiſſimis conſtat partibus atque ſicciſſimis.

Alumen etiam dedit Deus, cuius genera multa tradunt. Vnum, eſt præcipuum, & notiſſimum: *Alumen* ſcilicet *Rocha*. Magno id vſui eſt, & ad multa ſeruit. Præter alia, quia virtutis eſt adſtringentis: Eo vtuntur librorum compactores, ad libros, qui rariore & bibula cōſtant papyro, lauãdos: vt papyrus conſtricta, deſinat eſſe bibula. Pennæ anſerum etiam, ſi Alumine hoc madefiant, fiunt meliores, firmiores ſcilicet, & ſolidiores. Hic vſus ad nos pertinet, qui libros ad legendum, & pennas ad ſcribendum tractamus. Addunt duo alia genera Aluminis.

Alumen Scaiola & alumen pluma. Sequitur in Agricola *atramentum Sutorium*: quod vulgus *Vitriolum* vocat. Huius vſus ampliſſimus eſt: Nam etiam ex hac materia fit atramẽtum ſcriptorium: & ad fingendos pannos vtuntur. Quò ſpectat *Myſi Vitriolum*, Rom. vulgò appellatum.

Sulphur, quid ſit, notum eſt: & quàm latè pateat illius vſus. Maximum quoque eſt hoc Dei beneficium. Eo vſus eſt Deus in puniendis Sodomitis.

Vitrum, quid ſit, notum eſt: & quis eius vſus. His alia addit Media foſſilia Cardanus: quæ ſingula enumerare, & explicare laborioſum eſt: & verò etiam inutile. Vnum præcipuū, *Bitumen* eſt. Bituminis autem vtilitas ampliſſima eſt. Eius enim multa ſunt genera, quæ ſingula varios magnóſque vſus habent. Inter alumina enim continentur *Aſphaltum*, *Naphtha*, *Gagates*, *Ampelites Maltha*, *Thracius lapis*, *Ambra*, *Petroleum*, *Camphora*: aliáque non pauca: Quid ſingula ſint; & qui illorum vſus, legatur apud Cardanum.

Non poſſum prætерire *Argentum viuum*: quod etiam in mediorum foſſilium genere collocatur à doctiſ. Nam neq; metallum eſt; cùm non habeat qualitates metallorum, neq; etiam lapis eſt. Huius verò vſus, quantus ſit; & quàm multiplex, norunt omnes: atque inprimis Chymiſtæ. Sed multa etiam mala adfert. Metalla omnia corrodit: atq; imprimis Aurum. Proinde non ſeruatur in vaſis Metallicis: ſed in ligneis. Nihil enim ipſo frigidioris eſt naturæ. Quæ cauſa eſt, cur venenoſum ſit. Congelat enim inteſtina, ſi quis illud bibat. Omne autem congelatum, facilè diſrumpitur, ſicut experientia docet: quia partes non poſſunt cedere, & fluere. Ac nil aliud eſſe argentum viuum quàm aquam denſatam, docent: denſatam inquam non calore, neq; frigore: ſed tenuiſſima & puriſſima terra: quo etiam fit, vt ſit grauiſſimum, propter terram puram, & ſimul frigidiſſimum. Talis enim eſt naturæ terra. Eſt verò ſplendens ac liquidū, propter aquam. Idcirco ſicut etiam aqua, dum fugit ſiccum, contrahit ſe in formam rotundam, ſic etiam facit argentum viuum, ſed tenacius eſt aqua. Ideò maiores etiam orbes facit, ſi fundatur ſupra ſiccam tabulam, quàm aqua, faciat. Nihil verò homini detrimentoſius, imò pernicioſius eſt, quàm argentum viuum, ſi præſertim cum igne, & ad ignem contrectetur. Tenuiſſimæ enim cùm ſit ſubſtantiæ, facilè penetrat in humanum corpus, ſuo ſpiritu: & præſertim in caput, vbi multa ſunt foramina, & vnde attrahimus aërem. Ingreſſum autem ſua frigiditate congelat internas partes: inficit, interimit. Suos tamen vſus habet optimos, ſi quis eo legitimè vtatur. Nihil enim condidit Deus; niſi ad noſtram vtilitatem.

Hæc ſunt quæ volui dicere de mediis foſſilibus, tertio ſcilicet genere eorum, quæ ſubtus terram ex vaporibus terreis & aqueis generantur. Ita opera Dei abſoluimus: quæ *Meteora* à Philoſophis appellantur: à Moſe verò, nomine *Aqueorum, quæ ſupra ſunt ad Firmamẽtum*, ſignificata fuerunt.

Video me fuiſſe prolixiorem quàm volebam: ſed cauſa fuit, quia & hæc opera permulta ſunt: & quia eò ignotiora ſunt, quò etiam occultiora, & minùs ſub ſenſum cadentia: & in locis procul à nobis remotis generantur.

D. HIER.

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI PARTIS SECVNDÆ, LIBER QVARTVS.

DE AQVIS SVB FIRMAMENTO, HOC EST, DE mari, fluminibus, lacubus, fontibus, &c.

CAPVT I.

DIXERAT Moſes, *Deum creaſſe Firmamentum Rachiam, quo diuiderentur aquæ, quæ ſupra ad firmamentum: ab iis, quæ infra, ſub firmamento.* Deinde omiſſis illis quæ ſupra: dicit, Deum *iuſſiſſe has, quæ erant ſub firmamento, & quæ* (vt euincitur ex Moſis verbis) *totam occupabant terram: iuſſiſſe inquam has inferiores aquas, in vnum cogi locum, idque vt appareret arida* ריבשה: quæ iam Græcè οἰκουμένη vocatur: Latinè autem *terra habitabilis*. Et quidem aquas illas coactas in vnum locum, vocaſſe *maria*, terram autem aquis detectam, appellaſſe ſimpliciter *Arez terram*. *Et vidiſſe hoc eſſe bonum.* Bonum certè, cumprimis propter hominem, & alia animalia terreſtria: vt & ipſa haberent locum vbi habitare & reſpirare poſſent. Duo igitur antequam progrediamur in contextu; tractanda nobis ſunt, qui ſuſcepimus *opera* Dei viſibilia, quæ *creationis* vocantur, explicanda. Moſes enim tantùm ſummã rerum indicat; ſed nobis relinquit ea conſideranda, contemplanda, examinanda; diſtinctè prædicanda, & explicanda: ſicut etiam fecerunt Prophetæ. Et poſtea Philoſophis etiam hoc donum contulit Deus, opera ſua diligenter examinandi, & explicandi.

Primò igitur, de Mari, déque reliquis aquis, quæ ab illo fluunt, vt ſcriptura docet, fluuiis, fontibus, lacubus, thermis, dicendum eſt. Deinde de terra habitabili; ſed breuitati ſtudebimus.

II. De Mari Oceano.

QVia fons & origo omnium aquarum, eſt Oceanus: de hoc priori loco, diſſerendum eſt. Principio autem dicam breuiter de cauſſa maris efficiente, de eius origine, déq; eius perpetuitate, idque per theſes perbreues.

THESIS I.

Cauſſa prima maris efficiens, quæque illud in vnum collegit locum, eſt Iehoua Elohim.

Hæc ex Gen. liquet, cap. 1.

II.

Oceanus, originem non habet ab aliis aquis, ſed reliquæ potius ab ipſo.

DEus enim creauit aquas: & has in vnum coëgit locum: hánceq; aquarum collectionem, appellauit *maria* ימים. Quod autem per excellentiam vocatur *mare*, idq; à condito orbe; eſt *Oceanus*. Atque hoc eſt illud mare, de quo Salomõ, Eccl. 1. *Omnia flumina à mari exeunt & in mare reuertuntur.* Hinc apparet alterum membrum: tantùm ſcil. abeſſe, vt mare ortum habeat ab aliis aquis: vt ipſe potiùs omnes ab illo, ducant originem. Nam Oceani aqua, decurrit per occultos terræ meatus, atque canales, in omnes totius terrę partes, tanquã per aquæ ductus: ſicut etiã ſanguis per venas, in totũ corpus, ad omniáque corporis membra, humectanda, & viuificanda. Atque etiam Oceanus dicitur ab ὠκὺς, à veloci ſcilicet curſu, quo & in ſuo poſitu natiuo, & per omnes terræ venas, ad totam eam irrigandam decurrit. Imò etiam aquæ ſupra ad firmamentum, de quibus hactenus diximus, originem habent primam, ab Oceano. Sunt enim vapores aſcendentes in aërem, vel ab aquis immediatè, vel à terra madefacta. Omnes autem aquæ inferiores originem habent ab Oceano: vt Salomon teſtatur Eccleſ. 1. Non ergo à fontibus & fluuiis, Oceanus, ſed contrà, illi ab Oceano ſunt.

III.

Oceanus, dum manet Mundus, deficere non poteſt.

EST enim vna ex primis & præcipuis Mundi partibus; Mũdus enim conſtat ex quatuor Elementis: quorum vnum eſt aqua, quæ collecta primùm eſt in Oceano: Inde verò, in omnes Mundi partes diſtribuitur. Quare licèt primò omnes aquæ ab Oceano fluant: & deinde perpetuò vi ſolis, ex ipſo eleuentur vapores aquei in ſublime: & poſtremò, ſemper aliquæ Oceani partes in aërem conuertantur; fieri tamen inde non poteſt, vt Oceanus imminuatur. Ratio eſt, quia quicquid ab eo extrahitur, & effluit: mox etiam, Dei prouidentia, & gubernatione, ei inſtauratur atque redditur, & ad illum refluit. Flumina enim quæ exeunt, etiam ad eum redeunt. Vapores quoque qui aſcendunt ſublime, reſoluuntur etiam in aquam, niuem, & cætera Meteora: & tandem ad mare redeunt. Ac ſi multum aquæ maris in aërem conuertitur, viciſſim etiam aër, mutatur in aquam. Ita ſemper compenſatur, quod è mari hauritur. Imò Deus hanc inſtituit elementorum viciſſitudinem inter ſe, vt meliùs Mundus conſeruetur, ad animalium, atque inprimis hominum vtilitatem. Seruandus autem eſt Mundus in ſempiternum, licèt totus ad alterum Chriſti aduentum, renouandus ſit. Oceanus igitur perpetuò eſt. Ita apparet inſania Democriti: qui ex eo, quòd quotidie aſcendunt vapores ab aquis, & vi ſolis conſumuntur, dicebat, tandem totum Oceanum exiccatum iri.

Dicendum iam videretur de Oceani partitione; ſi methodum Philoſophicam ſequi vellemus: ſed tamen quia Moſes priùs ait, *omnes inferiores aquas collectas fuiſſe in vnum locum:* quàm vllam faciat aquarum iſtarum partitionem, id quod poſtea in aliis capitibus, & libris faciat. Ideirco videndũ eſt priùs de iſto loco, quiſnam ſit, ac proinde de ſitu maris ad terram. Deinde altera quæſtio erit expedienda: Quónam modo, totum aquæ Elementum, quod totam cingebat & tegebat terram, eoq́ue longè ampliùs erat terra, in vnum terræ locum collectum fuiſſe dicatur, intelligendúmque ſit.

QVAESTIO II.

De ſitu, locóque Oceani.

DIſputant nonnulli de ſitu Oceani. Quidam enim putãt aquas ex vna, hoc eſt, è ſuperiori parte, vbi ſcilicet iam ſunt tres mundi partes præcipuæ, Aſia, Europa, & Africa, defluxiſſe in inferiorem: ita vt hæc vna tantùm pars detecta manſerit: vltra Oceanum autem, nulla terra habitetur. Nondum enim vltra columnas Herculis nauigatũ erat. Recepta igitur ſententia eſt, aquas quæ totam terram tegebant, iuſſu Dei ad medium terræ, vtrinque defluxiſſe: & ita faſciæ magnæ, ſeu ampliſſimi circuli inſtar totam terram per circuitum ambire: ita vt ſupra & infra, terra maneat detecta. Sic omnes docti ſentiunt. Ideò Damaſcenus, ἐςιν ὠκεανὸς ὥσπερ τις ποταμὸς, κυκλῶν πᾶσαν τὴν γῆν. Hæc igitur noſtra eſto Theſis.

I.

Oceanus totam per circuitum terram, eámque excauatam, inſtar magni & latiſſimi circuli ambiens: efficit, vt terra ſupra, & infra, ſit aquis detecta, idque ex Dei mandato: tum ad perfectionem ornatumque vniuerſi, tum ad plantarum, & animantium ſalutem.

CONFIRMATIO.

HVnc eſſe Oceani ſitum, quòd ſcilicet per circuitum totam ambiat terram: ita vt vtrinque terra emineat arida, docent omnes docti Geographi & Philoſophi. Quòd verò excauata ſit terra, Dei iuſſu, in qua contineatur Oceani

aqua, indicat ſcriptura: Primum verbo *congregandi* קוה & *congregationis aquarum* nomine מקוה. Hoc enim nomine ſignificatur non ſimpliciter congregatio: ſed congregatio in voragine, & cõcauo. Ac fieri poteſt vt ex Hebraico קוה deductum ſit Latinũ, *cauare*, & nomen *cauum*. Deinde Iobi 26. *Terminum circumdedit aquis*. Indicat, in locum excauatum & vtrinque littoribus munitum fuiſſe aquas collectas, & ſuis ceu finibus circumdatas. Et ratiò ipſa euincit ita ſe rem habere. Aut enim Oceanus habet littora, aut non habet. Hoc pugnat cum ſenſu & ratione. Si habet: cuius igitur eſt locus, vbi Oceanus?

Proinde quod Moſes vocat *congregationem aquarum*: Chaldaicus habet, *domum congregationis*. Nomine *domus*, intelligens alueum illum ampliſſimum, in quo continetur Oceanus. Et Iere. 5. *Annon à facie mea pauebitis? Qui poſuit arenam terminum maris ſtatutum ſempiternum*.

THESIS II.

Neque verò mirandum eſt, quòd dum aqua amplior ſit terra, ita colligere reſtringique potuerit, vt tam amplum terræ habitabilis ſpatium animantibus ſit relictum, & plantis.

PRimùm quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, &c. Sicut igitur ex iiſdem aquis ampliſſimæ dilatatis, tam multos tamque amplos creauit cælos vnde & שמים appellantur: quid mirum, quòd reliquas, contrà ita colligi, & inſpiſſari iuſſerit, vt in medio terræ ambitu contineri potuerint ac poſſint? Quæ enim diſperſæ erant atque diffuſæ per totam terram aquæ, hæ fuerunt reſtrictæ, atque ſpiſſatæ. Atque hoc Moſes ſignificauit verbo *congregandi*: dicendo, *Deum dixiſſe, Congregentur aquæ*. Nam etiam terra, quæ inſtar luti erat, rara, atque mollis: dura fuit facta atque denſa, collectis ex ipſa aquis; & ceu ex ſpongia expreſſis; ſicut etiam cõtingit cineribus, poſtquam ex ipſis expreſſum eſt lixiuium. Deinde non omnes, ſed illæ tantùm collectæ fuerunt aquæ in vnum locum, quæ ſupra terram erant: quæque impedimento erant, ne extremæ terræ partes ſiccarentur, & appareret arida. Cæterùm multum aquæ ſubtus terram, in ipſius terræ viſceribus, manſit. Atque hoc indicauit Moſes, dicendo: *Et appareat Arida*: quaſi dicat, illæ congregentur, quibus congregatis: apparere poſſit arida. Illud præterea fatentur vel ipſi nautæ; etiamnum Mare Oceanum latius & altius eſſe terra habitabili. Certè rubrũ mare, inuentum fuit tempore Seſoſtris Ægyptiorum Regis, altitudine ſua planiciem Ægypti multum ſuperare. Altior igitur Oceanus tota terra. Verùm quòd non exundet, totamque ſubmergat terram, hoc ideò fit, quia Deus præfixit ſua manu ei terminos littorum; vltra quos tranſire non poteſt: ſicut etiam Iob. 26. teſtatur: dicens: *terminum circumdedit aquis*. Et Pſalmo 104. idem docetur. Et Ierem. 5. Proinde factum eſt Oceano naturale, vt terræ emineat, & interim tamen exundare non poſſit. Huc etiam facit, quòd quæ vna erat aquarum abyſſus, diuiſa fuit in partes duas, in ſuperiores ſcilicet & inferiores aquas: de quibus ſuperioribus aquis, hactenus dictum eſt. Hæ enim ſunt perpetuæ illæ exhalationes & vapores, qui eleuati in Cælum, in varia vertuntur Meteora. Declarant hæc omnia, quàm facilè fieri potuerit; vt aquæ, quæ ampliores erant, & ſunt ipſa terra; in vnum terræ locum colligerentur; imò indicant hæc modũ, quo quæ de congregatione aquarum à Moſe narrantur, facta fuerint. Ita qualis ſit Oceani ſitus manifeſtum eſt.

III.

Eſt autem hic Oceani ſitus, ſicut & Oceanus ipſe, perpetuus.

RAtio eſt: quia quæ ad perfectionem Mundi facta ſunt, ea in eo ſunt perpetua. Quis autem neſciat, ſicut reliquarum rerum, ſic etiam terræ & aquæ diſtinctionem, ad Mundi perfectionem pertinere? Facit enim ad εὐταξίαν, cui opponitur ἀταξία. Falſum igitur eſt, quòd quidam ſentiunt: poſt iudicium vniuerſale, aquas redituras ſupra terram totam, eámque ambituras: idque propterea, quòd (inquiunt) ſic erant etiam ab initio: & naturale eſt aquis operire terram vniuerſam. Quaſi verò non etiam initio omnia fuerint quoddam confuſum Chaos. Num igitur omnia ad idem Chaos reditura ſunt? Falluntur autem, quòd putant, Oceanum ibi contra ſuam conſiſtere & ſubſidere naturam: vbi iam eſt. Quæ enim cuique rei dedit Deus ab initio, ea ſunt illi rei naturalia; etiamſi nobis ſecus eſſe videatur. Certè naturale eſt Magneti, quòd ferrum ad ſe trahat. Quis tamen non inter portentoſa ponat, & contra naturam, hoc eſſe non iudicet? Dubitandum igitur non eſt, quin locus, quem Oceano Deus de principio aſſignauit, ſit ei naturalis. Vnaquæque autem res in ſuo naturali loco, libenter & naturaliter manet. Inde fit, vt licet flumina, aliáque maria, quæ ab eo fluunt, diuerſas ob cauſſas, creſcant & decreſcant: ipſe tamen Oceanus ſemper idem maneat: neque exundans, neque decreſcens. Natura enim illi à DEO data eſt, vt ſe intra ſuos limites contineat. Quare verbum irreuocabile eſt illud Domini: *Congregentur aquæ in locum vnum*. Atque hæc de loco, & ſitu Maris.

QVAESTIO III.

De Maris vnitate & pluralitate.

NEque deſunt qui admirentur: qui fieri poſſit, vt nunc tã multa Maria, eáque inter ſe diſtincta inueniantur, cùm DEVS iuſſerit omnes aquas, in vnum congregari locum? Nũ ſolus Oceanus, aquas illas primas continet, alia autem Maria, alias habent diuerſas aquas? Quòd ſi vna & eadem eſt aqua, quæ tamen ab Oceano (vt veritas docet) in alia deriuetur Maria; quo modo igitur vna vocatur congregatio aquarum à Moſe: cùm ea ſit multiplex congregatio, licèt aqua vna? Ad hanc etiam quæſtionem breuis eſt reſponſio, hac Theſi.

Mare, vnum eſt, & plura, diuerſis reſpectibus.

INdicare, hoc voluit Deus: quum in ſingulari numero totam illam aquarum materiam in vnum collectam, expreſſit nomine מקוה hoc eſt, *congregationis*. Deinde verò hanc congregationem aquarum: appellauit plurali numero, ימים *maria*. Vnus enim eſt Oceanus: quem propriè intellexit nomine מקוה ſed & ipſe, pro variis pluribúſq; locis, per quos tranſit, varia ſortitur nomina; ita vt multa videantur eſſe maria, cùm ſit tamen vnũ duntaxat: & deinde, ex hoc alia fluãt maria, per mediam terram in varia loca: quæ etiam hanc ob cauſſam *maria Mediterranea* vocantur. Res igitur ita ſe habeat: Oceanus bifariam diuiditur. Primò, non re ipſa: ſed locis tantùm, per quæ tranſit: eóq; & nominibus: quæ ſ...è à locis regionibúſque illis ſumuntur. Vnum enim eſt reuera mare extremum; hoc eſt, extra columnas (vt vocant, Herculis ſitum: quod totam היבשה *οἰκουμένην* videlicet vtramq; inferiorem & ſuperiorem, per medium diſtinguit, atque finit. Hic eſt Oceanus; ab Hebræis vocatus ים: aut ab Occidente, quòd ad Occidentalem plagam terræ Iſraël poſitus ſit; aut fortè à ſtrepitu & fremitu, quem ſemper edit. Sunt enim qui ים deducunt ab המה quod *tumultuari, fremere, & ſtrepitum facere ſignificat*. Vnde etiam המים deduci volunt. Græcè autem ὠκεανός, à velocitate: quòd perpetuò fluat celeriter atque refluat. Sunt enim hæc propria Oceani inſeparabilia; perpetuus motus, & fremitus.

Cæterùm mare iſtud, quod & materia, & forma, ac ſitu verè vnum eſt, in Occidente, *Atlanticum mare* appellatur; Ἄτλας ἑσπέριος, *Atlas Occidentalis*; ab Atlante Mauritaniæ monte. Ab Oriente autem, & India; Oceanus ἑῷος, hoc eſt, *Orientalis, & Indicus*. A meridie verò & Æthiopia *mare rubrum & Æthiopicum*. A Borea porrò, *Oceanus glacialis* appellatur; propterea quòd ſempiterna glacie concretus & congelatus ſit. Imò & Κρόνιος ὠκεανός, à Crono Inſula. Hunc eundem, vocarunt etiam quidam, νεκρὸν *mortuum mare*. En quo pacto vnum & idem omnino mare, pro diuerſis Mundi partibus, per quas fluit, ita variis appelletur nominibus, vt iis auditis nominibus; ipſis imperitis hominibus non vnum, ſed multa maria eſſe videantur. Hoc præuidit Deus; Proinde ait Moſes, *vnam & eandem aquarum collectionem, appellatam fuiſſe à Domino* ימים *maria*.

Hæc eſt prima maris partitio: quæ à quatuor Mundi plagis, quas idem omnino Oceanus, continenter ambit, ſumpta eſt.

Altera partitio, magis in re poſita eſt. Oceanus enim ille, non ſolùm totam terram corona cingit, vt dictum eſt: ſed multis etiam ex partibus in ipſam irrumpit, & penetrat, multóſque in ea facit ſinus: qui ſinguli, *maria* appellantur: ſumtis diuerſis cognominibus, à locis variis, per quæ fluunt. Vnde mare *Caſpium*, *Hyperboreum*, *Germanicum*, *Britannicum*, *Harmoticum*, *Africum*, *Balthicum*, & alia permulta. Omnibus verò commune eſt cognomen *Mediterranei*. Quia enim per mediam terram habitabilem, quæ היבשה dicitur Moſi; Græcis autem ἤπειρος, fluunt, eámque diuidunt: idcirco omnes ij ſinus, qui in hanc terram irrumpunt, vocantur *mare Mediterraneum*; ad differentiam Oceani.

Duo ergo principalia ſunt maria: *Oceanum & Mediterraneum*. Ferunt autem huius Mediterranei magis triginta eſſe ſinus, quos omnes nominare, & explicare, operæpretium non eſt. Satis eſt principales tenere.

Duos

Duos principales conſtituunt Oceani in terram habitabilem fluentes ſinus: Perſicum, qui ab Oriente eſt, & Arabicum, qui ab Occidente. Inde verò reliquos omnes ferè deriuari volunt. Oceanus itaque ab Occaſu Solis, & Gaditano freto, in hanc noſtram οἰκουμένην irrumpens, longè latéque Africam & Europam attingit: decurrítque ad Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Græciam. Vnde & varia aſſumit nomina, à locis (vt dictum eſt) per quæ tranſit. Atque hic eſt primus Oceani in terram habitabilem incurrentis, ſinus. Deinde ex Oriente quoque in οἰκουμένην penetrat; & per varias Aſiæ partes tranſit, atque hunc *ſinum Perſicum* vocant: in varia etiam diſtinctum maria, pro variis Aſiæ partibus, per quas it. Porrò Aquilonem verſus, per Helleſponti anguſtias, & Propontidem, atque Boſphorum Thracium fluens, Ponticum mare fundit. Accedit autem hic ſinus Perſicus proximè ad alterum, hoc eſt, ad Arabicum: vt ab eo credatur non diſtare centum & 15. paſſuum millibus. Hæc eſt ſumma partitionis maris totius.

Vnde apparet, omnia Mediterranea maria ex Oceano fluere. Atque ita verum adhuc eſſe, quod Moſes dixit, *omnium aquarum congregationem, vnam fuiſſe*: & eam tamen *maria* in plurali fuiſſe vocatam.

De mari Caſpio, ſcio quid Ptolomæus ſcriptum reliquerit: Illud enim ab Oceano ſeparat, idq; quia cingitur montibus, vt non appareat eius origo. Sed contra illum ſentiunt, alij plerique omnes, An non ſubtus montes, per meatus occultos, originem habere poteſt ab Oceano? Omnia verò hæc maria Mediterranea, licèt multi ſint ſinus: vnum tamen appellari mare, manifeſtum eſt. Et de hoc etiam Dauid cecinit, dicendo: *Hoc mare magnum, & ſpatioſum locis*: complexus eſt omnia maria. Et tamen, vnum mare vocat. Ita optimè videmus, quomodo mare vnum tantùm ſit; & tamen etiam multa: diuerſis reſpectibus. Vnum adhuc reſtat, quod prætcrire non poſſum; nempe de mari rubro, cuius mentio Exodi, & alibi ſæpè in ſcripturis fit.

Inter duos illos ſinus, Perſicum ſcilicet & Arabicum excurrit Arabia. Mare autem, quo ipſa Arabia ambitur: *mare rubrum* vocatur Latinis. Græci *Erythræum mare* appellant. Eſt autem ἐρυθρὸν rubrum.

Solent ergo plerique putare, & ſcribere, ideo rubrum appellari, quaſi coloris ſit rubri. Et ita ſcribit Strabo, lib. 16. eſſe qui putent rubrum appellari à colore, per reflexionem expreſſo, vel à Sole, quum ſupra verticem eſt; vel denique à montibus ex aduſtione rubentibus. Quidam etiam aiunt; fontem quendam eſſe, qui aquam rubeam, minióq; plenam, in mare illud immittat: & inde ἐρυθρὸν, *rubrum mare* appellari. Sic multi ſentiunt de mari rubro: quod Græci vocant *Erythræum*.

Cæterùm Quintus Curtius libro 8. & deinde Suidas, hanc Etymologiam damnant & veram docent. Curtius ait, mare Erythræum, non differre colore à cæteris: ſed vocari *Erythræum*, ab Erythræo Rege: qui ſcilicet in illis locis imperium tenuit. Idem ſcribit Suidas in dictione ἐρυθρᾶς. Hebræi vocant hoc mare ים סוף *mare carioſum*. סוף enim eſt carex ſeu iuncus. A caricibus igitur, quas in eius littore creſcere aiunt, ſic appellatum volunt. Imò Plinius libro 2. ſcribit, oleas virentéſque frutices in mari rubro enaſci. Si hæc vera ſunt, apparet, cur Hebræi vocent illud ים סוף. Atque hæc obiter de mari rubro.

Hic verò ſpectare debemus ſummam Dei erga homines bonitatem. Voluit primum congregatione aquarum in vnū locum, diſtingui terram ab aqua, & ita conſulere plantis, & animantibus. Deinde ex Oceano, varios deriuari ſinus, per omnes terræ habitabilis partes: vt homines poſſint vbique non ſolùm piſces, & alia quæ in mari naſcuntur, habere; verùm etiā nauigare cum ſuis mercib. ex vna regione in aliam. Beneficium hoc prædicat Dauid in Pſalmo: *Hoc mare magnum & ſpacioſum locis: ibi reptilia, quorum non eſt numerus. Beſtia puſilla cum magnis. Ibi naues tranſeunt.*

Ad extremum notandum eſt; etſi principaliter primùm quidem Oceanus: deinde Mediterranei ſinus, Maris nomine intelliguntur, tamen omnes etiam reliquarum congregationes, vti lacus ſunt, ſtagnáque, vocari in ſacris maria.

QVAESTIO IV.

De mutatione ſitus maris.

QVæritur etiam an mare mutauerit vnquam illum locū, in quem ſemel congregatæ fuerunt aquæ; an verò iuxta primam Dei ordinationem, ſemper illum retinuerit, & retineat. Multis enim locis apparet, mutatos eſſe alueos marium, vt fusè tradunt Geographi: Et Ariſtoteles Meteororum libro 1. & 2. Et Plinius lib. 2. c. 85. Quanquam ex iis quæ hactenus dicta ſunt: facilè patet ad præſentem quæſtionem reſponſio: breuiter tamen hunc etiam reſpondeo hac Theſi:

THESIS.

Oceanus, nunquam ſe toto, mutauit, aut mutabit vnquam ſitum ſibi à Deo conſtitutum.

Dicò *ſe toto*: quoniam manifeſtum eſt, quod ad ſinus attinet, quos in terram habitabilem immittit, eorum multos mutaſſe ſæpius loca, vt hiſtoriæ docent. Verùm locus propriè de quo Moſes locutus eſt, fuit & eſt ille, vbi cōtinetur Oceanus. Hic autem locus nullibi mutatus fuit, aut mutari poteſt, propter mandatum Dei: Iob. 26. *Terminum circumdedit aquis, vſque dum finiantur lux & tenebræ.* Et Ieremiæ 5. *An non à facie mea pauebitis? Qui poſui arenam terminū mari: ſtatutum ſempiternum, nec præteribit illud. Commouebuntur quidem, at nō præualebūt. Et intumeſcēt fluctus eius: at non tranſibunt illud.* Status igitur & ſitus Oceani, ſemper idem manet: vt ſcriptura appareat ſemper vera. Quòd verò mutant nonnunquam maria particularia, locos ſuos, hoc fit ex Dei ordinatione cum primis. vt ſcilicet oſtendat, omnia quæ in Mundo ſunt, mutationi eſſe obnoxia ſua natura: & idem etiam facturum Oceanum, ſi Deus non illi ſuum conſtituiſſet terminum, vltra quem egredi non poteſt. Ad mutationem verò particularium marium vtitur Deus cauſſis ſecundis: motibus ſcilicet Cœlorum, atque inprimis trium ſuperiorum Planetarum, Saturni, Iouis, Martis. Ex horum enim coniunctione, cum reuolutione ſtellarum fixarum obſeruatum eſt, magnas in Mundo fieri mutationes; ad exſiccationes, & humectationes terræ quod attinet; eóque & circa penuriam; atque abundantiam annonæ. Neque illud prætereundum eſt, quod Ariſtoteles ait, omnia, ſuo modo, ſeneſcere: etiam fluuios, & maria, & terras, aluéoſque aquarum. Ac proinde, cùm ad ſuam, maria etiam peruenēre, periodum, tunc mutari ſolere, ſic lacus, ſic flumina, &c. Solus Oceanus, propter Dei ordinationem, in ſuo ſemper manet loco, & manſurus eſt in ſempiternum. Neque plura addere oportet.

QVAESTIO VI.

De ſalſedine maris.

INutilis etiam non eſt quæſtio, qua quæritur, *vndénam mari ſalſedo inſit: an à Deo fuerit ei indita, quum fuit ab eo creata aqua, aut ſaltem quum fuit in locum vnum congregata: an verò poſt creationem, & collectionem: ex cauſſis ſecundis; ordinante tamen ſic Deo. & ſi ex cauſſis eſt ſecundis, quænam illæ ſint.* Ariſtoteles valdè prolixam hac de re inſtituit diſputationem in Meteororū lib. 2. Ac recitatis antiquorū Philoſophorum opinionibus, eíſque etiam refutatis, tandem ſuam adfert ſententiam: quæ etiam tanquam probabilior, ab omnibus recipitur. Quæ illa ſit, mox breuiter explicabo. De hac eadem re ſcribit etiam Plin. libr. 2. cap. 100. Sunt tamen inter Chriſtianos, qui putent, de principio talem qualitatem inditam à Deo fuiſſe aquis in vnum locum collectis: eóque naturalem eſſe mari ſalſedinem, non autem reliquis aquis. Quòd verò flumina, quæ è mari fluunt, non habeant ſalſedinem: hoc ideo fieri, quia tranſeundo per anguſtos meatus terræ, purgentur, & ſalſedinem amittant. Antiquorum opiniones hæ fuerunt. Quidam putârunt, terram quum vi Solis incaleſceret, ſudorem emiſiſſe, & ſemper emittere, & ex hoc ſudore conſtitutum eſſe mare. Cùm igitur ſudor etiam noſter ſit ſalſus, hinc effici, vt etiam mare ſalſum ſit. Alij ſenſerunt, ideo mare ſalſum eſſe, quòd vi Solis, pars eius dulcior in vapores abeat. Ac proinde, quod remanet, ſalſum eſſe; quæ certè ſententia vera eſt. Denique alij cauſſam ſalſedinis maris, tranſtulerunt in terram, quæ mari admixta eſt. Sicut enim aqua cùm colatur per cineres, fit ſalſa: ſic etiam mare, à terra, in qua ſubſidit, tanquam à cineribus, ſalſedinem accipere.

Sententia Ariſtotelis eſt: Ideo mare ſalſum eſſe, & craſſæ etiam aquæ, quoniam vi Solis, partes & tenuiſſimæ, & ſuauiſſimæ, inde tolluntur. Quod ergo remanet, craſſum, & ſalſum fieri. Idem enim contingere in noſtris etiam corporibus. Qui fit enim quòd vrina noſtra, & excrementa ſint ſalſa? Quia quod ſubtile ac tenue, & ſuaue erat in poculentis, & eſculentis, quæ ſumſimus, totum illud expreſſum eſt calore naturali, & tranſmiſſum ad membra corporis in alimentum. Quod igitur remanet incoctum, ex fæcibus; ſalſum fit, & craſſum oportet. Huc accedit alia ratio: quòd ſcilicet vapores ſicci, qui vi Solis ex terra eleuantur: aduruntur etiam, & aduſti rurſus decidunt in mare. Quæ autem aduſta ſunt, ſalſedinem habent. Inde igitur etiam

fieri, vt mare ſalſum: quia iis ſalitis vaporibus, ſaliatur. Has eaſdem duas cauſas ſalſedinis adfert Plinius lib. 2. cap. 100. Quòd ſi quiſpiam excipiat, At nonne hæc eadem contingunt fluminibus, & lacubus; Neque tamẽ ſalſi ſunt? Nõ ſunt igitur illæ veræ ſalſedinis cauſæ. Reſpondetur: Primùm flumina ideo non poſſe fieri ob illas cauſas ſalſa; quoniam ſemper fluit eorum aqua: ita vt Sol diu & directè agere ſuis radiis in eaſdem aquæ partes non poſſit, & ita ſalſedinem producere: Ideo non tam facilè omnes ſubtiles partes aquæ eleuat è fluminibus, ſicut ex mari. Ad lacus quod attinet, qui ſtagnant, cauſſa, cur non fiant ſalſi, eſt, quia vaſti nõ ſunt & ampli, vt Oceanus. Proinde pauci in eos radij, & non diu agunt. In Oceanum autem & infinitis agit radiis, propter amplitudinem, & ſemper agit, die ſcilicet & nocte; cùm totam terram cingat Oceanus. Idcirco cùm nobis occidit Sol: dicitur mergi in Oceanum: quia ſcilicet alia parte, redit ad Oceanum. Ideo ſalſiſſimus eſt Oceanus, propter perpetuam Solis in illum actionem. Ex ipſo autem reliqua maria, ſicut aquam, ſic etiam ſalſedinem capiunt. Hoc lacubus non contingit. Theſis ergo

I.

Aqua maris, non eſt per ſe, & ſimpliciter ſua natura ſalſa, ſed per aliud, & ex Accidente.

SI enim eſſet per ſe & ſimpliciter ſua natura talis, omnes etiam reliquæ aquæ, ſalſæ forent.

Deinde omne ſalſum compoſitum eſt & minimè ſimplex. Conſtat enim ſua ſubſtantia, & adiecta ſalſedine, ſeu ſale, quo ſalitum efficitur.

Aquæ autem Elementum, ſua natura ſimplex eſt. Ideo illa vera & pura putaque aqua eſſe dicitur, quę neque colorẽ neque ſaporem, neque odorem habet. Per aliud igitur, non autem ſua natura, aqua maris ſalſa ſit oportet.

II.

Quod autem illud ſit, per quod ſalſa eſt: omnium maximè probabiliter docuit Ariſtoteles.

QVæ verò fuerit Ariſtotelis ſententia, paulò antè dictum eſt. Illud tantùm in Ariſtotele improbandum eſt, quòd ex ſua de ſalſedine maris ſententia, conetur probare, Mundi æternitatem.

Cæterùm Ariſtotelis ſententiæ illud mihi adiiciendum videtur, quod interpretes quidam illius tradunt: Nimirum vi Solis, nõ ſolùm è mari vapores aqueos ſubtiles, & dulces, eleuari: neque ſolùm è terra exhalationes ſiccas attolli, & aduri, quæ deinde decidunt in mare, & aduſtæ illud ſaliant: verùm etiam è terra, quæ in fundo maris eſt, ſiccos & craſſos terreſtréſque vapores ad ſuperficiem vſque maris, & non altiùs propter illorum craſſitiem attolli. Quò vbi peruenerint, à calore Solis, aduri, & in ſalem verti: (Sal enim terra eſt aduſta) atq; ita hoc ſale, marinam aquã ſaliri. Quòd verò hoc nõ contingat fluuiis, & lacubus, ratio antè eſt allata; quia ſcilicet in fluuiis ſemper mutãtur aquæ: ſupra lacus verò, & alias aquas, Sol neque diu, neque multis moratur radiis: vt gignere in illis poſſit hunc ſalem..

QVAESTIO VI.

De æſtu maris.

DE æſtu quoque, ſeu fluxu, & refluxu maris, diu multúmque diſputatum fuit, quænã vera eſſet illius cauſſa. Veterum opiniones, qui volet, legere poterit apud Vicomercat. in 2. Meteor. Ariſtot. pag. 173. ex Plutarcho recitatas, & explicatas. Veram autem cauſſam, adfert ad extremum, & hanc, ait eſſe Lunam, quæ ſuo motu, hunc in mari excitet æſtum, fluxum, & refluxum. Huic enim Planetæ dedit Deus, vt dominetur aquis, rebúſque omnibus humidis, ſicut reipſa nos experimur. Videmus enim multa animalia aquatica, vt oſtreas, & cancros, tempore plenilunij, plena eſſe: quòd ſicut tunc auctum eſt lumen Lunæ ſupra terram & aquas: ſic etiam in iis animantibus aquaticis, augeatur caro. Idem contingit ouis. Idem & noſtro cerebro. Augetur enim in eo humidum plenilunij tempore. Vnde ſæpe defluxus, ſternutationes extra ordinem, & dolores capitis. Hæc igitur noſtra Theſis eſto:

THESIS I.

Cauſſa æſtus, eóque fluxus & refluxus in mari, vera & proxima, ipſa Luna eſſe iudicatur, eóque extra mare eſt.

NOtandum eſt: In Oceano duplicem eſſe fluxum, vnum ſimplicem, ſine refluxu: alterum, cum refluxu coniunctum. Ille prior naturalis ei eſt, ſicut & omnibus aquis: nempe, vt in decliuiorem locum ſemper fluant, quia graues ſunt. Sic Oceanus ab Aquilone, vbi altior eſt: ad Meridiem, in locum inferiorem, naturaliter defluit. Ibi enim propter ſummam frigiditatem, non ſolùm non ita exiccantur aquæ, ſed etiam augetur: dum multum aëris in aquam vertitur. In Meridie autem propter ſummum æſtum perpetuò aquæ exiccantur. Idcircò neceſſe, vt Oceani aqua, quæ perpetuò in Aquilone generatur, defluat ad Meridiem. Hic eſt naturalis fluxus. Alter verò fluxus, eſt Oceano, cum refluxu coniunctus; qui naturalis ei non eſt, ſed à cauſſa externa. Hanc ſentiunt docti omnes eſſe Lunam, ſuo motu. Si enim illa dominatur aquis, & humidis omnibus, multò magis igitur Oceano, omnium aquarum fonti. Quomodo verò hoc efficiat Luna: variæ ſunt ſententiæ. Quidam ſentiunt, id efficere ſua quadam innata virtute; qua eleuet in altum aquas, vnde fluant & refluant: ſicut Magnes vim habet occultam ferrum ad ſe trahendi. Sed verior eſt alia ſententia. Nimirum id effici à Luna vario ſuo lumine quo vel maiore, vel minore aquas ferit ſuo motu. Sicut enim ſi multum ignis ſit ſub olla: aqua bulliens, intumeſcit & in altum tollitur: Si verò imminuas ignem, demittitur rurſus aqua. Sic à Luna contingit Oceano, & aliis maribus quæ fluxum & refluxum patiuntur. Sicut enim augetur lux Lunæ: ſupra aquas: ſic illæ intumeſcunt, & fluunt: Sicut autem minuitur, ſic aquæ remittunt, & refluunt: ſeu ſicut motus eius intenditur, vel remittitur. Sic itaq; res explicatur. Quia Luna dominatur aquis; ideo æſtus maris, motum Lunæ diurnum ſequitur. Motus autem Lunæ diurnus, in quartas diuiſus eſt quatuor, ita vt ſingulis quartis ſex horæ attribuantur, quib. totus dies naturalis conſtat, qui eſt 24. horarum. Atque iſtæ quartæ dantur diurno Lunæ motui, iuxta 4. cœli, quartas: quarum quatuor ſunt puncta, ortus, occaſus, culmen diei, & culmen noctis Sic itaq; ſingulis diebus naturalibus, mare ſequendo curſum Lunæ, quater mouetur: bis fluendo, & bis refluendo. Fluendo quidem: cùm Luna ab ortu, æſtuque ad diei culmen, quæ eſt prima quarta, aſcendit (id quod fit intra ſex horas:) refluendo autem, cùm tandem Luna, à culmine diei, ad occaſum, intra 6. alias horas deſcẽdit: & hæc eſt ſecunda quarta. Rurſus fluendo, quum Luna, ab occaſu: ad noctis culmen, intra ſex alias horas progreditur: Ac demum, quum à noctis culmine, ad ortum, eadem redit, fluendo. Cùm enim Luna ab ortu ad culmen diei mouetur: per 6. horas continenter aſcendit ſupra noſtrum Hemiſphærium: & ita aquas Oceani eleuat, efficaci ſuo motu, & aſcenſu. Aquæ autem eleuatæ, fluunt per 6. alias horas. Dum verò mouetur à culmine diei, hoc eſt, à Meridie, ad occaſum per 6. alias horas, continenter recedit à noſtro Hemiſphærio: atque ita amittendo vim ſui motus, efficit, vt aquæ maris decreſcendo refluant, quemadmodum tunc etiam ceſſat bullitio aquæ, quum ignis ſubtrahitur ollæ. Rurſus quum ab Occaſu ad noctis culmen mouetur: quia ſupra alterum Hemiſphærium aſcendit, per 6. alias horas, efficit, vt ibi etiam mare intumeſcat atque ita fluat viciſſim, cùm deſcendit à culmine noctis, ad ſuum rediens ortum: efficit, vt mare refluat. Ita apparet vndénam fiat, vt in noſtro Hemiſphærio, bis in die mare mutetur; ſemel fluendo, & ſemel refluendo, & idem etiam in altero Hemiſphærio. Atquę hunc ordinem & tenorem ſeruat Luna in ſempiternũ. Quis verò hinc non videat, & ſummã Dei prouidentiam in Mundi gubernatione; & deinde vim etiam, quam cœleſtibus corporibus dedit in hæc inferiora? Vult omnino Deus, vt hinc intelligamus: ſicut vis hæc in mari pendet à [illegible] Lunæ & reliquorum ſuperiorum Planetarum cœlorum [illegible] virtutes, pendere à ſuperiori, hoc eſt, ab illo, qui ſupra omnes eſt creaturas. Quis eſt iſte? Chriſtus, cum ſuo Patre, & Spiritu S. De quo Chriſto Apoſtolus dixit. *Qui eſt Deus ſupra omnia benedictus.* Et Iohan. Baptiſt. *Qui de cœlo venit, ſupra omnes eſt.* Si quis verò interroget, an iſte fluxus & refluxus producatur in omnibus maribus, & ſi non in omnibus, quænam ſit huius rei cauſſa: reſpondemus hac ſecunda Theſi.

II.

Neque in quouis mari æſtus eſt: neque idem in omnibus: ſed quò quodque aut magis minúſve vicinum eſt Oceano, aut magis minúſve profundum: id eò etiam maiorem minorémve fluxum & refluxum habet.

REs ipſa manifeſta eſt. In mari enim quod inter Normandiam atque Scotiam, manifeſtum: & magnum videre eſt, fluxum & refluxum, quia proximum eſt Oceano. In mari verò, quod à Gadib. Hiſpaniæ fluit, in ipſo ſui principio, apparet fluxus & refluxus. Quum verò decurrit ad Galliam, & Italiam, & Græciam; non ita manifeſtè apparet

idque

idque, & propter ſui amplitudinem, qua magis in illis regionibus diſtat ab Oceano; & propter ſui protum litatem. In ſinu porrò Adriatico fluxus & refluxus magnus eſt: propterea quòd, nec admodum profundus, nec valdè amplus eſt. Item in mari mortuo, quod *Aſphaltites* etiã *lacus* appellatur, nullus eſt æſtus: quanquam neque altum admodum ſit, neque amplum. Verùm id fit; propter aquarum craſſitiem ac denſitatem: quæ ex vapore terreo, & bitumine illi admixto proficiſcitur. Qua de re, etiam Ariſtoteles in 2. Meteor. mentionem fecit. In tam craſſam enim materiam; non tantam habet vim Luna, quantam habet in reliquas aquas, magis fluidas.

III.

Præter æſtum autem diurnum, menſtruus etiam in Mediterraneo mari obſeruatus eſt.

A Principio enim nouilunij, vſque ad plenilunium; videtur aqua in Mediterraneis ſemper creſcere; à plenilunio verò ad finem vſque menſis, decreſcere. Ratio verò eadẽ eſt, quæ & ſuprà allata, explicatáq; fuit: nimirum quia lumẽ Lunę à principio coniunctionis, vſq; ad oppoſitionẽ, continenter augetur; eóque ad eleuandas aquas, valentius fit. Vnde fluxus naſcitur. Contrà, ab oppoſitione, ad finem vſque menſis, ſemper decreſcit; ita minus habet virtutis, ad aquas tollendas; ac proinde ſequitur refluxus. De hoc etiam maris æſtu, optimè ſcripſit Cardanus, de ſubtilitate, lib. 2. pag. 96. Multa etiam Plin. lib. 2. c. 97. Cæterùm notanda hic eſt cauſa, quam pauci obſeruarunt, propter quam Deus voluit in maribus hunc eſſe fluxum, & refluxum. Ea eſt; vt aqua in eis conſeruetur pura, néve putreſcat. Si enim aqua, præſertim maris, non moueatur, facilè putreſcit: id quod liquidò quiſq; videre poterit, ſi aquam marinam, in vaſe aliquo ſeruet: Ergo vt purgentur aquæ, fluxus & refluxus ordinatus eſt. *Omnia* (inquit Plin. lib. 2. c. 98. *plenilunio purgantur maria. Quædam & ſtato tempore*. Nihil certè ſine cauſſa, quanquam nos ſæpe lateat, inſtituit Deus in Mundo; vt veriſſima ſit in Scholis Philoſophicis trita ſententia: *Deus & Natura nihil agunt fruſtrà.* Hinc colligere licet: ſi Deus ideo quotidie, præter naturalem curſum aquarum, extra ordinem etiam maria agitat fluxu & refluxu quotidiano, ne ſcilicet putreſcant illorum aquæ: quid mirum, quòd filios etiam ſuos, ſuóſque populos, & Eccleſias ſemper viciſſitudine quadam rerum proſperarũ, & aduerſarum; perſecutionum, & refrigerij, belli & pacis; tanquam fluxu & refluxu exerceat? Facit enim hoc, ne putreſcamus in quiete, otio rebúſque ſecundis. At vt ad fluxum & refluxum, ordinauit Lunam Deus: ſic etiam ad nos in patientia exercendos, conſtituit Satanam, ſtellam quæ de cœlo cecidit, qui per ſua membra, Antichriſtos, Tyrannos, Hæreticos, impióſque omnes, exerceat perpetuò Eccleſiam. Ita res naturales, ſemper ad ſpirituales accommodari vtiliſſimè poſſunt.

Quæſtio, qua quærunt Philoſophi, quî fiat, quòd cùm omnes aquæ in Oceanum fluant: nunquam tamen exundet; ſuprà explicata eſt; dum reliquæ declararentur. Principio Deus ſtatuit terminos illis aquis, vt exundare nequeant: Prou. 8. *Quando legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Idem Iob. 26. & Pſal. 104. Et Ierem. 5. Deinde ſi cauſſas ſpectes ſecundas: ſi quid ingreditur in Oceanum: tantundem etiam egreditur: vnde Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare: & mare non redundat.* Modum explicat, quo id facit Deus: dicens, *Ad locum vnde exeunt, reuertuntur, vt iterum fluant.* Quid clarius?

Plura igitur non addam. Si quis plura videre cupiat, legat Plin. lib. 2. c. 65. & 66. Vbi de ſitu Oceani & rotunditate aquę, diſſerit. Item cap. 67. Vbi de nauigatione maris diſputat. Legatur & 68.

Cælius Rhodig. lection antiquarum lib. 14. à cap. 7. per aliquot capita, multas quæſtiones de mari eruditè explicat: & ſimul multa antiquorum ſcriptorum dicta explanat; qui hac de re ſcripta nobis reliquerunt.

CAPVT II.

De Fluminibus, Lacubus, Fontibus, thermis, aliiſque extra Oceanum aquis.

DIXIMVS de fonte omnium aquarum, Oceano; omnibúſque maribus Mediterraneis: Nunc de aliis aquis, dicendum eſt: quæ omnes, nomine fluminum ſignificatæ fuerunt à Salomone Eccleſ. 1.

Omnia flumina exeunt è mari, &c.

Tribus autem quæſtionibus totum hoc Dei opus, quod reuera mirabiliſſimum eſt, complectar, & abſoluam. Quarum prima eſt, de harum aquarum origine; altera de ipſarum generibus. Poſtrema de earundem vſibus, mirabilibúſque effectis.

QVÆSTIO I.

De origine omnium poſt Oceanum in terris aquarum, hoc eſt, vndénam aquæ fontium, fluuiorúmque, lacuum, & thermarum fluant, ortúmque ducant ſuum.

OMiſſis multis variiſque Philoſophorum ſententiis; præcipuas tantùm breuiter in medium proferam.

1 Plato in Phædone, ſuum Tartarum ſtatuit in medio terrę incluſum, hoc eſt, ingentem aquæ copiam: à qua tanquam è fonte, omnia maria, fontes, flumina, lacus: omnes denique reliquæ aquæ ortum ducant. Mihi dubium non eſt, quin nomine *Tartari* intellexerit Oceanum: qui per medium, terram cauam, vt ſuprà vidimus, cingit. Sic enim veri Platonici interpretantur: & vero ſimile eſt, quia (vt Iuſtinus teſtatur) legerat Moſen, & alia S. Biblia. Si res ita ſe habet: dubium non eſt, quin hęc Platonis ſententia, eadem ſit cum illa, quam Eccleſ. 1. tradit Salomon: dicendo, *Omnia flumina, à mari exeunt, &c.* Ariſtoteles tamen, hanc Platonis ſententiam in Meteor. lib. 2. vehementer damnat.

2. Ariſtoteles verò ipſe Platonem vehementer refellit; & contendit, omnia flumina è fontibus proficiſci: Fontes autem, tam in planicie, quàm in montibus, ex aëre per infinitos meatus ſub terram ingreſſo, & in aquam conuerſo, generari. Aër enim incluſus in locis ſubterraneis; propter illorum locorum frigiditatem, facilè calorem amittit: & ita in aquam vertitur, humidus cùm ſit. Huius autem ſuæ cogitationis hæc eſt ratio; quòd in montibus, quò (vt vult) non poſſunt aſcendere aquæ: ſed bene pleni ſunt aëre: plurimi generentur fontes. Vnde igitur fontes iſti, niſi ex aëre: qui perpetuò, in illos meatus terræ, & montium, ſine intermiſſione penetrat, & in aquam vertitur? Hæc eſt ſumma rationum Ariſtotelis de fontium & fluminum generatione. Ac quidam interpretes hoc addunt: quod ad rationem Ariſtotelis confirmãdam, & explicandam pertinet. Nempe ſicut aër, in tres diuiditur regiones, vt ſuprà viſum eſt: atque in ſecunda generantur pluuiæ: ſic etiam terram in tres ſecari partes. Primam, eſſe ſuperficiem hanc, quàm calcamus, fodimus, aramus, & ſupra quam deſcendunt pluuiæ. Tertiam eſſe loca circa centrum terræ cum ipſo centro. Et in hac nihil generari: quoniam vis ſolis eò vſque non penetret. Alteram verò ſeu ſecundam, eſſe ipſam mediam. Atque in hac generari metalla, lapides, aquas fontium, &c. Senec. lib. 3. Nat. Quæſt. c. 10. & alibi, addit ex aliis quoque Elementis vt ex terra, & igne, aquam generari: quòd in ſe inuicem tranſmutentur Elementa. Sunt qui velint fontes, generari ex pluuiis, hoc eſt, ex aquis Meteoricis, quas etiam Seneca vocat *aquas cæleſtes*. Id quod multis exemplis probare conantur. Omnes aliquid veri dicunt, ſed non totum explicant. Sola ſacra ſcriptura vno verbo principalem aquarum iſtarum originem exprimit: quum per Salomonem ait Eccleſ. 1. *Omnia flumina exeunt è mari: & in illud reuertuntur.* Neque tamen ſimpliciter falſa ſunt: quæ alij de aquarum origine dixerunt. Proinde noſtra hæc eſto

THESIS.

Sicut omnia maria Mediterranea, ab Oceano defluunt; ſic etiam omnes ferè reliquæ aquæ, ex eodem ortum habent: vel immediatè, vel mediatè.

DIxi, *ferè omnes*, propter illas, quæ ſub terra relictæ fuere de principio mundi: ſi quæ non fuerunt cum Oceano in eundem locum collectæ. Dixi verò, *vel immediatè* propter quædam flumina, quæ manifeſtè ex Oceano immediatè promanant: quanquam per ſecretos terræ meatus, in quibus etiam purgantur, ſalſedinémq; amittunt. Vti ſunt Ganges, Nilus, Tigris, Euphrates, &c. Quædam verò ſunt, hęque quàm plurimæ aquæ: quæ, licèt proximè & immediatè generari videntur aut ex aëre, vt Ariſtoteles docuit, aut etiã ex terra, vt Seneca vult, aut ex pluuia, vt Albertus contendit, tamen ſi omnia diligenter in ſua principia reſoluas, luculenter videbis, has quoque ab Oceano, primam ducere originem. Nam omnes vapores, qui in aërem aſcendunt, & in pluuias conuertuntur, ab Oceano, aut ab aquis, quæ ex Oceano apertè fluunt, vi ſolis eleuantur. Neq; aër vel in venis eſt terræ, vel in illas tranſit, qui non ſit cum aquis mixtus, & humectus. Imò etiam, ſi quæ initio Mundi, manſerunt in

venis terræ, illæ quoque talem habuerunt & habent cum Oceani aquis, quę per illas tranſeunt venas, coniunctionem: vt verè de omnibus ſimpliciter intelligi poſſit, & debeat Salomonis dictum, *Omnia flumina è mari exeunt*, &c. Fluunt enim hæ in illas, & illæ in has, & omnes redeunt ad mare, ita vt non multæ ſint aquæ, ſed vna, fluens ac refluens: quæ in mari, ſalſa eſt, ob cauſas antè dictas, in fontibus autem dulcis, quia inter tranſeundum per terræ meatus, purgatur à ſalſedine. Quare ſicut in humano corpore, totus ſanguis ab hepate (de Galeni, quæ vera eſt, ſententia) ad ſingula membra, per innumeras venas, quarum ceu truncus eſt vena caua, defluit: Sic ab Oceano per infinitos terræ meatus, quos venas etiam appellant, ad omnes terræ partes, aqua deriuatur. Alueus enim Oceani, videtur ineſſe in terra: ſicut caua vena in noſtro corpore. Ac de prima Quæſtione ſatis.

QVAESTIO II.

De generibus aquarum, noſtra hæc eſto

THESIS.

Etſi verò vna eſt aqua genere, pro diuerſis tamen ſitibus vbi continentur, & locorum, per quos tranſeunt qualitatibus: diuerſæ aquarum ſpecies conſtituuntur.

DIuerſitas ſituum & locorum efficit, vt aliæ ſint ſtagnantes, aliæ fluuiales, aliæ fontales, aliæ paluſtres, aliæ puteales, &c. Diuerſæ autem locorum per quos tranſeunt qualitates, efficiunt, vt aquarum alię ſint ſulphureæ, aliæ dulces, aliæ ſalſæ. Alię item calidę, aliæ frigidæ. aliæ item ſalubres, alię peſtilentes, aliæ coloratæ, aliæ ſine colore. Frigidæ enim ex locis lapidoſis fluunt; calidæ, per loca bituminis, aut ſulphuris plena, tranſeunt; Salſæ, per ſalſuginea, dulces per argilloſa. atque ita de reliquis: de quibus ſcripſit copioſè Plin. lib. 31. c. 2. & 3. Et Sen. Nat. Quæſt. lib 3. cap. 2. & deinceps: præſertim cap. 14. Quis verò queat enumerare omnia aquarum genera? Magna & admirabilis eſt Dei ſapientia in omnibus operibus ſuis. Incredibilis verò erga nos, ipſius bonitas: cùm hæc omnia noſtra cauſa effecerit, vt ſcilicet varios inde vſus capere poſſemus. Hinc ſequitur

QVAESTIO III.

De variis aquarum diuerſarum vſibus, admirandiſque effectis.

QVis verò aut mẽte concipere, aut verbis explicare queat magnos, multiplicéſq; vſus, quos Dominus ex aquis, nobis ſuppeditat? Experientia magis id nos docet quotidiana, quàm vt quis verbis exprimere poſſit. Præter iſtos tamen vſus quotidianos, ſine quibus vita animantium conſiſtere non poteſt, de aliis quoque, vt de medicinalibus, quàm plurimi conſcripti ſunt libri, à Medicis præſertim, quorum propriè officium eſt, quęnam ſint ſalubres aquę: & quę ad quemque morbum curandum valeant, & quæ non valeant, docere. Ad ipſos itaque breuitatis cauſſa, omnes ablego. Cæterùm præter hos vſus, qui ad noſtram ſalutem deſtinati ſunt, admirandi etiam effectus, quos variæ proferunt aquæ, conſiderandi ſunt: vt inde magis ac magis immenſa Dei ſapientia illuceſcat. Quorum mirabilium effectuum, partim reddi, partim non reddi poſſunt rationes. Hos breuiter attingam. Deinde ad eos, qui de iis ſcripſerunt aquæ miraculis, Lectorem mitto. Lacus quidam eſſe feruntur, in quibus ſi lignum defigas, illud in lapidem conuertitur, intra certum tempus: illudq; breue. Cardanus de ſimili lacu, in Hybernia, hiſtoriam recitat. Refert etiam iuxta Douernam amnem, antrum eſſe, in quod influens aqua in candidiſſimos lapides vertitur. Sunt alij fontes & lacus, in quibus enatant corpora denſa, vt lapides graues, & animalia ad natandum alioqui inepta, & ita vt ſubmergi nequeant: qualis eſſe ſcribitur apud Ariſtotelem, lacus, quem *mare mortuum* vocant: qui *Aſphaltites* dicitur: de quo Ioſephus etiam, & Seneca: pręter Plinium lib. 5. cap. 16. Nec deſunt, qui ab ouibus poti, pariunt in eis albam lanam, alij nigram. Sunt etiam, qui fœcundas reddunt fœminas: Et contrà, qui ſteriles. Sed de his aliiſve mirabilibus, quę in variis aquis partim ſpectata olim fuerunt, partim etiamnum viſuntur: legatur Plin. lib. 2. c. 103. cui titulus eſt, *miracula aquarum*. Et Seneca Nat. Quæſt. lib. 3. c. 25. Quædam etiam narrat noſtri temporis, Cardanus libro de rerum varietate primo, cap. 7.

In ſumma ſunt omnia Dei opera mirabilia, quia in ſumma ſapientia facta ſunt: ſed inter alia, hoc aquæ Elementum, admiratione ſumma dignum eſt. Ex aquis enim educti ſunt Cæli omnes, & aër ipſe atque ignis; vnde & omnia hæc שמים nomine appellantur: quaſi dicat, illic aquę. Aquarum collectio cauſſa eſt, vt terra aruerit, οἰκουμένη ſit facta, in qua & plantæ, & animalia viuant. Aquæ, cauſa ſunt omnium Meteororum. Tranſcendunt enim terram, aërémque, & ad ignem vſque perueniunt, exhalationes ex ipſis eductæ; inde deſcendunt, terram irrigant, refrigerant aërem, reficiunt animalia, vegetant plantas, æſtum mitigant: denique omnes terræ vires, quicquid auri, argenti, metallorum, margaritarum, rerúmq; pretioſarum in terra reperiri poteſt, totum ex aquis eſt. Ex iiſdem, non ſolùm piſces, ſed & aues, & reptiliũ multa genera, producta ſunt, vt in ſecundo die narrabit Moſes. Eſt igitur hoc inter opera Dei, admirandum, & verè diuinum opus. Quare mirum non eſt, quòd Deus hoc maximo Elemento, ſuam & maximam iram, & ſummam clementiam patefacere mundo voluerit. Iram quidem, quum diluuium immiſit, eóque ſcelera mundi grauiſſimè vltus eſt. Clementiam verò, quum Baptiſmum in aqua inſtituit, quo ſe nobis placatum eſſe, nóſque in ſuam gratiam recepiſſe propter Chriſtum, palàm teſtificatur. Qua de cauſſa, ſuum quoque Spiritum, per quem regeneramur: aquarum nomine, ſubinde in ſacris literis, ſignificare voluit.

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI PARTIS SECVNDÆ, LIBER QVINTVS.

DE TERRA AQVIS DETECTA: QVAE HEBRAICE היבשה, *Græcè οἰκουμένη appellatur, Latini ſimpliciter Terram & continentem vocant.*

CAPVT I.

EMersimus tandem ex aquis tam cœleſtibus, quàm terreſtribus: & peruenimus in terram continentem, atque aridam. Hæc igitur etiam eſt perluſtranda; & breuiter contemplanda.

De Terra quatenus Elementum eſt, dictum eſt antè. Nunc dicendum eſt de ea, quatenus eſt היבשה & οἰκουμένη.

Quatuor autem explicanda ſunt:

Primùm, quæ & quanta ſit hæc: היבשה: & cur tum hoc, tum οἰκουμένης nomine appelletur.

Deinde, quot, & quæ ſint principales eius partes, qualiſve ſitus atque figura. Ac proinde,

Tertio loco, an dentur Antipodes.

Poſtremò, quædam de eius natura: déque vſu, in quem nobis data ſuit aquis detecta, paucis attingam.

Ad primum quod attinet, hæc prima Theſis eſto:

THESIS I.

Tota illa terræ pars quæ aquis ita detecta eſt, vt aut ab animantibus terreſtribus inhabitari, aut ſaltẽ arboribus ac herbis plantari poſſit, οἰκουμένη appellatur: quanquam reuera latiùs patet nomen οἰκουμένης quàm aridæ.

AB οἰκουμένῃ enim non ſeparantur maria Mediterranea, ſicut ab Arida. Hinc apparet, omnes etiam Inſulas in mari

in mari: *Aridæ* nomine continetur, quanquam non ipſa maria. Sunt enim & ipſæ aquis detectæ, vt poſſint & habitari & plantari. Sic etiam Ariſtot. li. de Mundo ad Alexandrum docuit. Totam enim aridam in tellurem continentem, & in Inſulas diuiſit. Imò totum etiam continentem, inſulam eſſe dixit, propterea quòd in medio aquarum eſt cincta vndequaque ab Oceano ἡ δὲ σύμπασα οἰκουμένη (inquit) μία νῆσός ἐστι. Reliquas porrò Inſulas in duo ſecant genera, in magnū & paruum. *Aliæ (inquit) vaſtis circumfuſis maribus ſitæ ſunt. Aliæ paruæ, quæ cùm interno mari ſparſæ ſint, nobis ex omni numero extant.* Sic ille. Inter magnas & memoria dignas ponit, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, Cretam, Eubœam, Cyprum, Lesbum, Britanniam, hoc eſt, Angliam, cum Scotia. Minores Inſulas diuidit: aliæ (inquit) Sporades, aliæ Cyclades, aliæ diuerſis vocantur nominibus. Hæc de prima Theſi: Quænam ſit Arida terra. Nunc quanta ſit.

II.

Maxima quidem eſt in ſeſe terræ amplitudo: comparatione tamen totius orbis vix nonageſima ſexta milleſima pars eſt.

COntinentis latitudinem Ariſtoteles in libro de Mundo, ait, paulò minùs 40. millibus ſtad. patere. Longitudinem autem colligere, circiter 70. mil ſtad. Ambitus eſt Germanica milliaribus 5400. Diameter, 17.18. Totius terræ menſura, longitudo & latitudo, diligenter etiam à Plinio, ex eorum, qui ſummo ſtudio, & accurata ſcientia menſi olim fuerunt terram, iudicio: deſcribitur lib. 2. cap. 108. 109. Sic autem ibi continetur, vt in Theſi diximus. Qua ex re quanta ſit hominum inſania, qui pro palmo (vt ita dicam) terræ digladiantur, & pugnant, colligere licet.

III.

Neque ideo vocatur aut Arida, quod omnis penitus humoris expers ſit, aquiſve prorſus deſtituta: aut οἰκουμένη, quòd tota omnino habitetur: ſed quod ita aquis detecta & liberata ſit, vt vbique pedibus teri & habitari poſſit.

HAbet enim hæc היבשה arida ſuas domeſticas (vt ita loquar) aquas, quibus carere non poteſt: quod ſine aquis ſitéque humoribus, neque ipſa conſiſtere, & diu cohærere poſſit, neque aut metallis, aut lapidibus, aut herbis, aut plantis, aut animalibus, vſuis eſſe queat. Deus igitur, ſicut in noſtrum vſum, voluit terram hanc, aquis detegi, & fieri aridam, vt poſſit plantari, teri, habitari: ſic etiam in eorundem hominum, cauſſam, commodum, atque vtilitatem, voluit in ea multas eſſe aquas, tum ſubtus, & intus vbique: tum foris paſſim. Ideò licet arida propriè ea pars terræ ſit, quæ aquis detecta eſt, vt ſuprà declaratum eſt: ab οἰκουμένῃ tamen, non ſeparantur flumina, thermæ, lacus, fontes, putei. Ad Aridæ enim conſeruationem, & ad plantarum, animaliúmque vtilitatem: ſparſæ ea ſunt omnes hæ aquæ. Habet igitur arida ſuam ſemper humiditatem. Imò neque mare Mediterraneum ſeparat Ariſtoteles: ſed tantùm Oceanum. Quædam etiam terræ partes ſunt, quæ non inhabitantur, vt omnes fatentur de vltima zona ad polum Antarcticum. Interim tamen partes illæ, οἰκουμένης nomine continentur, & extra οἰκουμένην non ſunt. Poſſunt enim habitari: quanquam non ita commodè, vt aliæ partes. Atque hæc de prima quæſtione ſatis; quænam, & quanta ſit Arida, & οἰκουμένη, & cur ita appellata fuerit.

QVÆSTIO II.

De totius terræ habitabilis partitione, ſitu, ac forma.

THESIS I.

Tota οἰκουμένη, principio in duas ſecatur partes, in ſuperiorem & inferiorem οἰκουμένην.

OCeanus enim (vt ſuprà dictum eſt) totam terram, per medium, tanquam latiſſimus circulus, & ampliſſima faſcia cingit; ita vt vtrinque, infra & ſupra, appareat arida. Et ſic Dionyſius, ἐν γὰρ ἐκείνῳ (ὠκεανῷ) πᾶσα χθὼν ὡς ςανὸς ἀπείρατος ςεφάνωτο. In illo enim Oceano, omnis terra tanquam Inſula infinita coronatur. Duplex igitur οἰκουμένη, ſuperior & inferior. In vna nos ſumus, in altera Antipodes, de quibus poſtea dicemus.

II.

Tota etiam terra, vtraque ſcilicet οἰκουμένη, in quinque partes, quas zonas appellare ſecari ſolet.

HArum zonarum mediam, & duas extremas, quæ ad polos ſunt, veteres ſcriptores omnes dixerunt eſſe inhabitatas, & inhabitabiles. Mediam quidem, quam *torridam* vocant: propter immenſum æſtum, incredibiléme Solis ardorem. Duas verò extremas quas *Brumales* appellant, propter frigoris immenſitatem. Duas tandem inter extimas, & mediam poſitas, quas *temperatas Zonas* appellare conſueuerunt, eſſe habitabiles, & reipſa habitari. Et proinde has duas veram eſſe οἰκουμένην.

Cæterùm quàm vera ſint ea, quæ de media zona, déque extremis, tam diligenter ſcripta nobis reliquerunt antiqui Geographi, experientia ipſa declarat. Si quis enim inſpiciat Mappas in quibus ab illis qui noſtro tempore perluſtrarunt mundum, deſcribitur tota οἰκουμένη, videbit apertè & mediam optimè, & illam etiam quæ eſt ad Arcticum polum, commodè habitari. De illa quæ eſt ad Antarcticum, nondum ita apparet. Sed ſuo tempore apparebit; neque hanc aquis detectam à Deo fuiſſe fruſtra; ſed vt inhabitaretur. Venio nunc ad ſuperiorem, in qua nos ſumus, οἰκουμένην. Poſtea de altera dicemus. Tertia igitur Theſis.

III.

Hæc noſtra οἰκουμένη in tres principales partes diuiſa eſt: in Europam, Aſiam, & Africam.

SIc Plinius libro 3. partitus eſt; & formam etiam ac ſitum deſcripſit breuiter. Eius verba hæc ſunt ca. 1. *Terrarum orbis vniuerſus, in tres diuiditur partes: Europam, Aſiam, Africam. Origo ab Occaſu Solis, & Gaditano freto: qua irrumpens Oceanus Atlanticus: in maria interiora diffunditur. Hinc intranti dextra Africa eſt: Læua, Europa: inter has Aſia eſt. Termini, amnes Tanais, & Nilus.* Hæc Plinius. Quas partes tres orbis terrarum in ſequentibus capitibus & libris, diligentiſſimè perſecutus eſt, & exactè deſcripſit.

Hunc ſequutus eſt Ptolemæus, & alij. Sed ante hos omnes, Ariſtoteles in libro de Mundo ad Alexandrum eodem planè modo, totam hanc οἰκουμένην partitus eſt; & ſimul etiam breuiter, vbi ſit, & quibus finibus contineatur Europa, quibus Aſia, quibus Africa deſcribit.

Europa (inquit) *ea intelligitur, cuius fines, per ambitum conſtituuntur. Herculis columnæ. atque Ponti receſſus, & mare Hyrcanum. per quod terra anguſta in Pontum procurrit. Nonnulli poſt eandem terram anguſtam: Tanaim fluuium ſtatuerunt.*

Aſia, ab eadem terra anguſta. & mari Hyrcano, ad alteram anguſtam terram pertinet, quæ media inter ſinum Arabicum, & internum mare iacet: continetúrque ab eodem mari, & Oceano circumalluente. Non deſunt qui à Tanai, ad oſtia Nili, fines Aſiæ proferant.

Africa, ab anguſta Arabiæ terra, vſque ad columnas Herculis protenditur. Quidam à Nilo principium ſumendum cenſent. Et Ægypti partem, quæ Nili oſtiis circumflua eſt. quidam inferioris Aſiæ. quidam Africæ faciunt. Et alij eam pro inſignibus habent inſulis: alij ſemper finitimis contribuunt locis. Et mox concludit: *Terra mariſque natura & ſitus quem orbem terræ appellare conſueuimus: ita propoſitus ſit.* Hæc eſt ſumma deſcriptionis totius huiuſce οἰκουμένης ex Ariſtotele.

Atque hæc eſt recepta orbis partitio.

Non ignoro, quæ fuerit Varronis ſententia: qui Africam cum Europa coniunxit; & ita duas tantùm partes fecit huius orbis terræ. Idem alios feciſſe, indicat Plin. lib. 3. & Saluſtius in Iugurtha. Contrà alij, vt Silius Italicus, Africam coniungit cum Aſia. Sed hæc nihil ad nos. Deus certè diuiſam voluit in partes, totam habitabilem terram, propter varios populos, quos in ea habitare volebat, diuerſorum ab aliis populis, morum, homines. Et in hunc etiam finem, voluit ex Oceano, ab Oriente, Occidente & aliis partibus, aquas in terram aridam fluere, inque varios fundi ſinus: vt iis tanquam finibus, diuerſæ definirentur, & terminarentur prouinciæ. Atque hoc nobis ſatis eſſe debet: ac proinde in hac, quam videmus, mundi partitione, acquieſcere. Et ſua quiſque patria, contentus eſſe.

Voluit etiam Deus, non ſolùm in has tres, quas diximus, partes, totam hanc οἰκουμένην diſtribui; verùm etiam variis, diuerſiſque qualitatibus eas affici inter ſe, vt vna nobilior altera atque felicior eſſet.

IV.

Sunt autem hæ noſtræ οἰκουμένης partes, & ſpatij magnitudine, & ſoli feracitate, & Cæli bonitate, & qualitatibus aliis permultis, longè inter ſe inæquales.

QVæ ſit hæc inter has terræ partes differentia, quam noſtri tamen omnes eſſe quàm maximam, non eſſet quidem à noſtro officio alienum, demonſtrare: Effecta enim opera quæ ſunt Dei, quæ pro ſua incomprehenſibili ſapientia, non eadem vbique eſſe voluit. Et videmus Moſen quoque multùm deſcribere varias regiones, illarúmque inter ſe differentias non paucas. Quia tamen res fæct immenſi laboris, adde & inutilis, cùm hæc ab aliis, iiſque permultis ſcriptoribus, tam veteribus, quàm nouis, fusè & feliciter explicata fuerint: idcirco omnes, ad autores optimos remitto: ad Strabonem, & ad Plinium comprimis. Hoc tantùm dico:

Aſiam quidem longè ampliſſimam eſſe reliquarum duarum, ob [illegible] partem: quin etiam Africam, Europâ maiorem eſſe. Maximus enim & longiſſimus eius tractus, ſub Æthiopia ad Meridiem inuentus eſt.

Cæterùm, Europam, aliis Dei benedictionibus, omnium ſcriptorum conſenſu, nobiliſſimam feliciſſimámque omnium eſſe; ſiue cæli clementiam, ac temperamentum ſpectes, ſiue ſoli etiam fertilitatem. Quod ad ea attinet, quæ ad humanum victum neceſſaria ſunt, ſiue ædificiorum pulchritudinem; ſiue hominum multitudinem, eorundem tam in bello, quàm in literis excellentiam, & ad omnes virtutes, ingenij aptitudinem, &c. Proinde meritò Plinius ait, Europam, longè omnium pulcerrimam eſſe. Idem Strabo, & ſcriptores omnes tradiderunt. Hæc verò eò ſpectant, vt intelligamus, quantò plus nos debeamus Deo: quàm reliquæ Gentes: ſi ipſa etiam externa beneficia ſpectemus. Sed his accedit; quòd in eadem Europa, Chriſtus meliùs, quàm vllibi locorum agnoſcitur. Sed de his ſatis. Reſtat figura huius terræ, Strabo ait habere ſpeciem chlamydis. Sed quæ forma ſit chlamydis huius, de qua loquitur Strabo, ego neſcio. Nunc igitur à noſtra οἰκουμένῃ tranſeo ad alteram: de qua multa docere non poſſumus; quia pauca etiam de ea, ſcripta legimus: quippe in quam, non niſi noſtro tempore penetratum eſt: & qualis ſit regio, cognitum. Imò à pleriſque, atque illis quidem magnis viris penegatum fuit, ſubtus noſtram, οἰκουμένην aliam eſſe. Sequitur ergo

QVÆSTIO III.

De Antipodibus.

QVanquam ante noſtra tempora, neque vltra Oceanum nauigatum fuiſſe: neque in illam alteram οἰκουμένην perueniſſe quempiam legimus; tamen veteres Philoſophi, & Geographi, efficaciſſimis rationibus euicerunt, ex aduerſo huius terræ habitabilis, aliam eſſe terram, vltra Oceanum, aquis detectam, in qua ſint homines perinde atque hic; ita vt propter ſitum, illorum pedes noſtris oppoſiti ſint: quos hanc ob cauſſam *Antipodes* appellarunt. Ipſe etiam Cicero in libro de Republic. id apertiſſimè docuit: quanquam nemo in eum locum ſuo adhuc tempore penetrauerit: Ἀντίχθονας vocat. De iis prolixè etiam ſcribit Plin. lib. 2. c. 65. Etſi verò rationibus verè apodicticis demonſtratum fuerit ab illis, talem omnino reperiri regionem: tamen præter alios, bonus ille Lactantius Firmianus, Inſtit. ſuarum lib. 3. cap. 24. valde ſecurè & eleganter deriſit: deriſit inquam, quia nullam planè adfert rationem, qua vulgatam ſententiam refutet. Sed quod magis mirum, ipſe etiam Auguſtin vir alioqui doctiſſimus, & grauiſſimus Tom. 5. de ciuit. Dei, libr. 6. cap. 9. contendit, fieri nullo modo poſſe, vt homines inueniantur in tali loco, vbi aduerſa pedibus noſtris calcent (vtor eius verbis) veſtigia: & quibus oriatur Sol, quum nobis occidit: Et fabulas eſſe ait. Sentiebat & ipſe bonus Pater, Oceanum non cingere terram per medium, ſed ab hac parte ſuperiori, ceſſiſſe in inferiorem; ita vt non ſit niſi vna, hoc eſt, iſta noſtra pars terræ: aquis detecta. Verùm ſi videbatur illis abſurdum, dari Antipodas: quòd alioqui deciderent capitibus, aërem & Cælum verſus: cur non idem concludebant de aquis & terra. Nam hoc pacto, ipſæ etiam aquæ pendulæ ibi eſſent, verſus cælum. Cæterùm reipſa compertum eſt: ſicut dantur περίοικοι, ἄντοικοι ſic etiam inueniri, ἀντίχθονας, ſeu ἀντίποδας. Ac qualis ſit illa regio, ex maxima auri copia, quæ inde Philippo Hiſpaniarum Regi aduehitur: aliiſque rebus optimis, facilè intelligitur. Dubium autem non eſt, quin ſicut hæc noſtra οἰκουμένη, in quinque zonas cingitur; ſic etiam illa. Verùm quæ ſint primæ illius partes, & quibus terminis concludatur, cum aliis infinitis rebus: nondum ita nouimus; ſicut quæ de noſtra ſcribuntur. Theſis itaque noſtra eſt:

Negari nullo modo poteſt, quin vltra Oceanum, terra ſit aquis detecta, & inhabitata, quæ ex aduerſo, noſtræ reſpondeat: ita vt Sol cùm nobis occidit, illis oriatur: Et contrà.

COnfirmatione hic nulla opus eſt. Tantum diluendum eſt Auguſtini argumentum: quo ideo contendebat fieri non poſſe, vt dentur tales homines, in tali regione; quia ſequeretur, hoſce homines non fuiſſe ex Adamo progenitos. Qui enim progeniti ſunt ex Adamo, hos docet Moſes fuiſſe in hac οἰκουμένῃ, cis Oceanum, diſperſos, vt maximè patet ex familia Noæ poſt diluuium. Certè nullam vnquam mentionem fecit Moſes aut Prophetæ, huius alterius terræ: & horum Antipodum ſeu Ἀντιχθόνων. Hoc argumentum ita preſſit Auguſtinum: vt maluerit negare Antipodas, quàm fateri inueniri homines, qui non ſint ex Adamo progeniti. Et id quidem piè. Ego quoque idem feciſſem. Sed non vidit Pater, ad argumentum ita poſſe reſponderi, vt non cogamur vel Antipodes contra apertam veritatem, & ſenſum negare: vel etiam dare, homines vllos eſſe, qui ex Adamo progeniti non ſint. Argumentum enim tale erat:

Si dantur Antipodes: Homines ergo inueniuntur, qui non ſint ex Adamo.

Ratio: quia Genealogiam humani generis, & præſertim poſt diluuium: ita deſcribit Moſes: vt doceat ipſius Noæ filios, propagatos fuiſſe in hac οἰκουμένῃ, cis Oceanum: nullum autem demonſtret tranſiſſe Oceanum. Ergo nulli tranſierunt. Sed quis non videt, hanc rationem nullam eſſe: Etſi enim Moſes non narrat quempiam tranſiiſſe, non negat tamen idem fuiſſe factum, vel poſt futurum fuiſſe? Si enim noſtro tempore reperti ſunt, qui eo nauigarint, & ibi homines repererint: quidni potuerunt etiam ante hos, alij quoque aliis temporibus idem feciſſe, & ibi humanum genus propagaſſe? Imò hoc omnino neceſſarium eſt; cum ibi reperta ſint tot hominum millia. Moſis autem ſcopus, & propoſitum fuit cumprimis in ſua hiſtoria demonſtrare, quod fuerit initium Eccleſiæ, & quis progreſſus: ſicut apparet. Proinde, quod in alteram regionem quidam ex impiorum genere fuerint; non curauit illud in ſuam inſerere hiſtoriam. Quot ſunt in mundo, iíque ante etiam tempora Moſis; de quibus tamen Moſes nullam facit mentionem, vel Prophetæ, vel Apoſtoli? Laudanda igitur fuit in Auguſtino pietas: ſed quòd non viderit Paralogiſmum huius argumenti, probari hæc oſcitantia non poteſt. Quàm friuola autem ſit ratio Lactantij, & omnium, qui Antipodas negant: quis non videat? Si dentur Antipodes: (inquiunt) pendulos eſſe homines oportet: & ruere ipſos cum ſua terra, quam calcant, in inferiorem cœli partem. O fatuos homines. An non ſi duo homines ex monte aliquo altiſſimo deſcendant, vnus ab vna, alter ab altera parte; alter erit alteri ἄντοικος, & ferè ἀντίπους: Et vterque, alterius reſpectu, pendulus? Cur non recidit vterque in faciem Cæli? Sed longè aliter ſe res habet. Tam Antipodes, quàm nos, ſi ſimpliciter, & ad cœli terræque ſitum, conſiderentur, ſurſum habent capita, & pedes deorſum. Contrà tam nos, quam illi, comparatione & collatione vnius gentis ad alteram: pedes ſurſum habemus: & capita deorſum. Dicant obſecro, quæ cauſa eſt, cur tota terra non decidat Cælum verſus? Cælum enim eſſe rotundum, negari non poteſt. alioqui, quò tranſit Sol, quum nobis occidit, & mane altera ex parte nobis oritur? Si firma tamen manet terra & aqua, vt non decidant, cur non idem cogitant de hominibus, qui in ea vbique habitant? Inuentum eſt mare rotundum: vbique tamen nauigatur: neque naues decidunt in faciem Cæli. Omne enim graue terram verſus tendit: non verſus Cælum. Summa eſt ſtultitia, negare Antipodas.

QVÆSTIO IV.

De natura & vſu Terræ.

THESIS I.

Terra, mater omnium eſt, fœcundiſſima, optima, indefeſſa, patientiſſima, conſtantiſſima, fideliſſima, liberaliſſima: ac proinde talis, quæ omnium optimè, naturam ingeniúmque Dei nobis repræſentet.

MAtrem omnium voco: quoniam omnia ex ea, ortum habent. *Primùm*, omnia ſunt ex Chaos. Fundamentum autem Chaos, fuit Terra. Proinde Moſes illam primam materiam, vocauit terram תהו ובהו. *Secundò*, è terra progenitæ herbæ omnes, & plantæ: vt Moſes docet, 3. die. *Tertiò*, progenita animalia omnia terreſtria, vt in 5. die docet. *Quartò*, homines ipſi, è terra originem habent: vt docet in 6. Vnde & *Adam* ab *Adama* vocatus fuit. Et homo ab *humo*. Quia

mo. Quin & piſces & aues, quæ ex aquis prodierūt, matrem habent terram: A terra enim corpoream habent terrestremque ſubſtantiam. Proinde meritò [illegible] cap. 4. vocat *terram communem omnium matrem*. Norunt hæc etiam Gentes, ideò & ipſi poetæ ac Philoſophi matrem eam appellarunt: in hoc tamen improbandi: quod Terram, Deam fecerunt. Orpheus in hymnis.

[illegible]

Et Plato in Cratylo. [illegible] quaſi [illegible] autem eſſe [illegible], &c. [illegible]

Nec mater ſimplex eſt, ſed *mater fœcundiſſima*. Semper enim profert fructus, quaſi liberos, eóſque alit, nutrit, educat. In ſinu ſuo ſunt, quæ quotidie, nobis etiam non ſpectantibus gignuntur intus, in vtero. Metalla, lapides, ſuccos cōcretos, animalia ſubterranea, venios. Quę verò foràs quotidie prodeunt, quis queat mente concipere? Ideò meritò Orpheus, vocat terrā non ſolū matrem: ſed etiam [illegible], *omnium nutricem*: Et Homerus eam vocauit [illegible] fertilem & vitā præbentē [illegible] inquit Scholiaſtes) [illegible], eā vocauit: quòd multos, hoc eſt *omnes alat, atque educet*: Ideo etiam optimā eſſe [illegible] primùm, Quia quicquid gignit, bonum eſt. Vnde & Deus, quum vidiſſet e terra productas herbas & plantas & animalia, dixit hoc eſſe bonum. Quid nē terra [illegible] poſſit non eſſe bonum? Omnia enim ſuum cuíque bonum habent [illegible]. Meritò igitur propter bono [illegible] adtri, *optima mater* eſſe [illegible]. Deinde, quia nullum veræ matris officium omittit, gignit, alit, fouet, conſeruat, omnes [illegible] iniurias, non ceſſat benefacere, & prodeſſe omnibus adeo vt & mortuos, in ſe recipiat, &c. Vnde etiam apparet quàm amans ſit ſuorum fœtuum mater. Capit enim, hoc eſt, naturali [illegible] ſi [illegible] ſemper benefacere [illegible]. Ideo quidam inter Hebræos ארץ à verbo רצה *velle atque complacere*, deducunt: quòd ſe ſ. perpetuò velit atque percupiat benefacere. Ideo etiam *indeſſ[illegible]* eſſe dicimus: quòd nunquam deſinit, neque die neque nocte, benefacere, & prodeſſe omnibus. Quis verò eius *patientiam* [illegible] poſſit? Terra quotidie pedibus, calcatur, foditur, aratur, cōſpuitur, omni ſpurcitiarum & ſordium genere confœdatur, & nullis non iniuriis afficitur ab omnibus: interim ipſa ſine querela patitur [illegible] & loco iniuriarum, nō ceſſat beneficia in omnes conferre. *Conſtantiſſima* eſt in ſuo officio. neque ab eo finit ſe abduci propter quaſuis contumelias Stat, vbi eā Deus voluit eſſe ſemel. Permanet in officio, ſibi præſcripto. Nō ceſſat gignere, alere, nutrire, fouere, & quicquid habet boni, nobis ſuppeditare. *Fidelior* ea nemo eſt. Quicquid in eam ſeminaueris, illud fideliter nobis reddit. Si frumentū, frumētū. Si fabas, fabas. Si miliū, milium. [illegible] hoc eſt cum maximo lucro reddit. Aliis centuplum, aliis ſexageculplum, aliis trigeculplū, &c. [illegible] hoc eſt, *tribuens* [illegible] quòd etiam corpora noſtra, quæ nunc recipit in ſinum [illegible] ignominioſa, corruptibilia, infirma, reddet [illegible], incorruptibilia, fortia. Dat igitur nobis [illegible] terra ſe matre [illegible] omnia, veræ [illegible] nobis [illegible]. Sed hæc omnia facit, mandante Patre, qui eſt Deus, & ex eius etiam virtute.

THESIS II.

Non eſt autem terra talis per ſe, & ex ſe: ſed ex virtute Dei.

VT [illegible] D[illegible] creata eſt: ſic etiam quicquid habet [illegible] habet. Docebit hoc apertè mox, ipſe Moſes. Vnde enim habet, vt gerat [illegible] infinita herbarū genera? A Deo, qui dixit, *germinet terra herb. &c.* Proinde, vt hoc clarius pateret, [illegible] voluit eam, vbique eiuſdem eſſe virtutis, ſed alibi feraciorem, alibi ſterilem. Si autem talis eſſet ſua naturali virtute, quæ à ſe, [illegible] non [illegible] eſſet: vbique talem haberet virtutem. Hinc [illegible] terræ in Mundo differentiæ, & quaſi genera: [illegible] alia pinguis, alia macra ſit; alia ſterilis alia ferax; [illegible] alibi alij: non autem vbique omnibus. Quicquid igitur boni in terra eſt, totum illud Deo [illegible] acceptum ferendum.

Atque hæc [illegible] Quædam etiam de natura terræ habet Plinius lib. 2. ca. 63.

CAPVT II.

De plantis & ſtirpibus è terra productis, contextus Moſis explicatur à verſ. 11. vſque ad 14.

ET dixit Elohim, Germinet terra germē, herbā ſeminificantē, hoc eſt, producentē ſemen: arborem fructus (hoc eſt, fructiferam) facientem fructum iuxta ſpeciem ſuam: cuius ſemen in eo (ſit) ſuper terram. Et fuit ſic.

12. *Et protulit terra germen: herbam ſeminiſ. a[illegible] ſemen, iuxta ſpeciem ſuam, & arborem facientem fructum, cuius ſemen in eo iuxta ſpeciem ſuam. Et vidit Elohim, quod bonum.*

13. *Et fuit veſpera, & fuit mane. dies tertius.*

Verba omnia ſunt perſpicua: [illegible] notandum eſt: priori loco, diſcrimen inter דשא & עשב, דשא herba eſt in ipſo ortu, dum eſt [illegible] propriè *germen* [illegible].

At עשב eſt herba iam grandior: quæ producto iam ſemine adoleuit. Hinc colligitur terræ datam fuiſſe à Deo vim non ſolum proferendi herbas, & arbores, ſed etiam eas alendi, & ad maturitatem prouehendi.

2. Notandum eſt, ſingularia hæc pro pluralibus accipiēda eſſe. Non enim vnam tātùm herbam, aut herbæ ſpeciem iuſſit Deus generari e terra, ſed omnes, quæ ſunt in mundo. Poſtremo notandum eſt, verbo, *Germinet, & germinauit terra*, ſignificari non tam illam actionem, quæ tunc germinauit certas herbas [illegible] quam tunc Deus dedit terræ germinandi [illegible] finem vſque ſeculi. Id quod etiam infra in quinto die, intelligendum eſt, quum dicet Deus, *Producant aquæ reptile, &c.* Nunc ad ſummam venio.

Materiæ mundi, [illegible] principio, tres magni momenti qualitates: [illegible] confuſū Chaos, vim [illegible] varia [illegible] ferendi: *Erat enim terra* תהו *inanis*: Et ipſa [illegible] plantarum & animan[illegible] generis, quibus ornaretur. Erat enim תהו vaſtitas quædam inculta. Hactenus in præcedentibus verbis docuit Moſes ſublatam fuiſſe [illegible] confuſionem. Nam præterquam, quòd loco [illegible] pulſæ fuerint tenebræ, [illegible] accepit ſuis propriis formis, diſtincta [illegible] inter ſe ex illa confuſa materia. Primùm Cœli Ignis & Aer quæ Rachæ nomine ſignificata ſunt, [illegible] inter ſe diſtincti, & in ſuo quiſque loco collocati, vt ſuprà vidimus. Deinde aquas, in duas diuiſit partes. Quaſdam ſupra, ad firmamentum eſſe voluit, vt ex iis ad finem vſque Mundi, ſubinde generarentur meteora omnia, de quibus abunde [illegible] eſt: reliquam verò eſſe ſub firmamento. Tertiò has etiam aquas ſub firmamento erant, colligi voluit in vnum locum, vt terra iis aquis detecta, fieret & appareret arida, ſicut ante dictum eſt. Ita terra quoque fuit ab aquis diſtincta. Confuſione [illegible] verò, diſtinctionibus iſtis ſublata, multus ornatus mundo acceſſit: & verè [illegible] eſſe cœpit. Nunc itaque incipit explicare, quomodo reliquę etiam duæ imperfectiones [illegible] terra ſublatæ, inanitas ſeu vacuitas, [illegible] germinandi. Et informitas, quæ deſtituta erat [illegible] quibus poſtea vt deinceps narrat, [illegible] ornata. Narrat enim in hoc textu: primum traditam fuiſſe ab Elohim, virtute [illegible] terræ, proferendi plantas, eáſque a[illegible] maturitatem vſque fructuum fouendi, atque promouendi. [illegible] diſtinctè, iuxta vtrumque genus, ac ſpeciem [illegible] Natura. Deinde terram, dicto obedientem, [illegible] accepta ſtatim omne genus herbarū iam maturarum, & arborum perf[illegible] fructibúſque refertarum, [illegible] Et ita paulatim, terram cœpiſſe eſſe, & [illegible] ornatam Hæc eſt ſumma.

Eſt autē hic ordo Dei pulcherrimus in perficiēdis ſuis operibus diligenter nobis conſiderandus. Erat creaturus animalia, & poſtremò hominem, cui iſta animalia [illegible] voluit igitur illis locum in primis [illegible]. Hac de cauſſi, iuſſit ſecedere aquas: & apparere aridam. [illegible] quia tam animalia, quàm homines erant variis cibis [illegible] idcirco anteiquam alios creaſſet, proſpexit illis de alimentis, ex ipſa terra, nempe variis herbarum, & arborum fructuúmque ſpeciebus. Ex hoc [illegible] ordine, prouidentiæ diuinæ, duo colligenda [illegible] Vnum, [illegible] conderetur homo, [illegible] de loco vbi habitaret, & de remediis, [illegible] ſuſtentaret. Docet hoc apertè Moſes. Quòd ſi [illegible] pro ſua prouidentia in iis, quę ad corporalem [illegible] vitam per tinent, quantò magis in [illegible] æternam feciſſe credendū [illegible] Hoc eſt quod [illegible] Apoſtolus, [illegible] crearemur, natique eſſemus, præparatum nobis fuiſſe locum, vbi perpetuò viueremus. hoc eſt, cœlum, ſimúlque etiam quæcunque ad æternam illam, beatámque vitam neceſſaria ſunt. Quare ſumma iniuria [illegible] Deum qui de eius erga ſe beneuolētia, déque prouidentia, in vtroque vitæ genere dubitāt. Quaſi verò Deus qui omnia condidit noſtra cauſa, & qui antequā crearemur, parauit noſtro corpori, & locum, & cibos: non eadem cura, & diligentia [illegible] animæ. vbi in ſū-

piternum viuat, & quomodo viuat. Deinde, alterum colligendum eſt: Deum quod incepit opus, illud nunquam deſerturum, donec perficiat. Sic certè ſe geſſit in creando, & perficiendo Mundo hoc: quantò magis id facturus eſt in eo, cuius cauſa creatus eſt mundus: hoc eſt in homine? Hinc Apoſtolus collegit illud axioma Chriſtianum: *Quod incepit in vobis bonum opus, illud perficiet vſque in finem*. Hæc duo, obiter ex illo Dei ordine, collecta ſunto. Cæterùm, verba Moſis percurrenda ſunt. Et quæ de plantis dicenda ſunt: inde colligenda.

In verſ. 11. recitatur decretum, mandatúmque Dei de plantis producendis. In 12. mandati huius complementum. Ex vtroque autem colligitur, quicquid ferè de plantis dici poteſt. Et dixit, nempe eodem die tertio *ſimulatque congregatis aquis terra cœpit apparere arida*. Tunc inquam Deus dixit: *germinet terra* hoc eſt, iuſſit terram germinare herbas, & arbores. Docet igitur: Primò quidem ideò præter alias cauſas, voluiſſe Deum, terram aquis detegi, vt ſtirpes inde, herbæ nimirũ & arbores germinari poſſent. Ac proinde docet, locum herbis & arboribus, vel ſeminandis, vel plantandis idoneum: non eſſe, vel etiam terram aquis tectã, ſed terram aridam, hoc eſt, aquis deſuper deiectam, ſubtus tamen humectam, vt ſuprà diximus. Videmus hoc ita eſſe, cuius rei multiplex ratio reddi poteſt: quarum hæc vna non eſt poſtrema, quia omnis arbor & herba, firmo in loco fixa ſit ſuis radicibus oportet. Atqui inter Elementa, ſola terra, firma & ſolida eſt. Deinde ſimul etiam docet, Deum noluiſſe, vt terra iam idonea facta herbis, & arboribus germinandis, vnquã otiaretur: Ideò ſimul ac fuit aquis detecta, iuſſit eam germinare. Proinde videmus terram nunquam otiari, ſed ſemper aliquid germinare, etiam incultam.

3. *Dixit Deus Germinet terra, &c.* Hic primò duplicem plantarum ſeu ſtirpium efficientem habemus cauſſam: quarum prima eſt Elohim, ſuo verbo: hoc eſt, ſua voluntate, decreto, iuſſu. Altera eſt terra, quę vi germinandi à Deo accepta, re ipſa ſtirpes produxit. Sic enim verſu inſequenti, ait Moſes. *Et protulit terra germen*. Hæc cauſſa eſt proxima, & propria efficiens plantarum. Refelluntur hic duo hominum genera. Vnum eſt eorum, qui ita omnia attribuunt naturę, hoc eſt, cauſſis ſecundis: vt in productione rerum naturalium, Deum pro prima cauſſa non agnoſcant. Contra hos eſt Moſes, qui ait, Deum primum *dixiſſe*, id eſt, iuſſiſſe, vt terra germinaret. Deinde verò: *terram germinaſſe*. Sed quia multi fatentur Deum quidem initio mundi omnia condidiſſe, verùm poſtea permiſiſſe omnes cauſſas naturales, ſuos effectus producere, ipſum autem has non operari: Apoſtolus Moſis interpres docet, Deum, etiam nunc ſemper operari in cauſis ſecundis, quum ait, 1. Corint. *Deus operatur omnia in omnibus &c.* Et in actis. *In ipſo* (inquit) *viuimus, mouemur, & ſumus*. Chriſtus verò, ſe vnà cum Patre eſſe nunc Elohim, qui iuſſit terram germinare & qui omnia in omnibus operatur, apertè docet, dicendo: *Pater meus vſque nunc operatur: & ego operor, quia omnia operatur Pater, &c. Iohann. 5.* Et Apoſtolus de ipſo ait Hebr. 1 *Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ &c.* Falluntur ergo, qui à productione herbarum, & aliarum rerum naturalium, excludunt Elohim: hoc eſt, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. Contrà alij ſunt, qui prætextu glorificandi Dei, ita volunt eum immediatè & ſolum operari omnia in omnibus: vt ab affectuum naturalium productione, cauſſas excludant ſecundas, ac naturales. Eas enim nihil agere contendunt: ſed ſolum Deum. Quanquam ij etiam neque eiuſdem prorſus ſunt ſententiæ, neque iiſdem vtuntur rationibus: Omnes tamen actiones, ſubtrahunt cauſſis, quas vocamus ſecundas: ita vt contendant, verbi gratia, ignem non calefacere: ſed Deum, præſente igne: ita vt actio non ſit ignis, ſed Dei. Sed contra eſt Moſes qui non ait, *Deum germinaſſe herbam*: ſed dixiſſe, *Germinet terra herbam &c.* Terram autem germen protuliſſe. Docet enim, Deum vim dediſſe terræ germinandi, ita vt vis germinandi à Deo ſit: actio autem ipſa germinandi, ſit ipſius terræ. Et ſic infra idem docebit de luminaribus: de aquis & alijs: Vim lucendi, à Deo datam eſſe Soli & ſtellis, ſed actionem lucendi ſupra terram, eſſe Solis & ſtellarum propriam. Imò damus eandem actionem, à Deo eſſe, & ab agente naturali: ſed diuerſa ratione. Id quod in rebus etiam ſpiritualibus contingere: docens ſacræ literæ. Nos ſumus qui volumus, ſed Deus eſt qui operatur in nobis velle, vt Apoſtolus docet, *Non enim*, ait, *Deus eſt qui in nobis vult, ſed operatur velle*. Sicut neque Deus eſt, qui credit: *ſed qui efficit, vt credamus*. Idem igitur velle, à Deo eſt, & à nobis: ſed diuerſa ratione, atque diuerſis reſpectibus, vt ſuo explicabitur loco. Sic igitur retinendum eſt, cauſas ſecundas in effectuum naturalium productione: ſuas proprias habere actiones. Sic enim ait Moſes, *Et protulit terra herbam*: ſed Deum cauſſam eſſe primam in omnibus alijs cauſſis operandi, qui & cauſſas fecit, & vim operandi dedit, & ſimul eis operatur.

4. Ex hoc etiam contextu, hoc eſt, ex prima herbarum, & arborum frugiferarum cauſſa, quæ eſt Deus & ex tempore, quo illas à terra proferri iuſſit: apparet, quanta fuerit inſania tum Græcorum inprimis, tum deinde etiam Latinorũ Poëtarum de primo fructuum terræ inuętore. Tradunt primos homines, propter ignorationem frugum terræ virentes tantùm herbas eſitaſſe, deinde glandes, poſtremò beneficio Cereris, fruges fuiſſe hominibus conceſſas. (Ouidius Faſt. lib. 4. Et Virgil. Georg. lib. 1.) Et quidem in Attica primùm, opera neſcio cuius Triptolemi. Sed longè aliter docet Moſes: nempe, Deum, idque à principio Mundi, ante conditos homines, omnium terrę herbarum & frugum autorem fuiſſe. Ignorant hęc Ethnici: quia vetuſtiſſima, eaque certiſſima hac Moſis hiſtoria deſtituti ſunt. Ita verè in hos omnes quadrat illud Ægyptij ſacerdotis ad Solonem, ὦ Σόλων Σόλων ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε· γέρων δ᾽ ἕλλην οὐκ ἔστιν. Quicunque enim imperiti ſunt huius doctrinæ quæ vera tradit rerum omniũ principia: verè pueri ſunt, nihil quæ pertinent ve[ ]uſtatis. Meliùs certè Theophraſtus: qui neſcio quo modo nouit, ante animalium generationem, herbas & fruges omnes è terra ortas fuiſſe. Mira ſunt eius verba: [illegible] Vnde hæc obſecro accepit, niſi ex Moſe, vel ab illis qui Moſen legerunt? Moſes docet ante creationem animalium, terram ex iuſſu, & virtute Dei, protuliſſe arbores earúmque fruges. Idem tradit Theophraſtus. Moſes terrã dediſſe prius herbam: deinde arbores. Idẽ Theophraſtus. Illud tantùm non congruit cum Moſe, quod ait, multò ante arbores, terram dediſſe herbam, cum eodem die, tam vnum quàm alterum germinatum fuiſſe è terra doceat Moſes.

5. *Germinet terra, &c.* Quid dederit Deus terræ, hac voce, *germinet*: diſſentiunt nonnulli interpretes. Auguſtinus vult, ſolam virtutem producẽdi herbas, fuiſſe traditam terræ *Tom 3. de Gen ad Lit. lib. 5. cap 4.* Et ita etiam illud quod ſequitur ver. 12. *Et protulit terra herbam*: interpretatur, pro virtutem producendi accepiſſe. Ita negat re ipſa, productas tunc fuiſſe è terra, herbas & arbores. Et id confirmare conatur verbis Moſis, qui ait Geneſ. 2. *Iſta ſunt generationes cæli & terræ: quando creata ſunt in die, quo Deus fecit cœlum & terram: Et omne virgultum agri, antequam orireretur in terra, & omnem herbam regionis, priuſquam germinaret*, Examinat illud verbum Auguſtinus, *Omne virgultum agri, omnemque herbam factam fuiſſe à Deo, antequam orireretur in terra*. Itaque illud primũ intelligit de vi, quã initio Deus dedit terræ, germinandi ſcilicet herbam. Alterũ autem de ortu reali ipſarum plantarum. Itaque concludit in hæc verba: *Cauſaliter ergo tunc dictum, eſt produxiſſe terram, herbam & lignũ*: id eſt, producendi accepiſſe virtutem. Sed falſus fuit mala illorum verborum ex cap. 2. interpretatione. Quum enim ait Moſes, cap. 2. *Deum feciſſe omnem herbam, antequam orireretur in terra*. illo verbo (*antequã oriretur*) non negat Moſes, quod affirmauerat antea, nempe re ipſa, Deum feciſſe herbam: non autem tantùm virtutem eam germinandi, dediſſe terræ: ſed ait, *Deum creaſſe omnem herbam, antequam orìretur*. Eo nempe modo, quo iam ordinariè oritur: vt ſcil. Solis, & pluuia præcedente, ſed ſua ſolius virtute ac potentia creaſſe. Et hoc patet ex verbis quæ ibidem in 2. cap. ſubdit Moſes. Nondum enim pluerat Iehoua Elohim ſupra terram: nec quiſpiam erat, qui coleret eam. Iſtud autem nullam habet pugnantiam fuiſſe factam herbam antequam oriretur, quia facta intelligitur ſola Dei manu: antequam oriretur, non ſimpliciter ſed ordinariè, vt naturæ creatæ. Alij itaque interpretantur, hoc verbo, *Germinet terra, &c.* Deũ ſuo verbo effeciſſe, vt terra produxerit herbas & arbores perfectas, fructibus etiam onuſtas: Apertè enim ſubdit Moſes, *Et protulit terra herbam*, &c. *Et arborem facientem fructum* Non ait, *& accepit tantùm virtutem producendi*, ſed *protulit* (inquit) *herbam*: nec ſolùm teneram herban: דשא ſed etiam grandiorem, cum ſuo ſemine, עשב. Ergo maturam. *Et arborem facientem fructum*, &c. Ergo onuſtam fructibus. Duo itaque (vt ante diximus) hoc verbo, *Germinet terra*: dedit Deus terræ: Primùm quidem, vim producendi omne plantarum genus in finem vſque Mundi: Et hoc bene expreſſit Auguſtinus: quum dixit, *Terram accepiſſe virtutem producendi*: Deinde in huius rei apertum teſtimonium dedit, vt tunc confeſtim, re ipſa proferret herbas, & arbores.

Notandum præterea, quod ſcribit Moſes, Deum ſimpliciter, nulla præcedente terræ cultura, dixiſſe, *Germinet terra*: ipſam verò terram à nemine cultã, ſineque vllo ſemine

recepto,

recepto, protuliſſe herbas, & plantas, &c. Id quod diſertè expreſſum poſtea fuit in cap. 2. Atque hæc fuit ſingularis Dei benedictio, quod terra etiam non culta, ſponte proferret fructus. Deinde verò ſubdit, iuſſam fuiſſe terram proferre herbas, & arbores facientes ſemen. Quo innuit, Deum voluiſſe, vt deinceps ſemina illa è terra prolata, denuo in terram priùs cultam iacerentur, & inde eiuſdem ſpeciei herbæ & arbores naſcerentur. Id quod poſtea clarius expreſſit Deus quum poſuit hominem in Paradiſum, vt operaretur id eſt, vt coleret & cuſtodiret illum. Et lõge etiam apertius; quum poſt peccatum dixit Adæ. *Maledicta terra propter te, in labore comedes ex ea.*

Duos igitur hinc modos, quibus terra profert herbas & arbores colligimus: vnum, purè naturalem: alterum artificioſum. Naturalis eſt ſimpliciter, quum terra ſine vlla cultura aut ſatione ſponte germinat. Sicut etiamnum videmus multa herbarum & arborum genera, e terra minimè culta, ſponte germinari. Id quod veſtigium quoddam eſt illius primæuæ benedictioni. Artificioſus autem eſt, quo terra non niſi culta & iacta prius in ſe ſemente, germinat: Et quidem quæ germinat non culta, ſed ſponte & naturaliter: ea videtur liberaliùs fouere & nutrire, quàm quæ culta, & artificioſè laborata. Vnde illorum reſpectu terra vocata fuit ab Æſopo, *vera mater*, horum autem, *nouerca*.

E quibus duobus modis germinandi duo etiam herbarum & arborum genera deriuantur: *ſylueſtria* nimirum, & *domeſtica*.

8. Itẽ ex artificioſo modo, alia quoque efficiens cauſſa herbarum, & arborum colligitur: Hæc eſt homo. Is enim colit terram ſeminat, plantat, irrigat, quanquam incrementum dare & ſementes ad maturitatem perducere non poteſt. Eſt enim hoc ſolius Dei, primæ ſcilicet cauſſæ.

9. Notandum præterea, initio terram germinaſſe herbas & arbores, minimè à ſole adiutam (nondum enim creatus erat) neque etiam à pluuia (nondum enim vt ait 2. cap. pluerat) ſed ſola virtute huius verbi diuini, *Germinet terra. &c.* Qua ex re, concluſit Moſes in 2. cap. *Omnes herbas & plantas fuiſſe initio, à ſolo Deo, ſine vllius auxilio, creatas. Sicut etiam ſolus creauerat cælum & terram.* Quam etiã cauſſam eſſe docet Philo Iudæus: cur Deus poſt creationem plantarum crearit Solem, & alias ſtellas, non autem antè: vt ſcilicet refelleretur error Philoſophorum, qui dicturi erant, fieri nullo modo poſſe, vt ſine ſole germinet terra. Aliter certè ab initio Mundi factum fuiſſe, Moſes tradit. Poſtmodum tamen ad generationem plantarum, ordinauit Deus ſolem, & pluuiam. Itaque cum aliis cauſis efficientibus hæ duæ quoque ſunt coniungendæ, Sol inprimis & pluuiæ, quæ tamen in ſolius Dei manu atque arbitrio poſitæ ſunt, vt Chriſtus docuit. Matt. 6.

Addit quid voluerit germinari. *Germinet terra.* (inquit) *germen, herbam ſeminificantem ſemen, arborem frugiferam, facientem fructum iuxta ſpeciem ſuam: cuius ſemen in eo ſit.* Hic *primò* habemus genera plantarum duo: herbas & arbores: ſed cum iis de duobus extremis, medium etiam genus *ἀμφοτέρων* comprehenditur, nempe, frutices, qui neque herbæ ſunt, neque arbores, ſed medium quiddam. In his autem tribus generibus, omnes ſtirpium ſpecies continentur. Quid autem ſit herba, quid frutex, quid arbor, poſtea dicemus: quanquam nemo eſt, qui neſciat.

Secundò, habemus duas herbarum (vt ita loquar) ætates: prima eſt, quum adhuc tenera eſt, ſine ſemine, eóque pura herba. Hæc ſignificata fuit nomine דשא. Atque huic deſtinatum ferè eſt primum ver. Altera ætas, quum adoleuit, ita vt ſemen conceperit ſuæ ſpeciei. Hæc ſignificatur nomine, עשב Hoc contingit poſt ver, reliquo tempore, vſque ad autumnum, niſi autè colliguntur hæ herbæ, dum teneræ ſunt. Vnde etiam colligitur quid verbo Germinandi ſignificauerit Deus: nempe, *Germinare*, eſſe non ſolùm proferre herbas: ſed etiam illas fouere, alere, & ad maturitatem, atque faciendum ſemen, promouere: Et vim hæc omnia præſtandi, ſeſe dediſſe terræ, quum dixit, *Germinet terra, &c.*

Tertiò, Hinc habemus ex conſequenti, quot quæve ſint partes ordinariæ perfectæque germinationis, nempe, quatuor: Prima eſt conceptio ſtirpium in vtero terræ, è ſemine in eam iacto. Secunda. eſt generatio: qua terra conceptum fœtũ, in lucem profert, adhuc tenerũ Tertia, eſt educatio, qua fœtum ſuum alit, & ad maturitatẽ perducit. Ideo primò ait *germinet* דשא ſecundò עשב. Quarta, eſt in herbis quidem, ſeminificatio: Eò enim vſque adducit terra mater herbas, vt vnaquæque ſemen, ad ſuæ ſpeciei cõſeruationẽ generet, ideo dixit, *Germinet herbam, ſeminificantem ſemen iuxta ſpeciem ſuam* In arboribus autem quarta pars germinationis, eſt fructificatio. cum ſeminificatione ſimul, quum ſcilicet, eò vſque fouentur à terra, vt fructus generent, in quibus etiam ſemen ad ſui propagationem, ſpecieíque conſeruationem continetur. Ideo dixit, *Et arborem frugiferam, facientem fructum iuxta genus ſuum cuius ſemen in ipſo ſit, &c.* Hæ ſunt partes perfectæ germinationis.

Quartò, Hinc quoque colligimus duas herbarum ſpecies: vnum earum, quæ vſui nobis eſſe poſſunt, & eſſe debent, antequam ſemen concipiant, & pariant, vti communes herbæ, quibus quotidie vtimur, in acetariis & aliis eſculentis. Et hæ ſignificatæ ſunt nomine דשא. Et in iis continetur etiam fœnum, & omnes herbæ, quibus etiã bruta veſci vult Deus. Aliæ ſunt quas Deus vult adoleſcere, donec ſemen pariant, quòd alioqui nobis non ſint ita vſui. Tales ſunt illæ omnes, quarum ſemina ad victum noſtrum ſunt neceſſaria, vti frumentum, milium, fabæ, lentes, & id genus alia. Parum enim proſunt, ſi eas, dum adhuc herbæ ſunt teneræ, euellas. Has igitur vult Deus ſeruari, & à terra nutriri, donec ſemina ſua nobis neceſſaria, ſuppeditent. Has ſignificauit nomine עשב. Ideo de iis dixit, *Germinet terra herbam ſeminificantem &c.* De his duobus herbarum generibus ait Dauid Pſal. 104. *Qui facit germinare fœnum iumentis* (hoc eſt דשא) *& herbam ſeruituti hominum: vt educat panem de terra.* Hæc eſt ſeminificans.

Quintò, Docet præterea nullam eſſe plantam, in qua non ſit ſemen ſi non actu, ſaltem potentia. Ait enim de herbis: *Producat terra herbam ſeminificantem.* De arboribus: *Et arborem facientem fructum, cuius ſemen, &c.*

Sexto, diſcrimen quoque colligimus ex verbis Dei inter modum, quo herbæ, & quo arbores, ſemen ad ſui propagationem & ſpeciei conſeruationem, producunt. Herbæ proferunt ſemen in ſuis caulibus, ſine fructu. Arbores verò, in ſuis fructibus: vt manifeſtum eſt. Ideo de illis ſimpliciter dixit *Germinet terra herbam ſeminificãtem* De arboribus autem *Et arborem facientem fructũ: cuius ſemen in ipſo ſit.* Ceterùm ex vtriuſque generis ſtirpium ſemine, tria ad noſtrã ædificationem, & ſalutem pertinentia, obiter collegimus. *Vnum* eſt, omnes herbas & plantas eóque & nos cum illis, corruptioni eſſe obnoxios. Ideo enim Deus, voluit in vnaquaque re ſemen ad ſui in ſpecie conſeruationem, concipi & ingenerari. quia ſingulæ corruptioni obnoxiæ ſunt. Proinde quoties videmus alios generari, meminiſſe nos vult Deus, noſtræ corruptionis & mortis. *Alterum* eſt, Mundum, & ſingulas rerum ſpecies, etiam minimas & viles herbulas, à Deo amari, & ideo eas velle, per ipſarum ſemina propagari & conſeruari, idque in gratiam noſtram, quoti[...] cauſſa creata ſunt omnia. Ergo quoties videmus aliquid generari in Mundo, ſiue herbas, ſiue animalia: cogitemus quanta ſit Dei prouidentia, quantáque eius erga nos bonitas ac beneuolentia, quippe qui noſtra cauſſa, omnes rerum ſpecies conſeruat per propagationem. *Tertium* eſt, exemplar quoddam, & ceu ſpeculum reſurrectionis noſtræ glorioſæ ad æternam vitam ex mortuis. Videmus enim ex ſeminibus herbarum & arborum, nõ generari alias arbores, niſi in terram iacta, corrumpantur, tum demum inſtare tempus generationis cuiuſque herbæ, quum ſemen in terram iactum corruptum eſt. Tantum igitur abeſt, vt de vita noſtra deſperandum ſit, quum morimur, vt tum demum verè cõcipienda ſit certa ſpes reſurrectionis noſtræ. Simili hoc vſus eſt Apoſtolus ad Corint. & ante ipſum Chriſtus, quum dixit, *Niſi granum frumenti cadens in terram &c.* Adde & *quartum*: Vt teſtimonium diuinæ benedictionis eſt, quod ſemen in vnoquoque ad ſui in ſpecie conſeruationem inditum ſit, ſic maledictionis ſignum eſt, quum alicuius familiæ aut gentis nullum vult extare ſemen aut veſtigium. Hoc eſt enim penitus è Mundo exterminari.

Septimo, docet etiam Moſes, herbas, & plantas omnes, viuere, animáque præditas eſſe. Nihil enim nutriri, augeri, ſemen procreare, & tales fructus facere poteſt, in quibus etiã ſit ſemen ad alia eius generis procreanda, quod non ſit animatum. De herbis autem dixit: *Germinet terra herbam ſeminificantem, &c.* De arboribus verò: *arborem facientem fructum, cuius ſemen in ipſo ſit.*

Octauo, inde etiam colligitur de partibus ſtirpium: Omnes ſcilicet habere radicem, eamque in terra fixam, qua ceu ore, è terræ viſceribus quaſi ex vberibus ſuccum ceu lac ſugunt, quo nutriuntur, augentur & prolixæ fiunt. Hoc docet, quum nominat עשב quum ait, *ſeminificantem*: quum de arboribus ait *facientem, cuius ſemen, &c.* Vbi autem radix eſt, ceu os, ibi etiam truncus ſit ceu venter: & rami, vt in arboribus, aut folia, & noduli quidam, vt in herbis, ceu brachia, crura, tibiæ & pedes neceſſe eſt. Ita etiam partes plantarum indicauit Moſes, paucis verbis Quare magnam ſimilitudinem oſtendit, quæ eſt inter plantas, & animalia.

Nonò, illa quoque particula, *iuxta ſpeciem vel genus ſuum*

docet generationem plantarum, alterius eſſe, illiúſque nobilioris generis, quàm ſit Elementorum, aut Meteororum. Elementa enim generantur ex ſe inuicem. Ex eadem materia, multa ſpecie diuerſa generantur: Plantæ autem non generantur, niſi ex ſemine ſuæ ſpeciei. Proinde ex milio non naſcitur triticum, ſed milium. Neque ex vitibus, ficus, ſed vuæ: & ita de reliquis. Itaque tam in fructuum, quàm in ipſarū plantarum generatione, noluit ſemina ſpecierum cōfundi: vt ex ſemine canis, generari poſſit homo, aut contra. Aut ex ſemine pi[illegible], generari triticum, &c. Sed vnumquodque ex ſemine ſuo, iuxta ſpeciem ſuam. Atque hoc eſt vnum è proprijs plantarum, commune etiam animalibus.

De nono, illud quoque docet Moſes, nempe, initio arbores fuiſſe è terra genitas, perfectas, fructibúſque onuſtas ſicut in autumno iam ſunt. Hoc patet primùm ex verbis Domini.

Germinet terra, arborem facientem fructum. Deinde ex verbis Moſis dicentis, *Et protulit terra arborem facientem fructum, &c.* Omnia enim opera Dei, die ſexto inuenta fuerunt perfecta. Ergo arbores perfectæ creatæ, & cum ſuis fructibus. Id quod confirmatur Argumento à ſimili. Nam etiam animalia, tam aquatilia, vt piſces ex aquis, quàm terreſtria, ex terra producta fuerunt perfecta, vt narrat Moſes. Neque Adamum creauit puerum, ſed perfectum hominē, &c. Sic igitur etiam plantas. Proinde diſcrimen hic notandum eſt, inter Deum creantem naturam: & naturam ſecundam. Deus perfecta fecit opera. Natura verò, ab imperfecto, ad perfectum ſemper procedit. Ideo initio prius fuit gallina quàm ouum, vt vulgo etiam dici ſolet.

Vndecimo, illud verò obiter obſeruandum: quòd ſicut ſexto die, animalia bruta, & homines creati fuerunt: ſic etiam vtriſque, de cibis proſpectum fuit tertio die. Et primò brutis, de herbis, deinde hominibus, de fructibus arborum: quia priùs etiam creatæ fuerunt beſtiæ, quàm homo. Eundem ordinem nunc etiam ſeruari videmus in Natura. Priùs enim cuiúſque naſcuntur herbæ, quàm [illegible] fructúſque arborum.

Duodecimò: Neque illud prætereundum eſt, quòd Deus ab herbis non exigit vt faciant fructum, ſed tantùm ſemē, ab arboribus autem vtrumque, dicendo, *producat herbam ſeminificantem, & arborem &c.* Et ſemen quidem in primis propter ſpeciei conſeruationem eſt ordinatum: fructus autem propter vſum humanum. Herbas igitur & fructus arborum præparauit nobis in eſum. Hoc Gen. 1. expreſſit dicendo: *Ecce dedi vobis omnem eſcā, & omne lignum ad veſcendum, &c.* Quanquam multarum etiam herbarum ſemina, in cibum nobis ordinata ſunt, vt ſemen frumenti, omniúmque leguminum. Sed hic quæritur, an forte arbores quæ fructum non adferunt, creatæ non ſint à Deo è terra: quia dixit tantū, *Producat arborem fructus, fructus facientē, &* nulla mentione facta infrugiferarum. Reſpondeo, frequentes eſſe in ſcripturis Synecdochas. Etſi igitur nominauit tantùm *arbores, quæ faciunt fructum,* quippe quæ infrugiferis ſunt præſtantiores & homini vtiliores: arbores tamen ſteriles, & infrugiferas, non excluſit. *Domini enim eſt terra: & plenitudo eius.* Nam neque mentio fit fruticum, ſed tantùm herbarum, & arborum. Quis tamen dicat, hos non eſſe à Deo è terra productos? Habent tamē omnes arbores, etiam quæ non adferunt fructum, ſuum vſum, qui homini, eſt inſtar fructus. Sunt enim multarum arborum folia, cortices, ligna, radices, mortalibus ad multos vſus vt ad medicinas vtiliora, quàm multarum aliarum fructus. Hæc igitur omnia inſtar fructuum ſunt homini.

Decimotertiò Item ex illis verbis, *tam de herbis, quàm de plantis, iuxta genus ſuum* למינו & למינהו docemur, non vnam tantùm vel herbarum, vel arborum ſpeciem eſſe, ſed permultas. Quot autem ſint & quænam illæ, quis queat explicare, aut etiam cognoſcere? De multis tamē, ſingula, eorumque vſibus, ſcripſerunt [illegible] libr. 12. vſque ad 18. Theophr. quoque & Dioſcorides doctiſſimè ac diligentiſſimè. Sed omnium optimè Solomon, vt legimus in libro Regum: ſed talibus eius libris caret Eccleſia, vitio & culpa hominum, &c.

Decimoquartò & poſtremò, ex eo quòd ait Moſes, *Deum vbi voluiſſet è terra progerminare ſuas herbas, & arbores:* dixiſſe, *Hoc* (ſi licet ita loqui) *eſſe bonum,* apertè colligimus nullam eſſe in terra herbam, nullum fruticem, nullam ve arborem quæ non ſit bona: ita vt etiam venenatæ, bonæ ſint. Habent enim vſus ſalutares: cum vnum venenum altero contrarium [illegible] aliquos habent vſus, quos non ignoramus. Atque ex Moſe hæc obſeruata de plantis ſunto. Sequitur

CAPVT III.

Locus communis de Plantis ſeu ſtirpibus.

VIdimus ex verbis Moſis, omnia ferè indicari quæ de plantis dici poſſint. Nunc breuem doctrinæ de ſtirpibus ſummam, methodo Philoſophica propono, Theſibus diſtinctam.

THESIS I.

Plantæ, compoſita corpora ſunt, eáque perfecta.

CVm enim omne corpus, aut ſimplex ſit, vt quatuor Elementa: aut ex ſimplicibus compoſitum, vt reliqua omnia, quæ elementata vocari ſolent: Compoſitorum autem alia ſint imperfecta, vt Meteora tam ignita, & aërea, quam aquea: alia verò perfecta: vt Metalla, lapides, alia: plantæ etiam inter perfecta corpora connumerentur neceſſe eſt. Vnaquæque enim planta, partibus omnibus naturalibus ex commodis conſtat. Quod autem tale eſt, perfectum corpus eſſe definitur.

II.

Corporum porrò perfectorum genera ſunt quatuor: quorum tamen vnum altero perfectius eſt.

IſTa ſunt Metalla primum, omniáque foſſilia, deinde ſtirpes ſeu plantæ: tertiò animalia: poſtremò media inter hæc, *Zoophyta.* De iis omnibus Moſes ordine ſcripſit: vt patet. De primo genere dictum eſt. De altero iam dicere cœpimus. De aliis deinceps.

III.

Planta, quæ φυτὸν Græcis dicitur, corpus eſt nō tantùm perfectum, ſed etiam animatum, licet ſenſu carens, è terra, vi verbi diuini naſcens, éque terra alimentum capiens, atque vireſcens: in multiplicem vſum animalium, à Deo ordinatum.

SVnt omnia hæc perſpicua. At quum damus illis *animam:* non niſi vegetatiuam intelligimus, qua aluntur, augentur, viuunt. Senſibus carent: quia non ſunt illis neceſſarij.

IV.

Etſi verò omnes plantæ conſtant, vt reliqua etiam mixta, calido & humido, frigido & ſicco, abundant tamen ipſæ magis, quam vel foſſilia, vel animalia, humido: quanquam hæc in ipſis etiam plantis, inæqualiter habent.

NAm pro mixtione cuiuſque plantæ varia, varij etiam gradus in eis, harum quatuor qualitatum conſtituuntur, & deprehenſi fuerunt à Medicis. Primus eſt, quum calor, humor, ſiccitas, frigiditas, vix ſenſu percipi poſſunt. Secundus, quum eædem qualitates, ſenſibiliter percipiuntur. Tertius, quum manifeſtiùs, & efficaciùs. Quartus, quum illæ mirabilem vim exerunt.

V.

Neque minus, quàm animalia, ſuam habent attractricem facultatem, retentricem, alteratricem, expultricem.

HAs facultates dedit illis Deus, quia ad ſui conſeruationem, opus habebant. Attractricem quidem, vt ea poſſint alimentum è terra, ad ſe trahere. Retentricem verò, vt attractum alimentum retineant. Alteratricem autem, vt attractum, in ſui ſubſtantiam commutent. Denique, expultricem, qua partes alimenti non coctas, hoc eſt, excrementa egerere queant.

V I.

Quin & in commodo alimento ſibi capiendo, neſcio quid voluptatis: in contrario autem percipiendo, neſcio quid triſtitiæ, & doloris, præ ſe ferre videntur.

VIdemus enim eas modo ſe demittere, modò erigere, modò pallere, modò virere, quaſi vel lugeant propter malum nutrimentum, vel propter bonum rideant. Vnde & prata ridere dicuntur, & lætæ ſegetes, & quodam igitur modo percipiunt commoda, & incommoda.

VII.

VII.

Generantur autem in terra humecta, ex ſuo quæque ſemine (hoc eſt, ſuæ ſpeciei) calido, & humido, vt tum humecta terra, tum Solis & Lunæ in ſemen agente.

OMne enim ſemen, ſiue animalium ſiue plantarum: humidum eſt, & calidum. Dum verò, ipſa agunt, & Sol ſuo calore, & Luna ac terra, ſua humiditate: in eo, partim emolleſcere, partim intumeſcere, generatur germē: quod poſteaquam adoleuit ſatis, & firmius eſt factum, parte ſuperiori ſeminis fracta, erumpit aſcenditque paulatim per terræ meatus; donec è terræ vtero naſcatur: partibus aerea atque etiam ignea, quæ in ipſo ſunt, illud ſurſum pellentibus: manu tamen Dei per has cauſas ſecundas, tanquam per inſtrumenta, omnia operante. Hic eſt ordinarius naturæ iſque generationis plantarum omnium ordo & modus.

VIII.

Porrò, ſicut omnia animalia ſua habent membra quibus conſtant & viuunt: Sic etiam omnes ſtirpes, ſuas habent partes, quaſi membra, quibus propter animam, qua viuunt, & propter alimentum quod attrahunt, ac concoquunt, carere non poſſunt.

HÆ autem in herbis quidem radix, caulis, & herbæ folia: in arboribus autem radix, caudex, & rami. Radix illis eſt, vt caput & os in animali: illa enim capiunt attrahúntq; nutrimentum. Caulis, & truncus ſeu caudex, inſtar corporis ſeu ventris eſt, in quem trancitur alimentum. Folia herbarum, & rami arborum, ceu membra ſunt corporis reliqua; brachia ſcilicet & crura ac tibiæ: quibus communicatur alimentum. Nec deſunt noduli, qui ſunt inſtar articulorum: nec ſurculi, qui in plantis ſunt, vt digiti in animalibus. In omnibus quoque fibræ ſunt, non minus quàm in animalibus per quas in totum corpus, ſinguláque membra, diſtribuitur alimentum. Itaque plantæ, etſi vera animalia non ſunt; animalibus tamen quàm ſimillimæ eſſe videntur: niſi quòd ſenſu carent, & locali motu. Quin ſicut omne animal ſuum habeat corium & cutem, ſic omnis planta ſuum corticem.

IX.

Habent præterea plantæ omnes, & ſua excrementa: & ſua ſemina.

QVod enim aliud, ſine excrementis eſſe non poteſt, cùm excrementum nil aliud ſit, quàm pars alimenti, quæ concoqui non potuit. Omni etiam viuenti ex Dei ordinatione, ſuæ ſpeciei inditum eſt ſemen, quod ex ipſo quoque alimento generatur. Semen enim alimenti ſuperfluum, eſt ad generationem ordinatum. Ita vitæ ſemina in ſingulis ſunt viuentibus. O magnam Dei ſapientiam & bonitatem!

X.

Habent etiam plantæ omnes, non minus quàm animalia, ſuam adoleſcentiam, iuuentam, & ſenectam, & vt viuunt, ſic etiam moriuntur.

ATque hæc communia ſunt plantarum omnium.

XI.

Porrò plantarum tria prima ſunt genera: herbæ, frutices, arbores.

HErba ſtirps ſeu planta eſt, quæ radice in terram defixa, & caule aſſurgens, foliiſque quaſi ramulis diſtincta; alimento è terra percepto, & per tenuiſſimas fibras in omnes partes diſtributo, viuit ad gloriam Dei, & animantium vſum.

Frutex, ſtirps eſt ramoſa, quæ radice itidem in terram fixa, & multiplici caudice aſſurgens: alimento à terra percepto, & per fibras vbique communicato, viuit ad gloriam Dei & animantium vſum. Vt roſæ ſunt, & iunci.

Arbor, ſtirps eſt, quæ radicibus in terram defixis, ſimplici ſed firmiore caudice aſſurgens, & ramis ſurculiſque diſtincta: Eodem, quo & herbæ atque frutices, nutritur, ac viuit, ad gloriam Dei, & ad animalium ſalutem, foliáque ſuo tempore, & fructus etiam, ſi frugifera ſit, profert.

XII.

Singulorum autem generum, innumerabiles ſunt ſpecies, quæ propè ab innumerabilibus etiam differentiis ſumuntur.

SPecies quidem differentes, à diuerſis formis conſtituuntur: ſed formarum differentiæ, non facilè per ſe agnoſcuntur, ſed tantùm à rebus externis, vt à viribus, à foliis, ab odoribus, ſaporibus, coloribus differentibus, aliiſque accidentibus, quæ Deus voluit eſſe innumera: quo magis ſuam declararet potentiam, atque ſapientiam. Quin & à regionibus vbi naſcantur, ſpecies differentes ſumuntur. Proinde, aliæ ſunt *Orientales*, aliæ *Occidentales*. A Modis item diuerſis, quibus naſcuntur. Aliæ enim naturaliter, & ſponte è terra proferuntur, aliæ non niſi arte humana plantantur, aut ſeruntur. Proinde aliæ ſunt ſylueſtres, aliæ vrbanæ, ſeu domeſticæ, &c. A locis item, vbi naſcuntur. Aliæ enim in montibus, aliæ in paludibus, aliæ ad mare, aliæ ad flumina; aliæ in agris, aliæ in hortis. Proinde aliæ ſunt montanæ, aliæ paluſtres, aliæ fluuiatiles, aliæ marinæ, aliæ agreſtes, aliæ hortenſes. A ſterilitate, vel fertilitate. Aliæ enim ſunt frugiferæ, aliæ ſteriles, & infrugiferæ. Ab vſu. Aliæ enim ad medicamenta tantùm valent, aliæ ad alenda corpora, aliæ ad voluptatem duntaxat faciunt. Itaque aliæ ſunt medicinales, aliæ voluptariæ. Et denique prout diuerſi ſunt vſus, ſic multæ herbarum ſpecies inueniri ſolent. Quis verò omnes, omnium herbarum, fruticum, arborum cognoſcat vſus, ad quos ordinatæ ſunt à Deo?

XIII.

Vt igitur innumerabiles ſunt arborum, fruticum, & herbarum ſpecies: ſic infiniti ſunt, & incomprehenſibiles, earundem vſus, ad quos a Deo creatæ ſunt.

PRimus tamen vſus fuit, vt eſſent in cibum cum aliis animantibus: tum maximè hominibus. De hoc Geneſ. 1. verſ. 19. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & omnem arborem, erit vobis in cibum.* Sic in Paradiſo, *comedes de omni ligno.* Hæc fuit prima humani victus ratio: ſimplex ſcilicet, herbarum, & fructuum ex arboribus decerptorum vſus, & eſus. Sed quot quantique ſunt alij, qui arte adhibita, inde profecti ſunt? Vnde enim omnia eſculentorum genera: quàm ex herbis & arboribus? Nam non ſolùm inde panis, & olera, & oleum, aliáque id genus infinita, quæ manifeſtè ab herbis, & arboribus, nobis ſuppeditantur: Verùm etiam carnes, caſeum, butyrum, magna ex parte, herbis accepta ferre debemus. Niſi enim iis veſcerentur animalia, vnde obſecro nobis illa? Quin, excepta aqua, vinum quoque, & omne genus poculentorum, ex eodem profluit fonte. Vnde verò, cinnamomum, zingiber, piper, caryophylla, ſaccarum, & alia infinita, pretio atque aromata: niſi ex hoc tertio diei opere, herbis ſcilicet, & arboribus? Primus igitur vſus fuit, vt infinitis modis, nobis eſſent in cibos.

Acceſſit deinde duplex alius, ſed duarum ſpecialium arborum vſus: de quo in Geneſ. cap. 2. Vnius, vt eſſet homini perpetuum monumentum æternæ vitæ, ſi in obſequio Dei perſtitiſſet. Alterius verò fuit, vt inde ſuæ conditionis meminiſſet homo, ne ſcilicet inſoleſceret, & vellet plus, quàm debebat, ſupra verbum Dei ſapere. Propterea vocata fuit *arbor ſcientiæ boni & mali.* Quanquam ea deinde abuſus eſt Diabolus ad peccatum in mundum inducendum. Sed generalis *alter* omnium plantarum vſus fuit, vt eſſent homini oblectamento. Ideò Geneſ. 2. ait Moſes, *Deum germinare feciſſe è terra omnem herbam, & arborem, non ſolùm ſuauem ad edendum, ſed etiam delectabilem viſu.* Proinde hæc etiam honeſta voluptas ex Deo eſt. Acceſſit deinde *vſus medicinalis*, ad curanda ſcilicet corpora. Qui quàm magnus ſit & neceſſarius, norunt cumprimis Medici. Et in hunc optimum finem, omnes conſcripſerunt libros de plantis: Galenus, Dioſcorides, Plinius, & alij. Sed ne minimam quidem partem nouerunt ipſi, aut ſcripto aliis tradiderunt, earum virium, quas Dominus tradidit plantis. *Quartum* vſum docuit Deus Noam: nempe, vt ex ligno aſſeribuſque arborum conficeret arcam, in qua humanum genus ſeruaretur. Inde *Quintus*, quòd etiam ædificandis ædibus inſeruiunt, & Deus voluit lignis vti ad tabernaculum conficiendum, & ad templi extructionem. *Quid*, quòd ſine arboribus, ſeruari apud nos ignis vix poteſt? Quid verò humana vita ſine igne? Sed omiſſis aliis omnibus, *ille vnicus* & ſingularis ſatis eſt ad agnoſcendam arborum vtilitatem, imò neceſſitatem, nempe quòd ſicut ex arbore peccatum & mors: Sic etiam ex arbore iuſtitia & vita profluxit: dum in ligno Deus ipſe pati, & mori pro nobis voluit. Cui honor & gloria.

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI PARTIS SECVNDÆ, LIBER SEXTVS.

DE OPERE QVARTAE DIEI, HOC EST DE LVMInaribus Cæli, Sole, Luna, Planetis, Stellis, &c.

CAPVT I.

Contextus Moſis explicatur, v. 14.

E*T dixit Elohim, ſint luminaria in expanſione, (rachiam) cœlorum, ad diuidendum inter diem, & inter noctem: & ſint in ſigna, in tempora, & in dies, & annos.*

15. *Et ſint luminaria in expanſione cœlorũ ad illuminandum ſuper terrã. Et fuit ita.*

16. *Et fecit Elohim duo luminaria magna: luminare magnum ad dominium diei, & luminare paruum, in dominium noctis, & ſtellas.*

27. *Et poſuit ea Elohim in expanſione cœlorum, ad illuminandum ſuper terram.*

18. *Et ad dominandum in diem, & in noctem*, (vel in die, & nocte:) *& ad diuidendum inter lucem, & inter tenebras. Et vidit Elohim quòd bonum.*

19. *Et fuit veſpera, & fuit mane, dies quartus.*

Poſteaquam narrauit Moſes, quo pacto Elohim terram, iam ab aquis diſtinctam atque detectam, ornaſſet, omni ſcilicet herbarum, & arborum genere, virtutémque ei, ſemper tales & herbas, & arbores germinandi, dediſſet, idque (vt explicatum eſt) in vſum animalium, id quod tertiò die factum fuit. Nunc docet, quo pacto, & quoto die, cœlos etiam ornauerit. Sole nimirum in eis & Luna inprimis, deinde ſtellis quoque reliquis omnibus, & Planetis, creatis & collocatis, idque ad multiplicem humani generis vtilitatem. Hoc eſt argumentum huius Contextus.

Duo itaque præcipua capita continet: Primùm, creationem Solis, Lunæ, omnium Planetarum, ſtellarúmque fixarum: quónam pacto Deus iuſſerit hæc omnia fieri in cœlis: & iubendo fecerit, inque ſuo quódque cœlo collocârit atque firmârit. Alterum, cõtinet vſus, in quos creata, in cœlis firmata, ordinatáque ſint omnia hæc aſtra, atque inprimis Sol & Luna. Sunt autem quinque in verbis Moſis expreſſi vſus ac fines.

Primus iuxta ordinem contextus eſt, vt Sol, & Luna, diſtinguant diem à nocte, eóque lucem à tenebris: atque ita ille in diem, hæc altera cum aliis ſtellis in noctem imperium habeat, hunc habemus in verſ. 14. 16. 18.

Alter, vt ſint nobis ſigna multarum rerum, tum ad præſentem, tum etiam ad futuram vitam pertinentium: hoc verſ. 14.

Tertius, vt ſtata tempora, hoc eſt, τοὺς καιροὺς, atque inprimis temporum totius anni viciſſitudines, efficiant, vti ſunt ver, æſtas, autumnus, hyems.

Quartus, vt efficiant etiam dies, & annos: hi ſunt χρόνοι: hæc verſ. 14.

Quintus, vt luceant ſuper terram, eóque omnia ſua luce, ſpectabilia reddant: quò poſſimus actiones noſtras ordinare, & perficere.

Adde & ex conſequenti.

Sextum vſum, nempe, vt in hæc corpora inferiora, vim inſtillent, ad vitam conferendam, ad generationem, ad omnia denique perficienda, quæ ad vitam hanc pertinent: hæc habes verſ. 15. 17.

Etſi verò hic vſus illuminandi, luménque vario modo præbendi, prout etiam ſuum proprium quódque ſidus curſum variat, vltimo loco poſitus eſt à Moſe: ordine tamen naturæ primus eſt. Ab hoc enim pendent reliqui. Suo enim lumine, quód variè communicat Sol, & Luna, ſicut etiam ſuum proprium variant curſum: ſuo inquam lumine, diſtinguũt diem à nocte, lucem à tenebris: imperiumque in diem Sol, & Luna in noctem, exercent. Suo etiam lumine, variè ſuper terram ſparſo, diuerſarum nobis rerum ſigna præbent, vt ſuo explicabitur loco. Suo itidem lumine, iuxta diuerſum ipſorum, atque inprimis Solis curſum, diuersè ſupra terram communicato: diuerſa anni tempora, ver, æſtatem, autumnum, hyemem efficiunt: frigus & æſtum: omnéſque עדים בר ſeu χαιροὺς, oſtendunt. Denique ſui luminis curſu, efficiunt dies, menſes & annos, vt explicabitur. Ab officio igitur illuminandi, lucendique ſupra terram, pendent reliqui vſus & fines, ad quos ordinati ſunt Sol, Luna, ac reliqua aſtra. Hæc eſt ſumma, atque partitio.

Porrò ſi hæc Dei opera, non ſunt admirabilia, eóque digna, quæ diligenter à nobis conſiderentur, intelligantur, obſeruentur: quid aliud eſſe poterit in Natura, totóque hoc Mundo? Nunc itaque percurrendus primùm nobis eſt totus contextus, ſinguláque Moſis verba examinanda, vt veram eorum intelligentiam teneamus. Deinde loci aliquot, ſeu quæſtiones, de hiſce rebus, ex hoc contextu colligentur, & explicabuntur. Ac quod ad verba attinet, iuxta partitionem antea poſitam: examinabo priùs illa, quæ ad creationem, & ſubſtantiam aſtrorum pertinent, quanquam ea ſint ſparſa. Deinde illa quibus deſcribuntur vſus.

II. EXPLICATIO VERBORVM.

v. 14. Et dixit Elohim, ſint luminaria in expanſione Cælorũ.

Hic habemus mandatum, quo Deus iuſſit eſſe in cælis luminaria. Solem ſcilicet, Lunam, & reliquas ſtellas: tam Planetas reliquos quinque, quàm ſtellas in octaua ſphæra fixas: quibus & cœlos ornauit, & orbem hunc ſublunarem multis maximiſque vtilitatibus affecit: ſine quibus conſiſtere non poterat.

Et dixit.

Verbo igitur, ſicut reliqua omnia, ſic etiam hæc facta ſunt. Huc illud Pſalmi: *Verbo Domini cæli firmatĩ ſunt*, (hoc factũ fuit ſecundo die) *Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hoc factum fuit quarto die. Virtutes enim cœlorum ſunt aſtra, quia per hæc, cælum in hæc inferiora, efficaciter agit.

יהי Singularis eſt numeri. Ideo quidam hinc philoſophantur, vt dicant, id ò Deum dixiſſe *fiat*, vt ſignificaret lucem illam primam, hoc ſuo verbo conuerſam fuiſſe in ſidera, vt ſit ſenſus: Illa lux quæ in toto cœlo ſparſa eſt, contrahatur, & fiant certa quædam luminaria. Ad rem ipſam quod attinet, non diſplicet quòd Patres aliquot tradunt, lucem illam primam contractam fuiſſe in ſtellas, & præſertim in Solem. Neque enim illam euanuiſſe, inque nihilum redactam fuiſſe, ſentiendũ eſt: quippe quæ bona erat: & cum nihil eorũ quæ creauerat Deus, penitus immutatũ fuiſſe legamus. Tranſlata igitur tãtùm fuit & diſtributa in iſta φωστῆρας, ſeu aſtra. Neque cum hac ſententia, pugnat recepta in Scholis, Philoſophorũ opinio, de aſtrorũ ſubſtantia, & luce, vt ſuo videbimus loco.

Cæterum illud verbum ſingulare יהי pro plurali poſitum eſſe, ſicut & Græci ſolent plerunque, ἐστὶ pro εἰσί, manifeſtum eſt, ex verſu illo, vbi repetens quod dixerat, ait, *Sint* יהי *luminaria: &c.* Hoc verò obſeruatione dignum eſt, quòd non dixit, ſicut de terra: *producat luminaria* ſed tantùm: *luminaria in cælo* In Cœlo enim eſt nulla generatio, ſicut in terra. Neque ſicut terra, vim habet producendi luminaria. Ideo infra ait: *Et fecit Deus luminaria: φωστῆρας.* Græci vertunt, & bene. Nam מאור non lucem, ſed quod lucem fert, ad illuminandum, ſignificat. אור autem eſt lux. Luminare itaque eſt id, in quo lux eſt, & quod lucem in ſe habet; eóque differt à luce, ſicut candelabrum à candela, quæ ei affixa eſt: Imò & ſicut candela ipſa, à luce, quam habet. In aſtris igitur duo ſunt: corpus ipſum, ſeu ſubſtantia aſtri; & lux, qua præditum eſt. Quæ, quid ſit, quomodo differat à lumine, dicemus ſuo loco. Proinde & Græci Patres, Iuſtinus & Baſilius, aiunt, aſtra eſſe ſicut candelabra, in quibus collocata eſt primæua illa lux, eóque differre à luce. Corpora igitur ſunt lucida. Simile diſcrimen eſt inter nos & Deum. *Deus lux ipſa eſt*, 1. Iohan. 1. Nos verò in quibus Deus habitat ſuo Spiritu, luminaria ſumus, ſicut Apoſtolus docet Phil. 2. cuum ait, *Fideles eſſe luminaria in Mundo, lucentia in medio nationis praua, &c.* Proinde cùm alibi vocantur fideles, *lux*, non aliter intelligenda ſunt talia dicta; niſi ſicut candelabrum in quo lucet candela,

candela, lux vocari ſolet. Nomen enim ſimplicis lucis, non competit niſi in Deum. Proinde cùm Chriſtus, ſemper appelletur *lux*, nunquam autem *luminare*: euincitur, eum verum eſſe Deum, præſertim cùm non ſolùm *lux vera* nominetur: Iohan. 1. Nunc tenemus quid ſit luminare, & quomodo differat à luce. Quæ autem illa ſint luminaria, quę Deus iuſſit fieri in cœlo, intrà explicat verſu 17. fuerunt *Sol, Luna, & reliquæ ſtellæ omnes.* Sequitur,

In expanſione Cælorum.

Hoc eſt, in expreſſo cælo, de quo ſuprà. Hic apparet nomine illius expanſionis, de qua ſuprà, veniſſe Moſi non ſolùm hunc aërem: ſed etiam, idq; cum primis, omnes orbes cæleſtes. In illis enim ſunt aſtra; non in aëre. Sed aërem etiã ab hac expanſione non excludi: Docet idem Moſes, Verſu 20. vbi ait, *Deum iuſſiſſe, vt aues, quæ ex aquis eductæ fuerãt, volitent in ſuperficie expanſionis* (rachiam) *Cælorum.* Docuit autem optimè, vt aſtra hęc, & φωςῆρες in ſuperiori parte domus huius magnæ, collocarentur: nempe, vt commodiùs lucem ſuam in omnes Mundi partes diffundere poſſent. Nam neque (vt ait Chriſtus) *quiſpiam accendit lucernam, & ponit eam ſub modium: ſed ſupra candelabrum* (idque in altiori loco) *vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.*

Fiant (inquit) *luminaria in expanſione Cælorum.*

Sed cùm ampliſſima ſit hæc Cælorum expanſio, in quânã parte, poni ea voluit Deus? In ſingulis orbibus, ab 8. ſphæra, vſque ad Lunam: Vt nullum eſſet cælum, quod ſuum non haberet ornamentum, hoc eſt, luminare. Inprimis verò octauam ſphęram, innumeris ſtellis ornauit, tanquam nobiliorem partem, cum ſit ſupra alias. Et deinde Solem in medio omnium, tanquam omnium aſtrorum regem. Excipitur nona ſphęra, in qua nulla deprehenſa eſt hactenus ſtella. Quod qua ratione factum ſit, nouit ille qui fecit. Neque illud prętereundum eſt, quòd ait, *Fiant in expanſione cælorum.*

Non ſunt igitur facta extra Cœlum, vt quidam volunt. & poſtea collocata in Cœlis, ſed facta ſunt in ipſis Cœlis: ac proinde etiam ex materia Cœlorum: vt rectè docent Philoſophi: aſtra nihil aliud eſſe, quàm denſiores Cęlorum partes: ſicut nodi ſunt in aſſeribus. Atque hanc eſſe cauſſam, cur luceant: Cæli autem non: nimirum, quia Cœli diaphani ſunt propter ſubtilitatem: ſicut etiam aër, Aſtra autem, denſæ ſint Cælorum partes. In corpore enim diaphano, ſpargitur quidem lux, ſed tranſit, & inde reflecti non poteſt, ideo non lucent talia corpora. In denſo autem, ita recipitur lux, vt inde etiam reflecti ad alia poſſit, & hoc eſt lucere: modò tamen aliæ adſint conditiones, quæ ad corpus lucidum requiruntur. Quod verò obiiciunt, quod ſequitur in verſu. 17. *Et poſuit ea Deus in expanſione Cælorum:* Reſponſio facilis eſt, illo verbo non ſignificari, luminaria eſſe facta extra Cœlos, deinde in Cœlos repoſita: ſed ordinem, & firmitatem ſtellarum in Cœlis, & ex Cœlorum materia creatarum. Deus enim aſtra, & faciendo, in Cœlis ordine poſuit, atque firmauit: & ponendo atque firmando fecit. Vtrumque enim ſimul præſtitit. Tria itaque hic verba obſeruanda ſunt, quæ ad creationem, & collocationem aſtrorum in Cœlis pertinent. Primum eſt, *Dixit, ſint in expanſione Cælorum.* Hoc verbo docet, Aſtra tum verbo Dei facta eſſe, tum in ipſis Cęlis, non autem extra, ac proinde ex materia Cœlorum, nempe per condenſationem, vt eſſent tanquam gemmæ ſplendentes in annulis variis, hoc eſt, in variis Cœlis. Alterum verbum eſt in verſu 16 *Et fecit Deus*, &c. Hoc verbo docet, etſi dixerat Deus, *ſint luminaria*, non tamen putandum eſſe, ea ab aliquo alio iuſſu Dei, facta fuiſſe, non autem à Deo. Ipſe enim Deus fecit ea, nempe, ipſe per ſeſe. Tertium eſt, in verſu 17. *Et poſuit ea in expanſione*, &c. Hoc verbo, ſignificat & ordinem, quo collocata ſunt in Cælis aſtra & fixionem, qua fixa & firmata ſunt. Etſi enim ea tantùm quæ in octaua ſphæra ſunt, *fixæ ſtellæ* vocari ſolent, tamen etiam reliquæ, verè fixæ ſunt in orbibus. Sed quia cum orbibus ſuis oberrant viſibiliter contra motum octauæ ſphæræ & primi mobilis: ideo illæ fixæ, iſtæ autem *errones*, & *Planetæ* vocari conſueuerunt. Quæ autem, qualia, & quot, ſint luminaria, quæ fecit Deus, explicat quatuor nominibus, in verſu 16. Primo nomine docet numerum eorum, quibus commiſſum eſt imperium, dominiúmque in diem & noctem: Duo iſta ſunt, Sol & Luna. Addit deinde ſine numero reliquas ſtellas omnes, dicendo ואת הכוכבים. Harum quidem numerum optimè tenet Deus, ſed indicare noluit: Significans tot eſſe, vt vix à nobis comprehendi tantus poſſit numerus. Ideo ait Abrahæ, *numera* (inquit) *ſtellas, ſi potes.* Hęc itaque duo, Solem & Lunam, tanquam duos oculos in capite: fecit Deus, & collocauit in cælis. Altero nomine ſignificauit, qualia ſint corpora, aſtra omnia: nempe, corpora lucida. [illegible] primum de omnibus in v. 14. dixit, *ſint luminaria.* Et de Sole ac Luna in ver. 16. dixit, *Fecit duo luminaria*, &c.

Corpora igitur ſunt lucida, quæ & ſubſtantia ſua cõſtant ea nimirum, qua etiam Cæli, ſed denſior: & ſua qualitate, hoc eſt luce: quæ ex illa materiæ cęleſtis corporis denſitate, reſultat. Nam ex illa materiæ contractione, & condenſatione, orta eſt lux in ſingulis ſideribus. Proinde quid aliud ſunt aſtra, quàm inſtar lapillorum precioſorum, in cęlis lucentium?

Anaxagoras, vt recitat Auguſtinus, quia dixerat Solem nil aliud eſſe, quàm lapillum pretioſum in Cęlo lucentem, fuit reus factus apud Athenienſes, qui Solem pro Deo colebant. Sed verum ille dixit, & ſic nos docet ſacra ſcriptura: *corpus eſſe lucidum, non Deum.* Eſt enim non lux, ſed luminare. Tertio nomine, indicat vtcunque aſtrorum, atque inprimis Solis, & Lunæ quantitatem: ſeu magnitudinem: dicendo,

Duo luminaria magna.

Sic de vtroque locutus eſt Moſes: tum vt ſignificaret, longè ampliora & maiora eſſe, hæc luminaria, quàm nos exiſtimemus oculiſque noſtris videamus, tum etiam quia ad lumen, quod attinet, huc diffuſum: Sol & luna, plus luminis adferunt nobis, quàm reliquæ ſtellæ: quanquam reliquæ longè maiori ſint, & quantitatis, & lucis per ſe quàm Luna.

Cæterùm, Moſes maiorem rationem habuit noſtri humanique iudicij in hac appellatione magni, quum de Luna loquutus eſt, quàm rei ipſius. Homines enim alloquebatur eúmque illis agebat: qui magis ex ſenſu iudicant quàm ex ratione. Quod attinet ad Solem: fatentur omnes, eum amplitudine lucis, & magnitudine corporis reliquas omnes ſtellas longè ſuperare. Sed de magnitudine ſtellarum dicemus ſeorſim. Quarto nomine, comparationem facit inter Solis, & Lunæ magnitudinem: tam in quantitate corporis, quàm etiam lucis.

Fecit (inquit) *luminare maius: & luminare minus.*

Hebræis eſt ſimpliciter, magnum, & paruum. Quia tamen comparatiuè hic loquitur, de Sole & Luna, ſenſum expreſſerunt interpretes dicendo, *maius & minus*, &c. Vnum reuera reliquis omnibus maius eſt: Alterum verò poſt Solem, nobis eſſe videtur. Ideo hac de cauſa, antea vtrumque vocauit *luminare magnum.* Sed comparatione inter Solem & Lunam facta. Deum immortalem, quanta eſt differentia, inter vtriuſque magnitudinem: tam in luce, quàm in corporis mole! Verè itaque dixit, *vnum eſſe maius, alterũ minus.* Idq; meritò. Nam longè etiam plura & maiora, grauioriſq; momenti ſunt officia ad quę deſtinatus eſt ſol, quàm ea, ad quæ luna ipſa: vt manifeſtum eſt. Porrò ex hoc loco collegit Apoſtolus, per ſimilitudinem, futuram longè aliam gloriam noſtri corporis, poſt reſurrectionem, quàm iam ſit. Nunc enim corpora eſſe terrena, corruptioniſque obnoxia, tunc autem, inſtar cæleſtium ſtellarum, futura ſplendida & incorruptibilia. Stella enim differt à ſtella in claritate, & alia eſt claritas lunę, alia ſolis, alia ſtelarum: Quaſi dicat, ſicut Deus potuit facere etiam inter corpora cœleſtia, vt vnum eſſet longè altero illuſtrius: cur non idem Deus efficere poterit, vt idem noſtrum corpus, quod dum ſepelitur, ignominioſum eſt, reſurgat ad vitam, & glorioſum fiat? Quid enim ſi, materiam ſpectes, vnde ſumta ſunt, alia aſtra erant, quàm vilis, turbida, & infirma aqua? Interim tamen videmus, quantus nunc ſit illorum ſplendor: & quidem non in omnibus idem, vt inde magis ac magis appareat, quanta ſit Dei potentia atque ſapientia. De gloria igitur noſtrorum corporum, quam poſt reſurrectionem, futuram promiſit Deus, dubitandum non eſt. Hæc collegit Apoſtolus ex loco Moſis: de luce Solis & Lunæ diuerſa.

Cæterùm, quàm eleganter & concinnè, locum hunc ad ſuum principatum aliis omnibus præferendum, Pontifex quidam accommodarit: legat qui volet, in Decretalibus lib. 1. tit. 33. qui eſt *de maioritate & obedientia:* cap. 6. *Solitæ.* Duobus enim luminaribus, ſignificare Deum voluiſſe, vtrámque hanc poteſtatem: Papalem ſcilicet & Imperialem, contendit: Et quidem luminari maiore, ſignificatam fuiſſe Pontificiam, minori autem Imperialem: quia ſcilicet Pontificia, præſit diei, id eſt, rebus ſpiritualibus: Regia autem & Imperialis, nocti, id eſt, rebus corporalibus. Sed nunquid Sol, quæ propria ſunt Lunæ, ſibi vnquam vſurpaſſe in hunc vſq; diem viſus eſt? Aut contrà: quę Solis ſunt, Luna? Vtriuſque autem eſt illuminare, tum lumine verbi, tum ſanctitatis ſplendore, & ſaluti hominum inſeruire.

Cæterùm, nos ex his Moſis verbis, hoc certius colligimus: Lunam habere aliquid ex ſe lucis, & non totam à Sole accipere. Si enim eſt luminare minus, ergo corpus ſit per ſe lucidum, quanquam minus, quàm Sol, oportet. Itaque ali-

quid ex ſe luminis, ſeu lucis habet luna. Hactenus ex verbis Moſis oſtendimus, Aſtra omnia, *primùm* facta eſſe immediatè à Deo, ipſius verbo. Deinde corpora eſſe lucida: Sunt enim מאורות *φωστῆρες*. *Tertiò*, in ſingulis orbibus, nobis ſpectabilibus, aliquod eſſe aſtrum, tum vt nullus ſuo careret ornamento, tum vt diſcerni à nobis illi orbes inter ſe poſſent, per ſuum quodque aſtrum. *Quartò*, omnia eſſe facta in ipſis Cęlis, eóque ex materia Cęlorum: vt probabilis ſit ſententia Philoſophorum, Aſtra nil aliud eſſe, quàm denſiores cuiuſque cęli partes. Fecit enim ea Deus in ipſa expanſione Cęlorum, non extra. *Quintò*, ordine pulcherrimo in cęlis eſſe collocata, atque firmata. Non tantùm enim Deus ea fecit in ipſa expanſione cęlorum: ſed etiam idem: ea ibidem poſuit: hoc eſt, ordine collocauit, atque firmauit. *Sextò*, duo eſſe pręcipua, quę pręſint: vnum diei, alterum nocti: ſolem ſcilicet & lunam. Quæ verò in octaua ſphæra ſunt ſtellæ: eas nobis eſſe innumerabiles: ac proinde ſine numero dixiſſe ואת הכוכבים. *Septimò*, duo eſſe inter illa, quæ nobis omnino maiora reliquis omnibus, partim ſint, vt ſol: partim videantur, vt luna: quæ ideo nobis maior aliis eſſe omnibus videtur poſt ſolem, quia vicinior eſt. *Denique*; licèt luna, non multò minor ſole, nobis eſſe videatur, corporis quantitate: longè tamen minorem eſſe. Hunc enim eſſe luminare maius: illam verò luminare minus: non tam lucis magnitudine, quã etiam corporis amplitudine. Atque hæc eſt ſumma eorum: quę tradit Moſes de creatione, naturáque Aſtrorum, quibus quarto die Deus ornauit cælum: id quod primum eſt caput huius contextus.

III. De vſu ſeu officiis ſiderum.

Venio iam ad ſecundum, quod eſt de vſibus, ſeu officiis, ad quæ creata fuerunt iſta luminaria, atq; inprimis ſol & luna. *Primum* illorum officium eſt, vt luceant ſuper terram: proinde initio etiam vocauit ea *luminaria*: à luce, qua vtrũque affectum eſt inprimis, & deinde ſtellæ reliquæ: vt etiã lucem, terræ & iis quæ in ea ſunt, communicent. Et exprimitur diſertè hoc officium in verbis Moſis: quum ait: *Vt luceant in firmamento & illuminent terram.* Et infrà, *Poſuit ea in firmamento: vt luceant ſuper terram.* Quantum verò ſit hoc beneficium, quod Deus mundo prębet per hæc luminaria, lucem terrę prębentia, quis queat explicare? Quid boni citra lucem hanc cęleſtem, fieri hîc ab hominibus poſſet? Neque ſimul verſari, neque actiones noſtras diſtinguere, neque ſtudere, res mundi cognoſcere, ſcientias comparare, S. Literas legere, & per eas Deum cognoſcere, denique nihil boni præſtare poſſemus, hac luce deſtituti. Taceo, quòd neque terra fruges nobis proferre poſſet. Eſt enim lumen Solis, & Lunæ, illi ad generationem neceſſarium. Solis quidem tanquam calefacientis: Lunæ verò, tanquam humectantis. Omnis enim generatio, tam plantarum quàm animalium, ex humido & calido fit. Ergo, cùm ait: *Vt luceant ſuper terram*, non tam communicationem lucis exprimit, quàm quę ex iſta conſequuntur beneficia innumerabilia, ſignificare voluit. Significat enim conditum eſſe Solem, vt calefaciat, & exiccet ſua luce. Lunam verò, vt temperatè frigefaciat, & humectet. Quę duę res, tam neceſſariæ ſunt terræ & animantibus omnibus, vt ſine iis conſiſtere illa non poſſint. Calore enim ſolis, & ſiccitate: Lunę verò refrigeratione, ac humectatione, omnia in vtero terræ generantur, fouentur, augentur, perficiuntur: metalla, lapides, media mineralia, plantæ omnes: animalia denique omnia. Quibus ex rebus apparet, quanta ſit vis aſtrorum cæleſtium, in corpora hæc inferiora, quam ſua luce præbent, eamque diuerſa ratione, & temperamento: provt etiam diuerſo modo lucent ſuper terram, eóque alia effecta pariunt in terra Sol & Luna hyeme, alia ęſtate: autumno item, & vere, provt ſcilicet nobis aut viciniores ſunt ſuo curſu, aut longinquiores, &c. In hunc finem, conſtituit Deus Zodiacum, per quem ſol meando, & remeando, vario ſuper terram modo: eóque varia in terris producat effecta: id quod & de Luna dictum volumus. Ita primum & fons omnium aliorum officiorum Solis & Lunę, aliorúmque aſtrorum: eſt hoc, de quo ait Moſes, ea eſſe facta luminaria: vt luceant ſuper terram, eámq; illuminent. Hinc ſequitur in Moſe

Alterum: Hoc autem eſt, *vt diſtinguant diem à nocte, & lucem à tenebris: eóque vt Sol præſit diei, Luna autem nocti.* Videntur hę tres locutiones, in idem tendere, idémque ſignificare: Sed tamen meo iudicio, plura diuerſaque voluit Moſes iis diuerſis vocibus indicare. Verum illud quidem eſt, non eſſe diem ſine luce, neque noctem ſine tenebris, interim tamen aliud eſt dies, aliud autem lux diei, & aliud nox, aliud verò tenebrę noctis. Dominium autem habere in diem & in noctem: plura ſignificat, quàm aut diem à nocte, aut Lunam à tenebris diuidere. Singula igitur ſunt explicanda, vt hoc appareat diſcrimen. *Dies* bifariam accipitur: Primò pro ſpatio illo temporis, quo Sol ad motum primi mobilis, ſeſe ab Oriente in Occidentem mouendo, & totam terram ſemel perluſtrando, conficit: quod etiam 24. horarum & 4. minutorum ſpatium eſſe dicitur. Hunc diem conficit Sol, non motu ſuo proprio, qui & per Zodiacum, ſed motu, vt diximus, quo à primo mobili mouetur. Atque hic, non habet noctem ſibi oppoſitam. Totum enim ſpatium 24. horarum, *dies vnus* appellatur: quanquam reſpectu noſtri, diuiditur in diem artificialem, & noctem. Et de hoc die non loquitur Moſes in præſentia: ſed poſtmodum, vbi ait: *Et ſint in dies & annos.* Ex hoc enim die naturali, qui ſemper idem eſt; conficiuntur hebdomadę, menſes & anni. Ac proinde etiam, ideo vocant eum *naturalem*, tum quia idem ſemper eſt atque conſtans, 24. ſcilicet horarum, & quatuor minutorum, tum quia hoc die, omnia reliqua tempora, hebdomadæ, menſes, anni, ſecula menſurantur, quæ menſura nunquam mutatur. Alter *dies* qui *artificialis* appellatur, eſt ſpatium illud temporis, quod Sol ſuper vnum Hemiſphærium ab ortu ſuo, ad Occaſum vſque progrediendo, conficit: Eſtque is varius; modò breuior, modò longior, provt etiam variè ad nos per Zodiacum, vel magis vel minus propè accedit. Qua de cauſſa etiam *artificialis* vocatur. Arte enim opus eſt in metiendo hoc die, propter ſui mutationem. Atque hic dies ſuam habet noctem ſibi oppoſitam. Dies enim tam diu eſſe dicitur, dum Sol ſuper terram noſtram lucet. Et nox, dum abeſt ſua luce. Quare de hoc loquitur Moſes, quum ait, *facta eſſe luminaria hæc: vt diuidant diem & noctem.* Ita tenemus quid ſit dies, & nox. Lux autem de qua hîc loquitur, eſt lumen, (accipit enim האור pro lumine: Lumen autem eſt lucis in aëre diffuſio.) Lux igitur ſeu lumen, eſt lucis ſiue ſolaris, ſiue lunaris, in aëre diffuſio, qua res fiunt viſibiles. Tenebræ autem ſimpliciter ſunt luminis priuatio; qua fit, vt corpora videri non poſſint. Proinde, cùm ſæpe etiam noctu, ita luna ſuam communicet aëri lucem, vt corpora videantur, & diſcernantur: apparet non idem eſſe ſimpliciter, diem & lucem, neque noctem, & tenebras. Dies enim eſt ſpatium temporis, quo ſol ſuper aliquam terræ partem continenter mouetur, lucétque: Contrà nox, ſpatium temporis eſt, quo Sole ab ea parte terræ abſente, ſuper eam Luna mouetur. Ita lumine quidem ſuo, tam Luna quàm Sol, pellunt tenebras, & diuidunt eas à luce: ſuo autem curſu, conficiunt diem, & noctem: modò longiorem, modò breuiorem. Quare etſi verum eſt, lucem, qua Sol illuminat terram ſua præſentia, vocari diem; & tenebras, hoc eſt, lucis priuationem, vocari noctem, vt initio capitis dixit Moſes: tamen, quum ait, *Solem & Lunam facta eſſe, vt diuidant diem & noctem, lucem & tenebras*: non vnam ſimpliciter & eandem rem intellexit nomine *diei & lucis*: neque vnam & eandem rem, nomine *noctis, & tenebrarum.* Sed docet creata eſſe, vt ſuo curſu, diuidant diem & noctem. Suæ autem lucis vel præſentia vel abſentia diſcrimen oſtendant, quod eſt inter lucem & tenebras. Illa verò locutione, *dominari diei*, & *dominari nocti*, ſignificauit Moſes, vtriuſque aſtri beneficia omnia, quæ Deus vult, vt quodque illorum, ſine alterius impedimento, præſtet terræ, & iis quæ ſunt in terra. Senſus enim eſt: Fecit Deus hæc duo luminaria, vt vnum interdiu ſine alterius impedimento, ſua in terram conferat beneficia: ſiue lucendo, ſiue calefaciendo, ſiue exſiccando: & alterum viciſſim, noctu ſua, ſine alterius itidem, impedimento: ſiue leuiter illuminando, ſiue humectando ſiue refrigerando: Diſcrimen hoc facio inter has tres locutiones; & proinde non vnam & eandem rem, ſimpliciter ſignificari omnibus iſtis tribus locutionibus, ſed diuerſas cenſeo. Omnes tamen ſub altero officio, cum aliis interpretibus complector. Quantus verò ſit iſte vſus, quem capimus, ex diſtinctione diei & noctis, lucis & tenebrarum, & ex dominio Solis in diem, & Lunæ in noctem: quis queat verbis conſequi? Hæc diſtinctio, eò præter alia, ordinata eſt, vt nos quoque diſtinguamus actiones noſtras; & aliæ ſint diei, aliæ noctis; aliæ, quæ in luce; aliæ, quæ in tenebris præſtentur: idque tam φυσικῶς, quàm ἠθικῶς & naturaliter. Diem deſtinare debemus, ex Dei ordinatione, labori tam noſtro, quàm domeſticorum animalium: Noctem autem, tam illorum, quàm noſtræ quieti. Contrà, dies facta eſt, vt feræ quieſcant, ſinántque homines operari. Nox autem deſtinata eſt illis, ad laborem, vt exeant è ſyluis & cryptis, & victum ſibi quærant. Sic Moſis interpres Dauid, expreſſit hunc vſum in Pſalmo 104. *Ponis tenebras, & fit nox. In ea proſiliunt omnes beſtiæ ſyluæ. Leones rugientes, inhiant prædæ: vt quærant à Deo eſcam ſuam. Oritur Sol: & recolliguntur, atque in luſtris ſuis cubant: Egreditur homo ad opus ſuum, & ad laborem ſuum vſque ad veſperam.* Apoſtolus verò vſum ſpecialem, atque ad pietatis mores pertinentem

collegit

collegit ex hoc opere, nempe: *Qui dormiunt, aut ebrij ſunt: eos noctu dormire, & ebrios eſſe.* Nox enim ſtatus eſt impiorum: regnúmque Sathanæ, qui etiam dicitur *poteſtas & princeps tenebrarum.* Dies autem regnum Chriſti. Cum igitur nos non ſimus in nocte, ſed in die, facienda eſſe opera diei, non autem noctu: eóq; abſtinendum ab ebrietatibus, & impudicitiis: Honeſte autem ambulandum, ſicut decet in die ambulare. Fuiſſe & nos aliquando tenebras, & in nocte. Nunc autem lucem eſſe in Domino.

In eo verò quod ait: *Et ſint in dominium noctis, & diei:* docet aperte, Solem, aut Lunam, aut alia aſtra; nullam habere in animas noſtras poteſtatem. Non enim hanc illis poteſtatem tribuit Dominus, ſed tantum dominium in noctem, & in diem, hoc eſt, vt ad quæ quodque illorum eſt ordinatum officia, in ſalutem terræ, & corporum, quæ ſunt in terra, ea, ſuo etiam quodque tempore præſtaret, ſine alterius impedimento: Sol interdiu, Luna noctu. Qua ex re etiam colligimus, quid ſit iſtud Solis & Lunæ, ſtellarúmque dominium; nil certè aliud, quàm obſequium & ſeruitus, qua nobis ex ordinatione Dei inſeruiunt: ſed liberè & expeditè, ſine impedimento, aut coactione. Id quod faciunt. Neque enim illis licet quidlibet, ſed id tantum quod à Deo illis iniunctum eſt de principio Mundi. Obſeruent hunc locum Principes omnes, & qui volunt *luminaria Mundi* appellari.

Tertium officium eſt, vt ſint in ſigna: hoc eſt, vt per ea, multa nobis futura, imminentiaque, ſignificentur. Sunt autem hæc duplicis generis: Quædam ad vitam hanc, actionéſque humanas, & politicas pertinent: alia ſpiritum, & quæ ſpiritus ſunt, concernunt. Prioris generis ſunt pluuiæ, venti, æſtus, variæque tempeſtates, & influxus cæleſtes in hæc inferiora, inque noſtra etiam corpora. Alterius generis ſunt ſignificationes iræ Dei, aut clementiæ, imminentis aduentus Chriſti & ſimilia, quæ per ſigna in Cælis apparentia nobis dantur. Quæ prioris generis ſunt, ea ſignificantur ab aſtris, ſuis ipſorum naturalibus motibus, ordinario curſu, naturalibus inter ſe coniunctionibus, aſpectibus, oppoſitionibus. Ad quod genus pertinet, quod habemus Matthæi 16. de Cælo rubente, vel veſperi, vel mane: id quod Chriſtus non improbat. Hinc præcognitiones, futuræ Eclipſeos Solis, aut Lunæ, nubili pluuiæ, & ſereni Cæli, aut ſicci, & (vt Scriptura loquitur) *anni*: eoque ſterilitatis, aut fertilitatis: diuerſorum etiam morborum, aut peſtilentiæ, &c. Sunt enim hæc à Cælis, & aſtris, tanquam à cauſſis ſecundis, pro varia ipſorum inter ſe diſpoſitione. Qui ergo cauſſas nouit, quæ ſunt variæ (vt dixi) diſpoſitiones, aſpectus, oppoſitiones ſtellarum: huic, talia aſtra, ſunt certa ſigna talium imminentium effectuum. Signa tamen potius dicuntur, quàm cauſſæ, reſpectu Dei, qui cauſſa vera eſt horum omnium effectuum. Certè Luna decreſcens, certum ſignum eſt piſcatoribus, cancros parum habere carnis, eóque non eſſe tempus commodum piſcandi. Nam Luna eſt etiam cauſſa naturalis, & ſecunda, cur cancri aut vacui ſint, aut pleni carnis. Et aut noua Luna, aut plenilunium ſignum eſt Medicis, humores, & ſanguinem in corporibus noſtris alterari, ac proinde tempus illud non eſſe commodum vel venæ incidendæ, vel præbendis medicamentis ſoluentibus, &c. Idem de nautis dico, & agricolis. Norunt & ipſi ex Aſtris, quamuis Aſtronomiæ imperiti: quando ſit commodum ſoluere, ac nauigare, aut arare, occare, ſeminare, plantare. Sunt etiam qui ex Aſtrorum diſpoſitionibus, tanquam ex ſignis non facilè fallentibus, præcognoſcant imminentes terræmotus, & varias terræ calamitates, quatuor quoque temporum anni alterationes, vt calidam hyemem, frigidam æſtatem, &c. Ita fit, vt rebus ſuis conſulant prudentes tales plerique omnes viri, qui hæc præuident. Proinde hæc noſſe, valde vtile eſt humanæ vitæ. Pertinet autem hæc ex aſtris cognitio, ad Medicos inprimis, vt ſciant, quando commodum ſit vel incommodum tempus præbendi medicamenta. Deinde ad agricolas, & ad nautas. Sic docent plerique omnes Patres, qui in Geneſin ſcripſerunt: Baſilius inprimis, & Auguſtinus: vt ſtultum ſit hac de re dubitare. Legantur ſaltem, quæ in hunc locum ſcribit Baſilius, & quæ Philo Iudæus: ac tum demum obloquantur hi imperiti contra Aſtronomiam, quæ certè præſtantiſſima eſt, & vtiliſſima ſcientia, à Deo propter noſtram vtilitatem profecta. Philo ſic ſcribit: *Factæ ſunt autem* (ſtellæ) *vt ipſe ait, non ſolùm ad lucem emittendam in terras: ſed etiam vt futura præſignificent. Aut enim ex ortu earum, & occaſu deliquióve, aut emerſione occultatiónéve: aut aliis motuum differentiis: homines de futuris coniiciunt: & præſagiunt copiam inopiámve fructuum prouentuum, vel peſtem animantium, ſerenum & nubilum, tranquillitatem aeris, & procellas ventorum, inundationes & exilitates fluminum: malitiem maris, & tempeſtatum viciſſitudines, & anni vices præpoſteras: dum aut æſtas hybernat, aut hyems æſtuat: aut ver autumnum refert, aut contrà, autumnus vernam temperiem. Nec defuerunt, qui concuſſionem terræ motúmque, ex Cæli obſeruatione prædicerent: aliáque multa, euentu certiſſimo: ita vt veriſſimè dictum ſit, in ſigna eſſe factas ſtellas.* Hæc omnia Philonis. Nec minus his clara ſcribit Baſilius: de eadem re. Quare, quod Heſiodus, ex Lunæ decrementis & incrementis, totius agricolationis ſigna notet, & præcepta det: quis improbet? Neque quod Homerus de Luna dixerit, Τέκμωρ δ' ἀνθρώποις, καὶ σῆμα τέτυκται, hoc eſt, *indicium mortalibus, & ſignum factum eſt*, improbari poteſt: quoniam idem etiam Moſes ante docuerat, vt hic videmus. Proinde neque malè illi fecerunt: qui ſidera ea, in Zodiaco, *ſigna* vocarunt, ſub quibus Sol incedens, & quos omnes percurrens intra annum, efficit menſes 12. Certarum enim rerum naturalia ſunt ſigna: vt ſemper fuit obſeruatum. Atque hæc de primi generis ſignis, ſatis. Multa de his Plin. lib. 18. Et quidem cap. 32. de iis, quæ in Luna obſeruari debeant. At cap. 35. de iis, quæ à Sole portenduntur. Multa etiam apud Virgilium in Georg. de iis rebus doctè ſcripta, legere eſt.

Quæ verò alterius generis ſunt res, ad ſpiritum ſcilicet pertinentes; hæ ſignificantur quidem nonnunquam per Aſtra, & per ea, quæ Aſtris contingunt. verum non id fit naturaliter, neq; ordinariis ipſorum ſiderum motibus & diſpoſitionibus; ſed ſupernaturalibus, & præter ordinem naturalem, contingentibus: Deo ea effecta, in aſtris, extra ordinem efficiente, vt per hæc, apertas det ſuæ, aut imminentis iræ, aut propoſitæ miſericordiæ ſignificationes. Itaque huius generis ſigna, nil aliud ſunt, quàm prodigia & portenta, quæ Deus nonnunquam in aſtris, oſtendit: vt per ea, ſuam ſignificet aut miſericordiam, aut iram. Exempla multa habemus in ſacris Literis. Vt cùm Sol & Luna, præter ordinem naturæ, ſteterunt immobiles: dum pugnaret & vinceret Ioſua. Ioſ. 10. Significabat enim Deus eo ſigno, ſe à Ioſua & à ſuo populo ſtare, próque illis pugnare. 2. Machab. 20. *Sol retroceſſit contra naturæ ordinem: & vmbra pariter in horologio.* Voluit enim hoc portento, in Sole facto, ſignificare Deus Ezechiæ, ſe recedere à ſententia, quam illi per Prophetam denuntiarat de eius morte: illúmque valetudinem recuperaturum. In hoc genere ponuntur Eclipſes præter ordinem naturæ, factæ in Sole, aut Luna: qualis fuit ea, quæ contigit in Ægypto, quum tales factæ ſunt tenebræ, vt Ægyptij ſeſe mutuo videre non poſſent: Et interim Iſraelitæ magna fruerentur luce. Signum fuit maximæ iræ Dei, aduerſus Ægyptios, iamiam imminentis: Miſericordiæ autem erga Iſraelitas quàm primùm liberandos. Qualis fuit etiam ea eclipſis, quæ contigit in morte Chriſti. Præter ordinem autem naturalem, ea fuit facta, quemadmodum optimè docet Auguſtinus tomo 2. ad Heſychium, epiſtola 80. Item tomo 5. de Ciuitate Dei lib. 3. cap. 15. In hoc genere ponitur & ſtella, quæ apparuit Magis, cùm natus eſſet Chriſtus. Signum fuit miſericordiæ Dei erga humanum genus: quod per Chriſtum erat redimendum. Ad hoc genus pertinent etiam illa, quæ præcedent aduentum alterum Chriſti, de quibus apud Lucam, *Erunt ſigna in Sole* (inquit Chriſtus) *& Luna & Stellis*, ſigna erunt miſericordiæ Dei erga electos: ideo Chriſtus ait: *His autem fieri incipientibus, eleuate capita veſtra: quia appropinquat redemptio veſtra.* Neque dubitant multi viri pij, quin Cometes iſte, qui poſt horrendum, & ab hominum memoria inauditum facinus in Galliis perpetratum, poſt illam nimirum crudeliſſimam lanienam ſub Carolo IX. factam, in Cælis apparuit, non dubitant, inquam, quin ſignum ſit tum iræ Dei aduerſus tyrannos, tantíque parricidij autores, tum etiam miſericordiæ & clementiæ diuinæ erga Eccleſiam Chriſti.

Nunc tenemus tertium officium, ad quod ordinata ſunt aſtra: & quænam per iſta ſignificentur, & quibus rationibus. Nihil verò minus habent Aſtrologi & Genethliaci, quàm vt ex hoc loco, ſtultam ſuam & impiam fatalem neceſſitatem confirmare poſſint, quam ex aſtris, pendere ſingulis hominib. contendunt: *Erunt in ſigna*, inquit Deus per Moſen, &c. Tantùm igitur officium habent ſignificandi res futuras, non autē, vim fatandi (vt ipſi loquuntur) ac neceſſitatem inferendi. Deinde à quónam conſtituta ſunt hæc ſigna? A Deo, cui ſemper liberum eſt inferre, vel non inferre, quæ per hæc ſua ſigna portendit. Quoties enim minatus eſt iram ſuam, quam tamen etiam, vbi homines reſipuerunt, reuocauit? Neq; certè alius eſt finis, & vſus horū ſignorum, quàm vt per hæc admoniti imminentium propter noſtra peccata flagellorum Dei: reſipiſcamus, & reſipiſcentes, ea à nobis auertamus. Sic enim promiſit Deus ſe facturum, & ſic infinitis exemplis declarauit, hunc eſſe finē & vſum omnium ſuarum comminationum, quas aut per verba Prophetarū, aut per ſigna Cælorū, nobis denuntiat,

vt ſcilicet reſipiſcamus, & ita imminentia mala à nobis auertantur. Imò apertè ipſe iubet per Ieremiam cap. 10. *ne à ſignis Cæli metuamus: ſicut faciunt gentes*. Apertè igitur docet, nullam ineſſe aſtris vim: qua nos ad aliquid vel agendum, vel patiendum, cogere, impelleréve poſſint. Si enim talem haberent vim, profectò metuendum ab illis eſſet. Quare nihil ineptius, quàm ex hoc loco Moſis, tam impiam ſtultámque phantaſiam confirmare conari, vnde maximè refellitur. Spectandum enim eſt: Primùm quòd ſunt tantum ſigna, non cauſſæ cogentes. Secundò, quòd ſunt ab illo poſita in ſigna: cui ſemper liberum eſt, facere vel non facere, quę per ſigna denuntiat. Tertiò, quod in hunc finem voluit ita eſſe ſigna, nobis hominibus ratione præditis, vt per hæc admoniti, aut iram Dei vera reſipiſcentia & fide à nobis amoliamur, aut beneficia oblata, & ſignificata per ſigna, grato animo amplectamur. Omnia enim ad ſalutem noſtram ordinauit Deus.

Quartum officium aſtrorum eſt, vt ſint in מועדים hoc eſt, *in tempora ſtata*: מועד enim eſt tempus conſtitutum, & legibus præfixum, & quaſi conteſtatum. Eſt enim à verbo יעד, quod *vſleri* ſignificat. Quale eſt tempus, quo Senatus conuocandus eſt, quo ad lectionem, aut ad concionem eundem eſt. Qualia autem erant tempora, quibus apud Iudæos celebranda erant feſta paſchalia, pentecoſtes, tabernaculorum, nouilunia, &c. Omnia iſta מועדים vocatur in ſacris literis. Et differt מועד à עת: ſicut etiam apud Græcos, καιρὸς differt à χρόνῳ. Et ſic LXX. interpretes מועדים verterunt in καιρούς. Sunt autem duo genera מועדים quæ per ſidera, Solem præſertim & Lunam, hominibus præmonſtrantur. Primùm, ſtata illa tempora continet, quæ per ſidera, ad hoc à Deo ordinata, omnibus in vniuerſum gentibus, ſimpliciter, & immutabiliter perficiuntur, & præmõſtrantur, idque multis de cauſſis, vt poſtea explicabimus. Talia ſunt quatuor anni tempora, ver, æſtas, autumnus, & hyems. Et ſic interpretatur Baſilius: Καιροὺς δὲ ὀνομάζων λέγει διὰ τῶν ἀέρων ἐναλλαγάς· χειμῶνος, καὶ ἔαρος, καὶ θέρους, καὶ μετοπώρου. Sic etiam alij. Hæc quatuor tempora conficit Sol, ſuo proprio curſu: dum intra annum, omnia Zodiaci ſigna percurrit. Vnde apparet, quomodo Sol poſitus ſit, in מועדים. dum ſuo curſu ita temperat totum annum, vt eum in quatuor longè diuerſas partes diuidat, idque perpetuò, & conſtanter. Et ſic Virgilius deſcripſit, hæc ſtata tempora, dicens Solem efficere,

Temporibuſq́; parem diuerſis quatuor annum.

Et Orpheus dixit, *Annum iis quatuor temporibus, quaſi quatuor pedibus incedere.*

Porrò Sol ſuo curſu, hanc quadripartitam anni partem conficit, hoc modo, ex Dei ordinatione. Cõficit nobis æſtatem, dum in Cæli ſumma tollitur, & Cancri ſignum permeat. Contrà, hyemem, cùm in Auſtrum depreſſus, Capricornum intrat. Hæc ſunt duo extrema, & oppoſita ex diametro. Bis verò in anno, dies & noctes æquat: Et in Arie: & quidem ingreſſus, vernum tempus auſpicatur, in Libram autem, autumnum. Dicitur autem *hyems* de Varronis ſententia: quòd tum multi imbres oriantur. *Ver* autem, quòd tum omnia virere incipiant. *Æſtas*, ab æſtu. *Autumnus* autẽ ab augendo, quod tum augeantur hominũ opes, dum frumenta, vina, & omnia colligunt, domúmq; ſuam reportant. His Etymologiis, vtcunque aperitur, in quos vſus & fines, Deus annum in hæc quatuor tempora, per Solis curſum ſecari voluerit: Ad commoda multa, eáq; maxima omnium noſtrùm, adde & omnium animalium, totiúſque terræ.

Contemplemur hîc, quæſo, immenſam Dei ſapientiam, & bonitatem. Conſtant omnia animantia, tam plantæ, quã animalia, ex quatuor Elementis; eóq; ex calido, ſicco, humido, frigido: in quorum temperamento, conſiſtit bona valetudo, & vita. Fouendis igitur iis quatuor in animante qualitatibus; deſtinata ſunt innumerabilia eſculentorum & poculentorum genera: quorum alia calefaciant, alia refrigerent, alia ſiccent, alia humectent; ita vt ſi animal hæc ſumat moderatè, mirabiliter etiam, in ipſo temperamentum quatuor qualitatum conſeruetur, & ex conſequenti, ſanitas & vita. In hunc eundem vſum, præter alios ordinata eſt, etiam hæc quatuor diuerſorum temporum viciſſitudo; quorum vnum humectat magis; aliud ſiccat; aliud calefacit; aliud refrigerat: atque ita omnia ſimul ad valetudinem cõſeruandã faciunt. Quid alioqui faceremus, quomodóve viuere poſſemus, ſi ſẽper eſſet æſtas, ſempérq; æſtuaret Cælum? Aut ſi ſemper frigore omnia conſtringerentur, aut ſemper humidum eſſet Cælum, vel ſiccum? Solem itaque deſtinauit Deus, ad totum anni tempus temperandum, & in hunc finem, conſtituit ei Zodiacum: vt per eum gradiendo, diuerſas temporum conſtitutiones efficeret, in noſtram vtilitatem, & ſalutem.

Quid dicam de vſibus, qui hinc terræ accedunt, eoque ſementibus & frugibus omnibus? Sementis iacitur in agros, autumno humido: fouetur in vtero terræ, hyeme frigida, quo frigiore fit, propter *ἀντιπερίστασιν*, vt calor in vterum terræ penitus penetret, fiat fortior, ibiq; foueat ſemẽtem. Vere egreditur, tempore temperatè humido, & temperatè calido, vt ita adoleſcat, ea pro è terra copioſo nutrimento: Æſtate verò calida, maturatur, vt Autumno colligatur. Si hæc quatuor tempora, diuerſis qualitatibus affecta non eſſent, generatio nulla naturaliter fieri poſſet, neque animalium, neque plantarum. Quanta igitur vtilitas, imò quanta neceſſitas fuit horum ſtatorum temporum? Ad hæc autem efficienda Sol (vt dixi) ordinatus eſt. Ideóque eſt למועדים.

Sunt autem hæc tempora conſtantiſſima, & ſempiterna ad finem vſq; mundi: vnde Geneſ. Volens Deus confirmare fœdus, quo ſeſe nolle ampliùs humanũ genus diluuio delere, pollicitus erat: Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis: frigus, & æſtus: æſtas & hyems, nox & dies nõ requieſcẽt. Ita fit, vt apud Ierem. hoc exemplo, ſuum fœdus cum populo, æternum eſſe, & immutabile demonſtrarit. Hinc verò fit, vt quæ ſingulis his temporibus congruunt actiones, eas in ſuum quamque tempus reſeruemus, arationes, ſationes, plantationes, ſtercorationes, putationes, & alia id genus. Adde quòd non ſolùm ad hæc tempora efficienda, deſtinatus eſt Sol, ſed etiam ſtellæ quædam aliæ, ad ea indicanda ordinatæ ſunt. Stella, quam *Arcturum* vocant, initium veris indicat. Poſt Ianuarium enim & Februarium, quum ſol ingreſſus iam eſt Arietem, oritur *Arcturus*, eóq; initium veris indicat. *Pleiades* autem ſtellæ, quum apparent, meſſis tempus prædicunt: & ſic de aliis. Quis hæc ita ordinauit? Deus. Lege etiam Iobum, cap. 38. Sunt pleraque aſtra, nobis veluti cœleſtes præcones, qui monent, quid quoque tempore agendum ſit, in iis, quæ ad præſentem vitam pertinent. Quàm ſapienter igitur omnia in Cœlis ordinata ſunt aſtra ad noſtram, totius Mundi Elementaris vtilitatem? Hæc ſunt prima מועדים quæ Deus per Solis curſum efficit. Alia accedunt, quæ per Lunam operatur, nouilunia ſcilicet, plenilunia, & *quartæ*, vt vocant, *lunares*. Nam hæc etiam obſeruari à nobis ad multas actiones voluit: vt ad ſationes ab agricolis, ad Phlebotomias, & ad alias actiones medicas, à medicis. Proinde Dauid in Pſalmo 104. de Luna ſic canit: *Fecit Lunam* למועדים. Atque hoc eſt primum genus מועדים: quæ ſcilicet Deus, per Solis & Lunæ curſum efficit, eoque omnibus gentibus communia eſſe voluit, ſicut in Deuter. 4 verſic. 19. apertè legimus. Alterum eſt eorum temporum, ſeu מועדים quæ peculiaria ſunt certis gentibus, & quæ quiſque ſibi, ex toto anni tempore, ad certa actionum genera, deligit. Vt quòd Deus voluerit, vt ipſius populus, ſex diebus operaretur: Septimo autem, qui Sabbathum dicitur, quieſceret ab iis operibus, & vacaret cultui diuino. Item quòd voluerit Calendas obſeruari, & certis temporibus, & non aliis feſta celebrari, Paſchæ, Pentecoſtes, Tabernaculorum, &c. Hæc erant מועדים populi Iſraelitici, &c. Hæc verò ſignificabantur, indicabantúrque Iſraelitis, ex aſtris, & Sole & Luna. Voluit etiam, & vult, vt ſingulæ Gentes, habeant ſtata tempora: quibus aut cultum præſtent Deo: aut habeant conuentus, & aut cibos capiant: aut alia præſtent officia, tam publica, quàm priuata. Sed libera cuique Genti eſſe voluit. Tempus quoque, quo Sol occumbit, eſt omnibus hominibus מועד quo Deus per Solem monet: ab agris, & à negotiis domum eſſe redeundum, & permittendum feris, vt exeant è ſyluis, & cibum ſibi quærant. Quum verò oritur, מועד eſt, quo idem monet, nobis quoque ſurgendum eſſe, & ad operationes, laboréſque redeundum. Denique à Sole cum primis, quaſi præſcribuntur nobis horæ nomine Domini: quibus quiſque in ſua vocatione ambulare, & ſe exercere debeat. En igitur, quomodo ſidera facta ſunt nobis & in ſigna, & in ſtata tempora.

Quintum officium eſt, vt *ſint nobis*, nimirum cunctis gentibus (vt Deut. 4. habemus) *in dies & annos*: hoc eſt, vt ſuo curſu, dies nobis efficiant & annos, hoc eſt, totum temporis ſpatium in ſuas diuidant partes: quarum principales ſunt dies, & anni. Dies enim vna integra Solis, iuxta motum primi mobilis, à puncto Orientis, ad idem punctum reuolutione fit. Ex diebus autem 365. vno Solis per totum Zodiacum curſu, fit annus. Quæ omnia, vt meliùs intelligantur, quædam nobis in memoriam reuocanda ſunt de cælis, eorúmq; motibus, déq; manifeſtis cælorum circulis, per quos fiunt motus, & vnde ratio temporum, dierum atque annorum pendet. Itaq; retinẽdum eſt primùm, cælos hoſce omnes, eóq; omnia etiam, quæ in cælis ſunt aſtra, cum illis ſimul moueri, vt ſenſus ipſe docet: motúmq; hunc, ſicut initium habuit, cum cælo, ſic etiam habiturum finem manẽtibus

tibus tamen cælis & aſtris, ſed renouatis. Apertè enim ait Angelus Apocalyp.10. *Poſt conſummatum Dei myſterium*, id eſt, poſt vltimum iudicium, *non fore amplius tempus*: Tempori enim ſuccedet æternitas. Si non erit tempus, igitur nec motus. Tempus enim menſura eſt motus; eóq; motus ſine tempore eſſe non poteſt. Vnde apparet, hoc officium Solis, vt ſit in dies & annos, non extendi vltra vltimum diem, nempe iudicij vniuerſalis, qui etiam hac de cauſſa, vocatur in ſacris literis, *nouiſſimus dies*, quia vltra nō erunt dies & anni.

Deinde illud quoq; notandum eſt, Cælos omnes eſſe figuræ ſphæricæ, eóque motum ipſorum & ex conſequenti motum aſtrorum, quæ in ipſis ſunt, eſſe circularem. Tradunt hæc etiam ſacræ literæ: præter Philoſophos, qui ratione idem euincunt. Prou.8. Chriſtus ſapientia Patris æterna, ait *ſe fuiſſe genitum ex Patre, antequam montes fundati eſſent: ſéque adfuiſſe Patri quum præpararet Cælos, & deſcriberet circulum ſuper faciem abyſſi*. Docet, voce hac, cælos figuram habere circularem, qua totam terræ & maris faciem ambiant. Et Salomon Eccleſiaſt.1 de Sole ita loquitur: *Terra ſtat. Oritur verò Sol, & occidit Sol, & ad locum ſuum regreditur, vbi oritur. Vadit ad Meridiem & circuit ad Aquilonem*. Apertè docet Salomon, Solem quatuor Mundi partes, ſuo curſu circuire, & perluſtrare: Orientem, Meridiem, Occidentē, & Aquilonem, ab vna, ad aliam gyrando. Vnde craſſus apparet error quorundam; qui ex eo, quod Hebr.8. ſcribitur; *Tabernaculum cæleſte fixum eſſe à Deo*: inferunt, Cælum, neque ſphæricæ eſſe figuræ, neque moueri: quod fixum maneat. Cùm ibi Apoſtolus non de Cælis iſtis, ſed de Cælo Beatorum loquatur: quod omnino immobile eſt. Deinde etiamſi de his Cælis interpreteris, nil tamen illo verbo, fixum eſſe, intelligere voluit quàm quod Pſalmus ait: *Verbo Domini, Celi firmati ſunt*: non quod non moueantur, ſed quòd non mutentur, ad finem vſque Mundi. Obſeruetur præterea manifeſtè, duplex in Sole, aliiſque Planetis motus; Vnus, quo vnà cum primo mobili, ab Oriente, in Occidentem, & inde iterum in Orientem per gyrum voluuntur, intra ſpatium 24. horarum, & quatuor minutorum. Alter verò, quo contrà, propriè quaſi contra primum mobile, enituntur atque mouentur, ab Occidente, in Orientem: & ab Oriente iterum in Occidentem, ſed diuerſis temporum ſpatiis, pro variis ſiderum in Cælo ſitibus. Quo ex motu, euincitur, Cælos inter ſe eſſe diſtinctos: cum appareat manifeſtè, Solem, modo à Luna, aliiſque Planetis procul diſtare, modò viciniorem eſſe, atque ita inter ſe inuicem omnes ſeſe habere: Quod certe fieri non poſſet, ſi non eſſent orbes multi, iique diſtincti. Sunt enim ſidera Cælis affixa: non autem ſunt corpora ab illis diuiſa, quæ per cælos, vti aues per aërem, moueantur. Ex iſto autem duplici motu, duplex temporis ratio naſcitur. Tempus enim menſura eſt motus, atque inprimis cæleſtis. Vna itaque ratio temporis eſt, quod motu Solis priore, quo ſcilicet reperitur à primo mobili, conficiuntur dies naturales, de quibus hîc loquitur Moſes. Altera ratio temporis eſt, quòd altero Solis motu, quo ſcilicet ſponte graditur ſub Zodiaco, conficiuntur anni vertentes. Nam varij etiam ſunt circuli, per quos gradiendo, ſuos conficit motus Sol, imò & alij Planetæ: Deo illos ſic à condito mundo, ordinante & regente, ad totius mundi huius ſalutem, & conſeruationem. Hi autem ſunt Lacteus circulus, & Zodiacus. Lacteum conficiunt quidam ſtellarum quàm plurimarum, ſplendidiſſimè fulgentium ordines, qui etiam ordines, quoniam imagines faciunt: nomina quoque diuerſarum imaginum accipiunt: ita vt vnus ordo, *Caſſiopeia*, alius *Perſeus*, alius *Canis*, alius *Argo*, alius *Centaurus*, alius *Aquila*, alius *Cygnus*, alius alio nominetur vocabulo. Is circulus à Septentrione in Auſtrum porrectus, ad vtrumque Cæli polum extenditur, atque ex iis, quæ in hoc circulo ſunt ſtellis, magnam vim in terram, ad ſata & fruges defluere contendunt. Alterum circulum, quem à figuris animalium diuerſorum, quas ſtellæ in eo poſitæ referunt, *Zodiacum* appellant: hunc, inquam, circulum conficiunt itidem varij ſtellarum ordines inter ſe circulo quodam collocati: qui numero duodecim ſunt: duodecim menſibus anni reſpondentes, & ſeruientes. Vnus, nomen habet *Arietis*, alius *Tauri*, alius *Geminorum*, quartus *Cancri*, quintus *Leonis*, ſextus *Virginis*, ſeptimus *Libræ*, octauus *Scorpionis*, nonus *Sagittarij*, decimus *Capricorni*, vndecimus *Aquarij*, duodecimus *Piſcium*. Atque hi ſtellarum ordines, animaliúmque figuræ, quæ in octaua ſunt ſphæra: motum habent ex aduerſo oppoſitum motibus Planetarum propriis: ita vt Sol, & Luna, & reliqui Planetæ, ſemper ſub hoc Zodiaco, modò ſub vna animalis figura, modò ſub alia, certo ordine congrediantur. Et quidem Sol, intra annum vnum, omnia hæc animalia, tranſit, totúmque Zodiaci circulum complet: ſingulis menſibus animal vnum tranſeundo: vnde & duodecim menſes ſolares fiunt. Luna autem ſingulis menſibus 12. hæc animalia pertranſit, idque quia infima eſt omnium: Ideo etiam velociùs & citiùs ſub Zodiaco gradiens, omnia eius animalia percurrit. Duo primi circuli (vt dictum eſt) viſibiles ſunt in octaua ſphæra: ideo vera Dei opera ſunt: & cùm ad alia multa, tum ad hoc pernecessarij, vt per Solem conficiantur ſtata tempora, & menſes, & anni. Præter hos verò quoſdam alios, mente concipere oportet: ſi quis velit intelligere, quum Sol ſuo motu conficiat non ſolùm tempora de quibus ſuprà dictum eſt; ſed & dies ac noctes, modò æquales, modo inæquales: vtrumque item ſolſtitium; & vtrumque æquinoctium; aliáque tempora. Sunt autem hi circuli, *Æquinoctialis* inprimis, deinde duo *Coluri*, & *Meridianus*. Et *Finitor*, ſeu *Horizon*, circulus quoque *Arcticus*, & *Antarcticus*: quos ab Aſtronomis diſcere oportet. Nam abſque cognitione horum circulorum, non poſſumus cogitare, quomodo Sol & Luna aliáque aſtra moueantur, variáque fiant tempora, & anni conſtitutiones. Cape exemplum de Æquinoctiali omnium maximè neceſſario. Is namque imaginarius circulus eſt: quo totum cœlum in duas partes ſecatur, quum ſub hunc circulum, ſol motu ſuo proprio peruenit (peruenit autem bis in anno) tum dies noctibus æquales facit: quæ cauſa eſt, cur circulus iſte, *Æquinoctialis* appelletur Latinis, & Græcis *ἰσημερινός*. Hunc enim circulum Æquinoctialem, Zodiacus per medium in duas ſecat partes: Et ita ſecando, duo conſtituit puncta: ad Orientem vnum, ad Occidentem alterum. Quum itaque Sol hæc attigerit æquinoctialis huius circuli puncta; tum duo faciat æquinoctia, oportet. Si quis circulum hunc non teneat; quomodo poterit intelligere, qua ratione fiant æquales noctibus dies? Explicatis igitur his paucis ad cognitionem eorum, quæ de temporibus, diebus, & annis dicturi ſumus, maximè neceſſariis: Ad verba Moſis redeo.

Erunt, inquit, *in dies, & annos*.

His duobus nominibus, omnes, (vt antè dixi) partes tēporis, quod *χρόνον* vocant, *περιληπτικῶς* complexus eſt Moſes. Sub diebus enim complexus eſt horas, & minuta: Nam hæc etiam conficit Sol. Sub anno autem, comprehendit menſes: quos curſu ſuo per Zodiacum conficit. Quid verò Tempus ſit, aliàs docuimus. Ad ſummam, *διάστημά ἐστι τῆς κόσμου κινήσεως*. Dicitur autem tempus Latinè, à temperando, vt optimè Beda ait, libro de Temporibus, cap.1. ſiue, quòd vnumquodque temporis ſpatium ſeparatim temperatum ſit: ſiue quòd (vt mihi magis placet) momētis, horis, diebus, menſibus, annis, ſeculiſque & ætatibus, omnia mortalis vitæ curricula temperentur, hoc eſt, regantur. Temporis autem partes permultæ ſunt; quas ſingulas hîc explicare, operæpretium non eſt. Quas proponit Moſes, hæ duæ ſunt præcipuæ; dies ſcilicet, & anni. Reliquas enim omnes, hæ duæ in ſe continent: cùm omnes aliæ temporis partes, aut ex iis componantur: aut in harum veniant compoſitionem. In compoſitionem enim diei, veniunt horæ 24. Hora, ex quatuor conflatur punctis. Singula puncta, decē conſtant momentis. Momentum, 12. habet vncias. Vncia, 47. atomos: vltra quos nulla præterea datur diuiſio. Atq; has omnes diei partes, certè conficit Sol ſuo curſu. Verùm, cùm particulæ iſtæ nimis minutæ ſint; ideo contentus fuit Moſes, his omiſſis, ſolum nominare diem. Anni itidem ſpatium conſtat ex duodecim menſibus; mēſes ex ſeptimanis, & certis diebus; ſeptimanæ ex ſeptem diebus: de quibus anni partibus, cum aliis quoque temporis partitionibus, abundè in ſacris loquuntur Prophetæ & Apoſtoli.

Cæterùm, quoniam menſes diuerſi ſunt (alij enim ſunt ſolares, alij lunares: Et ſolarium etiam non idem fuit ſemper apud omnes gentes numerus, neque eadem ratio) Moſes autem recitat hîc decretum Dei, de ea temporum ratione, quam omnibus gentibus commune eſſe volebat (vt Deut.4. appàret:) Eſt autem omnibus commune, annum, quem *vertentem* vocant, (de hoc enim cumprimis hîc loquitur Moſes) conſtare ex diebus, & iis numeratis: idcirco omiſſa mentione menſium, & aliarum anni partium, ſolùm poſt dies, nominauit annum. Adde quod voluit duplicem cumprimis motum Solis, hîc indicare: Vnum quo dies conficit; alterum, quo annos. Diem (de naturali enim hîc loquitur,) conficit motus, quo rapitur à primo mobili ab Oriente in Occidētem: Annum autem motu proprio, quo ſub Zodiaco gradiens, omnia illius ſigna intra ſpatium dierum 365. horarum 5. & minutorum 49. percurrit. Ergo nos quoque, qui Moſis verba interpretamur: omiſſis in præſentia aliis temporis partibus, de diebus tantum & annis loquemur. Ac primùm de diebus, deinde de annis.

Dies Hebræis eſt יום: quæ eius ſit Etymologia, non poſſum diuinare, niſi quis dicat ſignificari Dei menſuram: hoc

eſt, menſuram, quam Deus dedit mundo: vt ea cœlorum motus, totúmque tempus metiamur. Et nomen Dei in hac voce indicari duabus primis literis, י & ו: quæ etiam ſunt literæ nominis Iehouæ. Menſuram autem tertia litera ם. Menſuræ enim nomen, etiam apud Hebræos incipit à ם: Eſt enim מדה. Ἡμέρα Græcis dicitur: cuius Etymologiam Plato attulit in Cratylo. Quòd enim nunc ſcribitur per η ἡμέρα: antiqui ſcribebant per ι, ἱμέρα. Ἱμέρα igitur vult duci ab ἱμείρω, deſidero, quòd hominibus ſit deſiderabilis: ὅτι γὰρ (inquit) ἀσμένοις τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἱμείρουσιν, ἐκ τοῦ σκότους τὸ φῶς ἐγίγνετο, ταύτῃ ὠνόμασαν ἱμέραν. Aut (vt idem docet) ἡμέρα dicitur ὅτι ἥμερα ποιεῖ: hoc eſt, quòd domeſtica & manſueta reddat animalia, & omnia. Ad quam Etymologiam alluſiſſe videtur Tibullus, quum dixit:

Longa dies homini docuit parêre leones:
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Latini diem vocarunt, à Deo: aut quia Solem, qui efficit diem ſuo curſu, Deum eſſe exiſtimabant: aut quia dies, opus verè diuinum eſt. Beda ait, Diem à *diuidendo*: quòd diſiungat lucem à tenebris. Significatur autem hoc nomine, tam apud Hebræos, quàm apud alias gentes: aliquando dies naturalis, vt hoc in loco: Et vbi ait Moſes, *fuit veſpera, & mane, dies vnus*: aliquando artificialis, cui opponitur nox: vt quum dixit Moſes, *& vocauit lucem diem, & tenebras noctem*. Item, *Et diuiſit inter diem & noctem*. Quòd verò ſæpè etiam diei nomine ſignificetur quoduis tempus: ad præſentem locum non pertinet. Cæterùm hîc Moſes, vt antè dictum eſt, nomine *diei*, naturalem intelligit, qui 24 horarum ſpatio tanquam periodo, per Solis curſum ab Oriente in Occidentem conficitur. Vnde autem incipiat hic dies; vt diuerſæ ſunt gentes, ſic diuerſæ ſunt ſententiæ, & conſuetudines: quarum nulla improbari poteſt; cùm Deus voluerit has eſſe cuique populo liberas. Quæ autem ſint illæ, noſtri inſtituti non eſt, explicare. Dies quidem artificialis apud omnes, initium habet ab ortu Solis; finem autem, ad occaſum. Et ratio manifeſta eſt, quia tam diu dicitur eſſe dies, quàm diu Sol eſt ſupra terram. Incipit autem eſſe ab ortu. Sed de naturali, qui continet diem artificialem & noctem ipſam, alia eſt ratio.

Babylonij quidem, ſequentes diem artificialem, ipſum etiam naturalem inchoant ab ortu Solis, & ad alterum vſque ortum extendunt. Sed neque Hebræi, quorum ratio in ſcripturis ſeruatur, neque Romani, quorum ratio ferè apud omnes obtinet, cum illa Babyloniorum conſentit. Dicam de iis duabus. De Hebræa quidem, quia in ſcripturis ſeruatur: Et ideo ad earum intelligentiam, ratio dierum, & menſium, & annorum Hebraica, neceſſaria eſt: De Romana verò, quia ea in orbe Chriſtiano, apud omnes ferè obſeruatur. Hebræi itaque incipiunt diem à veſpera, hoc eſt, immediatè poſt Solis occaſum. Proinde illud tempus, vocatur à Moſe ערב à verbo quod præter alia, duo etiam ſignificat ad præſens inſtitutum pertinentia. Significat enim ערב *obtenebreſcere* atque *obſcurari*: & nomen inde deriuatum מערב Occidentem ſignificat. Meritò igitur veſpera, hoc eſt, tempus, quod poſt occaſum Solis ſequitur, vocatum eſt ערב: cùm tunc obtenebreſcere incipiat, luce Solis à noſtro Horizonte & hemiſphærio, ad alterum digreſſa. Ita diem inchoatum, ab vna veſpera continuant vſque ad alteram. Docuit hoc Moſes: quum primò ait, *Et fuit veſpera*: poſtea, *& fuit mane*, & ex his duobus ex ערב & בקר facit diem vnum. Hanc ferè rationem Hebræorum ſequimur & nos Itali: Bohemi itidem. Ideo prima hora diei inſequentis, incipit poſt crepuſculum veſpertinum apud nos, & continuat diem per 24. horas, vſque ad initium inſequentis noctis. Verùm Romani, à media nocte incipiunt diem naturalem (vt optimè docet Gell. lib 3. & Plin. lib. 2. cap. 77.) & vſque ad alteram mediam noctem continuant. Quam rationem ipſa etiam Gallia, & Germania ſequitur.

IV. De partibus diei naturalis apud Hebræos.

PRimùm ſecabant in duas partes principales, in diem artificialem, & noctem. Deinde ſingulas has partes diuidebant, ſed variè. Initio, noctem ſecabant in tres vigilias, quarum quæque (vt in æquinoctio) habebat quatuor horas. Hoc liquet ex Iudicum 7. vbi legitur Gedeon ingreſſus fuiſſe in hoſtem media nocte, vigilia ſecunda. Secunda igitur vigilia erat in media nocte. Quare duæ aliæ extremæ partes, erant prima & tertia vigilia, quarum vna, *vigilia veſpertina*, altera *matutina* vocabatur. Totidem partes habebat dies, quæ horæ dicebantur. Tradunt hoc viri etiam doctiſſimi Vatablus in Pſalmo, Martyr in Sam. lib. 1. cap. 11. ver. 11. Sed poſtea imitati Romanos, ſecuerunt noctem in quatuor vigilias: quarum quæque haberet tres horas: ſicut habemus apud Euageliſtas. Diem itidem in quatuor partes, quarum quæq; tres contineret horas. Vocabantur autem ſingulæ partes à prima cuiuſq; partis hora, ita vt primæ tres horæ, vocarentur *hora prima*; tres inſequentes *hora tertia*: quia inde inchoabat, & vſq; ad ſextam continuabatur. Tertia pars à ſexta vſque ad nonam, ſexta hora nominabatur. Denique poſtrema, hora nona. Hoc modo autem reſpondebant noſtris, quas obſeruant in Germania: & proinde Romanenſibus, quas tunc habebant Romani. Prima vigilia Iudæis, erant tres primæ poſt occaſum Solis, horæ. Erant hæ Romanis, & nobis iã ſunt, 7.8 9. horæ noctis. Secunda vigilia, erant tres aliæ inſequentes, 4.5.6. quæ nobis ſunt 10.11.12. noctis. Tertia, erat Hebræis 7.8 9. nobis ſunt 1.2.3. noctis. Quarta, erat Hebræis vigilia, hora 10.11.12. quæ nobis eſt 4.5.6. noctis. Ac prima vigilia noctis. Romanis vocabatur *prima fax*: & *ſerum diei*. Secunda vigilia, *nox concubia*. Tertia, *nox intempeſta*. Quarta, *conticinium*. Huius diei partes apud Hebræos erant primùm duæ principales: prima erat nox, quæ ſtatim veſperam ſequebatur, & altera, dies artificialis inſequens noctē. Singulas verò has principales partes, in quatuor quadrantes diuidebant: Noctem quidem in quatuor vigilias, ſicut apud Euangeliſtas videre eſt. Diei verò, quadrantem primum, hoc eſt, tres primas horas, à nomine primæ, vocabant *horam primam*: Alterum quadrantem, *horam tertiam*: Tertiam, *horam ſextam*. Quartam, *nonam*: vt etiam apud eoſdem Euangeliſtas apparet.

Apud Romanos, erat hæc diei naturalis partitio: Prima diei pars (incipiebat autem media nocte) *mediæ noctis inclinatio* vocabatur. Secunda, *Gallicinium*. Tertia, *Conticinium*, quo ſcilicet tempore omnes conticeſcunt, & dormiunt. Quarta, *diluculum*, quum incipit dignoſci dies artificialis: αὐγὴ vocatur Actor. 20. Hæ erant primi quatuor quadrãtes apud Romanos; ſequebantur alij quatuor. Primus erat, mane, quum dies clarus eſt. Secundus à mane ad meridiem vſque: quaſi medium diem. Tertius Occiduum vocabatur: occaſus ſcilicet Solis, hoc eſt, à meridie, ad occaſum vſque Solis. Ὀψίας δείλης dicitur Lucæ 4. quod tempus, ſuprema etiam tempeſtas; hoc eſt, nouiſſimum diei tẽpus vocabatur: vt in lib. 12. Tabul. habetur: *Solis (inquiunt) occaſus, ſuprema tempeſtas eſto.* Quartus quadrans, veſpera: à quo tempore, prima fax dicebatur, deinde concubia, & intempeſta nox quod non habeat tempeſtatem, ſeu tempus rebus gerendis idoneum. Hæ erant diei naturalis apud Romanos partes.

V. De dierum diſtinctione.

POrrò initio mundi, dies iſti naturales diſtincti fuerunt in *Feſtos* & *Profeſtos*. Profeſti erant ſex dies ſeptimanæ: in quibus volebat Deus, vt homines operarentur: idque ſuo exemplo. Feſtus autem erat, ſeptimus dies in ſeptimana: in quo volebat homines feriari à rebus profanis; & vacare cultui diuino, aliiſque rebus ſacris. Idq; Deus repetiit in lege, populo ſuo tradita. Apud Romanos vero fuerunt tria dierum genera. *Feſti, profeſti, & interciſi*. Quid feſti & profeſti ſint, nunc dictum eſt. Interciſi autem vocabantur, qui Dei & hominum erant communes: hoc eſt, quorum vna pars, nempe antemeridiana cultui diuino; altera negotiis humanis impẽdebatur. Quanquam etiam Iudæi, aliquid ſimile habuerunt, in paraſceue. In Chriſtiana autem Eccleſia, Feſti ſunt, quos ſanctos in cultu diuino, & lectionibus ſacris inſumere oportet: vt eſt dies Dominica. Profeſti, quibus nemo cogitur, ſua negligere exercitia humana, vt dies Sabbathi, &c. Interciſi, quorum matutino tempore, ex publico ordine, quiſq; tenetur intereſſe concionibus, precibuſq;: poſtea verò, ſuis vacare exercitiis licet, vti ſunt dies precum. Hæc ſunt, quæ de diebus dicere, operæ pretium eſſe iudicaui.

VI. De Annis.

ANni Etymologia, trium linguarum conſenſu, eadem eſt; & naturam anni perpulchrè explicat. Annus enim dicitur, temporis ſpatium, quo inprimis Sol, peracto curſu per totum Zodiacum, eò redit iterum, vnde mouere cœpit. Itaque Hebræi שנה à verbo quod *repetere & iterare* ſignificat, appellant. Abſoluto enim illo curſu, eóque exacto anno; denuo iteratur ab eodem puncto curſus, & annus. Græci duobus eum vocant nominibus: ἔτος & ἐνιαυτός. Hoc altero optimè explicatur quid ſit annus. Ἐνιαυτὸς enim dicitur, quod ἐν ἑαυτῷ ſeu εἰς ἑαυτὸν redeat: vt Plato docet. Et Seruius in Virgilium ita etiam explicat, atque ait: Huc Virgilium reſpexiſſe, ad vocem ſcilicet ἐνιαυτοῦ: quum naturam anni deſcribens dixit:

Atque in ſe, ſua per veſtigia, voluitur annus.

Elegãter certè, & breuiter, Virgil. quid ſit ἐνιαυτὸς, deſcripſit.

pit. Vox verò ἔτος, officium indicat: Dicitur enim ἔτος, [illegible] (inquit Plato) hoc eſt, exquirit. Omnia enim intra annum, duo ſigna omnia Zodiaci percurrit ſol, quæ etiam in terris ſunt, exquiruntur, & in lucem proferuntur à tempore. Latina etiam vox idem ſignificat quod [illegible]: quanquam id variè explicatur.

Macrobius à circuitu temporis, quòd veteres, *an* pro *circum* ponere ſolebant, vt an terminum, pro circum terminum, & ambire, pro circumire. Proinde Annus dicitur, quod circumeat. Beda *ab innouando* dictum vult: quod omnia quæ naturali ordine tranſierunt, innouet. Sed melius Varro, qui annum appellari ait, quod *ſit ſicut annulus*: circulus ſcilicet in ſeipſum rediens. Id quod Ægyptij, ſua hieroglyphica, qua annum pingebant, eleganter, & ad viuum expreſſerunt. Pingebant enim ſerpentem, qui caudam ſuam ore apprehenſam teneret, eoque totum circumuolutum, & circuli formam habentem. Hinc factum eſt, vt illud temporis ſpatium, quod non Sol tantum, ſed quiuis alius Planeta conficit, à puncto aliquo Zodiaci, ad idem punctum redeundo, annus vocetur: quia perfectus eſt circuitus: quamuis ſpatium illius temporis, diuerſum ſit. Vt enim annus ſolaris eſt, vbi Sol ſuum totum conficit, & peragrauit orbem (ſicut Cicero de vniuerſitate definiuit) ſic lunaris annus eſſe dicebatur, vbi totum ſuum circulum (id quod facit intra ferè menſem) confecit. Ita annus Saturni, Iouis, Mercurij & aliorum Planetarum vocabatur, [illegible], quem faciunt ad idem punctum remeando, alius intra b[illegible] ſolare, vt Mars: alius intra duodecim, vt ſtella Iouis: alius intra 30. vt Saturni [illegible] reliquis, &c.

Hinc annorum multa genera. Nam alius eſt ſolaris, alius lunaris [illegible], alius alterius Planetæ. Eſt enim hic annus, ſpatium temporis, quo quiſque [illegible] totum Zodiacum biennium [illegible]. De quo cuiuſque Planetæ anno, pulchre Plutarchus lib. [illegible] de Placitis Philoſ. ca. 32. & vltim. Annus [illegible] magnus [illegible], qui, illud tempus eſſe definitur, quo [illegible] Planetæ, ad ſua quiſque loca, quæ [illegible] recurrunt. [illegible] nouies repeti[illegible] vel nouum annum [illegible] multiplicata, vt optime explicat Gell. lib. 15. [illegible] recurrunt.

[illegible] annus, ſed [illegible] peculiariter deſignatus: qui annus *Iubilæus* vocabatur. Recurrebat enim quinquageſimo quoque anno: De quo Leu. c. 25. Atq. [illegible] anni certa & [illegible] habet teſtimonia nihilſq. horu, cum ſacris pugnat.

Sed annus [illegible] qui [illegible] traditur à profanis ſcriptoribus, & Platoni attribuitur: qui metrum eſt hominum, ſi[illegible]. [illegible] octauam ſphæram proprio motu, (nam & ipſa deprehenſa eſt moueri duplici motu: proprio, ſicut Planetæ omnes, & alieno, à ſuperiori ſcilicet ſphæra) aiunt [illegible] hanc ſphæram [illegible] propter motum, intra [illegible] annos, vnum Zodiaci gradum percurrere: eoque totum Zodiacum abſoluere, quadraginta nouem millibus annorum. Quo exacto, aiunt omnia [illegible] ordinem habitura. Eoque hunc annum *Maximum* vocant hoc eſt, maximum omnium [illegible]. Proinde merito à pleriſque omnibus, etiam Philoſophis, ridetur hic annus. Quanquam verò reliqua annorum genera, talia ſunt, vt & nomen anni, & res ipſa illis optimè conueniat: ac proinde à Moſis [illegible] aliena non ſint. quum ait, *Et ſint in annos*. (ſunt enim omnes Planetæ in annos, cum quiſque ſuum conficiat circulum, certo temporis ſpatio) tamen apud omnes gentes obtinuit, vt annus propriè intelligatur ſpatium 365. dierum, horarum ſex, & minutorum aliquot (46 ſtatuunt.) Tanto enim tempore, & ſol ſemel, & luna duodecies, totum Zodiacum, qui eſt temporum ferè omnium moderator, [illegible] percurrunt.

VI. Cæterum, quanam ratione, annus dirigendus ſit, & totum hoc, quod dixi ſpatium temporis metiendum: duæ [illegible] ſunt diuerſæ ſententiæ, & conſuetudines: quas nos ignorare, neque æquum, neque vtile eſt. Ideo vtraque nobis eſt explicanda. Vna, eſt Hebræorum, altera Romanorum, per totam Europam recepta. Hebræi ſecundum Lunæ curſum, eoque ſecundùm menſes lunares, annum dirigebant: ita tamen, vt ſolaris etiam curſus rationem aliquam habere [illegible] fuerint. Etſi enim annum metiuntur, duodecim lunaribus menſibus: quia tamen ij ad perfectum anni computum non ſufficiunt: idcirco. tertio quoque anno intercalarunt menſem vnum, dierum 33. idque non alia de cauſſa, niſi vt ipſorum annus, ad Solis etiam curſum congruat. Vnde apparet, Hebræorum annum, ex lunari in primis, & deinde etiam partim ex ſolari conſtare, mixtumque eſſe. Romani etiam ante Iulium Cæſarem eandem, exemplo Hebræorum ſequebantur, vt Macrobius, & Plutarchus docent: & Liuius. Sed quia res plena erat tricarum, Iulius Cæſar primus ad Solis curſum cœpit menſes numerare, & ita annum dirigere: adiutus opera Soſigenis doctiſſimi Aſtronomi, cum ante eum, & ſub Numa & multò magis ſub Romulo ſatis fuiſſet confuſa. Atque ita bene correxit anni rationem, vt ſemper poſt deinceps, vbique ea ſeruata fuerit, & adhuc ſeruetur.

Dicam itaque primum *de anno Romanorum* tanquam nobis notiore.

Duo autem dicenda ſunt: Vnum de ordinatione diſpoſitionéque totius temporis anni. Alterum, vndenam, anni initium fecerint, & adhuc faciant. Ad primum quod attinet, principio, 12. menſes conſtituit Cæſar, ad numerum ſignorum Zodiaci, quæ Sol intra ſpatium 365. dierum, & horarũ ſex, vt Cæſar ſupputabat, percurrit. Atq; omnes hoſce dies, ita in hos menſes 12 diſtribuit, vt horũ quatuor, triginta dies, ſeptẽ alij 31. diem: Vnus vero 28. caperet, quæ ſumma aſſurgit ad dies 365. Deinde vero, quia præter prædictos dies 365. horæ ſex quotannis ſupererant: conſtituit Cæſar, vt quarto quoque anno, dies vnus ex illis 6. horis, quater multiplicatis, vnus dies coaleſceret: qui ad 24. diem Februarij intercalaretur. Vnde & annus ille quartus, *Biſſextilis annus* vocatus fuit, & adhuc vocatur: ita vt annus Biſſextilis contineat dies 366. Vnum tantum deſideratur in hac anni Iuliani conſtitutione: nimirum quòd illis minutis, quę poſtea deprehenſa fuerunt ſupereſſe, ex dieb. 365. & quadrãte, nulla ratione proſpectum fuit, neq; adhuc eſt. Fatetur omnes, etiam Galenus, aliquid ſupra dies 365. & ſupra quadrantẽ, ad anni integritatem ſupereſſe. Sed quantum illud ſit, diuerſæ ſunt ſententiæ. Receptum eſt, ſupereſſe minuta 49. Quia itaq; iis minutis nondum proſpectum, quànam ratione poſſint ab aliquo anno denotari, fit, vt æquinoctia, in menſium dierúmq; ſupputatione, anticipent. Ac ſunt, qui ſubducta diligẽter huius exceſſus ratione, ſic ſtatuunt, poſt ſingulos quoſq; centenos, tricenos, & vnum annos; vnum diẽ naturalem, (minuto vno minus) confici ex iis, quæ ſuperſunt, minutis. Nunc tenemus, quomodo ordinatus diſpoſitúſq; fuerit à Cæſare annus ſolaris, quem *vertentem* vocant: & quem etiam reſpectu lunaris, *magnum annum*, nonnunquam appellarunt: quo illud Virgilij ſpectat,

Interea magnum, Sol circumuoluitur annum.

Quod verò attinet ad principium anni, veteres Romani, initium faciebant anni, à primo die Martij: id quod apparet ex nominibus menſium, Quintilis. Sextilis (ij erant Iulius & Auguſtus) Septembris item, & Octobris, Nouembris, Decembris. Non enim poſſunt hæc nomina talibus conuenire menſibus; non ſtatuas, Martium fuiſſe Anni menſem primum. Et initio quidem, decem tantùm habuerunt menſes Romani, ſed plurium erant dierum, quàm iam ſunt. Additi deinde fuerunt Decẽbri, Ianuarius, & Februarius, tanquam poſtremi menſes: verùm detractis aliquot diebus è ſingulis menſibus illis decem. Cæterùm Ianuarium porro, præpoſuere reliquis menſibus; id quod alij Numæ attribuerunt, alij alius. Primus autem dies menſis, non incipiebat à mane calendarum Ianuarij, ſed à media nocte præcedente: quoniam vt ſuprà dictum eſt, diem inchoabant à media nocte, naturalem.

Ad numerum, ordinem, & nomina menſium Romanorum quod attinet, & cur ita appellarint: partim notum eſt, partim noſtra nihil intereſt ſcire. Ac cuperem, tandem aliquando, pleraque menſium nomina mutari, cùm nomina ſint Deorum Gentilitiũm: imo nomina ſceleratorum hominum, quos in Deorum numerum retulerunt: & pro Diis adorarunt ſicuti etiam nomina aliquot dierum. vt notum eſt. Et optarem reponi nomina, vel Hebraicæ vel primi, ſecundi, tertij, &c. menſis: Et primæ, ſecundæ, tertiæ feriæ: ſed noſtrum non eſt id facere. Ergo ad alia pergamus. Hactenus *de anno* Romanorum. Venio *ad Hebræorum*.

Principio, ſicut Iulius Cæſar, & deinceps reliqui ad rationem Solis, annos direxit: ſic Hebræi ad Lunæ curſum; vt antè dictum eſt. Ideo ipſos etiam menſes, duodecim numero: ex Lunæ curſu inſtitutos à Deo acceperunt. Et ſemper ſequuti ſunt hanc rationem, menſes & annos ſupputandi. Nomina menſium, vnà cum illorum ordine, à principio Mundi, vſque ad liberationem ex Ægypto, fuerunt hæc:

Thiſri primus, qui noſtro reſpondet Septembri. Ratione enim non infirma colligitur, Mundum initium accepiſſe in Autumno, atque ab hoc menſe. Deus enim ſicut animalia perfecta creauit, ſic etiam arbores, cum ſuis fructibus: vt apparet ex arboribus Paradiſi, quæ ſua habebãt poma, quum in ea collocatus fuit Adamus. Sic etiam Mundus, & ratio primi temporis continuata fuit ſemper. Cum itaque ſemper fructus ſuos proferant arbores, in autumno: non ſine cauſſa dicitur, Mundum incepiſſe in Menſe Sep-

tembri, qui *Thiſri*, Hebræis eſt. Quare de principio, hunc menſem fuiſſe primum ordine, non dubito. Reliqui ſequuntur ordine.

Secundus enim erat: בול *Bul*: qui & מרחשון, & noſtro Octobri reſpondet. Conſtat ex 1. Melach. cap. 6. vbi בול vocatur *menſis octauus*.

Tertius, כסלו *Chisleu*: qui noſtro Nouembri. Zach. 7.
Quartus, טבת *Thebeth*: nobis eſt December. Heſter. 2.
Quintus, שבט, *Sebath*: nobis eſt Ianuarius.
Sextus, אדר *Adar*, Februarius eſt.
Septimus, ניסן *Niſan*: Martius nobis eſt.
Octauus זין & זו & איר, Aprilis.
Nonus סיון, *Siuan*, Maius.
Decimus תמוז, *Themuz*, Iunius.
Vndecimus, אב *Ab*, Iulius.
Duodecimus, *Elul*, Auguſtus.
Hic fuit primus Menſium ordo.

Verum enimuero in liberatione ex Ægypto, Deus alium ſtatuit menſium ordinem, annique principium: nempe: vt menſis *Niſan*, qui Martius nobis eſt, primus eſſet menſis initiúmque anni: vt in Exod. 12. apertè docetur: vbi ſic ait Dominus, *Menſis iſte, vobis erit caput menſium primus erit vobis in menſibus anni*. Et de Niſan loqui Deum, liquet etiam ex Heſter. cap. 3. vbi primus, qui tunc obſeruabatur in anno menſis, vocatur *Niſan*. Quo ex loco Exodi, apertè colligitur, ante liberationem ex Ægypto primum anni menſem non fuiſſe Niſan. Quorſum enim alioqui opus fuiſſet, vt diceret, Hic erit vobis primus in menſibus anni, ſi antè etiam fuiſſet? Iuxta hunc nouum ordinem, ſecundus erat *Ziu*: qui nobis eſt Aprilis: atque ita ordine de reliquis menſibus. Nunc etiam tenemus ordinem menſium apud Hebræos in ſacris literis. Et quiſnam menſis fuerit illis, initium anni. Nunc propius eſſet accedendum; Et videndum, vndenam, ſeu à quónam die Hebræi ſuum inchoarint annum: vt inde vera Ephemeris conſtitui poſſit e S. Literis collecta. Sed res intricatiſſima eſt, & adhuc ſub iudice lis eſt. A Vere initium illos feciſſe, cùm ex iis quæ diximus de menſibus, tum etiam ſpeciatim ex Deut. 16. vbi de tempore celebrãdi Paſchatis, præceptum traditur, manifeſtum eſt: illud autem erat, quum Sol in Arietis principio erat: hoc eſt, initium Verni Æquinoctij. quod & 14. Luna vocatur, ſed quotónam die Martij, aut fortè aliquando etiam Aprilis, contingat initium Æquinoctij. Quot capita, tot ſententiæ: Itaque neq; ego in hunc ingrediar labyrinthum, vt ex ea vos explicem, cùm neque ipſe aliquid adhuc legerim, quod mihi plenè ſatisfaciat. Et verò etiam hæc, ad meum præſens inſtitutum non pertinent. Satis eſt oſtendiſſe, quomodo Sol & Luna, poſita fuerint cunctis gentibus, vt eſſent illis non ſolum in ſigna: ſed & in dies & in annos. Ac proinde quàm neceſſaria fuerint Mundo, hæc aſtra, & aſtrorum varij curſus: quorum alij conficiunt dies, alij annos, variáque tempora. Quàm fuerit hoc poſtremum officium Solis & Lunæ, neceſſarium, explicare poteſt nemo.

CAPVT II.

Quæſtiones in quartum diem.

NVNC breuibus theſibus, multas quæſtiones, quæ ex opere quartæ diei, proponi ſolent, explico: vt tota de hoc opere doctrina, ante oculos, tanquam in tabella habeatur. Ac primùm, iuxta partitionem initio huius contextus propoſitam, explicanda mihi illa ſunt, quæ ad naturam eſſentiámque ſtellarum, motum & magnitudinem pertinent. Deinde, quæ ad earum officia ſpectant.

QVÆSTIO I.

De Eſſentia & Natura Stellarum omnium.

THESIS I.

Quæuis ſtella, eiuſdem naturæ & ſubſtantiæ eſt, cuius & cælum, in quo fixa eſt atque firmata.

PRimo, Scriptura enim non docet, eas, ex alia eſſe ſubſtantia, imò docet, factas fuiſſe in ipſa cælorum expanſione, eoque ex ipſa cælorum materia. Deinde, aut ex natura cæli ſunt, aut ex Elementari. Ex hac non ſunt, quia motu recto, quo etiam omnia Elementa, mouerentur aliquando, aut ſaltem moueri poſſent. Mouentur autem motu circulari, ſicut cælum, neque alio motu moueri poſſe conceditur à Philoſophis.

II.

Ideo autem lucent aſtra, & non cæli, quia hi diaphani ſunt ac rari, aſtra autem denſa, eóque lucem retinentia & reflectentia.

IN corpore enim non ſolido, ſed diaphano recipitur lux, ſed ab eo reflecti non poteſt, vt in aere apparet. Ex Aſtris autem reflectitur. Solida igitur ſint corpora, oportet. Proinde non incongrue cæli, aquæ ſimplici comparantur: Aſtra autem eidem, ſed gelu concretæ. Aſtra enim nil aliud eſſe docent, quàm ſolidas cuiuſque cæli partes. Quò ſpectat & aliud ſimile, quo dicunt, cuiuſque aſtri cælum, eſſe inſtar tabulæ ligneæ: aſtrum autem ipſum, ceu nodum, ſed politicum ac mundum & lucidum in tabula.

III.

Proinde licèt inſtar ignis, luceant, & calefaciant, atque inprimis Sol: ignea tamen, propriè loquendo, non ſunt natura.

SI enim ſtellæ, eiuſdem ſunt naturæ, cuius & cælum: Cælum autem igneæ naturæ non eſt, ſed longè differentis: efficitur, neque ſtellas eſſe igneas. Dicitur quidem Sol Hebraicè שמש quaſi dicas, ibi ignis: verùm hoc dicitur propter effecta. Lucet enim & calefacit ſuo lumine & motu, vt ignis.

IV.

Ac licèt ſtellæ, ita in hæc agant inferiora, vt verè aliæ calefacere, aliæ frigefacere, aliæ humectare, aliæ exiccare: atque ita varia producere effecta dicantur, nullis tamen huiuſmodi qualitatibus illæ affectæ eſſe, putandæ ſunt.

PErtinent enim hæ qualitates, ad corpora alterationi corruptioníque obnoxia, cuius iam expertes ſunt ſtellæ, ex Dei ordinatione, cælique omnes. Sed quicquid hic agunt, ſuis motibus luminibúſque diuerſis agunt. Qua de re doctiſſimè ſimul & elegantiſſimè ſcripſit Iohannes Pontanus, de rebus cæleſtibus libr. 3. Quare quæ de diuerſis ſtellarum qualitatibus apud Aſtronomos, alioſque auctores, vt etiam apud Bedam Tom. 2. de Natura rerum, cap. 2. leguntur: Ea non aliter intelligenda ſunt, quàm has ſtellas, tales dici propter effecta, quæ in corporibus inferioribus, ſuis efficiunt motibus, luminibúſque diuerſis.

Atq; hæc de eſſentia naturaq; ſtellarum omnium, ſatis.

QVÆSTIO II.

De partitione ſtellarum, numero, ſitu, nominibus, ordine. Theſis igitur

V.

Diuiduntur autem ſtellæ, in errantes, & fixas.

FIxas vocant, quæ ſunt in octaua ſphæra. *Planetas* autem ſeu *errones*, qui in orbibus inferioribus ſunt, cumque illis inæquali motu contra nonam ſphæram mouentur ac proinde oberrant.

VI.

Planetæ ſeptem ſunt, inter ſe diſtincti, eóque ſeptem etiam ipſorum orbes.

HOrum nomina duo in S. Literis habemus, Solis ſcilicet & Lunæ, quorum ille, Hebræis שמש, iſta autem, ירח appellatur & לבנה Reliquorum nomina in ſacris nondum potui obſeruare: ſed quæ à profanis gentibus impoſita illis fuerunt, ea ſunt hactenus recepta in toto Mundo. Ea autem ſunt. *Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius*

Ac Sol quidem Græce ἥλιος. & ἅλιος ἀπὸ τοῦ ἁλίζειν (inquit Plato) εἰς ἓν τοὺς ἀνθρώπους, ἐπειδὰν ἀνατείλῃ. quod homines poſtquam exortus eſt, in vnum conuocet. Latinis vero Sol dicitur: vel (vt ait Cicero) quia ſolus ex omnibus ſideribus, eſt tantus: vel quia, quum eſt exortus; obſcuratis aliis, ſolus apparet. Luna ירח dicitur, ſicut & menſis eodem nomine ita vocatur: quia (inquit Sanctes) Luna ſingulo innouatur menſe. Eadem לבנה dicitur: ab albedine, quam refert. Græcè vero σελήνη à σέλας (inquit Plato) quæ vox *lumen* ſignificat, & νέον quod eſt nouum: quod ſcilicet nouum ſemper lumẽ à Sole accipiat. Itẽ μήνη à menſe: quòd ſuo curſu intra menſem, totum Zodiacũ percurrat.

Latinè

Latinè vero *Luna*, quòd noctu luceat. Reliquorum etiam Planetarum nomina, quanquam falſorum deorum nomina ſint; ſuas tamen habent ſignificationes, proprietatibus talium ſtellarum congruentes, vt apud profanos ſcriptores videre eſt (vide etiam gloſſam in Bedam Tom. 2. de Natura rerum cap. 13.) Sed hæc nihil ad nos.

V I I.

Fixarum aliæ ſunt numerabiles, aliæ innumerabiles.

NVmerabiles ſunt 1022. reliquis maiores, & ſplendidiores. Tot enim obſeruarunt Aſtronomi. Innumerabiles ſunt reliquæ, de quibus Geneſ. *Numera ſtellas, ſi potes.*

V I I I.

Numerabiles in 41. animalium effigies, aliarúmque rerum imagines, diſtinguuntur: quarum imaginum 12. in Zodiaco: vndecim in Auſtrali cœli parte: 18. autem in Septentrionali plaga numerari ſolent, certo ordine collocata.

I X.

Omnes autem hæ ſtellarum imagines 41. non tantùm ordine & ſitu, verùm etiam certis nominibus inter ſe diſtinctæ ſunt.

NOmina earum, quæ ſunt in Zodiaco, omnibus nota ſunt. Qui reliquarum cupit videre, & nomina, & ſitus, & ordines; præter Aſtronomorum libros, & ſphæram; videat etiam Vicomercat. in 1. Meteor. pag. 104. libro quædam etiam nomina habentur in ſacris Literis; vt Iobi c. 9. 37. 38. Amoſi cap. 5. & alibi. Nominantur enim *Pleiades*, *Hyades*, *Orion*, *Arcturus*, & aliæ ſtellæ.

X.

Quæ vero innumerabiles ſunt: licet apud Deum ſua habeant nomina, & certo conſtent ordine: quia tamen ordo earum, ſicut & numerus, ignoti ſunt hominibus, & ſparſæ ſine vllo ordine, eſſe videntur, idcirco, vno communique omnium nomine σποράδες appellantur.

SEd de earum numero & nominibus apud Deum: ita ſcribit Dauid Pſalm. 147. *Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus illis nominibus vocat.* Agnoſco tamen hîc figuratam locutionem.

X I.

Planetæ, vt præcipuæ ſunt, notioréſque nobis ſtellæ, ſic etiam certiorem inter ſe habent ordinem.

DE horum ordine, nullam video apud veteres fuiſſe dubitationem, niſi de ſole. Anaxagoras hunc collocabat inter alios ſex, medium tanquam omnium Regem. Plato tamen, Ariſtoteles, & alij multi, Solem immediatè ſupra Lunam poſitum eſſe putarunt. Plato in Timæo ſic ſcribit apertè: σελήνην μὲν εἰς τὸν περὶ γῆν πρῶτον, ἥλιον δὲ εἰς τὸν δεύτερον ὑπὲρ γῆς. De Ariſtotelis ſententia, quæ in libro habetur de Mundo: nemo dubitat. Cæterùm poſteriores, qui diligentius rem perſcrutati ſunt, deprehenderunt, Solem inter reliquos, medium eſſe. Proinde receptus eſt apud omnes hic Planetarum ordo: vt ſublimior ſit Saturnus; inſequens, Iupiter; tertius, Mars; quartus, Sol; quintus, Venus; ſextus, Mercurius, ſeptimus, Luna.

Q V Æ S T I O III.

De Stellarum motu, magnitudine, figura.

T H E S I S XII.

Stellarum nulla, per ſe mouetur, ſuum diuidendo orbem, vt auis diuidit aërem.

SI enim illo modo mouerentur; certè quæ ſunt circa polos ſtellæ, citiùs ſuos cõficerent curſus; quàm quæ ſunt in medio cœli, circa æquinoctium. Minùs enim ſpatij haberent quod percurrant. Hoc autem manifeſtè apparet falſum eſſe; cum ſtellæ fixæ, ſemper æquali à ſe inuicem diſtantia diſtinguantur.

X I I I.

Neque etiam mouentur ſtellæ, ſeſe in ſuis orbibus circumcirca voluendo, aut inſtar molæ in molendino, circulariter gyrando.

SEntentia hæc, efficacibus rationibus probatur ab Ariſt. lib. 2. de Cælo & Mundo. Neque contrarium docent ſcripturæ; aut ex eis colligi poteſt.

X I V.

Singulæ verò, in ſuo & cum ſuo orbe, motu nimirum ipſius orbis mouentur, vt gemma, motu ſui annuli, cui infixa eſt.

NEceſſariò hæc concluſio ex præcedentibus ſequitur, cùm extra controuerſiam ſit illas moueri. Si enim motum proprium non habent ſtellæ, & tamen mouentur; motu igitur alieno, hoc eſt, cæli cui affixæ ſunt, moueantur, oportet.

X V.

Vt verò omnes orbes, duplici mouentur motu, vno, quo à primo mobili, nona ſcilicet ſphæra, ab Oriente in Occidentem, altero proprio, & priori contrario, ab Occidente in Orientem, ſic etiam quæuis ſtella mouetur.

X V I.

Ac motu quidem primi mobilis, omnes intra idem temporis ſpatium, ab Oriente in Occidentem rapiuntur, proprio autem, quo cuiuſque orbis ſuperior & altior eſt: Eò ferè etiam tardiùs, ſuum conficit curſum.

HVius ratio Phyſica ab amplitudine orbis maiori ſumitur. Quanto enim orbis amplior eſt, & ſuperior, eò etiam maiorem facit circulum; eóque tardiùs ſuum conficit motum. Res verò eſt manifeſta: quia deprehenſum eſt, & quotidie deprehenditur, ſolem tardiùs ſuum proprium conficere curſum, per Zodiacum, quàm luna: cum hæc intra menſem, ille vero intra duodecim conficiat. De qua motus diuerſitate, aliàs quoque dictum fuit. Dixi autem, *ferè*: quoniam apparet, Solis orbem ſuperiorem eſſe Veneris orbe: & Veneris ſuperiorem, ampliorémque cœlo ipſius Mercurij. Interim tamen, ab Aſtronomis obſeruatum eſt, omnes hoſce tres orbes, eodem ferè tempore, ſpatio ſcilicet vnius anni, ſuum quemque conficere curſum. Qua ex re apparet, cælos non tam ex natura ſua, quàm ex voluntate Dei moueri. Nulla enim hîc Phyſica ratio aſſignari poteſt, cur cùm alter ſit altero amplior, æquali tamen ferè tempore moueantur omnes: niſi quia, qui illos mouet orbes, pro voluntate ſua libera mouet. Neque dubito, quin Deus in hac re, declarare nobis voluerit rerum omnium, atque inprimis cælorum motum ex ſua ipſius voluntate (vt dictum eſt) magis pendere, quàm ex rerum naturis, (quas tamen etiam illis dedit ipſe.) Hoc etiam aliàs oſtendit; cùm iuſſit orbem Solis ſubſiſtere, aut etiam retrocedere. Proinde Apoſtolus Hebr. 1. ait de Chriſto, Deo æterno: *eum portare omnia verbo ſuæ potentiæ.* Et ſunt ſtulti illi Philoſophi, qui huius rei cauſſam aliam quærunt, quàm voluntatem Dei.

X V I I.

Vt verò ſtella differt à ſtella, in claritate, ſic etiam in magnitudine, ſuique corporis amplitudine.

OMnes ſtellas lucere manifeſtum eſt, ex verbis etiam Moſis. Vnde & omnes, ἄστρα vocantur, ἀπὸ τῆς ἀστραπῆς, à coruſcatione: vt Plato docuit in Cratylo. Neque omnes ſtellas, eiuſdem eſſe lucis: manifeſtum itidem eſt ex Apoſtoli dicto, 1. Corinth. 15. Item ex ſenſu. Et hoc eſt quod docuit Moſes, nominando *luminare maius*, & *luminare minus*. Quæ verba propriè de lucis magnitudine intelligenda ſunt: ideo non dixit, *Fecit duo corpora, vnum maius, alterum minus* (quod tamen verum eſt:) ſed vt ſignificaret, ſe non loqui de magnitudine corporis, ſed lucis, dixit *luminaria*. Hoc autem verũ eſt in omnibus ſtellis; quòd aliæ maioris ſint lucis, aliæ minoris, vt Apoſtolus interpretatur. Cæterũ diuerſæ etiam eſſe illas amplitudinis: prærerquam quod de mul-

tis id demonſtrat ſenſus, ratione etiam euicerunt Aſtronomi, & Philoſophi. Quanta verò ſit cuiuſque amplitudo, quis poſſit exactè cognoſcere? Dicam tamen, quæ ſpeciatim de Solis & Lunæ magnitudine, docti viri ſcribant. Extra controuerſiam eſt apud omnes doctos, ſolem terræ amplitudinem longè ſuperare. Homerus de ſole ſic dixit:

Ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Poetice dat ſoli viſum, & auditum; quibus omnia videat, & audiat, vt eius amplitudinem, qua totam ſuperat terram omniáque ambit, demonſtraret. Plato idem docuit in Epinom. Cicero in 2. de natura Deorum: *Sol* (inquit) *omnia, clariſſima luce colluſtrans: multis partibus maior atque amplior eſt, quàm terra vniuerſa.* Euidentiſſimis etiam rationibus idem euincit Plin. lib. 2. cap. 11. Legatur locus. Ptolemæus docet, proportionem diametri ſolis, ad diametrum terræ, eſſe, ſicut vndecim ad duo. Hinc verò colligitur proportio ipſorum corporum, terræ & ſolis, terminis (vt loquuntur) cubice multiplicatis, eſſe ſicut 166. ad 1. Hinc quanta ſit amplitudo corporis ſolaris, apparet. Imò quidam volunt, terram, comparatam Soli, eſſe centeſimam & octuageſimam partem. Sed hæc exactè ſcire nemo poteſt. De Luna, magis diuerſæ ſunt ſententiæ: cùm nonnulli velint, eam maiorem eſſe terrâ: alij minorem, alij æqualem. Baſilius homil. 6. in Examerон non definit quanta ſit eius magnitudo; docet tamen ita magnam eſſe, vt non minor admodum poſſit eſſe terra. Plin. quoque lib. 2. cap. 11. ab Eclipſi Solis demonſtrat, Lunam maiorem eſſe terra. Apud multos tamen recepta eſt ſententia, Lunam comparatam terræ, eſſe quadrageſimam illius partem. Recitaui ſententias diuerſas de Lunæ magnitudine.

De aliis ſtellis, tam Planetis, quàm fixis, ſentiunt omnes, eas maiores eſſe terra, multis partibus: ſed de Venere & Mercurio dubitant nonnulli. Cicero de Natura Deorum, in genere ait, poſt Solem, reliqua ſidera, magnitudinibus eſſe immenſis. Item Plato in Epinom. πάντα (inquit) τὰ φερόμενα ἄστρα, θαυμαστὸν τὸ μέγεθος ἔχει. Mihi videtur Plin. feliciter de rebus prudenter ſcripſiſſe, lib. 2. cap. 11. Baſilius tradit regulam generalem, qua de aſtrorum magnitudine, iudicare vtcumque poſſis. *Si aliquando* (inquit) *de magno montis cacumine campum vidiſti magnum & ſupinè ſitum, quantùnam tibi viſa ſunt iuga boum, quanti ipſi aratores? Nonne quandam formicarum imaginem tibi exhibuerunt?* Exemplum item affert. *Si quis e ſpecula in mare deſpicias, & naues videas, quæ maximæ ſunt, hæ propter ſpatij longinquitatem, videbuntur inſtar columbarum, per æquora volitantium.* Inde vult nos colligere, quanta ſit amplitudo ſtellarum, quæ nobis ex altiſſimis Cœlis elucent. Si quis eam proportionem faciat inter terram, ac ſtellas in ſphæris cœleſtibus exiſtentes; quæ etiam ſit inter oculum eius, qui e ſublimi turri deorſum inſpicit, & inter ea quæ in terra intuetur, eum ait incredibilem eſſe ſtellarum omnium magnitudinem. Atque hoc ſatis eſſe debet Chriſtiano homini ad contemplandam Dei potentiam in creandis aſtris.

XVIII.

Vt verò certa cuique ſideri conſtituta eſt magnitudo, & ſuus cuique orbis, cum quo moueatur, ſic etiam certæ motus præſcriptæ ſunt leges, quas nemo alterare poteſt.

Liquet hoc, tum experientia, tum apertis ſacrarum Literarum teſtimoniis Pſalm. 104. *Fecit Lunam in ſtata tempora. Sol cognouit occaſum ſuũ.* Iob. 38. legitur Deus ſolus ſiderum motibus, leges præſcripſiſſe, in quibus homo nil poteſt. *Nunquid tu* (inquit) *ligabis influentias Pleiadum, aut ſolues vim attractiuam Orionis? Nunquid poteris adducere ſigna in tempore ſuo: & Arcturum cum filiis ſuis* (id eſt, ſtellis) *deduces? Nunquid noſti ſtatuta cæli?* Quibus ex locis apparet, quanta ſit hominum quorundam ſtultitia, qui putant poſſe veneficas ſuis incantationibus ſiſtere Solem, aut Lunam: eáque quocunque velint mouere, & in terram etiam detrahere. Qua de re Baſilius homil. 6. in Examerон.

XIX.

Figuræ porrò ſphæricæ, ſunt Stellæ omnes.

DEmonſtrat hoc Ariſtoteles de Cœlo & Mundo, libro 2. cap. 11. tribus rationibus. Euincit enim ex ſenſu, Lunam eſſe rotundam. Cùm autem omnia aſtra eiuſdem ſint naturæ, idem de omnibus concludit. Quanquam ab ipſa quoq; cœlorum omnium forma: figura ſtellarum concludi poteſt, ſicut contrà ex partibus aquæ rotundis, eum eſſe ſolitum totam aquam eſſe rotundam.

QVÆSTIO IV.

De Stellarum animis.

THESIS XX.

Non ſolùm autem erroneum, verùm etiam impium eſt, credere ſtellas, animâ præditas eſſe, multò magis verò dicere, eas animalia eſſe rationalia.

FVit hæc Platonis opinio, quam nonnulli Patres ſequuti ſunt, vt Origenes apertè: Auguſtinus viſus fuit aliquando dubitare: vt in tomo 3. de Gen. ad Lit. lib. 2. cap. vlt. Et in Enchir. ad Lauren. ca. 58. Sed poſtea ſententiam hanc Platonicam non probauit: vt in tom. 6. contra Priſc. & Orig. cap. 8. Item tom. 1. Retract. lib. 2. cap. 7. retract. quod aliquando ita de Sole & Luna locutus ſit, vt videatur ſenſum eis aliquem tribuiſſe. Erroneum enim eſſe nouit Auguſtinus, & contra S. Literas, ſtellis vllam tribuere mentem, aut animam. Impium etiam id eſt, quia ad errorem illorum confirmandum ſpectare videtur, qui aſtra adorabant. Fuerunt enim plerique, non ſolùm inter Gentiles, verum etiam ex Iudæis, qui, quoniam credebant, Solem & Lunam mente præditas eſſe, idcirco illas ſtellas pro Diis adorarunt, & illis ſuffitum fecerunt. Legatur liber ſecundus Melachim, cap. 23. Et alibi ſæpè, vt Ier. cap. 7. & cap. 44. Hunc eundem errorem, Phyſica ratione refutat Aquinas par. 1. q. 70. ar. 3. Et aduerſariorum rationes diluit. Contra hunc errorem legatur etiam Lact. Fir. lib. 2. ca. 5. Si quæ verò reperiantur locutiones, quæ videantur mentem & ſenſum dare aſtris, vt illud Pſalmi, *Sol cognouit occaſum ſuum* omnes illæ, μεταφορικῶς intelligendæ ſunt, ſicut & illa. *Audite cæli quæ loquor.* Sunt tamen qui Platonis ſententiam ſic interpretentur, vt eum non alia de cauſſa dixiſſe velint, aſtra eſſe animalia, niſi vt ſignificaret ea tam pulcro, ſapienti & conſtanti tenore ſuos conficere curſus, ſuáque lumina nobis communicare, perinde atque ſi eſſent ratione prædita.

QVÆSTIO V.

De Aſtrorum Harmonia.

THESIS XXI.

Neque vlla aut in Cœlis, aut in Aſtris fingenda eſt muſica harmonia, niſi μεταφορικῶς accepta.

SEntentia fuit Pythagorica, ex ordine motuque Cœlorum atque Aſtrorum: ſuauiſſimam maximámque gigni harmoniam. quanquam à vulgo non percipiatur, id quod inde fieri contendebant, quod ad continuam & nunquam ceſſantem hanc cœleſtem muſicam ita occalluerint hominum aures, vt eam percipere nequeant: vt contingere etiam ſolet iis, qui ad Nili, aliorúmve fluminum ſtrepitus nati ſunt, atque habitant. Tales enim homines fieri ſurdaſtros, vt perpetuum fluminis ſtrepitum non diſcernant. Addebant etiam, ideò ab hominibus Muſicam hanc non audiri, quod toti addicti rebus terrenis, attenti non ſint ad cœleſtes. Porrò bifariam intelligi poteſt hæc Pythagorica ſententia: nimirum, aut propriè, aut figuratè. Si propriè, meritò eam riſit Ariſtoteles lib. 2. de Cœlo & Mundo, cap. 9 & efficaciſſimis refutauit rationibus. Cæterùm mihi nullo modo fit probabile, tam abſurdam phantaſiam, támque ridiculam, venire in mentem Pythagoræ, viro ſapientiſſimo, præſertim cum manifeſtum ſit, eum ſolitum fuiſſe, res cœleſtes, & graues, numeris, tonis, aliiſque figuratis locutionibus explicare. Quale illud eſt, quod de fabis non edendis tradidit. De vitanda enim Venere loquebatur, non de fabis, vt optimè explicat Gellius & alij. Quale & illud eſt, de tranſmigratione animarum beſtiarum, in humana corpora, & contrà: De moribus enim beluinis, quos induant homines, diſputabat; non autem de vera animarum migratione. Itaque muſica hæc cœlorum, cœleſtiumque aſtrorum: aliud fuit Pythagoræ, quàm vocalis corporaliſque muſica. Quidam ſcribunt, Pythagoram locutum fuiſſe de ſpatiis, quæ perfectiſſima proportione conſtituta ſunt inter cœleſtes orbes, & ſtellas: & hæc ſpatia, muſicis vocabulis fuiſſe à Pythagora expreſſa. Dicebat enim, ſpatium quod inter cœlum & terram eſt, ſtadiorum eſſe 125. à Luna ad Solem, duplum eſſe, inde ad ſtellarum cœlum, triplum. Et ſpatium à terra ad Lunam, *tonum* vocabat. Spatium à Luna, ad Mercurium, *ſemitonium*. A Ioue ad Saturnum, *ſemitonium* itidem, à Saturno ad ſtellarum, *tria ſemitonia*: qui ſimul omnes, ſex toni ſunt, quibus diapaſon harmonia perficitur. Explicatur hæc apud multos

multos profanos ſcriptores. Legantur etiam gloſſæ, in Bedam: lib. de Natura rerum, ca. 12. Hanc volunt fuiſſe muſicã Pythagoræ, in Cœlis & Aſtris: Alij volunt, eum Muſicæ & Harmoniæ nomine intellexiſſe conſtantem illã aſtrorum erga Deum obedientiam, & ſummam inter ipſa conſenſionem: qua perpetuò inuiolabiliq; tenore mouentur, & ſuum quodque illorum facit officium. Nam ſic ſolitum eſt dici, vbi, puta in Republ. omnes inter ſe conſentiunt, dictóque parent Magiſtratus, & ſuum quiſq; diligenter facit officiũ; ibi ſummam eſſe Harmoniam. Quia itaq; nullibi præſtantior ordo, obedientia, omnium inter ſe conſenſio ſpectatur, quàm in cœlis & inter aſtra; idcirco dixit Pythagoras, ſummam perfectámq; ex motu aſtrorum cœleſtium gigni Harmoniam. De hac Harmonia loquebatur & Dauid, cùm dixit, *Pſal.* 19. 1. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei: Et opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c.* Beda quoq; libro de Natura rerum, cap. 13. quod eſt de ordine & motu Planetarum, hanc muſicam egregiè pingit.

Atque hæc de primo, hoc eſt, de natura, eſſentia, diſtinctione, numero, ſitu, nominibus, ordine, motu, magnitudine, figura, muſica ſtellarum; & an ſint animalia, nécne, ſatis ſunto.

V I. Venio ad alterum de officiis.

Non eſt cur hîc multa à me expectentur; cùm ſingula officia, mihi explicaſſe ſatis videar, in ipſa cõtextus Moſis interpretatione. Tres tantùm Quæſtiones reſtant explicandæ. Cùm enim dicat Moſes, *poſita fuiſſe luminaria in cœlo, vt lucerent ſuper terram: & vt in dominium eſſent diei & noctis:* eóq; vt (ſicut interpretati ſumus) ſuis luminibus & motib. diuerſis, varia in hac Elementari regione producerent effecta: & vt eſſent etiam in ſigna, ſtatáque tempora: occurrit. *Prima* quæſtio, de luce, quam nobis cõmunicant, quænam illa ſit: quæ eius natura; quomodo communicetur. *Altera* eſt, de vi aſtrorum, in hæc inferiora, quanta illa ſit, & quo vſque ſeſe extendat. *Tertia*, an ex aſtris tanquam ſignis rerum futurarum, liceat futura diuinare, atq; prædicere; eóq; de iudiciaria Aſtrologia, aliquid dicendum fuerit. Ad *primam* quæſtionem quod attinet, eam breuiter ſic explico.

THESIS I.

Lux & lumen, licèt ſæpè unum pro altero accipiatur, differunt tamen inter ſe.

LVx enim dicitur vti eſt in fonte, hoc eſt, in corpore per ſe lucido, veluti in Sole: Lumen verò, vti eſt in medio; hoc eſt, in corpore diaphano, ab alio recepta, puta in aere, aut in aqua. Lumen enim nil aliud eſt, quã in lux lucive imago in corpore diaphano, recepta atque expreſſa, eóque tranſitus. Sicut eadem lux in corpore diaphano ſeu opaco recepta; & in aliud retorta atque reflexa: *ſplendor* à Philoſophis vocatur. At verò in corpore opaco recepta, ſed non reflexa dicitur *color*. Ita lux in Sole, propriè lux eſt. Eadem per orbem diffuſa, lumen eſt. Eadem à Luna recepta, húcque ad nos reflexa, *ſplendor*. Lucem autem in lapide, & ligno, *colorem* vocari volunt. Sed quid propriè ſit color: aliàs declarauimus. Et vnde etiam generetur, docuimus. Non eſt enim propriè color, à luce Solis, ſed à luce ignis, & ab opaco terrę. Ex quibus omnia corpora hinc componuntur: eóq; à principio intrinſeco eſt, non ab extrinſeco. *De luce vide Ficinum in Theophr. de Anima, cap. 17. Item lib. duos de Sole & lumine.*

I I.

Etſi verò luminare, vti Sol, corpus eſt lucidum: lux tamen ipſa, qua lucidum eſt, neque corpus eſt, neque defluxus corporis, neque forma corporis ſubſtantialis.

PRobat hoc Ariſtoteles in 2. de anima, cap. 7. Non eſt corpus, quia cùm lux recipiatur & diffundatur in aëre, corpore diaphano, ſi ipſa etiam corpus eſſet: duo forent corpora ſimul in eodem loco, lux & aër, quod nefandiſſimum eſt in Philoſophia ſentire: quia ſua natura impoſſibile id eſt. Neque eſt cur quis obuciat exhalationes corporeas, quæ aſcendunt per aerem è terra & aqua. Tunc enim cedit aër his corporibus, vt nunquam ſint duo corpora ſimul in eodem loco. Lux autem in aëre eſt. Deinde, ſi tenebræ, quę opponuntur luci, non ſunt corpus: (nil enim aliud ſunt quàm priuatio lucis:) Ergo neq; lux, corpus eſſe poterit. Vt enim priuatio lucis per ſe non eſt, ſed in alio ſemper ſit oportet: ita lux per ſe non ſubſiſtit, ſed ſemper in aliquo ſubiecto. Quod autem per ſe non ſubſiſtit, corpus eſſe non poteſt. Denique motus corporis, in inſtanti fieri non poteſt, ſed in tempore, eóque perceptibili. Lux autem diffunditur à Sole per totum aërem ab Oriente in Occidentem, in inſtanti. Proinde meritò reprehendit Ariſtoteles Empedoclem, qui dixerat, lucem multiplicari in tempore, ſed nobis imperceptibili. In tanto enim ſpatio, quantum eſt ab Oriente in Occidentem: ſi in tempore diffunderetur lux Solis, omnino tempus à nobis perciperetur: vt optimè docet Ariſtoteles. Iiſdem rationibus demonſtratur, lucem non eſſe defluxum aliquem, è corpore Solis: quia tales defluxus, non poſſunt non eſſe corporei. Neque etiam formam eſſe ſubſtantialem corporis lucidi: probant Philoſophi, ab operatione actionéque lucis. Diffunditur enim è Sole per aërem: & per hanc lucem immediatè Sol varia in terra operatur. Hoc autem non poteſt forma ſubſtantialis. Per formam enim ſubſtantialem vnaquæque res habet eſſe: per virtutem autem, quæ ſubſtantialis non eſt, operatur. Ideo ſoli Deo hoc datur: quòd ipſe omnia agat immediatè ſua eſſentia: non per virtutes, quæ ab eſſentia differant. Sua enim eſſentia intelligit, ſua eſſentia vult, eadem amat & operatur. Ideò cùm ſcriptura dicat, Deum, omnia per Filium, per ſuam ſapientiam, per λόγον ſuum operari: non poteſt iſte λόγος accidens eſſe in Deo. Eſſentia igitur ipſe eſt eadem, quæ & Pater; quanquam diſtinguitur à Patre, vt ſcripturæ docent: Idem de Spiritu ſancto, qui virtus Dei appellatur, dicimus. Cùm igitur ſolius Dei ſit, operari immediatè, ſua eſſentia: Sol autem illuminet & operetur per ſuam lucẽ: lux Solis nõ poteſt eſſe ipſius forma ſubſtantialis, ſeu eſſentia, id quod de omni corpore lucido euincitur.

Deinde lux per ſe ſenſibilis eſt. Videtur enim: Nulla autem forma ſubſtantialis, ſub ſenſum cadit per ſe. Denique quomodo poteſt eſſe forma ſubſtantialis in Sole, cùm ſit accidens in aere? Quòd enim per ſe alicui eſt forma ſubſtantialis: non poteſt alij eſſe accidens. Hinc ſequitur Theſis

I I I.

Eſt igitur lux, qualitas corporis lucidi: qua & lucidum ipſum eſt, & illa illuminat, agitque in ea.

PErſpicua eſt theſis ex pręcedentibus, & ex qualitatis definitione: Et quidem talis eſt qualitas, quæ ſit perfectio corporis lucidi, eóque agat. Quòd ſi quiſpiam excipiat: In Geneſi dicitur facta & creata fuiſſe lux. Propriè autem ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes creatæ fuiſſe dicuntur. Quomodo igitur negas eſſe ſubſtantiam, & contendis eſſe qualitatem? Reſpondemus, lucem nunquam fuiſſe, nec eſſe poſſe extra ſubiectum. Quòd igitur dicitur primò die facta lux, non pugnat cum noſtra theſi. Lux enim dicitur facta, quia factum fuit corpus lucidum, vt ſuo diximus loco; quod etiã mouebatur, & ſuo motu faciebat veſperam, & mane; & ea re diem. Hoc verò corpus lucidum poſtmodum fuit, non vt quidam ſenſerunt, in nihilum redactum: (fuit enim opus optimum) ſed expaſſum. Sicut & reliqua cælorum materia, atque inde luminaria per denſitatem ſuorum orbium, atque inprimis ſol efformatus, quarto die. Lucis igitur nomen accipitur pro corpore lucido; vbi dixit Deus *Fiat*, vel *ſit lux*. Nos verò de propria lucis natura loquimur. Scripſerunt Platonici multa certè præclara de luce; atque inprimis M. Ficinus, libros duos de ſole, & luce. Item in librum Theophraſti, de anima, in cap. 17. & 18. qui volet, legat. Ad rem quod attinet, idem docent, quod & Ariſtot. ſed phraſibus longè diuerſis. Vt lucem explicent ſolis, explicant qualis ſit lux oculi noſtri, vnde oſtendant, ſicut radij viſuales ab oculis, ad obiecta viſibilia exeunt: ſic radios ſolis, à ſole egredi: & hanc lucis ſeu radiorum porrectionem eſſe ipſum de luce lumen. Sed de iis rebus acutiùs diſputare, Philoſophorum eſt. Satis eſt, ſi nos, craſſiore Minerua teneamus, quid ſit propriè lux, & quid à lumine differat: quantúmque ſit hoc Dei beneficium, nobis conceſſum. Ariſtoteles dixit *lumen eſſe actum diaphani*. Eſt autem duplex diaphanum: actu, & potentia. Diaphanum actu, eſt corpus quod luce affectum, actu tranſparet: vt aër in Meridie. Diaphanum potentiâ, eſt corpus, quod actu quidem non tranſparet, quia luce deſtituitur: ſed ſi accedat lux, tranſparere poteſt, vt aër nocturnus. Hinc infert, ſi per lucem aër ſit actu tranſparens & diaphanus: Ergo lumen, actus eſt diaphani. Id enim per quod aliquid eſt actu: Actus illius eſſe dicitur. Cur enim anima, dicitur eſſe actus viuentis? Quia viuens, actu tale eſt per animam. Radius igitur ſolis, è cœlo porrectus, per quẽ aër ſit actu diaphanus, lumen eſt. Verum verò lumen in medio, hoc eſt, in aëre ſit realiter. (vt loquũtur:) non per ſpeciẽ, ſicuti ſpecies rerum viſibiliũ in oculis noſtris, diſputatur à Philoſophis. Sed veram fieri lucis communicationem à ſole in aëre, & per aerem, corporibus re-

liquis, non dubito. Atque hoc maximè congruit cum luce ſpirituali, qua per Chriſtum ita donamur, vt verè dicamur eſſe lux, hoc eſt, luminaria: vaſáque luce cæleſti reapſe donata. Deus enim qui lux eſt, verè in nobis inhabitat, per ſuum Spiritum, qui datus eſt nobis: & qui non eſt creatura, ſed Deus ipſe. Quanquam nonnunquam dona lucis, per hunc Spiritum in nobis producta, vt fides, lucis nomine appellantur. Theſin vnam prætereire non poſſum, ex Platonicis libris.

IV.

Non effluit autem lumen à ſole, alióve luminoſo corpore, per reſolutionem, ſicut odor à pomo, ſed ſine vlla corporis lucidi aut paſſione, aut virtutis qualitatiſve eius imminutione.

Explicant hoc ſimili oculi, qui per radios viſuales, lucem ſuam communicat corporibus viſibilibus, & ita videt. Sentiunt enim viſionem fieri per extramiſſionem radiorum, non autem per ſimplicem acceptionem ſpecierum. Qua de re magna diſputatio eſt inter Platonicos, & Ariſtotelicos. Receptior tamen eſt Ariſtotelicorum ſententia. Sed de his nos non diſputamus. Tantùm probatur ſententia, lucem à corpore lucido, non communicari per vllam ipſius corporis lucidi reſolutionem. Atque hoc maximè facit ad confirmandam potentiam de donis Spiritus ſancti, quæ nobis communicantur, ſine vlla in ipſo paſſione. Imò talis eſt natura rerum ſpiritualium vt communicentur, ſine vlla ipſarum in eo, qui communicat, imminutione. Sic lux à candela, candelæ: ſic ſcientia à doctore, diſcipulis communicantur atque effluunt.

QVÆSTIO II.

VII. De vi ſiderum in hanc regionem elementarem animaliáque omnia.

THESIS I.

Magna certè vis eſt aſtris, atque in primis ſoli & lunæ, in omnia hæc inferiora corpora, à Deo tradita.

Vim hanc intelligo traditam ſoli & lunæ, atque aſtris omnibus: quum Deus dixit, *Sint luminaria*, in cælo, vt luceant ſuper terram. Non enim inſtituit ea, firmauítque in Rachia Deus: vt ſimplici luce, corpora reddant viſibilia: (quod certe maximum eſt, incomparabiléque beneficium nobis conceſſum: ſed ideo ea creauit: vt ſua luce, quæ diuerſa eſt in ipſis ſtellis, alia quoque propter illuminationem, efficerent in iis corporibus: calefacerent, exſiccarent, humectarent alia, & alia refrigerarent, eóque ad aliorum corruptionem, & ad aliorum generationem, ad augmentū item, & ad decrementum, quin & ad motum localem, & ad varia producenda effecta, præpararent, diſponerent, iuuarent terram, aquam, aërem, plantas, animalia denique omnia. Atque hæc cauſſa eſt, cur non duo tantum fecerit luminaria, ſolem & lunam, (id quod certè ſatis fuiſſet, ſi tantum propter ſimplicis lucis communicationem, ea creaſſet Deus) ſed ideo & plures & varias creauit ſtellas: variósque eiſdem etiam dedit motus: vt varios effectus hic parerent, & variè, atque ad varia afficerent, corpora hæc inferiora. Neq; enim exiſtimandum eſt, tanta ſtellarum multitudine, ac varietate, ornatum plerumque fuiſſe cælum, ornatus duntaxat cauſſa, ſed ſingulis ſtellis, non minùs quàm ſoli & lunæ, diuerſas tribuiſſe Deum virtutes in hæc inferiora, ego planè non dubito. Quanquam minima illarum pars nobis perſpecta eſt. Facit huc etiam vox illa *de ſole*, vt ſit in dominium diei: & de luna ac ſtellis, vt ſint in dominium noctis. Pertinet huc & illud Hoſeæ 2. *Cælum exaudiet terram, terra exaudiet frumentum*, &c. Docet enim, vim terræ, in producendis frugibus: maximè à cælis, tanquam ſcilicet cauſſis ſecundis, pendere. Sed quid opus eſt multis autoritatibus ſcripturarum, cùm etiam res ipſa, hoc quotidie nobis ſudis inculcet? Idque vt in cælos, corporeos tollamus oculos, in cælos autem, mentem in eum, qui fecit cęlos, eleuemus, illúmque vnicum adoremus, colamus, amemus.

Principio itaque cogita mihi in vniuerſum, quanta ſit vis quatuor anni temporum, in quatuor corpora ſimplicia prima, hoc eſt, in quatuor elementa, & deinde ex conſequenti in corpora ex quatuor elementis compoſita, eóque in omnia hæc corpora, quæ infra cælum ſunt. Sunt enim omnia corpora in hac regione elementari, aut elementa, corpora ſcilicet ſimplicia, aut ex elementis compoſita: quàquam horum alia imperfecta, alia perfecta ſunt. Quanta ſit vis quatuor temporum, apparet experientia. Sicut enim mutantur tempora; ſic etiam alterantur corpora hæc, tam elementa, quàm ex elementis compoſita, idque propter illas quatuor primas qualitates, quas primùm in elementis ſtatuit Deus; & quibus deinde conſtant ipſa elementa, atque inprimis animalia, & quibus etiam quatuor ipſa tempora, affecta eſſe dicuntur: eóque quatuor reſpondent elementis, & quatuor, in animante, humoribus. Dicitur enim æſtas, calida, & ſicca: & ideò reſpondet igni inter elementa: & bili flauæ in animali, quæ calida eſt, & ſicca: contrà, hyems, frigida, & humida eſt: eóque inter elementa reſpondet aquæ: in animalibus autem, phlegmati. Ver humidum eſt & calidum; & ita affinitatem habet cum aëre, qui ſua natura humidus, & calidus eſt, in animantibus autem cum ſanguine. Autumnus frigidus & ſiccus, proinde ſimilis eſt terræ: & atræ bili in animantibus, quæ *melancholia* vocatur. Propter hanc cauſam, fit: vt quatuor tempora animultum poſſint in quatuor elementis, & in compoſitis ex illis. Imò propter has quatuor primas elementorum qualitates, & propter quatuor in animantibus humores, tanta eſt proportio inter hæc corpora inferiora, & inter quatuor tempora, vt etiam quatuor hominis ætates, affinitatem cum ipſis habeant. Pueritia, humida & calida eſt: Vnde verò? A ſanguine, quo illa ætas abundat. Ideo hæc Veri reſpondet. Et videmus verno tempore ſanguinem augeri. Hãc enim vim habet Ver, in noſtra corpora, vt ſanguinem excitet. Et ideò tempus ad generationem accommodatiſſimum. Generatio enim fit ex ſemine calido & humido. Adoleſcentia calida, & ſicca eſt. Bilioſa enim eſt: Bilis autem calida, & ſicca eſt, eóque reſpondet æſtati. Et experimur, bilem æſtate magis, quàm aliis temporibus, in noſtris corporibus gigni. Ita ad hanc excitandam, vim habet ęſtas. In tertia æſtate, quam virilitatem nonnulli vocant, aut ſtatam ætatem, incipit decreſcere humor, & calor, & ad naturam frigidam, ac ſiccam tendit. Melancholia enim, hoc eſt, Fel cum fecibus nigri ſanguinis regnat. Ideò reſpondet Autumno. Denique Senectus, humida & frigida: Phlegmate enim abundant ſenes. Ita hæc ætas comparatur hyemi. Et quidem hyems vim habet phlegmata excitandi. En proportionem inter quatuor tempora, quatuor Elementa, & quatuor humores in animalibus: & in quatuor ætates eorundem. Imò ab effectis, tempora hæc quatuor alia vocantur, frigida, calida, ſicca, humida: quia, talibus temporibus, tales excitantur, & fouentur in corporibus iſtis, qualitates: & in animantibus, humores.

Nunc tenemus quanta ſit vis quatuor anni temporum in hæc omnia corpora, & quam ob cauſſam, cum reipſa experiamur, variis hiſce temporibus, variè affici noſtra corpora, propter varias qualitates, quas adferunt: & quibus proinde ipſa quoque effecta eſſe dicuntur. Sed vndenam hanc vim habent quatuor hæc tempora, niſi ab aſtris? Sic enim docuit Moſes: *Creata eſſe ſidera, vt ſint in ſtata tempora*, hoc eſt, vt has temporum viciſſitudines varias, ſuis conficiant curſibus. Ac videmus rem ita ſe habere. Hyems enim ideò frigida eſt, & humida, quia tunc ſol maximè remotus eſt: cuius eſt calefacere, exiccare. Ver ideò humidum, & calidum eſt, quia tunc Sol incipit ad nos redire: & ſuam virtutem magis ac magis exerit. Æſtas, calida & ſicca: quia tunc ſol planè ad nos rediit, & efficaciter ſupra terram regnat, inque noſtra agit corpora vehementer. Autumnus frigidus, & ſiccus, quia Sol incipit à nobis diſcedere: Atque hos omnes ſuos motus facit pedetentim: vt ita temperet omnia, & temperamentum in corporibus noſtris ſeruet. Alioqui ſi ab extremo ad extremum immediatè progrederetur, atq; ita poſt extremum frigus, & extremam humiditatem hyemis, adferret extremum calorem & ſiccitatem æſtatis: non temperaret nec ſeruaret noſtra corpora, ſed perderet. Ideò verò Deus ordinauit, & temperauit ſolis curſum per Zodiacum, vt gradatim progrediendo ad nos, gradus quoq; horum temporum ordine perficeret: ſicq; per varia tempora, ſubiectum hunc temperaret orbem. Apparet itaque ex tota hac generali totius Mundi elementaris, per varia tempora, quæ ab aſtris, & inprimis à ſole conficiuntur, gubernatione, & temperamento, magnam eſſe vim ſtellarum, in hæc omnia corpora. Idem non malè Ariſtoteles, quatenus Phyſicè locutus eſt, ſcripſit in Meteoris: Quę in inferiori hoc Mundo fiunt: ea cæleſtium orbium motui, & efficacitati tribuenda eſſe. Nam etiam ſcriptura hoc docet: modò intelligas naturaliter, & Deum primam cauſſam eámque liberam, non excludas. Sic enim docet Hoſe. 2. *Ego exaudiam cælos: cæli, terram: terra, frumentum*. Diſtribue iā ſingula, quæ hîc habẽtur, & fiunt (de corporibus loquor) & vide

& videbis rem ita ſe habere. Vnde Meteora generantur? Vidimus ſolem inprimis cauſſam eſſe horum efficientem, dum ſua vi eleuat humores & exhalationes, quæ ſunt materia omnium Meteororum, à terra & aqua. Idem de iis, quę ſubtus terram generantur: Metalla: lapides, media mineralia Sol enim ſuo calore, coquit omnia, & pro varia coctione, varia generantur metalla, & lapides. De plantis idem viſum eſt. & hunc eſſe ordinem à Deo conſtitutum: vt non ſolum pluuiis, ſed etiam calore Solis, & humiditate Lunæ, generentur plantæ, foueantur, augeantur, conſeruentur, & ad fructus producendos adiuuentur. Ad generationem quoque animalium, & eorundem augmentum nutritionemque plurimum valere Solem ſuo calore: & Lunam, ſua humectatione, quis dubitet? Annon videmus, cancros, oſtreas, conchas, echinos, creſcente Luna creſcere, & ea decreſcente decreſcere? Quanta igitur eſt vis Lunæ in hæc corpora atque animalia? Vnde maris æſtus, fluxus, & refluxus? Vidimus horum cauſſam eſſe Lunam, ſuis motibus. Et quid ſibi volunt comminationes Dei, cùm minatur ſe daturum Cœlum æneum & ſimilia? Docet ex Cœlis noſtra corpora habere, vt aut bene aut malè hic habeant. & vt fructus aut generentur, aut non generentur. Dubitari igitur nullo modo poteſt, quin magna ſit vis ſtellarum in orbem hunc ſublunarem, & in omnia hæc noſtra corpora.

II.

Nec ſolùm in ipſa corpora, verùm etiam in eas animæ paſſiones, & affectiones, quæ ex bono aut malo corporis temperamento proficiſcuntur, vim non paruam habent aſtra.

HOc quoque ratio ipſa euincit. Si enim (vt antè vidimus) pro qualitate temporum, varij in nobis humores, vi Solis aliorúmque aſtrorum commouentur augenturque & intenduntur, vt ſanguis, vt bilis, vt phlegma, vt melancholia: Quis non videat, τὰ πάθη etiam, quæ ex illis conſequuntur humoribus, ab iiſdem aſtris, magna ex parte proficiſci? Docet hoc experientia. In quibus enim ſanguis abundat bonus, eos videmus eſſe naturâ hilares, lætos, amantes, ad miſericordiam propenſos. In quibus autẽ cholera, ſeu bilis: eos eſſe iracũdos, audaces, edaces, &c. hoc eſt, ad hæc propenſos. Phlegmaticos verò, tardos eſſe, bardos, ſomnolentos, otij amantes, obliuioſos, atq; ita de reliquis. Vnde vero hæ corporum conſtitutiones diuerſæ? Ex temperamento, aut intemperamento humorum. Vnde autem hoc temperamẽtum? Magna ex parte, à cœlis & aſtris: quibus & tempora variantur, & per hæc corpora noſtra temperantur. Ergo τὰ πάθη etiam, quæ ex temperamento corporis oriuntur, à vi Cœlorum non parum pendent. Cæterùm, vis aſtrorum in noſtra corpora, & in ea quæ corpus conſequũtur, ab alia ſuperiore pendet, & temperatur virtute: hoc eſt, à Deo, pro ipſius voluntate. Ergo ſequitur Theſis

III.

Etſi verò magna vis eſt ſiderum, cœlorúmque in hæc inferiora, illa tamen efficacitatem nullam habent, niſi vbi, & quando, & quatenus, & quouſque vult Deus, cóque per ſe aſtra nihil poſſunt.

ESt enim Deus, vt creator rerum omnium, ſic etiam cauſſa, cauſarum omniũ prima. Omnes verò reliquæ Cauſæ, inſtrumenta ſunt Dei. Vt autem apud nos, inſtrumenta artificis alicuius nil per ſe operantur, aut poſſunt, ſed eatenus tantùm, quatenus artifex illis vtitur pro ſua libera voluntate: ſic multò minùs res à Deo conditæ aliquid poſſunt: cóq; nec cœli in noſtra corpora vllam habent efficacitatem, niſi quatenus Deus illis, vt inſtrumentis, ad nos mũdúmq; reliquum regendum, vti vult. Conſentanea cum his eſt ſacra ſcriptura. Hoſ. 2. non ſimpliciter dixit, *cœlum exaudiet terram*, ſed primùm, *ego exaudiam Cœlos*, &c. Pendet igitur vis cœlorum in hæc inferiora à Deo. Et ideò ſcriptura ait: *Deum operari omnia in omnibus*, tanquam ſcilicet primam cauſam. Et Actor. 17. *nos in ipſo viuere, moueri & eſſe.* Huc facit & illud quod Apoſtolus ait: *Neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid eſſe, ſed ſolùm eum, qui incrementum dat, Deum.* Pertinent huc omnia opera, quæ Deus præter ordinem naturæ facit: imò & nonnunquam contra naturam: vt quòd ſterilis natura pariat, quod virgo, ſine viri ſemine concipiat, quod homo ſanguineus, generare non poſſit, contrà, homo naturæ iam frigidæ, & ſiccæ generet, quòd iuuenis non poſſit: Senex autem maximè. Vt quod æſtate vigeat frigus & humiditas, contrà hyemem habeamus calidam & ſiccam, &c. Propè infinita ſimilia contingunt, quibus luculenter apparet, aliam eſſe cœlis & aſtris ſuperiorem virtutem, quâ reguntur aſtra, eorúmq; vis aut reprimitur, aut promouetur. Ideo Deus dicitur In ſcripturis *dare pluuias*, producere ventos de theſauris ſuis, eleuare fluctus maris, & alia infinita ſimilia. Quid illud? Quod de gemellis, vrget Auguſtinus, eodem tempore ex iiſdem parentibus, eodem ſexu natis, & interim omnino diſſimilibus, non tam animis, quàm etiam corporibus, & affectibus? Docent poſitum quidem eſſe ordinem in natura à Deo, datámq; eſſe vim ſuperioribus creaturis, in inferiores, & cœlis, in terrena corpora, ſed interim tamen, efficacitatem, à ſola Dei voluntate pendere.

IV.

Porrò in hominum voluntates, nulla eſt vis aſtris tradita: qua homines ad aliquid volendum, vel nolendum, flectantur, nedum cogantur.

MOſis verba primùm hoc docent: quum ait *creata eſſe ſidera, vt lucerent ſuper terram*, hoc eſt, ſuper omnia terrena, & ex Elementis compoſita, atq; ex materia conſtantia, & in ea ſua luce agerent. Excluduntur igitur ſpiritus, quales ſunt animæ, atq; inprimis voluntas. Nũquid enim Sol poteſt mentem, ad aliquid intelligẽdum illuminare? Minimè. Mens enim terra non eſt neq; res terrena. Solis autem poteſtas eſt, vt illuminet, non animos, ſed terram, atque terrena. Multò minùs igitur vim habet vel ipſe, vel vllum aliud aſtrum, in noſtram voluntatem, quæ ſuapte natura creata eſt libera: vt ſuo videbimus loco: Atq; ita libera creata eſt, vt neque à diabolis, neque ab Angelis cogi poſſit, ſed ſolus Deus, in eam ius & vim habeat: ſed ita tamen, vt ipſemet nolit eam cogere: (Natura enim illius mutaretur, & deſineret eſſe voluntas) ſed ſi eam velit à malo ad bonum mutare, flectat tantùm eam ſuo Spiritu ſuauiter, atq; ita eam de nolente, faciat volentem. Ideo Prou. 20. ſoli Deo datur, quòd corda & voluntates hominum flectere poſſit quocunq; vult: *Cor Regis in manu Domini, &c.* Hoc igitur ius non habent Angeli; multò minùs aſtra. Huc pertinet illud Auguſt. Tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 6. *Non vſquequaq; abſurdè dici poteſt, ad ſolas corporum differentias, afflatus quoſdam valere ſiderei,* (exempla aliquot ibi ſubdit) *non autem & animi voluntates, poſitionibus ſiderum ſubdi.* At inquiunt quidam, aſtra non cogunt voluntatem, ſed inclinant. Verùm nos contendimus è ſacris literis, ſolius hoc eſſe Dei, vt hominis voluntatem inclinare poſſit. Quare etſi vim habeant aſtra in corpora noſtra, vt ea variè afficere poſſint, ſicut ſuprà dictum eſt, tamen, ſicut in intellectum nullam habent vim, eum illuminandi: ita nullam quoq; habẽt voluntatem flectendi, multò verò minus cogendi. Ita à cœlis non habent aut ab aſtris homines vt ſint vel mali, vel boni, miſeri, vel felices, diuites, vel pauperes, gignant maſculos, vel fœmellas, occidant aliquem, vel non occidant: eant ad mercatum, vel non eant, deniq; vt hoc aut illud agant, quod fieri aut fieri non poterat: cùm ex natura ſit contingentium. Deniq; damnata fuit omnibus ſeculis, tam à Philoſophis ſapientibus, quàm à piis Patribus doctrina hæc: quæ Ægyptij & Chaldæi primùm: deinde Manichæi & alij Aſtrologi, aſtris ita omnia ſubiecerunt: vt eis omnia quæ hîc fiunt tam bona, quàm mala, omnéſq; humanas actiones pẽdere docuerint. Viderunt enim viri prudentes, hac doctrina, omnem tolli religionem, omnem euerti politiam, leges omnes aboleri, ſcelera excuſari, eóq; licentiam impunè peccandi, hominibus dari: omne æquum & iuſtum è mundo profligare. *Euangelium* eliminari: confuſionẽ induci, naturam humanam deſtrui, & deniq; omnium malorum culpam, ad extremum, in Deum Cœlorum conditorẽ, deriuari. Proinde meritò eam ſemper viri boni, ſapientes, Deiq; amantes, damnarunt. Nã hinc etiam iudiciaria Aſtrologia, qua quid cuiq; euenturũ ſit, & præuidere & prædicere ſe poſſe profitentur homines improbi ac diabolici; ortum habet. De qua nunc etiam breuiter aliquid dicendum eſt. Ergo quæſtio tertia.

QVÆSTIO III.

VIII. De diuinatione ex aſtris.

EX iis quæ de cœleſtium aſtrorum in hæc inferiora, viribus diximus, facile eſt colligere, quantũ liceat; & quantum non liceat ex ipſis aſtris, de rebus futuris præcognoſcere & prædicere. In quædam enim vim habẽt naturalem, aut mouendi ad generationẽ, immutandi, alterandi: augendi, imminuendi, loco etiam mouendi: veluti ſunt corpora, & corporum affectiones. In alia verò nullam habent vim, aut inclinandi, aut multò etiam minus ea ad aliquid agendum vel patiendum cogendi, quales ſunt mentes, volunta-

téſque humanæ. Ergo hæc prima eſto Theſis.

I.

Ex aſtris multa poſſunt à peritis certò, alia verò probabiliter, præcognoſci, atque prædici.

CErtè quidem, vt quæ ex aſtrorum motu, ſitu, poſitione, neceſſario conſequuntur. Veluti eſt Lunæ, aut Solis Eclipſis, cæli ſerenitas, aut tempeſtas: ſiccitates, pluuiæ, venti, niues, æſtus, frigora, & alia id genus: de quibus, antequam eueniant, iudicare facilè poſſunt, nempe naturaliter, Aſtronomi cumprimis, deinde multi etiam alij, qui diu cæleſtes aſtrorúmque motus, & quæ illos conſequuntur, obſeruarunt. Dico *naturaliter*, quoniam ſæpè præter naturam multa Deus operatur. Verum de iis non loquimur, ſed de naturalibus. Atque de iis propriè eſt Aſtronomia, ſcientia certa, atque humano generi vtiliſſima, ne dicam neceſſaria. Certa enim veráq; habet principia, vnde rerum multarum cognitio pendet, certa atque vera. *Felices animæ* (dicebat ille) *quibus hæc cognoſcere primùm: Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.* Quædam etiam probabiliter ex aſtris præcognoſci poſſunt, qualia ſunt illa, quæ licèt non ſemper, tamen vt plurimùm conſequi ſolent aſtrorum motus. Vti ſunt morborum genera multa, ſterilitates terræ, caritas annonæ, & alia id genus multa; idque in genere. Nam ſingulariter & propriè de huius aut illius hominis morbo, vel morte, pronunciare, temerarium eſt: cum de huiuſmodi rebus ex aſtris neq; certa ac neceſſaria, neque valde probabilis cauſa haberi queat, ſed in genere tantùm illas res futuras, vel certo, vel probabiliter præmonſtrare.

Ad huius Theſeos confirmationem pertinet illud Chriſti, ſæpè à nobis repetitum: quod habet Matth. 16. de præcognoſcenda futura ſerenitate, vel tempeſtate, ex rubicundo cœlo, vel mane, vel veſperi. Imò quæ hic tradidit Moſes de ſtellis, quod ſint *in ſigna* propriè, hanc confirmant doctrinam: ſicut ſuprà à nobis explicatum fuit. Huc etiam ſpectant multa Patrum dicta & teſtimonia. Baſilius in hunc Moſis locum, ita ſcribit de Luna. [illegible] Et Auguſt. tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 6. fatetur, ad corporum differentias, ſidereos afflatus valere: minimè vero ad hominum voluntates.

THESIS II.

Permulta verò ſunt, & fere innumerabilia, quæ an futura ſint, necne ſint: ex aſtris præſciri nequit, eóque nec verè prædici.

HÆc verò ſunt primùm quidé illa, quæ ex libera hominis voluntate dependent. Si enim (vt ſupra demonſtratum eſt) mentes & voluntates hominum, ſideribus ſubiectæ non ſunt: Ergo, quæ ex libera hominis voluntate dependent, ab aſtris indicari, eóque nec ex ipſis præcognoſci poſſunt. Quicquid enim futurum præcognoſcitur, aut in ſe ipſo, aut in ſua propria cauſſa præcognoſcatur oportet. Effecta nulla futura, per ſe præcognoſci poſſunt ab vllo intellectu, præterquam à diuino: cui omnia ſunt præſentia. Cùm vero rerum quæ à libera fiunt voluntate, cauſſa nullo modo eſſe poſſint aſtra, manifeſtum eſt, ex aſtris præcognoſci non poſſe quæ quis libera ſua voluntate facturus eſt. Deinde in hoc genere ſunt ea omnia, quæ ex ſolo Dei beneplacito, ſine vllo cælorum influxu, proficiſcuntur. Si enim ex aſtris præſciri non poſſunt, quæ quis ſua libera voluntate facturus eſt: quantò minus, quæ ex ſola libera Dei voluntate dependent: & ad quorum promotionem, nihil planè efficiunt cæli? Sunt autem hæc immutabilia, quæ partim ad æternam vel ſalutem, vel mortem pertinent, partim etiam ad præſentem, vel felicitatem, vel infelicitatem ſpectant. Prioris generis ſunt eſſe ad æternam vitam electum, vel ab ea reprobatum: Vocari ad Chriſtum, vel non vocari: iuſtificari fide, ſpe & charitate, harúmque virtutum effectis donari: ſanctificari, regenerari, caſtum, continentem, modeſtum, conſtantem in fide; iuſtum, patientem, bonum fieri, & tandem glorificari: vel contrà. Hæc enim minimè à cœlis, vel cælorum ſideribus, ſed à ſola Dei voluntate dependent, qui (vt Apoſtolus docet) *miſeretur, quorum vult: & indurat quos vult*: qui Euangelium reuelat paruulis, & abſcondit à ſapientibus: qui elegit nos ante Mundi, eóque ante cælorum & aſtrorum omnium conſtitutionem, pro ſua bona voluntate: qui operatur itidem in nobis velle, & perficere, pro ſua itidem εὐδοκίᾳ. Ergo inſaniſſimus ſimul & impiiſſimus fuerit: qui ex aſtris diuinare voluerit, quiſnam futurus ſit bonus, quis malus, quiſnam ad Chriſtum ſit vocandus, iuſtificandus, ſeruandus, & quis non ſit. Quis futurus continens, & quis incontinens. Quis liberalis, & quis auarus. De propenſionibus quidem maioribus, vel minoribus, ad certa quædam vitia, aut ad certas virtutes, vel potius πάθη τὰ φυσικά, non inficior, quin poſſit vtcunq; præcognoſci à peritiſſimis Aſtronomis: vt quod vnus propenſus ſit naturaliter ad laſciuiam, alius ad iracundiam magis quàm ad libidinem, alius ad clementiam, alius contrà ad ſeueritatem & crudelitatem: Atque ita de reliquis multis aliis affectionibus, ac poſſeſſionibus, quæ ex vario corporis temperamento dependent. Diuerſa enim corporum temperamenta, magna ex parte, pendent ordinariè ex diuerſis cœlorum motibus, & aſtrorum aſpectibus, vt ſuprà viſum eſt. Et vt etiam Patres, Auguſtinus, Beda, & alij facilè concedunt. Cùm itaque hæ naturales affectiones, & ad certa vitia maiores vel minores propenſiones, ex corporum temperamentis oriantur: corporum autem temperamenta, ex variis ſiderum poſitionibus, ſub quibus quis concipitur aut naſcitur, non parum pendeant, liquet poſſe à peritis Aſtronomis, ex ſiderum, ſub quibus quis conceptus aut natus eſt, conſideratione, vtcunque cognoſci, ad quęnam ille propenſus maximè ſit vitia, naturaliáque πάθη. Et dico, vtcunque poſſe cognoſci, quoniam neque de iis certa haberi poteſt ſcientia, propter cauſſas, quas poſtea ſubiiciemus. De iis inquà naturalibus affectionibus cuiuſque, non multum contenderim. Cæterùm de ipſis virtutibus, aut vitiis, longè aliter ſentio, ac dico: quòd quis neceſſario futurus ſit vel bonus, vel malus, auarus, vel liberalis, continens, vel incontinens: hoc nullo modo ex aſtris, imò neque ex illis rebus creatis, præſciri & certo prædici à quopiam mortalium poſſe, idq; tum quoniam hominis voluntas libera eſt, & neq; ad vnũ neque ad aliud vitium proſequendum cogi poteſt. tum maximè, quoniam ex Dei beneplacito pendet, quod quis fiat bonus, aut quod in naturali ſua prauitate deſeratur. Ita firmum manet quod diximus. Quæ ad æternam vel ſalutem, vel mortem pertinent, ea à nemine, ex aſtris præcognoſci, prædici ve poſſe, cùm hæc imprimis, ex libera Dei voluntate, & iudicio pendeant. Poſterioris generis, ſeu pleraque, quæ ad præſentem vel felicitatem, vel infelicitatem ſpectant, quorum pars maxima in externis rebus conſiſtit, quibus aliquis dici ſolet fortunatus, vel infortunatus, veluti ſunt diuitiæ, connubia felicia, principatus, honores, dignitates, officia & iis contraria, quæ ferè appellari ſolita ſunt, *bona vel mala fortunæ*. Quædam etiam corpus ipſum ſpectant, vt ſexus, formáque corporis. Nam hoc etiam ad præſentem felicitatem pertinet, quod quis naſcatur maſculus, formáq; corporis honeſta: Et contrà, ad infelicitatem. Denique quædam ad animum etiam referuntur. vt quod quis habeat optimos præceptores: à quibus in literis, aut in aliis artibus optimè inſtituatur, & fiat vir aliqua in arte ac ſcientia excellentiſſimus, aut contra, & iis ſimilia. Quæ omnia in genere rerum contingenter accidentium, collocare ſolemus: cùm neceſſarias certáſq; non habeant cauſſas, à quibus neceſſario fiãt, niſi voluntatẽ Dei, qui hæc pro ſuo diſtribuit beneplacito. Atq; de iis potiſſimũ rebus fieri ſolet omnis diuinatio. Dico itaq; neque hæc poſterioris generis effecta, poſſe ex aſtris certò prænoſci. Ratio prima eſt, quia hæc pendent ſimpliciter ex mera Dei voluntate, & diſpenſatione, vt ſcriptura docet: non autẽ è Cœlis. Quòd enim quis, exẽpli cauſſa, prudentem nactus ſit vxorẽ: quid ad hoc contulerunt aſtra? Scriptura certè hoc vni Iehouæ acceptũ fert: Prou. 9. verſ. 14. *Domus & diuitiæ, hæreditas patrum eſt. at à Iehoua* (accipitur) *mulier prudens*. Quòd etiam quis naſcatur maſculus, aut fœmella, rectus, aut curuus; quod bonos nanciſcatur præceptores, à quibus optimè in literis inſtituatur, quid ad hoc præſtiterunt Cœli? Diuerſitas ingeniorũ, corporum, morum, fortunarum, in gemellis, qui eodem temporis momento concipiuntur, euincit, à cœleſtibus influxibus hæc non pendere (vt optime demonſtrauit Auguſtin. tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 5. & alibi,) ſed à voluntate Dei, atq; iudicio. Deinde etiamſi daretur, ex aſtris hæc aliquo modo pendere: minimè tamen pendent ex ipſis, tanquam ex cauſſis propriis atque proximis: ſed generaliter atque remotis. Etſi enim, exempli cauſſa, Sol & homo dicuntur generare hominem: generationis tamen hominis, Sol cauſſa propria & proxima eſſe nõ poteſt, ſed homo ipſe. Res autẽ futuræ, ſi cognoſcendæ ſint, ex cauſſis propriis & proximis cognoſcãtur neceſſe eſt, non autem ex generalibus & remotis. Quis enim ex ſola Solis inſpectione, præcognoſcere poterit, ex hac vel illa muliere naſciturum hominem? Impediri enim poteſt illa remota & communis cauſſa, nempe Sol, multis modis: vt ſi mulier hæc non nubat, vel ſi fiat ſterilis, vel ſi nubat viro impotenti. Fieri igitur nequit, vt quæ hominibus hîc contingũt, tam quæ ad animum, & corpus, quàm

quæ

quæ ad externas res attinent: Ea, antequam contingant, ex aſtris præuideantur, & certo prædicantur futura. Nam prorſus *ἀδύνατον* eſt, vt ex ſola noticia cauſæ longinquæ & communis; effectus particulares contingentes, quos illa communis cauſſa, ſiue proximus gignere non poteſt, præuideantur. Nunquid enim ex ſola cognitione vniformis naturæ ignis, prænoſcere quis poterit, particulares diuerſóſque effectus, qui in diuerſis ſubiectis, rebus & locis, ex igne futuri ſunt? Minimè gentium. Quis item obſecro ex cognita gallinæ duntaxat ouis multis diuerſorúmque generum incubantis, natura cognoſcere poterit, certóque affirmare, ex hoc ouo pullum maſculum, ex altero fœmellam; ex vno, album, ex altero nigrum gallum naſciturum? Nemo. Quid ita? Quia ad cognitionem effectuum, non ſatis eſt cognoſcere cauſſas remotas, & communes: ſed proximas, & proprias cognoſcas oportet. *Tunc* (inquit Ariſtoteles) *ολόμεθα cognoſcere vnumquodque, quum cauſſas primas, & principia prima, & vſque ad Elementa cognoſcimus.* Quid? Quod etſi cognoſcas naturam quatuor Elementorum, quæ ſunt prima corporum omnium principia intrinſeca, interim tamen ſtultus fueris, ſi dicas, te ex iis præcognoſcere poſſe, quot, & qualia, & quanta, futura ſint corpora Elementata? Quantò inſaniores illi dicendi ſunt, qui ex aſtrorum cognitione, ſe præcognoſcere poſſe profitentur, quæ & qualia effecta ſint in terris futura? Sed iis tertiam adde rationem. Fatentur ipſimet Aſtrologi, innumeras eſſe ſtellas in Cœlis: quarum numerus, natura, viréſque à nobis ignorentur. Et interim tamen nullam eſſe, quæ non ſuum habeat in hæc inferiora influxum. Quomodo igitur fieri poteſt, vt ex quarundam cognitione, aliis ignoratis, prænoſcere queas, quæ hic futura ſunt effecta? Nam licet poſitio & aſpectus quorundam inter ſe ſiderum, futurum aliquem hic effectum demonſtrent: fieri tamen poterit, vt aliorum ſiderum, quæ non noſti, coniunctio, talem effectum impediat, & contrarium pariat. Sed adde quod neque eorum ſiderum, quæ manifeſta ſunt, plena & perfecta cognitio haberi à nobis poteſt. Quomodo igitur non probe cognitis cauſſis, iiſque omnibus, prædicere certo quis audeat, quales futuri ſint effectus? Sed eſto, cognoſcantur perfectè, ſidera omnia, eorúmque naturæ & proprietates, quomodo tamen fieri poterit, vt perfectè horum cognitionem, ad ſubiecta effecta, de quibus quæſtio eſt, ita accommodes, vt nullo modo decipiaris? Præcepta Aſtrologorum, qui diuinatricem Aſtrologiam profitentur, ſunt, vt ſi velis, quo quiſque ingenio naſciturus ſit, quiſque vel fortunatus vel infortunatus futurus ſit, cognoſcere principio, quum naſcitur, intuearis ſignum Zodiaci, ſub quo naſcitur: deinde in ſigno obſerues gradus: tum in gradibus, diſtinguas partes ſexageſimas, & in iis, ſcrupulos, ſcrupulorúmque ſectiones, atque momenta. Ac docent, vel intra modicum temporis momentum, quo vnus naſcatur & alter, maximè diuerſis ingeniis atque fortunis illos naſci. Id quod Nigidius Figulus, rota velociſſimè permota & bis citiſſimè eodem atramento ſignata, demonſtrare conabatur, de Ciuitate Dei lib. 5. cap. 3. At quis obſecro tam diligenter poterit hæc temporis, quo quis naſcitur, momenta, & momentorum particulas, obſeruare: vt nullo modo hallucinetur in horoſcopo? Quis tam diligens, prudénſque mathematicus inueniri poteſt; qui ſimul & ipſiſſimum temporis, quo quis naſcitur, minutiſſimum minutum, obſeruet; & ſtellas omnes, tam fixas, quàm errantes, ſub quibus ille naſcitur, notare, ſine vllo queat errore? Sed etiam ſi hæc obſeruet diligenter; quomodo poterit ſcire momentum, quo conceptio facta fuit? An non tantundem ſaltem, ſi non plus, conferunt Cœli in conceptionem cuiuſque (ſi quid conferant in nos) quantum in ipſam etiam natiuitatem? Quòd ſi hæc temporum momenta, obſeruari non poſſunt, & cum aſtrorum aſpectibus, ſine vllo errore, conferri: qui fieri poteſt, vt vera certaque ſit Genethliacorum profeſſio? Ratio hæc efficaciſſima eſt, ad vanitatem huius artis demonſtrandam: vt optimè etiam Viues in Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 5. cap. 3. obſeruauit. Sed fac ad extremum, vt neque erres in momenti, quo quis naſcitur, aut etiam concipitur, obſeruatione: neque etiam fallaris in ſtellis omnibus, ſub quibus ille conceptus & natus eſt, notandis; quid indè tamen certi de bona aut mala fortuna talis hominis concludere poteris; cum Deus creet animas noſtras: ita vt neque à qualitatibus ſtellarum, neque à conditionibus corporis pendeant? Imò cum etiam ſtellis, ad corporum mutationes vtatur, tanquam inſtrumentis: ideóque pro ſua voluntate? Proinde etiamſi non dubitem, quin aſtra cœleſtia, ſuo lumine & motu, variè ſublunarem hanc regionem, & omnia quæ in ea continentur corpora, afficiant: interim tamen quia Deus, & aſtra, & omnia, pro ſua moderatur & temperat voluntate ac prouidentia: fit vt ex aſtris nihil de cuiuſpiam fortuna vel infortunio, definire quiſpiam poſſit. Atque huc ſpectat dictũ Ieremiæ, Ier. 10. *A ſignis Cœli ne metuatis quæ metuunt gentes Leges enim populorũ vana ſunt*, quæ ſcil. ſunt de iiſce rebus, &c. Summa hæc eſt. Quanquam inficiari nõ poſſumus, quin cœleſtia corpora & ſidera, in hæc agant inferiora: & variis ſuis, tum luminibus, tum motibus, tum poſitionibus, & coniunctionibus, atque aſpectibus, variè totam hanc ſublunarem regionem, omniáque tum Elementa, tum ex Elementis compoſita afficiant: (hæc enim omnia videmus apertè, ſentimus & experimur:) ac proindè licet etiam negare nequeamus, quin ex variè affectis noſtris corporibus, variæ excitentur animi affectiones, illæ nimirum quæ qualitates corporum conſequuntur, vt ſuprà dictum eſt: interim tamen ex iis variis aſtrorum cœlorúmve motibus atque luminibus, nihil certi de cuiuſpiam bona vel mala (vt loquuntur) fortuna, aliiſve rebus contingentibus, præſciri definirive poteſt: his potiſſimum duabus de cauſis, quarum prima eſt, quia neque omnes ſtellæ notæ nobis ſunt, neque etiam omnes earum, quas nouimus, influxus, perſpecti ſunt hominibus: Ac ſi etiam noti eſſent, accommodari tamen ad ſingulos homines non poſſent: propterea quòd momenta temporum, & momentorum particulæ, quibus concipitur, aut naſcitur, perfectè obſeruari non poſſunt. Sine perfecta autem horum obſeruatione, nihil ex aſtris, ad homines accommodari poteſt. Si enim vel tantillum aberres ab horoſcopo, hoc eſt à puncto horæ & temporis, quo quiſque natus eſt, aut conceptus: quicquid de eo definieris: totum illud, vanum & falſiſſimum fuerit, & in diuerſiſſimam, ab eo quod res eſt, abieris ſententiam, quemadmodum ſcitè Auguſtinus concludit ex Nigidij Mathematici exemplo de rota velociter currente, & bis de atramento ſumma celeritate, eodem quaſi loco percuſſa. tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 3. Altera ratio potiſſima eſt, quoniam Deus qui ſtellas condidit, officiáque illis & vires in hæc inferiora dedit, licèt illis ordinariè, ad hunc ſublunarem mundum, eóque ad noſtra corpora regenda vtatur, pro ſua tamen libera voluntate, illas temperat ac moderatur, prout ſcilicet vult noſtra affici corpora Sunt enim inſtrumenta Dei, ſtellę. Inſtrumentis autem vtitur artifex, pro ſuo arbitrio. Cui autem hæc ſecreta Dei voluntas atque prouidentia perſpicua eſt? Fruſtra igitur laborant: qui conantur ex aſtris, de futuris rebus contingentibus, déque cuiuſque bona vel mala fortuna pronunciare. Huc pertinent dicta multa ſcripturarum: vt illud Prouerb. 20. *A Iehoua greſſus viri diriguntur; homo autem, quomodo intelligit viam ſuam? Si non ſuam: quomodo igitur alienam?* Et cap 27. *Ne glorieris de craſtino: neſcis enim quid paritura ſit dies* Item, cap. 16. & 19. *Nos multa ais deliberare, quæ tamen non alium ſortiuntur effectum, quàm quem Deus decreuerat.* Ierem. 4. *Ignoratis quid futurum ſit die craſtino*: Quomodo igitur Aſtrologi ſcire poſſunt, quid cuique euenturum ſit? Quòd ſi nonnulli diuinant: id aut caſu contingit, non autem ex certa ſcientia: aut ex Dæmonum, quibuscum pacta ineunt, reuelationibus habent: Deo ſic permittente, propter hominum peccata. Legatur Auguſtinus Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 5. cap. 7. Hinc ſequitur Theſis tertia.

THESIS III.

Tota iudiciaria Aſtrologia: & vana eſt, & impia, Deóque execrabilis: ac proinde in Eccleſia Chriſti nullo pacto ferenda.

QVàm vana ſit, præcedenti Theſi, ſatis demonſtratum eſt, cùm nihil certi per eam definiri, ſcirive poſſit. Quàm verò impia ſit, & Deo execrabilis: liquet è ſacris literis: in quibus perpetuò talis damnatur diuinatio: & vt ne Aſtrologos, ac Mathematicos audiamus, legibus ſuis cauit Dominus: atque vt tale hominum genus in Eccleſia ne feratur, diſtrictè mandat. Deuteron. 18. locus extat perſpicuus contra omnes diuinatores. Atque ibi augures nominantur. dictio Hebraica eſt מעוננים quaſi dicat, *nebulantes*: hoc eſt, ex nubibus, atque ex aſtris diuinantes. ענן enim nebula eſt. Ierem. 47. obiicit Babyloniis ſtudium inquirendi futura ex Aſtrologis, &c. Ierem. 10. leges gentium de hiſce rebus: vanas & ſtultas eſſe pronuntiat. Et quum Chriſtus damnat in Apoſtolis ſtudium inquirendi res futuras: an non multò magis docet execrabilem eſſe Deo hanc aſtrologicam curioſitatem, & vanitatem, qua & conantur inquirere, & profitentur ſe poſſe inuenire, quid cuique euenturum ſit? *Non eſt*, inquit, *veſtrum ſcire tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Item ad Petrum, inquirentem de Iohanne, an ſuperſtes manſurus eſſet, necne. *Si eum*, inquit, *volo manere, quid ad te?* Proindè ſcitè etiam & pru-

denter tale ſtudium Aſtrologicum, damnatum fuit in multis Conciliis à Patribus, Concil. Tolet. P. can. 21. *Si quis Aſtrologiæ ſiue vel matheſi exiſtimat eſſe credendum: anathema ſit.* Concil. Braccar. canon. 9. *Si quis animas & corpora humana fatali ſigno credit aſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt: anathema ſit.* Legatur & canon. 10. Pertinent huc & peculiaria Patrum dicta: qui omnes conſentaneè cum ſacris Literis hanc iudiciariam damnarunt Aſtrologiam. Leo primus, Pontifex Romanus, ad Turibium Epiſcopum, contra Priſcillianiſtas: Et eſt Epiſt. 93. digniſſima quæ ab omnibus legatur. In ſumma ait: Qui hanc iudiciariam Aſtrologiam ſectantur: nullum in Eccleſia locum relinqui: quoniam (inquit) qui ſe talibus perſuaſionibus dedit, à Chriſti corpore totus abſceſſit. Legantur & iſti Patres: contra hanc inſanam & impiam Aſtrologiam, Epiphanius in Panario libri 1. Tom. 1. Hæreſi 16. contra Phariſæos. Baſilius in Exaimeron, hom. 1. & 6. Ambroſius in Geneſ. lib. 4. cap. 4. vbi egregiè, acutè & breuiter hanc Aſtrologiam amentiam refutat. Chryſoſt. in Gen. hom. 6. in hunc locum Moſis de operibus 4. diei. Auguſtinus verò inprimis errorem hunc refutauit, Tom 5. de Ciuitate Dei lib. 5. per 10. capita. Item Tom. 1. Confeſſ. libro 4. cap. 3. vbi fatetur ſe fuiſſe prius huic vanitati deditum: ſed deinde per gratiam Dei, ſe illi renunciaſſe, tanquam arti, quam vera pietas Chriſtiana damnat. Item Confeſſ. libro 7. cap. 6. appellat fallaces diuinationes Mathematicorum, & impia deliramenta. Doctè verò hanc refutat Tom. 3. de doctrina Chriſtiana libro 2. cap. 21. 22. 23. 24. Et Tom. 4. lib. octuaginta trium quæſtion. quæſt. 45. Et Imperatores Chriſtiani, leges aduerſus tales diuinatores ſanxerunt. Legantur in Cod. lib. 9. tit. 18. qui eſt de maleficis & Mathematicis. Mathematicos enim appellabant hos Aſtrologos, qui iudiciariam Aſtrologiam profitebantur: de quibus hactenus diximus. Ideò cap. 2. ſic legimus: *Artem Geometriæ diſcere, atque exercere: publicè intereſt. Ars autem Mathematica, damnabilis eſt: & interdicta omnino.* Legantur quæ ſequuntur. Imo Imperatores quoque impij, Tyberius, Vitellius, Diocletianus: vrbe pelli iuſſerunt tales Mathematicos, tanquam peſtes Reipubl.

Cæterùm, qui plenam huius vanæ & impiiſſimæ artis refutationem cupit videre: legat Iohan. Pici, Comitis Mirandulani, ſuo tempore omnium doctiſſimi iuuenis, libros 12. quos aduerſus Aſtrologos ſcripſit. Nihil planè deſiderari poteſt. Poſt hunc ſcripſit & Hier. Sauonarola tres tractatus, vt vocat, ſed Italicè, breues quidem, ſed acutos & dilucidos, quos tandem in linguam Latinam conuertit: & etiam optimè aduerſus Stathmionem defendit, atque illuſtrauit, piæ memoriæ Thomas Eraſtus. Plura igitur ego non addam, cùm talis extet libellus: vt quiſque eum poſſit emere & legere.

De iudiciis, quæ ex aſtris fiunt: quatenus fieri, & non fieri liceat, breuiter ſuum ſcripſit iudicium, Thomas Aquinas in opuſculis ſuis, opuſculo 26.

Plato, & Ariſtoteles, aliíque præſtantes Philoſophi, nihil vnquam de hac iudiciaria Aſtrologia ſcriptum reliquerunt. Quæ res mihi firmiſſimo eſt argumento, hanc Aſtrologiæ partem, fuiſſe ab ipſis indignam prorſus iudicatam, quæ in ſuis ſcholis admitteretur: quippe quæ nihil habeat certi, nulláque firma principia, propter quæ nomen aut ſcientiæ aut artis mereretur. Ergo tanquam rem vanitatis & mendaciorum plenam, viróque Philoſopho indignam, ita abiecerunt, ac deteſtati ſunt, vt ne mentionem quidem facere illius voluerint. Neque enim dici poteſt, eam tempore Platonis & Ariſtotelis nondum fuiſſe cognitam; cùm eam longè antè profeſſi eſſent Chaldæi, à quibus iſta peſtis emanauit. Quare dubitandum non eſt, quin ipſi etiam Philoſophi, hanc Aſtrologiam examinârint: vti erant rerum omnium curioſiſſimi inueſtigatores. Verùm, cùm vidiſſent (vt dixi) hanc nihil habere certi eam, vt rem indigniſſimam, procul à ſe, ſuiſque ſcholis profligârunt. Quanto igitur indignior eſt, quæ à Chriſtianis in Eccleſia Dei admittatur?

* * *

HIERONYMI ZANCHII
DE OPERIBVS DEI, PARTIS SECVNDÆ,
LIBER SEPTIMVS.

DE OPERIBVS QVINTÆ DIEI: HOC EST, DE Piſcibus & auibus, &c.

CAPVT PRIMVM.

Contextus Moſis explicatur.

Et dixit Elohim: Repſiſſent.

Sicut ſuprà à דשא *germen*, formauit verbum תדשא *germinare*: ita hic à שרץ reptile deducit verbum ישרצו quaſi dicat, repere faciant. *Aquæ reptile animæ viuentis: Et volatile volet ſuper terram, ſuper faciem* (Rachiam) *expanſiones cælorum.*

verſ. 21. *Et creauit Elohim cetos magnos, & omnem animam viuentem: repentē quam repſiſſerunt Aquæ, in ſpecie ſua:* (ſiue iuxta ſpeciem ſuam:) *Et omne volatile alarum, iuxta ſpeciem ſuam: Et vidit Elohim, quod bonum.*

verſ. 22. *Et benedixit eis dicendo, Fructificate* (creſcite) *& multiplicamini* (multiplicate vos) *& replete aquas* (quæ ſunt) *in maribus. Et volatile multiplicet ſe in terra.*

verſ. 23. *Et fuit veſpera, & fuit mane dies quintus.*

Quem à Natura videmus perpetuò ordinem ſeruari, nempe, vt ab imperfecto, ad perfectum ſuis operibus, præſertim in rerum generatione, progrediatur: eundem Deus autor Naturæ, in prima rerum creatione inprimus ſeruauit. Hactenus enim ex Moſe vidimus, ab Elohim, Patre nimirum, Filio, & Spiritu S. interpretib. Prophetis atque Apoſtolis) creatam fuiſſe inprimis, & ante omnia, materiam quandam confuſam, ex qua omnia porro educerentur; & materiam hanc fuiſſe terram quondam aquoſam; ſeu aquam lutoſam. Ex hac deinde materia, creata iam luce, formatos fuiſſe inprimis cælos, ſphæram item ignis, & aeris: idque per materiæ ipſius ſubtilem extenſionem, atque expanſionem: vnde & *Rachiæ* nomine, tam iſta duo Elementa, quàm illi cæleſtes orbes appellata fuerunt. Et ita locum fuiſſe conſtitutum, vbi Meteora, quæ nomine *aquarum ſupra Rachiam* intellexit, generarentur: & ab aquis, quæ infra Rachiam erant, & ſunt, diſtinguerentur. Cùm verò adhuc magna pars illius primæ materiæ maneret confuſa, ex aqua ſc. & terra mixta, diſcreuit Deus aquam à terra, & in duo diſtincta Elementa formauit. Ita totam hanc mundi machinam, ex eadem materia formatam, præparauit homini, in duas præcipuas diſtinctam partes: in cæleſtem, & in elementarem. Porro cæleſtem in octo viſibiles nobis cælos, & in vnum inuiſibilem orbem, qui nona eſt ſphæra, diſtinxit: Elementarem verò, in quatuor diſtincta Elementa, pulcherrimo ordine inter ſe collocata eſt. Quæ omnia, corpora ſunt ſimplicia. Ex Elemētis deindè voluit reliqua omnia componi corpora. Quorum quædam imperfecta ſunt: vti ſunt meteora; alia verò perfecta, vti ſunt metalla, & lapides, mediáque mineralia: & deindè plantæ, & animalia. Ac prius etiam imperfectiora creauit corpora, & poſterius perfecta. Perfectorum quoque multa genera ſunt, quorum alia, aliis ſunt perfectiora & præſtantiora: prout etiam vitam habent meliorem, & animum præſtantiorē. Præſtantiores. n. ſunt plantæ, metallis: & animalia, plantis. Ideò poſt metalla, creauit plantas, quibus terrā ornare cæpit. Ac poſtmodum ad creationem animalium acceſſit. Quorum etiam cùm varia ſint genera, & alia aliis perfectiora: in horum etiam creatione, eundem ſeruauit ordinem, vt minus perfecta crearit priore loco, deindè magis perfecta. Quibus animalium generibus multis, ornauit aerem, aquas, & terram.

Cæterùm cur inter creationem plantarum & animalium, inter-

interpoſuerit creationem ſtellarum, quibus ornauit cœlos; cùm potius ornandum fuiſſe cœlum, & quæcunque ad illud pertinebant, abſoluenda eſſe viderentur, priuſquam ad ornatum terræ veniretur, vti fuit plantarum procreatio: Ratio huius diuini conſilij grauiſſima ſuprà fuit à nobis, ex Philone, & alijs Patribus allata. Voluit enim oſtendere Deus; etiam ſi ordinariè ad generationem tam plantarum, quàm animalium concurrat Sol ſuo motu & lumine, aliæque ſtellæ: interim tamen rerum generationem non eſſe ſimpliciter acceptam ferendam Soli, & Stellis; ſed Deo: quandoquidem etiam ante creatas ſtellas, iuſſit è terra progenerari plantas omnes cum ſuis fructibus. Ante creationem verò animalium, ſapientiſſimè voluit priùs creare Solem & ſtellas, quæ illuminarent terram: quia animalia opus habebant cumprimis lumine. Ergo meritò poſt creatas præcipuas mundi partes, corpora ſcilicet ſimplicia, tam cœleſtia quàm elementaria; & poſt meteora, atque plantas, ornatúmque cœlorum: tranſit nunc ad creationem animalium. Sunt autem (de omnium ferè doctorum ſententia) animalium perfectorum genera tria; quæ ad tria pertinent Elementa: volatilia ſeu aues ad aërem, reptilia ſeu piſces ad aquas; & pedeſtria ad terram. Et vocantur à Philoſophis *volatilia, aquatilia, terreſtria*. Ad hæc enim tria, omnia perfecta animalia referuntur. Duo perfecta animalia: quoniam quæ vocantur ζωόφυτα: perfecta animalia non ſunt, ſed medium quoddam tenent inter plantas, & animalia: ſicut & nomen ipſum indicat. Quanquam ego (vt poſtea dicam) alio modo cenſeo diſtinguenda eſſe animalium genera: idque ex Moſis contextu: & ad aquatilia referuntur ζωόφυτα. Cæterum inter hæc animalium genera, quædam etiam ſunt perfectiora, quædam minùs perfecta. Perfectiora ſunt terreſtria, hoc eſt, quæ ex terra ſunt; vt bruta quadrupedia, & homo. Minus perfecta: illa quæ ſunt ex aquis, piſces & aues: Ideò priùs hæc, quàm illa creauit Deus: vt ordo ſeruetur naturalis, qui eſt ab imperfecto, ad perfectum. Et ita narrat Moſes quinto die creata fuiſſe illa quæ ſunt ex aquis: Piſces ſcilicet, & aues, & deinde ſexto die perfectiora animalia, quæ è terra ſunt. Porrò eorum etiam quæ ſunt ex aquis, minus perfecti ſunt piſces quàm aues. Illi enim non reſpirant, neque vocem emittunt, vt aues. Idcirco etiam prius docet Moſes fuiſſe creatos piſces, quàm aues. Ac de animalibus etiam, quæ ſexto die narrabit fuiſſe creata; priùs docebit creatas fuiſſe beſtias, & ad extremum, hominem: quoniam homo perfectior eſt alijs animantibus omnibus. Imò & de homine, prius corpus, tanquam rem imperfectiorem; deinde animam creauit Deus. Ita apparet, hunc fuiſſe ordinem Dei in natura; vt proceſſerit ſemper ab imperfecto, ad perfectum. Ac proinde videmus, quàm perfectus ſit ordo huius hiſtoriæ Moſaicæ, de principijs rerum omnium: atque inprimis de creatione rerum naturalium.

Summa autem operum, quæ fecit Deus die quinto, hæc eſt. Docet; Primùm creata fuiſſe hoc die, duo animalium genera: piſces & aues. Secundo, materiam vtriuſque generis, è qua creata ſunt, fuiſſe aquas. Tertio efficientem primam ac principalem earum; ipſum Deum: idque ſuo verbo, & iuſſu. Secundariam autem, ipſas aquas. His enim tanquam inſtrumento vſus eſt Deus, ad horum animalium procreationem. Ideo non ſimpliciter dixit, *prodeant ex aquis reptilia*: ſed *producant*, inquit, *aquæ reptilia*. Sicut etiam ſuprà dixerat de terra: *Germinet terra germen, &c.* Qua locutione, ſignificauit, terram, non ſolùm materiam eſſe ex qua plantæ generentur: ſed etiam cauſam eſſe efficientem (poſt Deum) plantarum: quòd vim habeat à Deo, plantas producendi. Ita de aquis in generatione horum animalium loquutus eſt: *Producant aquæ reptilia*. Ac proindè docuit, alteram efficientem cauſſam piſcium & auium fuiſſe aquas. Vnde & ſubdit Moſes vtramque cauſſam complectens, *& creauit Deus omnem animam viuentem reptantem: quam produxerunt aquæ*. Docet præterea quartò, licet tam aues, quàm piſces ex aquis, hoc eſt, ex eadem materia creati ſint; alium tamen locum deſtinatum eſſe auibus, nempe aërem & terram; & alium piſcibus, nempe aquas. De piſcibus enim ait ſimpliciter, *Producant aquæ reptile animæ viuentis*: hoc eſt, reptile viuens; quaſi dicat, quod in ipſis etiam aquis repat, & viuat. At de auibus ait:

Et (ſcilicet producant) *volatile*: (quod) *volet ſuper terram* (hic eſt vnus earum locus) *& ſuper faciem expanſionis Cælorum*: hic eſt alter locus auibus deputatus. Ideo videmus, eas primùm quidem ſumere cibum è terra, & nidificare in terra: & deinde volitare per aërem. Quinto indicat vtriuſque generis animalium naturam: quanquam paucis verbis: quum ſcilicet vnum genus vocat reptile, in aquis ſcilicet duntaxat degens: eóque viuens quidem, ſed non reſpirans, nec vocale: Alterum verò appellat *alatum & volatile*: idque ſuper terram, & ſuper faciem aëris: eóque reſpirans, & vocale. Sextò, docet vtriuſque generis, multas eſſe ſpecies: dicendo, *iuxta ſpeciem ſuam*. Vnam vero ſpeciem, *omnium animalium maximum* nominat: nempe *cetos*: idque non ſine cauſſa, vt videbimus. Septimò, omnia docet hæc animalium genera ſua natura eſſe bona: eóque & ad bonum ordinata, dicendo: *Et vidit Deus, quòd bonum, &c.* Octauò, Deum dediſſe eis vim, ſeſe in ſpecie conſeruandi. Et quidem vim, vbertimè & copioſè ſuam ſpeciem multiplicandi: nempe maiorem quàm dederit poſtea terreſtribus animalibus: id quod apertè videmus. Nunc percurro verba Moſis.

verſ. 20. *Et dixit Elohim: producant aquæ, &c.*

II. Quædam verba hic explicanda ſunt. Vnum verbum ישרצו. שרץ eſt *producere* non ſimpliciter, ſed in magna copia, inſtar copioſiſſimæ aquæ, quæ ſcaturiat è terra: aut inſtar vermium, & formicarum, quæ è terra confertim & catervatim quaſi ebulliſit. Sic Exo. 8. v. 3. ושרץ היאר צפרדעים hoc eſt, *Et copioſiſſimè producet fluuius ranas, &c.* Sicut enim videmus nonnunquam è terra, pluuiis madefacta, prodire & quaſi ſcaturire ranas: ſic tunc è fluuio ſcaturiebant in Ægypto ranæ. Ideò rectè Hieronymus vertit: *Ebulliet fluuius ranas, &c.* Sic aquæ, piſces copioſè producere, & quaſi ebullire, iuſſæ ſunt à Domino. Hanc vim habet hoc verbum שרץ. Ideo ſic verti poſſet, *Scaturiant aquæ reptile animæ viuentis*. Hoc igitur verbo ſignificatur copioſa piſcium inprimis, & deindè etiam auium germinatio & procreatio. Hæc initio facta fuit ſine ouis: Maximam enim perfectorum piſcium, & auium multitudinem vi verbi diuini produxerunt aquæ: Poſtmodum verò oua primùm gignuntur permulta: deindè ex ouis, piſces & aues, excluduntur, & quaſi ſcaturiunt. Ita hoc verbo fœcunda & copioſa piſcium cumprimis, deinde etiam auium generatio ſignificatur. Hæc eadem piſcium propagatio numeroſiſſima ſignificata fuit à Dauide in Pſalmo 104. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum locis: ibi reptilia*, (id eſt, piſces) *quorum non eſt numerus*.

Porrò שרץ quod *reptile* vertunt, & Græci ἑρπετόν: ſcripturæ vocant quicquid eſt ἄποδον, ſine pedibus; ac proindè quod non graditur, ſed ſerpit. Ἑρπετὰ (inquit Heſychius) ſunt τὰ ἄποδα. Sunt autem ἑρπετὰ duplicis generis: alia terreſtria, vt vermes: quæ infra verſ. 24. vocantur alio nomine, nempe, רמש: alia aquatilia: vt piſces: de quibus nunc agimus. De iis enim loquitur Moſes, quum ait Deum dixiſſe, *Producant aquæ* שרץ. Et volunt Hebræi dici שרץ quaſi שחוקו רוץ quòd currant, ſeu ſerpant velociter. Certum eſt vocari reptilia; quia ſine pedibus ſe mouent. Ariſtoteles etiam docet, omnes piſces eſſe ſine pedibus, ἄποδες γὰρ (inquit) ἰχθύες πάντες.

Proindè meritò *reptilia* vocantur: quia ſeſe mouent ſine pedibus: id quod vocatur *ſerpere*. Quod autem ait reptile animæ viuentis: perindè eſt, atque ſi dicas, reptile animatum, atque viuens: vel reptile anima vitali præditum. Ergo tam anima, quàm corpus piſcis, ex ipſa eſt aqua: eóque corruptibilis atque mortalis. Id quod de aliis quoque animantibus omnibus, præter hominem concludere licet: quoniam de aliis quoque ſubdit, *Producat terra animam viuentem, iumenta & reptilia*. Sed de anima hominis docet Moſes, Deum eam inſufflaſſe in corpus iam formatum. Ita videmus, omne animal conſtare corpore & anima. Notanda eſt autem vox qua anima ſignificatur, nempe נפש, ea eſt à נפש quod ſpirare ſignificat. ψυχὴ Græcè à ψύχω; quod eſt itidem ſpiro, & etiam refrigero. Latinè anima: quaſi ἄνεμος, ventus, ſpiritus. Apud omnes igitur ſignificat ſpiritum: Ita diſtinguitur apertè anima à corpore in omnibus animantibus: & docetur, corpus, ſubſtantiam eſſe craſſam, viuificatam, & motam. Animam autem rem tenuem, atque ſubtilem, viuificantem, mouentem. Et tam animam bruti, quàm hominis, vocari, & eſſe ſpiritum. Sed diſcrimen videmus fieri in ſcripturis inter ſpiritum hominis, & reliquorum animalium: quoniam (vt dixi) ſpiritus hominis non eſt ex aquis, neque è terra, neque ex vlla materia: ſed à Deo, Deique flatu: ideò etiam ad Deum redibit, vt Eccleſiaſt. 12. legimus. At verò ſpiritus reliquorum animalium, ex materia eſt aquarum, aut terræ: vt Moſes docet: eóque etiam eò, vnde venit, redeat oportet cum ipſo corpore.

Illud: *Et volatile volet ſuper terram, &c.*

Quidam nolunt conſtrui cum verbo præcedente, *Producant aquæ*: ideo contendunt aues non eſſe ex aquis eductas, nec inter aquatilia animalia numerandas eſſe: ſed inter terreſtria, vt etiam vult Ariſtoteles. Ideo ſic ſimpliciter legunt: *Et volatile* (nempe è terra genitum) *volet ſuper terram*. Volunt enim his Domini verbis ſignificari immediatè quidem, vbi debeant manere aues: nempe in terra, & in

aëre. Conſequenter autem doceri vnde ſint conditæ, nempe è terra, ſuper quam iubentur volare. Sed nimis coacta eſt interpretatio, & ordinem Moſaicum turbat. Prius enim docuit, quænam ex aquis prodierint: animalia ſcilicet minus perfecta, vti ſunt piſces & aues. Deinde quæ è terra; perfectiora ſcilicet & firmiora: quod factum fuit ſexto die. Ac ſi Ariſtoteles aues connumerat inter terreſtria: Plato contrà cum ſcripturis conſentiens, eas reponit inter aquatilia, in ſuo Timæo. Itaque receptam magis ſententiam ſequamur: & ſic verba Moſis conſtituamus.

Et (nempe producant aquæ) *volatile*: Et tum ſubaudi אשר quòd volitet ſuper terram. Huc etiam accedit: quòd infra verſ. 22. idem verbum, *Benedicendi*, ad aues ſimul & ad piſces refertur, idque meritò: quia vna etiam eadémque eſt vtriuſque generis propagandi ſe ratio, nempe per oua: ſicut reliquorum animantium terreſtrium vna & eadem eſt, nempe per coitum.

Ergo ſicut in ſexto die, quum de terreſtrium animalium productione loquitur, verbum illud: *Et producat terra animam viuentem, ad omnia terreſtria animalia*, rationis ſcilicet expertia refertur: Sic etiam hîc, verbum *producant aquæ*, tam ad aues, quàm ad piſces referendum eſt: ſicut mox etiam ad vtrumque genus ſimul refertur illud: *Et benedixit eis, &c.* Ita conſtat, aues etiam omnes, ex aquis fuiſſe: quanquam in aquis non degant. Voluit enim hac etiam re, ſuam mirabilem potentiam ſimul & ſapientiam declarare Deus: horúmque animalium productionem docere, opus eſſe merè diuinum, non autē naturale, vt Philoſophi putarunt: Non eſt enim à natura, quod animal ibi degere nequeat, vnde formatum, & vbi progenitum eſt. Adde & ſimilitudinem maximam, atque cognationem, quæ eſt inter aërem & aquam, intérque piſces, & aues. Diaphanus eſt aër, diaphana & aqua. Perfacile ſecatur aër ab auibus: facilè etiam ſecantur aquæ à piſcibus. Pennatæ ſunt aues: pinnati ſunt piſces. Velociter in aquis piſces currunt: velociter & aues in aëre volitant: vt optimè vtriſque etiam congruat nomen שרץ. Si etiam à רוץ quod *currere* ſignificat, deducatur, vt multi volunt: Aquæ humidæ ſunt, itidem & aër. Et vt aër humorem ad ſe trahit ſubinde ex aquis; ſic etiam contrà, ſubinde humorem à ſe, in aquas demittit: vt in pluuiis. Vtrumque autem, eodem humore, terram humectat. Docent hæc & alia, aues & piſces, communem quandam inter ſe habere naturam, ex aquis deſumptā: quanquam multæ etiam, diuerſæ inter ſe qualitates, in his, hoc eſt, animalium generibus ſpectentur. Sed hæ contingunt non à diuerſa materia, è qua primum ſuum habent ortum; ſed à formis diuerſis atque etiam à locis, vbi ſemper degunt; & à cibis quibus veſcuntur. Hæc itaque ſunt quibus adducor, vt omnino ſentiam cum Patribus, aliiſque eruditioribus viris: tam aues, quàm piſces ex aquis oriundas eſſe: eoque verbum ישרצו המים *producant aquæ*: ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα, repetendum eſſe, quum de auibus ſubdit:

v. 21. *Et creauit Elohim cetos, &c.*

Duo etiam in his verbis ſunt explicanda. ברא propriè vt ſupra vidimus, ſignificat creare ex nihilo. Hîc autem vſurpatur pro efficere etiam ex præiacente materia. Ceti enim & piſces omnes ex aquis producti ſunt: vt ipſa etiam Moſis verba docent, quum ſubdit: *Et omnem animam reptantem* (ſcilicet creauit Deus) *quam produxerunt aquæ*.

Cæterum non ſine cauſſa, voluit vti hoc verbo creandi Moſes in hoc loco, quum de cetorum magnorum productione loquutus eſt: cum id non fecerit in aliarum rerum, quæ ex præiacente materia factæ fuerunt, creatione. Ad horum enim vaſtorum animalium productionem, videbatur opus fuiſſe, maxima vereque diuina potentia. Hæc autem ſeſe exerit in rerum ex nihilo creatione. Hæc igitur cauſſa eſt, cur hîc vſus ſit verbo ברא. Sicut etiam initio: non autem in aliarum rerum productione, niſi in hominis quoque creatione, tanquam excellentiſſimæ omnium, vereque diuinæ creaturæ: verſ. 27.

Cetos magnos התנינם vnde Græci θύννοι, & Latinè itidem *Thynni*, & *Thunni*: piſces prægrandes in Atlantico mari: qui ſi ad ſuperficiem maris veniant, videntur nautis eſſe Inſulæ & Montes. vt ipſe etiam Theodoretus in hunc locum teſtatur. Et Baſilius.

Cæterum, notandum, nomē תנין vnde in plurali תנינים ſignificare propriè, *ſerpentem*, atque *draconem*: Et inde quoduis animal oblongum & prodigioſum, quod formam præ ſe ferat Draconis, tam in terreſtribus, quàm in aquatilibus: vt in exemplis Scripturarum, quæ adferuntur ab Hebræis, videre eſt. Vnde & pro magnis *tyrannis* vſurpatur hæc vox: vt Ezechiel 26. verſ. 3. *Ego ad te* [illegible], *Rex Ægypti* התנים הגדול *Draco magne*: pro tyranno inſigni & prodigioſo. Hîc verò pro marinis piſcibus omnium maximis, accipit hanc vocem התנינים Moſes: qui *balenæ*, & *ceti* vocantur; & *thunni*. Septuaginta vertunt Κήτη.

Adiecit autem Moſes vocem הגדלים *magnos*: tum vt indicaret vaſtam prodigioſamque ipſorum magnitudinem: tum etiam differentiæ cauſſa. Sunt enim etiam תנינים non ita magni, vt iſti de quibus hîc agit, quales ſunt dracones, & ſerpentes in terris, ſeu terreſtres. Ariſtoteles etiam inter cetos, ponit delphinos, & priſtes & boues marinos. Hos quidem omnes intellexit Moſes creatos fuiſſe à Deo: peculiariter tamen balenas piſces omnium vaſtiſſimos indicare voluit: ac proindè adiecit nomen הגדלים. Ex hac autem tam vaſta cetorum magnitudine factum eſt, vt Græci, res magnas vocent κητώδη. Et ſic Homerus Lacedæmonem, magnam & nobiliſſimam Græciæ vrbem appellauit Κητώεσσαν. De magnitudine cetorum, ita ſcribit Strabo lib. 15. Μέγεθος δὲ τῶν κητῶν φησὶν ὁ Νέαρχος [illegible]. Imo & 50. cubitorum viſum fuiſſe cetum à Nearcho, refert Strabo. Iuba (referente Plinio) in iis voluminibus quæ ſcripſit ad C. Cæſarem Auguſti filium de Arabia; tradit cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & 360. latitudinis, in flumen Arabiæ intraſſe. Intelligit autem de geometricis pedibus. Baſilius ſcribit, maximis montibus æquari marinos cetos. Vergilius vocat *monſtra*,

Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Cauſſam magnitudinis non tam cetorum, quam multorum etiam aliorum animalium in mari: vbi certè maiora animalia ſunt: quàm in terris: Philoſophi transferunt in ſolam aquam, quod ſcilicet humidiora ſint aquatilia, quàm terreſtria. Non inficior hanc ſecundam cauſſam: ſed Moſes primam ac præcipalem docet fuiſſe Deum, qui ſuo verbo, ac voluntate, tales ac tantos eſſe voluit hos piſces: Ad quam rem vſus eſt aqua. Ideò non aquæ hoc adſcripſit, ſed Deo, dicendo: *Et creauit Elohim cetos magnos*, docens propriè voluntate Dei factum eſſe, vt ſint tam grandes; quo ſuam ſcilicet oſtenderet potentiam. Hinc verò intelligi voluit, multo magis igitur ſentiendum eſſe, etiam reliquos omnes, tam magnos quam paruos, creatos à Deo fuiſſe. Porrò quum ait, Deum creaſſe cetos, & quidem magnos: Synecdoche eſt. Intelligit enim non ſolum ſubſtantiam, & quantitatem ipſorum, & rerum omnium: verum etiam qualitates omnes, & formas, & vires quæ in ipſis rebus reperiuntur, à Deo eſſe. Ac ſi proponit ipſorum ſubſtantiam, & magnitudinem, vt illas conſideremus: ſic etiam ipſorum naturas nobis inquirendas, & examinandas eſſe docet. Itaque de naturis animalium legendi ſunt illi, quibus Deus eas patefecit, ad noſtram vtilitatem: vt Ariſtoteles, Plinius, Ælianus & alij.

His vocibus expoſitis: eruenda iam eſt ex iis duobus verſibus doctrina: quam Moſes aut apertè tradit, aut tacitè innuit de cauſſis, natura, vſúque cùm animalium in genere, tum ſpeciatim piſcium & auium. Nam de aliis aget in ſexto die. Ait itaque:

Et dixit Elohim, ſcaturiant aquæ, &c.

III. Hîc *primùm* habemus doctrinam de ortu animalium. Docet enim ſpecies animalium non eſſe æternas: vt nonnulli voluerunt Philoſophi, atque in primis Ariſtoteles, qui (vt in Phyſicis) cum æternitate Mundi, animalium quoque æternitatem ſtatuiſſe videtur. Contrà Moſes docet, ſicut Cœlum & Terra, creata fuerunt certo tempore: ſic etiam animalia omnia: partim quinto, partim ſexto die creata fuiſſe.

Deinde iiſdem verbis tradit doctrinam de cauſis animalium efficientibus. Plato in Timæo, duplicem fecit animalium omnium efficientem cauſſam: Deum & dæmones, quos *Deos iuniores* vocat. A Deo quidem creatos eſſe hominum animos: Cum enim ſint immortales, non potuiſſe eos, niſi à Deo ſolo immortalitatis auctore fieri: Corpora verò omnium animalium, & mortales etiam brutorum animas ſeu ſpiritus: à Diis minoribus, qui nihil immortale efficere poſſunt, cùm & ipſi facti & nati ſint: factos fuiſſe. Quam ſententiam ſequuti ſunt Marcion quoque & Manichæi, aliique phanatici homines. Alij, omiſſo Deo, ad neſcio quam naturam, & æternam maſculi ac fœminæ vim: omnium animantium ortus reducunt. Sed Moſes duplicem animalium, ſicut etiam reliquorum generum rerum, ortum ac procreationem facit, primam & ſecundam.

Prima fuit, quum Deum immediatè, per quam, piſces & aues procreauit: animalia verò reliqua, per terram. Hic eſt primus ortus animalium: qui duplicem habet efficientem cauſſam: Deum nimirum ſuo verbo: & aquam, in piſcibus atque auibus, terram autem in aliis, ſine mare & fœmina, ſine ouis & fœtu. Et de hac procreatione ait Moſes:

Et dixit Deus, Producant aquæ, &c.

Et mox: *Et creauit Elohim cetos magnos, & omnem animam viuentem, reptantem.*

Hæc

Hæc prima fuit piſcium, & auium procreatio.

Altera ea eſt, quæ primam quidem cauſſam habet Deum: ſed ſecundam habet, non iam aquam aut terram, quàm ipſa præcedentia animalia, ſuis ſeminibus: per oua, aut fœtus. Et de hac loquitur Moſes in verſu 22. dicendo: *Et benedixit eis Deus, dicendo: Fructificate, &c.* Itaque cenſeo omnium animalium ex putrefactione generationem, ad vim horum verborum pertinere: *Producant aquæ, producat terra, &c.* Quæ autem fit per oua, & fœtus, ex his verbis vim habet: *Et benedixit eis: dicendo, Fructificate, &c.* Vbi notanda eſt vis verbi diuini, quo dixit: *Producant aquæ, &c.* Item, *creſcite &c.* Si itaque rerum naturalium generatio, tam prima quàm ſecunda, à vi verbi diuini pendet: quid mirum quod ſcripturæ tradunt, nos renaſci vi verbi Dei: & hoc eſſe ſemen noſtræ regenerationis? Atque hactenus de efficientibus cauſis.

Tertiò iiſdem verbis, ישרצו aquæ, docet, quæ fuerit materia generationis piſcium, & auium. Diuerſæ ſunt Philoſophorum de horum animalium materia: ex qua prima genita ſint, ſententiæ. Fatentur omnes, ex 4 Elementis conſtare omnia animalia. cùm quatuor etiam primæ qualitates, apertè in ipſis conſpiciantur. Sed quoniam vnumquodque à prædominante denominatur: hinc oritur diſſentio, de animalium materia prima. Eſt enim animalium materia duplex: Prima, & ſecunda. *Primam* vocant eam, è qua primum, conſtat corpus. Corpus enim omne ſua conſtat materia, & ſua forma. *Secundam* appellant, ipſum totum corpus, reſpectu animæ: quæ eſt totius compoſiti forma. De hac non diſputatur: ſed de prima. Quæ etiam duplex eſt, proxima & remota. Proximam ſentiunt omnes, eſſe ipſum ſemen animalium, à quibus alia animalia generantur. Remotam vocant illam, quæ ab Elementis eſt immediatè. Piſcium itaque materiam primam in eis prædominantem aiunt omnes eſſe aquam: qua in re cum Moſe conſentiunt, qui ex aquis productos fuiſſe piſces apertè docet. At de auium materia, non conſentiunt. Ariſtoteles enim ait eſſe terram, alij aquam. Moſes quoque primus omnium, docuit, materiam auium, fuiſſe aquam: ſicut ſuprà oſtendimus, ſic intelligenda eſſe Moſis verba:

Producant aquæ reptile, & volatile, &c.

De materia ſecunda: quæ eſt corpus ipſum piſcium, & auium; loquitur, quum primo nominat *reptile*, poſtea ait, *animam viuentem*. Docet enim reptile conſtare duobus: Corpore animato, viuificatóque, & anima viuificante: vno, vt materia ſecunda, altero, vt forma. At, inquies, piſcium quidem materiam prædominantem, eſſe aquam, facilè damus: Id enim apparet ex ipſorum etiam qualitatibus: quia piſces ſunt humidi, & frigidi, vt aqua At verò de auibus, quomodo id dari poſſit: cùm ſint potiùs temperatè calidæ, & humidæ, ſicut etiam aer? Ad materiam igitur aëris, quàm aquæ, potius accedunt. Reſpondeo. Aliud eſt loqui de prima auium origine & aliud, de natura, quam iam in eis cernimus. Moſes apertè docet, ex aquis fuiſſe eductas. Quod vero ad naturam aëris propius accedant, quam ad aquæ; hoc habent naturaliter loquendo, ex loco primum, vbi naſcuntur, viuunt, manent Et deindè ex cibis, quibus veſcuntur: vt taceam, voluiſſe Deum hinc ſuam mirabilem patefacere potentiam, atque ſapientiam, dum ex eadem materia, genera animalium tam diuerſa condere voluit.

Quanquam inter ipſas quoque volatilium ſeu auium ſpecies, non paucæ ſunt, quæ naturam magis aquæ retineant, humidam ſcilicet & frigidam, quam aëris: veluti ſunt anſeres, & quæ in aquis venantur piſces vnde viuant, aliæque permultæ.

Hinc *quarto* loco diſcimus, quid ſit animal: Animal eſt ſubſtantia corpore organico, & anima viuificante, atque ſentiente locóque mouente conſtans: ad humanum vſum à Deo condita. Moſes enim nominat *reptile, & volatile*, & deindè ſubdit animam viuentem, & tertiò, dat illis motum, dicendo, reptilem & volantem. Ita non poteſt eſſe animal verum atque perfectum, niſi anima tali præditum ſit.

Proindè *ζωόφυτα*, inter vera perfectáque animalia non connumerantur, ſed mediam inter plantas, & animalia, naturam retinent. De vſu ad quem creata ſunt animalia, poſtea dicemus. Atque hinc etiam colligere licet, quid de animalium perfectione ſentiendum ſit. Empedocles, & Anaximander, aliíque nonnulli, qui mundum factum eſſe, & animalia initium accepiſſe prædicarunt: ſenſerunt, & docuerunt, Animalia initio imperfecta fuiſſe facta, nec omnibus ſuis partibus prædita. Deinceps verò paulatim excoli & perfici cœpiſſe, donec perfectam ſui abſolutámque acceperunt effectionem. Sed ſecus Moſes docet tum hic, tum infrà: vbi dicit, *perfecta fuiſſe opera Domini*.

Hic verò ait, *Deum creaſſe reptilia, & omnem animam viuentem, ac reptantem, & omne volatile, alatum, quod volitet ſuper terram.* Quibus verbis docet, perfecto corpore, perfectáque anima, fuiſſe de principio creata animalia omnia. Imò & iuſta, ſua quodque ſecundùm ſpeciem ſuam, corporis quantitate, conſtantia: non autem quòd primo parua fuerint. Sicut nunc naſcuntur, & poſtea adoleuerint, factaque fuerint grandia. Sicut enim plantas perfectas ſtatim creauit, ſic etiam animalia. Proindè perfectas, omnéſque vires, quæ cuique ſpeciei conueniebant, dedit ab initio Deus, & animis & corporibus omnium animalium. Totam hanc animalium, tam animæ, quàm corporis perfectionem, indicauit Moſes, dum dat animalibus primum corpora, deinde animas, & tertio actiones ſerpendi, volandi, & quartò, quum ait: *Et creauit cetos magnos.* Indicat enim, etiam reliqua animalia, iuſta ſui corporis magnitudine prædita fuiſſe: imò ex magnitudine corporis, innuit etiam omnes animæ vires, atque corporis, quibus ornauit animalia omnia. Et quintò, cum ait, *Deum vidiſſe, quod bonum*: & demum quum dat illis vim procreandi ſimile in ſpecie ſua. Quæ autem ſint & animæ cuiuſque generis animalium vires & corporis partes, quæve cuiuſque ſit natura, diſcendum eſt ex Anatomicis & Philoſophis: præſertim ex Ariſtotele, De partibus animalium, déque hiſtoria Animalium: & ex Plinio aliíſque. Nos aliquid dicemus in creatione hominis, quod ad reliquorum etiam animalium perfectionem, & naturam cognoſcendam conducat.

Quintò, indicat Moſes, quotnam, & quæ ſint animalium genera: idque partim hîc, quinto die, partim infrà in operibus ſextæ diei.

Plato in Timæo: quatuor fecit animalium genera: *cæleſtium*, quæ in cœlis: *volatilium*, quæ in aëre: *aquatilium*, quæ in aquis: & *terreſtrium*, quæ in terris degunt. Sed quod animalia etiam ſtatuat in Cœlis, dæmones Deóſque minores: & ſtellas, neque cum ſacris literis, neque cum vera Philoſophia congruit. Ariſtoteles in libris de partibus animalium, multis modis diſtinguit animalium genera, & ſpecies. Ad ſummam: facit primum tria genera, *pedeſtria, aquatilia* (quæ Moſes vocat *reptilia*) & *alata*. Deinde hæc in varias diuidit ſpecies. Pedeſtrium enim aliud eſſe multipes, aliud quadrupes, aliud bipes. Et ita de aliis, quæ præſtat legere apud ipſum, quàm vt nos omnia recenſeamus. Ego verò cenſeo ex Moſe, ſic eſſe animalium genera diſtinguenda: vt duo inprimis faciamus genera: Quorum vnum, & ordine creationis primum, ſunt *aquatilia*: de quibus agit in quinto die. Alterum, ſunt *terreſtria*: de quibus in ſexto die. Prima enim partitio, à materia, è qua formata ſunt, & à matre, ex cuius vtero genita ſunt: ſumenda eſt.

Cæterùm aquatilia, in duo alia ſecantur genera: in *reptilia* (vt loquitur Moſes) ſeu in *piſces*: & in *volatilia*, ſeu in *aues*. Singula porrò hæc genera in varias diuiduntur ſpecies: ſicut & Moſes docet, dicendo: *Quam produxerunt aquæ iuxta ſpeciem ſuam.*

Verùm, vbi collocabimus *ζωόφυτα*? Annon & hæc fuerunt à Deo creata? Proculdubio vt ſcripturæ docent. Nullum enim eſt animal, ſicut nec vlla planta, quod non ſit à Deo creatum; aut immediatè, vti eſt homo; aut additis etiam cauſſis ſecundis, vt quum ait, *Producant aquæ, producat terra.* Oportet igitur etiam *ζωόφυτα*, à Deo fuiſſe creata; quanquam mediam inter plantas, & animalia perfecta, naturam ſortita ſint; vnde & *ζωόφυτα*, quaſi dicat *plantæ animalia*, vocantur. Accedunt enim ad naturam plantarum, in effigie corporis, & in motu: Item in alendi ſeſe, ac vegetandi facultate. Ad motum enim quod attinet, non mouentur loco, ſed tantùm motu alterationis, & augmenti, & contractionis, ac dilatationis. Animalibus autem perfectis ſimilia ſunt, ſenſu: quanquam hebetiſſimo. Dominus enim ea, aliquo ſenſu donauit, quo poſſint diſcernere, quæ ſuæ naturæ commoda, & quæ incommoda ſint. In ſumma, ad ſuæ vitæ commoditatem, datus eſt illis aliquis ſenſus: quo fit, vt non poſſint non appellari animalia. Habent enim guſtum, & tactum, & facultatem ſeſe contrahendi, & dilatandi. Sunt autem & *ζωόφυτα* duo genera, quædam terreſtria, alia verò, eáque plura, aquatilia: & horum, pro maiori minoríve ſenſus facultate, ſunt etiam multæ ſpecies. Notiſſima ſunt, ſpongia, marinus pulmo, vrtica, ſtella, holothurio, & conchylia: quæ etiam non vnius ſunt formæ. Horum naturæ, & quæcunque ad ipſa pertinent, pertractantur ab Ariſtotele, Plinio, & Æliano, Alberto magno, & aliis, & ex Omnium natura eſt, vt adhæreant vel ſaxis, vel arenæ, vel limo, indéque alantur. Ergo quæ aquatilia ſunt: (ſunt autem pleraque omnia;) ea ad quintum diē pertinent: & ſub piſciū genere, colloco. Quanquam enim reuerā piſces non ſunt, ex aquis tamē producta eſſe, ſicut & piſces;

non dubito;cùm appareat manifeſtè,ea in aquis,& ex aquis produci,& aquoſis etiam humoribus nutriri. Proinde quum ait Moſes, *Deum creaſſe cetos magnos,& omnem animam viuentem, quam produxerunt aquæ : ζωόφυτα* autem hæc, viuentia ſint in aquis, & ex aquis, fatendum eſt, & ipſa contineri inter illas animas viuentes, quas produxerunt aquæ, creante illas Deo. Obiter verò, vt etiam antè monui, obſeruandum eſt diſcrimen inter productionem animæ brutorum, & hominis. Illas productas eſſe à Deo, partim ex aquis, & partim ex terra,docet Moſes:eóque mortales ſunt. At noſtras docebit, inſufflari immediate à Deo, eóque eas incorruptibiles, & immortales eſſe.

Sextò, licèt inter omnia animalia ſint & magna, & parua: de nullis tamen dixit,quòd hic de piſcibus.

Et creauit cetos magnos,&c.

Docet igitur nullum animal maius reperiri in toto orbe, cetis marinis. Ita tacitè indicat, animalium ſpecies, in aquis reperiri maiores, quàm extra aquas. Piſcis, qui Ionam viuum deglutiuit:& viuum in ſuo ventriculo tres dies detinuit; docet quanta ſit magnitudo quorundam animalium. De magnitudine viribúſque Elephanti, diſputat Iobus in capite 40. & 41. Et inde Deus oſtendit quanta ſit ſua potentia. Sed nihil ad cetos marinos. Vult autem Deus, vt ex magnitudine horum animantium corporea, cogitemus & vires ipſorum. Ex vtroque autem conſideremus, quanta ſit ipſius magnitudo; potentiæ nimirum ipſius, atque ſapientia: ac proindè, fiduciam inde noſtram in Deum alamus, ac ſuſtentemus.

Septimò, quum ait, *Deum feciſſe omne volatile alatum* : docet, hue, hoc eſt, ad opera quintæ diei pertinere inſecta etiam alata, vti ſunt apes, animalia certè humano generi vtiliſſima; & ſi quæ alia id genus ſunt, quæ aliquid commodi adferre poſſint hominibus. Nam, quæ aut prorſus inutilia ſunt,aut etiam tantum noxia,veluti ſunt muſcæ & veſpæ, & ſimilia, ea non ante, ſed tantum poſt hominis peccatum,vt teſtimonia iræ Dei,ex putrefactione,& vi Solis,iuſſu tamen Dei, generata fuiſſe, eóque ad opera creationis, quibus de hîc agitur,minimè pertinere creduntur.Verùm inſecta prioris generis, qualia ſunt apes, vi verbi diuini quinto die ex aquis condita fuiſſe: Moſes ipſe docere videtur, cùm ait: *Deum creaſſe omnem animam viuentem, & omne volatile alatum, ſecundùm ſpeciem ſuam:vidiſſéque quod eſſet bonum.* De inſectis, Plinius libro 11. & quidem de apibus capite 5. Atque hæc ex Moſe,de primo animalium ortu,cauſis,materia, natura,perfectione,generibus,obſeruata ſunto. Sequitur iam de ipſorum vſu & propagatione.

VI. De Vſu.

Verſ.28. *Et vidit Deus, quod eſſet bonum* : nempe opus,quòd creauerit hæc animalia.Docet iis verbis,non ſolùm ipſorum naturam & ſubſtantiam eſſe bonam : quia quæcunque creauit Deus, erant valde bona ; ſed inprimis docet magnum optimúmque eſſe ipſorum vſum,ad quem creata ſunt.

Eſt autem in ſumma *duplex* horum animalium *vſus*, nobis vtilis atque ſalutaris : vnus ad corpus pertinet : alter,ad animum. *Ad corpus* pertinet, quòd Deus ea nobis conceſſerit in cibos:valèt item ad medicamenta, quàm plurima,quibus de rebus Plinius abunde & alij : vt taceam de oblectationibus, quas capimus ex cantibus auium, & alios infinitos vſus:quos omnes explicare nemo poſſet. Nam etiam venenata animalia, vtilia ſunt homini ; cùm etiam ex iis optima fiant medicamenta, & Alexipharmaca. Ergo vidit Deus, quòd bonum fuerit opus, creaſſe tot animalia, ad hominis vtilitatem,commodum,oblectationem.Sed alter vſus,qui *ad animum* pertinet,nobis pluris eſt faciendus;& ſcripturæ eum frequentius proponunt. Is autem eſt quòd Deus exempla virtutum,quas imitemur: & vitiorum,quæ fugiamus,in eorum naturis,nobis propoſuit. Id quod & optimè Ariſtoteles in 8.De hiſt. animalium,obſeruauit. Vt enim in nobis veſtigia ſunt intelligentiarum, & morum,eorum qui ſunt in Cælis ſpirituum:ſic in animantibus brutis,veſtigia virtutum & morum qui aut ſunt, aut eſſe debent in hominibus, poſita ſunt. Excelluit autem in hoc genere, hoc eſt, in altero vſu, quem ex animalibus habemus, obſeruando, & deſcribendo, Cl.Ælianus:quem habemus & Græcè & Latinè ſimul.Proinde hortor omnes literarum ſtudioſos; eos præſertim qui ad Theologiæ profeſſionem aſpirant, vt hunc legant autorem. Nam frequentiſſimè in ſacris literis, nobis exempla brutorum animalium proponuntur; ſiue cùm vitia nobis exprobrant, ſiue quum ad virtutes hortantur. Eſt igitur neceſſe vt animalium naturas,probè teneamus; ſicut à peritis deſcribuntur. Imo, & dogmata quædam fidei, exemplis animalium confirmantur, partim in ſacris literis, partim apud Patres. Exempla aliquot adferam,primùm de piſcibus: deinde de auibus,& volatilibus.

Inter cetos, ſeu תנינים Delphinus etiam numeratur quia ita velox eſt, vt aliquando vela nauium tranſuolet. In hoc piſce, exemplum veræ charitatis erga liberos proponitur; vt liquet ex natura Delphini, quam Plinius deſcribit lib.9.cap.8.Et Ælianus libro 5. cap.18. Mira quoque philanthropia in eodem imitanda proponitur. Miro enim amore proſequitur homines. Exempla talis amoris mira, proponuntur ab Æliano lib. 6. cap. 15. Quanquam enim de laſciuo amore interpretantur has hiſtorias permulti, vt Gellius Noct. Attic.lib 7. cap.8. & alij, tamen ad Philoſophiam pertinent.

Vt vero ceti, magni prædicantur magnitudine corporis: ſic contrà maxima potentia in minimo omnium piſciculo celebratur,qui ἐχενὴις appellatur : de quo Plinius lib.9.ca.25. & lib.32.cap.1.Paruulus admodum piſcis,naues tamen,velociter etiam currentes, remoratur, ſuperat ventos, & omnes maris tempeſtates. Quis hîc non videat, non eſſe vires metiendas, magnitudine corporis, ſed ſæpè in paruis corporibus,maximas latere vires? Accommodari poteſt hoc exemplum ad illud Pauli confirmandum, & ornandum, contemptibilia Mundi elegit Deus.

Baſilius verò fraudulentum Polypi ingenium deſcribit:vt exemplo hoc doceat, quales ſint mores adulatorum. Eſſe enim hos,vt Polypos. Trahit Polypus(vt Ariſtoteles etiam docet)ſibi colorem,ſimilem iis ſaxis, quibus appropinquat: quod idem etiam,quum metuerit,facit. Talia ſunt ingenia aſſentatorum, qui in omnem habitum & formam ſeſe vertunt. Sed frequentiora,& maiora in auibus, exempla virtutum, & vitiorum reperimus, tam apud ſacros ſcriptores, quàm apud prophanos,quàm in piſcibus:quippe,quę etiam notiores nobis ſunt,quàm piſces: adde,quod perfectiora etiam ſunt animalia aues, quam piſces. Mira ſunt quæ de Phœnice aue ſcribuntur, partim à Plinio lib. 10. cap. 2. partim ab Æliano lib.6. cap.58. de ipſius memoria, peritiaque numerandi.Sed mirabiliora,quæ apud Patres lego,de ratione quam ſeruat, quum ſibi tempus moriendi inſtare ſentit: Struem lignorum ex caſſia, myrrha, aliiſque odoris lignis concinnare, inque eam incumbere, & flagrantiſſimo ſolis ardore, ignem alis excitare dicitur, quo igne ipſa paulatim conſumitur, & in cineres fatiſcit. Mox ex illis cineribus vermiculus naſcitur: Deinde pullus grandeſcit: & poſtremo, phœnix priori ſimilis renaſcitur. Quo exemplo,reſurrectionem noſtram confirmant Patres. Extat elegantiſſimum carmen de Phœnice, apud Lactant. Firm. Legatur & Tertull. liber de Reſurrectione carnis. Ambroſius lib.de reſurrectione eodem vtitur exemplo Phœnicis.

De Alcyonibus, quæ,cùm pullos edunt ſuper aquas Maris, atque educant : Maris imperum & fremitum ſiſtunt: quàm mira ſunt quæ ſcribuntur ab Ariſtotele lib. de Animalibus 5.à Plinio libro 10.Quid de ciconiarum pietate dicam? Parentes ſenio confectos alunt & geſtant; vnde verbum ἀντιπελαργεῖν, pro verè redamare, & vicem rependere. Apium prudentia, caſtitas, obedientiáque erga ſuum regem, ſedulitas item, & labor & frugalitas : à Plinio deſcribitur libr.11. Ab Ariſtotele libr.9. de Hiſtor. animal. Columbas nobis Chriſtus proponit, vt exemplum ſimplicitatis, neque rumpunt fidem coniugij. Contrà in cuculo, maximum ingrati animi crimen, vt deteſtemur,proponitur. In coruo,aſtorgia: ideò prædicantur ali à Deo peculiariter ipſorum pulli: quia deſeruntur à parentibus. Frequentiſſimè, & Philoſophi, & Chriſtus, & Apoſtoli mittunt nos ad bruta animalia : vt ex iis diſcamus, quid agendum, quidve fugiendum. Ideò apud Iobum rectè dicitur, *Interroga quæſo pecus. Et docebit te: Et auem Cœli, & annunciabit tibi.* Docent hæc & alia exempla, quæ in ſcripturis paſſim reperiuntur:noſtri eſſe officij,incumbere in ſtudium de naturis animalium : quoniam ea creauit Deus in noſtrum vſum : non tam corporalem, quàm etiam ſpiritualem : vt explicatum eſt. Hoc igitur eſt quod ſignificauit Moſes : dicendo, *Deum vidiſſe, quod eſſet bonum,&c.* Quia nobis vtilia ſunt hæc opera. Sequitur de propagatione.

5. *Et benedixit ipſis Deus,&c.*

Verſ. 22. ברך *Benedicere* multa habet in ſcripturis ſignificata : Et tam nos dicimur benedicere Domino, quàm Deus nobis, ſed longè diuerſa ſignificatione. Quæ ſingula ſignificata, operæpretium non eſt, hic referre. Summa hæc eſt: Quum Deus dicitur nobis, aut aliis rebus benedicere : intelligitur non de verbali benedictione, qualis nos nobis mutuò benedicimus, id eſt, bene precamur, non ſic Deus. Sed de reali benedictione qua re ipſa nobis benefacit, & bona

bona largitur, intelligendus eſt benedixiſſe. Si contrà, dicitur maledicere alicui, quum malè ei facit, eúmque perdit. Dicere enim Dei eſt facere. Vnde & illud, *Benedicentur in ipſo Chriſto omnes gentes*: nihil aliud eſt, quàm in Chriſto, & propter Chriſtum, omnia bona, omnémque felicitatem, & ſalutem conſequentur. Sed quum poſtea ſubdat Moſes, quomodo hanc benedictionem explicarit Deus, nempe dicendo, *Fructificate, & augeſcite, & replete aquas, &c.* Liquido apparet, nomine *benedictionis*, nil aliud intellexiſſe, quàm gratiam ſeſe in ſpecie conſeruandi, ſuámque ſpeciem propagandi: fœcunditatem ſcilicet, & in procreando felicitatem. Suprà nunquam vſus eſt hac benedictione, quia neque ſtellis, neque plantis, dedit hanc gratiam ſimilia ſibi in ſpecie procreandi: nam neque aſtra generant aſtra: neque plantæ plantas, ſed ex ſemine non ipſarum, ſed fructuum ipſarum, vbi in terram ceciderit, & putrefactum ibi fuerit: aliæ ſurgent plantæ. Verùm vbi ventum eſt ad animalia, dedit illis fœcunditatem hanc & facultatem, qua alia ex ſe gignant animalia ſecundùm ſpecies quæque ſuas. Hîc itaque Deus, prima omnium cauſſa: cùm de principio ad procreationem animalium vſus fuiſſet aqua primùm, deinde terra, tanquam ſecundis cauſſis, dicendo, *Producant aquæ, &c.* Nunc alios ſibi conſtituit coadiutores, ad propagationem animalium: nempe animalia priora, ad gignenda poſteriora. Idque non ſine graui cauſſa fecit. Voluit enim hac ratione, inter omnia animantia maiorem conciliare beneuolentiam, amoriſque nexum, dum efficit, vt vnum naſcatur ex altero, & alia ſint procreantia, alia procreata, parentes & liberi. Sciamus igitur vim procreandi, communicatam eſſe animantibus omnibus; vt amicitia inter nos magis ac magis coaleſcat firmeturque. Sed cur hic legitur benedixiſſe piſcibus, & auibus, infrà autem in ſexta die, non legitur benedixiſſe iumentis, aliiſque beſtiis terræ? Reſpondent quidam, ideo fuiſſe his benedictum, hoc eſt, datam largam benedictionem, & gratiam ſeſe copioſè propagandi non autem iumentis, beſtiiſque terræ, quia plus etiam piſcium capitur, & editur, atque item plus auium, quàm iumentorum. Alij, hanc benedictionem, extendi etiam ad animantia 6. diei: cùm omnia ſint rationis expertia. Alij benedictionem, qua homini benedicetur in 6. die: ad ipſa etiam animantia bruta, quæ ſexta die creata fuerunt, pertinere. Vtvt ſit, conſtat, Deum etiam aliis terræ animantibus, reipſa eandem gratiam progeniem propagandi dediſſe. Quod autem non ita eam expreſſerit Moſes, non refert, cùm & initio, in procreatione ſcilicet aquatilium: Et in fine, in creatione ſcilicet hominum, qui terreſtria ſunt animalia, eam explicarit. Præſertim, cùm eadem ſit ratio procreandi, in omnibus terreſtribus animantibus, quæ & in hominibus. nempe per fœtum: ſicut eadem etiam eſt in auibus, quæ & in piſcibus: nimirum per oua. Satis igitur fuit, benedictionem hanc, bis repetiiſſe: vt duo etiam ſunt primo animantium genera, aquatilia & terreſtria. Notandum igitur, vt duo ſunt, prima animantium genera, ſic duplicem etiam eſſe procreandi, & ſpeciem propagandi, rationem. Vna eſt per oua, altera per fœtum. Prima pertinet ad primum genus, altera ad ſecundum. Piſces enim & aues, oua, in quibus vis eſt ſeminalis, gignunt foras, deinde piſciculos, & pullos, ex ouis excludunt: quanquam diuerſa etiam ratione. Piſces enim non incumbunt ſuis ouis, vt aues. ſed aquis, in quibus oua pariunt, ea excludenda tradunt. At aues oportet ſua fouere oua, & pullos ex iis excludere. Ita apparet, faciliorem eſſe rationem progerminandi, traditam piſcibus, quàm quæ tradita eſt auibus. Indè etiam fit, vt magis multiplicentur piſces, quàm aues. Atque hac etiam de cauſſa fit, vt etiamnum aquæ verè dicantur producere piſces, non autem producere aues. Nam ex ouis piſcium, excludit aqua piſces; non autem ex auium, aues. Hócque etiam, nunc eſt in cauſſa, cur piſcium carnes humidæ ſint & frigidæ ſicut aquæ, non ſic autem carnes auium.

Notandum præterea ex iſta benedictione diuina; quia Deus voluit deinceps ad procreationem animalium, vti opera ipſorum animalium; idcirco eum in omni animalium genere tam aquatilium, quàm terreſtrium creaſſe duplicis ſexus animantia, nempe maſculea & fœminea, vímque actiuam poſuiſſe in maſculeo, paſſiuam autem in fœmineo. Hinc liquet, appetitum illum vehementem, qui inter maſculum & fœmellam in omni animantium genere cernitur, & quo alter in alterum afficitur, ab hac præſenti benedictione, ortum ſuum habere. Deus enim procreationis cauſſa, hunc illis affectum indidit. Quare niſi quis illo abutatur, improbari non poteſt, naturalis cum ſit: & ex Dei benedictione profectus.

Adhæc notandæ ſunt partes benedictionis diuinæ, quæ tribus verbis explicantur: *Fructificate, augeſcite, ſeu multiplicamini, replete aquas quæ in maribus ſunt.* Primum itaque dedit piſcibus vim generandi ſibi ſimile in natura, atque ſpecie. Secundò, facultatem dedit procreandi non vnum tantùm, ſed multos, & ita ſpeciem multiplicandi. Tertiò, virtutem ita multiplicandi fœtus, vt licet perpetuò ex aquis piſces capiantur, interim tamen maria & flumina, plena piſcium permaneant: id quod impleri videmus. Nunquam enim deſunt piſces in aquis, in quibus Deus eos eſſe voluit. Porrò de volatilibus, non adiecit illud verbum, *Et replete aërem*, vel *terram*, ſed tantum dixit, *volatile multiplicet ſe ſuper terram*. fructificando ſcilicet & gignendo.

Dedit igitur Deus etiam volatilibus, vim procreandi & ſeſe multiplicandi: ſed non tam copioſam, atque dedit piſcibus, vt ſcilicet repleant aerem, vel terram, ſicut piſces replent aquas, in quibus degunt. Atque hoc res ipſa comprobat. Fœcundiores enim ſunt piſces auibus. Alia etiam accedit ratio, cur non dederit auibus vim replendi terram, ſicut piſcibus. In terra enim erant etiam habitatura alia animalia permulta, de quibus 6. die diſſerit Moſes: *Et præſertim homines.* Non decebat igitur, vt aues replerent terram. Deinde hoc erat hominibus deſtinatum, vt replerent terram. Interim notandum, licèt Deus dederit animantibus vim procreandi, non tamen ipſum ſuam ab inchoato opere manum amouiſſe, quaſi ipſe in animantium generatione nihil agat. Chriſtus enim apertè de Patre ſuo, & de ſe loquens ait: *Pater meus vſque modo* (nempe à condito orbe) *operatur, & ego operor*. Dedit igitur hanc vim animantibus, non vt eſſent ſoli genitores, ſed vt Deo eſſent coadiutores. Deus enim primus ac principalis eſt omnium auctor, ac parens. Quare quum videmus generari piſces, aues, aut quoduis aliud animal, cogitemus primùm Deum eſſe illum, qui ſua manu in vteris matrum aut oua, aut fœtus format: Parentes verò animantes, inſtrumenta eſſe Dei: neque illos quippiam agere in filiorum procreatione, niſi quatenus illis datur vis ad filiorum procreationem: eóque quicquid agunt, agere eos ex vi iſtius præſentis benedictionis, qua dixit illis Deus, *Fructificate, &c.* Itaque in poteſtate non eſt parentum, gignere vel maſculos, vel fœminas: quippe qui inſtrumenta tantùm Dei ſunt, ſed in poteſtate Dei hoc eſt. Nunquid enim ſerræ eſt aut bipennis, ex ligno facere vel ſcamnum vel ſpondam, & non potiùs hoc ſolius eſt artificis? Ergo cùm Deus primus ac principalis autor ſit generationis liberorum, in omni animalium genere, non eſt cur quiſpiam parens accuſetur, quòd gignere liberos non poſſit: cùm hoc à Dei voluntate pendeat. Quare rectè Iacob & piè Racheli conquerenti, quòd ſibi non daret liberos, reſpondit: *Num pro Deo ſum, qui prohibuit à te fructum ventris?* Perpetuò igitur illud retinendum eſt ante oculos: *in ipſo* (Deo) *viuimus, mouemur, & ſumus.* Atque hæc de aquatilium creatione, natura, & propagatione: quatenus ex Moſe colligi potuit, doctrina de hiſce animantibus.

VI. Nunc antequam ſummam huius doctrinæ theſibus complectar, & tradam, conſultum videtur, ſi priùs percurram etiam contextum Moſis, de creatione terreſtrium animantium, ratione carentium, quæ 6. die creata fuerunt. Tum enim commodiùs totam doctrinam de animantibus iſtis omnibus in vna quaſi tabella, proponere potero. Ac tum demum occupabimur in ſola hominis creatione.

Quanquam hoc interim notandum eſt, quòd non ſine cauſſa, Deus hæc terreſtria animantia non creauit quinto die vnà cum Aquatilibus, ſed ſexto, vnà cum homine. Vna cauſſa eſt, quoniam illa ad vnum duntaxat genus pertinebant, *Omnia enim aquatilia*: Hæc ad alterum, quia terreſtria. Æquum igitur fuit, duo prima diuerſa animantium genera, duobus etiam diſtinctis diebus creari. Altera cauſſa, quoniam oportuit prius ornari ſuis animantibus, & aquas, & aërem, tanquam ſuperiora elementa: & deinde terram. Accedit quòd homo non erat habitaturus cum auibus in aëre, aut cum piſcibus in aquis, ſed in terra, cum iumentis aliiſque animantibus terreſtribus. Similiora quoque homini ſunt hæc terreſtria, tum corpore, tum ingenio, quàm vel piſces, vel aues. Denique erant ex iis terreſtribus permulta futura auxilio homini, in colendis agris, vt boues: in itineribus faciendis, vt equi: in domibus cuſtodiendis, vt canes: & alia, ad alios neceſſarios, domeſticóſque vſus, ei deputanda erant. His igitur de cauſſis in ſextum diem, quo creandus erat homo, diſtulit Deus, iumentorum terreſtriúmque omnium animantium creationem, vt taceam quòd oportuit ſeruari ordinem, vt ab imperfecto progrederetur ad perfectum. Nunc contextum Moſis videamus.

Verſ. 24. *Et dixit Elohim, producat* (propriè ad verbum exire faciat, educat) *terra, animam vitæ* (ſeu viuentem) *ad* (ſeu iuxta) *ſpeciem ſuam: iumentum & reptile, & beſtiam ipſius terræ* (ſed ſin-

gularia pro pluralibus accipienda ſunt :) *iuxta ſpeciem ſuam: & fuit ita.*

verſ. 25. *Et fecit Elohim feram* (vel beſtiam) *terræ, iuxta ſpeciem ſuam : & iumentum, iuxta ſpeciem ſuam : & omne reptile terræ, iuxta ſpeciem ſuam. Et vidit Elohim, quod bonum.*

Notandæ & explicandæ ſunt prius quædam voces; deinde eruenda ex iis doctrina. תוצא propriè (vt dixi) eſt *exire facias* (eſt enim in *hiphil*) *educas* : itaque non malè vertunt, qui aiunt, *producat* : hoc eſt, foras ducat. Differt à ſuperiori verbo, ישרצו Aquæ : quod fuit, quaſi, *ſcaturiant aquæ, &c.* Copioſam enim piſcium ſcaturitionem indicauit. Sed hoc verbo ſimpliciter ſignificat Moſes, animalia, vi verbi Dei, è terra aquis madefacta, formata fuiſſe, & è terra, quaſi ex vtero matris fœtum enitentis, prodiiſſe. In illo נפש חיה animam vitæ, ſeu viuentem: Eſt & Enallage numeri: (ſingulare enim pro plurali accipit) & Synecdoche. Animam enim viuentem, accepit pro toto animali viuente : hoc eſt, anima & corpore conſtanti, denominatione facta, à nobiliori parte, quæ eſt Anima. Eſt igitur perindè atque ſi dixiſſet, *Producat terra animalia viuentia : iuxta ſpecies ſuas* : hoc eſt, varia viuentium animalium genera. Ita ſignificat & animas & corpora animalium iſtorum; è materia terræ eſſe producta: Atque hoc dixit in genere. Itaque nomen animæ viuentis, vt genus eſt; omne viuum animal ſignificans. Poſtquam verò dixit in genere, producat terra, diuerſa animalium viuentium genera; ea per ſpecies explicauit, dicendo בהמה. Tribus his vocibus, omnes terreſtrium ſpecies, vno excepto homine, complectitur. Omnia enim terræ animalia, aut *πόδιμα* ſunt, hoc eſt pedibus prædita : aut *ἄποδα*, hoc eſt, ſine pedibus. Hæc *ἄποδα* à Moſe vocantur רמשים reptilia. Quæ verò ſunt pedibus prædita; ea aut ſunt planè domeſtica, vel quæ facilè cicurari poſſunt, hominiſque eſſe ad multa adiumento, aut ſunt merè ſylueſtria, & fera. Prioris generis ſunt inprimis illa, quæ tum iumenta à iuuando dicta; tum pecora vocantur : & quæ herbis veſcuntur, non autem carnibus; vt equi, boues, oues, &c. Deinde quæ facile domeſtica fieri poſſunt, vt elephanti, cameli, cerui, & alia id genus, quæ domari, cicurarique poſſunt, & ad vſum noſtrum accommodari. Hæc itaque ſentio ſignificata fuiſſe nomine בהמה.

Ad ſecundum genus animalium pedeſtrium pertinent omnes feræ, quæ carnibus veſcuntur, neque vſui eſſe ſolent homini; vt ſunt lupi, leones, vrſi, tigrides. Ita apparet, Moſen, his tribus nominibus בהמה item רמש & חיה complexum eſſe omnia terræ animalium genera. Nihil præterea eſt in verbis, quod explicatione opus habeat. Nunc ad rem ipſam venio; doctrinámque de animalibus terreſtribus, ex Moſi colligo.

VII. *Primùm* habemus, terreſtrium quoque animalium ſpecies non eſſe æternas; quia factæ in tempore, ſexto ſcilicet die, à creatione primi chaos, materiæ cœli & terræ.

Deinde habemus cauſam horum efficientem duplicem, primam, & ſecundam: Primam Deum ipſum, ſuo verbo, ſuóque potenti iuſſu : de hoc enim ait Moſes, *Et dixit Elohim, producat terra.* Et mox, ne putes tantum iuſſiſſe, ſubdit: *Et fecit Elohim.* Secundaria cauſſa, quæ fuit inſtrumentum Dei, terra ipſa fuit : Hæc enim iuſſa fuit producere animantia. Dedit igitur ei vim Deus, animalia producendi; & fuit horum ceu mater. Deus enim animalia, ſuo verbo formauit è terra aquis illis quibus incubauerat Spiritus Dei, eoque fœcundis madefacta. Deinde ex ea, tanquam ex vtero matrum, iuſſit animalia proferri, & educi. Et hoc ſignificauit verbo תוצא

Hinc ſequitur *tertio* loco, licet nonnulla poſt peccatum hominis tantùm progenita ſunt, vt monſtra; & qui e corruptis noſtris corporibus naſcuntur vermes, pediculi, aliáque id genus: Ea tamen produci ex vi huius verbi diuini, *producat terra* בהמה *omne reptile.*

Quartò, Materia horum animalium præcipua, quæ fuerit, liquido apparet : terra nimirum. Ergo licèt conſtent omnia animalia ex quatuor Elementis; præcipua tamen materia in terreſtribus prædominans, eſt terra. Vnde & terreſtria appellantur, quia è terra producta, multum habent terræ. Interim verò obiter obſeruanda eſt efficacitas verbi Dei : quum ait, ויהי כן *& fuit ſic*, hoc eſt : Et ſtatim è terra prodierunt animalia omnis generis, ſicut iuſſerat Deus. Vnde etiam colligimus, fore, vt terra, eadem vi eiuſdem verbi diuini reddat, proferátque in lucem omnia demortuorum hominum corpora viuentia : ſicut & olim reddidit Lazarum ad vocem Chriſti, *Lazare, veni foras.* Colligimus hinc quito loco, perfectionem animalium. Prodierunt enim talia, qualia iuſſerat Deus prodire, perfecta ſcilicet, vt vnum genus ab altero diſcerni facilè poſſet. Res fuit admiratione digna, quum ſtatim è terra, omnia animantium genera, exilierunt : eáque perfecta, vt nihil in eis deſiderari poſſet.

Sextò, habemus omnia terreſtrium animalium, ratione ſcil. carentium, genera, tribus nominibus comprehenſa, quia omne animal brutũ terreſtre aut eſt בהמה aut רמש, aut חיה. Et quidem ordo obſeruandus eſt: quia *primò* ponit domeſtica, homini & vtiliora, atque commoda: nempe בהמה: *Secundò*: quę minus nocere poſſint רמש, quo nomine veniunt etiam quæ tam paruos habent pedes, vt fere nullos habere videantur, vnde & ventrem ſecum trahere videntur : vt lacertæ, vt rubetæ, vt formicæ. *Poſtremò* ſubdit, quæ maximè nocere poſſunt, & quæ veſcuntur carnibus, etiam humanis : nempe חיה feræ, ſylueſtréſque ac ſanguinolentæ, belluæ, leones, tigrides, lupi, & alia id genus.

Septimò, docet nullum eſſe vel minimum animal, quod non fuerit factum à Deo, id ait, *Fecit Deus omne reptile* : quaſi dicat: Ergo multò magis, omne iumentum & omnem feram, atque beſtiam. Fuerunt autem omnia facta à Deo, aut actu: vt quæ tunc prodierunt è terra, aut in ſemine animalium cuiuſque ſpeciei, vt quæ iam generantur, aut in virtute ſeminali, quæ in terra, & Elementis relicta eſt : vt quæ ex putrefactione naſcuntur. Vi enim illius verbi diuini, *Producat terra animam viuentem: generantur è terra, quæcunque ex putrefactione generantur.*

Octauò, docet etiam Moſes quid ſit animal: ſubſtantia ſcilicet per ſe ſubſiſtens, corpore organico, & anima viuificante, ſenſum præbente, locóque mouente prædita. Corpus enim tale eſſe docet : quum nominat *iumentum, reptile, & beſtiam ſeu feram.* Animabus quoque ipſorum tales dat facultates, quum nominat *animas vitæ*, ſeu *viuentem* : & quum dat iſtis animalibus ſenſum & motum, vocans בהמה : vnde nomen beſtiæ, vel à vaſtitate, quaſi *vaſtiæ* : Grandiora enim animalia hoc nomine propriè ſignificari volunt, quæ & *immania* vocantur : vel à *βόσκω* dicitur beſtia, id eſt, *paſco*, quod antiqui nonnulli dixerunt *beſco* : vnde *beſtiæ* propriè vocantur, quæ herbis paſcuntur : ſicut חיה fera, quæ carnibus viuit. Illa autem animalia talia eſſe non poſſunt, niſi prædita ſint anima, viuificante, ſenſum motúmque præbente. Idem etiam docet vox רמש quod reptile vertimus.

Nonò, iiſdem nominibus docet Moſes de partibus animalium, nullum eſſe animal, cuius corpus non habeat has ſaltem partes, caput, quo cibum ſumat, & vbi ſedes ſit ſenſuum: Ventrem, in quem cibum tranſmittat, & vbi illum coquat. Inteſtinum aliquod, aliáque membra, per quæ quod ſupereſt ex alimento extrementum, egerat. Membra quoque, per quæ ſenſus exerceat, & alia quibus loco moueatur. Sine iis enim membris, neque paſci & nutriri, neque ſentire, neque moueri poſſunt. Et ideo non poſſunt eſſe iumenta, beſtiæ, reptilia, feræ, ſine iis corporis partibus.

Decimò, ac quia Deus omnibus dedit vim generandi ſibi ſimile in ſpecie : manifeſtum eſt, omnia animalia, membra etiam ad generationem accommodata à Deo accepiſſe, & in omni animalium ſpecie inueniri maſculum, & fœminam.

Vndecimò, nomine quoque animæ, ſeu נפש quam omnibus dat animantibus, non ſolùm terreſtribus hic, ſed etiam aquatilibus ſuprà : ſignificat Moſes nullum eſſe animal, quod non aliquo modo reſpiret. Nam ψυχὴ, & anima ſua propria ſignificatione, reſpirationem ſignificant. Ideò etiam piſces licèt comparatione aliorum animalium, non dicantur reſpirare, quia pulmone carent, vt rectè docuit Ariſtoteles, tamen aliquam reſpirationis ſpeciem habeant neceſſe eſt, vt apertè Plato & Galenus tradunt, qui eos per branchias reſpirare aiunt. Tam diu enim aliquod animal dicitur viuere, quàm diu ſpiritum habet, eóque ſpirat. Id quod de inſectis quoque omnibus tradunt Galenus & Plinius, licèt Ariſtoteles neget. Sed comparatione aliorum animalium ille loquitur.

Duodecimò, eodem animæ, & vitæ nomine, quod omnibus dedit animantibus, docet Moſes, nullum inueniri animal, quod non habeat vel verum ſanguinem; vel ſaltem humorem aliquem calidum, qui illi ſit vice ſanguinis. Anima enim cuiuſque animalis in ſanguine eſt, vt idem Moſes alibi ſæpe ſcribit, præſertim Leuit. 17. Et in humido & calido, vita conſiſtit, de omnium ſententia.

Quare quòd quædam inſecta eſſe tradantur, quæ dicuntur eſſe exanguia : de vero ſanguine intelligenda ſunt talia Philoſophorum dicta.

Decimotertiò, diſcrimen etiam notandum eſt inter primam efficientem animalium cauſſam, & inter ſecundam. De terra Moſes non ait, quòd ipſa *fecit animantia*, ſed tantum *ſicut iuſſa fuerat, ea exire fecerit, eduxeritque in lucem.* At de Deo ait:

Et fecit Deus omnem animam viuentem.

Vera igitur omnium efficiens cauſſa eſt Deus: non autem terra vel quidpiam aliud.

Decimoquarto, De mixtione quoque animalium inter ſe, monet nos Moſes. Summa enim diligentia repetit: & in verſ. 24. bis. & in 25. ter: *producta & facta fuiſſe animalia*: ſeorſim vnumquodque iuxta ſpeciem ſuam. Quibus verbis docuit Deum velle, vt diſtinctè maneant animalium ſpecies, neque confundantur. Ac cum vnicuique etiam ſpeciei ſeorſim dederit vim procreandi ſimile in ſpecie ſua, id quod fit per commixtionem maris & fœminæ eiuſdem ſpeciei; ſatis apertè docet, ſe nolle vt diuerſarum ſpecierum ſexus commiſceantur. Pugnare igitur cum prima Dei inſtitutione, & cum Natura, ſi animal vnius ſpeciei, cum alterius ſpeciei coëat animali.

Decimoquintò, De natura quoque & vſu omnium terreſtrium animalium docet, quam & bona ſit illa per ſe, & iſte commodus ſit hominibus, quorum cauſſa condita ſunt omnia. Docet vtrumque quum ait:

Et vidit Elohim quod bonum, &c.

Dubium igitur non eſt, quin ità omnia animalia, tam feræ crudeles, & ſerpentes venenati, quàm iumenta, & per ſe, ſuáque natura, bona ſint, contra Manichæos, & ad bonum commodúmque hominis, condita ſint. Quum enim ait, *Et vidit quod bonum*: Docet omnia animantia ita fuiſſe ſua natura bona, vt etiam poſſent aliis eſſe bona, & prodeſſe hominibus. Nam, quod multa iam, & inimica ſint homini, & noxia, hoc eſt ex accidente. Propter peccatum etiam hominis, hoc contigit. Qua de re legatur Auguſtinus Tom. 1. lib. 1. cap. 16. de Geneſ. contra Manichæos: Ibi enim quæſtionem hanc pertractat piè & copioſè. Hinc, hoc eſt, propter peccatum hominis, factum etiam eſt, vt non ſolùm in animantia, verùm etiam in plantas, in metalla, in terram, & in alia Elementa demanarit Dei maledictio: propter quam Rom. 8. Apoſtolus ait, *Omnem creaturam nunc vanitati ſubiectam eſſe.* Ergo ante non erat talis. Quare neque animantia poterant homini eſſe vel inimica, vel ingrata, vel noxia.

Cæterum, hic alia mouetur quæſtio, qua & Manichæi exagitârunt Auguſtinum. Ea autem eſt, de monſtris, quæ non tam inter reliqua animantia, quàm etiam inter homines naſcuntur: à quonam illa ſint, & quomodo poſſint eſſe bona. Si à Deo eſſent, ea eſſent bona, & valde bona: quia quæcunque fecit Deus, ea vidit quòd bona, & certè erant valde bona. Monſtra autem quomodo eſſe bona poſſunt, aut natura ſua, aut vſu? Monſtra enim peccata eſſe dicuntur, ab Ariſtot. Phyſ. lib. 2. c. 8. Peccata nimirum in natura: quoniam natura impeditur in horum generatione, ne poſſit, quale velit animal producere. Proinde peccat aut in exceſſu, aut in defectu. Quæcunque autem à Deo facta ſunt, in eis nullum fuit peccatum, quia omnia bona valde. Non ſunt igitur, neque bona, neque à Deo. Auguſtinus reſpondet ad quæſt. Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 16. c. 8. & 21. c. 8. Breuiter reſpondemus: Monſtra inter illa bona Dei opera, de quibus diſſerit Moſes Gen. c. 1. hoc eſt, quæ à Deo facta fuiſſe, ante hominis peccatum, narrantur, connumerari non poſſe. Quæcunque enim Deus fecit, ſine vllo fuerunt vitio, nullúmque habuerunt vel exceſſum, vel defectum, quia omnia bona valde, & perfecta ſunt opera Domini. Proindè poſt hominis duntaxat peccatum, genita fuiſſe monſtra, & non ante manifeſtum eſt.

Cæterùm, minimè proptereà dici poteſt, ea non eſſe à Deo, neque ex eius voluntate, ac proinde ſimpliciter, bona non eſſe. Nam extra controuerſiam eſt apud pios omnes, nihil in Mundo fieri, ſine Dei voluntate, & omnem ſubſtantiam, omniáque Entia à Deo, ſummo, primo, perfectiſſimóque Ente, proficiſci: eoque & bona eſſe, cùm ſua natura: tum ad multos vſus. Stat firma illa Salomonis in Prouerb. ſententia: *Omnia propter ſemetipſum creauit Deus.* Non ſolùm autem initio Mundi, creauit Deus: ſed etiam quotidie & creat animas humanas, & format omnia animalium corpora. Ergo etiam monſtra: idque propter ſemetipſum, ad ſuam gloriam & ad ſalutem Electorum. His enim ita conditis, monet nos de ſua iuſtitia aduerſus peccata noſtra: & propter hominis peccatum, non ſolùm totam humanam naturam corruptam eſſe docet, tum animo, tum corpore; ſed etiam corruptionem hanc, in reliqua omnia animantia, & in Elementa eſſe deriuatam. Niſi enim contigiſſet peccatum in hominibus aduerſus legem Dei; neque hoc quod *peccatum naturæ* appellatur à Philoſophis, contigiſſet in animalium generatione. Dum igitur monſtra, Naturæ peccatum, ac corruptionem demonſtrant, ſimul etiam cauſſam huius corruptionis, nempe peccatum humani generis, & ſæpe etiam peccata proximorum parentum prædicant, iramque Dei portendunt. Ideo Auguſtinus rectè ait, monſtra ita appellari, *quòd aliquid ſignificando, demonſtrent*: Et portenta à *portendendo*; id eſt, à præmonſtrando vocari. Hoc autem ſalutare eſt electis: quia monentur de iudiciis Dei, eóque de reſipiſcentia. Alius quoque accedit vſus monſtrorum: nimirum, quòd dum horum deformitatem videmus, ſimul melius, quantum ſit Dei beneficium in ſeruandis vſitatis animalium formis, intelligimus, eóque ad gratiarum actionem incitamur. Quo de vſu fusè Auguſtinus, de Ciuit. Dei lib. 16 cap. 8. Apparet igitur, etiam monſtra, in quouis animalium genere: & à Deo eſſe, licet non ante, ſed poſt peccatum: & eſſe bona: tum, quia illorum ſubſtantia bona eſt, tum, quia etiam deformitas ipſorum, bonos habet vſus: cùm & Deo ſeruiat ad gloriam ipſius illuſtrandam & electis ad ſalutem promouendam.

Quod ſi ipſa etiam monſtra bona ſunt, bonóſque habent vſus, quanto magis reliqua animantia, atque inprimis iumenta, quæ poſt hominem inter terreſtria, primum tenent locum? Meritò itaque ait Moſes, *Et vidit Deus quòd bonum, &c.*

Eſt autem (ſicut ſuprà quoque diximus de aquatilibus) duplex vtilitas, quæ homini accedit ex iſtis animalibus: vna ad animum, altera ad corpus, pertinens. Quæ ad corpus, præſentémque vitam pertinet vtilitas: nemini ignota eſt. Experimur enim quotidie, quàm vtiles nobis ſint equi, boues, vituli, oues, porci, canes, aliáque tum armenta, tum greges, iumentáque omnia, & omne genus animalia: quorum alia ad nos veſtiendos, alia ad alendos, alia ad vehendos, alia ad terram colendam, alia ad alios vſus nobis inſeruiunt. De hoc vſu infrà dicit, *Deum omnia ſubieciſſe homini, & poteſtatem ei dediſſe, dominandi piſcibus Maris, volatilibus Cœli, & beſtiis Terræ.* Quibus verbis docet, omnia animalium genera creata eſſe, vt homini inſeruiant, diuerſos ad vſus: ad quem ſcilicet deſtinatum eſt vnumquodque. Vſus verò ſpiritualis longè nobilior, & excellentior eſt: vt etiam anima, ipſo corpore. Hic autem vſus non ſolùm in eo conſiſtit, quòd ex horum conſideratione in cognitionem Dei, eiúſque ſapientiæ, potentiæ, ac bonitatis adducimur (hunc verò vſum habent omnes res conditæ, vt Rom. 1. & alibi liquet:) ſed etiam quod in huiuſcemodi animalibus talia virtutum nobis imitandarum, & vitiorum vitandorum exempla propoſuit Deus: vt poſt S. Biblia, nec vnde Ethica melius dici poſſint, quàm ex animalibus, quæ quotidie in oculis noſtris verſantur, vt non iniuria ad pueros in Ethicis inſtituendos, fabellæ Æſopicæ ſemper iudicatæ fuerint, aliorum omnium librorum accommodatiſſimæ. Alia non adferam exempla, quàm quæ ſcripturæ ſubindè, & paſſim inculcant. Et quorum aliquot, ſuprà etiam in medium protuli, ex piſcibus & auibus. Sed multò plura ſunt, quæ petuntur ex terreſtribus animantibus. Ad euitandam ignorantiam rerum cumprimis cœleſtium: exemplum nobis proponit Dauid, equi & muli: dicendo, Pſalm. 31. *Non eritis ſicut equus & mulus: in quibus non eſt intellectus.* Quo etiam ex loco, facile colligitur reſponſio ad quæſtionem, *An animalia bruta prædita ſint aliqua intelligendi & ratiocinandi facultate*: vt nonnulli voluerunt. Senſum quidem non tam externum, quàm etiam internum, puta naturalem quandam ſagacitatem & prudentiam, in aliis tamen maiorem, in aliis minorem, facilè dabimus: ſed vera intelligendi, & ratiocinandi facultas, illis in S. Scriptura non conceditur. Ideo Dauid ait, *in equo & mulo nullam eſſe intelligentiam.* Legatur hac de re Auguſt. Tom. 1. de quantitate animæ c. 28. vbi docet, quomodo bruta intelligant. Ad prudentiam Oeconomicam imitandam, qua nobis de rebus neceſſariis legitimè proſpiciamus: eóque ad euitandam pigritiam, atque ſegnitiem: exemplum nobis proponit Salomon formicæ: dicendo, Prouerb. 6. *O piger vade ad formicam.* Ex hoc & aliis aliquot animalculis, liquet, quæ exempla virtutum propoſita nobis ſint in animalibus brutis.

Ergo ex quatuor beſtiolis, quas proponit Salomon in Prouerb 30. facile intelligimus, quòd proſint nobis ad multa virtutum exempla perdiſcenda, hæc de quibus loquimur, animalia bruta.

Quatuor (inquit Salomon) *ſunt parua terræ: & tamen ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ* (ſunt) *populus non fortis: attamen præparant in æſtate cibum ſuum. Cuniculi* (ſunt) *populus non fortis: attamen ponunt in petra domum ſuam. Rex non eſt locuſtæ, attamen egreditur, vniuerſa ipſa cum turma. Aranea manibus apprehendit* (id eſt, telam texit) *cùm tamen ſit in ædibus regis.*

Ex iis paruulis animalculis, diſcimus: quot, & quanta poſſimus ex animalibus omnibus quæ nobis dedit vt morum præceptores Deus, diſcere: modo velimus oculos aperire, & Deum in eis nos erudientem audire.

Denuo igitur, ſicut etiam ante, hortor omnes, ad ſtudium Philoſophiæ: & præſertim ad cognoſcendas animalium naturas, proprietates, ingenia, vires. Harum enim rerum cognitio dici non poteſt, quantum proſit ad veram ſacra-

rum literarum cognitionem, vtilémque interpretationem; cùm præſertim videamus horum ſubinde in ſacris literis mentionem fieri. Certè, qui contemnit hoc ſtudium, contemnit Deum. Deus enim eſt, qui in creaturis ſuis, nobis loquitur. Proindè Salomon hiſce de rebus accuratiſſimè multos ſcripſit libros: vt in libris Regum legimus. Quos ſi haberemus, quis negaret eos eſſe diligenter legendos, & etiam in Scholis explicandos? Sed quando hi perierunt, alij qui doctè & verè de his ſcripſerunt, omnino conſulendi ſunt: vti eſt Ariſtoteles, Ælianus, Plinius, &c. Hæc enim beneficia Dei, contemni non poſſunt, ſine magna in Deum contumelia, ingratíque animi crimine. Ac de animalibus ſatis, quatenus ex verbis Moſis colligi potuit. Reſtat, vt nunc præcipuam partem doctrinæ de omnibus animalium generibus certis ac breuibus Theſibus complectamur.

CAPVT II.

Summa doctrinæ de animalibus: ac primùm in genere.

De animalium ortu.

THESIS I.

Nulla animalium ſpecies, vt nonnulli Philoſophi falsò docuerunt, æterna ſunt.

OMnia enim creata in tempore: & quidem quinto & ſexto die, poſt conditam primam materiam rerum omnium, omnia animalium genera condita fuerunt. *Genera* dico *animalium*: quoniam monſtra, nouum genus non conſtituunt: ſed in vnoquoque genere peccata ſunt naturæ.

II.

Eſt autem duplex brutorum animalium ortus: primus, iſque diuinus: & ſecundus naturalis.

PRimum illum voco, quum ſola diuini verbi virtute, ex creata iam materia, condita fuerunt: quam etiam ob cauſam, *diuinum* appello. Alterum natu ralem nominamus; quo ſcilicet deinceps naturali ratione animalia procreantur omnia.

III.

Porrò naturalis procreandorum animalium ratio, duplex eſt: per generationem ex eiuſdem ſpeciei animalibus, vna: ſiue ea fiat per fœtum, ſiue per oua: Altera verò per ſimplicem, ex materia aliqua putrefacta, ſine vlla aliorum animalium actione, vlliúſve ſexus mixtione procreationem.

De cauſis efficientibus.

IV.

Prima efficiens, vera ac propria, tam in ſecundo, quàm in primo animalium ortu, cauſa fuit & eſt Deus.

V.

Secundaria, eóque inſtrumentum potius primæ quàm vera efficiens cauſa, in primo ortu, fuit tum ſola aqua, tum ſola terra, idque ex vi tantùm huius verbi diuini: Producant aquæ, producat terra. In ſecundo autem ortu, remota cauſa eſt Sol: Proxima verò, vel animalia eiuſdem ſpeciei, maſculea & fœminea, idque ex virtute diuina huius benedictionis, Fructificate & multiplicamini: vel terra, & aqua, vt in iis quæ ex putrefactione oriuntur: idque ex vi, ſemper durante, verbi diuini, Producant aquæ, producat terra.

De materia & forma, eóque de eſſentia naturaque animalium.

VI.

Conſtat porrò omne animal, corpore organico, tanquam materia proxima: & anima, quæ minimum tum facultatem vegetandi, locóque mouendi habeat, tum vim ſentiendi, ſeſe conſeruandi, ac propagandi præbeat, tanquam forma eſſentiali.

VII.

Vtrumque autem ex materia eſt, corruptioni obnoxia, eóque mortale.

CVm enim dixit Deus; *Producant aquæ reptilia: producat terra beſtias* &c. de toto animali loquutus eſt. Vnde & terra, tam animam viuentem, quàm iumentum produxiſſe dicitur.

VIII.

Etſi verò animalia omnia, ex materia quatuor conſtant elementorum: in aliis tamen aqua, & in aliis prædominatur terra: ſicut etiam alia ex aquis, & alia ex terra deſumta ſunt. Vnde & diuerſæ ſurgunt qualitates, in ipſis animalibus: quibus inter ſe differunt.

IX.

Ea autem eſt omnium animalium natura, vt ſui quidem appetant conſeruationem: ſed iſtud ſine temperamento calidi & frigidi, humidi & ſicci perpetuò: eóque ſine cibo, & potu, ſine ſomno & vigilia: ſine aliqua ſpiratione & reſpiratione, ſine etiam motu, & quiete, aſſequi non poſſunt: ac proindè omnia, vt viuant, ſic etiam moriantur, neceſſe eſt, cùm temperamentum illud perpetuum eſſe non poſſit.

De partibus animalium omnium communibus.

X.

Sunt autem omnibus, animalibus tam imperfectis, quàm perfectis, hæ corporis partes ſimpliciter neceſſaria: caput, venter, inteſtinum aliquod.

NAm ſi eis, neque cibum ſumere, neque illum retinere & concoquere, neque excrementa egerere, eóque viuere non poſſunt, nedum ſenſile aliquid percipere. Sed in animalibus perfectis, longè plura, tam interna, quàm externa corporis organa, requiruntur: de quibus, ne eadem repetamus, in corporis humani formatione breuiter ſuo loco diſſeremus. De viribus etiam Animæ, quam partim ſuprà attigimus; fuſius dicemus, in creatione hominis.

De generibus animalium.

XI.

Sunt autem duo prima omnium animalium genera, aquatilia, & terreſtria. Aquatilia verò in piſces & aues ſecantur, quorum ſingulorum innumerabiles ſunt ſpecies.

XII.

Terreſtria quoque in rationalia, vti ſunt homines, (de quibus nondum diximus) & in rationis expertia diuiduntur.

EXpertia verò rationis omnia in iumenta, atque beſtias in reptilia, & in feras ſecantur, quæ ſingula in ſpecies etiam quàm plurimas diuiduntur.

De generatione animalium.

XIII.

A primo ortu, qui fuit in prima creatione, omnia animalia generantur, aut per fœtum, aut per oua, aut per putrefactionem, Deo per ſolem, materiam putrefactam, atque humectam, viuificante.

De cauſſa finali.

XIV.

Finis autem creationis & generationis, omnium brutorum animalium proximus, & primus fuit hominis commodum, atque ſalus, vltimus autem gloria Dei.

ATque de animalibus in genere ſatis. Nunc ſeorſum, ſummam de ſingulis generibus perſtringo: ac primùm de pe-

de perfectioribus, hoc eſt, de terreſtribus, deindè de aquatilibus: auibus ſcilicet & piſcibus.

De animalibus terreſtribus.

THESIS I.

Inter animalia bruta terreſtria, primum locum tenent quadrupedia, tam beſtiæ, quàm feræ, eóque perfectiora ſunt animalia, reptilibus, ſerpentibúſq; omnibus.

II.

Sunt autem hæc, alia ζωοτόκα, viuipara, alia ᾠοτόκα, ouipara, quorum illa perfectiora iſtis ſunt.

III.

Quadrupedia itaque, præſertim verò ζωοτόκα, ſimiliora ſunt homini, tum corporis partibus, tum viribus animæ atque ingenio, quàm reliqua animantia.

IV.

Primùm enim illorum corpora, partibus conſtant, ſicut & noſtra, ſimilaribus & diſſimilaribus.

SImilaribus quidem, vt ſanguine, carne, neruis, arteriis, oſſibus, cute, cartilaginibus, membranis: Diſſimilaribus autem tam externis, quàm internis: quia omnia habent externa, ſicut & nos, caput, collum, pectus, dorſum, ſpinam, crura, tibias, pedes, aliaque membra: interna autem, cor, pulmones, iecur, ſplenem, inteſtina, & alia quæ & nos.

V.

Deinde ſenſibus tum internis, tum externis, ſicut & nos prædita ſunt.

EXternis, vt viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu. Internis: vt phantaſia, imaginatione, memoria, aliiſque omnibus, excepta ratione, liberaque voluntate.

VI.

Actionibus quoque permultis, ſimilia cum hominibus: illis nimirum actionibus, quæ ab animæ vegetatiua, & ſenſitiua facultate, naturaliter excitantur.

HÆ autem actiones ſunt, edere, bibere, vigilare, dormire, ſentire, moueri: adde quod fœtus etiam ζωοτόκων, in vteris maternis eodem ferè modo concipiuntur, & aluntur, & in lucem eduntur, & editi nutriuntur, nempe lacte: ſicut & noſtri.

VII.

Etſi autem his rebus ſimilia ſunt homini, quadrupedia ζωοτόκα: aliis tamen multò pluribus diſſimilia ſunt tam corpore, quàm animo.

HÆc, quibus diſſimilia nobis ſunt animalia bruta, etiam perfectiora, ideo omitto, quia & omnibus nota ſunt, & fuerit etiam inutile ea explicare.

VIII.

Porrò alterum genus, quadrupedia ſcilicet ouipara, licet multis tum animæ facultatibus, tum corporis partibus, ſimilitudinem non paruam habeant cum hominibus: longè tamen nobis diſſimiliora ſunt, quam viuipara.

QVis enim non videat, quàm diſſimiliores nobis ſint, Crocodili, Stelliones, Chamelæones, Salamandræ, & alia id genus quadrupedia ouipara, quàm ſint Elephanti, Cameli, Equi, Leones, Simiæ, & ſimilia?

IX.

Conſtant & ouipara hæc quadrupedia, partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus: 4. quoque humoribus, qui quatuor elementorum qualitatibus reſpondent: omnia etiam habent, tam interna, quàm externa corporis membra, ad vitam, & ad motum, & ad ſenſationes neceſſaria: ſenſibus quoque exterioribus prædita ea eſſe videmus, aliáque quamplurima habent, cum viuiparis communia. Sed permulta ſunt etiam, quibus & illis, & inter ſe diſſimilia ſunt. Nam neque idem ingenium, in iis cernimus, quod in illis: neque eaſdem corporis partes, aut vires.

ITa videmus hominem, ſuo præſertim animo, (vt poſtea oſtendimus) proximè accedere ad Deum, eíque ſimilem eſſe: ad hominem verò, accedere alia animalia, quippe quæ aliquam cum eo ſimilitudinem habent: ſed diuerſis gradibus, quòd alia magis, alia minus ſimilia nobis ſint, &c.

Atque hæc de quadrupedibus, quibus duo animantium genera, quæ Moſes diſtinxit, nempe beſtiæ & feræ, continentur, ſatis.

III. De reptilibus, atque inprimis de ſerpentibus.

THESIS I.

Quadrupedibus ouiparis, proximè accedunt ſerpentes, aliáque reptilia.

SErpentes enim omnes, ſanguinem, carnem, neruos, & reliqua huius generis habent, ſicut & quadrupedia, quanquam non ita perfecta. Habent etiam caput, nares, oculos, linguam, dentes, & pulmonem, & lienem, & alia habent interna corporis viſcera: ſed aliorum omnium membris, viſceribúſque diſſimillima.

II.

Etſi verò quadrupedibus, forma, viribúſque corporis, impares ſint ſerpentes: ingenio tamen, multis illorum non cedunt.

CAllidum enim eſt animal, vt etiam Moſes teſtificatur: Geneſeos capite 3. Nam præter ſenſus exteriores: aſtutum etiam eſt, & prudens, in tuenda vita, in diligendis latibulis, in paſtu quærendo, in prole ſuſcipienda: in exuenda ſenectute, ponendáque veteri pelle: vt non immeritò Chriſtus quoque nos hortatus ſit, ad ſerpentum prudentiam, ſcilicet, in bono, imitandam.

III.

Sunt autem multæ ſerpentum, tum maiorum, tum minorum ſpecies.

SVnt enim angues, ſunt aſpides, ſunt viperæ, ceraſtes, baſilici, dracones, & alij.

IV.

Serpentes porrò, qui principatum inter omnia reptilia tenent: ſubſequuntur reliqua omnia animalium genera, quæ humi repunt, omnéſque vermium formæ.

V.

Duo autem ſunt prima horum genera: Quædam enim terreſtria ſunt: quia in terris tantum viuunt. Quædam amphibia: quæ vtrobique, partim in aquis, partim in terris degunt. Innumerabiles verò ſunt horum omnium ſpecies.

IV. De volatilibus, atque inprimis de Auibus.

THESIS I.

Volucres omnes pennatæ ſunt, aligeræ, bipedes.

II.

Ex quatuor autem conſtant, ſicut & reliqua animantia, elementis, eorúmque humoribus quatuor: calidiores tamen ſunt & ſicciores omnibus, tum piſcibus, tum quadrupedibus.

III.

Partes habent corporis ſimilares, & diſſimilares.

HAbent enim primum carnem, neruos, oſſa, venas, arterias, & alias ſimiles partes. Deinde habent caput, ventrem, pedes, & alias id genus diſſimilares ſcilicet corporis partes.

IV.

Senſibus quoque externis omnibus donatæ ſunt à Deo: ſicut & quadrupedia, imò & nonnulla excellentioribus quibuſdam ſenſibus, viſu ſcilicet & odoratu.

V.

Quin & pleraque ipſarum, plus à Deo acceperunt ingenij, & memoriæ: quam multa terreſtria.

HOc ijs de præter alia ſigna apparet, quòd quædam aues, non ſolum norunt à quibus alantur, ſed etiam humanas voces diſcere poſſunt, & imitari norunt: vt pſittaci, turdi. Ergo etſi corporis forma longe diſſimiliores ſint hominibus aues, quàm ſint quadrupedia, ingenio tamen multò ſunt ſimiliores.

Sed quid ego? Quis enim queat omnium animalium naturas, vires, perfectiones, proprietates, differentias explicare?

V. De inſectis.

THESIS I.

Certè inſecta quoque volatilia, vti veſpa, apes, muſca, cicada: & alia id genus animalcula: ſuis non carent qualitatibus, perfectionibus, virtutibus, quibus ea ornauit Deus: quanquam à nobis non omnes cognoſcantur.

THESIS II.

Habent hæc inſecta, exigua corpuſcula: ſed perfecta anima prædita ea eſſe, ab effectis licet perſpicere.

NOn ſolùm enim viuunt, & generant, ſed ſenſibus quoque auditus, olfactus, aſpectus, tactus, & guſtus, non minus quàm alia volatilia, ornata ſunt. Quin & ſingulare ingenium, magnáque prudentia in aliquot ipſorum ſpectatur: vt in ape, & in alijs.

Magnus igitur Dominus, & mirabilis in omnibus operibus ſuis: qui ſummam ſuam ſapientiam, in minimis etiam contemptibilibus animalculis, tam manifeſte exerit. Huic ſit laus & gloria.

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

HIERONYMI ZANCHII
DE OPERIBVS DEI, INTRA SPATIVM SEX DIERVM CREATIS PARS TERTIA.

Quæ eſt περὶ τοῦ ἀνθρώπου ὁρατοῦ τε καὶ ἀοράτου, déque alijs ad eum pertinentibus, ad lapſum vſque: eóque & de humano connubio ad finem vſque Mundi duraturo:

LIBER PRIMVS.

De hominis creatione: qui ex viſibili & inuiſibili conſtat natura.

CAPVT PRIMVM.

Contextus Moſis ea de re explicatur.

QVæ à Deo creata fuerunt, ea in tria ſecuimus genera: in ea, quæ à ſenſibus noſtris procul remota ſunt, quæ etiam hanc ob cauſſam ἀόρατα hoc eſt, inuiſibilia, in ſacris literis, & ſymbolo Nicæno appellantur: veluti eſt Cœlum Beatorum, & Angelici ſpiritus: In ea item, quæ contra ſenſibus noſtris ſubiecta ſunt: quæ hac etiam de cauſſa vocantur ὁρατά, hoc eſt, *viſibilia*: qualia ſunt Cœli iſti, Elementa omnia, & quæ ex Elementis compoſita ſunt. Denique tertium adiecimus genus: ex inuiſibili nimirum & viſibili natura compoſitum; quod eſt homo: in quibus omnibus mirabiliter relucet Dei bonitas, ſapientia, potentia, adeóque ipſius gloria. Quando igitur de primo, deque altero genere abundè dictum eſt ſuperioribus duabus partibus: reſtat vt nunc de tertij generis opere, hoc eſt, de homine dicamus: cuius cauſa reliqua omnia, præſertim verò viſibilia creata eſſe creduntur. Dicendum autem eſt de creatione, tum corporis, tum animæ, déque vtriuſque natura, qualitatibus, conditionibus, in quibus creatus fuit homo: eóque de imagine Dei, de libero eius arbitrio: de iuſtitia, vt vocant, originali: denique & de coniugio, quo copulati fuerunt Adamus & Eua, & quo adhuc, in finem vſque ſeculi coniunguntur viri & vxores: ſed ſi priùs explicetur contextus Moſis, de Homine, qui continetur partim in priori, & partim in poſteriori capite Geneſeos.

Contextus Moſis ita ſe habet in primo capite.

Verſ. 26. *Et dixit Elohim: faciamus hominem* (Adam) *in imagine noſtra, ſecundùm ſimilitudinem noſtram, & dominetur in piſcem maris* (pro piſces) *& in volatile cœlorum, & in beſtiam* (non iumentum:) *& in omnem terram, & in omne reptile, repens ſuper terram.*

v. 27. *Et creauit Elohim hominem in imagine ſua, in imagine Elohim creauit eum, maſculum & fœminam creauit eos.*

verſ. 28. *Et benedixit eis Elohim, & dixit ad eos Elohim: Fructificate & multiplicate* (vos) *& replete terram: & ſubijcite eam. & dominamini in piſcem maris, & in volatile Cœlorum, & in omnem beſtiam* (id eſt, in omne animal viuens: intelligit autem terreſtria) *repentem ſuper terram.*

verſ. 29. *Et dixit Elohim: Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminiſicantem ſemen, quæ* (eſt) *ſuper facies* (in ſuperficie:) *omnis* (totius) *terræ: & omnem arborem, quæ* (habet) *in ſe fructum arboris ſeminificantem ſemen: vobis erit in eſcam.*

verſ. 30. *Et omni beſtiæ* (viuenti) *terræ & omni volatili Cœlorum & omni repenti ſuper terram, quod* (habet) *in ſe animam viuentem, omne viride herbæ,* (erit) *in eſcam: & fuit ſic.*

verſ. 31. *Et vidit Elohim omne quod fecerat* (id eſt, omnia quæ) *& ecce bonum valdè. Et fuit veſpera, & fuit manè: dies ſextus.*

In capite autem ſecundo, verſu 7. ſic legimus:

Et formauit (pro formauerat) *Iehoua Elohim hominem puluerem, de humo* (Adam de Adamah) *& inſpirauit* (pro inſpirauerat) *in nares* (faciem) *eius ſpiraculum vitarum: & fuit homo in animam vitæ* (viuentem.)

Scopus ac propoſitum Moſis, in hoc quem legimus, contextu, fuit demonſtrare primam eámque nobiliſſimam ac verè diuinam hominis originem, ſummámque dignitatem, in qua à Deo conditus fuit: dignitatem, inquam, tam quæ in ipſius eſſentia atque natura, quàm quæ in additis naturæ qualitatibus, conſiſtit: vt hinc intelligamus, quantum Deo, à quo conditi ſumus, debeamus: & an iure teneamur, eius voluntati obtemperare, necne teneamur. Ac ſi videmus, nos varijs tum animi affectibus malis, tum corporis morbis, & morti etiam eſſe obnoxios: ne huiuſce rei culpam in Deum transferamus: quando longè alios nos ipſe in Adamo, quàm ſimus in præſentia concludit, & ad alium finem, quàm vt eſſemus ita miſeri, nos creauit: nempe immortales ad vitam immortalem & beatam. Agnoſcendum igitur eſſe hunc Deum, qui nos condidit: & eius obtemperandum voluntati. Hic eſt ſcopus: quemadmodum in explicatione verborum Moſis meliùs patebit.

Capita porrò quinque de hominis creatione ponit Moſes: e quibus omnibus luculenter apparet, quanta ſit hominis dignitas, in qua creatus fuit: eúmque longè alterius eſſe naturæ, quàm ſint reliqua omnia animalia.

Primum caput, conſultationem habet Dei, de creando homine. Cum enim de alijs rebus omnibus ſimpliciter narrarit, Deum ſuo ſimplici verbo & iuſſu, eas creaſſe, dicendo, *Sit lux, ſint luminaria: Producat terra, producant aquæ.* Hic antequam narret, quomodo fuerit creatus homo, proponit conſultationem trium Elohim, Patris, Filij, & Spiritus S. quam de ipſo creando, déque ipſius natura & dignitate, in qua creandus eſſet, inter ſe habuerunt. Hanc conſultationem explicat verſ. 26. dicendo, *Et dixit Elohim, faciamus, &c.*

Alterum caput, continet creationem ipſam tam corporis, quàm animæ: & vndénam vtrumque ſit, quamque, magnum ſit inter illa diſcrimen. Breuiter hoc tangit ver. 27. ſed clarius exprimit in c. 2. ver. 7. Cùm enim de alijs nunquam dixiſſet, Deum ſua manu quippiam feciſſe, ſed omnia ſolo verbo: de homine ait: *Et formauit Iehoua Elohim hominem puluerem è terra:* id eſt, è puluere terræ: & hoc quod ad corpus ipſum ſpectat.

Deindè

Deinde de anima ſubdit: *Et inſufflauit in nares* (Synecdochicῶς, pro in faciem) *eius ſpiraculum vitæ.* Quibus verbis vtriuſque ſubſtantiam, animæ ſcilicet & corporis indicauit: vnius ſcilicet, eſſe è terra & terrenam; alterius verò, è nulla re corporea aut creata, ſed immediatè ex ipſo Dei flatu; eóque ſubſtantiæ quidem eſſe creatæ, ſed illius tamen minimè corporeæ, aut corruptibilis: ſed ſpiritualis, diuinæ, immortalis. Flatus.n.ille Dei, res fuit creata, ſed incorporea.

Tertium caput, multiplicem hominis dignitatem paucis complectitur. Primo ait, verſ. 27. *Factum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* quorum vnum, ad ſubſtantiam naturámque hominis, atque inprimis animæ refero: alterum, ad qualitates diuináſque conditiones, vt poſtea explicabimus. Atque tota hæc dignitas, ipſam hominis perſonam reſpicit. Secundò ait, datum ei fuiſſe dominium in omnem terram, omniáque animantia: ac proinde ceu Regem Mundi conſtitutum fuiſſe. Hæc altera dignitas, ad externa refertur. Sic enim ait verſ. 28. *Subijcite vobis terram, & dominemini piſcibus maris, volatilibus cæli, & beſtiis terræ.*

Quartum caput, benedictionem habet, qua Deus effecit, vt ex duobus hominibus, maſculo & fœmina, poſſent innumerabiles propagari: & illis impleri Mundus. Et hoc verſ. 28. *Et benedixit eis Deus, dixitque ad eos, Fructificate, &c.* Sed hoc ſupponit coniugium inter virum & mulierem: quod cap. 2. explicatur.

Accedit *quintum* caput: de cibis nimirum, quos Deus hominibus de principio conceſſit: & de quibus, etiam aliis animantibus proſpexit, verſ. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Hæc eſt ſumma eorum, quæ hîc tradit Moſes de hominis creatione.

II. Cæterùm, antequam contextum interpretemur: explicanda nobis priùs eſt quæſtio, quam proponit Philon, & alij. Quærat (inquit) hic aliquis cauſam, cur vltimum operum Dei ſit homo? Ad hanc quæſtionem ego ſummatim reſpondeo: partim ex Philone ipſo, partim ex aliis. Multæ huiuſce rei adferuntur cauſſæ.

Prima: cùm conditurus eſſet hominem Deus, animo & corpore conſtantem: quæ ad vtriuſque felicitatem pertinebãt, debuit præparare, priuſquam conderetur ipſe. Ad felicitatem autem animi pertinebant inprimis cœli, eorúmque ornatus, quem contemplaretur. Contemplatione enim rerum cœleſtium, humanus animus delectatur, & in cognitionem etiam opificis illorum faciliùs adducitur, inque eius amorem & deſiderium afficitur. Ad corporis verò beatitatem pertinebant prætereà reliqua omnia, quæ infra cœlos ſunt: & quæ illi ad fruendum tradita eſſe videmus. Sicut ergo qui ludos aut ſpectacula edunt, priuſquam ſpectatores vocent, omnia quæ illorum aut oculos aut aures oblectare poſſunt, præparant: & ſicut conuiuatores, priuſquam conuiuas vocent, & in domum inducant, omnia quæ ad conuiuium requiruntur, inſtruunt: ſic etiam ſe geſſit Deus; antequam homo conderetur; & tum ad res cæleſtes contemplandas, tum ad fruendum rebus terrenis, illiſque dominandum, vocaretur. Cæleſtia enim omnia & terrena omnia, (ſicut decebat ipſam Dei ſapientiam & bonitatem) prius parare voluit, quàm eum creare, quando omnia, hominis cauſa facta & condita ſunt.

Altera cauſa eſt: Voluit Deus hominem, ſimulac creatus eſſet, totam hanc pulcherrimam machinam omnibus rebus quæ ad bene beatéque viuendum excogitari poſſunt, refertiſſimam, contemplari: vt inde intelligeret, quantum deberet horum omnium & ſui etiam conditori; ſibi ſcilicet eſſe hunc Deum ſupra omnia amandum, colendum, glorificandum: toto autem hoc Mundo, & rebus, quæ in eo ſunt, non abutendum: ſed ad conditoris ipſarum gloriam vtendum. Si ſecus faceret; ſciret ſe iis omnibus ea facilitate priuari poſſe, qua etiam donatus fuerat.

Tertia accedit: quia volebat Deus, vt homo μικρόκοσμος eſſet: in quo ſummatim & cœleſtia, & terreſtria omnia, tanquam in quadam parua mappa depicta continerentur; idcirco priùs oportuit totum mundum fabricari, antequam eius ſumma in homine deſcriberetur.

Quarta: Vulgata eſt ſententia: *finem, vt primus eſt in intentione: ſic poſtremum eſſe in executione.* Finis autem proximus, propter quem totus Mundus conditus eſt, erat homo. Decuit ergo hominem ad extremum creari.

Quinta: Huc ſpectat vulgata & omnibus nota ſimilitudo; priùs oportuiſſe domum totam ædificari, rebúſque omnibus neceſſariis inſtrui; ac tum demum domus ipſius dominum & inhabitatorem in eam induci. Hominis enim cauſa domus ædificatur. Solet etiam prius perfici currus: deinde ei regendo auriga præponi.

Sexta: illam quoque adferunt interpretes cauſſam: quòd Deus oſtendere voluerit de principio ordinem, quem in natura ſemper ſeruari videmus, vt ſemper ab imperfecto, ad perfectum progreſſus fiat. Videmus inanima priùs fuiſſe condita; materiam primam, lucem, cœlos, elementa, meteora: Deinde plantas, quæ animam habent vegetatricem tantùm. Tum non dubito, quin ζωόφυτα condita fuerint, tanquam perfectiora plantis, imperfectiora autem perfectis animalibus: quanquam expreſſa iſtorum non fiat mentio à Moſe: ſed aut cùm de plantis locutus eſt; aut cùm de piſcibus: ibi intelligi voluit & ζωόφυτα. Poſt ζωόφυτα, piſces, vt auibus, tum corpore, tum anima imperfectiores. Poſt piſces verò volatilia, tanquam minus perfecta, quàm terreſtria animalia commemorauit. Mirum igitur eſſe non debet, quòd homo perfectiſſimus omnium conditus eſt ad extremum: cùm & corporis & animi dignitate omnia antecellat animalia. Videmus hunc totum ordinem in ipſa etiam hominis generatione ſeruari. Quodnam eſt principium huius generationis? Semen genitale, res viliſſima, ſimpléxque materia. Hoc in matrice receptum, nobilius fit: & non ita multò pòſt, viuere incipit, & augeri in dies, vt planta. Accedit deinde motus animalis; quo tandem ex vtero materno egreſſum, incipit vt animal viuere, & ſentire, & moueri. Poſtremo, incipit humanis actionibus, ſeſe hominem declarare, atque in iis etiam ſemper fit progreſſus ab imperfecto ad perfectum: donec tandem rebus etiam cœleſtibus cognoſcendis, atque amandis delectetur. Et in noſtra ſalute, annon eundem ſeruari videmus? Semper enim nos paulatim promouet Deus: & efficit, vt ex fide in fidem, & de virtute in virtutem progrediamur: & paulátim exuendo veterem hominem, nouum in dies meliùs induamus: donec ad extremum egreſſi è corpore hoc mortali, fiamus ſicut Angeli Dei in cœlo. Hæc autem omnia eò ſpectant, vt & nos ſtudeamus proficere in melius: & ne vnquam animum deſpondeamus: quoniam Deus, quod inchoauit, perficiet vſque in finem: ſicut etiam in Mundi fabricatione oſtendit atque declarauit.

Hanc denique addere liceat cauſam, cur poſtremo operandi die, creauerit Deus hominem; & quidem poſt conditas omnes alias res tam inuiſibiles, quàm viſibiles. Proponit Apoſtolus multis in locis, ad Roman. & ad Corinth. cumprimis, dum homines ſeu Adamos, primum & ſecũdum: terrenum & cœleſtem: & illum dixit fuiſſe τύπον futuri. Ex Adamo primo omnes ſecundùm carnem: ex Chriſto, altero Adamo, omnes ſecundùm ſpiritum.

Fuit ille poſtremo die, ſexto ſcilicet creatus; ſic ſexta ætate, in plenitudine tẽporũ, miſſus eſt Filius Dei, qui factus eſt homo, & ſub lege, vt nos à peccato & morte liberaret.

Poſt creatum Adamum ſexto die, ſecutũ eſt Sabbathum, tempus benedictum, quo Deus quieuit ab operibus ſuis: Poſt miſſum Chriſtum hac ſexta ætate, nullus prætereà ſeruator, expectandus: Nouiſſimè enim locutus eſt in Filio; ſed Sabbathum æternum expectandum eſt. Hoc igitur myſterium vt indicaret Deus ſexto die, poſtremò omnium creauit Adamum.

III. Explicatio Moſis ſcopo in contextu, qui eſt de hominis creatione: & indicata ſumma, totiúſque contextus partitione: denique oſtenſis cauſſis, quamobrem Deus ad extremum crearit hominem, ex quibus, quanta ſit Dei ſapientia in operibus ſuis, luculenter apparet; cœpimus quidem caput primum, quod diuinam de creando homine conſultationem continet, aliquo modo declarare: nempe, *Et dixit Elohim, Faciamus, &c.* Atque duo hîc diximus: Primum, quis ſit ſimplex horum verborum, ſenſus; nimirum, his verbis ſignificari communem Patris, Filij, & Spiritus ſancti conſultationem, decretum, voluntatem de creando iam homine, ad ſuam ipſorum ſimilitudinem. Deindè ex hac phraſi, *Faciamus ad imaginem noſtram*: apertè contra Iudæos, Arianóſque omnes colligi atque euinci plures in vno Deo perſonas: quas tandem, Filius ipſe in carne manifeſtatus, clariùs quænam ſint, aperuit: & tres eſſe, vocarique Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum docuit; neque hic valere Rabinorum cauillos.

Cæterùm, quia non parui res eſt momenti, veram huius loci tenere ſententiam; idcirco denuo hunc reſumo contextum: ac clarioris explicationis gratia dico, tria hic eſſe conſideranda. 1. Quis vel quínam loquantur: 2. ad quóſnam loquantur: 3. quid, quomodóve loquantur.

Ad primum quod attinet, conſentiunt omnes, eum qui loquitur, Deum eſſe: ait enim Moſes, *Et dixit Elohim.* Cæterùm, quia vna ex parte de Deo aliter ſentiunt Orthodoxi Chriſtiani; & aliter Iudæi hæreticique Ariani omnes; & ex altera, manifeſtum eſt verbo *Faciamus*, plures hîc indicari, inter quos iſta habetur collocutio: idcirco ad alia duo capita quod attinet, de loquente vel colloquentibus, & de ſenſu modóque huius colloquij, diuerſa eſt horum ver-

verborum interpretatio. Orthodoxi omnes ſentiunt, cùm primis Patrem hîc tanquam primam perſonam, à qua & Filius & Spiritus S. originem habent, & tanquam eum, qui ſicut omnis Deitatis, ſic omnium conſiliorum & actionum fons eſt, loqui ad Filium & ad Spiritum ſuum ſanctum; uno potiùs tres ſimul inter ſe loqui: ne actio vnius ſeparetur ab aliis duobus; & quidem inter ſe loqui, non humano tamen modo, ſed ſuo diuino: atque his verbis nihil aliud ſignificari, quàm communem horum trium conſenſionem, voluntatémq; creandi iam tandem hominem, ſicut ab æterno decretum fuerat, vt crearentur ad imaginem ſimilitudinémq; ſuam: eóq; de æterno conſilio exequendo hîc haberi ſermonem inter diuinas perſonas: vt hic ſit ſenſus (ad noſtrum enim captum ſeſe ſuáq; verba, accommodat Deus) Hactenus fecimus cœlum & terram, totamq; domum intra quinque dies, & partem huius ſexti inſumſimus in animalibus creandis: nunc tandem tempus eſt; vt creemus illum, cuius cauſa mundum hunc fecimus: in eóque noſtram inſculpamus imaginem, & eum præficiamus animalibus, rebúſque omnibus. Faciamus igitur hominem, &c. Hic eſt verus & ſimplex ſenſus horum verborum. Proinde hinc meritò colligunt Patres omnes, & doctiſſimi quique noſtri ſeculi homines, tum pluralitatem perſonarum in Deo propter verbum, *Faciamus*, & pronomen *noſtram*: tum vnitatem eſſentię, propter verbum ſingulare *Dixit*, ac *creauit*. & propter nomen etiam ſingulare, *imaginem* ac *ſimilitudinem*.

Cæterùm impij, cæci, blaſphemi & ſuperbi Rabini, quos in hac parte libenter ſequuntur noſtri diaboli Ariani, vt myſterium trium Elohim vniuſque Iehouæ ſepeliant; locum hunc variè torquent.

Quidam aiunt Deum neminem hîc eſſe allocutum, quàm ſeipſum in ſuo corde, vt ſit ſenſus: Creatis iam rebus aliis omnibus, nunc faciam hominem ad imaginem ſimilitudinémq; meam; vel age iam, fac hominem. Sed quia huic interpretationi obſtat verbum plurale, *Faciamus* ſeu *faciamus*, & particula, *noſtram*, pluralitatē ſignificans: idcirco aiūt Deum ſic in plurali locutum eſſe honoris cauſſa: vt etiam Principes loqui ſolent, cùm vnus ait: *Nos, noſtrum regnum, mandamus, iubemus, &c.* Et ſic etiam nomen *Elohim*, pluralis quidem numeri eſſe: ſed tamen non ſignificare niſi perſonam vnam, Deum ſcilicet Patrem. Verùm ſicut aliàs dixi, ſic etiam nunc dico, commenta hæc Rabinorum puerilia eſſe: cùm nullo nitantur fundamento. Quid enim cauſſæ habēt, cur non hęc in ſua propria, ſicut ſonant, ſignificatione pluralis numeri accipiant: ſed ad ſingulare torqueant? Omnes Hebræi (inquies) ſic ſemper interpretati ſunt & tradūt hanc regulam, cum nomen *Elohim* de Deo prædicatur, ſemper plurale hoc, pro ſingulari accipiēdum eſſe: Et tam hoc nomen, quàm verba pluralis numeri, Deo attribui, honoris tantùm cauſſa. Ego vero primum contendo hoc eſſe falſum: quia Prophetæ & Apoſtoli, veri Hebræi, agnouerunt in eo Elohim, qui dicitur creaſſe omnia & hominem ipſum, plures perſonas. Et Philo Iudæus, tum in Coſmopœia, tum in libro de Mundo, Filium Dei, docet imaginem eſſe Dei Patris, ad quam homo conditus eſt: cúmque Deum confitetur; cum Moſes dicat, hominem factum eſſe ad imaginem Dei. Quàm plurimi etiam Rabini citantur à Galatino antiquiſſimi, nominatis eorū libris & capitibus, qui hæc Moſis loca ſic interpretati ſunt, ſicut & nos: éxque plurali nomine Elohim, & plurali verbo *Faciamus*, & ex pronomine *noſtram*, collegerunt plures in Deo perſonas. Neq; veriſimile eſt Galatinum hæc voluiſſe ex ſe fingere: cùm ſciret, poſſe ſtatim ſe ab Hebręis falſi & calumniæ conuinci, ſi falſo Rabinos illos citaſſet.

Non igitur omnium Hebræorum eſt ea regula, quam iſti afferunt. Quid? Quòd his ipſis aduerſatur autoritas probatiſſimi Rabbi Aben Ezræ qui in 31. Gen. aunotauit, quod & doctiſſimus Tremellius obſeruauit, pluralem numerum ad ſignificandam dignitatem, tantùm in ſecunda & tertia perſona, nō autem in prima, in ſcripturis vſurpari. Sed eſto: Ego porro cauſam quæro, cur contra generales certáſque eius etiam linguæ regulas, quibus docetur: nomina maſculina in *Im* terminantia, pluralis eſſe numeri, & multos ſignificare: verbis item actiuis pluralis numeri, plures itidem perſonas agentes indicari: quæro, inquam, cauſſam, cur cōtra has regulas excipiant, ſemper nomen Elohim: & verba pluralis numeri, cum de Deo prædicantur? Contra regulas generales, nulla exceptio fieri debet aut poteſt, ſine certa & neceſſaria cauſſa: Quæro igitur hanc cauſſam. Si nullam habent: iſtorum hominum audacia atq; temeritas, fuſte digna eſt. Si habent: quæro, quænam illa ſit: & an iuſta ſit, nec ne ſit cauſſa. Si non eſt iuſta; exceptio quoque iniuſta, nulláque eſt: quia nullo firmo nititur fundamento. Eſt autem ratio eorum nulla. Aiunt enim, & nihil aliud dicere poſſunt, quàm ideo omnia hæc & nomina & verba pluralis numeri de Deo prædicata, nullam ſignificare in Deo pluralitatem, quia Deus vnus tantum eſt: ac proinde honoris tantum cauſſa, hæc de Deo illo prædicari. Verùm, vt dixi, hæc ratio nulla eſt. Etſi enim Deus vnus eſt οὐσίᾳ: plures tamen ſunt in eo perſonę; vt Chriſtus docuit apertiſſime: quo certè nemo meliùs hoc nouit. Ergo Rabinorum & Grammaticorum Hebręorum exceptio in his locis de Deo, vbi nomen plurale Elohim, & verba item pluralia, *Faciamus, &c* plures in Deo perſonas ſignificare, cum Patribus docemus, allata: falſa eſt, impia eſt, eóq; minimè admittenda. Quare cum neceſſariò ex verbis Moſis colligatur, plures indicari perſonas, cùm ait Elohim dixiſſe, *Faciamus in imagine noſtra hominē*: rectè cum iiſdem Patribus concludimus, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ſimul & creaſſe cœlum & terram. & dixiſſe, *Faciamus hominem*, & mox etiam eum feciſſe: ac proinde nomine Elohim, & hîc & alibi ſæpe ſignificari non Patrem ſolum, ſed & Filium ipſius, & Spiritū ſanctum; qui veriuſq; eſt, & vocatur *Spiritus*. Et contendo, hoc argumentum, apud Chriſtianos apodicticum eſſe: ad quod cupio, ſi poſſint, reſponderi ab illis, qui contrarium ſentiunt. Argumentum autem tale eſt:

Quicunq; creauit cœlum & terram, is nomine illo Elohim, de quo loquitur Moſes in 1. cap. Geneſ. ſignificatur. Ad hanc propoſitionem nulla eſt reſponſio. Apertè enim ait Moſes, *Creauit Elohim cœlum, &c.* Atqui non ſolùm Pater creauit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt; ſed & Filius & Spiritus ſanctus, qui certè plures ſunt, quàm vna perſona. Propoſitio hæc Apoſtolorum eſt, & Prophetarum; ſicut abundè in noſtris libris de Deo demonſtrauimus. &c. Quis igitur inficiari, niſi impudens, poſſit, quin nomine Elohim apud Moſem, in cap. 1. Geneſ. ſignificatus fuerit non ſolus Pater, ſed & Filius, & Spiritus ſanctus? Quare cum etiam Moſes ait: *Et dixit Elohim, Faciamus, &c* non poteſt aliter intelligi, quàm hîc plures has perſonas, inter ſe, modo ſuo diuino locutas fuiſſe, de homine creando: ſicut etiam reuera ab ipſis, & quidem ad imaginem non vnius perſonæ, ſed omnium ſimul, quæ vnus ſunt Deus, creatus eſt. Itaque figmentum eſt explodendum, quo dicunt Iudæi, ſolum Patrem ſecum locutū eſſe: & honoris ſui cauſſa, dixiſſe pluraliter, *Faciamus, &c.* Imo neque princeps aliquis ita de ſe loquitur, honoris cauſa, ſed potiùs modeſtiæ: vt ſignificet ſe non eſſe ſolum, qui ſic ſentiat & mandet, ſed etiam illos à quibus habet, vt ſit princeps. Sunt itaque alij, qui quoniam vident, omnino hîc multos ſignificari, aiunt Deum allocutum eſſe Angelos, & eos adhibuiſſe ſibi in cōſilium de creando homine ſuóſque συνεργοὺς feciſſe. Sed hæc interpretatio, præterquam quòd ſecum adfert magnam impietatem: non poteſt etiam cum verbis Moſis cohærere. Principio, ſi Angelos ſibi adhibuit conſiliarios ſocióſque Deus, in Adami creatione: Fuerunt igitur perinde atque Deus, creatores primi hominis & omnium noſtrûm, ac proinde negare illis non poſſumus illum honorem & cultum & adorationem, qui creatori noſtro debetur: quanta verò eſt hæc impietas? Deinde vnus tantùm creator omnium prædicatur in ſcripturis, qui eſt Deus: Angeli vero conſerui noſtri appellantur in Apoc. & alibi. Cum verbis autem Moſis non poteſt cohęrere hæc blaſphema interpretatio Rabbinica. Ait enim Deus: Faciamus ad imaginem noſtram: vnam tantùm & eandem imaginem ſignificans. At longè alia eſt imago Dei, & imago Angelorum: cùm diuerſiſſimæ ſint naturæ, in infinitum inter ſe diſtantes. Deinde ſubdit Moſes, *Elohim*, quem in cap. 2. vocat *Iehouam*, *creaſſe hominem ad imaginem* non Angelorum, ſed *ſuam*: & clariùs exprimit, cuiúſnam, ſubdendo, *ad imaginem Dei creauit eum, &c.* Quid igitur ineptius iſta Rabbinica interpretatione? Alij abſurdiora etiam commenti ſunt. Aiunt Deum allocutum fuiſſe quatuor Elementa: ex quibus conſtat humanum corpus; & ſenſum eſſe, *Faciamus ſimul hominem. vos quidem corpus. ego verò animam.* Quæ ſunt iſtæ ineptiæ blaſphemiæque Hebræorum? Malunt adhibere in ſocietatem Dei, honoríſque diuini participes facere Angelos & Elementa ipſa, quàm Filium & Spiritum ſanctum; modò Chriſtum ſua ſpolient Deitate; nihil non audent impudentes Nebulones. Nam eodem etiam ſpectat illa impia exceptio, contra nomen Elohim, cùm de Deo prædicatur, quam antè oppugnauimus. Diabolus in huiuſmodi Rabbinis, eò inſtituit hanc exceptionem. vt ne, cùm audimus nomen Elohim, cogitemus plures in Deo perſonas. Non ſunt ergo, quæcunque tradunt Rabbini, ſiue interpretationes, ſiue regulæ Grammaticæ, ſimpliciter ſinéque delectu admittendæ: ſed omnia examinanda ſunt ad analogiam fidei Chriſtianæ, & ad doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum. Ex iis omnibus ſatis apertè appa-

ret.

ret, veram & genuinam huius loci interpretationem, ſolam eam eſſe;quam ex iis Patribus attulimus:& qua myſterium trium Elohim, & vnius Iehouæ, ex verbis Moſis confirmatur. Quæ verò ſit illa imago & ſimilitudo, ad quam decreuerunt inter ſe Pater, Filius & Spiritus ſanctus hominē creare, & ad quam tandem eum crearunt; paulò pòſt dicemus:& ſic de dominio in terram & animalia omnia.

Illud verò prætereundum non eſt, quòd cùm in aliarum rerum creatione, non ita apertè, myſterium plurium perſonarum in Deo patefecerit: hoc lucidiſſimè demonſtrauit in conſultatione de hominis creatione, dicendo, *Faciamus ad noſtram imaginem, &c.* Nam reuera in ipſo & ſolo homine, in anima nimirum ipſius, myſterium hoc pluralitatis perſonarum,& vnitatis eſſentiæ, relucet: ſicut & in libris noſtris oſtendimus: & paulò pòſt etiam confirmaturi ſumus. Atque in hac re, magna pars imaginis Dei, conſiſtit, in qua creatus eſt homo: quod ſcilicet conſecutus ſit animam vnam, ſicut & Deus vnus eſt; incorpoream, ſicut & Deus; immortalem, ſicut & Deus: intelligentem, liberè volentem, ſicut & Deus: in tres tamen ſubſtantiales eſſentialéſque partes diſtinctam: quæ reapſe tamen nihil aliud ſunt, quàm ipſa anima: & ipſa anima, nihil aliud, quàm ipſæ eſſentiales partes, ſicut & in Deo idem eſſe docemus. Meritò itaque, creaturus Deus hanc ſui in homine imaginem: eam etiam verbis priùs indicauit: ſignificans verbo, *Faciamus*, & *Noſtram*, ſe plures eſſe, nempe perſonas: Verbo autem ſingulari, *Et dixit*: item, *Et creauit*, nominéque ſingulari, *imaginem & ſimilitudinem*, ſe vnam tantùm eſſe, nempe ἕνα.

Quod verò fecit in creatione hominis, idem fecit etiam in eiuſdem recreatione, per Filium in carne manifeſtatum. Miſſo enim Filio ad hominis redemptionem, ſeipſum denuo clariùs etiam manifeſtauit per Filium hunc: ſe nimirum eſſe tres perſonas, vnum tamen duntaxat Deum. Atque hoc cumprimis fecit in ſacramento recreationis ſeu regenerationis ipſius hominis: tum quādo Chriſtus baptizatus eſt: tum maximè, quando idem Chriſtus inſtituit Baptiſmum, quo omnes gentes ſibi, Patri, & Spiritui ſancto, tanquam vni eidémque Iehouæ obſignari debebāt. Ita optimè reſpondent vltima primis: redemtio, ſeu recreatio hominis, cum eiuſdem prima creatione: quia ſicut homo creatus fuit ad imaginem Dei; ita hìc eadem imago, quæ obliterata erat, inſtauratur. Et ſicut ipſi ſeſe patefecit Deus, quis eſſet: ita hìc & multò quidem clariùs, quàm ibi. Et ſicut per Filium, Pater creauit hominem: ſic redemit per eundem. Clariſſimè verò omnium myſterium hoc nobis patefaciet, in altera, poſtrema ſcilicet redemtione: quæ fiet poſt reſurrectionem, per Chriſtum. Tunc enim videbimus Deum, facie ad faciem, ſicuti eſt. Neq; ſolum vnitatem ſuæ eſſentiæ, pluralitatémque perſonarum, tam in hominis creatione, quàm etiam in eiuſdem recreatione declarauit; Verùm etiam ſuam erga nos beneuolentiam & voluntatem luculentiſſimè patefecit. Quale enim beneuolentiæ erga nos teſtimonium hoc fuit, quòd voluerit ipſe, non ſimplici verbo, vt reliqua, ſed per Filium ſumto corpore (vt poſtea oſtendemus) ſuis ipſius manibus, lutum è terra facere, & inde corpus hominis formare, & deinde flando, animam in corpus illud inſpirare? Atque hæc de primo capite huius contextus, ſatis: ſequitur ſecundum, & partim etiam tertium.

IV, v. 27. *Et creauit Elohim hominem in imagine ſua: in imagine Elohim creauit eum: maſculum & fœminam creauit eos.*

Breuiter hìc tradit Moſes executionem diuini conſilij de creando homine. Docet enim primò, quis hominis creator fuerit: nempe Elohim: Pater ſcilicet, Filius & Spiritus ſanctus. Et creauit, inquit, Elohim. Nec ſine cauſſa ter repetit in eodem verſu, de hominis creatione verba faciens, verbum *Creauit*: *Et creauit Elohim*, inquit *hominem, in imagine ſua*: deinde ſubdit, *in imagine Elohim creauit eum*: & tertiò repetit, dicendo, *maſculum & fœminam creauit eos.* Quorſum hæc? Fruſtráne: aut ornatus duntaxat cauſſa, verbum hoc ter repetitum in vno eodémque verſu putabimus? Fallimur, ſi hoc cogitamus. Plura certè myſteria latent in verbis diuinarum ſcripturarum: vt non ſine cauſſa iuſſerit Chriſtus, vt ſcripturas non ſuperficietenus legamus, ſed vt eas ſcrutemur. Si enim fecerimus, facilè nos inuenturos Chriſtum.

Ego non dubito, quin Moſes, hac trina verbi creandi repetitione, indicare voluerit, hominem fuiſſe creatum non ſolùm à Patre, ſed & à Filio & Spiritu S. eóque voce Elohim, intelligendum eſſe non Patrem ſolùm, ſed has tres perſonas: quæ ſicut ſimul nos crearunt; ſic etiam ad noſtri creationem concurrunt, & ſemper concurrunt. Pater miſit Filium: Filius fudit ſanguinem, & peccata expiauit: & Spiritu S. regeneramur, & beneficium Chriſti nobis applicatur.

Vt igitur in noſtri creatione, omnes ſimul operantur; ſic etiam ad noſtri creationem, omnes ſimul operati ſunt. Hoc trina iſta verbi *Creauit*, poſt dictionem *Elohim*, repetitione, ſignificare voluit Spiritus ſanctus.

Refellitur hìc error Rabbinorum: qui dicunt, Angelos fuiſſe συνέργους, in creatione hominis. Solus Deus, vt docet Moſes, creauit homines. Ac proinde idem etiam eſt, qui deinceps in vteris matrum, reliquos homines formauit, & format ſemper: eóque velint nolint impij. Chriſtus noſter, omnium eſt hominum creator. *Pater meus vſque nunc* (inquit) *operatur, & ego operor: & quæcunque facit Pater, eadem etiam Filius ὁμοίως operatur. Et tu initio terram fundaſti, &c.*

Secundo docet, quid creauerit, dicendo, Hominem, nempe totum. Conſtat autem homo, corpore, & anima. Vtrumque igitur creatum à Chriſto, ſicut etiam vtrumque ab eodem redemptum eſt, vt docet Ioh. in 1. capite & paſſim in toto nouo Teſtamento docetur. Proinde & animam & corpus debemus Chriſto.

Hinc etiam ſequitur, totum hominem ad imaginem Dei (vt poſtea explicabimus) creatum eſſe. Nā totus etiam iuſtus & rectus creatus eſſe: totus iuſtitia originali, dominio in omnia, aliiſq; innumerabilib. gratiis diuinis donatus; totus denique per Chriſti ſanguinem redemptus, & Spiritu S. regeneratus, tandem etiam totus ad immortalem beatámque vitam reſurget, in Cælo cum Deo in æternum triumphaturus. In his enim & aliis quoque rebus, imago & ſimilitudo Dei, ad quam primò creatus homo, & deinde recreatus fuit, rurſum perfectiſſimè recreādus, cōſiſtit. Ac proinde contendo, totum hominem, quanquam inprimis animū, ad imaginem Dei creatum eſſe: idq; eo ſenſu, quem indicaui, & fuſiùs etiam explicaturus ſum. Vt enim corpus ſolùm, nō eſt homo, ſic neque anima ſola, ſed vtrumque ſimul homo eſt, qua de re poſtea ſeorſum. In Chriſto certè apparet luculenter, quomodo homo totus, factus ſit ad imaginem Dei, in ea tandem in cælo perficiendus: cum tota etiam humana natura, à Filio aſſumta, facta fuerit imago Dei Patris. Sed hæc aliàs: poſtquam verba Moſis fuerimus interpretati.

Tertio itaque loco ait, *In imagine ſua, in imagine Elohim creauit eum.* Ac ne quis putaret, ſolum Adamum, non autem Euam, creatum fuiſſe à Deo, & ad imaginem Dei, ſubiecit dicendo: *Maſculum & fœminam creauit eos, nempe Elohim ipſe, ad ſuam imaginem.* Docet hìc, qualem Deus creauerit hominem, *in imagine*, ſcilicet *ſua, & ſecundùm ſimilitudinem ſuam*: vt ſuprà dixerat. Vtitur enim hìc *imagine* pro ipſa etiam *ſimilitudine* Synecdochicῶς. Etſi enim nonnulli magni viri, tam ex veteribus, quàm ex recentioribus volunt nullum eſſe diſcrimen inter imaginem & ſimilitudinem: Mihi tamen magis altera placet ſententia, quę nomen imaginis, ad hominis, nempe animę ſubſtantiam refert: nomen autem ſimilitudinis, ad qualitates & dona, variáſque virtutes, quibus homo factus fuit ſimilis Deo. Sic Rabbi Moſes Ægypt. libro 1. cap. 1. Vbi diſcrimen hoc inter צלם & דמות exemplis ſcripturarum nonnullis confirmat. Sic Damaſc. lib. 2. c. 29. inter εἰκόνα, & ὁμοίωσιν: & cum hoc conſentiunt alij non pauci Græci, vt Nyſſenus. Sic Auguſt. multis in locis ſcriptum reliquit & explicauit in lib. de Trinitate 83. quæſt. & in lib. de Ciuit. Dei. Martyr quoque noſter in Comment. in Geneſin: in hunc locum, idem diſcrimen ſecutus eſt: vt ad imaginem Dei creati eſſe dicamur, propter naturā, qua ſumus homines, præditi mente, & viribus intelligendi: ad ſimilitudinem verò, propter virtutes, quibus Adamum ornauerat, & nos denuo per Chriſtum ornat, iuſtitia & ſanctitate. Ac certum eſt, neceſſarium eſſe, vt hæc duo nomina non ſint ſuperuacaneè poſita: neque ſignificari tantùm qualitates quibus Deo ſimilis factus fuit homo, iuſtitia, bonitate, rectitudine, ſed ipſam etiam hominis, animæ inprimis naturam, in qua imago diuinæ eſſentiæ atque naturæ, nō obſcurè relucet. Vtroque enim, nempe & natura ſuę animæ, & qualitatibus virtutum additis, referebat homo Deū, vt partim diximus, partim fuſiùs explicaturi ſumus. Nam Geneſ. 5. cùm dicit Moſes, *Adamum genuiſſe ſibi filium in ſimilitudine, ſecundum imaginem ſuam*: vtrumque ſignificare voluit iis duobus nominibus: nempe *Adamum genuiſſe ſibi filium & eſſentia, & corruptione naturæ ſimilem*: hoc eſt, hominem verum, ſed corruptum, qualis & ipſe erat. Atque hāc interpretationem eò libentiùs retineo, quòd video etiam Chriſtum vocari imaginem Patris, non tam propter perfectiones, dona & qualitates, quibus vt homo ſimilis erat Patri, & Patris ingenium referebat, quàm propter eandem eſſentiā diuinam, quam à Patre, vt verus & naturalis Filius acceperat: vt Chriſtus imago ſit Dei Patris eſſentialis, & character ſubſtantiæ Patris. Cùm autem manifeſtum ſit, ipſum hominem eſſentiā naturáque ſuæ animæ, & non tantùm virtuti-

bus & qualitatibus additis, referre Deum: (ſicut etiam doctiſſimus interpres teſtatur: Fateor, inquiens, in homine eſſe aliquid quod referat Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum:) idcirco non incongrue dicimus cum aliis doctis viris, vno horum nominum, ſignificari eſſentialem, altero accidentalem imaginem ac ſimilitudinem: qua Deo ſimilis creatus eſt homo.

Illud fateor, ſæpe vnum pro altero poni, vt liquet. Nomen enim imaginis Dei, ſæpe Apoſtolus accipit pro vera iuſtitia & ſanctitate, qua Deo ſimiles denuo reddimur per Chriſtum: ſed illud quoque contendo, ſæpe cùm vnum ſolum ponitur: alterum quoque συνεκδοχικῶς ſubintelligendum eſſe, vt hic. Primo dixerat Deus, *faciamus hominem in imagine, ſecundùm ſimilitudinem noſtram*: Ergo cùm poſtea dicit, *Et creauit Deus hominem in imagine ſua*: nomen etiam ſimilitudinis, neceſſariò ſubintelligendum eſt. Contrà verò Gen. 5. ait, *hominem creatum fuiſſe ad ſimilitudinem Dei*, nulla imaginis facta mentione: nomine igitur *ſimilitudinis*, ipſam quoque *imaginem* intellexit. Hac explicatione, facilè & Scripturæ de imagine ac ſimilitudine Dei, intelligentur: & doctorum diuerſæ in ſpeciem hac de re conciliantur ſententiæ. Ita ſummatim tenemus, quales creati fuerint primi homines, Adamus & Eua: quos nomine maſculi & fœminæ ſignificauit Moſes: nempe & natura animæ, immortali, intelligenti, ſpirituali: & diuinis qualitatibus, Deo ſimiles: ita vt tanquam vera & viua imago, ambo Deum referrent, & in eis ſplenderet Deus, vt poſtea explicabitur.

Et ſi verò Apoſtolus in 1. Corinth. 11. ſolum virum vocat *imaginem Dei*, ita vt id videatur negare de muliere: non pugnat tamen cum Moſe, qui vtrumque docet ad imaginem Dei factum eſſe. Non enim id negat Apoſtolus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & reſpectiue: nempe quod ad dominium duntaxat attinet, & id reſpectu viri, quod ſcilicet principatu in omni politia vir ſupra vxorem excellat, ex Dei ordinatione. Quare firmum manet: *Deum creaſſe ad imaginem ſuam, tam fœminam, quàm maſculum*. Proinde in recuperanda etiam imagine per Chriſtum: Apoſtolus ait, *in Chriſto non eſſe diſcrimen maſculi aut fœminæ*: & tam pro fœmina, quàm pro maſculo, ad priſtinam formam inſtaurandis mortuus eſt.

Neque illud prætereundum eſt quod ait, *in imagine & ſecundùm ſimilitudinem Dei, creatum eſſe hominem*. De Chriſto, etiam quà homo eſt, nunquam talis locutio reperitur in S. Literis: ſed ſemper vocatur ſimpliciter *imago Patris*. Etſi verò etiam homo, nonnunquam vocatur *imago Dei*, vt 1. Corinth. 11. tamen ſæpius legimus, eum eſſe ad imaginem Dei factum, &c. Aliquid certè diſcriminis, in re ipſa innuere voluit Spiritus ſanctus, hac differenti locutione. Nullum enim iota in ſacris literis ſine cauſſa ſcribitur. Certum autem eſt, Chriſtum, etiam quà homo, perfectiſſimam eſſe Patris imaginem: homines verò reliquos, etiam Adamum, reſpectu Chriſti, imperfectiſſimam: ita vt merito videatur potiùs homo factus fuiſſe ad imaginem: quàm imago ipſa. Fieri igitur poteſt, vt hoc voluerit ſignificare Spiritus ſanctus per Moſem hac locutione, *Et creauit hominem in imagine Dei, &c.*

Quid etiam ſibi vult, quòd non contentus dixiſſe, *creauit hominem ad imaginem ſuam*: adiecit, *ad imaginem Elohim creauit eum*? Proculdubio, vt melius hanc imaginem, cuius & qualis fuerit imago, explicaret: hoc fecit. Senſus enim eſt: Non fuit creatus homo ad imaginem cuiuſpiam rei ante ipſum creatæ, ſed ad imaginem duntaxat ipſius, qui eum crearat, Dei: ac proinde corporalis non fuit hæc imago, ſed ſpiritualis. Deus enim incorporeus eſt. Ita excluditur opinio & Manichæorum, & Anthropomorphitarum. Hi enim putarunt, Deum eſſe corporeum, membráque humani corporis ſemper habuiſſe: atque ad ſui corporis exemplar & formam, Adami quoque corpus formaſſe. Manichæi verò deridebant Moſem, qui hæc ſcripſerit, quod putarint Moſen de imagine corporea, qua priùs præditus eſſet Deus, & ad quam noſtra porrò corpora formaſſet, locutum fuiſſe. Vtrumque errorem refellit hac particula, *ad imaginem ſuam*, hoc eſt, ipſius tantùm Elohim: non autem vllius rei corporatæ, creauit eum Elohim. Eſt autem *Elohim* ipſe æternus Pater, Filius quoque ipſius, & Spiritus vtriuſque, Spiritus ſanctus, omnes ſimul, vnus & idem Deus Iehoua.

Addo igitur & hoc, quia nomine *Elohim* in hac creatione, venit non ſolus Pater, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus, ſed omnes ſimul hæ tres perſonæ: Filius autem propriè ille eſt per quem formatus fuit Adamus, animáque donatus: Non dubito enim, quin ipſe & lutum acceperit, indéque formarit corpus, in nares etiam Adæ inſufflando, animam ei dederit: idcirco ne quis vnquam putaret hominem factum eſſe ad imaginem ſolius Filij, per quem factus eſt: non fuit contentus dixiſſe, *creauit hominem ad imaginem ſuam*: ſed adiecit, *ad imaginem Elohim*, nempe omnium trium, creauit eum. Sæpenumero Apoſtolus meminit huius imaginis, & de ea loquitur, quaſi ſolius Filij imago fuerit, vt cum de Adamo primo corrupto, & de altero omnium inſtauratore Chriſto loquens ait, ad Corinth. *Portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*: cùm tamen nihil minus ſenſerit Apoſtolus, quàm hanc imaginem, ad quam creatus eſt homo, imaginem fuiſſe tantùm Filij, & non etiam Patris & Spiritus ſancti. Ne qua igitur talis obreparet cogitatio: recurrendum eſt ad hunc Moſis locum, hominem factum eſſe ad imaginem, ſimpliciter Elohim: nempe tam Patris & Spiritus ſancti, quàm Filij; quia vna eſt ſpiritualis omnium eſſentia, æternitas, ſapientia, bonitas, voluntas, perfectio, ad quarum rerum exemplar creatus eſt homo. Sed Apoſtolus ſolet ſolius Chriſti mentionem facere, cum de hac loquitur imagine: quoniam tota Dei perfectio & imago in vno Chriſto, Deo in carne manifeſtato, nobis relucet: Illud ad extremum addo, cùm ait, *factum fuiſſe hominem ad imaginem Dei*, cauſam quandam finalem indicari creati hominis, & talis quidem hominis. Hæc autem fuit; quia voluit Deus, vt ſui ipſius bonitas & ſapientia, adeóque ipſius Deitas, in homine, tanquam vera ſui imagine, ſplendeſceret, totique Mundo fieret perſpicua: eóque homines, alter in alterum intuentes, & in ſe Deum inuicem laudarent, & ſeſe, mutuo amarent atque honorarent. Hæ enim ſunt imagines, quæ Deum repræſentant, & quas omni officio atque honore colere debemus. Quare qui has imagines aut contaminant, aut vlla afficiũt contumelia, vel iniuria, aut è medio; niſi Deo iubẽte, tollunt; in ipſarum imaginum auctorem peccant, eóque graues dabunt pœnas. Atque hæc etiam vna cauſa eſt, cur Moſes in eodem verſu, vbi docet, *hominem ad imaginem Dei factum fuiſſe*, ſimul etiam meminit vtriuſque ſexus, dicendo, non vnius tantùm ſexus hominem, *ſed maſculum & fœminam*, creatos à Deo fuiſſe, nempe ad imaginem Dei. Voluit enim ſignificare, ſi perinde fœmina, atque maſculus; ad imaginem Dei facta eſt: debere igitur ſeſe mutuò, tanquam ex æquo imagines Dei, ſancto amore & honore complecti, & neque alter alterum contemnere, multò verò minus offendere. Potuiſſet enim creationem fœminæ in eum vſque locum differre, vbi modum, quo ipſa creata fuit, deſcribit. Verùm, vt dixi, voluit hîc etiam illius mentionem facere, vt doceret, ipſam quoque ad imaginem Dei factam fuiſſe. Ac de intelligentia verborum Moſis, quæ de hac imagine ſunt, huc vſque ſatis.

Cæterùm alia quoque fuit cauſſa cur hîc ſcripſerit, creatum fuiſſe maſculum & fœminam: nempe quia hoc erat neceſſe: antequam ſubiiceret verba de propagando humano genere, verſ. inſequente, vbi ait, *Deum benedixiſſe illis* (maſculo ſcilicet & fœminæ) & dixiſſe, *fructificate, & augeſcite, & replete terram*.

Quarto itaque loco, & præter creationem Adami, aliud quoque opus Dei, aliúdque eius propoſitum ſubiicit: nempe, voluiſſe Deum, & humanum genus propagari, & ad hoc faciendum, ipſos primos homines, ſibi adhibere συνεργούς: & idcirco voluiſſe horum vnum eſſe maſculum, alterum, fœmellam. Quæ res multum etiam addit hominis dignitati, quod ſe eo adiutore vti voluerit Deus, ad propagandam ſui imaginem in Mundo. Qua de re in ſequentibus. Nunc ait:

Maſculum & fœminam creauit eos. Item ergo vtriuſque auctor, Deus Pater, & Filius, & Spiritus S. Diuerſa tamen vtriuſque rum proxima materia, ex qua, tum modus & tempus, quo ille & iſta, maſculus & fœmina creati ſunt. Certè priùs vir, deinde mulier (vt etiam Apoſtolus ad ſuum citat propoſitum) creatus fuit. Et materia corporis viri proxima fuit terra inprimis, aliáque elementa: materia autem proxima, è qua mulier formata eſt, fuit Adæ coſta. Modus quoque fuit non vſquequaque idem, vt Moſes docet, & vt mox videbimus.

V. Priùs itaque etiam videndum eſt, de materia, è qua humo: déque forma ipſius anima, ſcilicet & de modo, quo Deus illum creauit, animáque donauit. Tum demum de ipſa mulieris formatione dicemus.

Ad Adamum quod attinet, deſcribit illa, quæ ſuprà diximus, Moſes cap. 2. verſ. 7. dicendo:

Et formauerat Iehoua Elohim hominem puluerem (lutum) *ex humo*: (Adam ex Adamah:) *& inſufflauit in nares eius flatum* (ſeu ſpiraculum) *vitarum. & fuit homo in animam viuentem*.

Tria hîc habemus præcipua capita.

Primò, clariorem expreſſionem illius qui creauit hominem; dicendo, *Iehoua Elohim*.

Secundò, Materiam proximam, vnde humanum corpus deſumptũ eſt: ac proinde quid illud ſit, nempe puluis ſeu lutũ.

Habemus *tertiò* animæ creationem & naturam, & eiuſdem cum corpore humano coniunctionem.

Eſt autem hic verſus nobis neceſſariò explicandus,& deinde illa etiam, quæ de formatione Euæ traduntur in hoc capite: antequam explicemus verſum 18. & reliquos, qui partim ad coniugium inter Adamum & Euam conſtitutum, gratiámque propagandi humani generis illis donatam pertinent, & partim etiam ad cibos, quibus alendi erant.

Etſi enim Moſes illa omiſit in primo capite, id quod fecit certis de cauſis, & vt priùs breuem ſummam totius creationis traderet,& deinde totam porrò fuſius explicaret, tamen priùs certè abſoluit creationem Deus, & Adæ, & Euæ,& hanc illi tradidit in matrimonium, quàm aut dederit gratiam & fœcunditatem fructificandi,aut cibos,quibus veſcerentur, illis conſtituerit, eóque antequam ſextus dies abſolueretur. Nos itaque qui opera Dei explicamus,eo ordine,quo etiam facta fuerunt,omnino debemus,quæ deſunt hic in capite primo ad perfectam hominis creationem, ea ſupplere ex 2.cap.

1. De primo itaque ſic ait, *Et formauit Iehoua Elohim,&c.*

Nomen *Elohim*, commune etiam eſt Angelis,& hominibus in Magiſtratu conſtitutis,vt nouimus omnes. At nomen *Iehouæ*,proprium eſt Dei nomen,quod nemini præter Deum, ſimpliciter & abſolute attribui ſolet aut poteſt. Quia igitur antè ſemper vſus fuerat nomine tantùm *Elohim*,ne quis ambiguitate deceptus vocabuli, putet illo nomine *Elohim*, ſignificatos fuiſſe Angelos, quaſi ipſi crearint hominem:idcirco nunc nomine *Elohim*,nomini, inquam, quo tres indicantur perſonæ in Deo: addit nomen,quo diuina indicatur eſſentia,eáque æterna,πάντων τῶν ὄντων prima effectrix cauſa:& ait, *ipſum Iehouam Elohim, formaſſe hominem e luto terræ.* De hoc nomine *Iehoua*, quomodo eo ſignificetur ipſa perfectiſſima οὐσία diuina, & quo pacto in hoc nomine præſens ὁ ὤν, & præteritum, *Fuit*:& futurum, *Erit*,quibus perfecta æternitas ſignificatur,vnde & Epitheton Patris & Chriſti in Apoc. ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, deductum eſt, multa diximus, cum in noſtris libris de Deo, tum in tractatione de diuinis nominibus. Idcirco in huius nominis Etymologia & explicatione non immorabor: Hoc tantum repeto, nomine *Iehouæ*, indicari æternam illam diuinam eſſentiam, quæ reuera nihil aliud eſt quàm Deus ipſe, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus:quæ quia vna & eadem ſemper eſt in Patre,& in Filio, & in Spiritu ſancto; idcirco meritò ſemper in ſcripturis, prædicatur vnus tantùm Iehoua: Nomine autem *Elohim*, quod pluralis numeri eſt, plures ferè perſonas ſignificari. Vnde nunquam legimus, aut Deum ipſum dixiſſe, *ſe eſſe vnum Elohim*, ſicut ſubinde ait, *ſe eſſe vnum Iehouam*: aut Moſem,vel Prophetas id docuiſſe,ſicut contrà aiunt, *Audi Iſrael, Iehoua Elohim, Iehoua Ehad*: cur non ait, *Elohim* etiam *Ehad*, ſicut *Iehoua Ehad*? Putamus hæc temerè ſcribi à Spiritu ſancto in Prophetis? Minimè: ſed pulcherrimè Deus deſcribitur, his nominibus:vt vno, οὐσία ipſius vna ſignificetur:altero,plures eadem οὐσία ſubſiſtentes perſonæ. Ac vide,cùm daturus eſſet legem: ie his duobus nominibus deſcripſit, *Ego Iehoua Elohim,qui eduxi te de terra,&c.* Vnum ſe prædicat Iehouam:& plures Elohim,dicendo, *Elohica, Dij tui.* Sic Chriſtus promulgaturus Euangelium per Apoſtolos, & Gentes vero Deo obſignaturus:deſcribit vnum, & vnum Iehouam: & in eo tres perſonas: dicendo, *Baptizate in nomen* (non in nomina) *Patris, Filij & Spiritus ſancti.* Ringantur igitur,& rumpantur & crepent Iudæi,Arianíque omnes, nunquam efficient, quin myſterium vnitatis eſſentiæ: & pluralitatis perſonarum, contineatur in iis duobus nominibus, *Iehoua Elohim.* Explicat igitur hoc loco Moſes diſertiſſime, creatorem hominis,non fuiſſe vllam creaturam,vllúmve Angelum:ſed verum Iehouam Elohim, Patrem, Filium, Spiritum ſanctum: ac proinde hunc ſibi eſſe adorandum & colendum: *Adorate* (inquit Angelus) *eum qui fecit Cælum,&c.*

Atque hinc manifeſtè euincitur contra Arianos & Macedonianos;non ſolum Patrem,ſed & Filium,& Spiritum ſanctum,verum eſſe Iehouam. Plures enim ſunt, qui crearunt hominem: id euincimus ex verbis, *Faciamus ad imaginem noſtram.* Apertè autem ait hîc Moſes, qui fecit hominem,fuiſſe Iehouam Elohim. Illi igitur plures Elohim,qui dixerunt, *Faciamus*: ſunt Iehoua vnus. Qui verò illi ſunt, ſi poſt Patrem non ſunt eius Filius,& vtriuſque Spiritus? Ergo Pater Iehoua,Filius Iehoua,Spiritus ſanctus Iehoua,& omnes ſimul,tres quidem Elohim,ſed vnus Iehoua. Hæc de autore, qui hominem formauit.

2. Sequitur de materia proxima,vnde formatum corpus Adæ fuit וייצר *Et finxit* (formauit) *Adamum* עפר *puluerem ex Adamah: Terra,&c.*

Etſi verbum illud יצר ad multa accommodetur, quæ etiam figuram non habent: vt Ieſa. 45 formans lucem:tamen hîc propriè ſignificat, ita aliquid è luto fingere; vt certam ei des figuram & formam. Proinde non dubito,quin Moſes hoc verbo ſignificare voluerit,huius etiam figuræ,qua prædita ſunt corpora noſtra,nullum alium eſſe autorem, quàm ipſum *Iehouam Elohim*. Is enim accepit ex *Adamah*, id eſt, è terra rubra, עפר puluerem, madidum ſcilicet, hoc eſt, lutum, indéque finxit formauíque corpus Adæ, tali nimirum forma & figura,quali videmus noſtra conſtare corpora: longè ſcilicet diuerſa, à forma, qua alia conſtant animalia. Illa enim facie in terram prona ſunt, nos facie in cœlum ſublata:

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit,Cœlúmque videre
Iuſſit,& erectos ad ſidera tollere vultus.

Vnde & meritò Græci non à materia, ſicut vox Latina, *Homo* ab *humo*:ſed à forma figuráque corporis, hominem vocant ἄνθρωπον παρὰ τὸ ἄνω ἀθρεῖν,à ſurſum aſpiciendo. Itaque his paucis verbis את האדם עפר ויצר יהוה non ſolum docet,è qua materia primum compoſitum fuerit humanum corpus; ſed etiam quis huius figuræ autor extiterit. Figuram indicat verbo יצר: Materiam nomine עפר. Eſt autem עפר puluis non ſimpliciter,ſed lutoſus, hoc eſt,lutum. Ac ne putes, lutum hoc fuiſſe vel e nihilo per ſe creatum, vel ex nobili aliqua materia ſumtum: addit מן האדמה ex terra. Significat autem propriè terram rubram. Videtur ergo talis fuiſſe ea terra, ex qua formatum fuit corpus Adæ, qualis eſt terra recens, terra nondum ſubacta, nondum attrita, nondum (vt ita loquar) ſenio confecta: ſed ceu intacta virgo.

Bifariam autem conſtruuntur hæc verba: quidam ſic, *Formauit Iehoua hominem* עפר pro מעפר *è puluere, è terra*: Alij ſic, *Formauit hominem puluerem*: cui conſonat illud Gen.3 *puluis es* אתה עפר *& in puluerem reuerteris*: vt ſignificetur, nihil aliud eſſe hominem, ad corpus quod attinet, quàm leuem vilémque puluerem, ex viliſſimo omnium elemento, terra ſcilicet deſumtum. Vtvt legas;materiam hîc videmus proximam, vnde corpus Adæ formatum fuit. Quòd ſi dicas, an non conſtat ex quatuor Elementis? Omnino. Nam quatuor qualitates Elementorum,quatuórque humores,qui in humano corpore cernuntur apertè euincunt, corpus hoc ex quatuor Elementis compoſitum eſſe. Cur igitur Moſes terræ tantùm mentionem facit? A parte prædominante, fit dominatio. Certum autem eſt, non fuiſſe formatum ex ſimplici puluere, ſed ex puluere aqua mixto, vt fieret lutum & limus. Præterea mixta erant, & ſunt elementa.Sed ſi materiam ſpectes:plus terræ eſt in humano corpore, quàm aquæ, aliorumve elementorum; quamuis ſi vim elementorum conſideres, plus in eo eſt ignis, & aeris, propter humidum calidum.

Cæterum conſtat ex Gen.cap. 3. Moſem huius materiæ, terræ ſcilicet, mentionem feciſſe: vt meminerimus noſtræ originis, è terra nimirum nos eſſe, ſicut & reliqua animalia terreſtria; ac proinde ne inſoleſcamus: cùm eodem etiam ſimus redituri. Proinde Siracides Eccleſiaſtici 40. rectè vocat *terram communem omnium matrem*: dicendo, *Magnum negotium cuique homini deſtinatum eſt, & graue iugum poſteris Adami, iam inde à die, quo ex vtero matris exierunt: vſque ad diem, quo ad communem omnium matrem reuertentur.* Meminerimus ergo ſemper noſtræ huius primæ originis. Hinc refellitur error Ariſtotelis, qui ſicut Mundum, ſic etiam homines voluit eſſe æternos, ſine principio. Refelluntur & illi,tam Græci,quàm Latini Poetæ, qui tradiderunt, Prometheum illum fuiſſe, qui primum hominem formarit ex luto. Quòd ſenſerint, primum hominem è luto formatum fuiſſe, non ſunt falſi: id enim docet Moſes: nec dubium,quin hanc veritatem à Moſe acceperint: ſed quod Prometheum aiunt huius rei autorem fuiſſe,fœdè ſunt hallucinati: niſi fortè nomine Promethei intellexerint, ipſam æternam Dei ſapientiam, quæ eſt Chriſtus, vt nonnulli ſunt interpretati. Nam προμηθεύς, vt notum eſt, eum ſignificat, qui conſilio, prudentia & ſapientia prouidentiá iuuare valeat: vnde προμήθεια prouidentia. Talibus enim inuolucris ſæpe vſi ſunt prudentiores Poetæ: quibus res magnas & diuinas ſignificare volebant. Fieri igitur poteſt,vt nomine Promethei Deum ſignificarint. Auguſtinus tamen tom. 5. de Ciuit. Dei. lib. 8. ſcribit, ideo Prometheum iudicatum fuiſſe homines e luto formaſſe: quia optimus ſapientiæ doctor fuiſſe perhibetur: qui homines etiam agreſtes & indoctos,ad optimæ vitæ rationem,& ad ciuiles mores inſtitueret: quaſi e luto,illos erigens, & ex glebis, faciens homines. Sed vtvt ſit de Poetis iſtis: conſtat Deum Iehouam illum eſſe,qui primùm homines e luto formarit. Atque hæc materia fuit corporis Adæ.

Sequitur iam de forma totius corporis eſſentiali, quæ eſt anima.

Et inſufflauit (vel inſpirauit) *in nares eius ſpiraculum vitarum.*

Duo hic tradit: Animæ creationem, eiuſque cum corpore vnitionem; & deinde, quid ex iſta animæ & corporis coniunctione, ſequutum ſit.

De primo ait: *Et inſufflauit* (Iehoua) *in nares eius, ſpiraculum vitarum.*

Pauca hæc ſunt verba: ſed ſucci plena. Proponit autem quatuor conſideranda. 1. *Quis inſufflauit.* 2. *Qualis fuerit iſte flatus.* 3. *In quid inſufflauit.* 4. *Quid inſufflarit, ſeu quid inſufflando effecerit.* Antequam verò ſingula examinemus verba: illud inprimis aſſumo: hîc nomine *ſpiraculi vitarum*, non intelligendum eſſe, vt quidam falsò putarunt, Spiritum ſanctum, ſed animam humanam. Apertè enim in hoc verſu explicat Moſes, quod breuiter dixerat cap. 1. *Creauit Deus hominem.* Partes enim explicat, quibus homo conſtat: & vtramque partem docet à Deo eſſe: quanquam diuerſiſſimæ ſint ſubſtantiæ, & ex diuerſis principiis, diuerſáque ratione formatæ. Hæ autem partes, quibus homo conſtat: ſunt corpus & anima. Cùm igitur de corpore prius dixerit, illud è terra formatum fuiſſe: luculenter apparet in hoc altero membro, Moſem verba facere de anima: qua factum eſt, vt homo factus ſit in animam viuentem. Neque vllo modo fieri poteſt, vt hîc loquatur de Spiritu ſancto homini communicato. Nunquam enim Spiritus ſanctus appellatur נשמה flatus, anhelitus: ſed ſemper רוח Spiritus. Anima vero hoc nomine ſignificatur: tum quia per eam fit, vt ſpiremus: tum quia flatu Dei; creata in homine fuit. Deus enim flando in nares corporis Adæ: animam in ipſo creauit: Præſertim verò, cùm dicatur ſimpliciter נשמה ſed נשמה חיים *ſpiraculum vitarum*: per hanc enim viuimus: viuimus inquam, non ſolùm vita plantarum, quod eſt primum vitæ genus: nec ſolùm vita animalium, quod eſt alterum genus vitæ, ſed vita etiam ſpiritualium ſubſtantiarum: vita nimirum, quæ cum cognitione coniuncta eſt. Atque hæc cauſſa eſt (meo quidem iudicio) cur non ſimpliciter appellata ſit anima noſtra נשמה חיה, ſed נשמה חיים quia ſcilicet omne vitæ genus complectitur. Eſt vita plantarum: eſt vita animalium: eſt vita ſpirituum, vt Angelorum, quæ in mente & intelligentia conſiſtit. Nos noſtra anima, cum omnibus iis vitæ generibus communicamus. Vnde & tres animæ noſtræ facultates dantur: vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua: quibus cum omnibus viuentibus habemus communionem. Ideo נשמה חיים meritò appellatur: quanquàm ſcio ſæpe נשמה חיים etiam de pecudibus dici; vt Gen. 7. verſ. 15. ſed in iis etiam eſt duplex vita: plantæ & animalis; id eſt, vegetatiua & ſenſitiua. Iacto hoc fundamento, Moſem hîc de altera hominis parte, hoc eſt, de anima agere: reſtat vt ſingula verba examinemus.

V I. Quis ſufflauit, & ſufflando animam indidit corpori Adæ? Ille Iehoua Elohim, qui etiam corpus è limo terræ formarat. Hic autem eſt, non ſolus Pater, ſed etiam Filius, & Spiritus ſanctus. Eſt igitur Chriſtus cum ſuo Spiritu, noſtræ etiam animæ creator: ſicut & redemptor: & quidem verus animæ noſtræ autor, ſicut & ſalutis. Docuit hoc, cùm ipſe, ſolo ſuo flatu, inſpirauit in hominem, ſpiraculum vitæ: hoc eſt, animam. Nulla enim creatura, ad animæ rationalis creationem cooperata eſt Deo: ſicut terra ad productionem plantarum & animalium; & aqua ad productionem piſcium. Quo docemur, neque nunc animas noſtras à parentibus noſtris procreari, aut per traducem ab ipſis eſſe; ſed totum à Deo, ſuo interno flatu & virtute in nobis creari. Nouit hoc & Adamus. Ideo cùm vidiſſet Euam, nouit quidem (Deo totum factum reuelante) Euæ corpus, carnem & oſſa, ex ſe educta fuiſſe: Animam autem, minimè. Proinde non dixit, *hæc anima ex anima mea*: ſed tantùm, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Ex verbis igitur Moſis colligamus, animæ noſtræ creatorem & autorem, vnum tantùm eſſe: nempe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum ſuo Patre & Spiritu ſancto.

2. Cæterùm, qualis fuit iſte flatus, & quomodo intelligendum eſt quod ait, *Deum inſufflaſſe in nares corporis Adæ?* Omnium ferè interpretum ſententia eſt: totum hoc ſpiritualiter intelligendum eſſe, & nihil corporaliter; idque propterea, quod Deus non habeat corpus, quo poſſet corporaliter flatum ex ſe mittere. Nil autem ſignificari hac phraſi, niſi aut Dei iuſſu, & quaſi flatu creatam inditámque fuiſſe corpori Adami animam: aut inſufflaſſe in nares, id eſt, feciſſe flare nares, ſpirare & reſpirare.

Antiquiſſimorum Patrum, Irenæi, Iuſtini, Tertulliani, & deinceps aliorum quoque ſententia eſt, Filium Dei à condito orbe, ſolitum fuiſſe ſpeciem humani corporis ſubinde ſibi ſumere, inque illa Patribus apparuiſſe, locutum & luctatum etiam eſſe, vt cum Iacobo, &c. Quæ cùm manifeſta ſint è ſcripturis: ſentiunt, eundem cùm creaturus eſſet Adamum, tunc primùm formam hanc corporis ſumſiſſe. Suis itaque manibus lutū è terra accepiſſe, & ex eo corpus Adami formaſſe: idque ad exemplar corporeæ illius formæ, quam geſtabat, eóque & flatu etiam vero, in nares corporis iam formati inſufflaſſe: & inſufflando ſpiraculum vitæ in eo, animam ſcilicet, per quam viueret & ſpiraret, aliáque vitæ officia præſtaret, creaſſe. Eundem Chriſtum in eadem ſpecie corporea, coſtam ex Adamo accepiſſe: & inde corpus Euæ formaſſe. Ego certè non video, quo iure poſſit aut debeat hæc interpretatio damnari, cùm neque pugnet cum aliis ſcripturis, neque cum analogia fidei: plurimum verò faciat ad commendationem Chriſti, Filij Dei æterni, & ad dignitatem animæ noſtræ commendandam. An non legimus etiam Geneſ. 3 Iehouam deambulaſſe in horto Paradiſi: vocémque eius deambulantis auditam fuiſſe ab Adamo & Eua, poſt peccatum, & ſeſe ab eius conſpectu abſcondiſſe? Neceſſe igitur eſt, tunc Iehouam, ſpeciem corporis, & quidem humani, ſibi ſumſiſſe, ſicut & aliàs ſæpe factum fuiſſe legimus: vt cùm Abrahæ apparuit. Sentiunt autem Patres, nunquam Patrem aut Spiritum ſanctum in tali ſpecie Patribus apparuiſſe, ſed ſemper Filium: & rationes adferunt, quòd is etiam ſolus, tandem veram carnem eſſet aſſumturus: ac eam deinceps nunquam depoſiturus. Itaque cùm in veteri Teſtamento ſumebat ſpeciem corporis humani: præludium illud fuiſſe illius, quod tandem verè & realiter facturus erat, naturam nimirum noſtram in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumendo.

Eò verò magis mihi hæc probatur interpretatio: quòd in ipſo Euangelio video Chriſtum ſimilibus actionibus voluiſſe ſignificare, ſe eundem eſſe, qui ex luto formauerat Adamum, & ſpiraculum vitæ, ſeu vitalem ſpiritum, Animam ſcilicet humanam, in eius faciem inſpirauerit. Illud ſignificauit, cùm lutum fecit ex ſuo ſputo, & eo ſuper oculum cæci impoſito, cæcum illuminauit. Hoc autem alterum: cùm inſufflando in Apoſtolos, dedit eis Spiritum ſanctum.

Nunc igitur tenemus, qualis fuerit ille flatus: de quo loquitur Moſes. Flatus fuit creatus, non autem Deitatis ipſius: & fuit alterius rei inuiſibilis, quàm creabat & dabat, nempe animæ, viſibile ſignum, vt etiam flatus Chriſti in Apoſtolos, ſignū Spiritus ſancti. Hinc facilè refellitur eorum error, qui ex hoc loco colligebant, animam Adæ, eóque & reliquorum, fuiſſe è ſubſtantia Dei. Refert enim Auguſtinus Tom. 3. de Gen. ad literam, lib. 7. cap. 2. fuiſſe, qui ex hoc flatu diuino, importunè vrgerent, animam hominis eſſe è ſubſtantia Dei, ſicut & flatus noſter, è noſtra eſt (vt illi dicebant) ſubſtantia Ij fuerunt Manichæi, & Priſcillianitæ. Senſiſſe idem etiam Plato aliquibus videtur. Cùm enim vim animæ, quanta ſit cōſideraſſet, & quòd omniū quæ in cœlo & in terra ſunt, capax ſit, ſcripſit in hūc modum: Hæc fieri non poſſe ab anima, *εἰ μὴ τὸ θεῖον ὄντως εἴη πνεῦμα τῆς ψυχῆς, δι' ὃ τὴν τῶν πάντων ἐπιμέλειαν καὶ γνῶσιν ἴσχει.* Quanquam Platonis verba ſanum recipere poſſunt intellectum. Diſcrimen enim facit inter *ψυχὴν* noſtram, & *τὸ θεῖον πνεῦμα*: Alij quoque prophani ſcriptores, & Poetæ dixerunt, animam noſtram, *diuinæ auræ particulam* eſſe. Lactantius ipſe libr. 2. cap. 13. ita ſcribit: *Facto enim corpore ſpirauit ei animam de vitali fonte Spiritus ſui, qui eſt perennis.* Et mox: *Conſtat enim* (homo) *ex anima & corpore: id eſt, quaſi è cælo & terra. Quandoquidem anima qua viuimus, velut è cælo oritur à Deo, corpus è terra.* Videntur verba hæc innuere, ſicut corpus eſt ex ſubſtantia terræ, ſic animam è ſubſtantia Dei, præſertim cùm antè etiam dixerit *Deum ſpiraſſe animam de fonte Spiritus ſui.* Sed bonum etiam ſenſum habere poſſunt verba Lactantij: præſertim cùm dicat, eam oriri non ex Deo, ſed à Deo. Voluit enim iſte, & alij aliquot boni, animam non eſſe ſubſtantiæ terrenæ, ſed cœleſtis atque diuinæ: non autem quòd eſſet è ſubſtantia Dei.

Cæterùm, error hic facilè refellitur ex iis quæ diximus de flatu iſto. Si enim figuratè accipias verbum hoc *inſufflauit*, nil indè euincitur pro hoc errore. Dicitur enim Deus inſufflaſſe ſpiritum in animam: quia ſpiritus virtute, animam indidit corpori Adæ. Si autem accipias propriè, nempe quòd Filius Dei, ſumta humani corporis ſpecie, verè ſufflarit in nares Adæ, nihil itidem effeceris. Flatus enim ille, creatus fuit: non autem Chriſti Deitas, Deíve ſubſtantia. Fieri autem nullomodo poſſe, vt anima ſit è ſubſtania, ſeu pars ſubſtantiæ Dei, euincit Auguſtinus loco ſuprà citato, per aliquot capita. Subſtantia enim Dei, nulli mutationi obnoxia eſt: Anima autem noſtra, propè infinitis. Imò falſum etiam quod illi dicebant, flatum, quem nos flamus, eſſe è ſubſtantia animæ noſtræ.

Quare non eſt cur multis opinionem hanc tam craſſam & falſo nitentem fundamento refellamus. Refellit eam Auguſtinus multis in locis Tom. 2. epiſt. 28. ad Hier. vbi de

origine

origine animorum diſputat. Item tom. 3. de Gen. ad lit. lib. 7. cap. 2. vt de Scholaſticis taceam in 2. Sen diſtin. 17. Et Aquinas contra Gent. lib. 2 cap. 85. Et 1. p. quæſt. 90.

3. Subdit, in quid inſufflarit, *in nares* (inquit) *illius*: nempe corporis, iam è terra formati, ſed exanimi, in terráque adhuc iacentis.

Hunc flatum ſignum fuiſſe animæ, qua Adami corpus donabatur, antè dictum eſt. Sed cur ita in nares inſufflauit, & non in aliam corporis partem, aut in totum corpus? Sunt qui hinc colligant, Adæ, imò omnium, qui vnquam futuri erunt, hominum, animos; fuiſſe ab initio Mundi creatos, & in Cælis illis collocatos. Inde vero in cuiuſque corpus, ſimulac formatum eſt, euocari animam, atque infundi per nares, per quos etiam perpetuò flat, & reflat. Hoc itaque ſignificare voluiſſe Deum, cùm inſufflauit in nares Adami. Deum enim inſufflando, animum per nares in corpus inieciſſe, illúdque animaſſe. Fuit hæc opinio non ſolum Platonis, quam poſtea ſecutus eſt Origenes, verùm etiam Hebræorum multorum. Sed vt opinio falſa eſt: ſic etiam talis huius loci interpretatio, abſurda.

1. Nullum habet è ſacris literis teſtimoniũ, imò pugnat cum ſcripturis. Cùm enim dixit Deus, *Faciamus hominem in imagine noſtra: &, creauit igitur hominem*, certè non de ſolo corpore locutus eſt, neque enim corpus, homo eſt. Et, ſi nomen *hominis* conueniat vni parti, animæ potiùs, quàm corpori debetur. Factus autem fuit homo totus 6. die. Non igitur anima ante 6. diem: multò minùs reliquæ omnium animæ: cùm 6. die duo tantum homines creati fuerint, Adã & Eua.

2. Apoſtolus ad Rom. ſcribit de Iacobo & Eſau: *cùm nondum nati eſſent, aliquidve boni vel mali egiſſent*, &c. quibus verbis docet, eorum animas nihil vel boni vel mali egiſſe, antequam in vteris matrum conciperentur. Hoc autem dictum Apoſtoli verum non eſſet, ſi eorum animæ fuiſſent ab initio Mundi creatæ. Per totum enim illud tempus oportuiſſet eas aliquid egiſſe vel mali vel boni. Nam prorſus nihil egiſſe, & tamen vixiſſe, omnino *ἀδύνατον*. Non fuerunt igitur animæ omnes à principio.

3. Philoſophicè etiam admitti hæc ſententia non poteſt. Cùm enim anima ſit actus corporis, vt Philoſophi definiunt; ante corpus non potuit eſſe anima. Cuius enim rei actus fuiſſet & forma? At inquiunt, ſi quotidie creantur animæ, vt alioqui fateri oportet eos, qui eas negant eſſe per traducem; ſequetur Deum non quieuiſſe ab operibus ſuis. Reſp. Ab operibus noui generis, non ab operibus eiuſdem ſpeciei quieuit. Sic Auguſtinus. Sunt igitur, qui, licèt præcedentem damnent ſententiam, de omnibus animis; dicunt tamen, animam ſaltem Adæ, & deinde Euæ, creatas fuiſſe ante corporis formationem, quanquam eodem die, quo & corpus; formato verò corpore, inditam fuiſſe animam antè creatam: & hoc, cùm Deus ſufflauit in nares Adæ. Sed hæc ſententia iiſdem rationibus refellitur; quibus & ſuperior. Apertè enim narrat primò fuiſſe formatum corpus, deinde inſpiratum fuiſſe ſpiraculum vitæ. Huius autem nulla antè facta fuit mentio. Huc accedit: quòd cùm anima ſit ſubſtantia ſpiritualis, non opus habuit, vt in corpus immitteretur per narium foramina. Deinde videmus hunc ordinem à Deo ſeruatum in rerum creatione, vt ſemper ea tanquam imperfectiora priùs præparauerit, in qua præſtantiora debebant porro agere, & ſuas exercere vires; & poſtmodum ipſa præſtantiora dignioráque. Sic terra priùs detecta aquis, & productæ plantæ & herbæ omnes; deinde luminaria cõdita, quæ in plantas operarentur ſua luce. Beſtiæ quoque priùs procreatæ, deinde homo, qui illis vteretur. Cùm igitur anima præſtantior ſit corpore, & in hoc illo agat, non autem corpus in animam: idcircò meritò debuit priùs produci corpus, deinde creari anima: quæ ad ſuas operationes opus habebat organico corpore. Itaque ex eo, quod *inſufflauit in nares ſpiraculum vitæ*: colligi non poteſt, animam priùs corpore fuiſſe conditam: ſed totum potiùs contrarium.

Verùm ſunt, qui hinc colligi ſaltem neceſſariò contendunt, animam extra corpus creatam fuiſſe: nõ autem in corpore: vt permulti volunt. Atque vt hoc ſignificaret Deus: *ſufflaſſe in nares*, & per illos, animam inſpiraſſe in corpora. Sed neque hoc ex verbis Moſis euinci poteſt. Principio, ſi accipias inſufflationem figuratè, quia Deus incorporeus erat: illud, *inſufflauit in nares*, nil aliud ſignificabit, quàm Deum animam ſuo tantùm Spiritu in corpore Adami creaſſe: quæ ſe maximè per nares, flando & reflando patefacit.

Deinde, ſi etiam accipias inſufflationem, quòd Filius Dei ſumpta humani corporis ſpecie, verè inſufflarit in nares Adæ: quis tamen inde euicerit, animam non in corpore fuiſſe creatam, ſed extra: & inde in corpus fuiſſe inſpiratam? Flatus enim ille Filij Dei, ſignum tantùm fuit externum eius, quod in corpore operabatur: ſpiraculi ſcilicet vitæ, quod in corpore creabat, hoc eſt, animæ. Vnde neq; nunc euinci poteſt, creari priùs animas, deinde infundi in corpora. Sed probabilius eſt, animas in ipſis creari corporibus. Proinde mihi placet dictum Lombardi; *Senten. libro 2. diſtin. 17. C. Deus animas infundendo creat, & creando infundit*. Quid igitur ſibi voluit illa ceremonia, qua in nares inſufflauit Dominus? Significare voluit, verè ſe in corpore illo creaſſe animam, eíque dediſſe, vt ſpiraret & reſpiraret: quæ vera ſunt vitæ & animæ in aliquo corpore exiſtentis teſtimonia. Ideo priùs ipſe in nares inſpirauit, quàm Adamus inciperet ſpirare & reſpirare per nares. Docuit enim hac ceremonia Filius Dei, ſe auctorem eſſe noſtræ ſpirationis & reſpirationis. Deinde indicare etiam voluit, quæ ſit vitæ noſtræ imbecillitas: quippe quæ è naribus quaſi pendet. Ieſaiæ 2. *Deſinite* (inquit) *timere vobis ab homine, cuius anima in naribus eius eſt*, (ſeu *qui animam* נשמה *habet in naribus ſuis*.) Quid enim reputationis eſt ipſe? Denique quod maioris eſt momenti, docere voluit Chriſtus: ſicut ille flatus, aliunde veniebat, quàm à corpore illo, in cuius nares immittebatur: (non enim è naribus efflabatur, ſed in nares inſpirabatur:) ſic etiam animam, quam corpori illi per flatum donabat, non eſſe ex corporis illius natura aut ſubſtantia, ſicut ſunt animæ brutorum, ſed deforis venire: hoc eſt, diuerſæ eſſe à corpore ſubſtantiæ atque naturæ. De animalibus brutis hoc non legitur, ſed tantùm quòd produxerint Aquæ & Terra omnem animam viuentem, non minùs quàm ipſorum corpora: id eſt, quòd ex aquis & ex terra ſint productæ: qua phraſi ſignificauit Moſes, earum animas, è ſubſtantia eſſe ipſorum corporum, partes ſcilicet ſanguinis ſubtiliores, quas Medici *ſpiritus* vocant *vitales* atque *animales*. Proinde vt hoc ſignificaret Deus, non inſufflauit ipſe prior in brutorum corpora, ſicut facit in corpus Adæ. Et non prius cœpit Adamus flare è naribus ſuis, quàm Dei Filius, flarit in nares eius. Ergo apertè ſignificauit, animam illam Adæ, non è corporis ſubſtantia fluxiſſe, ſicut reliquorum animantium: ſed deforis, hoc eſt, à ſe per creationem è nihilo, illo veniſſe, immaterialem & incorpoream, eóque incorruptibilem, atque immortalem. Hoc eſt præcipuum, quod in iis verbis obſeruandum eſt, *inſufflauit in nares eius*. Deforis ergo venit anima humana, non quòd priùs foris creetur, & deinde in corpus infundatur, ſed deforis dicitur venire, quòd non è corporea materia ſubſtantiáque fluat, ſed quòd diuerſæ ab eo ſit naturæ: quanquam in ipſo creetur corpore per Filium Dei. Sequitur ergo quartum, quid inſpirauerit.

4. *Inſpirauit ſpiraculum vitæ*: נשמת חיים ſpiraculum vitarum, id eſt, animam. Senſus eſt: Et inſufflando in nares eius externum corporalémque flatum: intus etiam creauit, & creando inſpirauit ſpiraculum vitarum, hoc eſt, animam: totam ſcilicet humanam animam, tribus ſuis eſſentialibus facultatibus, vegetatiua nimirum, ſenſitiua & intellectiua conſtantem; quarum multarum facultatum cauſa, vocatur anima, non ſimpliciter *ſpiraculum vitæ*, ſed *vitarum*, vt ſuprà etiam docui. Hanc enim eſſe cauſam, cur Spiritus ſanctus & animam bruti, & maximè humanam, vocet *ſpiraculum vitarum*, in plurali numero: alij etiam docti mecum ſentiunt, vbi meam audiuerunt interpretationem. Nam etiam bruta, duo vitæ genera habent, plantarum, per vegetatiuam facultatem, & ſuam animalem, per facultatem ſenſitiuam, locóque motiuam. Hinc fit, vt in ſcripturis, nũquam de plantis prædicetur נשמת חיים: quanquam & ipſæ viuant: quia vegetatiua tãtùm facultate prędita ſunt. Multò igitur excellentiùs & veriùs conuenit hoc nomen חיים נשמה animæ humanæ, quàm brutorum: cùm anima humana tribus conſtet facultatibus, quibus homo multiplicem viuit vitã. Atque hinc patet reſponſio ad eos, qui ideo hunc præſentem Moſis locum, de inferiori tantùm animæ parte, quæ corpori dat vitam & motum, hoc eſt (vt cum Scholis loquar) de anima vegetatiua & ſenſitiua interpretantur: quia anima etiam bruti, eodem vocetur nomine in ſcripturis נשמת חיים.

Sed ratio hæc nihil valet. Nam eadem ratione, quia נפש tam de anima bruti, quàm de anima hominis dicitur, inde inferemus, quoties נפש de homine prædicatur, tunc ſolam vegetatiuam ac ſenſitiuam intelligendam eſſe, non autem ſimul etiam intellectiuam. Quod quàm ſit abſurdum, nemo neſcit. Imò contrà retorqueo: quia hoc nomen cùm de brutis prædicatur, ita de vegetatiua illorum dicitur, vt ſenſitiuam, locóque motiuam non excludat: idcirco eadem ratione, cùm de homine legitur, ita vegetatiuam ipſius & ſenſitiuam ſignificat, vt etiam intellectiuam complectatur. Si enim vtramque animæ facultatem in brutis complectitur, nomen נשמת חיים cur non

omnes etiam animæ facultates in homine comprehendat atque ſignificet? Sed obiiciunt locum ex 1. Corinth. 15. *Factus eſt prior homo Adamus in animam viuentem: poſterior autem in ſpiritum viuificantem.* De anima igitur tantum, qua viuebat Adam: non etiam de mente, qua intelligebat locutus eſt Moſes, cùm dixit, *Deum ſpiraſſe in eum ſpiraculum vitæ, & factum eſſe in animam viuentem.* Quaſi vero multæ ſint in homine animæ: vna, qua viuit, altera, qua intelligit: & quaſi infuderit Deus in corpus Adæ, animam tantum, qua viueret, non qua ſentiret & intelligeret: quia ait factum eſſe in animam viuentem, non autem ſentientem & intelligentem. Vna tantùm eſt anima, quanquam pluribus diuerſiſque conſtet facultatibus, tanquam partibus ſuis eſſentialibus. Imo locus ille Apoſtoli, qui deſumtus eſt ex hoc contextu Moſis, contrarium euincit. Senſus enim Apoſtoli eſt, primum Adamum, poſt inſpiratum in eius corpus, ſpiraculum vitarum, facta fuiſſe animal tantùm viuens: non autem alios ad vitam præſertim ſpiritualem & æternam viuificans: idque quia homo tantùm erat. At vero Chriſtum poſteriorem Adamum, factum eſſe ſpiritum viuificantem: hoc eſt, talem hominem, qui ſuo Spiritu, id eſt, vi ſuæ Deitatis, alios quoque, & noſtra etiam corpora in vitam æternam viuificet. Antitheſim enim facit Apoſtolus inter Adamum primum, purum hominem, à quo non habemus, niſi terrenam natiuitatem, terrenos mores, corruptionem & mortem; & inter poſteriorem Adamum Chriſtum, à quo iam habemus ſecundam natiuitatem, hoc eſt, regenerationem, reſurrectionémque ad vitam æternam: quia purus homo, non eſt ſpiritus, id eſt, Deus viuificans, &c. Quare cùm etiam Moſes ait, *poſt inſpiratum ſpiraculum vitæ, factum fuiſſe Adamum* לנפש חיה intellexit, ex illo corpore, quod formatum erat è luto: & ex iſto ſpiraculo vitarum quo illud corpus donatum fuit, factum eſſe animal viuens. Quale obſecro animal? Tale, quale fuit: Fuit autem Adamus, animal non brutum: ſed anima non tantum ſentiente & vegetante, ſed etiam intelligente præditum. Ergo nomine *ſpiraculi vitarum*, intellexit Moſes totam animam; qua donatus fuit Adamus. In aliis quoque ſcripturarum locis, perſæpe lego non ſolú נפש. ſed etiam נשמת חיים cùm de homine dicuntur, ſignificare totam hominis animam: quæ vna duntaxat eſt, tribus conſtans facultatibus, tanquam partibus ſuis eſſentialibus. Quò etiam ſpectat ratio antè allata, cur vocetur *ſpiraculum* חיים in plurali: vt omnes ſcilicet eius facultates ſignificentur.

Ac quod Moſes vocat hîc *ſpiraculum vitæ*, alibi vocatur רוח, & in nouo Teſtamento *πνεῦμα*: vt illud Dauidis ex Pſ. 31. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*: id quod poſtea & Chriſtus in cruce vſurpauit: & deinde Stephanus ſimile quid dixit. *Domine, ſuſcipe ſpiritum meum*, id eſt, totam animam meam. Sed locus eſt inſignis: qui totam litem dirimit, & veram adfert huic loco interpretationem. Eccleſiaſt. 12. verſ. 7. Sicut Moſes hîc deſcripſit, ex quibus partibus conſtet homo, & vnde quæque illarum ſit: Ita ibi contrà Salomo docet, in quot partes reſoluatur homo, cum moritur, & quónam vnaquæque redeat.

Duo autem membra ſunt apud Moſem in hoc verſu 7. vnum eſt de corpore, ex terra formato: alterum de anima; quam *ſpiraculum vitæ* appellauit. Salomo ad hæc duo alludens membra: docet, hominem in duas reſolui partes, cùm moritur, vnde etiam compoſitus fuerat, in corpus, quod redeat in terram, vnde ſumtum fuerat: & in ſpiritum, qui redeat ad Deum, qui dederat illum. Quid autem obſecro redit ad Deum? nū pars animæ tantùm inferior, quę dat vitam & motum? An non cumprimis mês, qua intelligimus & volumus? Salomonem ipſum audi: *Et reuertatur* העפר *puluis in terram, quemadmodum erat:* והרוח תשוב אל האלהים *qui dederat eum.* Nemo poteſt inficiari, quin Salomo hîc reſpexerit ad locum Moſis, quem explicamus. Quod autem Moſes vocat נשמת חיים illud Salomon appellat רוח *ſpiritum*: & hunc dicit redire ad Deum, qui dederat eum. Quando dedit? Adæ dedit, quando inſufflauit in nares eius. Quid verò redit ad Deum? Tota anima humana, quam etiã Chriſtus ſpiritum vocauit, ſicut etiam ante ipſum Dauid vocauerat רוח dicendo, *in manus tuas commendo* רוחי *ſpiritum meum.* Eſt igitur neceſſe, vt cùm Moſes ait, Deum inſpiraſſe ſpiraculum vitæ in Adamum: dictum illud de tota Adæ anima intelligatur.

Accedit his, quòd Moſes nunquam antea fecit ſpecialem animæ à Deo creatæ mentionem niſi hîc. Neque etiam porrò facit in his duobus capitibus, vbi de rerum omnium creatione agit. Si ergo nomine *ſpiraculi vitæ*, non tota intelligatur anima: efficietur, omiſſam eſſe præcipuæ partis animæ creationem. Nam quòd quidam ſcribunt, Moſem de mente, ſeu de anima intellectiua locutum eſſe, cùm dixit in primo capite, *Deum feciſſe hominem ad imaginem ſuam*: hoc ita concedo, vt contendam, non ſolum de mente, ſed de tota anima, adeóque de toto homine, dictum illud intelligendum eſſe: cùm totus homo ad imaginem Dei ſit: quanquam principaliter in anima, eáque tota, imago ita conſiſtat. Quare quod ibi in genere dixerat: id poſtea hîc explicauit, hominem in duas diſtinguens partes, in animam & in corpus. Ita neceſſe eſt, verbo, *Et inſpirauit ſpiraculum vitæ*, totius animæ creationem, & cum corpore coniunctionem intelligi: Nam tum demum intelligitur, factum fuiſſe Adamum in animam viuentem, id eſt, animal viuens (eſt enim Synecdoche:) cùm inſpiratum fuit in eum ſpiraculum vitæ. Quale vero animal viuens factus eſt Adamus? Rationale. Per animam igitur rationalem, tale factum eſt animal. Quare ſpiraculum vitæ, ipſa fuit anima rationalis; tota ſcilicet anima, cuius præcipua pars eſt mens.

Hæc ideo pluribus, quàm voluiſſem: quia non poſſum ferre, vt dicatur, in homine plures vna eſſe animas: aut facultates animæ à ſe inuicem eſſe ſeparatas ſeparariue poſſe: id quod tamen neceſſario conſequitur, ſi dicamus, vt quidam dicunt, cùm Moſes ait, *Et inſpirauit in nares eius ſpiraculum vitæ*; Tum de ſola vegetatiua & ſenſitiua, locutum eum fuiſſe. Do quidem hoc, voluiſſe Moſem dicere, tunc primùm viuificatũ fuiſſe illud corpus mortuum, vel potius exanimum Adæ, cùm accepit ſpiraculum vitæ: id quod ex motu & ſenſu Adæ liquidò apparuit: ſed dico fuiſſe viuificatum ab vna & eadem anima: quæ tribus facultatibus, vegetatiua nimirum & ſenſitiua, & intellectiua, conſtat. Nam neque citius dictum eſt, factum fuiſſe animal: neque poſtea, factum eſſe perfectius animal, propter ſuperuenientem intellectiuam partem. Tota igitur ſimul creata anima fuit, & tota cum corpore coniuncta, ac tum demum, ad imaginem Dei fuit factus homo.

Reſtat vnus ſcrupulus. 1. Theſ. 5. Apoſtolus tres facit hominis partes, corpus, animam & ſpiritũ. Lucæ etiam 1. Maria videtur facere diſcrimen inter animam & ſpiritum, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, & exultat ſpiritus meus, &c.* Quomodo igitur tu facis duas tantùm hominis partes, corpus & animam vnam duntaxat, quæ ſimul creata fuit tota? Annon potuit creari ſeorſim anima, & ſeorſim ſpiritus, ſi inter ſe differunt? Atque ita optimè cohæreret, quod quidam aiunt, nomine *ſpiraculi vitæ*, intelligi ſolam animam, id eſt, inferiorem animæ partem: mentem autem ſignificatam fuiſſe à Moſe, cum dixerat, *hominem factum fuiſſe ad imaginem Dei?*

Reſpond. ad locum Apoſtoli 1. Theſ. 5. & ad ſimilia, variæ ſunt interpretationes. Scio non defuiſſe, qui propter illa verba, facerent tres hominis partes eſſentiales: corpus, animam, ſpiritum. Sed hæc opinio refellitur, tum verbis Moſis, tum verbis Salomonis eius interpretis, tum etiam firmiſſimis Phyſicis rationibus: vt iam taceam conſenſum omnium Patrum, & doctorum omnium, noſtri etiam temporis hominum Chryſoſtomus in locum Apoſtoli, nomine *ſpiritus*, intelligit dona Spiritus ſancti: non autem aliquã eſſentialem animæ partem. Auguſtinus multis in locis, præſertim tomo tertio, de anima & eius origine, libro 4. cap. 22. & 23. vbi fusè de hac re diſputat, ſentit & è ſcripturis docet, ſæpiſſime *ſpiritum* poni, pro *anima*: & vnum nomen, eſſe alterius explicationem: vt certè eſt in Cantico Mariæ, *Magnificat anima mea, &c.* Quæ licet vera ſint in genere, ad locum tamen Apoſtoli quod attinet, & aliquot alios ſimiles: mihi placet illorum ſententia, qui nomine *ſpiritus* intelligunt, ſuperiorem animæ partem, quæ *mens* etiam vocatur: nomine autem animæ, ipſam inferiorem, quæ vegetatiuam & ſenſitiuam complectitur facultates. Sed nõ propterea faciunt duas, aut tres in homine animas: licèt facultates ſeu partes eiuſdem animę eſſentiales diſtinguant cum Apoſtolo. Proinde obiectio iſta nil valet aduerſus ſententiam noſtram, de vna & eadem anima, nomine *ſpiraculi vitarum* ſignificata, & tota ſimul in corpus infuſa. Stat itaque ſententia, vnam tantùm eſſe in homine animam, eámque totam, fuiſſe ſimul in Adamo creatam: cùm Filius Dei inſufflauit in nares eius, ſpiraculum vitæ. His iam addo: Mihi placere etiam ſententiam eorum, qui cum ſpiraculo vitæ aiunt, inſpiratum etiam fuiſſe à Deo, & transfuſum, quicquid habuit Adamus cœleſtis lucis, ſapientiæ, iuſtitiæ, rectitudinis, & aliorum cæleſtium donorum: quibus Deum referebat, tanquam vera eius imago. Fuit enim talis creatus: vt ſcriptura docet, dicens, *factum eum eſſe ad imaginem Dei:* Et Salomo, Eccleſ. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Non fuit autem talis, cùm ſolum corpus fuit formatum. Ergo cùm indita anima, factus

eſt

eſt in animam viuentem, id eſt, homo viuens; tunc fuit factus rectus, iuſtus, &c. eóque ſimul cum anima, radij quoque diuinæ ſapientiæ, iuſtitiæ, bonitatis, fuerunt infuſi. Primum igitur, quod ex iis verbis Moſis colligimus, eſt, animam hominis, vnam tantùm eſſe: quia non ait *ſpiracula*, ſed *ſpiraculum*. Secundum eſt, hanc animam multis conſtare facultatibus, vegetatiua, ſenſitiua, intellectiua. Nā hanc ob cauſſam, vocaſſe eam videtur *ſpiraculum* חיים *vitarum*: Tertium, eam eſſe ſubſtantiam. Fuit enim creata & infuſa à Deo; vt ex ea, & ex corpore, tāquam e partibus eſſentialibus totus cōſtet homo. Non ita autem creantur niſi ſubſtantiæ. Et confirmatur Salomonis dicto: qui ait, *eam redire ad Deum*. Non rediret autem, niſi res eſſet per ſe ſubſiſtens. Quartum, ſubſtantiam eſſe ſpiritualem. Docet hoc Moſes, cùm eam vocat *ſpiraculum*, non ſimpliciter, ſed *inſpiratum à Deo*: nempe ſolo, ſine alterius rei opera. Docet ergo, etſi non eſt de ſubſtantia Dei, eam tamen eſſe ſubſtātiam ſpiritualem, ſicut & Deus eſſentia eſt ſpiritualis ac ſpiritus. Vnde & anima noſtra, quę hic à Moſe vocatur *ſpiraculum vitæ*: alibi millies vocatur *ſpiritus*: & talis quidem *ſpiritus, qui redeat ad Deum*. Nam etiam animæ brutorum, ſpiritus nonnunquam vocantur; ſed nunquam, qui redeant ad Dominum. Quintum, eam eſſe formam, per quam fit, vt quis ſit & vocetur homo viuens. Ait enim, ſimul ac inſufflaſſet ſpiraculum hoc: Adamum factum fuiſſe animal, nempe rationale, viuens. Hoc igitur eſt quod ſequitur:

Et factus eſt in animam viuentem, id eſt, animal viuens, homo ſcilicet verus. Eſt enim, vt ſuprà dixi, Synecdoche: vbi pars, & quidem præcipua, pro toto accipitur. Hebraica autem phraſis eſt: *Fieri in aliquid*, pro *fieri aliquid*: vt *fieri in animam viuentem*, pro *fieri animam viuentem*, id eſt, animal viuens. Animam enim pro toto animante accipit: vt ſæpiſſimè in ſcripturis capi ſolet: Vt, *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*, id eſt, homo. Et Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit*, id eſt, omnis homo. Significat autem Moſes, ſimulac anima fuit in corpus Adæ immiſſa: ſtatim illud corpus, ſigna vitæ dediſſe: ſurgendo è terra, aſpiciendo, manus mouendo, & alibi id genus faciendo. Perfectum enim hominem fecit Deus, non infantem priùs, ſicut iam, ſed perfectum: ſicut ſuprà etiam de plantis & aliis animantibus diximus. Hoc eſt quod ſignificat, dicendo, *Et factum eſt, animal viuens*: nempe perfectum animal, & perfectè viuens: quia omnia opera creationis fuerunt perfecta. Cū itaq; nō citiùs dixerit, Adamū fuiſſe animal viuēs, id eſt, hominē verum, niſi poſtquam accepit ſpiraculum vitæ: apparet, duas eſſe eſſentiales hominis partes; corpus, vt materiam; & animam, vt formam hominis. Docet item verum eſſe quod tradunt Philoſophi, vnumquodque habere ſuum eſſe per formā. Per animam enim Adamus, factus eſt animal viuens. Item docet, animam actum eſſe primum, ſeu, vt Ariſtoteles vocat, *ἐντελέχειαν* corporis Phyſici organici, potentiâ vitam habentis. Per animam enim vixit illud corpus; & ſigna vitæ dedit, operante in eo anima.

Illud præterea notandum ex hoc loco: quia factus fuit Adamus in animam viuentem: idcirco ſua natura, factum eum fuiſſe mortalem, hoc eſt, qui poſſet mori; quanquam à gratia porrò accepit, vt poſſet etiam non mori, ſi Dei mandato obtemperaſſet. Docet hoc Apoſtolus 1. Corinth. 15. Ibi enim conferens corpus, quod iam habemus ab Adamo, cum corpore, quod habituri ſumus per Chriſtum poſt reſurrectionem: vocat hoc, *animale*, hoc eſt, corruptioni obnoxium & morti, vt antè deſcripſerat: alterum autem vocat *ſpirituale*: quia corruptioni non erit ampliùs obnoxium: ſed incorruptibile, ſicut & ſpiritus incorruptibilis eſt. Vtriuſque vero corporis exempla ſubiicit Apoſtolus. Prioris quidem, corpus Adæ, poſterioris vero, corpus Chriſti poſt reſurrectionem. Quod enim nunc habemus corpora animalia corruptioni obnoxia: hoc nos habere ab Adamo, qui factus fuit in animam viuentem: quod verò habituri ſumus corpora ſpiritualia, id eſt immortalia: hoc eſſe à Chriſto, qui factus eſt in ſpiritum viuificantem. Nunc conſidera propoſitionem, & deinde confirmationem Apoſtoli. Propoſitio eſt hæc: *Eſt corpus animale: eſt & corpus ſpirituale*, nempe nobis omnibus. Confirmatio ab exemplo Adæ & Chriſti ſequitur, ſicut ſcriptum eſt (inquit) *Factus eſt primus homo, in animam viuentem: poſterior autem in ſpiritum viuificantem*. Confirmat Apoſtolus primum genus corporis, nempe animalis, eſſe omnibus hominibus: quia ſcilicet tale etiam corpus accepit primus homo: vnde omnes nos ſecundum primam natiuitatem ſumus. Probat porrò alterum genus corporis, nempe ſpiritualis, futurum omnibus piis, quia poſterior etiam homo, id eſt, Chriſtus, vnde omnes nos ſumus, ſecundùm alteram nempe ſpiritualem natiuitatem, tale corpus poſt reſurrectionem accepit: & factus eſt ſpiritus, non ſolùm viuēs ipſe, ſed alios etiam viuificans. Dubium igitur non eſt, quin Apoſtolus citando verba Moſis, quæ nunc interpretamur, vt probet omnibus hominibus ſemper fuiſſe & eſſe corpus animale, corruptioni perinde atque reliquorum animalium, ſuapte natura obnoxium: non eſt inquam dubium, quin Apoſtolus ex iis verbis Moſis, *Et factus eſt in animam viuentem*, intellexerit corpus Adæ, licet per gratiam poſſet non mori, per naturam tamen morti fuiſſe obnoxium. Ideò rectè Græcus quidam interpres ſic de Adamo ſcriptum reliquit: *μόνον αὐτὸ μέσον τῶν δύο* (nempe ſimpliciter immortalium, & ſimpliciter mortalium) *ἐγεγόνει· οὔτε θνητὸς ὅλος· οὔτε ἀθάνατος· δεκτικὸς δὲ ἑκατέρου*. Sed vnum habuit per naturam, vnde etiam opus habebat cibis: alterum per gratiam.

Aliud quoque hinc colligimus: confirmationem nimirū noſtræ reſurrectionis. Simulac Iehoua Elohim, inſufflaſſet in puluerem illum, in corpus ſcilicet Adæ: illud mox fuit in animam viuentem, & veræ vitæ dedit ſigna, ſurgendo è terra, in qua iacebat. Cur non igitur idem futurum credimus, vbi ille inſufflauerit rurſus in eoſdem pulueres cadauerum noſtrorum? Hoc egregiè oſtendit Dominus apud Eze. 37. cùm Prophetæ oſtendiſſet, in viſione planitiem magnam plenam oſſium aridorum: interrogauit Prophetam, num viuerent oſſa iſta? Vbi verò reſpondiſſet, *Domine, tu noſti*. Tunc iuſſit eum ſic vaticinari: *Oſſa arida, audite verbum Domini: ſic dicit Iehoua Elohim oſſibus iſtis: En ego indam in vos ſpiritum, & viuetis*: & quæ ſequuntur. Ergo cùm eadem ſemper ſit Dei potentia; ſicut ſolo ſuo in puluerem corporis Adæ flatu effecit, vt factus ille fuerit in animam viuentem, ſic vbi denuò flauerit in noſtros pulueres & cineres, efficiet, vt reſurgant noſtra corpora, non amplius animalia, ſed ſpiritualia, propter ſpiritum Chriſti, qui habitat in nobis. Quis enim eſt iſte, qui ſuſcitabit noſtra corpora ſuo flatu? Chriſtus, qui ait, *Ego ſum reſurrectio & vita* Item Iohan. 6. *Qui credit in me: Ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die*. Quibus ex locis confirmatur vera Chriſti æternáque Deitas. Ille enim idem eſt Iehoua Elohim, qui ſuſcitabit mortalia noſtra corpora: qui etiam ſufflando in corpus Adæ, effecit illud in animam viuentem.

Atque hæc ſatis de Adæ corpore & anima: quantum ex præſentibus verbis Moſis colligi à nobis potuit. Si quis vero interroget de loco, vbi creatus fuerit Adamus, factúſque in animam viuentem; etſi non deſint, qui velint eum creatum fuiſſe in ipſa Paradiſo, de qua mox ſubdit narrationem Moſes: Ego tamen aliter ſentio: extra nimirum fuiſſe hæc geſta. Atque vt ita ſentiam, præter auctoritatem multorum doctorum, iis etiam adducor rationibus. Primò Moſes narrat creatum Adamum; deinde verò ſubdit Paradiſi deſcriptionem, & ait, ibi eum fuiſſe poſitum & collocatum: *Et tulit* (inquit) *Iehoua Elohim Adamum, & poſuit eum in Paradiſum, &c. Tulit* (inquit) *& poſuit*. Tulit igitur alibi; & alibi poſuit. Poſuit in Paradiſum: non tulit igitur in Paradiſo, aut de Paradiſo, ſed aliunde. Deinde in cap. 3. ait Moſes, eiectum fuiſſe Adamum poſt peccatum è Paradiſo. Quónam? Certè extra Paradiſum. Et ad quid faciendum fuit ille eiectus? *Ad colendum* (inquit) *terram è qua ſumptus fuerat*. Ergo ſumptus fuerat è terra, quæ erat extra Paradiſum: quandoquidem ad eandem colendam è Paradiſo eiectus fuit. Quare extra Paradiſum creatus fuit: deinde in Paradiſum inductus; & poſtquam ibi ex ipſo dormiente, educta coſta, creata fuiſſet Eua, datáque illi in matrimonium; tandem denuo è Paradiſo eiectus fuit, ad locum vnde ſumptus fuerat. Ita Adamus extra Paradiſum creatus: Eua autem in Paradiſo. Proinde antequam etiam videamus creationem Euæ; percurrendus eſt contextus de Paradiſo. Hoc enim poſtulat ordo *hiſtoriæ de operibus Dei*: quoniam priùs plantata fuit Paradiſus, & in ea collocatus Adamus, déque voluntate Dei doctus, quàm formaretur Eua. Ac multa quidem inſignia Dei facta & opera narrantur in hac de Paradiſo hiſtoria. Videamus igitur ipſa.

VII. De Paradiſo ex cap. 2.

verſ. 8. *Et plantauit* (vel plantauerat) *Iehoua Elohim hortum in Heden, ab Oriente: & poſuit ibi Adamum, quem formauit.*

v. 9. *Et germinare fecerat Iehoua Elohim è terra omnem arborem concupiſcibilem ad viſum* (viſu) *& bonam ad eſcam: & arborem vitæ in medio horti: & arborem ſcientiæ boni & mali* (ſcilicet in medio Paradiſi.)

v. 10. *Et flumen egrediens ex Heden, ad irrigandum hortum. & inde diuidebatur, & fuit* (eſt) *in quatuor capita.*

v. 11. *Nomen vnius Piſon: ipſe circuiens* (eſt) *totam terram Chauilah, vbi aurum* (eſt) vel *quæ ibi aurum*. (ſcilicet habet.)

v. 12. *Et aurum terræ illius, bonum: ibi* (eſt) *Bdellium, & lapis Onyx*.

v. 13. *Et nomen fluuij ſecundi, Gichon, ipſe circuiens* (eſt) *omnem terram Chus,* (id eſt, Æthiopiæ.)

v. 14. *Et nomen fluuij tertij Chiddekel: ipſe vadens* (eſt) *ante Aſſur. Et fluuius quartus, ipſe Perath.*

v. 15. *Et accepit Iehoua Elohim Adamum, & poſuit eum in horto Heden ad colendum eum, & ad cuſtodiendum eum.*

ver. 16. *Et præcepit Iehoua Elohim, ad Adamum dicendo: Ex omni* (quidem) *arbore horti, comedendo comedes*, id eſt, liberè edes.)

v. 17. *Et* (pro at) *ex arbore ſcientiæ boni & mali, non comedes ex ea*, (id eſt, ex hac, quam oſtendo,) *quoniam in die comedere te ex ea*, id eſt, quo comederis, vel quo comedere te continget) *moriendo morieris,*) id eſt, omnino morieris.)

Duæ ſunt partes huius cõtextus: vna cõtinet deſcriptionem terreſtris Paradiſi: altera, quomodo Deus in ea, & in quem finem, & quibus conditionibus collocauerit Adamũ. Initio habet propoſitionem, quæ vtramque partem cõplectitur: mox explicatio partiũ ſequitur. Propoſitio hæc eſt.

verſ. 18. *Et plantauerat Iehoua Elohim hortum in Heden ab Oriente: & poſuit ibi Adamum quem formauerat.*

Explicatio primi membri ſeu prioris partis ſequitur in verſ. 9 vſque ad 15. poſterioris partis continetur, verſic. 15. 16. 17. Singula breuiter percurram.

Plantauerat autem Iehoua, &c.

Quatuor hîc ſunt verba, quæ ad deſcriptionem Paradiſi pertinent. Primo verbo docet, hâc paradiſum fuiſſe locum omnium terræ regionum nobiliſſimum. Verbo enim *plantandi*, ſignificat locum, quem deſcribit, fuiſſe ſummo Dei ſtudio ac diligentia paratum: eóque tota reliqua terra præſtantiorem effectum. Pertinet autem ad opera tertij diei. De aliis enim plantis & herbis dixerat, *Germinet terra herbam*. De iis verò, quæ in Paradiſo, ait: *Plantauerat autem* (die ſcilicet tertio) *Paradiſum Iehoua ipſe*. Sic etiam diſcrimen hoc locutionis legimus in creatione aliorum animalium, & hominis: *Producat terra omnem animã viuentem*: de homine autem. *Et creauit hominem ad imaginem.* Ergo præſtantiam, excellentiámque loci indicat verbo hoc, *Et plantauerat Iehoua, &c.* Volebat enim ibi hominem, & feliciſſimè habitare, Deóque ſeruire. Neque tamen putandus eſt Deus, inſtar hortulani, plantaſſe ſuis manibus illum hortum: ſed ſuo iuſſu, voluntate, verbo: ſicut Semiramis, muros Babyloniæ ædificaſſe dicitur vide Chryſoſt.

Secundo nomine, nempe *horti*, docet, fuiſſe locum amœniſſimum & vtiliſſimum, גן enim ſignificat hortum, pomarium. Septuaginta παράδεισον Suidas vult vocem eſſe Græcam, & deriuari à παρὰ, id eſt, *iuxta*, & ἀρδεύω *irrigo*: proinde παράδεισον, hortum eſſe irriguum, eóque amœnum & iucundum ac frugiferum. Sed fallitur in Etymologia. ab Hebræo enim deſumpta eſt hæc vox: cùm illi vocent פרדס quòd Græci παράδεισον: & ea voce ſignificãt hortum domeſticum arboribus cõſitum, ad voluptatem deſtinatum. Et ſic habes Cantici Canticorum c. 4. & Eccleſiaſtæ, 2. *Feci mihi* פרדסים גנות *hortos paradiſos*, hoc eſt, & pomaria. Pollux tamen vult, Perſicam eſſe vocem παράδεισον Vtut ſit de Etymologia; cõſta apud omnes tam Hebræos; quàm Græcos, nomine παράδεισον ſignificari hortum ſeu pomarium ad voluptatem paratum. Sed Moſes aliquid amplius ſignificare voluit nomine גן. Indicare enim voluit locum, hoc eſt, regionem ampliſſimam, amœniſſimam, fertiliſſimámque; & totam irriguam, omníque arborum & fructuum genere refertiſſimam: ita vt tota, hortus & pomarium quoddam eſſe videretur. Quæ autem fuerit, & vbi hæc regio: variæ ſunt ſententię, vt poſtea dicetur. Manifeſtum eſt ex Moſe, fuiſſe in Oriente, & quidem vel ipſam totam Meſopotamiam, vel in Meſopotamia. Sic enim ſubdit, *in Heden ab Oriente.*

עדן ſignificat principium, voluptatem, & certam regionem in Meſopotamia. Ideò quidam vertunt *hortum à principio*, ſcilicet diei tertiæ, plantauerat Deus. Alij בעדן. hoc eſt, *in voluptate* pro *ad volupta em*: vnde *& Paradiſus voluptatis*, appellatur. Ab Heden ἡδονὴ, voluptas, deriuata eſt. Itaque etiamſi Heden ſignificet hîc regionem: iudicatur tamen, regionem hanc eſſe voluptatem, amœnam, &c. Ideò, Seuer. ἐν τρυφῇ, id eſt, τρυφερὰν τόπον, καὶ καλὸν. Atqui dubium non eſt, quin Moſes in hac voce regionem, vbi iſta Paradiſus fuerit, Fuiſſe autem Heden in Meſopotamia, liquet. Nam Ezech. 27. mentio fit filiorum Heden, qui coniunguntur cum Chamne, & Charam. Norunt autem omnes Charam regionem eſſe in Meſopotamia: in quam venit Abraham. Et ſunt qui velint, ab Heden, appellatam eſſe vrbem *Edeſſam*, quæ eſt in Meſopotamia ad ripam Euphratis: de qua vrbe Coſmographi abundè ſcribunt: & Plinius libro 5. cap. 24. Inde fit, vt ſentiant pleríque omnes, Heden regionem illam eſſe, quæ nunc Meſopotamia dicitur: ita vocata, quòd ſit media inter fluuios, quos ποταμοὺς vocant Græci. Et hæc pertinet deſcriptio fluuiorum, quibus irrigabatur Heden. Hac igitur tertia voce, Heden, non ſolùm indicabitur regio, vbi fuerit iſta Paradiſus, ſed magis ac magis explicatur illius amœnitas & fertilitas. Nihil enim amœnum magis ac fertile, ipſa Meſopotamia.

Addit quartam vocem מקדם *ab Oriente*. Orientalis igitur erat regio: & ſic 70. habent κατὰ ἀνατολὰς, id eſt, verſus Orientem. Sic Ioſephus de antiquitate li. 1. φησὶ δὲ τὸν Θεὸν καὶ παράδεισον πρὸς τὴν ἀνατολὴν καταφυτεῦσαι. Sic ferè omnes vocẽ מקדם interpretantur, *ab Oriente*: & concludunt, hanc regionem Heden, eſſe Orientalem. Et Lactant. lib. 2. ſcribit, Paradiſum in partibus Orientis, plantatum à Deo fuiſſe. Huc ſpectant, quę etiam profani ſcriptores ſcribunt. Suidas apertè ſcribit, παράδεισον fuiſſe ἐν τῇ ἀνατολῇ. Hactenus primum propoſitionis membrum, quod de horto fuit, ſeu de Paradiſo. Sequitur alterum.

Et poſuit ibi Adamum, quem formauerat.

Ex hoc membro nil colligimus, niſi Adamum non fuiſſe creatum in Paradiſo. Priùs enim creatum indicant verba Moſis: deinde in Paradiſum poſitum. Sed huius membri explicatio poſtea ſequetur. Nam primò explicatiùs deſcribẽdus erat locus vbi poſitus fuit. Redit igitur Moſes ad Paradiſi deſcriptionem.

Deſcribit autem duas præcipuas qualitates illius horti: quibus, quanta fuerit illius amœnitas, elegantia, atque etiã feracitas, luculentiſſimè demonſtratur. Prima qualitas eſt, quòd fuerint ibi omnis generis arbores, tum ad ſpectandum iucundiſſimæ, tum ad edẽdum ſuauiſſimæ. Optimos enim ſuauiſſimóſque fructus proferebant. Altera qualitas fuit, quòd à fluuio totum hortum cingente, hortus ille perpetuo irrigabatur: & quòd ille fluuius in 4. porrò diuiſus capita, iucundiſſimum horto præbebat conſpectum. De prima horti qualitate ſic ait:

VIII. verſ. 9 *Et germinare fecerat Iehoua Elohim è terra omnem arborem concupiſcibilem ad viſum* (id eſt, viſu) *& bonam ad eſcam.*

Omnem arborem (inquit) *&c.* Nullum igitur arborum genus, quæ eſſent & iucundæ viſu, & ſuaues ad veſcẽdum, deſiderari poterat in illo pomario. Ita copiam omnis generis bonarum arborum notat Moſes his verbis. Dicendo verò, *Concupiſcibilem viſu, & bonam ad eſcam*: omnes qualitates complectitur, quæ in arboribus expeti poſſint. Quærimus enim ex illis, vt vel oblectent viſum; vel fructus adferant, ad edendum ſuaues atque vtiles: quo cum coniungitur & ipſorum fragrantia, qua odoratus oblectetur. Fructus enim arborum, quò ſunt meliores: eò etiam magis odori eſſe ſolent. His autem qualitatibus omnibus præditas fuiſſe arbores quibus conſitus erat; Paradiſus: docet Moſes, dicendo נחמד למראה וטוב למאכל *concupiſcibilem ad viſum*, *& bonam ad eſcam*. Hinc vero colligimus; oblectari rebus pulchris viſum & odoris odoratum: & ſuauibus palatum: minimè per ſe malum eſſe. Talis enim conſtitutionis erat etiam Adamus ante peccatum: vt iis rebus oblectari poſſet ſine peccato; & in hunc finem tales creauerat illas arbores Deus: vt ſcilicet oblectarent Adamum. Sed ſpectandus eſt finis huius oblectationis. Vult enim Deus, vt hinc ad cognoſcendam guſtandámque ſuam ipſius bonitatem & φιλανθρωπίαν accendamur. Ideo Apoſtolus cum cibis gratiarum actionem coniungit: *omnem cibum eſſe bonum, dicens, ſi cum gratiarum actione ſuſcipiatur.*

Cæterùm præter alias arbores, duarum meminit ſingulatium Moſes, quas nobis proponit conſiderandas. Vnam, quæ *arbor vitæ* appellabatur: Alteram, quæ *arbor ſcientiæ boni & mali* dicebatur: Et has dicit fuiſſe in medio Paradiſi. *Et arborem vitæ* (inquit, ſcilicet plantauerat) *in medio Paradiſi: & arborem ſcientiæ boni & mali*: ſubintelligo ἀπὸ κοινοῦ *plantauerat in medio horti*. Nam hanc etiam fuiſſe in medio horti, docet Eua, cap. 3. verſ. 3. Sic enim ad ſerpentem dixit: *De fructu arborum horti veſcimur: at de fructu arboris, quæ eſt in medio horti, dixit Deus, non comedetis ex ea, &c.* Loquebatur autem de arbore ſcientiæ boni & mali. Duæ hæ arbores in medio Paradiſi, præter veritatem hiſtorię, magna etiam continent myſteria, & multarum ſunt rerum ſacramenta. Sed de veritate hiſtoriæ nos propriè agimus: qui opera Dei tractamus. Dicam igitur de prima: pòſt de altera.

Principio conſtat vtramque fuiſſe in medio Paradiſi: Vnam igitur vicinam alteri fuiſſe. Deinde, quòd prima vocata fuerit arbor vitæ, ſeu חיים bifariam intelligi poteſt: aut quod eſſet viuens, ſicut ante נפש חיים pro anima viuente. Sed hic ſenſus nihil ad rem: aut quod eſſet viuificans: atque hic ſenſus quadrat. Verũ, hoc quoque intelligi poteſt: aut quod viuificauit animam, aut corpus. Prima non habet locum. Solus enim Deus viuificare animam poteſt: Et, ſi caro Chriſti per ſe ſola, non prodeſt quicquam ad ſalutem animæ, multo minùs arbor illa. De vita igitur, quam adferat corpori: intelligenda ſunt, quæ de arbore vitæ dicuntur.

Cæterùm

Cæterùm etiam hoc multiplicem poteſt habere ſenſum: quod ſcilicet illa arbor, vitam adferat corpori: nempe, aut temporalem, vt noſtri cibi, qui vitam ad tempus, alendo calore, humoréque naturali, & animali, ſuſtentant; aut perpetuam, hoc eſt, efficiendo, vt à quibus ſumerentur, idque non ſemel, ſed ſubinde, ij non poſſent mori. Iuxta priorem ſenſum, non poſſunt hæc verba intelligi. Hoc enim præſtabant reliquæ arbores. Ergo alter ſenſus, eſt huius loci proprius. Atque hic eſt, quem Auguſtinus adſert tom. 5. de Ciuit. Dei. libr. 13. cap. 20. Summa hæc eſt: Reliquarum arborum fructus, ad hoc fuiſſe deſtinatos, vt moleſtiam famis & ſitis tollerent: ſed huius fructum, eò fuiſſe ordinatum; vt ſumptus, ſed ſubinde, præſtaret homini vim, qua nunquam vel ægrotaret, vel infirmari, vel ſeneſcere poſſet; eóque nec mori: ſed in eodem & perpetuo virium vigore & robore viueret. Hæc fuit vis data illi arbori, & nunquam adempta: eóque naturalis quodammodo illi fuit. Et hanc ob cauſam, poſt peccatum, poſitus fuit Cherubim ad portam Paradiſi, qui arceret quicunque vellet ingredi, & de fructu arboris vitæ edere; idque ne viueret ſemper hoc vitæ genus. Hæc cauſa eſt, cur arbor vitæ appellata fuerit. Interpres eſt Auguſtinus inprimis: deinde alij omnes. Et Beda ſic ſcribit de hac arbore. vt etiam citatur à Lombardo Sentent. lib. 2. diſt. 17. *Lignum autem vitæ dictum eſt: quia diuinitus accepit hanc vim, vt qui ex eius fructu comederet* (ſcilicet ſtatis temporibus) *corpus eius ſtabili ſanitate, ac perpetua ſolid. ate firmaretur, nec vlla infirmitate, vel ætatis imbecillitate, in deterius, vel in occaſum laberetur.* Hæc Beda. Neque hoc mirum videri debet. Si enim aliis cibis dedit vim ſuſtentandi naturalem calorem & humorem; cur non & huic vim dare potuit, vitam ita conſeruandi: vt non poſſet Adamus vel ſeneſcere, vel in morbos incidere, vel mori? Atqui res, nihil tale iam reperitur. Verum: ſed quid ita? Quia ſtatutum eſt omnibus ſemel mori: multa tamen reperiuntur, quæ modicè & ſuis temporibus ſumta, præſeruant hominem à multis morbis, vitam ſeruant firmam, viréſque præbent & vitam (vt loquitur vulgus) prolongant. Quid igitur mirum, quod tum talis arbor fuerit condita, cuius vis eſſet præſeruare à morbis, ab imbecillitate, à morte? Hoc autem conſecutus fuiſſet Adamus, & eius poſteri: ſi fuiſſet Dei mandato, de non edendo ex altera arbore, obſequuti. Atque hæc de vi arboris vitæ, & cur ita fuerit appellata.

Altera arbor, cur *arbor ſcientiæ boni & mali* vocata fuerit: certum eſt non ideo fuiſſe vocatam, quod ipſa ſciret bonum & malum, ſed quod faceret ſcire, alios bonum & malum.

Verum quomodo hoc etiam poſſet efficere: diuerſæ ſunt ſententiæ. Quidam ſenſerunt, (vt Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 3) fuiſſe vim traditam huic arbori, vt ſiquis ex ea ederet, acumen ingenij ſibi acquireret, quo poſſet omne malum, & omne bonum cognoſcere: & fieri omnis boni & mali ſciens. Sed puerilis eſt ſententia. Sunt tres aliæ meliores & digniores. Prima eſt Auguſtini, à futuro euentu, ſic fuiſſe appellatam. Ex eo, quod de hac arbore contra mandatum Dei comederunt Adamus & Eua, factum eſt, vt cognoſcerent bonum: bonum ſcilicet fuiſſe, ſi obtemperaſſent voci diuinæ: & cognouerint malum, malum ſcilicet hoc eſſe, quod non obedierint Deo. Ergo ab euentu ſic fuiſſe appellatam. Exempla adferuntur ex ſcripturis. Sic etiam Num. 11. & 27. Aquæ illæ. vocatæ fuerunt, *aquæ contradictionis & litigij*: quòd ibi populus Dei reſtiterit, & litigium exciterit. Hæc eſt recepta. Alij, quod de hac arbore primum lata ſit lex, *Ne comedas*. Proprium autem legis, bona docere, ac mala indicare. Ergo arbor ſcientiæ boni & mali: quòd indicaret quid bonum, quid malum, non quidem per ſe: ſed quatenus vetitus à Deo ipſius tum erat eſus. Tertia eſt, ita appellatam: quod vera eſſet regula cognoſcendi quid bonum, quid malum coram Deo. Non arbor ipſa per ſe ſola: ſed cum præcepto Dei coniuncta, hoc faciebat. Quid enim bonum? Id quod Deus vult. Quid malum? Quod Deus vetat. Hæc eſt anima legis; & definitio veri boni & mali. Hoc nullibi poterat meliùs cognoſci, quàm ex illa arbore. Quid enim mali erat per ſe, edere ex arbore illa? Nihil. Quid boni, non edere? Nihil. Sed ideo bonum non ediſſe: quia Deus vetuerat. Ideo malum ediſſe: quia contra mandatum Dei comeſtum eſt. Ergo ideo arbor ſcientiæ boni & mali: quia viſibilis regula fuit, qua cognoſceretur bonum & malum: non per ſe, ſed propter mandatum Dei adiunctum: ſicut & reliqua omnia faciunt ſacramenta, verba viſibilia. Ratio, cur hæc interpretatio placeat præ aliis, eſt, quia hæc fuit prima lex Dei, vnde omnes reliquæ pendent. Oportuit igitur hanc eſſe vim totius legis; qua doceretur, quid bonum, quidve malum. Simplex autem & abſoluta boni & mali definitio eſt, quæ ſic habet: illud eſſe bonum, quod Deo placet; malum, quod diſplicet: eóque non eſſe definiendum bonum vel malum, ex natura rerum; ſed ex voluntate Dei. Atque hoc apertè docuit illa arbor, tanquam ſacramentum voluntatis diuinæ. Quid enim mali erat per ſe edere ex illa arbore? Nihil. Sed propter voluntatem duntaxat Dei vetantis. Ergo ideo arbor ſcientiæ boni & mali, vocata eſt; quia index fuit voluntatis diuinæ: quæ regula eſt omnis boni & mali. Quoties enim illa arbor conſpiciebatur ab Adamo, ipſe admonebatur docebatúrque, ne ſua prudentia iudicaret de bono & malo: quia ſi ſic fecerit, facilè hallucinabitur, & hallucinatus grauiter peccabit: ſed iudicaret bonum & malum ex ſola Dei voluntate: id quod poſtea comprobauit euentus, cum peccarunt. Atque in hac ſententia illud me confirmat, quod Deus hanc arborem, antequam ex ea ederetur, vocauit ipſe; arborem ſcientiæ boni & mali. Nam verſu 17. dixit Adæ, *de arbore ſcientiæ boni & mali, ne comedas: ex hac* (inquam) *ne comedas*. Ergo non à ſolo euentu ita fuit appellata: ſed ab officio quod faciebat, & ad quod erat deſtinata, docendi ſcilicet quid bonum, quidve malum eſſet. Quare ſi duæ hæ rationes coniungantur, & poſterior, priori loco ponatur, prior autem poſteriori; veram plenámque cauſam habebis, cur hæc arbor, arbor ſcientiæ boni & mali, appellata fuerit.

Cæterum hæ duæ arbores, illæque in medio Paradiſi, & ſibi inuicem vicinæ, apertiſſimi fuerunt typi legis & Euangelij ſeu Chriſti. Lex docet, quid bonum, quidve malum: Chriſtus vita eſt vera, atque æterna. Vtraque in medio Paradiſi: quia lex & Chriſtus, in medio Eccleſiæ, ſemper proponendi ſunt filiis Adæ. Vna prope alteram; quia lex ducit ad Chriſtum.

Nũc tenemus primam illius horti qualitatem, qua quàm ſuauis, elegans, vtilis & ſalutaris fuerit, tum animæ, tum corpori, liquido apparet. Erat enim omnis generis arboribus conſitus: ac inter alias habebat primo arborem, quæ vitam perennem præbebat corpori, animæ autem promittebat: Secundo, arborem quoque habebat, quæ docebat eum, quid bonum, quidve malum eſſet coram Deo.

Subdit Moſes alteram qualitatem, quæ ad horti tum amœnitatem, tum fœcunditatem pertinebat, dicendo:

IX verſ. 10. *Et fluuius egrediens ex Heden ad irrigandum, &c.*

Bifariam conſtrui poſſunt hæc verba: primo ſic, vt nonnulli volunt, Et fluuius egrediens (id eſt, qui egrediebatur ex Heden) erat ad irrigandum hortum. Vt nomen נהר diſtinguatur à principio יצא & conſtruatur cum להשקות: Secundò ſic, vt omnes legunt: Et fluuius egrediens erat, id eſt, egrediebatur ex Heden, ad irrigandum hortum. Sed ad rem quod attinet, vtraque lectio idem docet. Duo autem præcipua dicit de hoc fluuio. *Primò*: Vnde & quò flueret: & in quem vſum flueret. Fluebat ex Heden, in hortum, horti irrigandi cauſa. *Secundò*, ipſius fluminis diuiſionem: an manſerit vnus, an verò diuiſus fuerit in partes: & ſi diuiſus, vbinam, & in quot partes, & quæ iſtæ fuerint.

De *primo* ait; *Et fluuius egrediebatur ex Heden, ad irrigandum hortum. Fluuius* (inquit) *egrediebatur ex Heden*. Vnus igitur erat tantùm fluuius in ipſo Heden, vnde in hortum fluebat: etiamſi vltra Heden fortè plures erant; qui poſtea in vnum coierint, vt ſæpe fit. Sic autem ſe rem habuiſſe, docent Geographi & boni interpretes. Hinc etiam, cùm ait, *egrediebatur ex Heden*, colligitur, Moſem hic non loqui de prima fluminis origine, vndénam ſcaturiret, ſed tantùm de proximo ipſius fluxu in hortum. *Ex Heden* (inquit) *fluebat in hortum*. Quare longiùs & vltra Heden, ſuum habebat hortum. Tria quoque hic loca, quorum vnus in alio erat, apertè monſtrantur: *hortus, Heden, Oriens*. Hortus erat in Heden; Heden in Oriente. Sunt autem duæ Orientis partes: Vna illuſtris & celebris in ſacris literis, eáque fœliciſſima. Hæc continet Arabiam, & quicquid ei adiacet: Chaldæam, Babyloniam, ſinum Perſicum. In hac erat Heden, totáque Meſopotamia, eóque hortus Paradiſiacus. Et ex hac Orientis parte, venerunt Magi ad Chriſtum; ex Arabia ſc. Altera pars obſcura eſt, & quaſi ignota ſcripturis: quòd ſc. nulla fere huius fiat mentio. Ea eſt, quicquid vltra Babyloniam, verſus Solis ortum, continetur: Perſis, India intra & extra Gangem. Cùm verò dicat, *egrediebatur ex Heden*. & omnis fluxus fluminum fiat à ſuperiori parte in inferiorē: colligimus, fluuium iſtum, hortũ ſuum duxiſſe, ex altiori loco, vltra illam Orientis partem, in qua eſt Meſopotamia & Heden. Experientia autem ipſa manifeſtum eſt, in hanc Orientis partem, fluere Euphratem & Tigrim, ex monte Tauro: quanquam diuerſis ex fontibus: non procul tamen diſſitis. Sic itaque ſentiunt peritiores, & qui diligenter de tota hac re inquiſiuerunt: Euphratem & Tigrim, è monte Tauro ortos, per plana fluxiſſe, & adhuc fluere in ſinum Perſicum: ibique in vnum coiiſſe, vltra Heden: & ita vnum è duobus fluuiis effectum; ex Heden in hortum manaſſe. Atque ita optimè

cum hiſtoriis & Geographia, congruit hæc Moſis deſcriptio: cum ait, *Et flumius egrediebatur ex Heden ad irrigandum hortum.* Manifeſtum eſt Meſopotamiam, ab Euphrate & Tigri allui & irrigari, vnde & Meſopotamia dicitur: quòd media ſit inter hæc flumina. Eſt etiam certum, vtrunque fluuium coire in vnum in finibus Meſopotamiæ, ad Seleuciam, Syriæ vrbem ampliſſimam. Itaque primum caput, quod tradit de hoc fluuio Moſes, à quo irrigabatur Paradiſus, perſpicuũ eſt, fuiſſe ſcilicet vnum fluuium: qui ex Euphrate & Tigri coaluerat in Heden, in finibus ſcilicet Meſopotamiæ.

De altero ſic ait: *Et inde diuidebatur, & erat in quatuor capita.*

Tria dicit, primùm, quòd diuidebatur. De hoc nulla eſt controuerſia. Deinde, quòd in quatuor erat capita, ſeu partes præcipuas diuiſus: hoc etiam nihil facit negotij. Denique, quod inde משם *diuidantur.* Hæc particula variè explicatur. Quidam interpretantur, משם, id eſt ab Heden vnde fluebat: idque bifariam intelligunt. Alij enim ſentiunt, hunc fluuium diuiſum fuiſſe, antequam in hortum perueniſſet, in quatuor capita, & hæc quatuor capita, in hortum fluxiſſe, eúmque irrigaſſe, & ex horto etiam, in varias Mundi partes manaſſe. Probatur hæc Scholiaſtæ in 24. Eccleſiaſtici, vbi Deus conferens largiter ſua dona in Eccleſiam, comparatur iis 4. fluminibus, Paradiſum irrigantibus. Alij tamen volunt, fluuium à ſuperiori parte, qua in hortum influebat, duo habuiſſe capita, Euphratem & Tigrim: qui (vt ſuprà diximus) in vnum poſtea coeuntes, fluuium vnum efficiebant: à quo hortus irrigabatur. Ab inferiori etiam parte, qua è Paradiſo effluebant, eundem curſus fluuium, in duo itidem alia capita diuiſum, alia duo accepiſſe nomina: Piſonis ſcilicet, & Gichonis: atque ita reuera duo tantùm fuiſſe flumina, Euphratem & Tigrim: ſed quatuor nominibus appellata, duobus ſupra hortum, & duobus infra hortum; id quod inſolens non eſt. Sæpe enim contingit, vt idem flumen, mutatis alueis, mutet etiam nomina. Itaque exiſtenti in regione, vbi erat hortus, omnino quatuor occurrebant flumina: duo ſupra, & duo infra hortum. Proinde obſeruant, Moſem non dixiſſe, *Et inde diuidebatur in quatuor capita:* quaſi egreſſum ex horto, in quatuor capita diuideretur. ſed dixiſſe, *diuidebatur:* Et poſtea, *Et erat* (ſcilicet, partim ſupra, partim infra) *in quatuor capita.* Atque hæc ſententia, meis etiam obſeruandis collegis & doctiſſimis viris, *Immanueli*, & *Fr. Iunio*, placuit, qui diligenter hunc locum examinarunt. Sunt tamen, qui illud משם referant ad hortum: vt ſit ſenſus, fluuium quidem tantum vnum, per Paradiſum tranſiiſſe: ſed poſtmodum egreſſum è Paradiſo, inde in quatuor capita fuiſſe diuiſum. Atque in hanc ſententiam inclinat Martyr, quia maior pars interpretum eam ſequuntur. Steuchus in ſua Coſmopœia de tota hac re non impetitè diſputat: examinatis tum hiſtoriis ſacrarum literarum, tum profanis ſcriptoribus: & ad extremum, in hæc verba concludit. (huius enim iudicium in hoc negotio magnifacio. *Vna eſt* (inquit) *regio Heden: quam quatuor circumeunt, & influunt flumina: inde* (id eſt, ex Heden) *petentia propinquas terras. Tigris & Euphrates. Meſopotamiam: Piſon & Gichon, Arabiam: hinc Cuſæos, illinc Chaulataos. Adiacens autem Meſopotamia & Arabia. Ac quanquam hæc duo poſteriora flumina, non commemorantur à Geographis: ſciso tamen eos maiora flumina celebrare: innumera minùs inſignia omittere. Piſon & Gichon non inclyta: nec lata flumina, ſuſpicor eſſe: ſed multò Tigri & Euphrate minora. Atque arbitror, qui primùm ſolus Euphrates eſt, & poſtea commiſcetur Tigris appellari primùm Euphratem deinde hunc ipſum mixtum cum Tigri, Tigrim dici. Ex Euphrate autem, vbi Arabiam & Syriam attingit, duos amnes diuidi. quorum alter Chaulataæos, alter Cuſæos præterfluit: ſicque fieri, vt ex vno fluuio, qui locum voluptatis allueret, fierent quatuor flumina. Primum Euphrates eſt ipſe ſolus: qui idem poſteà cum Tigri commixtus illique nomen Euphratis amittens, ab incolis Tigris appellatur. Fit autem id in Babylonia, ſupra locum, qui dicitur Teredon. Antequam autem Euphrates cum Tigri miſceatur: ſolus iſte duos alueos, aut eruptiones faciens, verſus Arabiam proficiſcitur.* Hæc Eugubinus ſcriptor alioqui non contemnendus. His explicatis, faciliora ſunt, quæ de nominibus 4. fluminum ſequuntur. Pertinet autem hæc deſcriptio ad confirmandam hiſtoriam de Paradiſo terreſtri. Ait igitur:

X. v. 11. *Nomen vnius Piſchon ipſe eſt, qui circuit totam terram Chauila, vbi eſt aurum.* v. 12. *Et aurum illius optimum, ibi eſt Bdellium, & lapis Onychinus.*

Piſchon, multis eſt Ganges, ſed falluntur. Aliis eſt Nilus. Sed neque hæc vera eſt. Noſtro D. Immanueli, eſt *Tigris*, non ſimpliciter, ſed poſtquam reliquit regionem interamnem, hoc eſt Meſopotamiam, vſque dum influat in mare. Eugubino, amnis eſt obſcurus, ab Euphrate, vbi Arabiam & Syriam attingit, fluens.

It circuit totam terram Chauila, vbi eſt aurum.

Non quod omni ex parte cingeret illam regionem, ſed quòd per totam regionis illius latitudinem longo viarum flexu, delaberetur, multos faciens circuitus. Eugubinus oſtendit, ex Euphrate amnem oriri, qui præterfluat regionem Chauila: & hunc vocari *Piſchon* à Moſe: quanquam Geographi eius mentionem non faciant. Eſt autem hæc regio non procul à Perſide ſita. Copiam autem adferat auri optimi, & lapillorum pretioſorum, vt docet Moſes, & primus liber Melachim cap. 10. Cum Chauila, Ophir quoque coniungitur. Bdellium quidem duntaxat nominat Moſes, & Onychinum κατ' ἐξοχὴν: ſed alios non excludit lapillos.

v. 13. *Nomen ſecundi fluuij, Gichon: ipſe circuit totam terram Chus.*

Gichon à multis putatur Nilus, ſed non eſt verum. Nili origo ita incertum eſt, vt in prouerbium venerit, illum *Nili caput quærere:* qui rem inuentu impoſſibilem quærit. *D. Tremellio* eſt Euphrates infra hortum, ab eo ſcilicet loco, quo rurſus ſeparatur à Tigri. Eugubino eſt amnis alter qui ex Euphrate, vbi Arabiam & Syriam attingit, effluit, & Cuſæos præterfluit. Hæc non multum differt à ſuperiore. Quidam volunt eſſe Siloha: de quo fluuio in Euangelio fit mentio. Et hac adducuntur ratione: quia 1. Malach c. Dauid iubet adduci Salomonem vnctum ad Gichon: Gichon autem Paraphraſtes Chaldæus vocat *Siloham*.

Terram *Chus*, omnes interpretantur Æthiopiam: à Chus, filio Cham, illius regionis parente. Intelligit autem hic non illam Æthiopiam, quæ eſt in Ægypto: (illam enim non alluit hic fluuius) ſed illam, vbi Madianitæ, Iſraelitis vicini.

v. 14. *Et nomen fluuij tertij Chiddekel, Ipſe eſt qui pergit ad orientalem plagam, ante Aſſur.*

Hic eſt, de omnium ſententia, *Tigris*. Sed Tremellio noſtro, hoc nomine vocatur, ab eo duntaxat loco, vbi naſcitur, vſque ad locum vbi cum Euphrate coniungitur. Nam vbi rurſus disiungitur, vocari vult eum *Piſchon*. Eſt autem notandum, hæc nomina terrarum fluuiorúmque, non tunc fuiſſe impoſita, cùm fuerunt creati, & cum irrigarent Paradiſum, ſed poſtmodum, vt liquet. Nondum enim erant nati illi, vnde nomina ſunt deſumpta. Suum ergo tempus reſpexit Moſes.

Hæc eſt horti Paradiſiaci deſcriptio, cum ſuis arboribus & fluminibus; quæ eo ſpectat; tum vt appareat, hunc hortum fuiſſe non in cœlis, aut in aere, ſed in terra: & in quanam terræ parte, cum etiam, vt quanta fuerit illius amœnitas atque fœcunditas, quiſque intelligere & cogitare poſſet, ac proinde omnibus innoteſceret, quanta fuerit Adæ fœlicitas: qui non ſolùm ad imaginem Dei factus fuerit, anima plena diuinæ ſapientiæ atque iuſtitiæ, corpore pulcherrimo, & facultate nunquam ſeneſcendi aut ægrotandi, donato: verùm etiam qui locatus erat in loco omnium amœniſſimo, optimo, fertiliſſimo, omníque arborum præſtantiſſimarum genere referriſſimo; & vbi fructum etiam habebat, ex cuius eſu poterat ſe, in vita ſemper felici conſeruare: modo vni ſimpliciſſimo Dei mandato, obtemperare voluiſſet. Erat enim æquum, vt Adamus omnium rerum conſtitutus Dominus, & quaſi alter Deus in terris, cui nihil ad verè, bene, beatéque viuendum pertinens deerat; vni ſaltem Deo, ſuo ſcilicet creatori, ſeſe ſubiectum eſſe cognoſceret, eique obtemperaret. Sequitur ergo id, cuius cauſſa deſcriptus fuit Paradiſus.

XI. v. 15. *Et tulit Iehoua Elohim Adamum, & poſuit eum in hortum Heden, ad colendum eum, & ad cuſtodiendum eum* (ſcilicet hortum.)

Suprà in propoſitione ſimpliciter dixerat, *Iehouam poſuiſſe hominem in Paradiſum.* Nunc explicatis Paradiſi qualitatibus, & quàm felix fuerit ille locus: conſequenter explicat, quibus conditionibus in eo loco collocarit Deus Adamum: & ibi eum eſſe voluerit. Duæ autem fuerunt conditiones: vt ne ibi otioſus viueret: ſed ortum coleret & cuſtodiret. Hanc habemus verſ. 15. Altera, vt liceret quidem ei de omni arbore edere: præterquam ex vna, quam ſcientiæ boni & mali arborem vocauit. Hanc habemus in verſ. 16. & 17. Subiicitur tertio loco pœna: ni præceptum Dei ſeruet, verſ. 17. *Et tulit Iehoua, &c.* Primò euincitur, ergo Adamum non fuiſſe in Paradiſo creatum: ſed in eum aliundè tranſlatum: eóque docetur, hoc fuiſſe illi ex gratia datum; non autem ex prima natiuitate debitum. Quare multo minus cœleſtis Paradiſus debetur noſtræ naturæ: ſed ſoli Dei gratiæ. Eſt autem idem Iehoua, qui hominem tulit è loco extra Paradiſum, ínque Paradiſum tranſtulit, per ſuam gratiam: & qui eundem è Mundo in cœleſtem Paradiſum induxit, omneſque electos inducet. Hic verò eſt Chriſtus: *Ego* (inquit) *aſſumam vos ad me ipſum* Ioh. 14. Item: *Vado paratum vobis locum.* Ibidem. Matth. 25. Item, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à iactis Mundi fundamentis.* Summa: ſicut Adamus non fuit in Paradiſo terreſtri, niſi poſitus ibi à

Deo

Deo per gratiam: ſic nemo ex filiis eius, aut in Eccleſiam, in Cœlum ingredietur, niſi à Chriſto, ex ipſius gratia; in illud è Mundo transferatur. Dubium enim non eſt: quin illa prior Paradiſus, typus fuerit & Eccleſiæ, & regni cœleſtis. Atque hoc collectum eſto ex illis verbis: *Et tulit Iehoua Adamum, & poſuit eum in Paradiſum.*

Subdit primam conditionem, qua voluit Adamum eſſe in Paradiſo, *Ad colendum*, inquit, *eum, & cuſtodiendum eum*, nempe hortum. Nam גן hortus, fœminini generis eſt: & ipſum affixum ה fœmininum itidem eſt. Itaque inepta eſt interpretatio, Adamum in Paradiſo poſitum, vt coleret Deum, & vt Deus cuſtodiret eum, id eſt, Adamum. Senſus eſt planus: Deum voluiſſe, Adamum eſſe huius pulcherrimi & fertiliſſimi horti colonum atq; cuſtodem. Sed (inquies) opúſne habebat ille hortus cultura & cuſtodia? Non ipſe hortus per ſe: potuiſſet enim à Deo, in ea conditione, qua plantatus erat, conſeruari: ſed homo opus habebat hoc exercitio: ne ſcilicet otioſus in horto tam delitioſo & voluptario, viueret. Nihil enim aut Deo ingratius, aut homini pernitioſius, otio otioſo. Fomes enim eſt omnium vitiorum, & qui nihil agit, nulláque in re ſe reddit vtilem: indignus eſt, qui viuat ſuper terram. Ideo in Euangelio, plantæ ſterili dixit Agricola, *Vt quid etiam occupat terram? Et mox eam ſuccidit*. Deus ipſe nunquam otioſus eſt: *Pater meus vſque nunc operatur, & ego operor.* Nec Angelos voluit eſſe otioſos; ideo illos fecit adminiſtratorios ſpiritus. Cœli nunquam otioſi ſunt, nec ſtellæ, nec elementa, nec vlla deniq; res creata. Omnia ſeſe exhibent vtilia Mundo. Ergo neq; decebat hominem viuere otioſum: præſertim in horto Eden, id eſt, pleno voluptatum & deliciarum. Eſt enim miranda antitheſis, inter culturam horti & eius voluptatem. Ab Eden enim volunt quidam deductam vocem ἡδονὴ. voluptatem. Otium ſemper eſt malum, & omnibus, ſed tum potiſſimum, cum quis in delitiis eſt, & voluptatibus abundat. Exempla ſunt etiam in ſcripturis: vt de Sodomitis, quorum regio erat vt Paradiſus Dei, ait ſcriptura. Et de populo Iſraelitico, apud Prophetas, maximè Ezech. 16. Deus igitur voluit voluptatem, quam dederat Adamo, temperare aliqua occupatione, honeſtoq; exercitio. Atq; hinc habemus, quódnam fuerit primum hominis exercitium: Agricultura. Nihil iſta laudabilius: cùm etiam ante peccatum, locum habuerit in Paradiſo. Laudes agriculturæ paſſim repeiuntur, apud profanos etiam ſcriptores: & quàm iſta delectarentur Romani, qua ſuam recrearent ſenectam, notum eſt. Exemplum M. Valerij Coruini, qui ad centeſimum annum vitam produxit; & in agris ſemper erat: Cicero ſumma cum laudatione refert in ſuo Catone. Eſt etiam res verè homine digna. Verùm enimuero videtur hic locus pugnare cum altero in cap. 3. vbi in pœnam peccati iniunxit Deus Adæ, *vt coleret terram, & in ſudore vultus ſui veſceretur pane.* Diſcrimen magnum eſt inter agriculturam homini ante peccatum, & poſt peccatum iniunctam. Poſt peccatum, fuit cum labore, pœna, ſudore, & ad neceſſitatem, qualis eſt agricultura ruſticorum, qui agros colere coguntur, ſi viuere velint. ideo dixit Deus, *Maledicta terra propter te, in labore comedes ex ea.* Item, *Spinas & tribulos geret tibi, in ſudore vultus tui, &c.* At ante peccatum, longè diſſimilis fuit agricultura: ad tollendum duntaxat otium ordinata: qualis eſt agricultura, qua nobiles delectantur: ita vt etiam illud exercitium magna cum voluptate coniunctum ſit.

Illud verò prætereundum non eſt: quód Paradiſus illa, typus fuit Eccleſiæ. Ergo, qui in Eccleſia poſiti ſunt, diſcant, ſe non eſſe hic poſitos, vt otioſi viuant, ſed vt pro ſua quiſq; virili, colat Eccleſiam, eámq; cuſtodiat: & quo quiſq; in altiori loco poſitus eſt, vt Principes & Epiſcopi, eò etiam meminerint, ſui magis, quàm aliorum eſſe officij, colere & cuſtodire Eccleſiam, ſeruare diſciplinam, iuſtitiam facere, pacem cuſtodire: ideo in Eccleſiaſte reges vocantur *cultores terræ*. Et Apoſtoli, *agricolæ*: *Ego plantaui* (dicebat Paulus) *Apollos rigauit: Deus autem incrementum dedit.* Hinc fit, vt Eccleſia comparetur agro & vineæ; in quibus ſemper laborandum ſit agricolis.

Cæterùm in verbo, *colendi*, ſtudium bonorum operum notatur; in verbo autem *cuſtodiendi*, perſeuerantia in bonis operibus ſignificatur. Vtrumque coniunxit, quia vtrumque eſt neceſſarium. Non enim qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et, *Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri*, dicebat ille. Οὐδ᾽ αὖ ἴλη (dicebat Bias) βιώσιμος πρὸς ἀνάγκην nempe in rebus bonis atque honeſtis. Ac de prima conditione ſatis. Sequitur iam permiſſio ciborum.

XII. v. 16 *Et præcepit Iehoua Elohim ſupra Adam. &c.*

Notant Hebræi verbum צוה cum propoſitione על ſignificare non ſimpliciter, *præcipere*, ſed, *mandare interdicere*: itaque vertendum eſſe; *Et interdixit Adæ*. Quid? nempe licet ei permitteretur edere de omnibus fructibus aliis, ne tamen ederet de fructu arboris ſcientiæ. Neque enim hîc propriè præcepit, vt comedat de omnibus fructibus: ſed tantùm hos omnes permittendo interdicit fructu arboris ſcientiæ. Itaq; ſic vertendus eſt verſus: *Et interdixit Iehoua Elohim Adamo, dicendo: Ex omni quidem arbore huius horti, comedendo comedes* (id eſt, liberè cùm volueris, comedas:) *et de arbore ſcientiæ boni & mali, ne comedas* (nempe) *ex hac.*

Duo ergo hîc habemus: permiſſionem ciborum, & interdictum arboris ſcientiæ boni & mali. Fecit hîc Deus, ſicut ſolent boni domini, qui agricolis aliquem committunt fundum vel hortum. Concedunt illis, vt ex omnibus fructibus veſcantur: (quia æquum eſt, vt qui colit terram, aut vineam, de fructibus eius edat, vt docet Apoſtolus) ſed aliquam etiam ſibi arborem ſeruare ſolent; mandántque ne vllo modo quicquam ex illa tollant. Sic ſe geſſit hîc Deus erga Adamum. Copiam enim omnium fructuum ei facit: vnum tantùm genus excipit. Annon verò hoc æquiſſimum erat? Debebat enim Deus agnoſci ab Adamo, pro vero ſuo Domino & Deo. Ait ergo:

Et interdixit Iehoua, &c. Hic habemus primum ſermonem, quem fecit Deus ad Adamum. Nunc enim primùm eum alloquitur, dicendo, *Ex omni arbore comedere, &c.* Sed non dubito quin priùs ei ſignificauerit, ſe eſſe illius Deum, ſicut & Exodi facit, daturus legem. Quomodo verò eum allocutus eſt? Ego non dubito, quin hæc omnia facta ſint non in ſola mente, ſed externe & viſibiliter, per Filium Dei, ſpecie humani corporis veſtitum. Nam quam præſtitit Moſi, Iacobo, Abrahæ, & multis aliis gratiam; nempe vt illis viſibiliter appareret, & familiariter, atque ore ad os, vt loquitur ſcriptura, eos alloqueretur; hanc denegatam fuiſſe primo homini, ſummo Dei amico, ad imaginem Dei perfectiſſimam creato, nullo modo crediderim. Tres commemorantur in ſcripturis modi: quibus Deus loquebatur Prophetis: aut in ſomnis, aut in viſione (imaginaria ſcilicet:) aut ore ad os, ſpecie corporis viſibili aſſumta: vt habemus Num. 12. Illi duo priores modi communes fuerunt aliis Prophetis, ſed tertius conceſſus Moſi, tanquam fideliſſimo ſeruo, ſummóque amico Dei. Cùm verò Adamus, ante peccatum præſertim, talis ac tantus eſſet Dei amicus, ſentiendum omnino eſt, hanc illi cumprimis gratiam fuiſſe factam: videndi ſcilicet Deum in ſpecie corporali, eúmque loquentem audiendi. Et ſic ſentiunt Patres, Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Euſebius, Ambroſius, Auguſtinus, & alij. Et certè ſic euincit locus Gen. 3. vbi legimus, *Adamum audiuiſſe vocem Dei deambulantis in horto.* Hic autem ſemper fuit Filius Dei, qui apparuit Patribus, & cum eis locutus eſt, vt ſuprà quoque oſtendimus. Eſt locus apud Euſeb. de demõſtratione Euangelica pulcherrimus: ἐπιμέμνηται γοῦν ὡς πολλοῖς αὐτοῖς ὁ Μωσῆς, τῆς ἐπιφανείας τῶν θεοφιλῶν, καὶ πολλάκις χρηματίσαντος αὐτοῖς τοῦ ἀνηγγελμένου ποτὲ μὲν Θεοῦ καὶ κυρίου ποτὲ δὲ ἀγγέλου Θεοῦ προσαγορευθέντος. Θεὸς μὲν καὶ κύριος τῶν θεοφιλῶν αὐτῶν ἀναγγελλόμενος, ἄγγελος δὲ τοῦ ἀνωτάτω πατρός. Obſeruandi ſunt hi loci: quibus quid ſit Chriſtus, apertè docemur. Chriſtus igitur ille eſt Iehoua, qui tulit Adamum & poſuit in Paradiſum: & eum eſt allocutus, & quem poſt peccatum audiuit Adamus deambulantem in Paradiſo.

Interdixit ei dicendo, &c.

Hinc colligimus, verba hæc fuiſſe facta ad Adamum, idque die ſexta: nondum enim creta fuerat Eua: quæ tamen & ipſa ſexta die creata fuit. Interim tamen præceptum hoc non ad Adamum ſolum; ſed etiam ad Euam: vt ipſa etiam teſtata eſt ſerpenti, cap. 3. verſic. 3. imò ad omnes filios Adæ, ſi manſiſſent in Paradiſo, pertinuiſſet: eóque licet nondum eſſent nati: hoc tamen interdicto omnes poſteri tenebantur. Ideo etiam peccante Adamo contra hoc interdictum, omnes nos in illo peccauimus: quia eramus in lumbis eius.

Nunc tenemus, ad quem pertinuerit hoc interdictum, ad Adamum quidem factum fuiſſe immediatè: ſed totum humanum genus in Adamo, Deum fuiſſe allocutum: De arbore ſcientiæ boni & mali ne edas.

De omni (inquit) *arbore comedes, &c.* Duo hîc ſunt loci: Vnus de mercede danda laborantibus, quòd dignus ſit operarius mercede ſua. Deus enim Adæ colono à ſe conſtituto, aſſignat mercedem, cibos ſcilicet, vnde viuat; idque facit largiter & liberaliter, *De omni*, inquit, *arbore comedendo, comedes*, hoc eſt, liberè próque tuo arbitratu. Alter eſt de delectu ciborum non habendo, niſi quibus Deus apertè nobis interdicit. Idcirco ſentio in hac ciborum conceſſione, ſubeſſe præceptum; ne ſcilicet Adamus vllum cibum iudicaret immundum, eóque omnibus bona conſcientia veſceretur quod omnes eſſent mundi; tantùm autem abſtineret ab eo;

quem ipſe interdicebat, bonis de cauſis, non autem quòd ſua naturà immundus malúſve eſſet.

Cæterum in interdicto de non edendo è fructu arboris ſcientiæ boni & mali, tria conſideranda ſunt: Res interdicta fuit duplex: vna externa, eſus ſcilicet pomi arboris ſcientiæ boni & mali. Si hanc conſideras per ſe, res fuit parui momenti. Proinde ſi præcepta Dei æſtimare velimus, à rerum, quæ prohibentur, vel mandantur, qualitate viliſſima & contemtibilia videbuntur. Quid vilius aqua Baptiſmatis? Pane Cœnæ Dominicæ? Nihil enim ſua natura habēt excellētius reliquis aquis & panibus, ac vinis. Proinde qui nihil præterea conſiderant, ea aut contemnunt, aut parui faciunt, eóq; indignè ſumunt: non diſcernentes hæc ab aliis Elementis, neq; à rebus quarum ſunt ſigna. Hinc fit, vt indignè ſumentes, iudicium ſibi ſumant: Id quod etiā Euæ contigit in eſu pomi. Ita præcepta Dei non ſunt ſemper æſtimanda à rebus externis, quæ vel mandantur, vel interdicuntur: ſed ab autoritate iubentis. Ideò dixi, arborē ſcientiæ boni & mali, fuiſſe ita vocatam: quia coniuncta cum mandato Dei, monebat docebátque Adamum, non eſſe de bono & malo iudicandum ex humana prudentia, aut ex rebus ipſis, ſed ex ſola Dei voluntate. Alterum, quod hoc interdicto prohibebatur, erat ſpirituale, nempe, ne affectaret homo ſua prudentia plus ſapere, quàm oportet ſapere: & velle eſſe ſicut Deus, qui ſimpliciter omnia, tam bona, quàm mala, tam futura, quàm præſentia, & omnium rerum cauſſas nouit, ſed captiuaret ſuum intellectum in verbum Dei: & eo verbo, tanquam omnium regula, metiretur omnia, ſciréque tantum eſſe aliquid bonum, vel malum, iuſtum vel iniuſtum, quantum Deus ſuo verbo pronuntiauit, iuſſit, vel vetuit. Hanc humanam prudentiam damnauit, interdicto eſu fructus arboris ſcientiæ boni & mali: eóque à contrario, iuſſit vt ſeſe ſub voluntate Dei, & in eius verbo contineret. Hoc alterum fuiſſe interdictum, liquet primò ex verbis ſerpentis, qui contrarium ſuadebat c. 3. *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Rebellionem enim contra nudum Dei verbum ſuadebat: quæ eſt radix omniū malorum. Secūdò liquet ex verbis Domini poſt peccatum Adæ, deridentis & deplorantis miſeriam hominis: *Ecce,* inquit, *Adamus factus eſt ſicut vnus ex nobis, ſciens bonum & malum.* Hæc fuit medulla illius interdicti diuini: id quod etiam ex lege liquet tradita per Moſem. Quid enim erat illud: *Nihil agas, quod tibi videatur bonum in oculis tuis, ſed fac tantùm, quod tibi præcipio?* Erat idem quod hīc mandauit Adamo; *Ne edas de arbore ſcientiæ boni & mali.* Hoc eſt, quod Paulus etiam explicat dicens Rom. 12. *Nolite ſapere plus quàm oporteat ſapere: ſed ſapite ad ſobrietatem.* Sobrietas autem eſt, cùm quis contentus verbo Dei, nil præterea quærit. Nunc intelligimus, quid interdixerit Dominus Adæ, nēpe non tam externo eſu illius arboris, quàm interno vſu humanæ prudētiæ in iis, quæ Deus iubet vel vetat. Simpliciter enim in voluntatem Dei, quæ in arbore relucebat, intuendum fuiſſe; & ex illa, totam vitam inſtituendam, déque rebus omnibus iudicandum.

Alterum igitur, quod in interdicto, & in omnibus præceptis conſiderandū venit, eſt autoritas Dei mandātis vel interdicentis. Hæc vnica eſt, quæ præceptis dat vim: & efficit, vt ſint vel magna vel parua; vel neceſſaria, vel non neceſſaria; vel bona, vel mala. Ideo Prophetæ, cùm volebant populo oſtendere, ſe adferre grauia & neceſſaria ad ſalutem: nil aliud adferebant, pro autoritate ſuorū verborū confirmanda, quàm Deum ſic eſſe locutum. Idē Apoſtolus facit; cùm ſpeciatim de Cœna loquitur: *Ego, inquit, accepi à Domino.* Sic fides ſemper nititur verbo Dei, non propter rerū, quas credit, euidentiam; (Eſt enim argumentū rerum non apparentium) ſed propter autoritatē loquētis & promittentis Dei. Contra hoc præceptum Dei faciunt, qui nōn contenti verbo Dei, quod verbū vna ex parte docet, Chriſtū aſcendiſſe in Cœlum ſuo corpore, inde nō diſceſſurum, niſi ad iudicādum viuos & mortuos: & ſimilē eſſe nobis in omnibus, excepto peccato: ex altera verò parte docet, ſeſe nobis dare in Cœlum edendum, qui inquam non contenti hac verborum ſimplicitate, diſputationes intempeſtinas excitarunt de tranſſubſtantiatione, de reali vnitione carnis Chriſti cū pane, de Vbiquitate, & id genus aliis pernicioſis quæſtionibus: hi, inquam, contra hoc mandatum peccarunt, quia nēpe plus, quàm oportuiſſet ſapere voluerunt. Hoc eſt, edere de arbore ſcientiæ boni & mali contra mandatum Dei. Sola igitur auctoritas Dei ſatis nobis ſit, qui vtrumq; dicit, & corpus Chriſti in Cœlo eſſe atq; manere, & idem tamē verè nobis communicari, & fide ad carnem Chriſti edendam opus eſſe, non autem dentibus corporis, vt Ioh 6. diſertè docetur. Ita volebat Deus in interdicto pomi arboriſque ſcientiæ boni & mali, ſpectari ab Adamo, non tam fructum ipſum arboris, quàm ſuam auctoritatem: imo hanc in primis ac per ſe, & deinde fructum propter hanc. Hac enim Dei autoritate fiebat, vt fructus illius arboris, adeóq; tota arbor eſſet ſacroſancta: eóq; nemini liceret ex illa edere.

Sed accedebat etiam finis huius interdicti. Ille fuit: vt Adamus inde intelligeret, ſe non talem eſſe Dominum ac Principem in terris, qui non haberet ſe ſuperiorem Dominum, cui eſſet ſimpliciter obtemperandum. Supra ſe enim eſſe Iehouam, ſuum creatorem: cuius voluntas, regula ſit omnis iuſtitiæ, & cui conformanda ſint omnia noſtra conſilia, cogitationes, opera: eóque in ipſum ſemper eſſe intuendum, in ipſo ſperandum, fidendum, ipſum ſemper eſſe glorificandum, timendum, amandum. Summa: Finis fuit, vt inde Adam & Deum, & ſe cognoſceret: Deum, vt verum ſui creatorem: ſe, vt illius creaturam. Deum, vt ſuum Dominum: ſe, vt illius ſeruum: Deum, vt datorem liberaliſſimum omnium bonorum: ſe, vt Dei alumnum, eóque talem, qui, quicquid habebat, totum Deo acceptum ferre, gratiáſque ſempiternas ex animo agere atque habere deberet. Hic fuit finis, vt nemini dubium eſt. In cognitione autem Dei, & hominis tota conſiſtit Theologia. Proinde apparet ex fine interdicti, quòd voluerit Deus eſſe illam arborem in medio Paradiſi: nempe mutum Doctorem, qui ſua ſpecie & forma, tanquam hieroglyphicum quoddam, moneret hominem de voluntate Dei, eúmque doceret, ſupra ſe eſſe Deū, cuius voluntati omnino obtemperandum ſit. Ideo merito appellata fuit *arbor ſcientiæ & mali*: qui in hunc finem ibi poſita fuit, cum interdicto illi adiuncto, vt eſſet ſacramentum diuinæ voluntatis ipſi Adæ, omnibúſque poſteris, in medio Paradiſi. Quare vterque Dei cultus, internus & externus, hic mihi primum videtur inſtitutus fuiſſe: vbi Deus interdixit Adæ eſu illius arboris ſcientiæ boni & mali. Internus enim cultus fuit obedientiæ, honor, reuerētia, amor, fiducia, quibus ab homine volebat affici Deus in illa arbore, ſicut explicatum eſt. Volebat enim Deus hominem, quoties vidiſſet arborem illam meminiſſe ſuæ ſubiectionis, ſuíque officij erga Deum. Hic erat internus cultus. Externus verò, abſtinentia ab eſu illius arboris: debitáque erga illam, tanquam erga Symbolum diuinæ voluntatis, reuerentia atque religio. Non ergo res fuit leuis, interdictio illius arboris, ſed myſteriorum plena. Proinde quòd ex illa etiam ederit Adamus, non fuit leue peccatum: quia totum Dei cultum violauit. Quare neque ſine cauſa huic interdicto, comminationem mortis tam animæ, quàm corporis, tam æternæ quàm temporalis adiecit Deus. Voluit enim ſignificare, ſe rem maximi momenti mandaſſe homini. Sequitur ergo comminatio.

XIII. *Quoniam in die, qua contigeris te comedere ex illa, moriendo morieris,* id eſt, certò & omnino morieris.

Duo videnda ſunt. *Primum*, de quànam morte loquatur Deus. *Deinde*, an eo die, quo comederunt ex arbore, mortui fuerint, vt comminatio habet, ac proinde quis ſit verus ſenſus huius comminationis.

Ad *primum* quod attinet, quia non ſtatim exhalarunt animam, Adamus & Eua; vbi comedīſſent de fructu arboris, ſed per multos annos vixerunt: idcirco nonnulli, vt veritatem comminationis tuerentur, dixerunt, Deum mortem corporis non fuiſſe comminatum, ſed tantum animæ. Eſt autem mors animæ, priuatio gratiæ diuinæ & felicitatis æternæ. Vt enim anima principium eſt vitæ, ipſi corpori, ſic gratia & fauor Dei, hoc eſt, Deus ipſe nobis fauēs, vita animæ eſt: proinde priuari hac gratia, & contrà incurrere in irā Dei, eſt animæ mors: id quod explicauit Apoſtolus, dicēdo, *nos naſci filios iræ.* Quia itaque manifeſtum eſt, Adamum & Euam, ſimul ac ediſſent de fructu arboris, ſtatim hoc mortis genere mortuos fuiſſe, non autem morte corporis, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore: idcirco contendunt multi, inter quos & Capnion fuit: comminationem hanc de morte tantum animæ, non autem corporis intelligendam eſſe. Sed apertè hoc pugnat cum Apoſtolo Rom. 5. vbi de morte corporis loquens, quæ etiam in paruulos peruenit, ait, *per peccatum ingreſſam illam eſſe in mundum.* Deinde in 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificabuntur.* De qua autem viuificatione ibi loquitur Apoſtolus? Certe corporum: de ipſorum enim reſurrectione diſputat. Ergo vt per Chriſtum reſtitueretur vita corporibus noſtris, ſic per Adamum, ademtam eam fuiſſe, manifeſtum eſt. Quare certo certius eſt in hac comminatione, mortem corporis contineri. Quòd verò aiunt, non ſtatim mortuos fuiſſe falluntur. Sed quomodo hoc intelligendum ſit, mox explicabo. Rurſus non defuerunt, qui contrà ſenſerint, de morte tantum corporis intelligendam eſſe. Hanc enim infrà ca. 3 explicari, cùm dixit Deus Adæ, *Puluis es, & in puluerem ibis.* Et vbi ponit Cherubinum ad portam Paradiſi: qui non ſinat Adamum

ingredi

ingredi, ederéque de ligno vitæ, ne fortè viuat. Sed hi quoque falluntur. Apertè enim Rom. 5. docet Apoſtolus, *ſicut per Adamum conſtituuntur omnes peccatores, & in condemnationem naſcuntur ſic per Chriſtum omnes* (ſcilicet electos) *iuſtificari, & vitæ æternæ participes fieri.* Quid eſt autem naſci peccatorem, & obnoxium condemnationi, quàm mors animæ? Et Eph. 2. *Omnes,* ait, *naturâ ſumus filij iræ.* Quid plura? Annon vtriuſque mortis effecta in nobis ſentimus? Spiritualis in anima: dum ignorat Deum, & variis afficitur cupiditatibus: & corporalis, in corpore, dum tot morborum generibus obnoxij ſumus? De vtroq; igitur mortis genere intelligenda eſt diuina comminatio: *Moriendo morieris.*

Verùm (vt ad *ſecundum* veniamus) inquies, quomodo de morte corporis intelligi poteſt comminatio, cùm non eo die mortui ſint, quo ederunt? Imò vero mortui ſunt. Quomodo? Bifariam quis dicitur mortuus: aut cùm exhalauit animã: aut cùm certam & irreuocabilem mortis ſententiam accepit, inque manum carnificis iam traditus eſt. Priori certè modo non ſunt mortui ſtatim poſt eſum fructus, ſed altero modo. Priuati enim fuerunt illa gratia, qua poterant non mori: & voluerint noluerint, facti fuerunt obnoxij morti: ſententia mortis in eos irreuocabiliter lata. Quia igitur neceſſitatem moriendi incurrerũt (inquit Auguſt.) dicuntur eodem die mortui fuiſſe, quo de vetito fructu comederunt. Sic etiam Theodoretus hunc locum interpretatur: Οὐκ εὐθὺς ἀπέθανον τὴν ἐντολὴν παραβάντες. Φανερὸς καὶ αὐτὸς τοῦ ... τὸ τῆς ἀποφάσεως ἔργον ... ἀπεδείχθησαν ... ἡμέρᾳ ... ἐν ᾗ δ᾽ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε ἀπὸ τοῦ ξύλου, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. Μετὰ γὰρ τὴν θανάτου ἀπόφασιν ... ἀπέθανον. Hoc eſt vnum. Deinde de re ipſa etiam mortis ſatellites, eos ſtatim aggreſſi ſunt, & cruciare, tormentiſque afficere cœperunt: labores, triſtitiæ, dolores, imbecillitas virtũ, caloris naturalis defectio, & alia infinita mala, quæ durius eſt ferre quàm mortem ipſam. Ergo apparet vere completam fuiſſe comminationem: *qua die comederis, &c.* Nam mortis nomine intellexit Deus omnes miſerias, tam ſpirituales, quàm corporales, omnes animi morbos, omnes corporis afflictiones, omnes ærumnas, omnia denique mala, in quæ Adamus propter ſuam inobedientiam incurrit: ita vt tota hominis conditio nihil aliud ſit, quàm mors. Erat antea omni ex parte beatus, & veram tam animæ, quàm corporis vitam viuebat. Erat enim in eius animo iuſta affectuũ moderatio: in corpore autem nihil vitij. Quod ergo poſtea ab illa vita & felicitate exciderit, hoc illi fuit mors. Nunc tenemus veram huius loci explicationem.

Cauſa autem, cur interdictioni addiderit comminationem, fuit, vt hominem faciliùs contineret in obedientia. Duo enim ſunt, quæ ſolent homines aut ſaltem debent ad parendum impellere: amor & timor. Amor ex collatione beneficiorum eius, qui aliquid præcipit, conciliatur: Timor ex pœnarum comminatione. Vtrumque exigebat etiam Dominus: *Si pater, vbi amor? ſi dominus, vbi timor?* Vtroque ſtimulo voluit de principio Adamum ad complementum ſui præcepti extimulare. Ideo priùs contulit in illum máxima beneficia, & omnia ei ſubiecit, omnéſque fructus Paradiſi, vna excepta arbore, conceſſit: vt hinc amorem ſui in animo Adæ accenderet. Et certè hoc vnum ſatis eſſe debuiſſet: ſed adiecit etiam timorem, pœnam comminando grauiſſimã. Hinc apparet, quàm graue fuerit Adæ peccatum: quia neq; Amor Dei, neq; timor pœnarum, potuerunt illum in obedientia retinere. Sed cur, inquies, Deus dedit hoc præceptũ comminatúſq; eſt mortem, cùm ſciret Adamum illud non ſeruaturum? In iſtud myſterium, iam non ingredior: dicemus poſtea. Summa: voluit agnoſci pro Deo, & ſibi obediri. Annon hoc erat æquiſſimum? Hæc eſt cauſſa prima & interdicti, & comminationis: vt ut res homini caderet.

Altera: conſultius hoc fuit Adæ, & omnibus electis. Decreuerat enim Deus eum redimere per Chriſtum, Deum & hominem. Hoc autem fuit longè melius, quàm ſi Adamus hoc non eguiſſet beneficio. Hinc ſequitur poſtrema, quia meliùs agnitus eſt Deus, eiúſque erga nos bonitas & φιλανθρωπία in redemptione, quàm in creatione: eóq; plus etiã & gloriæ illi, & nobis vtilitatis accedit. Atque hoc ſatis eſſe debet ad quæſtionem hanc. Illud permittendum non eſt: quia arbor illa ſymbolum & ſacramentum erat voluntatis diuinæ, idcirco qui in illam peccaſſet, peccaturum etiam fuiſſe in ipſam Dei voluntatem, hoc eſt, in Deum ipſum: ac proinde tam reum fuiſſe mortis qui peccauit in ſymbolum, quàm qui immediatè peccaſſet in ipſum Deum. Hæc eſt natura omnium ſacramentorum & ſymbolorum: vnde & ſymbola nomina recipiunt eorum, quorum ſunt ſymbola. Statua Cæſaris, Cæſar vocatur; ideo etiam qui in eam iniurius eſt, perinde reus eſt criminis læſæ Maieſtatis, atque ſi immediatè in ipſum Cæſarem peccaſſet. Sic docent ſcripturæ. Oza perinde reus fuit læſæ diuinæ Maieſtatis, cùm cõtra mandatum Dei contrectauit arcam: atq; ſi immediatè in Deum fuiſſet iniurius. Quid ita? Quia illa ſymbolum erat præſentiæ Dei. Sic Apoſtolus ait de pane & calice: *Qui edit panem indignè, reus erit, non panis, ſed corporis Domini.* Sic qui edebat de arbore illa, reus fiebat non læſæ arboris, ſed iniuria affectæ diuinæ Maieſtatis. Hic locus ſeruire nobis debet aduerſus noſtros aduerſarios, in re ſacramentaria.

Eſt hoc quoque notandum, hæc omnia, quæ Deus ſoli Adamo, (nondum enim creata erat mulier) locutus eſt, illum poſtea retuliſſe Euæ vxori ſuæ, illámque de voluntate Dei edocuiſſe. Qua ex re, officium viri erga vxorem colligitur eſſe, vt illam doceat: Vxoris verò, virum interrogare, & ab illo diſcere, ſicut & Paulus monet. Venio nunc ad fœminæ creationem.

De creatione Euæ.

XIV. v. 18. *Et dixit Iehoua Elohim, non eſt bonum, eſſe Adamum ſolum ipſum: Faciamus ei adiutorium*, quod ſit, *omnino coram ipſo*, hoc eſt, per omnia ei commodum, eóque & ad vitæ ſocietatem, & ad progeniem iucundiſſimum adiutorium.

v. 19. *Et formauit* (id eſt, formauerat) *Iehoua Elohim è terra omnem beſtiam agri, & omne volatile Cælorum: & adduxit ad Adamum ad videndum* (id eſt, vt videret) *quod vocaret ei* (id eſt, quodnam cuique illorum nomen indere deberet.) *Ac omne quod vocauit illi Adamus*: (illi inquam) animæ viuenti: *hoc eſt, nomen eius*: hoc eſt, Ac quodcunque nomen indidit viuentibus Adamus: hoc nomine adhuc vocantur: tempore ſcilicet Moſis. Alij ſic: *Ac omne quod vocaſſet illi Adamus* (illi inquam) *animæ viuenti* hoc eſſet nomen eius: nempe in hunc finem adduxit illa animalia Deus ad Adamum: vt ſcilicet ipſe ea iuxta cuiuſq; naturam nominaret: & talia nomina, vtpote optimè illis congruentia, illis manerent.

v. 20. *Et vocauit Adamus nomina cuique animali, & volatili Cælorum, & omni beſtiæ agri:* Et ſibi *Adã non inuenit adiutorium*, quod eſſet, *omnino coram eo*, pro coram ſe, hoc eſt, quod eſſet ſibi per omnia commodum.

v. 21. *Et cadere fecit Iehoua Elohim ſoporem ſuper Adamum, & dormiuit: Et cepit vnam ex coſtis eius, & clauſit carnem* (vel carne foramen,) *pro ea*, hoc eſt, loco eius.

v. 22. *Et ædificauit Iehoua Elohim, coſtam, quam ceperat de Adamo, in mulierem: & adduxit eam*, venire fecit, *ad Adamum.*

v. 23. *Et dixit Adamus, hoc vice os*, eſt, *& oſſibus meis, & caro de carne mea: hinc vocabitur* (alij ad hoc, propter hoc) אשה, viriſſa, *quia* מאיש *de viro ſumta eſt ipſa.* Vel nunc tandem os ex oſſibus meis, & carnem de carne mea, ſcilicet inueni.

v. 24. *Idcirco* (ad verbum ſuper ſic) *relinquet vir*, איש, *patrem ſuum, & matrem ſuam: & adhærebit* (in) *cum vxore ſua, & erunt in carnem vnam.*

v. 25. *Et erant ambo nudi, Adam & vxor eius: & non erubeſcebant.*

Secatur hîc contextus duas in partes: quarum *vna* continet Euæ creationẽ, *altera* eiuſdẽ cum Adamo coniugiũ.

Ad creationem quod attinet, Moſes *primò* præmittit deliberationem, conſiliúmque Dei de illa creanda: & hoc v. 18. dicendo: *Non eſt bonum, &c. Faciam igitur illi adiutorium.* Qua ex re apparet illud primum conſilium de creando homine, cap. 1. verſ. 26. fuiſſe conſilium propriè de Adamo creando. Vbi enim ille creatus fuiſſet, & in Paradiſum inductus, & dominus animalium conſtitutus, imò rerum omnium, tum demum hoc conſilium de creanda Eua, quæ eſſet Adamo adiutorium, iniiſſe dicitur. ἀνθρωποπαθῶς autem de Deo loquitur, vt ſcriptura etiam. Hoc eſt primum. *Deinde* ſubiicit neceſſitatem, cur noua homo ſit creanda: quia ſcilicet inter omnia animalia iam condita, nullum reperiebatur, quod ad rem faceret. Et hoc verſu 19. 20. *Tertio* itaque loco, ſubdit modum quo & materiam, ex qua formauit Euam: & hoc verſ. 21. Adde & formam corporis, qua eam formauit, verſu 22. idque ex verbo בנה quod eſt, *ædificare.* Reliquum verſus 22. & qui ſequuntur, ad finem vſque cap. pertinent ad coniugium. De primo itaque ſic ait:

Et dixit Iehoua Elohim: Non eſt bonum, eſſe Adamum ſolum ipſum: faciam, ergo, ei adiutorium, quod ſit, *omnino coram eo.*

Illud enim כ *cum* כנגדו non eſt nota ſimilitudinis, ſed aſſeuerantis. Ideo pro *omnino*, interpretantur Hebræi.

Porrò conſtat hic verſus propoſitione in genere deliberatiuo: & αἰτιολογία. Propoſitio eſt. Faciendum eſt, & dandum Adamo adiutorium. Ratio: Non eſt enim bonum, illum eſſe ſolum. Ergo faciam illi adiutorium. Quia verò generalis hæc Theſis, Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: maximi eſt momenti: & non ad ſolum Adamum reſtringẽda eſt, ſed etiam ad omnes alios homines extendenda: idcirco pro vera huius intelligentia, notandum eſt, duo hîc eſſe nomina conſiderãda: vnde veritas propoſitionis pẽdet

nomen *boni*, & nomen *hominis*.

Bonum cùm triplex ſit, vtile, honeſtum & delectabile: poteſt propoſitio de triplici hoc boni genere intelligi: nempe quod neque honeſtum, aut licitum ſit homini, neque vtile, neque ad honeſtam voluptatem faciat, carere vxore, contrà vero res honeſtiſſima ſit, vtilis, & cum honeſta obleƈtatione coniuncta, vxorem ducere.

Cæterum varia erit propoſitio, & aut vera, aut falſa, prout variè accipitur nomen hominis. Poteſt enim accipi, aut ſingulariter pro Adamo: aut vniuerſaliter pro omnibus & ſingulis hominibus: aut indefinitè pro hominibus, ſine vlla ad certas perſonas reſtrictione. Multum autem intereſt quonam modo accipias hoc nomen in hac propoſitione. Si itaque de Adamo ſolo intelligas, dictum hoc non eſt omnino intelligendum ſimpliciter, quaſi non fuerit bonum, honeſtum & vtile, illum fuiſſe creatum ſolum, & ſolum etiam aliquandiu vixiſſe: Nam aliquot horas fuit ſine vxore. Hoc vero pugnaret cum Dei ſapientia, & cum illo quod ait Moſes, *Omnia quæ fecit Deus fuiſſe valde bona*, proinde intelligendum eſt *ſemper*, & reſpectu futuri. Fuit itaque bonum aliquandiu Adamum eſſe ſolum: ſed non perpetuò fuiſſe bonum, hoc eſt, neque honeſtum, neque vtile. Quomodo enim ex ipſo fuiſſet propagatum humanum genus? Atque ita, quomodo potuiſſet eſſe futuri Adæ, id eſt, Chriſti, à quo omnes electi erant regenerandi, & ſpiritualiter propagandi, typus? Neque etiam faciebat ad bene beateque in hoc Mundo viuendum. Caruiſſet enim illa honeſta obleƈtatione, & voluptate ſancta: quam affert ſanctum & honorabile coniugium. Itaque omnibus modis fuit bonum, vt non ſemper maneret ſolus Adamus. ſed vt daretur ei vxor.

Cæterùm, quia licèt hoc dictum propriè, & inprimis de Adamo pronuntiarit Deus: ad ſolam tamen eius perſonam reſtringi noluit, ſed ad alios quoque tanquam generalem regulam extendi: Idcirco videndum eſt, ſi de aliis hominibus accipiatur, quo ſenſu poſſit eſſe vera.

Si itaq; accipiatur indefinite, ſicut ſonat (non enim ait *Non eſt bonum vllum hominem eſſe ſolum*: ſed indefinite; *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*) Si igitur accipiatur indefinite, veriſſima & certiſſima eſt propoſitio, non eſſe vllo modo bonum, vt in hoc Mundo ſint tantum maſculi, & nullæ fœminæ: nemóque habeat vxorem. Quomodo enim propagaretur genus humanum? Quomodo instituerentur Œconomiæ? Vbi affinitates, cōſanguinitates, amicitiæ. Periret in ſumma totum humanum genus, & omnis humana ſocietas, tam Eccleſiaſtica, quàm politica. Ergo nullo modo bonum eſt, hominem eſſe ſolum. Ac proinde conſeruandi humani generis cauſſa: quiſq; in ſolidum (vt loquuntur) tenetur (niſi ſpeciali Dei priuilegio ab hoc debito eximatur) tenetur inquā vnuſquiſq; conſeruandi humani generis gratia, vxorem ducere, filios procreare, & replere terram. Dixi, *in ſolidum*, quia non magis vni, quàm alij dictum eſt, *Fructificate, augeſcite, replete terram*. Et dixi, *humani generis conſeruandi cauſſa*. quia hæc eſt cauſa, cur inprimis conſtitutum ſit coniugium; eóque eſt vniuerſalis & æterna ad finem vſque Mundi. Proinde ſi permulti ſint, quorum opera humanum genus conſeruetur: nō ſinguli reliqui tenebuntur hac de cauſſa: cum non ſit opus. Proinde non dixit, *Non eſt bonum, vllum hominem eſſe ſolum*: ſed tantum indefinite, *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*: atque inprimis primum hominem. Itaq; in ſolidum quiſque tenetur vxorem ducere: nimirum ſi opus ſit propter humani generis conſeruationem. Hinc fit, vt illi etiam primi patres, filij ſcilicet Adami, per quos propagandum erat humanum genus, ſimpliciter tenerentur coniugio copulari. Non enim alij reperiebantur, per quos propagari poſſet: ac proinde non minùs de illorum ſingulis verum erat dictum, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: quàm etiam de Adamo veriſſimè dictum fuerat. Neq; etiam ſine cauſſa fecerat eos Deus tam fœcundos: ſed in hunc finem, vt vxores ducerent: & generarent filios & filias. Ergo ſi indefinite intelligatur propoſitio: luculenter apparet, veriſſimum & certiſſimum eſſe dictum, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*; ac proinde non eſſe licitum aut honeſtum, quia neque expediendus eſt, vt omnes homines viuant cœlibes. Sed, ſicut explicatum eſt, omnes teneri in ſolidum conſeruandi humani generis gratia, ducere vxorem, ſi opus ſit: & hoc ſemper animo eſſe affectos, vt pro ſua quiſque virili humanum genus propaget.

Si vero vniuerſaliter de omnibus & ſingulis interpretari dictum velis: diſtinguendi ſunt homines. Aut enim donum habent continentiæ; aut non habent. Si non habent, ſimpliciter non eſt bonum, talem hominem eſſe ſolum: hoc eſt, non ſolum non eſt illi vtile, ſed neque licitum honeſtúmve carere vxore. Proinde mulier, ſi ſe non continet, nubere viro: ſi vir, vxorem ducere. Et huc ſpectant verba Apoſtoli, 1. Corint. 7. *Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, propter fornicationem*, & alia id genus dicta: quibus docemur, propter incontinentiam, omnino ducendas eſſe vxores. Atque ij proprie videntur peculiariter à Deo vocati ad propagationem humani generis, cùm donet illos Deus illa fœcunditate, qua & primos homines donauerat. Sicut enim cum aliquem donat continentiæ dono, videtur illum à communi lege propagandi ſcilicet generis humani, ſpeciali priuilegio eximere ac liberare: ſic etiam quibus hoc donum non largitur, ſed aliud potiùs, nempe fœcunditatis, hos ad coniugium peculiariter vocare putandus eſt. Non enim ſine cauſſa, ſua largitur dona Deus. Qui itaque donum non habent continentiæ, ij ſciant de ſe quoque dictum eſſe, *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*. Proinde accipiant illud adiutorium, quod ipſorum cauſſa creatum eſt: & quod ad ipſos adducitur a Domino Deo. Si autem quis gratiam hanc conſecutus eſt, vt vxore non opus habeat, de hoc varia cenſemus & dicimus. Vnum: Bonum quidem eſt, huic eſſe ſoli: id eſt, licitum eſt abſtinere ab vxore ducenda, iuxta illud Chriſti, *Qui poteſt capere, capiat*: ſed fieri etiam poteſt, vt præter hoc ſit ei bonum quoque, hoc eſt, vtile & commodum, non ducere vxorem: iuxta illud Apoſtoli: *Exiſtimo propter inſtantem neceſſitatem, bonum eſſe homini, ita eſſe*, id eſt, viuere cœlibem: & iuxta illud etiam, *bonum eſt viro, non attingere mulierem*: atque ita bifariam erit ei bonum eſſe ſoli: nempe & honeſtum licitúmque; & vtile ac commodum. Proinde is debet conſilium Chriſti ſequi: *Qui poteſt capere, capiat*: Et Apoſtoli, *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*. Sed alterum adiicimus: fieri etiam poterit, vt licet ſit ei bonum, hoc eſt, licitum, carere vxore, ſit tamen non bonum, hoc eſt, inutile & incommodum non ducere; puta reſpectu familiæ, & rei domeſticæ, & ſuæ perſonæ curandæ. Ergo iſti bonum erit, & non bonum eſſe ſoli. Bonum quidem, quia licitum eſt, in cœlibatu viuere, cum propter donum continentiæ, non cogatur lege Domini vxorem ducere: Non bonum autem, quia incommodum & detrimentoſum. Quare iſte debet, præmiſſis ad Deum precibus, audiriſque amicorum & bonorum virorum conſiliis, facere, id quod conſultius eſſe viſum fuerit; cum ſibi, tum ſuæ familiæ, reíque domeſticæ. Semper enim ſpectandum eſt, vtrum ſit melius, an manere ſolum, an fieri coniugatum. Si itaque propoſitionem hanc Domini, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, vniuerſaliter de omnibus & ſingulis hominibus intelligamus; videmus, non vniuerſaliter, nec ſimpliciter, aut eodem modo, veram eſſe. ſed *nonnullis* quibus ſcilicet, & aliquando eſſe bonum; aliquibus contra, & aliquando non eſſe bonum.

Proinde Dominus Ieſus Chriſtus, verus ſuorum verborum interpres (is enim eſt qui dixerat, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*) de coniugio loquens, neque ſimpliciter aut omnibus affirmauit eſſe bonum, neque etiam ſimpliciter & omnibus, bonum eſſe negauit, ſed aliquibus & aliquando eſſe bonum; aliquibus etiam & aliquando non eſſe bonum, cum Matth. 19. Apoſtolis dicentibus, ſi ita ſe res habet viri cum ſua vxore, non expedit matrimonium contrahere, reſpondit, *Non omnes capiunt hunc ſermonem, ſed quibus datum eſt*. Sentus eſt: Non eſt bonum omnibus carere vxore, ſed tantum quibus datum eſt, vt poſſint carere. Itaque non ſimpliciter concluſit, debere quenque carere vxore, aut quenque ducere vxorem: ſed *qui poteſt*, inquit, *capere, capiat*. Atque hæc eſt explicatio huius dicti apud Moſem, quatenus ad alios quoq; omnes præter Adamum, homines extenditur. Cæterùm in Adamo fuit peculiaris quædam ratio, cur nō fuerit bonum, illum eſſe ſolum. Quia enim primus homo erat, vnde totum genus humanum erat propagandum, idcirco nullo modo potuiſſet eſſe bonum, ſi perpetuo manſiſſet ſolus. Si etiam indefinitè accipiatur, videmus ſimpliciter non eſſe bonum, maſculos omnes eſſe ſolos: ac proinde propagandi humani generis cauſſa, quenque teneri in ſolidum vxorem ducere. Quare illud dictum generalis fuit ſententia, neceſſitatem habens, propter humani generis propagationem.

Cæterùm, neque in illis verum eſt hoc dictum, qui vel nondum ad ætatem nubendi maturam peruenerunt, vt ſunt pueri, vel impotentes; neque etiam in altero ſeculo locum habebit: vbi neque nubent, neque ducent vxores: ſed in hoc tantum Mundo, & in quibuſdam, & certis temporibus. De Adamo verò ſimpliciter dictum fuit: *Non eſt bonum Adamum eſſe ſolum*, ſcilicet *ſemper*. Proinde concluſionem intulit Dominus, dicendo, *Faciam* (ergo) *illi adiutorium*. Hinc apparet (quod Apoſtolus etiam dicit) *non eſſe creatum virum propter mulierem: ſed mulierem propter virum*, vt ſcilicet hæc ei eſſet adiutorium. Sed ad quid adiutorium? Primo, ad procreandam ſobolem, & propagandum humanum genus, atque inprimis electos, quorum caput futurus erat Chriſtus. Nam horum cauſa, omnia condita ſunt. Secundo, Adiutorium ad

vitam

vitam in hoc etiam Mundo, bene, honeſtè, ſuauitérque traducendam: ad familiam rémque domeſticam gubernandam. Tertiò, acceſſit aliud etiam adiutorium: Viro enim facta adiutorium eſt aduerſus concupiſcentiam, eóque aduerſus Satanam. Ideo Apoſtolus 1. Cor. 7. *Redite ad idem, ne Satan vos tentet.* Eſt enim coniugium, vnicum & optimum, & neceſſarium, ad omnis illicitæ libidinis tentationem, remedium. Quare meritò mulierem vocauit *adiutorium:* & quale adiutorium? Ait, quod ſit,

XV כנגדו *Omnino coram eo*, hoc eſt, quòd ſit omnino ei per omnia commodum. Sed habet efficaciam vox hæc Hebraica, quæ explicari ſatis dignè non poteſt. Indicatur enim hac locutione, quæ ſignificat coram eo, ex aduerſo ei, mulierem debere eſſe indiuiduam vitæ comitem viro ſuo; ei ſemper eſſe præſto, & ad illius obſequia paratam. Significatur & mutuus amor: ita vt vnus in alterum intueatur, eum amet, honoret, &c. Indicatur etiam fides, quam coniunx debet coniugi. Non enim debet eſſe coram viro alia mulier, niſi illa quam ei dat Deus in adiutorium. Significatur & honeſta voluptas: vt alter alterius aſpectu oblectetur. Hæc & alia multa quæ inter virum & mulierem requiruntur officia ſignificantur hac particula, quæ ſit כנגדו: ſed inprimis cohabitatio, & vt alter alterum non deſerat. Huc pertinet illud Apoſtoli 1. Cor. 7. *Nolite fraudare vos inuicem, &c.* Et, *reuertimini in vnum, ne tentet vos Satan.* Item, *Vxor à viro non diſcedat. & vir mulierem non dimittat.*

Obſeruandum verò eſt hic verbum, *Faciam.* Deus igitur ille eſt, qui antequam nos nihil minùs cogitemus, quàm de vxore, præparat nobis vxores, vt ſint nobis adiutorium, ad multa mala euitanda, & ad multa bona facienda. *Ego*, inquit, *faciam illi adiutorium.* Et cur ait, *Faciam?* Quia præmiſit, *non eſſe bonum, vt homo ſit ſolus.* Decreta igitur ipſius ſunt facta, propter noſtrum bonum. Subdit Moſes:

v. 19. & 20. *Et formauerat Iehoua Elohim*, &c.

His duobus verſibus oſtendit neceſſitatem creandæ mulieris, quæ eſſet Adamo adiutorium כנגדו. Etſi enim permulta eſſent creata animalium genera: tamen nullum plane reperiebatur, quod poſſet eſſe Adamo tale adiutorium. Omnia certè fuerunt illi ad multa adiutorio: ſed ad id, ad quod volebat Dominus, nullum erat commodum: ſicut concludit in fine verſ. 20 dicens: *At homini non inuenit adiutorium, quod eſſet* כנגדו. Ergo opus erat alio adiutorio. Hæc eſt ſumma horum duorum verſuum.

Sed alia tamen præter hoc obiter docet hic Moſes, cognitu neceſſaria. Ait igitur:

Formauerat autem Dominus, &c.

Videtur hic pugnantia quædam cum ſuperioribus. Suprà dixerat, *ex aquis productas fuiſſe aues:* hic videtur dicere *fuiſſe eas formatas è terra, ex humo, ſicut & beſtiæ agri.* Sed ſi obſerues accentum diſtinguentem ſupra dictionem השדה videbis, ad beſtiam tantùm referri dictionem מן האדמה. Formauerat igitur Deus ex humo omnem beſtiam agri, & omne volucre cœlorum, ſcilicet formauerat, ſimpliciter: non ait, *ex humo.* Deinde etiam verum eſt, aues ex humo eſſe: quia non ex ſimplici aqua conſtant, ſicut nec beſtiæ ex ſimplici humo. Cæterùm non immediatè ex humo aues; ſicut beſtiæ. Piſcium non meminit, quia apti nullo modo erant, vt in terra inſeruirent homini: non enim viuere poſſunt extra aquas.

Et adduxit ea ad Adamum, &c. Non adduxit manu: ſed venire iuſſit: & hoc ſignificat verbum Hebraicum יבא. Sponte igitur omnia animalia ad Adamum venerunt, vi verbi Dei attracta: & venerunt ad eum, tanquam ad ſuum dominum, & regem. Ac illo verbo, *Et adduxit ad Adamum:* ſignificat tunc Deum tradidiſſe Adamo ius in omnia animalia. Ideo tanquam ad principem, omnia venire facit, vt ipſe de illis ſtatuat, quod iudicauerit eſſe ſtatuendum.

Cum porro ait: *Vt videret quid vocaret ei.* Verbum, *videret*, ad Deum referendum non eſt; ſed ad Adamum. Et ſenſus eſt, venire fecit Deus omne animal ad Adamum: principio, vt ipſe Adamus vnumquodque intueretur, & ex Phyſiognomia cognoſceret cuiuſque naturam & ingenium: & deinde perſpecta cuiuſque natura, videret, quodnam cuique animanti nomen conueniret, & hoc illi imponeret. Hic eſt verus, genuinus, & ſimplex ſenſus horum verborum.

Porrò cùm ſubdit: *Et omne* (ſcilicet nomen) *quod vocauit ei* (ſcilicet cuique animanti) *Adamus:* animæ, inquam, viuenti, ipſum eſt nomen eius. Sunt qui velint, verba eſſe Moſis, qui affirmauit, quæcunq; nomina impoſuerat Adamus animantibus, etiam ſuo tempore perduraſſe: nec aliis illa fuiſſe nominibus appellata. Cum autem illa nomina eſſent Hebraica, euincunt, Adamum locutum fuiſſe Hebraicè. Quòd dicunt verum eſt. Sed an ſit ſenſus huius loci, neſcio. Mihi potius videtur adhuc recitare conſilium Dei. nempe hoc fuiſſe, vt quodcunque nomen imponeret Adamus cuique animanti: illo vocaretur, & nõ alio: vt ſignificet, Deum probaſſe nominum, quibus Adamus vocarat animalia, impoſitionem. Ita illud verbum יקרא in præteritum plus quàm perfectum vertendum erit: *Et omne* (nomen) *quod vocaſſet ei Adamus: animæ* ſcilicet viuenti: *illud eſſet nomen eius.* Hæc interpretatio mihi magis placet quàm prior: quia nondum narrauit Moſes, impoſita fuiſſe nomina animalibus; ſed hoc poſtea ſubdit, ideo ait:

v. 20. *Et vocauit Adamus* (id eſt, indidit) *nomina cuique iumento, & cuique volatili cœlorum, & cuique beſtiæ agri. Et, ſibi, Adamo non inuenit,* (inter illa) *adiutorium* כנגדו *ſibi omnino per omnia commodum.*

Ex his duobus verſibus hæc colligimus:

1. Philoſophiam naturalem, quæ cùm aliis in rebus, tùm maximè in cognitione animalium conſiſtit, in cognitione ſcilicet ingeniorum, proprietatum, naturarum ipſorum: de principio probatam fuiſſe Deo, imò inſtitutum, & ea donatum fuiſſe Adamum. Ait enim Moſes, *Deum adduxiſſe animalia ad Adamum: vt ipſe Adamus ea videret*, hoc eſt, conſideraret, inſpiceret, cognoſceret: id quod & fecit Adamus. Fuit hoc præterea dono ornatus etiam præter alios Salomon. Proinde de omnibus rebus naturalibus, ſcripſiſſe libros non paucos legitur.

Ac certum eſt, Adamum ex aſpectu externarum facierũ cuiuſq; animalis, & ex illorum actionibus, in cognitionem etiã naturæ cuiuſq; perductũ fuiſſe. Ideo ait Moſes, *adducta fuiſſe, vt videret:* nempe ea, primùm externè, deinde ex externa Phyſiognomia, ea internè cognoſceret. Vnde apparet, verã & naturalem Phyſiognomiam, non eſſe ſcientiam prorſus inanem & vacuam. Multæ enim internæ rerum proprietates, ab externis formis & accidentibus cognoſcuntur.

2. Deinde videmus, hoc fuiſſe ex Dei voluntate atq; cõſilio, tum vt ſingulæ res certis nominibus à ſe inuicem diſtinguantur (odit enim Deus confuſionem) tum vt ne nominã rebus, caſu & temerè imponantur: ſed cum ratione, & ex cuiuſque rei natura: idque propter noſtram vtilitatem: vt ſcilicet auditis nominibus, & eorum ſignificatione percepta, mox in rerum ipſarum cognitionem aliquam perducamur: ac proinde rationem etymologiæ, eſſe quàm maximè vtilem. Hoc prior ipſe Deus fecit in nomine יום *diei*, ליל *noctis*: שמים *cœlorum*, ארץ *terræ*: אדם *hominis*. & ita de aliis multis. Deinde idem voluit fieri ab Adamo, vt hic manifeſtum eſt. Omitto alia exempla tum veteris, tum noui Teſtamenti. Vocabitur *Immanuel nobiſcum Deus, Ieſus: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Talia nomina cum ratione poſita, ex quorum notatione, naturæ rerum cognoſcuntur: multa ſequuntur apud Moſem, vt nomen Euæ חוה, nomen Seth, Cain, &c.

Hinc ſoluitur vetuſtiſſima quæſtio, diu & multùm agitata, de prima nominum impoſitione: *an fuerit ex natura rerum facta, an verò pro arbitrio primorum impoſitorum:* de qua quæſtione, in Cratylo ſuo etiam Plato diſputauit. Et Euſe. Cæſar. de præparatione Euangelica, lib. 11. Certè, vtut ſe res habeat apud Græcos & Latinos, conſtat vel ex hoc Moſis loco; apud Hebræos, nomina fuiſſe rebus impoſita, non temerè, ſed maxima cum ratione: ex natura ſcilicet rerum ipſarum. Sed nos infinitorum nominum Etymologias ignoramus, vel imperitia, vel negligentia Hebræorum, qui eas non obſeruarunt. Ille maxima laude dignus eſſet, qui opus hoc præſtaret.

3. Illud etiam conſiderandum venit: quòd ad Adamum non fuerunt adducti piſces, neque ipſis impoſita fuerunt ab ipſo nomina, ſed tantùm terreſtria omnia animalia, & aues Cœli adductæ fuerunt. Proinde neque quæſitum fuit, an inter piſces inueniri poſſet adiutorium Adæ. Ratio eſt in promptu. Ea enim eſt piſcium natura: vt extra aquas viuere diu non poſſint. Deinde nulli vſui poſſunt eſſe homini, niſi in cibum, & quidam etiam ad medicamenta. Hinc etiam ſequitur, non fuiſſe opus, vt iuxta ipſorum naturas, nomina illis imponerentur: vnde neque in ſcripturis tam multa piſcium nomina habemus, ſicut aliorum animalium. His igitur de cauſſis, piſces non fuerunt adducti ad Adamum vt eis nomina imponeret, quanquam in ipſos quoque dominium & poteſtatem accepit, cùm ei dixit Deus, *Dominamini piſcibus Maris, &c.* Hinc fit, vt neque vlla familiaritas intercedat homini cum piſcibus, ſicut cum multis aliis animantibus, vt cum equo, cum cane, cum auiculis multis, quibus familiariter vtimur.

4. Denique non ſimpliciter dicit Moſes, Adamum inter animantia non inueniſſe ſibi adiutorium, ſed addit כנגדו. Erant enim illorum multa, homini adiutorio, vt ad terram colendam, ad ferenda onera, ad animum cantibus recreandum, & ad alios permultos vſus. Sed quod eſſet ei adiutorium כנגדו, hoc eſt, per omnia & ad omnia commodum, ad

perpetuam vitæ iucundæ ſocietatem, ad colloquendum, ad conſilia ſimul communicanda, ad regendam familiam, ad ſimul cubandum, ad propagandam ſobolem, ad faciendam, colligendámque Eccleſiam, ad Deum ſimul cognoſcédum, laudandum, inuocandum: denique ad ſuppeditandam carnem ipſi Meſſiæ, qua fieret nobis ſimilis; eóque ad viuendum ſimul cum ipſo in regno Cœlorum: nullum planè animal reperiebatur commodum. Hinc patefacta eſt Adæ neceſſitas, cur omnino mulier ei addenda eſſet, & in vxorem ducenda. Proinde vim habet illud verbum, ולאדם לא מצא עזר כנגדו. *Et* (ſibi) *Adam non inuenit adiutorium* כנגדו Voluit Deus ex hac cognita mulieris neceſſitate, plus amoris erga eam conciliare viro: vt quandoquidem tam neceſſaria ſibi eſt, eam etiam præ cęteris omnibus amet, & charam habeat. Quo etiam ex loco docet, non temerè ducendas eſſe vxores, ſed propter neceſſitatem, vel propagandæ ſobolis, ſuíqs ſanguinis, vel vitandæ ſcortationis: quòd ſcilicet ad hæc, aliud adiutorium כנגדו ſibi homo inter omnia animalia non reperiat, niſi mulierem.

Hinc quoque apertè colligitur, in eum vſum, in quem deſtinata eſt vxor, nullo alio animali abutendum eſſe. Sola enim vxor eſt viro adiutorium כנגדו. Atque hæc de neceſſitate creandæ mulieris: Sequitur iam modus, quo creata fuit: denique ipſa formatio. De iis ait:

XVI. v.21. *Et cadere fecit Iehoua Elohim ſoporem, ſuper Adamum & dormiuit. Et tulit vnam de coſtis eius, & clauſit carnem pro ea*, id eſt, loco eius coſtæ.) Carnem enim poſuit Deus in locum, vbi fuerat coſta.

Tria dicit, *primùm*, Deum cadere feciſſe ſoporem ſuper Adamum. Adamum verò correptum hoc ſopore: dormiuiſſe. *Deinde*, Deum è latere Adæ dormientis: tuliſſe coſtam vnam, è qua ſcilicet formaret Euam. *Poſtremò*, in locum Adæ, vnde educta fuerat coſta, poſitam fuiſſe à Deo carnem: ne ſcilicet vacuus remanerer locus, eoque deformis eſſet Adamus De primo ait:

Et cadere fecit Iehoua Elohim, ſoporem ſup r Adamum, & dormiuit, Adamus ſcilicet,

Erat igitur Adamus, etiam in ſtatu innocentiæ minimè ſua natura prorſus expers ſomni & vigiliæ, ſicut neque famis & ſitis, cuius rei cauſa, dedit ei cibos è terra. Ita apparet, has corporis affectiones & neceſſitates, ita eſſe naturales, vt iis carere nullum animal poſſit: nempe in hac vita, vbi corpora animalium augentur, nutriuntur, &c. In altera enim vita, vbi erimus ſicut Angeli Dei, & vbi neque cibo, neque potu egebimus, neque etiam opus fuerit ſomno, ſed in perpetua vigilia viuemus, & laudabimus Dominum.

Quanquam obſeruandum eſt, hunc de quo loquitur, ſomnum, non fuiſſe Adamo, à cauſſa naturali extractum: ſicut fit in nobis aliíſque animantibus, & vt alij quoq; ſomni fuerunt Adæ naturales. Nam ait Moſes, *Deum feciſſe cadere hunc ſomnum ſuper Adamum.* Fuit igitur ſupernaturalis & diuinus. id quod etiam confirmatur verbo, *Cadere fecit ſuper Adamum.* Fuit igitur de Cœlo & ex alto. Naturalis enim ſomnus, aſcendit potiùs ab imo, in altum, dum ſcilicet à vaporibus, qui è ventriculo aſcendunt ad caput, in capite excitatur: ſed iſte Adami cecidit, nempe ex alto ſuper Adamum. Fuit igitur diuinus. Proinde Græci 70. Interpretes, vocant ἔκστασιν: quaſi ſcilicet corripi ſolent Prophetæ & ſancti viri, cum Deus vult aliquid eis reuelare de ſuis myſteriis: vt Actor. 10. de Petro legimus. *Cecidit* (inquit Lucas) *ſuper eum* ἔκστασις: *viditq; cælum apertum*: & de ſe ait Paulus Actor. 22. *ſe fuiſſe in* ἐκστάσει, *& vidiſſe Chriſtum ſibi dicentem, Feſtina*, &c. Talem fuiſſe hunc Adami ſomnum, docent 70. dum vertunt ἔκστασιν. Certum eſt תרדמה ſignificare Hebręis grauem ſomnum, imò plus quàm ſomnum. Vnde & Symmachus, κάρον vocat, hoc eſt, profundum ſomnum, & quaſi lethargum. Sed ſupernaturalem fuiſſe nó dubito: & à cauſſis, propter quas fuit Adamus tali ſomno correptus, idem confirmatur. Cur enim Deus cadere fecit hunc ſoporem in Adamum? Hebræi aiunt, ne ſentiret dolorem, dum ei auferretur coſta: quaſi verò non potuerit illam tollere Deus, ſine dolore Adami. Nimis frigida eſt hæc interpretatio. Aliæ itaq; ſubſunt cauſſæ, hæq; grauiores, & dignæ Spiritu ſancto. Numer. 12. tres narrantur modi, vt ſuprà quoq; à nobis explicatum fuit, quibus Deus ſolitus ſit Prophetis ſanctiſq; viris loqui, & ſua reuelare myſteria. Primò in ſomnis, cùm ſcilicet ſanctos in ſomnis, vel in ἐκστάσει poſitos, ſimpliciter alloquitur. Secundò in viſione, hoc eſt, cum eiſdem in ἐκστάσει raptis, viſiones in phantaſia format Deus, quibus myſteria patefacit. Denique in vigilia, facie ad faciem, & ore ad os, cùm ſcilicet Filius Dei, forma hominis ſumta, apparebat & loquebatur: ſicut ſpeciatim fecit cù Moſe, & ante ipſum, cum Abrahamo & Iacobo. His tribus modis, dignati cum primis voluit Deus Adamum. De primo & ſecundo inter-

preter hunc locum.

De tertio, cùm eidem Adamo vigilanti, dedit Euam in matrimonium: cùm eis benedixit dicendo: *Fructificate, augeſcite*, &c. Item: cùm poſt peccatum eos reprehendit: cum promiſit Meſſiam, & ſic deinceps, dū fuit in Paradiſo Adamus.

Prima itaque cauſſa, cur ſoporem ſeu ἔκστασιν miſerit ſuper Adamum, fuit: quia voluit ei in ſomnis reuelare, quæcunque poſtea de Eua ex ſe ſumta, ſibique in matrimoniū tradita, pronunciauit, dicendo: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; & denique omnia, quæ ad matrimonium pertinentia, nouit Adamus: vt quòd quiſq; relinquere potiùs debeat patrem & matrem, quàm vt ſinat ſe impediri, ne adhæreat vxori ſuæ: & quòd vir & vxor vna ſint caro, &c. Apparet enim, Adamum, ſimul ac euigilaſſet, & Euam ad ſe adductam vidiſſet, nouiſſe, vnde fuerit ſumta: & quod ſibi data eſſet in vxorem, &c. Vnde quæſo hoc nouit? Ex Dei reuelatione, facta ei in ſomnis. Sicut igitur Paulo in ἐκστάσει poſito, apparuit Dominus Ieſus, & locutus eſt ei: vt Actor. 27. habetur: Sic idem de Adamo in ſimilem ἔκστασιν rapto, hæc de Eua, déque coniugio reuelauit.

Deinde non dubito, quin in eadem ἐκστάσει poſito Adamo, oſtenderit per viſionem myſterium connubij inter Chriſtum & Eccleſiam, de quo Apoſtolus Epheſ. 5. *Myſterium hoc magnum eſt, dico inter Chriſtum & Eccleſiam, nempe è latere Chriſti eductum iri Eccleſiam; quæ eſſet os ex oſſibus, & caro de carne Chriſti.* Apoſtolus enim ex verbis Adami, myſterium hoc collegit, vt liquet Ergo & Adamus, cùm hæc verba protulit, *os ex oſſibus* Item, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*: nō ſolùm de ſuo cum Eua coniugio, ſed etiam de illo, quod futurum erat cum Chriſto & Eccleſia, locutus eſt. Hæ itaq; duæ ſunt cauſſæ, verè Theologicæ: quamobrem Deus immiſerit in Adamum, ſoporem hunc. De prima Moſes loquitur: vt ſcilicet in ἐκστάσει poſitum, tum verbis, tum viſione patefaceret: quæ ad coniugium tum ipſius cum Eua, aliorúmque virorum cum ſuis vxoribus: tum maximè Chriſti cum ſua Eccleſia, pertinerent. Additur tertia quoque cauſa, ideo id voluiſſe Deum, vt doceret, quomodo ſe quiſque gerere debeat in vxore ducenda, nempe conſopiendos eſſe affectus carnis, dormiendúmq; eſſe Domino, & totum negotium permittendum Deo. Vt enim meliùs Adamo dormienti proſpexit de vxore, quàm cùm ipſemet eam ſibi inter tot animantia quæſiuit: Sic ſi ſopitis affectibus noſtris, totam huius rei curam committamus Deo: Deus meliùs nobis proſpiciet, quàm ſi nos ipſi eam velimus nobis noſtro conſilio & prudentia, comparare. Nunc tenemus cauſſas immiſſi in Adamum ſoporis: ex quibus etiam confirmatur, ſomnum illum fuiſſe, non naturalem, ſed diuinum. Talis fuit ſomnus, quo correptus Abraham, audiuit à Domino, quid futurum eſſet de ſuo ſemine, Gen. 15. Non diſſimili ſomno affectus fuit Iacob, cum vidit ſcalam è Cælo, in terram vſque pertingentem, Gen. 28.

Neque illud prætereundum eſt, quòd non priùs dormiuit Adamus, quàm Deus in illum immiſerit ſomnum. Ergo etiam donum Dei eſt, quòd ſuo tempore dormiamus. Quis enim eſt, qui in ſua habeat poteſtate ſomnum? Etſi enim naturalis ſomnus, à cauſſis excitetur naturalibus: tamen ſæpenumero experimur, niſi Deus ſomnum largiatur: nos non poſſe dormire. Eſt igitur etiam ſomnus, inter beneficia Dei collocandus. Atque hoc de primo huius verſus membro; Sequitur alterum;

XVII. *Et tulit vnam è coſtis, &c.* Hæc eſt materia, è qua formare voluit Deus corpus Euæ. Eſt autem huius loci duplex interpretatio: ſicut etiam vocis צלע duplex eſt ſignificatio. Significat enim & *latus*, & *coſtam*, latus inquam quodcunq;. Inter Hebræos igitur ſunt, qui dicant, initio fuiſſe creatum hominem vnum, duabus faciebus conſtantem, eo modo quo ſolet pingi Ianus: hincque fuiſſe maſculum ſimul & fœminam: quem Græci ἀνδρόγυνον vocant: qualem fuiſſe ſcribunt Poetæ, quem genuit Venus à Mercurio compreſſa. Proinde ſic interpretantur verba Moſis in primo capite: *creauit hominem* (in ſingulari, quia vnum corpus erat) *maſculum & fœminam creauit eos*: quia reſpectu ſexus duo erant, ſed ſimul coniuncti, ita vt fœmina eſſet ponè maſculum: facie in alteram partem auerſa. Sentiunt itaque, cùm Deus dicitur accepiſſe צלע *latus ex Adamo*: diuiſiſſe hunc ἀνδρόγυνον: & ita eſſeciſſe, vt fœmina, quæ viro priùs erat retro, & ponè, facie à maſculo auerſa, poſtmodum diuiſa, & ante faciem Adami adducta, facta illi fuerit כנגדו & accommodata viro, ad generationē. Et huius rei ſignū apparere in parte poſteriori, tā maſculi, quàm fœminæ: quæ pars ita eſt compoſita, vt videatur altera ab altera eſſe diuiſa. Et in hac ſententia Plato quoq; fuiſſe videtur: & huic ſubſcribit etiam Steuchus. Sed quàm vana ſit & falſa, ex verbis Moſis liquido apparet. Primum ſuprà dixit Deus, *Non eſt bonum, Adamum eſſe ſolū,*

faciam

faciam ei adiutorium. Nondum igitur erat creata Eua. Et Adamus non conſtabat duobus corporibus, vno maſculeo, altero fœmineo. Deinde ait, *accepiſſe coſtam, & ex ea formaſſe Euã.* Non igitur fuit prius formata cum Adamo, & poſtea ab eo diuiſa. Et Apoſtolus aperte ait, 1. Cor. 11. *Prius formatum fuiſſe Adamum, deinde Euam.* Eſt igitur ſtulta & impia ſententia.

Altera, eaq; vera interpretatio eſt. Deum veram coſtam accepiſſe ex latere vno Adami: (quod verum fuerit dextrũ an ſiniſtrum, ſcriptura non explicat) atq; ex hac coſta tanquam ex materia formaſſe corpus Euę: ſicut ex terra formatum fuerat antea corpus Adami. At igitur (inquies) caruit deinceps ſemper Adamus illa coſta? Quid ni? Non enim aliã reſtituit Deus, ſed in locum coſtæ, ſubſtituit (vt mox dicet) carnem. Verum (inquies) quî ſit, quod non genuit filios vna coſta deſtitutos? Omnes enim nos omnibus conſtamus coſtis. Viciſſim ego dicam, cur Abrahamus circumciſus non generabat circumciſos, ſed præputiatos? Ratio eſt, quia generabat ſecundum naturam, quæ ſuam ſemper retinet integram ſeminalem naturam. Proinde etiamſi alicui ſcindas brachium, is tamen generabit liberos, vtroque brachio præditos. Vtitur hac reſponſione Auguſtinus aduerſus Pelagianos. *Cur ſancti gignunt liberos in peccato Originali, cùm ipſi careant peccato propter remiſſionem factam in Chriſto? Quia non gignunt* (inquit) *ſecundùm Spiritum, per quem renati ſunt: ſed ſecundùm carnem, e qua nati ſunt. Quod autem natum eſt ex carne, caro eſt.*

Cæterùm grauiſſimæ hic ſubiunt cauſſæ, cur Deus materiam, é qua formaret Euam, noluerit eſſe terram, ſicut Adamus ex illa creatus fuerat, ſed Adæ coſtam.

1. Principio, ideo ex nobiliori materia formata eſt Eua, quàm Adamus, ne vir propter nobiliorem ſuum ſexum, contemneret mulierem, quæ ſexus eſt ignobilioris.

2 Deinde non accepit externam Adæ cutem, vnde Euam formaret, ſed penetrauit vſque ad oſſa, & coſtam accepit, cum aliqua etiam carne. Nam non nudam accepiſſe Deum coſtam, ſed etiam carnem, docent verba Adami, qui non ſolum dixit. *Hoc nunc os ex oſſibus meis:* ſed etiam, *& caro de carne mea.* Voluit igitur ſignificare Deus: mulierem eſſe vnam & eandem carnem, vnum & idem os, cum viro: ac proinde officium viri eſſe, amare & fouere vxorem ſuam, tanquam ſuam carnem: Et cum iubetur eam diligere: putare, iuberi ſe diligere ſeipſum. ſicut Apoſtolus ait, Epheſ. 5. *Qui diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit. Nemo enim ſuam carnem odio habuit, ſed fouit eam.*

3 Nec amor ſolùm, qui debet eſſe inter virum & vxorem, ſignificatur hac formatione Euæ fœminæ é coſta viri: verum ipſa eumprimis, vtriuſque in vnam carnem coitio atq; vnitio. Sicut enim caro Euæ ratione creationis, materialiter (vt ita loquar) erat caro Adæ, quia de huius carne ſumta erat: ſic poſtmodum ratione vinculi coniugalis, formaliter (ſi ita loqui licet) tam caro Adæ, facta eſt caro Euæ, quàm Euæ caro, caro facta eſt Adæ: imo ambo, vna & eadem caro, facti ſunt, ſicut pronunciat Adamus, imò Deus per Adamum dicendo. *Erunt duo in carnem vnam.* Quid enim aliud factum eſt, cùm Eua tradita eſt in matrimonium Adamo, niſi quod eius caro, eo vnde ſumta fuerat, rediit? Ergo vt hæc vnio viri & mulieris, non tantum ſignificaretur, verum etiam ſeruaretur: voluit Deus Euæ corpus, é coſta Adæ formare.

4. Adde, quòd noluit eam formari ex capite Adami, neque etiam ex pedibus, ſed ex coſta, quæ in medio eſt corpore. Significare igitur voluit Deus, neq; vxori ſumendum ſibi eſſe imperium in virum: ſed potius debere eam ſubeſſe imperio viri: Eſt enim vir caput mulieris: Neque contrà viro premendam eſſe vxorem, tanquam mancipium, ſuis pedibus, ſed eam tanquam ſociam, & indiuiduam vitæ comitem, eſſe amplectendam, & lateri ſuo copulandam.

5. Neq; plures accepit coſtas, é quibus formaret Euã, ſed vnam duntaxat. Eſt igitur mulier eò minor viro, quò pars vna, ſuo toto. Quare debet mulier cum viro honorem, tanquam ſe perfectiori, qui debetur à parte ſuo toti: vt ciuis vnus, toti corpori Reipub. cuius ipſe eſt particula vna.

6. Rurſus, vnam tantum ab Adamo accepit coſtam, non plures: ne plus ſibi imperij, quàm par ſit, in mulierem vſurpet vir: quaſi tota ſit ſumta ex viro. Ideo meminiſſe debet vir, in muliere nihil eſſe é ſuo, niſi coſtam vnam, & aliquid carnis, totum reliquum additum illi à Deo fuiſſe.

7. Poſtremò myſterium hic illud magnum, de quo Apoſtolus Epheſ. 5. luculenter fuit e longinquo præmonſtratum: nempe é latere Chriſti, in cruce dormientis, eductum iri Eccleſiam: nam & illa Eccleſia, quæ fuit à condito orbe, ad Chriſtum vſque, fuit vi ſanguinis Chriſti futuri, ædificata; & eadem vi illa itidem, quæ poſt Chriſtum ad finem vſque Mundi colligitur, (quæ tamen vtraque vna eſt Eccleſia) exædificatur. Atque hæc de ſecundo, de materia ſcilicet, vnde Euam formatam voluit Deus. De tertio ait:

Et carnem clauſit pro ea. Pertinet hoc ad inſtaurationem corporis Adæ. Nam ne deformitas vlla, & imbecillitas in corpore Adami, propter ablatam coſtam remaneret, in locum coſtæ, Dominus immiſit carnem. Hoc facile eſt ad intelligendum. Refellitur autem hac etiam particula, phantaſtica illa opinio Hebræorum de Androgyne, in duas partes diuiſo. Si enim fuiſſet, vt illi fingunt, in duas partes ex æquo diſſectum corpus illud Androgynicum, quorſum iſta carnis repletio in corpore Adæ, & non in corpore Euæ?

Verum enimuero, myſterio non caret etiam hæc particula: *Et repleuit carnem pro ea.*

Coſta, robur ſignificat: caro, infirmitatem. Vt igitur de robore viri, communicatum eſt mulieri, ſic decuit virum imbecillitate mulieris, quæ nomine *carnis* ſignificatur, participari, ac proinde fortiorem, debere compati imbecilliori, & plus ei tribuere honoris: hoc eſt, quod 1. Pet. 3. verſ. 7. docet Petrus: *Viri ſimiliter, vnà verſentur, vt ſcientes decet: vaſi muliebri, vt infirmiori, tribuentes honorem.* Sed hoc in Chriſto optime impletum eſt. Is Eccleſiæ ſuæ, ſuas vires, contra Sathanam & Mundum communicauit: contrà verò, *imbecillitates noſtras, ipſe in ſe recepit. Exinaniuit enim ſeipſum: factus obediens vſque ad mortem, &c.*

XVIII. verſ. 22. *Et ædificauit Iehoua Elohim coſtam illam, quam inſerat ex Adamo, in mulierem.*

Hic ipſa Euæ formatio traditur. Notandum eſt verbum, *ædificauit*: non enim caret Emphaſi. Si hiſtoriam reſpicias, ſignificatur corpus Euæ, fuiſſe exſtructum à Deo in formam ædificij, ac domus. Hoc quàm verum ſit, ex duobus apparet. Primùm, quia vt ædificia, craſſa habere ſolent fundamenta: ſic fœmina tibias & fœmora, quibus totum corpus ſuſtentatur, multo craſſiora habet, & firmiora, quàm vir: idque vt poſſit ſuſtentare vterum & fœtum. Deinde, vt domus ædificantur, vt ibi inhabitent homines: ſic etiam venter mulieris, amplior ventre viri factus eſt, vt ibi recipi poſſint, & habitare humani fœtus. Denique videtur Eua, fuiſſe ceu domus, in qua totum humanum genus quodam modo (virtute ſcilicet) contineretur. Ideò meritò vſus eſt verbo *ædificandi*: vnde & חוה omnium viuentium mater dicta fuit. Cæterùm ſi ad Eccleſiam referas, cuius typus fuit Eua, longè meliùs in eam quadrat hoc verbum, quàm in Euam. Eſt enim domus Dei, in qua Deus ipſe inhabitat, & omnes in ea Electi continẽtur, habitant, viuunt. Proinde meritò dixit Apoſtolus Eccleſiæ Corinthiacæ. *Dei ædificium eſtis.* Fundamentum eſt Chriſtus: nos ſinguli, lapides viui, é quibus ædificatur domus. Ergo tam ſi ſpectes totam humani generis generationem ex Eua: quàm totius Eccleſiæ propagationem, accommodatiſſimè vſus eſt verbo ædificandi. Sic Chriſtus Matth. 16. *Ego ædificabo Eccleſiam meam.*

DE CONIVGIO EVÆ cum Adamo.

ET *adduxit* (ſeu venire fecit) *eam ad Adamum.*

XIX. In hoc contextu tria habemus præcipua capita. *Primò*, Coniugium inter Adamum, & Euam. *Deinde* primam, eámque æternam, de coniugio inter omnes homines, legem. *Poſtremò*, teſtimonium de vera Adæ & Euæ, cùm fuerunt matrimonij nexu inter ſe coniuncti, innocentia.

I. *Et adduxit eam* (Euam ipſe Iehoua) *ad Adamum.* Vndé adduxit? Vero ſimile eſt, antequam euigilaſſet Adamus, Euam iam é coſta Adami formatam, fuiſſe per hortum illum amœnum à Domino deductam, vt loci amœnitatem videret; & ſimul fuiſſe edoctam de hoc connubio, déque multis aliis. Vbi verò Adamus euigilaſſet: adduxit eam ad illum. In quem vero finem? Non certé ſicut adduxerat antè, omnia animantia, vt ea Adamus inſpiceret, noſcerétque, & iuxta cuiuſq; naturam, nomina illis imponeret. Non ſic adduxit Iehoua Euam ad Adamum, ſed vt eam daret illi in matrimonium: *vtq; illi eſſet adiutorium* כנגדו ſicut antè dixerat. Hic eſt enim finis, cur hanc crearit: idque ex coſta Adæ: vt eam daret Adæ in matrimonium; quia bonum non erat, Adamum eſſe ſolum. Quomodo verò eam ad Adamum adduxit? Ego non dubito, quin Filius Dei, humani corporis ſpecie indutus, formatam hanc à ſe formoſiſſimam fœminam, manu apprehenſam, adduxerit in conſpectum Adæ, tanquam vtriuſque parens & *νυμφαγωγὸς*: cámque illi diſertis verbis deſponſarit, & in matrimonium, exacto ab vtroque tam viro, quàm fœmina, conſenſu dederit. Fuit enim celebratum hoc connubium inter Adamum & Euam: non certe vt inter cætera animalia, maſculum capiebat ſibi fœmellam, ſine vlla ceremonia; ſed celebratum fuit religioſiſſime, per Filiũ Dei, viſibili forma apparentem, te-

ſtibus omnibus Angelis, cóque coram tota Eccleſia Dei.

Hinc igitur colligimus, primum quidem coniugij inſtitutorem fuiſſe Deum: eúmque eſſe, qui virum cum vxore etiamnum coniungit. Ac proinde nemini etiam licere illud diſſoluere, niſi eidem Deo, qui coniungit. Et ſic Chriſtus arguit Matth. *Quod ergo Deus coniungit: homo non ſeparet.* Deinde colligitur, coniugium fieri non debere, niſi ex conſenſu voluntatéque parentum: qui tanquam Dei miniſtri, ſuos coniungant in matrimonio liberos. Nam Deus etiam vices parentis obiit, dum Adamum cum Eua coniunxit: imò fuit etiam loco miniſtri Eccleſiæ, qui eis benedixit nuptiis. Tertio liquet ex contextu, Deum non inſtituiſſe coniugium, niſi inter virum vnum, & vxorem vnam. Ait enim, *Adduxit eam*, ſcilicet vnam fœminam, ad Adamum, vnum ſcilicet virum. Proinde neque ex Adamo plures euulſit coſtas, vt plures formaret fœminas, ſed vnam tantùm, vt vnam etiam duntaxat daret Adamo vxorem. Quare polygamia ex inſtitutione Domini non eſt. Quartò docemur, conſenſum vtriuſque & fœminæ, ad verum coniugium requiri. De conſenſu Euæ colligitur ex hoc verbo ויבאה *& venire eam fecit*, non autem, *pertraxit*: Venit igitur ſponte, & liberè conſenſit in hoc coniugium, non autem fuit vi pertracta De conſenſu autem viri, ſubdit Moſes:

Et dixit Adamus. hac vice (pro nunc tandem) *os ex oſſibus meis. & caro de carne mea:* quanquam poſſumus etiam ſic vertere: *Hæc tandem eſt os, &c.*

Bifariam autem conſtrui poſſunt hæc verba: aut, *Nunc tandem os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, nempe hęc eſt: aut, *nunc tandem inueni os ex oſſibus meis, & carnem de carne mea*: eóq; adiutorium verè mihi per omnia commodum, Vel ſic: *Hæc nunc tandem eſt illud os ex oſſibus meis. & caro de carne mea, eoq; illud adiutorium, quod quærebam.* Sed vtvt legas ac conſtruas, ſenſus hic eſt: Hactenus quæſiui inter omnia animalia, an reperire mihi poſſem adiutorium, ad communem vitæ ſocietatem, & ad ſobolem propagandam aptum, eóque mihi prorſus ſimile, & per omnia commodum, ſed reperire non potui. In mea autem ecſtaſi rogaui Dominum, vt is mihi illud adiutorium daret. Nunc igitur tandem video, mihi eſſe conceſſum tale adiutorium, quo nihil mihi ſimilius, nihil magis commodum, eóque nihil carius eſſe poteſt. *Eſt enim os, os ex oſſibus meis: & caro de carne mea.* Proinde hanc accipio, non vt alienam & peregrinam: ſed vt meam ac propriam carnem: idque vt vere ſim cum illa vnum os & vna caro: nunquam diſſocianda. Hic eſt ſenſus. His enim verbis, *Nunc tandem os ex oſſibus meis, & caro de carne mea:* Adamus non ſolum nouit & confeſſus eſt, fœminam hanc ad ſe adductam, fuiſſe è ſuis oſſibus & è ſua carne formatam, ſed etiam agnouit eam pro ſua coniuge: & in hoc coniugium, ſibi à Domino oblatum, conſentiens, liberè faſſus eſt, ſe illam fœminam accipere vxorem, vt ſicut è carne ſua ſumta erat, ſic etiam ſemper cum illa eſſet vna caro. Sicut enim in ſua ecſtaſi, vidit mulierem è ſua coſta formari, ſic experrectus à ſomno, ex adductione huius fœminæ ad ſe per manum Iehouæ, facile intellexit, eam ſibi in vxorem offerri. Proinde ſuam voluntatem exprimens, ſuúmque conſenſum, dixit: *Hac vice, os ex oſſibus meis, &c.* Vel, *hæc tandem eſt os, ex oſſibus, &c.* Ita videmus duplici nomine, Euam fuiſſe os ex oſſibus, & carnem de carne Adami: primum quidem iure creationis. Fuit enim deſumta, creata & formata ex oſſibus & ex carne Adami. Vnde & obiter notandum eſt, non dixiſſe, *& anima, ex anima mea:* ſed tantum, *os ex oſſibus meis: & caro de carne mea.* Nouit enim Adamus, animas humanas non propagari ex hominibus, neque fieri, per traducem, ſed immediatè à Deo creari. Hæc cauſſa eſt, cur nulla mentione facta animæ, tantùm dixerit, *os ex oſſibus, &c.* Iure itaque creationis, Eua erat os ex oſſibus Adami, & caro de carne eius. Secundò, Iure etiam coniugij, erat caro & os Adami: imò ambo ſimul vna erat caro. Sic enim infra de omnibus coniugibus pronunciat, futuros omnes in vnam carnem, id quod Chriſtus interpretatur, Matth. 19. Pro, vtrumque, *virum & mulierem, eſſe vnam carnem:* quaſi dicat, vnum hominem, vnum corpus. Quare in iis verbis, *Os ex oſſibus, &c.* Adamus (vt dixi) non tam ſignificare voluit, ſe noſſe, hanc fœminam fuiſſe è ſuis oſſibus, & è ſua carne formatam, quàm ſe illam agnoſcere pro ſua vxore, ſéque velle cum ipſa eſſe vnam carnem, idque propterea, quòd ſit etiam de ſua carne deſumta. Hinc intelligimus, quomodo & Chriſtus, ſit os ex oſſibus noſtris, caróque de carne noſtra: & nos viciſſim, os ex oſſibus eius. & caro de carne eius: vt Apoſtolus ait. Si ipſam nudam ſubſtantiam carnis ſpectemus, ipſámque Chriſti incarnationem: ipſe eſt os ex oſſibus noſtris, caróque de carne noſtra. Sumſit enim ipſe carnem noſtram & factus eſt ſimilis nobis, per omnia, demto peccato. Ideo Heb. 2. ait Apoſtolus, *quia nos ſumus participes carnis & ſanguinis: etiam Chriſtum Filium Dei æternum, voluiſſe fieri participem eorundem*, carnis ſcilicet & ſanguinis. Itaque iure creationis ſeu incarnationis, Chriſtus eſt caro de carne noſtra: quia ſubſtantiam carnis à nobis accepit. Sed ſi ſpectes ipſum ſpirituale connubium, quo Chriſtus vt ſponſus, nos ſibi deſponſauit, eóque & ſuo Spiritu, nos regenerauit, fecitque nouas creaturas, nos ſumus caro de carne eius, & os ex oſſibus eius. Nos enim ſibi copulando ſuo Spiritu, & deſponſando, fecit vnam ſecum eſſe carnem: eóque & regenerando, & qualitatem ſuæ carnis atque naturæ nobis communicando, efficit: vt noſtra hæc caro, talis ſcilicet, qualis eſt per Spiritum ipſius, regenerata ſcilicet & noua creatura, ſit ex ipſius carne. Duplici itaque nomine Eua erat caro de carne Adæ, quia & iure creationis, & iure coniugij. Sed nos ſumus caro ex carne alterius Adæ, nempe Chriſti, iure ſpiritualis duntaxat coniugij: quia is ſibi nos deſponſauit, cum contrà ipſe ſit caro de carne noſtra, reſpectu incarnationis ſuæ, qua noſtram ſibi aſſumſit carnem. Atque hæc ex verbis illis: *Nunc tandem os ex oſſibus.*

Porro poſteaquam Adamus expreſſo ſuo conſenſu ac voluntate accepit fœminam ad ſe adductam, in matrimonium: ſubiecit יקרא אישה לזאת, Huic vocabitur (nomen) אישה *viriſſa: quia de viro ſumta eſt hæc:* Quidam tamen illud לזאת vertunt *ideo*, ſeu, *propter hoc.*

His verbis Adamus duo facit. Primum, ſuum conſenſum in hoc coniugium confirmat: ſeque verè factum eſſe huius fœminæ virum, ac proinde autoritatem in illam accepiſſe profitetur Facit hoc, dum ei nomen imponit. Imponere enim alicui rei nomen, auctoritatem & ius in illam rem ſignificat eſſe illi, qui nomen indit: ſicut ſuprà etiam dictum eſt, cum nomina impoſuit cuique animali. Multo verò magis hoc confirmat, dum non ſimpliciter nomen ei indit, ſed tale ei nomen indit, nempe אישה Hoc enim nihil aliud ſignificat, quàm viri fœminam, ſeu vxorem. Voluit igitur hoc nomine, tanquam perpetua nota & ſymbolo teſtificari, verè hanc fœminam, ſuam factam eſſe vxorem, & ſe illius virum. Deinde ſimul etiam probat factum Domini, quod hanc fœminam, e ſua carne, & ex ſuis oſſibus formarit: & ita è ſe formatam, ſibi denuo reddiderit, tradendo ſibi eam in matrimonium: vt ſicut è viro ſumta eſt, ſic etiam rurſus vnum atque idem fiat cum viro. Facit hoc ſubdendo rationem, cur eam vocarit אישה *quia* (inquit) *de viro ſumta eſt hæc:* quaſi dicat: Merito igitur etiam viro tradita eſt, vt ſit eius vxor & adiutorium כנגדו. Et ita verè facta eſt אישה fœmina viri, quia etiam de viro deſumta eſt. Docet enim iis verbis Adamus, non decuiſſe, viro dari in matrimonium & vxorem: niſi quæ etiam de viro ſumta eſſet: eóque ei per omnia eſſet ſimilis: vt etiam vna ſemper eſſet caro, & eiuſdem quoque naturæ ex ſe gigneret liberos. Ac proinde his verbis ſummoperè commendauit Adamus conſilium & opus Dei: qui vt ex viro ſumſerat fœminam, ſic etiam reddiderit viro, vt eſſet vna caro. Magni itaque ponderis ſunt verba Adami: quibus vocauit ſuam vxorem אישה & quibus, cur etiam ſic eam vocarit, rationem expreſſit. Nam vt dixi, & coniugium iſtud confirmauit, & factum conſiliúmque Dei commendauit ac prædicauit: & vtriuſque facti perpetuam memoriam voluit extare in nomine vxoris ſuæ, in nomine ſcilicet אישה. Non eſt autem ſilentio prætereundum, quod Hebræi in hoc nomine אישה obſeruant. Duæ ſunt ibi eſſentiales literæ ſacroſancti nominis Iehouæ: nempe, י & ה. Cùm autem ſignificet *viriſſam*, hoc eſt, *viri fœminam*: ſignificauit Adamus, Deum Iehouam non ſolùm coniugij ſui eſſe auctorem, ſed etiam illius ſanctificatorem. eúmque eſſe in medio viri & vxoris, ac proinde viro & vxori ſemper cogitandum eſſe, Deum ſemper eſſe in medio ipſorum: ſicut etiam י & ה, inſitæ ſunt huic nomini אישה. Quare viuendum etiam eſſe, & vtendum coniugio, ſanctè & ex voluntate Iehouæ. Quod ſi ſecus fecerint, Deum ablaturum ſuas literas, י & ה ex dictione, atque ita tum non manſurum niſi אש. hoc eſt, *ignem*; iurgia ſcilicet, lites, incendia, pœnas, tormenta, denique infernum. Certum enim eſt in illis coniugiis, quæ non ſunt facta in Domino, & in quibus non regnat ſuo Spiritu, Filius Dei, non reperiri niſi ignem infernalem. Ideo ibi mulier non eſt אישה, ſed אש.

Notanda eſt præterea in hoc nomine אישה indiſſolubilis vnio, quæ inter virum & mulierem, ex Dei ordinatione eſt & eſſe debet. Hoc enim vnico nomine continetur & vir & vxor. Vir nomine איש. vxor litera ה addita; non quod nomine אישה ſignificetur & vir & vxor (ſola enim vxor in recto, eo nomine ſignificatur,) ſed quòd ſignificetur etiam vir in obliquo, quia אישה eſt viri vxor. Vt ergo in vno nomine vniti ſunt vir & vxor, ſic etiam re ipſa, vnum ſunt, vnaque caro. Illud vero diligenter & maxima obſeruatione

dignum

dignus eſt: quòd Adamus ſimulac Euam ſibi in matrimonium duxiſſet, ſtatim ei ſuum communicauit nomen; nempe איש vocando eam אשה idque merito, quoniam & communicata iam illi erat etiam ipſius caro & os: & denuo eam ſibi in vnam carnem coniugij vinculo coniunxerat. Communicatione enim nominis ſui, tanquam vnionis ſymbolo ſignificare voluit ſuæ carnis communicationem: & ex conſequenti, omnium bonorum ſuorum communicationem. Qui enim dat ſeipſum, omnia etiam, quæ habet, communia ei facit, vt vir vxori. Idem fecit Filius Dei, cæleſtis Adam, noſter ſponſus: ſimulac Eccleſiam ſibi deſponſauit: eam etiam ſuo nomine dignatus eſt: nomine ſcilicet Iehouæ, vt apud Ier. 33. Eccleſia vocatur nomine ſponſi proprio, nempe יהוה צדקנו. Et 1. ad Cor. 12. vocatur Chriſtus: ſinguli vero fideles filij Dei: quod ſanè nomen vnigenitus, ipſe nobis communicat. Quamobrem? quia ſeipſum etiam nobis prius communicauit, ſuum Spiritum, ſuam naturam, ſuam carnem, ſuum ſanguinem: & per conſequens omnia ſua bona. Proinde, vt ſuam, quam nobiſcum habet vnionem, ſignificet: ſuo etiam nomine nos dignatur, vt vocemur & ſimus filij Dei.

Hactenus paucis verbis deſcripſit nobis Moſes matrimonium, quod inter Adamum & Euam, per Filium Dei inſtitutum, ſanctificatum & conſummatum fuit: idque coram tota cæleſti Angelorum Eccleſia. Quia vero coniugium hoc inſtitutum fuit non tantum propter Adamum & Euā, ſed vt humanum genus in finem vſque Mundi propagaretur: eóque vt omnes electi naſcerentur, & ſuo etiam tempore Meſſias ipſe, per quem vniuerſa colligenda erat, & glorificanda Eccleſia: Idcirco Adamus, plenus Spiritu S. loquente per os eius Iehoua, poſt firmatum & ſanctificatum ſuum cum Eua coniugium, legem æternam de reliquorum etiam [illegible] hominum coniugio tanquam Dei præceptum, in hæc verba promulgauit.

Vers. 24. *Idcirco derelinquet vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ & erunt in carnem vnam*, hoc eſt, caro vna.

1. Principio notandum eſt, hanc eſſe legem diuinam, per os Adami promulgatam: Chriſtus hoc aperte docet Matth. 19. cum ait: *Non legiſtis quòd qui fecit* (id eſt, creauit) *ab initio* (Mundi) *maſculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam?* Eſt igitur inſtitutio & lex Dei hæc.

2. Deinde notandum, hanc legem ad omnes homines, tam impios, quàm pios pertinere. Fuit enim inſtitutum tunc connubium pro toto humano genere, qui deinceps futuri erant, vnde & *matrimonium* dicitur eſſe de iure naturæ. Quo reijcitur in primis illud commentum, quo contendunt matrimonium eſſe ſacramentum. Sacramenta enim non ſunt adminiſtranda niſi in Eccleſia. Coniugium autem ad omnes pertinet. Proinde etiam inter Turcas & Iudæos ſunt vera matrimonia, quanquam non ſancta: quia non ſunt facta in domino, vel coque Deo, quem non norunt.

3. Poſtremo notanda eſt illatiua & cauſalis particula עלכן *propterea*. Cauſas enim præcedentes complectitur, cur communem de omnium hominum matrimonio legem conſtituat. Immediate quidem fert legem de non deſerenda vxore, ſed conſtanter illa retinenda, amanda, fouenda, (vt Chriſtus ipſe ſuæ legis interpres eſt Matth. 19) idque hanc ob cauſſam, quod vxor, ſicut ex carne viri eſt, ita etiam ei tradita ſit in vxorem, vt ſit perpetuo cum illa, vna & eadem caro. Et hoc voluit inprimis ſignificare hac particula עלכן *propterea*: Interim tamen, quia lex non ſolum illis qui vxores habent, cum eis conſtanter manendum eſſe diſertè præſcribit, verùm etiam iis qui non habent, vt ſibi ducant, tacitè mandat, nempe tum propagandi humani generis cauſſa, tum etiam vitandæ ſcortationis gratia (nam hanc quoque præuidit cauſſam Deus:) idcirco alias quoque rationes præcedentes refert hæc particula עלכן: atque inprimis illam, ideo creatam eſſe fœminam, quæ eſſet viro adiutorium כנגדו. *quia non eſſet bonum, hominem eſſe ſolum.* Sentio itaque ex iis quæ antea & dicta à Domino, & facta fuerunt pro coniugio inter Adamum & Euam: Adamum Spiritu Dei repletum, eóque Deum per Adamum, hanc de communi omnium coniugio, legem tuliſſe: quid dico legem? Imò leges (plures enim vna his paucis verbis continentur) eáſque omnes verbis & actis præcedentibus ſanciri puto, firmari ac ſtabiliri.

Eſſe autem hæc verba legem, & non vaticinium: inde liquet, quia Chriſtus Matth. 19. hæc verba citat, vt iis doceat, non licere vxorem quauis de cauſſa dimittere. Ac legem Dei, ibidem docetur: quia Chriſtus ait, Deum hæc verba dixiſſe. Per Adamum autem potius, quàm per Moſem, hanc de coniugio legem tuliſſe Deum: inde fit probabile, quia & in hoc, & in primo capite, imo & in inſequentibus, Moſes ſimplicem agit hiſtoricum: referens, quæ & dicta & facta fuerunt de principio, vt liquet. Eſt igitur continuatio ſermonis Adami, per quem Deus tulit hanc legem.

Tria porro ſunt huius legis membra: vel ſi mauis, tres leges, quæ his verbis de coniugio ſtatuuntur. *Prima* eſt, de ducenda cuique vxore: ſi ei manere ſolum & inconiugatum, aut ad ſui, aut ad humani generis ſalutem, bonum non ſit. Ad ſui ſalutem, vt qui non poſſunt ſe continere. Ad mundi vero & humani generis, vt illi, per quos oportuit humanum genus propagari. Hæc eſt prima lex: eaque ex illa ſuperiori pendet ratione, quia non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, quod quomodo intelligendum ſit, paulo antè dictum eſt. Cum enim per Adamum dicit Deus, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ:* expreſſe mandando, vt quiſque coniugi ſuæ adhæreat, tacite etiam ſtatuit, vt qui videt ſibi aut humano generi, non eſſe bonum vt ſit ſolus, is vxorem ducat. Scimus, coniugium, inter res adiaphoras, ſua natura & per ſe connumerari, ex accidenti tamen aliquibus fuit, & eſt neceſſarium. Declaro. Adamo & filiis eius, primiſque illis Mūdi prioris hominibus, & deinde poſt diluuium, filiis Noë, propter conſeruationem humani generis, neceſſarium fuit; quia bonum non erat Mundo, eos homines eſſe ſolos. Item tempore Iſraelitarum, ſi qua familia videbatur extingui facile poſſe, neceſſarium erat, vt alij, qui ex ea familia, vxores ducerent. Neceſſarium item eſt illis, qui non poſſunt ſe cōtinere, ſanctum coniugium: quia neque ipſis bonum eſt, eſſe ſolis, *& melius eſt nubere, quàm vri.* Proinde tunc quiſque ſciat, ad ſe adduci à Deo vxorem, ſicut & Eua adducta fuit ad Adamum, cum videt velle & bonum eſſe, aut ſibi, aut humano generi, vxorem ducere. Tunc enim vocamur à Domino, ad ſanctum coniugium. Ad hoc vero eo magis adduci debent homines: quod coniugium à Deo & inſtitutum, & ſanctificatum fuit, quo ſpectat illud Hebr. 3. *Honorabile connubium inter omnes & thorus immaculatus.* Deinde, quod ideo creauit Deus fœminam, vt ſit viro adiutorium כנגדו. Ergo propter has rationes, cum non eſt bonum hominem eſſe ſolum, debet is homo vxorem ducere, & ei adhærere: relictis etiam, ſi opus ſit, patre & matre.

Hanc primam legem ſequitur *ſecunda*. Ea eſt, de cohabitatione cum vxore ſua: deque illa à ſe non reijcienda: dum vxor eſt. Hanc tradit apertè, & ſancit legem Deus, cùm ait: *Et adhærebit vxori ſuæ.*

Sed & verbo דבק aliquid amplius ſignificari, quàm cohabitationem. Significatur enim conglutinatio, ſeu carnalis coniunctio, viri cum vxore. Vnde & Chriſtus eſt vſus verbo προσκολληθήσεται: à κόλλα. quod eſt gluten: Quia tamen poſtea ſubdit: *Et erunt in carnem vnam*: qua locutione propriè ſignificatur illa carnalis copula, & quaſi incarnatio: idcirco differentiæ cauſſa, *vnum* accipio pro lege, de cohabitando cum vxore: *alterum* de reddenda beneuolentia, vt Apoſtolus loquitur. Non ergo ſatis eſt, vxorem ducere, ſed vult Deus, virum habitare cum vxore, & vxorem cum viro, indiuulſe & inſeparabiliter. Et hoc ſignificat verbo *adhærendi*, ſeu *adglutinandi eſſe vxori ſuæ.*

Et merito ait, *Vxori ſuæ*. Si enim deſinat eſſe vxor, id quod fit per adulterium, tum vir hac lege liberatur: & fit ei liberum, ſi eam velit vel retinere, vel reijcere. Proinde damnantur hac lege, omnia temeraria, & quæ præter adulterium fiunt diuortia. Hanc legem his verbis ſanciri, docet Chriſtus ipſe, *Deus ſcilicet in carne manifeſtatus eſt.* Matth. 19. vbi citato hoc loco, damnat Iudæorum diuortia, qui quauis de cauſſa, dato libello repudij, ſuas dimittebant vxores. Locum etiam hunc explicat Apoſtolus, 1. Corint. 7. dicens: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, denuncio, non ego, ſed Dominus, vxor à viro ne diſcedito: Et vir vxorem ne dimittito.* Quando hoc ſtatuit Dominus? Quando per Adamum dixit *Vir adhærebit vxori ſuæ.* Et vſque adeo vult Deus hanc coniugum cohabitationem, vt etiamſi vna pars ſit infidelis, & altera facta ſit fidelis: Et infidelis velit habitare cum fideli, iubeat Deus per Apoſtolum, infidelem retineri: vt ibidem ſubdit Apoſtolus. Nam Apoſtolus hoc etiam colligit ex his Domini verbis, *Vir adhærebit vxori ſuæ:* nempe ſiue fideli, ſiue etiam infideli, quæ vera & legitima ſit vxor. Meritò igitur verba hæc, de cohabitatione coniugum, deque neutra parte deſerenda, ſeu dimittenda, interpretor. Sed vt dixi, continentur etiam hoc verbo, illa carnalis adglutinatio. Vbi etiam obiter notandum eſt, quod ait: *Adhærebit* vxori, *non fœminæ.* Non ergo cuiuis fœminæ adhærendum, ſed *vxori*. Neque ait vxoribus, ſed vxori. Polygamia igitur non fuit ex Dei inſtitutione. Quæ enim hic tradit Moſes de coniugio, regulæ ſunt generales & ſempiternæ veri & legitimi coniugij. Neque ait ſimpliciter, *adhærebit vxori*: ſed addit, ſuæ. Excluduntur ergo alienæ,

eóque damnantur adulteria, omnéſque vagæ libidines.

Rationes vero, cur hanc legem ſanxerit Deus per Adamum, ſunt: propterea quòd Eua Adamo, eóque omnis vxor viro traditur, vt ſit ei כנגדו. Quomodo verò poteſt ei eſſe כנגדו in ipſius conſpectu, ſemperque ei præſto, ſi non ſimul cohabitent? item, propterea quod educta eſt mulier è coſta viri: & rurſus viro reddita, vt habeat vir quod ſuum erat. Non licet igitur eam abiicere. Hinc illud Chriſti: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Quod verò dicitur de viro: idem de vxore intelligitur: nempe ipſa adhæreat viro ſuo, & ab illo non diſcedat. Expreſſit hoc Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Vxor à viro non diſcedito.* Sicut enim non tantùm vir iubetur vxorem ducere, ſi non ſit ei bonum, manere ſolum, ſed etiam fœmina nubere, quia *melius eſt nubere, quàm vri:* ita etiam hac lege, *Vir adhærebit vxori ſuæ,* non ſolùm iubetur vir, cum ſua habitare vxore, & vt ne eam deſerat, cauetur, ſed etiam mulier, ne à ſuo diſcedat marito. Ad hanc legem pertinet, quod præmittitur: *Quapropter homo deſeret patrem & matrem*, vt ſcilicet adhærere poſſit vxori ſuæ. Verba hæc, hypotheticè & conditionaliter intelligenda ſunt, nempe ſi alia ratione non poſſit adhærere vxori ſuæ, quàm deſertis parentibus; deſerat potiùs parentes, vt adhæreat vxori, quàm ſinat ſe per parentes impediri, ne cum ſua habitet vxore. Neque enim ſimpliciter iubetur filius deſerere patrem & matrem ſuam: quibus tam iure naturali, quàm lege diuina eſt obſtrictus, & omnem ſuam debet operam, vnde & primum ſecundæ tabulæ præceptum eſt, de honorandis parentibus; ſed iubetur ita adhærere vxori ſuæ, & tanti facere vinculum coniugale, vt ſibi potius deſerendi ſint parentes, quàm vxor. Ac proinde docet, vinculum, quo vir obſtrictus eſt vxori, maius eſſe vinculo, quo filius obligatus eſt, parentibus. Et meritò. Nam illud etiam prius fuit iſto. Priùs enim Adamus & Eua fuerunt coniuges, quàm parentes. Imò & ideo coniuges, vt poſſent eſſe parentes, & ita humanum genus propagare. Meritò igitur deſerendi potiùs ſunt parentes, quàm vxor, aut maritus. Annon bonum publicum, præponendum eſt priuato? Ad bonum autem publicum pertinet, habitatio cum vxore, nempe ad propagationem humani generis, per liberorum procreationem. Manere autem cum parentibus, ad proprium ipſorum bonum, conſolationem & vtilitatem ſpectat.

Deſerendi igitur potius parentes, quàm vxor. Proinde etiãſi liberi ſint ex parentibus, caro de carne, & oſſa ex oſſibus eorum: nunquam tamen dicuntur, *in vnam carnẽ eſſe*, aut *vna caro*, ſicut de viro & vxore dicitur. Vnde etiam apparet, vnionem viri cum vxore, longè maiorem eſſe, vnione quæ inter parentes eſt & liberos. Deſerendi igitur potiùs parentes ſunt liberis: quàm vxor viro, aut vir vxori.

Huc pertinet vox illa de vxore, quòd ſit *adiutorium viro* כנגדו quod certè de liberis & parentibus nunquam legitur. Etſi enim liberi debent eſſe auxilio parentibus, & illis inſeruire, omnémque operam præſtare: non ſunt tamen illis id, quod vxor debet eſſe viro adiutorium כנגדו.

Rationes has omnes complexus eſt Adamus: cùm à ſuo coniugio, intulit de coniugio aliorum omnium, *Propterea relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam: & adhærebit vxori ſuæ.*

Emphaſim habet, quòd non ait, *relinquet parentes*, ſed nominat *patrem & matrem*: neque ſimpliciter ait *patrem & matrem*: ſed *patrem ſuum, & matrem ſuam*: Quid enim dulcius & charius nomine patris ſui, & matris ſuæ? Interim tamen docet, hos etiam potiùs eſſe relinquendos, quàm vxorem.

Docet igitur, chariſſima quæque in hoc Mundo, eſſe deſerenda potiùs, quàm vxorem.

1. Hinc luculenter apparet, quàm non facilè facienda ſint diuortia. Si enim ne parentum quidem auctoritas, quæ poſt Deum maxima eſt, & nobis debet eſſe ſacroſancta, aliquid valet, ad impediendam viri cum vxore coniunctionẽ; & contemnenda ea potiùs eſt, quàm vt ſinat te à tua abduci vxore: quantum igitur peccant illi, qui leuibus de cauſſis diuortia faciunt? Et hoc fuit Chriſti argumentum apud Matthæum: *Deus dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit vxori ſuæ. Ergo non quauis de cauſſa licet vxorem dimittere, & quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

2. Hinc conſequenter apparet, quàm grauiter etiam peccent omnes illi, qui coniugatis vllam dant vel cauſſam, vel occaſionem, diuortia inter ſe faciendi: vt qui inter ipſos ſeminant diſſidia, eorúmque animos à ſe inuicem variis rationibus, vel verbis, vel factis alienant.

3. Ac ſi parentes deſerendi non ſunt, niſi propter coniugem, vt ſcilicet huic adhæreat: grauiſſimè igitur illi peccant, qui deſerunt quidem parentes: ſed interim neque cum vxore ſua habitant.

4. Hinc etiam liquet, nunquam licitum eſſe coniugium inter parentes & liberos: ac iure naturæ, tale coniugium damnari. Si enim deſerendi ſunt parentes liberis, propter connubium: Ergo connubij cauſa, non poſſunt illis adhærere.

5. Illud quoque obſeruandum eſt, quod ait, *Derelinquet patrem, &c.* vt ſcilicet adhærere poſſit vxori ſuæ: hoc eſt, ſi vt cum vxore habitare poſſit liberè, diſcedere ei licet ex ædibus parentum. Non ergo prohibet viro amorem, honorem, & reuerentiam erga parentes, vt amare poſſit vxorem: ſimul enim cohærere poſſunt, amor erga parentes, & amor erga vxorem: ſed permittit diſceſſum à parentibus, vt liberè cum ſua coniuge habitare & viuere poſſit.

6. Ad extremum, ſi tanta eſt vnio inter virum & vxorem, vt huius ſeruandæ cauſſa, liceat parentes derelinquere: Ergo neque propter liberos, licebit vel viro vxorem, vel vxori virum deſerere. Primus enim gradus coniunctionis eſt inter virum & vxorem: Secundus inter parentes & liberos. Ergo vt illam non licet infringere propter parentes, ſic neque propter liberos.

Cæterùm hinc etiam argumentari licet, ſi propter parentes non licet deſerere vxorem, imò contrà, vt cum hac poſſis manere, deſerendi potiùs ſunt parentes, idque propterea, quòd & prius & maius eſt vinculum, quo obſtrictus eſt vxori vir, quàm quo obligatus eſt parentibus filius: Ergo multò magis propter Deum, licet deſerere & parentes, & verò etiam vxorem. Ratio eſt, quia vinculum, quo obſtricti ſumus Deo; & prius & maius eſt aliis omnibus. Atque hoc eſt, quod Chriſtus dicebat, Matthæi capite decimo, *propter ſe deſerendum eſſe patrem & matrem: & vxorem etiam ſuam.* Qua etiam re declarabat, ſe non eſſe purum hominem. Nullus enim eſt purus homo: cuius cauſſa, deſerenda ſit vxor, quando ne propter parentes quidem ipſos deſeri poteſt aut debet.

Tertium legis membrum, vel potius tertia lex eſt, de reddenda (vt Apoſtolicè loquar, modeſtiæ cauſſa) vxori debita beneuolentia. Poſſet enim quis habitare cum vxore, ſed interim tamen, non ei reddere beneuolentiam. Proinde Apoſtolus diſcrimen vtrumque facit, in priori ad Corinthios capite ſeptimo: dum etiam diſtincta tradit præcepta, quorum vnum eſt de cohabitatione. *Vir* (inquit) *non dimittat vxorem ſuam.* Alterum de reddenda debita beneuolentia: *Vxori*, inquit, *vir debitam beneuolentiam reddat: ſimiliter autem & vxor viro: Ne fraudet item alius alium.* Et quoniam in his paucis verbis Moſis, continentur virtute omnes hæ leges de coniugio, de ducenda vxore, de retinenda ſecum vxore, ac reddenda beneuolentia vxori, hæc cauſſa eſt, cur diſtinguam inter *adhærebit vxori ſuæ*: *& erunt duo in carnem vnam.* Neque enim libenter admitto in ſacris Literis *παραδοξίας*: præſertim in talibus breuibus ſententiis & legibus, qualis eſt hæc præſens.

Hæc igitur particula: *Et erunt in carnem vnam*, copulam carnalem propriè intelligo: qua ita vir adglutinatur vxori ſuæ, vt ambo fiant vna caro. Quanquam cum hac, complector etiam ius, quod vterque coniunx, in alterius accipit corpus: vt Apoſtolus explicat 1. Cor. 7. *Mulier non habet proprium corpus in poteſtate, ſed vir: Similiter autem & vir ſui, &c.* Sed ex hoc iure ſequitur legitima carnalis copula. Ideo notanda eſt phraſis & Moſis & Chriſti vtcunque diuerſa, de eadem re. Chriſtus ait, *Erunt duo vna caro.* Moſes vero dixerat, *Erunt in vnam carnem.* Senſus igitur eſt: Ita ſeſe coniungent vir & vxor in vnam carnem, vt duo ſint vna caro. Cur autem ſic verba hæc Moſis interpreter, adducor præter alias rationes, loco Apoſtoli, ex 1. Cor. 6. Vbi de carnali copula viri, cum ſcorto verba faciens, apertè ex hoc Moſis loco, affirmat, *Eos tali actione, fieri vnam carnem, & vnum corpus.* Non eſt autem abuſus Paulus verbis Domini, de prima coniugij inſtitutione. Neceſſe igitur eſt, cùm Deus dixit, *Erunt in carnem vnam*: eum non de vnione ſolum animorum, neque de ſolo iure, quod vterque coniugum accipit in alterius corpus, locutum eſſe, ſed etiam, ídque cumprimis, de carnali coniugum inter ſe coniunctione. Nam perinde de ſcortatore & ſcorto ait Apoſtolus, eos fieri vnam carnem: atque de viro & vxore idem antea pronunciat Deus & Chriſtus. Neque diſcrimen eſt inter ſcortatores & coniuges, ad hanc rem quod attinet, niſi quod honeſtè & ex Dei ordinatione, ij fiunt vna caro: Illi autem fiunt, contra Dei mandatum & illegitimè. Ergo dubitare non poſſum, quin his verbis; *Et erunt in carnem vnam*, tradiderit Deus legem illam quam Apoſtolus diſertis verbis explicat, dicendo, *Vir vxori debitam reddat beneuolentiam: ſimiliter & vxor viro.*

Cõfirmatur hoc à ſimili. Qui enim reali vnione per Spiritum ſanctum adglutinatur Domino; vnus Spiritus efficitur cum illo, vt ſuprà citato loco docet Apoſtolus. Ergo etiam per realem copulam viri cum vxore, fit alter cum altero, vna caro. Adde etiam à contrario argumentum:

Qui

Qui enim ſcortãdo, vna caro efficitur cum ſcorto: is quantum in ipſo eſt, reapſe ſeſe diuidit ab vxore: & deſinit eſſe cum illa vna caro. Ergo per carnalem ſanctamque cum vxore coniunctionem, fit cum illa vna caro, eáque ſancta: quia thorus immaculatus eſt, ait Apoſtolus.

Cæterùm, neque ſola carnalis copula ſignificatur his verbis, *Erunt in carnem unam*. ſed ſincera etiam beneuolentia, & amor. Proinde Apoſtolus, vna hac tantum voce vſus eſt: *εὔνοιαν* ſcilicet ac beneuolentiæ. cum tamen ea ſignificare voluerit duo, nempe & internam beneuolentiam: & externam corporum coniunctionem. Quia verò vtrumque poteſt etiam eſſe inter ſcortatores, idcirco tertium additur, quod inter illos eſſe non poteſt: nempe legitima poteſtas vtriuſque coniugis in alterius corpus.

Tria ergo Dominus his verbis ſignificauit:

1. Poteſtatem, quam tradit vtrique coniugi in alterius corpus, vt eo poſſit ad moderatam honeſtámque coniunctionem vti. Proinde etiam antequam ad coniugalem veniant actionem: iam coniuges ſunt huiuſce poteſtatis reſpectu, vna caro.

2. Significauit animorum vnionem, ſincerámque beneuolentiam: quæ inter ipſos eſſe coniuges debet. Ex hoc enim fonte proficiſci debet carnalis copulatio: quæ cauſſa eſt, cur Apoſtolus, carnalem etiam hanc coniunctionem, vocarit *beneuolentiam*. Proprium enim amoris eſt, rem amatam, ſibi copulare & vnire.

3. Poſtremò ſignificauit, ipſiſſimam corporum in ſancto coniugio coniunctionem. Sicut enim Eua realiter erat caro ex carne Adæ: quia ex illo realiter deſumta fuerat: Sic etiam fuit ei data in matrimonium, vt realiter denuo, per ſanctam corporum coniunctionem, fieret cum illo, vna & eadem caro: idque non ad turpem inexplebilemque libidinem: ſed ad liberorum procreationem.

Nunc tenemus ſenſum huius tertij membri, ſeu legis.

Tria autem cumprimis damnantur hac lege: Polygamia: Diuortia (quæ ſcilicet, excepta adulterij cauſſa, temere fiunt) & ipſa Adulteria.

1. *Polygamia* quidem: quia inter duos tantùm inſtitutum fuit matrimonium. Ait enim: *Et erunt in carnem unam*. Quinam? Ille vir, qui deſeret patrem & matrem coniugis cauſſa; & illa vxor, cui vni vt vir adhæreat, ille patrem & matrem deſeret. Id quod Dominus Ieſus clarius etiam explicauit, cùm dixit: *Et erunt duo vna caro*. Nam neque primi coniuges fuerunt plures, quàm duo: Adamus & Eua. Ac ſi valeret quorundam ratio, multiplicandi humani generis cauſſa, implendiq; terram, licitam fuiſſe patribus polygamiam: cui magis fuiſſet licita, quàm primis hominibus, è quibus totum humanum genus erat propagandum, & replenda terra? Nam iis inprimis dictum fuit, *Fructificate, augeſcite, replete terram*. Ergo cùm Deus his non conceſſerit polygamiam, apparet, non ex Domini voluntate, ſed contra primam inſtitutionem, in Mundum eam irrepſiſſe.

2. Diuortia verò damnari hac lege, quæ fiant inter veros coniuges, manifeſtum eſt, interprete Chriſto Matth. 19. Iubet enim Deus, vt vir & vxor ſint vna caro: & reuera ſunt vna caro. Quid autem aliud agit ille, qui diuortium facit, niſi quod vnam carnem in duas lacerat partes? Ideo Chriſtus concludit ex hac lege, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Quomodo autem homo ſeparat? Si alter coniunx, aut adulterium committit: aut citra cauſam adulterij, diuortium facit. Qui enim adulterium committit, cùm ſe faciat vnam carnem cum ſcorto, vt Apoſtol. 1. Corinthior. 6. docet: deſinit eſſe vna caro cum ſua coniuge: & ita diuidit quod Deus coniunxerat. Qui autem facit diuortium excepta adulterij cauſſa, is itidem diſſoluit quod Deus coniunxerat, vt Chriſtus apertè docuit. Ergo hac lege, *Et erunt duo in unam carnem*, diuortia damnantur, quæ excepta adulterij cauſſa fiunt.

3. *Adulteria* verò ipſa itidem hac lege damnari, nimis manifeſtum eſt: Quando, teſte Apoſtolo, qui adhæret ſcorto, vnum corpus efficitur cum illo; Non poteſt autem vnum corpus eſſe duo corpora. Non poteſt igitur adulter vnum corpus eſſe cum ſcorto, & ſimul vnum alterum corpus eſſe cum vxore. Quare cùm fiat propter ſcortationem, vnum corpus & vna caro cum ſcorto, deſinit omnino eſſe vnum corpus & vna caro cum vxore. Qui ergo iubet, vt coniuges ſint vna caro, idem prohibet adulterium, quo coniuges deſinunt eſſe vna caro. Hactenus de iis quæ hoc verſu traduntur, ad omnium hominum coniugium attinentia, ſatis: ſubdit Moſes:

XXI. *verſ. 25. Et erant ambo nudi: Adam & vxor eius: nec erubeſcebant.*

Scopus Moſis in hoc verſu fuit, vt indicaret, quanta fuerit ſimplicitas, puritáſque animorum, ſanctitas & innocentia Adami & Euæ, primorum coniugum, cùm adhuc eſſent in Paradiſo, ante eſum vetiti fructus. Atque ita voluit oſtendere, quantum diſcriminis ſit inter ſtatum hominis ante peccatum, & poſt peccatum: & quòd vterque in Paradiſo honeſtiſſimè cum ſuo coniuge, in ſancto coniugio ſeſe geſſent. Hic eſt ſcopus. Duo autem ſunt huius vſus membra: Vnum, Adamum & Euam fuiſſe nudos, hoc eſt, creatos nudos, & nudos etiam in Paradiſo inter ſe vixiſſe. Alterum, neutrum illorum aut de ſua nuditate pudefactum, aut alterius nuditate offenſum fuiſſe. Vtrumque enim ſignificatur hac voce: *Et non erubeſcebant*: hoc eſt: Neque ſuam quiſquam illorum, neque alter alterius nuditatem erubeſcebat. Non ſecus atque noſtri infantes non erubeſcunt, etiãſi nudi incedant, & ſe inuicem videant nudos. Sed diuerſa eſt cauſa, cur noſtri infantes non erubeſcant, ab illa propter quam non erubeſcebant Adam & Eua. Cur noſtri non erubeſcunt? Quia deſtituti ſunt iudicio, & nondum percipiunt diſcrimen inter honeſtum & turpe. Turpe enim iam eſt incedere nudum. At vero qui fiebat, quòd Adam & Eua, licet nudi eſſent, non tamen erubeſcebant? Num quia infantes eſſent & pueri? Ætate quidem erant ceu infantes, quia recens creati. Interim tamen illi erant & animo atque iudicio & ſimul etiam corpore præditi: perinde atq; nunc ſunt homines 40. annos nati. Creati enim fuerunt perfecti & corpore & animo, ſicut ſuprà etiam dictum eſt de arboribus omnibus & animantibus: id quod etiam apparet ex vi generandi ſibi ſimile, illis tradita. Neq; enim coniugium fuit inſtitutum inter Adamum & Euam pueros aut adoleſcentes (nam talis ætas propter imbecillitatem tum corporis, tum iudicij, ad coniugium apta non eſt) ſed cùm eſſent & corpore firmo atque robuſto, & animo ſapienti atque prudenti, fuerunt coniugij vinculo colligati. Duo enim hæc requiruntur in iis, qui matrimonio ſunt copulandi, nimirum, vires ac firmitas corporis, & mentis iudicium atque prudentia. Vires corporis propter prolem: iudicium atque prudentia animi, vt ſciant tempore & loco omnia ſibi inuicem debita præſtare officia vir & vxor, neque ſe ſinant à mera voluptate in tranſuerſum rapi, & ab aliis rapi, tũ Deo, proximo debitis officiis abduci. Ideo Paulus docet, aliquãdo ab illa debita beneuolentia vacandum, & orationi, aliiſque pietatis exercitiis inſiſtendum: *Omnia enim tempus habent*. Certum autem eſt, vtrumque nempe, & vires corporis & prudentiam mentis, in adoleſcentibus deſiderari: ac proinde talem ætatem connubio non ita idoneam eſſe. Quibus de rebus poſtea ſuo loco. Hoc tantùm in præſentia contendo, Adamum & Euam, non ideo non erubuiſſe ſuam nuditatem: quod eſſent pueri ſenſibus, ſicut noſtri infantes: ſed aliam ſubeſſe cauſſam. Ea eſt, quia pueri erant malitia, & nihil dum egerant, propter quod erubeſcere didicerint. Inde factum eſt, vt neque nuditatem, quæ nihil in ſe habebat mali, erubeſcere potuerint. Verecundia enim & pudor, à malo & turpitudine eſt: vt etiam Ariſt. in Rhetor. definit, animi perturbationem & triſtitiam ob ea eſſe mala: quæ in ignominiam & turpitudinem adducunt. Sic & Apoſtolus erubeſcentiam, peccati fructum eſſe docet: quum ait in Epiſtola ad Romanos capite ſexto: *Quem fructum habetis, in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* At verò nihil adhuc in Adamo & Eua erat, & nihil adhuc ipſi egerant: propter quod erubeſcere poſſent, aut deberent. Erant nudi: Verum: Sed non erat in illorum membris illa lex peccati, quę cum lege mentis pugnaret: qualis in nobis eſt. Mens erat pura; corpus verò obſequens menti. Fecerat enim Deus totum hominem rectum, vt Eccleſiaſtic. voces Salomon: & ad imaginem Dei, hoc eſt, iuſtum & ſanctum: vt explicat Paulus. Cùm ergo pudefactio à re turpi proficiſcatur, nihil autem turpe vel in primis parentibus ineſſet, vel ab ipſis eſſet adhuc geſtum: inde fiebat, vt licèt eſſent nudi, nullo tamen pudore, propter illam nuditatem affici poſſent.

Atque hoc eſt, quod initio dixi, propoſitum Moſis in his paucis verbis fuiſſe, demonſtrare ſcilicet, quanta eſſet primorum illorum coniugum ſimplicitas, puritas, innocentia: & inter ſeſe caſtitas, pudicitia, honeſtas. Quaſi dicat: Erant quidem nudi, & nudi inter ſe verſabantur, ſicut illos creauerat Deus: ſed tamen tanta erat illorum ſanctitas, innocentia, rectitudo, iuſtitia, in qua creati fuerant, & tam ſanctam etiam atque honeſtam conſuetudinem habebant inter ſe, vt nulla prorſus re, eóque nec nuditate illa pudefieri poſſent. Hic eſt ſenſus verborum Moſis.

Summa igitur hæc eſt; Licèt nudi eſſent corpore, quia tamen nudi etiam erant ab omni malitia, idcirco nuditatẽ corporis erubeſcere non potuerunt. Hinc verò conſequenter docet, quia poſtea erubuerint, nempe poſt peccatum, cùm ſe vidiſſent nudos, vt in tertio capite habemus; Hoc ideo factum fuiſſe, quia nuditatem animi amiſerant. Mali-

tia enim in illorum animos penetrauerat, totámque naturam infecerat, poſt primam ſcilicet inobedientiam. Inde factum eſt, vt cum ſubinde peccamus: ſubinde etiam cogamur erubeſcere & pudefieri. Quia ſicut erubeſcentia non potuit ibi eſſe, vbi nulla erat turpitudo: Ita non potuit ibi non conſequi, vbi admiſſum fuit turpe aliquod facinus.

Cæterùm notandum eſt, licet erubeſcentia conſecuta ſit peccatum, ipſam tamen peccatum non eſſe, ſed ſpeciem potiùs habere virtutis. Eſt enim teſtimonium animi cognoſcentis, & deteſtantis peccatum, eóque reſipiſcentis hominis. Vnde illud: *Erubuit, ſalua res eſt.* Sicut contrà impudentia vitium eſt intolerabile, & ſignum animi in malo obſtinati, atq; præfracti: Ergo ſicut non erubuiſſe nuditatem ſuam, fuit in primis parentibus ante peccatum, teſtimonium ſummæ innocentiæ, ita poſt peccatum erubuiſſe, ſignum fuit à ſe, & damnati peccati: eóque animi non præfracti, ſed pœnitentis.

Hinc verò perſpicuum fit, quanta fuerit impudentia quorundam nebulonum, quos inter hæreticos connumerat Epiphanius & Philaſter: qui ideo *Adamitæ* vocari voluerunt, quòd exemplum Adæ ſua nuditate imitarentur.

Erant iſti homines nefarij & ſcelerati, qui & damnabant coniugium, & nudi ad ſacra conueniebant, & hic promiſcuè inter ſe viri & fœminæ, Veneri operam dabant. Ac quò ſuum ſcelus tegerent, dicebant ſe exemplum Adæ & Euæ in Paradiſo innocentium imitari. Ac proinde locum etiam in quo conueniebant, totámque ſuam Eccleſiam, *Paradiſum* vocabant. Ideò verò damnabant nuptias, quia ſentiebant nuptias inter Adamum & Euam nunquam fuiſſe perfectas, niſi poſt peccatum, & extra Paradiſum: ídque propterea, quòd in 4. demum capite Geneſeos legitur, *Adamum cognouiſſe vxorem ſuam Euam*, poſtquam ſcilicet eiecti iam eſſent è Paradiſo. Quaſi verò non ſit mos ſcripturarum, & præſertim Moſis, in hac hiſtoria, quæ longe antè contigerant, ea poſtmodum ita narrare, quaſi nûc primum contigerint. Exempla: *Et formauit hominem de limo terræ*, pro *formauerat*, *Ac plantauit Paradiſum*, pro, *ac plantauerat*, die ſcilicet tertio. Item Gen. 4. *Ac cognouit Adam vxorem ſuam*, pro, *& cognouerat*, nempe in Paradiſo: Sicut & Rabi Selomoh, & alij multi interpretantur.

Certum eſt in ipſo Paradiſo connubium fuiſſe celebratum inter Euam & Adamum. Quid igitur cauſſæ fuit, cur vxorem ducere auerſarentur? Vnde vero didicerunt licere cum mulieribus, quæ non ſint vxores ipſorum, rem habere? Quaſi verò Adam in Paradiſo cognouerit Euam vt ſcortum: extra Paradiſum verò vt vxorem. Egregios verò imitatores Adami ipſa nuditate, quaſi ipſi eſſent animis ab omni vitio nudis, ſicut Adam erat & Eua. Manifeſtum eſt hîc, docente omnes gentes natura, poſt peccatum incedere nudos, rem eſſe turpiſſimam: imò vel in locis etiam priuatis conſpici nudos, ita vt vnumquemque etiam pudeat, ſeipſum intueri nudum. Nam idem contigit etiam Adamo & Euæ poſt peccatum: vt habes Geneſ. 3. Et prophani ſcriptores idem docent. Herodotus ait, apud Lydos, omnéſque barbaros magnam eſſe ignominiam, ſi quis cõſpiciatur nudus. Proinde optimo iure Lydorum regina ſuccenſuit viro ſuo, quòd non ſolum retexerit, quæ inter ipſum & reginam contingebant in matrimoniali congreſſu: verùm etiam quod eam, inſciam tamen, nudam cuidam ſuo ſodali conſpiciendam curarit, cùm facies etiam & caput mulieri velandum ſit. Vnde rectè ſubiicit Herodotus: ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Nam pudor ſimul cum tunica deponitur. Cicero etiam ipſe vidit, quàm hoc & turpe ſit, & multorum vitiorum cauſſa: In 4. Tuſcul. ait, *Flagitij principium eſt nudare inter ciues corpora.* Et cur Apoſt. iubet mulieres tecto capite in Eccleſia orare, niſi quòd turpiſſima res ſit, faciem eas detectam habere? Et ait, *naturam hoc docere*, turpe ſcilicet eſſe mulieri capite non velato in Eccleſia orare: in loco ſcilicet vbi ab omnibus conſpiciatur. Et cur maledictus fuit Cham? Quia patrem nudum nudáque eius pudenda non texit: ſed ſine pudore intuitus riſit. Ergo præpoſterè ex hoc præſenti loco exemplum ſumſerunt Adamitæ, nudè incedendi, vt de aliis nefandis actionibus taceam. Nos meliora ex hac Adami & Euæ nuditate obſeruemus & colligamus.

1. Creati fuerunt Adamus & Eua, & ita etiam aliquandiu vixerunt nudi, vnde & nos omnes naſcimur nudi. Intelligamus ergo nos non eſſe creatos ad quempiam lædendum. Sicut multa, imò pleraque omnia videmus naſci armata cornibus, vnguibus, roſtris, & aliis multis armorum generibus.

Proinde videmus etiam, vnde arma initium ſumſerint, nempe à *Lamech*, filio Tubalcaim: Geneſ. 4. ex ſcelerata Caini familia, primóque polygamiæ auctore.

2. Incedebant nudi Adam & Eua. Nos quoque naſcimur nudi, & nudi hinc migramus. Cum igitur & ingreſſus, & egreſſus noſter ſit nudus, diſcamus etiam in vitæ huius progreſſu, ita contenti eſſe noſtra ſorte, vt affectibus à πλεονεξίᾳ nudis & vacuis, in hoc mundo verſemur. Ac ſi quid nobis auferetur, dicamus cum Iobo; *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Ac ſicut illi non erubeſcebant ſuam nuditatem, ſic nos non pudeat noſtræ paupertatis, in qua vult nos Dominus viuere.

3. Nudi incedebant, & coram Deo, & inter ſe, & Adam & Eua. Diſcamus, & nos nudi, hoc eſt, aperti, ſinceri, nulla tecti hypocriſi viuere: tum in conſpectu Dei, tum inter fratres. Deniq; nudi illi vixerunt in Paradiſo, cùm eſſent animis etiam ab omni vitio vacuis & nudis: meminerimus nos quoque, tum demum non opus habituros veſtimentis, quibus nuditatem noſtram tegamus, cùm liberati ab omni peccato in cæleſtem Paradiſum peruenerimus.

XXII. His iam quæ Moſes ſcripſit in 2. cap. de coniugio Adami & Euæ: cuius occaſione factum eſt, vt de coniugio quoque cæterorum hominum certam pronunciarit ſententiam, per Adamum Deus, dicendo, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Cui commodum additum fuit, quanta innocentia & ſimplicitate inter ſe verſarentur illi duo primi coniuges, Adam & Eua: His inquam ſubiicienda ſunt, quæ in primo capite habemus verſ. 28. 29. & 30. Nam manifeſte apparent quæ ibi traduntur, fuiſſe à Domino dicta & conſtituta Adæ & Euæ, poſtquam fuerunt facti coniuges, non autem antea: ait enim: *Et benedixit eis, & dixit ad eos:* Quóſnam eos, ſi non dum erat creata Eua, ſed ſolus Adam? Nam quod præcedit, *Maſculum & fœminam creauit eos*, per anticipationem dicta ſunt, cum nondum deſcripta eſſet formatio Euæ.

Tria autem ſunt capita eorum quæ hic continentur. *Vnum* de benedictione coniugij, deque vi gignendi liberos, quam iis primis coniugibus: & in eis, aliis quoq; deinceps largitus eſt Deus, vnà cum præcepto, quo coniuges operam dare liberis iubentur. *Alterum* caput eſt, de ſubiicienda hominibus terra, déque dominatu quem eis dedit, omnia animantia, tam terreſtria, quàm volatilia & aquatilia. *Tertium* caput de cibis eſt, quibus veſci ipſi deberent: deque illis etiam quibus alenda erant animantia bruta.

Commodum, ſicut dixi, hæc ſubiiciuntur, poſtquam fuerunt Adam & Eua coniuges effecti: Primum quidem, quia finis præcipuus, cur noluerit Deus Adamum eſſe ſolum, ſed dare illi vxorem, fuit, vt humanum genus, eóque electos, ex quibus conſtituenda erat Eccleſia, propagarent, ergo vt ſanctè poſſent facere, opus habebant iſta benedictione, quam ſubiungit.

Alterum etiam fuit neceſſe: ſi enim complenda erat terra hominibus, oportuit ergo illam ſubiici hominibus, & quæcunque in ea eſſent, etiam beſtias ad varios hominum vſus creatas.

De tertio nulla eſt controuerſia. Oportuit enim alimenta, tum hominibus, tum aliis animantibus omnibus conſtituere. De primo igitur ſic ait:

Et benedixit illis.

Duo ſignificat hoc verbo: Vnum, quòd Deus ſignificarit coniugium & coniuges: Et vero etiam qui ex eis naſcituri erant liberi, ſi non peccaſſent. Nam quòd naſcuntur immundi, hoc non eſt ex natura coniugij, ſed per accidens, ex corruptione naturæ. Cur autem ſic interpreter, facit Apoſtolus qui ait Hebr. 13. *Honorabile inter omnes coniugium, & thorus immaculatus.* Hæc eſt Dei benedictio, qua omnibus in matrimonio conſtitutis, quicunq; illi ſint, benedicit, eos eorúmq; actiones ſanctificans. Hoc itaq; dicto: *Et benedixit eis*, nēpe Adæ cumprimis & Euæ, & deinde in ipſis, omnibus quicunq; futuri erant coniuges. Hoc inquam dicto, interprete Apoſtolo, damnantur omnes illi, qui coniugium aut ſimpliciter & per ſe, aut incerto hominum genere, tanquam immundum damnarunt, eoq; & legibus cauerunt, ne certi homines nubant, ducántq; vxores, ſed cœlibes eſſe cogunt. Quam doctrinam Apoſtolus 1. Timot. 4. *doctrinam dæmoniorum* vocat. Qua de re poſtea. Neque nouum eſt, quod verbum *benedicendi*, pro *ſanctificare* accipiatur. Etiā infrà cap. 2. ait, *Deum benedixiſſe diei ſeptimo, & ſanctificaſſe illum*, vbi multi interpretes poſterius verbum, eſſe alterius interpretationem, volunt. Et ſic etiam illud interpretantur. 1. Corint. 10. cap. *Calix benedictionis cui benedicimus*: pro calix in hunc vſum ſanctificatus & conſecratus, vt ſit ſanguis Chriſti ſacramentaliter, &c. Ergo abſurdum non eſt, quòd hinc coniugij ſanctificationem munditiémque colligamus. Docemur autem, ſi coniugium ſanctum eſt: Sanctè igitur illo eſſe vtendum. Et ſic Apoſtolus docet 1. Theſſ. 4.

Vtam

Vnus quiſque vas ſuum poſſideat in ſanctificatione & honore, nõ in paſſione deſiderij. Sed præter hoc, ipſa etiam gratia fœcunditatis & gignendi liberos ſignificata fuit verbo *benedicendi*: ſicut etiam ſuprà de piſcibus dictum eſt. Nam *benedicere*, eſt *bene precari*. Verum cum Deus benedicit, non precatur hoc modo, ſed reipſa præſtat, quæ dicit & iubet. Cùm igitur poſt benedictionem mox ſubdat *fructificate*, apparet verbo *benedicendi*, contuliſſe illis primis coniugibus, & ſimul etiam quotquot deinceps filios & filias genituri erant, fœcunditatis gratiam. Hæc eſt benedictio. Proinde in veteri Teſtamento quæcunque pariebant liberos, ſeſe benedictas eſſe à Domino profitebantur: contrà quæ ſteriles, ſeſe eſſe maledictas putabant, ad hanc ſcilicet partem benedictionis quod attinet, de qua iam loquimur.

1. Notandum itaque ante omnia, quòd quis liberos gignat, hoc eum habere, non à natura, ſed à Deo. Is enim ſolus eſt qui benedixit & benedicit coniugibus. Nouit hoc Eua ſtatim poſt ſuſceptum Cainum primum filium, cùm dixit, קניתי איש את יהוה. Et ſic deinceps omnes ſanctæ mulieres idem faſſę ſunt, & gratias agebãt Deo. Hinc etiam petitio fœcunditatis, quam precabantur à Deo.

2. Deinde notandum, ſicut ſanctificatio coniugij, quæ etiam verbo *benedicendi* (vt ſuprà declarauimus) exprimitur, ad omnia legitima coniugia extenditur, vt docet Apoſtolus, nec fuit reſtricta in coniugio Adami & Euæ: ſic etiam hanc alteram benedictionem, nempe fœcunditatis, inprimis quidem fuiſſe conceſſam primis coniugibus, à quibus totum humanum genus erat propagandum: Verùm in illis non fuiſſe reſtrictam, ſed ad alios quoque omnes pertinuiſſe. Neque enim quiſpiam hic excipitur. Quum enim benedicit Adæ & Euæ tanquam coniugibus: omnibus etiam aliis coniugibus benedicit.

Verum, qui fit quod non omnes coniuges participes ſunt huiuſce benedictionis? Hoc ex peccato factum eſt. Sicut enim terra propter peccatum maledicta fuit, ne vbique aut ſemper proferat fructus: ſic etiam propter peccatum factum eſt, vt hæc benedictio à multis ſit ſubiecta, & ſteriles ſint facti. Hinc ſteriles pro maledictis habebantur. Sed niſi contigiſſet peccatum, omnes coniuges fuiſſent fœcundi, vi huiuſce primæ benedictionis. Itaque gratiæ Dei adſcribendum eſt quod quidam generent, peccato autem, quod alij non generent.

3. Illud quoque prætereundum non eſt: benedictionem hanc per ſe ad coniuges tantùm pertinere. Deus enim benedixit, non adulteris, non ſcortatoribus, non inceſtis, ſed legitimis coniugibus, eiſque dixit, *fructificate*: interim tamen ex accidenti benedictio hæc deriuatur etiam ad multos ſcortatores, & adulteros. Nam quod etiam ipſi fœcundi fiunt, & liberos ſuſcipiant è ſuis ſcortis & adulteris, pendet ex hac præſenti Dei benedictione, quæ ſeminarium fuit, & ſcaturigo eſt, vnde totum humanum genus fluxit, fluit, & fluet in infinitum vſque. Ea eſt Dei bonitas, vt etiam ex malis noſtris multa bona ipſe colligat; nec propter ſceleratos velit ſuarum benedictionum curſum impediri. Imò inter impios ſuæ benedictionis teſtimonia extare vult. Vnde etiam ex adulteriis, & ſcortationibus, multos electos naſci voluit. Interim peccata ipſorum non excuſantur, ſed vt Apoſtolus dixit, *Honorabile eſt connubium inter omnes*: ſic etiam ſubiecit: *Scortatores autem & adulteros damnabit Deus.* Sic ergo videmus de ſolis coniugatis dictum fuiſſe: *Erunt duo in carnem vnam.* Hoc eſt enim ex Dei ordinatione. Interim tamen quia etiam ſcortatores adhærent ſcortis. (Quanquam illicitè & contra Dei mandatum) ſicut etiam viri vxoribus ſuis: idcirco ex accidenti fit, vt ipſi etiam ſcortatores cum ſcortis fiant vno caro. Eodem etiam modo fit, vt quæ ad ſolos pertinebat coniugẽs benedictio, ex accidenti etiam deriuetur in adulteros & ſcortatores: Ita videmus magna Dei iudicia, eáque inſcrutabilia. Multos pios coniuges propter peccatum humani generis priuat hac benedictione, & eádem multos ſceleratos, adulteros largiter donat, ſed in maiorem ipſorum perniciem. Atque hæc de benedictione ſatis. Quia verò Deus dona ſua non confert incaſſum, & vt ea ſint otioſa, iam ſubdit:

XXIII. *Fructificate, augeſcite* (multiplicamini) *& replete terram.*

Quibúſnam verò etiam hæc verba dixit Deus? Coniugibus, non autem ſcortatoribus & adulteris. Ergo hinc apparet, voluntatem Dei fuiſſe, & eſſe, vt gignantur liberi; & hominibus impleatur mundus, non per adulteria, ſed per ſanctum coniugium. Hæc eſt certa & nobis ſemper ſpectanda, ſequendaque Dei voluntas. Quòd nunc etiam per adulteros gignantur liberi, & mundus hominibus impleatur: hoc (vt antè dictum eſt) ex occultis eſt Dei iudiciis, imò & ſumma eius bonitate; qui noſtris etiam malis ad ſuam vtitur gloriam, & ad Eccleſiæ ſalutem. Sed certum eſt ex præſenti loco, & ex aliis infinitis, voluntatem Dei reuelatam fuiſſe & eſſe, vt non gignantur liberi, neque mundus hominibus impleatur, niſi per legitimum coniugium. Quare illos facere contra Dei ordinationem, qui alia ratione curant vt habeant liberos, quàm ex ſancto coniugio, & ex hac Dei benedictione. Dubitatur autem, an hoc ſit præceptum, cùm ait, *fructificate*: an verò conceſſio, vel benedictionis explicatio. Et, ſi præceptum eſt, ad quoſnam pertineat. Præceptum eſſe omnes ferè interpretes conſentiunt: & ad omnes etiam homines pertinere: illis tantum exceptis, quos dono continentiæ donat: ac proinde quos à coniugij eximit neceſſitate, vt expeditius vacent Euangelio: Ac proindè grauiter in hoc Dei mandatum peccare eos, qui non vocati à Deo, per donum continentiæ ad cœlibatum, ſeſe ſponte eximunt ab hac lege. Quæ iſti dicunt, vera ſunt. Eſt enim præceptũ: *vt qui ſe non continent, nubant.* Cæterùm ad ſenſum quod attinet huius loci, non mihi hîc videtur tradi præceptum, de ducenda vxore illis, qui carent vxore. Hic enim alloquitur Deus non inconiugatos, ſed iam coniugatos. Præceptum potiùs de ducenda vxore continetur in illis verbis: *Quapropter relinquet homo patrem & matrem, &c.* Et ex illa pendet ratione. Quia; *Bonum non eſt hominem eſſe ſolum.* Præceptum igitur mihi hic eſſe videtur, quo coniuges iubentur operam dare in ſuo coniugio, non voluptati, neque libidini, ſed liberis ſuſcipiendis, quibus mundus repleatur, & Eccleſia Dei promoueatur: ac proinde multi abuſus in coniugio damnantur hoc verbo, *fructificate.* Scimus quàm graue fuerit peccatum Onan, propterea quòd nollet liberos ſuſcitare fratri ſuo defuncto. Geneſ. 38. Legatur hiſtoria. Ita ſentio his verbis: *Fructificate, augeſcite, implete terram*, partim explicari verbum, *& benedixit eis*, partim mandari coniugibus, vt in coniugio, huic vni cumprimis rei dent operam, vt procreatione liberorum repleant terram, numerúmque augeant electorum: quòd hic ſit præcipuus finis, cur inſtitutum ſit coniugium. Hæc eſt mea ſententia.

Porro tria hic ſunt verba, recto ordine poſita.

Primum, *Fructificate.* Voluit igitur ex coniugio liberos id quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον impletur, procreari.

Secundum, *augeſcite* ſeu, *multiplicamini*, nempe numero: Voluit igitur magnum hominum numerum. Proinde videmus in Geneſi, quum recitantur generationes, ſubinde reperi: Et genuit non vnum filium, ſed filios & filias: id quod etiam nunc fit multiplicandi humani generis gratia.

Tertium eſt, *Et replete terram*, ſcilicet totam. Hic eſt finis, nempe, vt terra impleatur primùm electis, è quibus conſtituatur & cõſeruetur Eccleſia, & deinde aliis etiam hominibus, per quos exerceantur electi. Sed hoc ex accidenti. Omnia enim per ſe creata, & conſtituta propter electos fuerunt. Hinc colligimus, etiamſi non peccaſſet Adam, tamen electos etiam extra Paradiſum habitaturos. Erat enim implenda tota habitabilis terra. Ita tota terra fuiſſet inſtar Paradiſi.

Notandum præterea, hæc omnia fuiſſe ordinata à Deo in ipſo Paradiſo: quare potuerunt etiam in eadem Paradiſo, ab Adamo & Eua impleri, ſine vlla Paradiſi contaminatione. Erat enim ſanctum connubium, propter Dei inſtitutionem & benedictionem. Vanum igitur eſt quod Hieronymus aduerſus Iouinianum ſcribit: virginitatem fuiſſe in Paradiſo: extra verò Paradiſum fuiſſe nuptias, & cum meritò dixiſſe, *Replete terram*, quia cœlum replendum erat virginibus, terra verò nuptiis. Sed qua via potuiſſet, ô Hieronyme, ipſum cœlum impleri virginibus, niſi per coniuges? Si ergo virgines ad cœlum, coniugati autem ad terram pertinent: nemo debuiſſet fieri coniunx. Ita neque virgines pro cœlo nati eſſent. Sic ergo nos dicamus: Deum voluiſſe repleri terram, vt tandem repleretur cœlum. Verùm non dixit, *Et replete cœlum*, ſed *terram*, quia vt quis eat in cœlum, hoc non fit ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo, qui regenerat quibus Cœlum vult impleri. Ergo licèt ideo volebat repleri terram vt repleretur Cœlum: tamen meritò non dixit, *replete cœlum*, ſed *terram*: quia quod ex carne eſt, caro eſt, quod ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Niſi autem quis renatus fuerit, ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Cœlorum.

Quod autem attinet ad complementum huius mandati, videmus impletum eſſe: Nullam enim eſſe terræ habitabilis partem conſtat, quæ non ſit hominibus repleta. Quòd ſi terra repleta eſt, profectò tandem etiam cœlum replebitur electis hominibus. *Nam quos elegit & prædeſtinauit*

hos & vocauit. &, quos vocauit, hos & iuſtificauit. &, quos iuſtificauit, hos & glorificauit.

Hæc de primo capite huius verſus. De altero ſubdit:

XXIV. *Et ſubijcite eam* (terram) *& dominamini.*

Duo habet membra. Vnum de terra ſubijcienda hominibus; Alterum de dominatu in animalia.

Terræ ſubiectio in eo conſiſtit, vt ab hominibus habitetur, Terra fodiatur, aretur, ſeminetur: denique tota in obſequium atque commodum hominum redigatur. Hoc eſt enim officium ſubiectorum, vt ſuis inſeruiant dominis, ſicut illi iuſſerint. Ergo quum ait, *Et ſubijcite eam*, iubet terram ab hominibus habitari, coli, ædificari, & in humanos vſus redigi. Nam ideo vult hominibus repleri terram, vt etiam hominibus ſubiiciatur, hoc eſt, in eorum vſus tota cedat. Quibúſnam verò hoc etiam mandauit Deus? Primis parentibus, & eorum poſteris. Sed quomodo? Legitimè. Neque enim conſtituit Deus in Mundo *ἀναρχίαν*, vt quiſque pro ſua libidine, quacunque velit terram, ſibi armis ſubiiciat: ſed omnia ordinatè & ex æquitate fieri voluit. Docuit hoc Deus de principio, quum eiecit Cainum non ſimpliciter è terra, ſed è terra, vbi Eccleſia tunc colligebatur. Itaque fuit tunc eiectus ex Eccleſia & à conſpectu Domini. Sed interim aliam ei partem terræ in qua habitaret cum ſuis, dedit: vbi & ciuitatem ædificauit, quam à ſuo exilio appellauit *Nod*: Alteram partem reliquit Eccleſiæ: Nolebat ergo Cainum ſibi eam terræ partem vendicare, ſibique ſubiicere, quam Eccleſiæ reliquerat, ſed aliam. Atque ita deinceps factum eſt. Hoc præterea docuit, cùm iuſſit terram fluentem lacte, & melle, non confundi: ſed ordine diſtribui tribubus Iſraël. Et hiſtoriæ Geneſeos poſt diluuium apertè docent, quomodo voluerit Deus terram hominibus ſubiici: quum cuique genti ſuam dedit terram, atque prouinciam. His igitur verbis non concedit cuique, vt quamcunque velit terram, eam ſibi occupet: ſed legitimè intelligit, & ex Dei ordinatione, eſſe ſubiiciendum. Verum eſt, variis etiam temporibus mutata fuiſſe loca; & eiectis vnis populis, alios fuiſſe inductos: ſed hæc omnia ex Dei ordinatione facta fuerant, & fiunt, aut aperta, aut occulta. Eſt enim in manu Dei, transferre Reges: & mutare regna. Cæterùm, hæc fuit Dei ordinatio: vt cuique genti ſua eſſet terra, quam inhabitaret, quam coleret, & ex qua victum ſibi pararet.

Quod verò magna ſequuta ſit inæqualitas, hoc ex peccato profectum eſt, quo omnia corrupta ſunt. Sed non ita tamen: quin Dei ordinatio ſemper impleatur. Vbique enim ſunt homines, & vbique reperiunt habitacula, & aliquam terræ partem; quam ſibi ſubiiciant. Summa: ſtatuit cuique genti certos terræ fines, in quibus habitent: ſed hos quoque pro ſua voluntate, quando placet, mutat; vel amplіando, vel decurtando. nunquam autem totam terram vnigeniti ita permittit, vt aliis non liceat in terra habitare. Quare efficiant quicquid velint Tyranni: ſemper habebunt reliqui homines, vi iſtius verbi diuini, partem aliquam terræ, quam inhabitarent, quam ſerant, quam colant, vnde & vbi viuant. Concluſionem hanc colligo ex verbis Moſis propter Pauli interpretationem qui ait Actor 17. *Deus qui fecit Mundum & omnia quæ in eo ſunt: hic cæli & terræ cùm ſit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, quum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia: fecitque ex vno, omne genus hominum habitare per vniuerſam faciem terræ: definiens ſtata tempora & terminos habitationis eorum.* Duo ſunt in his Apoſtoli verbis, ad noſtrum facientia inſtitutum obſeruanda: vnum quòd ait effeciſſe Deum vt ex vno, omne genus hominum habitet, ſuper vniuerſam faciem terræ. Impletum igitur eſt quod dixerat Adæ & Euæ, *Fructificate, augeſcite, implete terram & eam vobis ſubijcite.* Alterum, quod ſubdit Apoſtolus definiens tum terminos habitationis, vbi: tum tempora, quibus ibi debeat habitare. Ergo à Dei pendet voluntate, vbi quiſque habitare & quàm diu ibi habitare debeat. Ita vt vt res cadat: ſemper impletur verbum Dei, *Replete terram, & ſubijcite eam.*

Ideò meritò Deus & quidem eleganter perſtringit per Ieſaiam cap. 5. auaros & tyrannos, qui occupare conantur ſoli totam terram, quaſi ſoli ſint in eo habitaturi, dicens: *Væ illis qui copulant domum domui, & agrum agro continuant: donec locus deficiat.* Num vos ſoli habitabitis in terra? Non enim vni, ſed omnibus hominibus, atque inprimis electis, quales fuerunt Adam & Eua, dictum eſt, *ſubijcite vobis terram.* Quæ igitur eſt hominum quorundam inſania, qui putant ſe poſſe efficere, vt ſoli habitent in terra: & in ea nullum habeat locum Eccleſia.

Denique duo cumprimis vitia his verbis Domini corriguntur: vnum eorum, qui totam terram, ita ſibi ſolis vendicare & ſubiicere audent, & conantur: vt nihil aliis relinquant. Non enim vnius, ſed omnium hominum terra eſt, quando non vni, aut multis aliquot hominibus dixit, *ſubijcite eam*, ſed, *omnibus*. Alterum vitium huic quaſi contrarium, eſt eorum, veluti Anabaptiſtarum, qui ita volunt omnes agros, domos, vrbes, totam denique terram, & quæcunque in ea ſunt, eſſe omnibus communia, vt cuique liceat alterius agros, ædes, bona inuadere. Nec perpendunt verba Dei. Omnibus quidem ait: *Subijcite eam*: Sed quomodo? Suam quiſque ſibi partem: vt ordo ſit in Mundo, non *ἀταξία*. Proinde Apoſtolus verborum Moſis interpres apertè ait: *Deum conſtituiſſe, & definiſſe fines habitationis terræ*: nempe vt quæque gens, quæque ciuitas, quiſque ciuis, certos habeat terræ, agrorum, vinearum, ædium fines, intra quos ſe contineat. Non pugnat *κοινωνία* cum certa rerum diſtributione.

Cape exemplum ex Actis Apoſtolorum: *Erant* (inquit Lucas) *omnia illis communia.* Ecce *κοινωνίαν*. Num interim quiſque arripiebat quod volebat? Minimè. Subdit enim: *Et diſtribuebantur omnibus, prout cuique opus erat.* En certam diſtributionem. Etſi igitur Deus totam terram omnibus ſubiicit hominibus, quia vult omnes in terra habitare: *ἀταξίαν* tamen non vult inter homines: & idcirco definiuit cuique genti, populo, ciui, terminos habitationis eorum. Ac quod de terra dicimus; idem de aliis bonis omnibus dictum volumus: vt in exemplo Apoſtolorum oſtendimus: Ciuitas communis eſt omnibus ciuibus: interim ſua cuique definita eſt domus. Domus alicuius patrisfamiliâs, communis eſt toti familiæ: interim cuique perſonæ ſuum aſſignatur cubiculum, lectus, cibus, veſtimentum. Quod probamus in ſingulis ædibus, diſtinctam ſcilicet rerum, & locorum diſtributionem; cur non idem probemus in ſingulis vrbibus? Et quam in ſingulis vrbibus, cur non & in ſingulis regnis, eóque in tota terra? Sed tertium quoque vitium corrigitur verbis Domini, nempe eorum, qui putant, quod ſemel ſibi ſubiecerunt, illud nunquam debere aliis ſubiici. Sed non cogitant, dictum hoc, ſicut ad omnes homines, ſic ad omnia etiam tempora extendi: ita vt quod vno tempore fuit tuum, illud alio tempore futurum ſit alterius. Explicat hoc Apoſtolus, quum ait, *Deum definiiſſe, non ſolùm terminos habitationis hominum, ſed etiam tempora ſtata*: quibus ſcilicet debeant homines certis habitationum finibus concludi. Credo ſatis explicatum eſſe hunc locum: *Et ſubijcite eam.* Hoc tantùm reſtat obſeruandum: Etſi Deus dixit hominibus: *Subijcite vobis eam*: Deum tamen eſſe illum ipſum qui eam ſubiciat: vt Apoſtolus loco ſuprà citato ait: fecitque eos habitare ſuper vniuerſam faciem terræ: vtitur igitur Deus opera noſtra: ſed ipſe eſt qui omnia agit & dat.

XXV. Subdit iam de dominio in animalia.

Et dominamini in piſces maris.

Subiecta hominibus terra: ſubiicienda etiam erant animalia: Ait igitur, *Et dominamini in piſces, &c.* Quinam conſtituuntur domini animalium? Omnes homines. Omnes igitur ius habent in animalia: in vniuerſum: ſed vſus diſtributus eſt (ſicut ſuprà etiam de terra dictum eſt) ad certa tempora. Quo vſque autem ſeſe extendit hic dominatus? In omnia animalium genera, quæ his tribus nominibus comprehenduntur; piſcium, volatilium, beſtiarum terræ. Atque eo ordine illa recenſet, quo etiam fuerunt creata: Primo piſces, ſecundo aues, tertio beſtias terræ. Latiſſimè ergo patet hominis imperium; quando etiam vſque ad ea, quæ ſunt in profundo maris, extenditur, & ad ea quæ volitant per nubes. Quibus verò in rebus conſiſtit hic dominatus? In eo vt hominis neceſſitatibus, & commodis, pro ipſius arbitrio inſeruiant; ſed citra tyrannidem. Dominatum enim tradidit homini Deus; non tyrannidem. & vſum conceſſit, non abuſum. Proinde lege cauit ſua, vt Sabbatho etiam animalia quieſcerent. Ex hoc dominio fit, vt homini liceat animalia interficere, in ſuum vſum; tum vt illorum veſcatur carnibus; tum vt eorum pellibus veſtiatur: & ſi quis alius vſus eſſe poteſt.

Verùm cui vſui eſſe poſſunt feræ venenatæ, & ſanguinariæ? Ante peccatum non nocebant, ſed ſuum habebant vſum: poſt peccatum etiam habent vſus; hunc ſaltem, quod iis Deus caſtigat inobedientes: dum eas, famulos ſcilicet noſtros, in nos armat propter peccatum. Ideo Ezech. 5. *Immittam in vos famem, & beſtias peſſimas.* Et 2. Melach. 17. *Leones immiſit in Samaritanos, qui eos interficiebant: Vrſos in pueros qui Eliſæum deridebant*, 2. Melach. 13.

Verùm hîc quæſtio mouetur, quomodo impletum ſit hoc Dei verbum, de dominatu hominis in vniuerſa animalia? De Adamo conſtat, illum dominatum habuiſſe in animalia omnia: id quod apparuit, quum ad eum omnia

acceſſerunt

acceſſerunt ſponte, eorúmque ſingulis nomina impoſuit. Et ſerpens à colloquio mulieris non abhorruit. Nullum enim animal aduerſabatur homini. Sed cùm hic dominatus traditus ſit, non Adæ ſolùm & Euæ: ſed omnibus hominibus: quomodo hoc complectur? Reſponſio facilis eſt. Peccato hoc factum eſt; quia enim homo rebellarit Deo, ideo etiam animalia homini: ſicut etiam terra fuit maledicta, vt non amplius ſponte proferat fructus bonos homini, ſed ſpinas & tribulos. Etſi verò meritò Deus, propter peccatum, imperium hoc in animalia ademit homini, magna ex parte; non tamen in totum. Tanta eſt eius erga nos bonitas. Quot enim adhuc animalium genera ſunt, in quæ dominatur homo: & ea ad ſuos adigit vſus? Ideò Dauid non tam de primo homine, quàm de nobis dicebat, Pſalm. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: volucres cæli, & piſces maris.* Imò nullæ etiam ſunt feræ, in quas non aliquid habeat imperij homo; dum ingenio & arte illas capit, domat, & ſibi ſeruire cogit. Hinc fit, vt omnes ſibi ab homine metuant; ac proindè noctu tantùm audeant progredi è ſuis latibulis, quum ſciunt hominem dormire: ſed interdiu, quantum poſſunt, latitant: pauent enim & tremunt ſolo hominis conſpectu. Quæ res argumento eſt, eas beſtias neſcio quomodo ſentire, hominem ſuum eſſe dominum. Quid? An non videmus magnas etiam beſtias & ipſos quidem elephantos, ab vno puero duci, cædi, cogi? Non igitur in totum ademptum eſt hoc imperium homini in beſtias: ſed ex parte tantùm: vt hinc meminerimus noſtri peccati, cuius cauſa imminutum eſt imperium; illinc verò bonitatis Dei, qui noluit nos in totum eo ſpoliare. Cæterùm per Chriſtum ſicut aufertur peccatum; ſic etiam imperium reſtituitur. Apparet hoc in ipſis fidelibus, qui fide Chriſtum amplectuntur. *Signa autem, eos qui crediderint in me, hæc ſequentur*, inquit Chriſtus: *Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, Matt. 16. Et in Actis Paulus à vipera non fuit læſus. Leonibus obiectus Daniel, nihil ab illis patitur mali. Samſon & Dauid vincebant leones. Pſalm 91. de vnoquoque fideli ait: *Super aſpidem & baſyliſcum ambulabis: & conculcabis leonem ac draconem.* Sunt hæc teſtimonia imperium de principio conceſſum homini in animalia, & poſtea per peccatum amiſſum: poſtmodum cœpiſſe per Chriſtum reſtitui: & pleniùs etiam reſtitutum iri: vbi ſcilicet peccatum fuerit penitus deletum, atque ſublatum. Tunc verè implebitur, non tam in capite Chriſto, quàm etiam in nobis illud Dauidis: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*: ſicut Apoſtolus explicat in 1. Corint. 15. Nunc tenemus qualis & quantus ſit dominatus, quem Deus dedit in animalia omnia, primùm Adæ: deindè etiam aliis hominibus, & quomodo per peccatum amiſſus, nunc etiam reſtituitur, & plenius etiam reſtituetur per Chriſtum: qua in re minima pars imaginis Dei, ad quam factus eſt homo, conſiſtit. Sequitur iam tertium caput huius contextus.

Et dixit Elohim &c.

XXVI. Poſtquam creauit homines, coniugio copulauit & dominos conſtituit totius terræ, & imperium dedit in omnia animantia, ad extremum proſpexit illis etiam, & eorum animalibus de cibo, quo ſeſe omnes ſeruarent in vita, adeo vt hoc opus, ad prouidentiam potius Dei, qua res creatas regit, ac ſuſtentat, pertineat, quàm ad creationem. Proinde Chriſtus cùm de prouidentia loquitur Matth. 6. hoc opus quo omnes alit Deus commemorat: Et certum eſt hinc confirmandam eſſe fiduciam noſtram de prouidentia Dei: hoc modo, Non rogatus, ſponte proſpexit hominibus, & animantibus omnibus, de iis quibus ſe poſſent in vita ſuſtentare: cur igitur ſimus ſoliciti, aut dubitemus, quin ſuppeditaturus ſit nobis omnia neceſſaria; Præſertim togateus per Chriſtum? Sed coniuncta ſunt creatio, & prouidentia Dei, ideo eodem die, quo creata ſunt animalia, de victu etiam illis prouidit Deus. Vnde etiam in ſymbolo, vbi Deum vocamus creatorem, ſimul eum eodem nomine profitemur conſeruatorem. Primùm autem hominibus proſpicit, deinde aliis animantibus, vt Moſes dicit: Pluris enim eſt homo, quàm omnes beſtiæ. Manifeſtum autem eſt, Deum non deeſſe beſtiis: cùm etiam coruorum pullos à parentibus propriis deſtitutos non deſerat ipſe, ſed etiam paſcat. Hinc Chriſtus argumentatur: Quantò magis igitur vos? Sic enim ait Matt 6. *Intuemini in volucres cæli, non ſerunt enim, neque metunt, neque cogunt in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit eas: nonne vos multò præſtatis eis?* De cibis igitur hominum ſic ait:

Et dixit Elohim: ecce dedi vobis. Senſus eſt: Ecce meam erga vos beneuolentiam, déque vobis prouidentiam: Antequam eſſetis conditi, iam parauerant vobis non ſolùm habitationem, totam ſcilicet terram: verùm etiam alimenta, quibus viuere poſſetis. Dedi igitur vobis in eſcam, quicquid in terra fructuum cernitis.

Hinc perſpicuum eſt, omnes cibos à Domino Deo nobis eſſe: eóque ab ipſo etiam eſſe petendos; vnde iure dicimus ei, *Pater noſter: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sed quomodo dedit? præmiſſo verbo: *Et dixit eis* (inquit Moſes) *Ecce dedi vobis.* Hinc duo colligimus: Vnum, verbo Dei cibos nobis omnes, quos ille conceſſit, ſanctificari: hoc eſt, licitos fieri, nihílque habere immundi: ita vt bona conſcientia illis veſci poſſimus. Hoc eſt, quod Apoſtolus 1. Timoth. 4. ait: *Omnis creatura Dei bona eſt: & nihil eſt reijciendum. Sanctificatur autem per verbum Dei, & precationem.* Et Matth. 15. *Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem.* Alterum: Deum velle, vt quum ſumus cibos ſumpturi: fide priùs verbum ipſius apprehendamus: quum dixit: *Ecce dedi vobis in eſcam*: atque ita ad gratiarum actionem excitemur. Eóque non tam corpus iis cibis, quàm animos verbo Dei nutriamus. Hoc eſt, quod Apoſtolus ait, *Sanctificatur enim per verbum Dei & precationem.* Verbo Dei mens intelligit, cibos hoſce nobis eſſe licitos; precatione quæ fit ex fide, purgatur noſtra conſcientia, fide autem purificantur corda. Tunc ſequitur omnia nobis eſſe munda: Quia omnia munda mundis.

Quid verò dedit in eſcam? Quid dederit in Paradiſo ante peccatum Adæ & Euæ, ſuprà explicatum eſt: *De omni arbore quæ in Paradiſo comedes.* Quid & iiſdem & aliis hominibus, vſque ad diluuium; docet hic.

Dedi, inquit, *vobis omnem herbam.* Duo plantarum genera exprimit, quibus veſci voluit homines: primum herbas, quæ ſemen faciunt עשב זרע זרע. Ergo tam herbas, quàm illarum ſemina conceſſit. Ita habemus omnes herbas quæ eduntur adhuc exiſtentes herbæ, vel lactucæ, ſpinacea, & id genus. Et omnes ſemina habentes, vti eſt frumentum, fabæ, milium, & aliæ id genus. Deinde addit: *Quæ ſunt in ſuperficie terræ.* Nullum ergo herbarum genus, quod è terra naſcatur, vetitum fuit hominibus, ſi illud eis in eſcam eſſe poſſit. Secundo loco concedit fructus arborum, quæ ſemen faciunt. Igitur etiam horum & fructus & ſemina edere licet. Vt verbi gratia, perſicum & eius ſemen. Atque ita de aliis. His autem duobus comprehenduntur omnia ciborum genera, quos terra proferre poſſit.

Hæc expreſſit Deus, Ergo licita fuerunt etiam ante diluuium. Et quia nunquam reuocauit hoc. ideo ſemper, & vbique, & omnibus licitum eſt hoc cibi genus.

Cæterùm, quæſtio vertitur, an aliis etiam cibis veſci licuerit patribus ante diluuium, vt carnibus, piſcibus, ouis? Diuerſæ ſunt ſententiæ. Quidam ſentiunt licuiſſe.

1. Quia non legitur Deus vetuiſſe alios cibos, ſicut expreſsè interdixit eſum arboris ſcientiæ boni & mali.

2. Accedit quòd dedit illis dominium in omnia animalia, & in piſces. In quem autem vſum eſſe poterant piſces, & alia nonnulla animalcula, niſi in eſcam?

3. Adde quòd ſacrificare oportebat. Animalia autem ſacrificare non licebat, niſi quorum vſus hominibus erat conceſſus.

4. Pellibus quoque animalium veſtiri licebat: ergo etiam illa occidere: quare & veſci.

Sed contrà alij ſentiunt, carnibus non licuiſſe veſci.

Primò: Quorſum opus fuiſſet certa eſcarum genera concedere, ſi omnibus licebat veſci? Diſertè enim ait Dominus: *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Quaſi dicat: Habetis abundè quod edatis, excluſit igitur quicquid nomine herbarum, aut arborum non continetur.

Secundò: Poſt diluuium tantùm eas conceſſit: Ergo ante non erant licitæ. Ibi enim etiam herbarum antè conceſſarum meminit, dicens: Quaſi herbam virentem dedi vobis omnia, quorum verborum apertus hic eſt ſenſus: Nunc non tantùm herbas, vt antè, do vobis in cibum, ſed ipſa etiam animalia, excepto illorum ſanguine.

Tertiò: Ratio quædam etiam accedit, cur vetuerit carnes, quia ſcilicet volebat Deus horrorem fuſi ſanguinis incutere hominibus à principio. Hæ ſunt cauſſæ, cur & Iudæi, & Patres omnes ſenſerint, ante diluuium conceſſas non fuiſſe carnes. Quorum ſententiæ, plures quoque è noſtris ſubſcribunt. Neque ego certè habeo, cur ab illis diſſentiam. Adde, quòd antiquiſſimi Poëtæ, tam Græci, quàm Latini, & Philoſophi docent, primos homines victitaſſe herbas, olera, poma. Rationes eorum, qui contrarium ſentiunt, facilè ſoluuntur.

Ad *primum*. Quis non videat, dum nominatim concedit herbas & fructus arborum herbarúmque ſemina, atque olera, & nihil prætetea, reliqua excludi omnia? Præſertim cùm poſt diluuium expreſſa vtatur comparatione: ſicut antè herbas dederat, nunc præter illas dare ſe animalia in cibum. Negat igitur ſe antè conceſſiſſe animalia.

perpetuam vitæ iucundæ ſocietatem, ad colloquendum, ad conſilia ſimul communicanda, ad regendam familiam, ad ſimul cubandum, ad propagandam ſobolem, ad faciendam, colligendámque Eccleſiam, ad Deum ſimul cognoſcédum, laudandum, inuocandum: denique ad ſuppeditandam carnem ipſi Meſſiæ, qua fieret nobis ſimilis; eóque ad viuendum ſimul cum ipſo in regno Cœlorum: nullum plane animal reperiebatur commodum. Hinc patefacta eſt Adæ neceſſitas, cur omnino mulier ei addenda eſſet, & in vxorem ducenda. Proinde vim habet illud verbum. ולאדם לא מצא עזר כנגדו. *Et (ſibi) Adæ non inuenit adiutorium* כנגדו Voluit Deus ex hac cognita mulieris neceſſitate, plus amoris erga eam conciliare viro: vt quandoquidem tam neceſſaria illi eſt, eam etiam præ cęteris omnibus amet, & charam habeat. Quo etiam ex loco docet, non temerè ducendas eſſe vxores, ſed propter neceſſitatem, vel propagandæ ſobolis, ſuiq; ſanguinis, vel vitandæ ſcortationis: quod ſcilicet ad hæc, aliud adiutorium כנגדו ſibi homo inter omnia animalia non reperiat, niſi mulierem.

Hinc quoque apertè colligitur, in eum vſum, in quem deſtinata eſt vxor, nullo alio animali abutendum eſſe. Sola enim vxor eſt viro adiutorium כנגדו. Atque hæc de neceſſitate creandæ mulieris: Sequitur iam modus, quo creata fuit: denique ipſa formatio. De iis ait:

XVI. v.21. *Et cadere fecit Iehoua Elohim ſoporem, ſuper Adamum & dormiuit. Et tulit vnam de coſtis eius, & clauſit carnem pro ea*, id eſt, loco eius coſtæ.) Carnem enim poſuit Deus in locum, vbi fuerat coſta.

Tria dicit, *primùm*, Deum cadere feciſſe ſoporem ſuper Adamum. Adamum vero correptum hoc ſopore dormiuiſſe. *Deinde*, Deum è latere Adæ dormientis: tuliſſe coſtam vnam, è qua ſcilicet formaret Euam. *Poſtremò*, in locum Adæ, vnde educta fuerat coſta, poſitam fuiſſe à Deo carnem: ne ſcilicet vacuus remaneret locus, eoque deformis eſſet Adamus De primo ait:

Et cadere fecit Iehoua Elohim, ſoporem ſuper Adamum, & dormiuit, Adamus ſcilicet,

Erat igitur Adamus, etiam in ſtatu innocentiæ minimè ſua natura prorſus expers ſomni & vigiliæ, ſicut neque famis & ſitis, cuius rei cauſa, dedit ei cibos è terra. Ita apparet, has corporis affectiones & neceſſitates, ita eſſe naturales, vt iis carere nullum animal poſſit: nempe in hac vita, vbi corpora animalium augentur, nutriuntur, &c. In altera enim vita, vbi erimus ſicut Angeli Dei, & vbi neque cibo, neque potu egebimus, neque etiam opus fuerit ſomno, ſed in perpetua vigilia viuemus, & laudabimus Dominum.

Quanquam obſeruandum eſt, hunc de quo loquitur, ſomnum, non fuiſſe Adamo, à cauſſa naturali excitatum: ſicut fit in nobis aliiſque animantibus, & vt alij quoq; ſomni fuerunt Adæ naturales. Nam ait Moſes, *Deum feciſſe cadere hunc ſomnum ſuper Adamum.* Fuit igitur ſupernaturalis & diuinus: id quod etiam confirmatur verbo, *Cadere fecit ſuper Adamum.* Fuit igitur de Cœlo & ex alto. Naturalis enim ſomnus, aſcendit potius ab imo, in altum, dum ſcilicet à vaporibus, qui è ventriculo aſcendunt ad caput, in capite excitatur: ſed iſte Adami cecidit, nempe ex alto ſuper Adamum. Fuit igitur diuinus. Proinde Græci 70. Interpretes, vocant ἔκστασιν: quali ſcilicet corripi ſolent Prophetæ & ſancti viri, cum Deus vult aliquid eis reuelare de ſuis myſteriis: vt Actor. 10. de Petro legimus *Cecidit* (inquit Lucas) *ſuper eum ἔκστασις: viditq́; cœlum apertum*: & de ſe ait Paulus Actor. 22. *ſe fuiſſe in ἐκστάσει, & vidiſſe Chriſtum ſibi dicentem, Feſtina*, &c. Talem fuiſſe hunc Adami ſomnum, docent 70. dum vertunt ἔκστασιν. Certum eſt תרדמה ſignificare Hebręis grauem ſomnum, imò plus quàm ſomnum. Vnde & Symmachus, κάρον vocat, hoc eſt, profundum ſomnum, & quaſi lethargum. Sed ſupernaturalem fuiſſe nõ dubito: & à cauſſis, propter quas fuit Adamus tali ſomno correptus, idem confirmatur. Cur enim Deus cadere fecit hunc ſoporem in Adamum? Hebræi aiunt, ne ſentiret dolorem, dum ei auferretur coſta: quaſi verò non potuerit illam tollere Deus, ſine dolore Adami. Nimis frigida eſt hæc interpretatio. Aliæ itaq; ſubſunt cauſſæ, hæq; grauiores, & dignæ Spiritu ſancto. Numer. 12. tres narrantur modi, vt ſuprà quoq; à nobis explicatum fuit, quibus Deus ſolitus ſit Prophetis ſanctiſq; viris loqui, & ſua reuelare myſteria. Primò in ſomnis, cùm ſcilicet ſanctos in ſomniis, vel in ἐκστάσει poſitos, ſimpliciter alloquitur. Secundò in viſione, hoc eſt, cùm eiſdem in ἔκστασιν raptis, viſiones in phantaſia format Deus, quibus myſteria patefacit. Denique in vigilia, facie ad faciem, & ore ad os, cùm ſcilicet Filius Dei, forma hominis ſumta, apparebat & loquebatur: ſicut ſpeciatim fecit cũ Moſe, & ante ipſum, cum Abrahamo & Iacobo. His tribus modis, dignari cum primis voluit Deus Adamum. De primo & ſecundo interpretor hunc locum.

De tertio, cùm eidem Adamo vigilanti, dedit Euam in matrimonium: cum eis benedixit dicendo: *Fructificate, augeſcite*, &c. Item: cùm poſt peccatum eos reprehendit: cum promiſit Meſſiam, & ſic deinceps, dũ fuit in Paradiſo Adamus.

Prima itaque cauſſa, cur ſoporem ſeu ἔκστασιν miſerit ſuper Adamum, fuit: quia voluit ei in ſomnis reuelare, quæcunque poſtea de Eua ex ſe ſumta, ſibique in matrimoniũ tradita, pronunciauit, dicendo: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; & denique omnia, quæ ad matrimonium pertinentia, nouit Adamus: vt quòd quiſq; relinquere potiùs debeat patrem & matrem, quàm vt ſinat ſe impediri, ne adhæreat vxori ſuæ: & quòd vir & vxor vna ſint caro, &c. Apparet enim, Adamum, ſimul ac euigilaſſet, & Euam ad ſe adductam vidiſſet, nouiſſe, vnde fuerit ſumta: & quod ſibi data eſſet in vxorem, &c. Vnde quæſo hoc nouit? Ex Dei reuelatione, facta ei in ſomnis. Sicut igitur Paulo in ἐκστάσει poſito, apparuit Dominus Ieſus, & locutus eſt ei, vt Actor. 27. habetur: Sic idem de Adamo in ſimilem ἔκστασιν rapto, hæc de Eua, déque coniugio reuelauit.

Deinde non dubito, quin in eadem ἐκστάσει poſito Adamo, oſtenderit per viſionem myſterium connubij inter Chriſtum & Eccleſiam, de quo Apoſtolus Epheſ. 5. *Myſterium hoc magnum eſt, dico inter Chriſtum & Eccleſiam, nempe è latere Chriſti eductum iri Eccleſiam; quæ eſſet os ex oſſibus, & caro de carne Chriſti.* Apoſtolus enim ex verbis Adami, myſterium hoc collegit, vt liquet. Ergo & Adamus, cùm hæc verba protulit, *os ex oſſibus*. Item, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*: nõ ſolùm de ſuo cum Eua coniugio, ſed etiam de illo, quod futurum erat cum Chriſto & Eccleſia, locutus eſt. Hæ itaq; duæ ſunt cauſſæ, verè Theologicæ: quamobrem Deus immiſerit in Adamum, ſoporem hunc. De prima Moſes loquitur: vt ſcilicet in ἐκστάσει poſitum, tum verbis, tum viſione patefaceret: quæ ad coniugium tum ipſius cum Eua, aliorúmque virorum cum ſuis vxoribus: tum maximè Chriſti cum ſua Eccleſia, pertinerent. Additur tertia quoque cauſa, ideo id voluiſſe Deum, vt doceret, quomodo ſe quiſque gerere debeat in vxore ducenda, nempe conſopiendos eſſe affectus carnis, dormiendúmq; eſſe Domino, & totum negotium permittendum Deo. Vt enim meliùs Adamo dormienti proſpexit de vxore, quàm cùm ipſemet eam ſibi inter tot animantia quæſiuit: Sic ſi ſopitis affectibus noſtris, totam huius rei curam committamus Deo: Deus meliùs nobis proſpiciet, quàm ſi nos ipſi eam velimus nobis noſtro conſilio & prudentia, comparare. Nunc tenemus cauſſas immiſſi in Adamum ſoporis: ex quibus etiam confirmatur, ſomnum illum fuiſſe, non naturalem, ſed diuinum. Talis fuit ſomnus, quo correptus Abraham, audiuit à Domino, quid futurum eſſet de ſuo ſemine, Gen. 15. Non diſſimili ſomno affectus fuit Iacob, cum vidit ſcalam è Cælo, in terram vſque pertingentem, Gen. 28.

Neque illud prætereundum eſt, quòd non priùs dormiuit Adamus, quàm Deus in illum immiſerit ſomnum. Ergo etiam donum Dei eſt, quòd ſuo tempore dormiamus. Quis enim eſt, qui in ſua habeat poteſtate ſomnum? Etſi enim naturalis ſomnus, à cauſſis excitetur naturalibus: tamen ſæpenumero experimur, niſi Deus ſomnum largiatur: nos non poſſe dormire. Eſt igitur etiam ſomnus, inter beneficia Dei collocandus. Atque hoc de primo huius verſus membro; Sequitur alterum;

XVII. *Et tulit vnam è coſtis &c.* Hæc eſt materia, è qua formare voluit Deus corpus Euæ. Eſt autem huius loci duplex interpretatio: ſicut etiam vocis צלע duplex eſt ſignificatio. Significat enim & *latus*, & *coſtam*, latus inquam quodcunq;. Inter Hebræos igitur ſunt, qui dicant, initio fuiſſe creatum hominem vnum, duabus faciebus conſtantem, eo modo quo ſolet pingi Ianus: húncque fuiſſe maſculum ſimul & fœminam: quem Græci ἀνδρόγυνον vocant: qualem fuiſſe ſcribunt Poetæ, quem genuit Venus à Mercurio compreſſa. Proinde ſic interpretantur verba Moſis in primo capite: *creauit hominem* (in ſingulari, quia vnum corpus erat) *maſculum & fœminam creauit eos*: quia reſpectu ſexus duo erant, ſed ſimul coniuncti, ita vt fœmina eſſet ponè maſculum: facie in alteram partem auerſa. Sentiunt itaque, cùm Deus dicitur accepiſſe צלע *latus ex Adamo*: diuiſiſſe hunc ἀνδρόγυνον: & ita effeciſſe, vt fœmina, quæ viro prius erat retro, & ponè, facie à maſculo auerſa, poſtmodum diuiſa, & ante faciem Adami adducta, facta illi fuerit כנגדו & accommodata viro, ad generationẽ. Et huius rei ſignũ apparere in parte poſteriori tã maſculi, quàm fœminæ: quæ pars ita eſt compoſita, vt videatur altera ab altera eſſe diuiſa. Et in hac ſententia Plato quoq; fuiſſe videtur: & huic ſubſcribit etiam Steuchus. Sed quàm vana ſit & falſa, ex verbis Moſis liquido apparet.

Primum ſuprà dixit Deus, *Non eſt bonum, Adamum eſſe ſolũ, faciam*

faciam ei adiutorium. Nondum igitur erat creata Eua. Et Adamus non conſtabat duobus corporibus, vno maſculeo, altero fœmineo. Deinde ait, *accepiſſe coſtam, & ex ea formaſſe Euã.* Non igitur fuit prius formata cum Adamo, & poſtea ab eo diuiſa. Et Apoſtolus aperte ait, 1. Cor. 11. *Prius formatum fuiſſe Adamum, deinde Euam.* Eſt igitur ſtulta & impia ſententia.

Altera, eaq; vera interpretatio eſt. Deum veram coſtam accepiſſe ex latere vno Adami: (quod verum fuerit dextrũ an ſiniſtrum, ſcriptura non explicat) atq; ex hac coſta tanquam ex materia formaſſe corpus Euę: ſicut ex terra formatum fuerat antea corpus Adami. At igitur (inquies) caruit deinceps ſemper Adamus illa coſta? Quid niſ? Non enim aliã reſtituit Deus, ſed in locum coſtæ, ſubſtituit (vt mox dicet) carnem. Verum (inquies) qui ſit, quod non genuit filios vna coſta deſtitutos? Omnes enim nos omnibus conſtamus coſtis. Viciſſim ego dicam, cur Abrahamus circumciſus non generabat circumciſos, ſed præputiatos? Ratio eſt, quia generabat ſecundum naturam, quæ ſuam ſemper retinet integram ſeminalem naturam. Proinde etiamſi alicui ſcindas brachium, is tamen generabit liberos, vtroque brachio præditos. Vtitur hac reſponſione Auguſtinus aduerſus Pelagianos. *Cur ſancti gignunt liberos in peccato Originali, cùm ipſi careant peccato propter remiſſionem factam in Chriſto? Quia non gignunt* (inquit) *ſecundùm Spiritum, per quem renati ſunt: ſed ſecundùm carnem, e qua nati ſunt. Quod autem natum eſt ex carne, caro eſt.*

Cæterùm grauiſſimæ hic ſubiunt cauſſæ, cur Deus materiam, è qua formaret Euam, noluerit eſſe terram, ſicut Adamus ex illa creatus fuerat, ſed Adæ coſtam.

1 Principio, ideo ex nobiliori materia formata eſt Eua, quàm Adamus, ne vir propter nobiliorem ſuum ſexum, contemneret mulierem, quæ ſexus eſt ignobilioris.

2 Deinde non accepit externam Adæ cutem, vnde Euam formaret, ſed penetrauit vſque ad oſſa, & coſtam accepit, cum aliqua etiam carne. Nam non nudam accepiſſe Deum coſtam, ſed etiam carnem, docent verba Adami, qui non ſolum dixit. *Hoc nunc os ex oſſibus meis:* ſed etiam, *& caro de carne mea.* Voluit igitur ſignificare Deus: mulierem eſſe vnam & eandem carnem, vnum & idem os, cum viro: ac proinde officium viri eſſe, amare & fouere vxorem ſuam, tanquam ſuam carnem: Et cum iubetur eam diligere: putare, iuberi ſe diligere ſeipſum ſicut Apoſtolus ait, Epheſ. 5. *Qui diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit. Nemo enim ſuam carnem odio habuit, ſed fouit eam.*

3. Nec amor ſolùm, qui debet eſſe inter virum & vxorem, ſignificatur hac formatione Euæ fœminæ è coſta viri: verum ipſa cumprimis, vtriuſque in vnam carnem coitio atq; vnitio. Sicut enim caro Euæ, ratione creationis, materialiter (vt ita loquar) erat caro Adæ, quia de huius carne ſumta erat: ſic poſtmodum ratione vinculi coniugalis, formaliter (ſi ita loqui licet) tam caro Adæ, facta eſt caro Euæ, quam Euæ caro, caro facta eſt Adæ: imo ambo, vna & eadem caro, facti ſunt, ſicut pronunciat Adamus, imò Deus per Adamum, dicendo. *Erunt duo in carnem vnam.* Quid enim aliud factum eſt, cùm Eua tradita eſt in matrimonium Adamo, niſi quod eius caro, eò vnde ſumta fuerat, rediit? Ergo vt hæc vnio viri & mulieris, non tantum ſignificaretur, verum etiam ſeruaretur: voluit Deus Euæ corpus, è coſta Adæ formare.

4. Adde, quòd noluit eam formari ex capite Adami, neque etiam ex pedibus, ſed ex coſta, quæ in medio eſt corpore. Significare igitur voluit Deus. neq; vxori ſumendum ſibi eſſe imperium in virum: ſed potius debere eam ſubeſſe imperio viri: Eſt enim vir caput mulieris: Neque contrà viro premendam eſſe vxorem, tanquam mancipium, ſuis pedibus, ſed eam tanquam ſociam, & indiuiduam vitæ comitem, eſſe amplectendam, & lateri ſuo copulandam.

5. Neq; plures accepit coſtas, è quibus formaret Euã, ſed vnam duntaxat. Eſt igitur mulier eò minor viro, quò pars vna, ſuo toto. Quare debet mulier cum viro honorem, tanquam ſe perfectiori, qui debetur à parte ſuo toti: vt ciuis vnus: toti corpori Reipub. cuius ipſe eſt particula vna.

6. Rurſus, vnam tantum ab Adamo accepit coſtam, non plures: ne plus ſibi imperij, quàm par ſit, in mulierem vſurpet vir: quaſi tota ſit ſumta ex viro. Ideo meminiſſe debet vir, in muliere nihil eſſe è ſuo, niſi coſtam vnam, & aliquid carnis, totum reliquum additum illi à Deo fuiſſe.

7. Poſtremò myſterium hîc illud magnum, de quo Apoſtolus Epheſ. 5. luculenter fuit è longinquo præmonſtratum: nempe è latere Chriſti, in cruce dormientis, eductum iri Eccleſiam: nam & illa Eccleſia, quæ fuit a condito orbe, ad Chriſtum vſque, fuit vi ſanguinis Chriſti futuri, ædificata: & eadem vtilla itidem, quæ poſt Chriſtum ad finem vſque Mundi colligitur, (quæ tamen vtraque vna eſt Eccleſia) ex ædificatur. Atque hæc de ſecundo, de materia ſcilicet, vnde Euam formatam voluit Deus. De tertio ait:

Et carnem clauſit pro ea. Pertinet hoc ad inſtaurationem corporis Adæ. Nam ne deformitas vlla, & imbecillitas in corpore Adami, propter ablatam coſtam remaneret, in locum coſtæ, Dominus immiſit carnem. Hoc facile eſt ad intelligendum. Refellitur autem hac etiam particula, phantaſtica illa opinio Hebræorum de Androgyne, in duas partes diuiſo. Si enim fuiſſet, vt illi fingunt, in duas partes ex æquo diſſectum corpus illud Androgynicum, quorſum iſta carnis repletio in corpore Adæ, & non in corpore Euæ?

Verum enimuerò, myſterio non caret etiam hæc particula: *Et repleuit carnem pro ea.*

Coſta, robur ſignificat: caro, infirmitatem. Vt igitur de robore viri, communicatum eſt mulieri, ſic decuit virum imbecillitate mulieris, quæ nomine *carnis* ſignificatur, participari, ac proinde fortiorem, debere compati imbecilliori, & plus ei tribuere honoris: hoc eſt, quod 1. Pet. 3. verſ. 7. docet Petrus: *Viri ſimiliter, vnà verſentur, vt ſcientes dexteri vaſi muliebri, vt infirmiori, tribuentes honorem.* Sed hoc in Chriſto optimè impletum eſt. Is Eccleſiæ ſuæ, ſuas vires, contra Sathanam & Mundum communicauit: contrà verò, *imbecillitates noſtras, ipſe in ſe recepit. Exinaniuit enim ſeipſum: factus obediens vſque ad mortem, &c.*

XVIII. verſ. 22. *Et ædificauit Iehoua Elohim coſtam illam, quam tulerat ex Adamo, in mulierem.*

Hic ipſa Euæ formatio traditur. Notandum eſt verbum, *ædificauit:* non enim caret Emphaſi. Si hiſtoriam reſpicias, ſignificatur corpus Euæ, fuiſſe extructum à Deo in formam ædificij, ac domus. Hoc quàm verum ſit, ex duobus apparet. Primum, quia vt ædificia, craſſa habere ſolent fundamenta: ſic fœmina tibias & fœmora, quibus totum corpus ſuſtentatur, multo craſſiora habet. & firmiora, quàm vir: idque vt poſſit ſuſtentare vterum & fœtum. Deinde, vt domus ædificantur, vt ibi inhabitent homines: ſic etiam venter mulieris, amplior ventre viri factus eſt, vt ibi recipi poſſint, & habitare humani fœtus. Denique videtur Eua, fuiſſe ceu domus, in qua totum humanum genus quodam modo (virtute ſcilicet) contineretur. Ideò meritò vſus eſt verbo *ædificandi*: vnde & חוה omnium viuentium mater dicta fuit. Cæterum ſi ad Eccleſiam referas, cuius typus fuit Eua, longè meliùs in eam quadrat hoc verbum, quàm in Euam. Eſt enim domus Dei, in qua Deus ipſe inhabitat, & omnes in ea Electi continẽtur, habitant, viuunt. Proinde meritò dixit Apoſtolus Eccleſiæ Corinthiacæ. *Dei ædificium eſtis.* Fundamentum eſt Chriſtus: nos ſinguli, lapides viui, è quibus ædificatur domus. Ergo tam ſi ſpectes totam humani generis generationem ex Eua: quàm totius Eccleſiæ propagationem, accommodatiſſimè vſus eſt verbo ædificandi. Sic Chriſtus Matth. 16. *Ego ædificabo Eccleſiam meam.*

DE CONIVGIO EVÆ cum Adamo.

ET *adduxit* (ſeu venire fecit) *eam ad Adamum.*

XIX. In hoc contextu tria habemus præcipua capita. *Primò,* Coniugium inter Adamum, & Euam. *Deinde* primam, eámque æternam, de coniugio inter omnes homines, legem. *Poſtremò*, teſtimonium de vera Adæ & Euæ, cùm fuerunt matrimonij nexu inter ſe coniuncti, innocentia.

I. *Et adduxit eam* (Euam ipſe Iehoua) *ad Adamum.* Vndé adduxit? Vero ſimile eſt, antequam euigilaſſet Adamus, Euam iam è coſta Adami formatam, fuiſſe per hortum illum amœnum à Domino deductam, vt loci amœnitatem videret; & ſimul fuiſſe edoctam de hoc connubio, déque multis aliis. Vbi verò Adamus euigilaſſet: adduxit eam ad illum. In quem vero finem? Non certè ſicut adduxerat antè, omnia animantia. vt ea Adamus inſpiceret, noſcerétque, & iuxta cuiuſq; naturam, nomina illis imponeret. Non ſic adduxit Iehoua Euam ad Adamum, ſed vt eam daret illi in matrimonium: *vtq; illi eſſet adiutorium* כנגדו ſicut antè dixerat. Hic eſt enim finis, cur hanc crearit: idque ex coſta Adæ: vt eam daret Adæ in matrimonium; quia bonum non erat, Adamum eſſe ſolum. Quomodo verò eam ad Adamum adduxit? Ego non dubito, quin Filius Dei, humani corporis ſpecie indutus, formatam hanc à ſe formoſiſſimam fœminam, manu apprehenſam, adduxerit in conſpectum Adæ, tanquam vtriuſque parens & *νυμφαγωγός*: eámque illi diſertis verbis deſponſarit. & in matrimonium, exacto ab vtroque tam viro, quàm fœmina, conſenſu dederit. Fuit enim celebratum hoc connubium inter Adamum & Euam: non certè vt inter cætera animalia, maſculum capiebat ſibi fœmellam, ſine vlla ceremonia; ſed celebratum fuit, religioſiſſime, per Filiũ Dei, viſibili forma apparentem, te-

ſtibus omnibus Angelis, eóque coram tota Eccleſia Dei.

Hinc igitur colligimus, primum quidem coniugij inſtitutorem fuiſſe Deum: eúmque eſſe, qui virum cum vxore etiamnum coniungit. Ac proinde nemini etiam licere illud diſſoluere, niſi eidem Deo, qui coniungit. Et ſic Chriſtus arguit Matth. *Quod ergo Deus coniungit: homo non ſeparet.* Deinde colligitur, coniugium fieri non debere, niſi ex conſenſu voluntatéque parentum: qui tanquam Dei miniſtri, ſuos coniungant in matrimonio liberos. Nam Deus etiam vices parentis obiit, dum Adamum cum Eua coniunxit: imò fuit etiam loco miniſtri Eccleſiæ, qui eis benedixit nuptiis. Tertio liquet ex contextu, Deum non inſtituiſſe coniugium, niſi inter virum vnum, & vxorem vnam. Ait enim, *Adduxit eam*, ſcilicet vnam fœminam, ad Adamum, vnum ſcilicet virum. Proinde neque ex Adamo plures euulſit coſtas, vt plures formaret fœminas, ſed vnam tantùm, vt vnam etiam duntaxat daret Adamo vxorem. Quare polygamia ex inſtitutione Domini non eſt. Quartò docemur, conſenſum vtriuſque & fœminæ, ad verum coniugium requiri. De conſenſu Euæ colligitur ex hoc verbo ויבאה *& venire eam fecit*, non autem, *pertraxit*: Venit igitur ſponte, & liberè conſenſit in hoc coniugium, non autem fuit vi pertracta De conſenſu autem viri, ſubdit Moſes:

Et dixit Adamus: hac vice (pro nunc tandem) *os ex oſſibus meis. & caro de carne mea:* quanquam poſſumus etiam ſic vertere: *Hæc tandem eſt os, &c.*

Bifariam autem conſtrui poſſunt hæc verba: aut, *Nunc tandem os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, nempe hęc eſt: aut, *nunc tandem inueni os ex oſſibus meis, & carnem de carne mea*: eóq; adiutorium verè mihi per omnia commodum, Vel ſic: *Hæc nunc tandem eſt illud os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, ioq; illud adiutorium, quod quærebam.* Sed vt vt legas ac conſtruas, ſenſus hic eſt: Hactenus quæſiui inter omnia animalia, an reperire mihi poſſem adiutorium, ad communem vitæ ſocietatem, & ad ſobolem propagandam aptum, eóque mihi prorſus ſimile, & per omnia commodum, ſed reperire non potui. In mea autem ecſtaſi rogaui Dominum, vt is mihi illud adiutorium daret. Nunc igitur tandem video, mihi eſſe conceſſum tale adiutorium, quo nihil mihi ſimilius, nihil magis commodum, eóque nihil carius eſſe poteſt. *Eſt enim os, os ex oſſibus meis: & caro de carne mea.* Proinde hanc accipio, non vt alienam & peregrinam: ſed vt meam ac propriam carnem: idque vt verè ſim cum illa vnum os & vna caro: nunquam diſſocianda. Hic eſt ſenſus. His enim verbis, *Nunc tandem os ex oſſibus meis, & caro de carne mea:* Adamus non ſolum nouit & confeſſus eſt, fœminam hanc ad ſe adductam, fuiſſe e ſuis oſſibus & è ſua carne formatam, ſed etiam agnouit eam pro ſua coniuge: & in hoc coniugium, ſibi à Domino oblatum, conſentiens, liberè faſſus eſt, ſe illam fœminam accipere vxorem, vt ſicut è carne ſua ſumta erat, ſic etiam ſemper cum illa eſſet vna caro. Sicut enim in ſua ecſtaſi, vidit mulierem è ſua coſta formari, ſic experrectus à ſomno, ex adductione huius fœminæ ad ſe per manum Iehouæ, facile intellexit, eam ſibi in vxorem offerri. Proinde ſuam voluntatem exprimens, ſuúmque conſenſum, dixit: *Hac vice, os ex oſſibus meis, &c.* Vel, *hæc tandem eſt os, ex oſſibus, &c.* Ita videmus duplici nomine, Euam fuiſſe os ex oſſibus, & carnem de carne Adami: primum quidem iure creationis. Fuit enim deſumta, creata & formata ex oſſibus & ex carne Adami. Vnde & obiter notandum eſt, non dixiſſe, *& anima, ex anima mea*: ſed tantum, *os ex oſſibus meis: & caro de carne mea.* Nouit enim Adamus, animas humanas non propagari ex hominibus, neque fieri, per traducem, ſed immediatè à Deo creari. Hæc cauſſa eſt, cur nulla mentione facta animæ, tantùm dixerit, *os ex oſſibus, &c.* Iure itaque creationis, Eua erat os ex oſſibus Adami, & caro de carne eius. Secundo, Iure etiam coniugij, erat caro & os Adami: imo ambo ſimul vna erat caro. Sic enim infra de omnibus coniugibus pronunciat, futuros omnes in vnam carnem, id quod Chriſtus interpretatur, Matth. 19. Pro, vtrumque, *virum & mulierem, eſſe vnam carnem:* quaſi dicat, vnum hominem, vnum corpus. Quare in iis verbis, *Os ex oſſibus, &c.* Adamus (vt dixi) non tam ſignificare voluit, ſe noſſe, hanc fœminam fuiſſe è ſuis oſſibus, & è ſua carne formatam, quàm ſe illam agnoſcere pro ſua vxore, ſéque velle cum ipſa eſſe vnam carnem, idque propterea, quòd ſit etiam de ſua carne deſumta. Hinc intelligimus, quomodo & Chriſtus, ſit os ex oſſibus noſtris, caróque de carne noſtra: & nos viciſſim, os ex oſſibus eius, & caro de carne eius: vt Apoſtolus ait. Si ipſam nudam ſubſtantiam carnis ſpectemus, ipſámque Chriſti incarnationem, ipſe eſt os ex oſſibus noſtris, caróque de carne noſtra. Sumſit enim ipſe carnem noſtram & factus eſt ſimilis nobis, per omnia, demto peccato. Ideo Heb. 2. ait Apoſtolus, *quia nos ſumus participes carnis & ſanguinis: etiam Chriſtum Filium Dei æternum, voluiſſe fieri participem eorundem*, carnis ſcilicet & ſanguinis. Itaque iure creationis ſeu incarnationis, Chriſtus eſt caro de carne noſtra: quia ſubſtantiam carnis à nobis accepit. Sed ſi ſpectes ipſum ſpirituale connubium, quo Chriſtus vt ſponſus, nos ſibi deſponſauit, eóque & ſuo Spiritu, nos regenerauit, fecitque nouas creaturas, nos ſumus caro de carne eius, & os ex oſſibus eius. Nos enim ſibi copulando ſuo Spiritu, & deſponſando, fecit vnam ſecum eſſe carnem: eóque & regenerando, & qualitatem ſuæ carnis atque naturæ nobis communicando, efficit: vt noſtra hæc caro, talis ſcilicet, qualis eſt per Spiritum ipſius, regenerata ſcilicet & noua creatura, ſic ex ipſius carne. Duplici itaque nomine Eua erat caro de carne Adæ, quia & iure creationis, & iure coniugij. Sed nos ſumus caro ex carne alterius Adæ, nempe Chriſti, iure ſpiritualis duntaxat coniugij: quia is ſibi nos deſponſauit, cum contrà ipſe ſit caro de carne noſtra, reſpectu incarnationis ſuæ, qua noſtram ſibi aſſumſit carnem. Atque hæc ex verbis illis: *Nunc tandem os ex oſſibus.*

Porro poſteaquam Adamus expreſſo ſuo conſenſu ac voluntate accepit fœminam ad ſe adductam, in matrimonium: ſubiecit יקרא אישה לזאת, Huic vocabitur (nomen) אישה *viriſſa: quia de viro ſumta eſt hæc:* Quidam tamen illud לזאת vertunt *ideo*, ſeu, *propter hoc.*

His verbis Adamus duo facit. Primum, ſuum conſenſum in hoc coniugium confirmat: ſeque verè factum eſſe huius fœminæ virum, ac proinde autoritatem in illam accepiſſe profitetur. Facit hoc, dum ei nomen imponit. Imponere enim alicui rei nomen, auctoritatem & ius in illam rem ſignificat eſſe illi, qui nomen indit: ſicut ſuprà etiam dictum eſt, cùm nomina impoſuit cuique animali. Multo verò magis hoc confirmat, dum non ſimpliciter nomen ei indit, ſed tale ei nomen indit, nempe אישה Hoc enim nihil aliud ſignificat, quàm viri fœminam, ſeu vxorem. Voluit igitur hoc nomine, tanquam perpetua nota & ſymbolo teſtificari, verè hanc fœminam, ſuam factam eſſe vxorem, & ſe illius virum. Deinde ſimul etiam probat factum Domini, quòd hanc fœminam, è ſua carne, & ex ſuis oſſibus formarit: & ita è ſe formatam, ſibi denuo reddiderit, tradendo ſibi eam in matrimonium: vt ſicut è viro ſumta eſt, ſic etiam rurſus vnum atque idem fiat cum viro. Facit hoc ſubdendo rationem, cur eam vocarit אישה *quia* (inquit) *de viro ſumta eſt hæc:* quaſi dicat: Merito igitur etiam viro tradita eſt, vt ſit eius vxor & adiutorium כנגדו. Et ita verè facta eſt אישה fœmina viri, quia etiam de viro deſumta eſt. Docet enim his verbis Adamus, non decuiſſe, viro dari in matrimonium & vxorem: niſi quæ etiam de viro ſumta eſſet: eóque ei per omnia eſſet ſimilis: vt etiam vna ſemper eſſet caro, & eiuſdem quoque naturæ ex ſe gigneret liberos. Ac proinde his verbis ſummoperè commendauit Adamus conſilium & opus Dei: qui vt ex viro ſumſerat fœminam, ſic etiam reddiderit viro, vt eſſet vna caro. Magni itaque ponderis ſunt verba Adami: quibus vocauit ſuam vxorem אישה & quibus, cur etiam ſic eam vocarit, rationem expreſſit. Nam vt dixi, & coniugium iſtud confirmauit, & factum conſiliúmque Dei commendauit ac prædicauit: & vtriuſque facti perpetuam memoriam voluit extare in nomine vxoris ſuæ, in nomine ſcilicet אישה. Non eſt autem ſilentio prætereundum, quod Hebræi in hoc nomine אישה obſeruant. Duæ ſunt ibi eſſentiales literæ ſacroſancti nominis Iehouæ: nempe, י & ה. Cùm autem ſignificet *viriſſam*, hoc eſt, *viri fœminam*: ſignificauit Adamus, Deum Iehouam non ſolùm coniugij ſui eſſe auctorem, ſed etiam illius ſanctificatorem, eúmque eſſe in medio viri & vxoris, ac proinde viro & vxori ſemper cogitandum eſſe, Deum ſemper eſſe in medio ipſorum; ſicut etiam י & ה, inſitæ ſunt huic nomini אישה. Quare viuendum etiam eſſe, & vtendum coniugio, ſanctè & ex voluntate Iehouæ. Quod ſi ſecus fecerint, Deum ablaturum ſuas literas, י & ה ex dictione, atque ita tum non manſurum niſi אש. hoc eſt, *ignem*; iurgia ſcilicet, lites, incendia, pœnas, tormenta, denique infernum. Certum enim eſt in illis coniugiis, quæ non ſunt facta in Domino, & in quibus non regnat ſuo Spiritu, Filius Dei, non reperiri niſi ignem infernalem. Ideo ibi mulier non eſt אישה, ſed אש.

Notanda eſt præterea in hoc nomine אישה indiſſolubilis vnio, quæ inter virum & mulierem, ex Dei ordinatione eſt & eſſe debet. Hoc enim vnico nomine continetur & vir & vxor. Vir nomine איש, vxor litera ה addita; non quod nomine אישה ſignificetur & vir & vxor) ſola enim vxor in recto, eo nomine ſignificatur,) ſed quòd ſignificetur etiam vir in obliquo, quia אישה eſt viri vxor. Vt ergo in vno nomine vniti ſunt vir & vxor, ſic etiam re ipſa, vnum ſunt, vnaque caro. Illud verò diligenter & maxima obſeruatione

dignum

dignus eſt: quòd Adamus ſimulac Euam ſibi in matrimonium duxiſſet, ſtatim ei ſuum communicauit nomen; nempe אִישׁ vocando eam אִשָּׁה idque merito, quoniam & communicata iam illi erat etiam ipſius caro & os: & denuo eam ſibi in vnam carnem coniugij vinculo coniunxerat. Communicatione enim nominis ſui, tanquam vnionis ſymbolo ſignificare voluit ſuæ carnis communicationem: & ex conſequenti, omnium bonorum ſuorum communicatione. Qui enim dat ſeipſum, omnia etiam, quæ habet, communia ei facit, vt vir vxori. Idem fecit Filius Dei, cœleſtis Adam, noſter ſponſus: ſimulac Eccleſiam ſibi deſponſauit; eam etiam ſuo nomine dignatus eſt: nomine ſcilicet Iehouæ, vt apud Ier. 33. Eccleſia vocatur nomine ſponſi proprio, nempe יהוה צדקנו. Et 1 ad Cor 12. vocatur Chriſtus: ſinguli vero fideles filij Dei: quod ſanè nomen vnigenitus, ipſe nobis communicat. Quamobrem? quia ſeipſum etiam nobis prius communicauit, ſuum Spiritum, ſuam naturam, ſuam carnem, ſuum ſanguinem: & per conſequens omnia ſua bona. Proinde, vt ſuam, quam nobiſcum habet vnionem, ſignificet: ſuo etiam nomine nos dignatur, vt vocemur & ſimus filij Dei.

Hactenus paucis verbis deſcripſit nobis Moſes matrimonium, quod inter Adamum & Euam, per Filium Dei inſtitutum, ſanctificatum & confirmatum fuit: idque coram tota cœleſti Angelorum Eccleſia. Quia vero coniugium hoc inſtitutum fuit non tantum propter Adamum & Eua, ſed vt humanum genus in finem vſque Mundi propagaretur: eóque vt omnes electi naſcerentur, & ſuo etiam tempore Meſſias ipſe, per quem vnum colligenda erat, & glorificanda Eccleſia: Ideo Adamus, plenus Spiritu S. loquente per os eius Iehoua, poſt firmatum & ſanctificatum ſuum cum Eua coniugium: legem æternam de reliquorum etiam omnium hominum coniugio tanquam Dei præco, in hæc verba pronunciauit.

V. 24 *Idcirco derelinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ & erūt in carnem vnam*, hoc eſt, caro vna.

1. Principio notandum eſt, hanc eſſe legem diuinam, per os Adami pronunciatam: Chriſtus hoc aperte docet Matth. 19. cum ait: *Non legiſtis quod qui fecit ab initio* (id eſt, creatione Mundi) *ab initio maſculum & fœminam fecit eos, & dixit, Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam?* Eſt igitur inſtitutio & lex Dei hæc.

2. Deinde notandum hanc legem ad omnes homines, tam impios, quam pios pertinere. Fuit enim inſtitutum tunc connubium pro omni humano genere, qui deinceps futuri erant, vnde & *matrimonium* dicitur eſſe de iure naturæ. Quo refellitur impium illud commentum, quo contenditur matrimonium eſſe ſacramentum Sacramenta enim non ſunt, niſi tantùm fidelium in Eccleſia. Coniugium autem ad omnes pertinet. Proinde etiam inter Turcos & Iudæos ſunt vera matrimonia, quanquam non ſancta: quia non ſunt facta in domino, verôque Deo, quem non norunt.

3. Poſtremo notanda eſt illatiua & cauſalis particula עַל כֵּן *propterea* Cùm hæc cum præcedentes complectitur, cur communem de omnium hominum matrimonio legem cōſtituat. Immediate quidem fert legem de non deſerenda vxore, ſed conſtanter illa non retinenda, amanda fouenda, (vt Chriſtus ipſe ſuæ legis interpres eſt Matth. 19) idque hanc ob cauſſam, quòd vxor, ſicut ex carne viri eſt, ita etiam ei tradita ſit in vxorem, vt ſit perpetuo cum illa, vna & eadem caro. Et hoc voluit inprimis ſignificare hac particula עַל כֵּן *propterea*: Interim tamen, quia lex non ſolum illis qui vxores habent, cum eis conſtanter manendum eſſe diſertè præſcribit, verùm etiam iis qui nōn habent, vt ſibi ducant, tacitè mandat, nempe tum propagandi humani generis cauſſa, tum etiam vitandæ ſcortationis gratia (nam hanc quoque præuidit cauſſam Deus:) idcirco alias quoque rationes præcedentes refert hæc particula עַל כֵּן. atque inprimis illam, ideo creatam eſſe fœminam, quæ eſſet viro adiutorium כְּנֶגְדּוֹ, *quia non eſſet bonum, hominem eſſe ſolum*. Sentio itaque ex iis quæ antea & dicta à Domino, & facta fuerunt pro coniugio inter Adamum & Euam: Adamum Spiritu Dei repletum, eóque Deum per Adamum, hanc de communi omnium coniugio, legem tuliſſe: quid dico legem? Imò leges (plures enim vna his paucis verbis continentur) eáſque omnes verbis & actis præcedentibus ſanciri puto, firmari ac ſtabiliri.

Eſſe autem hæc verba legem, & non vaticinium: inde liquet, quia Chriſtus Matth. 19. hæc verba citat, vt iis doceat, non licere vxorem quauis de cauſſa dimittere Ac legem Dei, ibidem docetur: quia Chriſtus ait, Deum hæc verba dixiſſe. Per Adamum autem potius, quam per Moſem, hanc de coniugio legem tuliſſe Deum: inde fit probabile, quia & in hoc, & in primo capite, imo & in inſequentibus, Moſes ſimplicem agit hiſtoricum: referens, quæ & dicta & facta fuerunt de principio, vt liquet. Eſt igitur continuatio ſermonis Adami, per quem Deus tulit hanc legem.

Tria porro ſunt huius legis membra: vel ſi mauis, tres leges, quæ his verbis de coniugio ſtatuuntur. Prima eſt, de ducenda cuique vxore: ſi eū manere ſolum & inconiugatum, aut ad ſui, aut ad humani generis ſalutem, bonum non ſit. Ad ſui ſalutem, vt qui non poſſunt ſe continere. Ad mundi vero & humani generis, vt illi, per quos oportuit humanum genus propagari. Hæc eſt prima lex: eaque ex illa ſuperiori pendet ratione, quia non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, quod quomodo intelligendum ſit, paulo ante dictum eſt. Cum enim per Adamum dicit Deus, *Propter hæc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*: expreſſe mandando, vt quiſque coniugi ſuæ adhæreat, tacitè etiam ſtatuit, vt qui videt ſibi aut humano generi, non eſſe bonum vt ſit ſolus, is vxorem ducat. Scimus, coniugium, inter res adiaphoras, ſua natura & per ſe connumerari, ex accidenti tamen aliquibus fuit, & eſt neceſſarium. Declaro. Adamo & filiis eius primiſque illis Mūdi prioris hominibus, & deinde poſt diluuium, filiis Noé, propter conſeruationem humani generis, neceſſarium fuit; quia bonum non erat Mundo, eos homines eſſe ſolos Item tempore Iſraelitarum, ſi qua familia videbatur extingui facile poſſe, neceſſarium erat, vt ii, qui ex ea familia, vxores ducerent. Neceſſarium item eſt illis, qui non poſſunt ſe cōtinere, ſanctum coniugium: quia neque ipſis bonum eſt, eſſe ſolis, *& melius eſt nubere, quàm vri*. Proinde tunc quiſque ſtatuat, ad ſe adduci à Deo vxorem, ſicut & Eua adducta fuit ad Adamum, cum videt vtile & bonum eſſe, aut ſibi, aut humano generi, vxorem ducere. Tunc enim vocamur à Domino, ad ſanctum coniugium. Ad hoc vero eo magis adduci debent homines: quod coniugium à Deo & inſtitutum, & ſanctificatum fuit, quo ſpectat illud Hebr. 3. *Honorabile connubium inter omnes & thorus immaculatus*. Deinde, quod idcirco creauit Deus fœminam, vt ſit viro adiutorium כְּנֶגְדּוֹ. Ergo propter has rationes, cum non eſt bonum hominem eſſe ſolum, debet is homo vxorem ducere, & ei adhæreret relictis etiam, ſi opus ſit, patre & matre.

Hanc primam legem ſequitur *ſecunda*. Ea eſt, de cohabitatione cum vxore ſua: deque illa à ſe non reiicienda: dum vxor eſt. Hanc tradit apertè, & ſancit legem Deus, cum ait: *Et adhærebit vxori ſuæ*.

Scio verbo דבק aliquid ampliùs ſignificari, quàm cohabitationem Significatur enim conglutinatio, ſeu carnalis coniunctio, viri cum vxore. Vnde & Chriſtus eſt vſus verbo προσκολληθήσεται: à κόλλα, quod eſt gluten. Quia tamen poſtea ſubdit: *Et erunt in carnem vnam*: qua locutione propriè ſignificatur illa carnalis copula, & quaſi incarnatio: idcirco differentiæ cauſſa, *vnum* accipio pro lege, de cohabitando cum vxore: *alterum* de reddenda beneuolentia, vt Apoſtolus loquitur. Non ergo ſatis eſt, vxorem ducere, ſed vult Deus, virum habitare cum vxore, & vxorem cum viro, indiuulſe & inſeparabiliter. Et hoc ſignificat verbo *adhærendi*, ſeu *adglutinandi eſſe vxori ſuæ*.

Et merito ait, *Vxori ſuæ*. Si enim deſinat eſſe vxor, id quod ſit per adulterium, tum vir hac lege liberatur: & ſit ei liberum, ſi eam velit vel retinere, vel reiicere. Proinde damnantur hac lege, omnia temeraria, & quæ præter adulterium fiunt diuortia. Hanc legem his verbis ſanciri, docet Chriſtus ipſe, *Deus ſcilicet in carne manifeſtatus eſt*. Matth. 19. vbi citato hoc loco, damnat Iudæorum diuortia, qui quauis de cauſſa, dato libello repudij, ſuas dimittebant vxores. Locum etiam hunc explicat Apoſtolus, 1. Corint. 7. dicens: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, denuncio, non ego, ſed Dominus, vxor à viro ne diſcedito: Et vir vxorem ne dimittito*. Quando hoc ſtatuit Dominus? Quando per Adamum dixit *Vir adhærebit vxori ſuæ*. Et vſque adeo vult Deus hanc coniugum cohabitationem, vt etiamſi vna pars ſit infidelis, & altera facta ſit fidelis: Et infidelis velit habitare cum fideli, iubeat Deus per Apoſtolum, infidelem retineri: vt ibidem ſubdit Apoſtolus. Nam Apoſtolus hoc etiam colligit ex his Domini verbis. *Vir adhærebit vxori ſuæ*: nempe ſiue fideli, ſiue etiam infideli, quæ vera & legitima ſit vxor. Meritò igitur verba hæc, de cohabitatione coniugum, deque neutra parte deſerenda, ſeu dimittenda, interpretor. Sed vt dixi, continetur etiam hoc verbo, illa carnalis adglutinatio. Vbi etiam obiter notandum eſt, quod ait: *Adhærebit* vxori, *non fœminæ*. Non ergo cuiuis fœminæ adhærendum, ſed *vxori*. Neque ait vxoribus, ſed vxori. Polygamia igitur non fuit ex Dei inſtitutione. Quæ enim hic tradit Moſes de coniugio, regulæ ſunt generales & ſempiternæ veri & legitimi coniugij. Neque ait ſimpliciter, *adhærebit vxori*: ſed addit, ſuæ. Excluduntur ergo alienæ,

eóque damnantur adulteria, omnéſque vagæ libidines.

Rationes vero, cur hanc legem ſanxerit Deus per Adamum, ſunt: propterea quòd Eua Adamo, eóque omnis vxor viro traditur, vt ſit ei כנגדו. Quomodo verò poteſt ei eſſe כנגדו in ipſius conſpectu, ſemperque ei præſto, ſi non ſimul cohabitent? item, propterea quod educta eſt mulier è coſta viri: & rurſus viro reddita, vt habeat vir quod ſuum erat. Non licet igitur eam abiicere. Hinc illud Chriſti: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Quod verò dicitur de viro: idem de vxore intelligitur: nempe ipſa adhæreat viro ſuo, & ab illo non diſcedat. Expreſſit hoc Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Vxor à viro non diſcedito.* Sicut enim non tantum vir iubetur vxorem ducere, ſi non ſit ei bonum, manere ſolum, ſed etiam fœmina nubere, quia *melius eſt nubere, quàm vri*: ita etiam hac lege, *Vir adhærebit vxori ſuæ,* non ſolùm iubetur vir, cum ſua habitare vxore, & vt ne eam deſerat, cauetur, ſed etiam mulier, ne à ſuo diſcedat marito. Ad hanc legem pertinet, quod præmittitur: *Quapropter homo deſeret patrem & matrem*, vt ſcilicet adhærere poſſit vxori ſuæ. Verba hæc, hypotheticè & conditionaliter intelligenda ſunt, nempe ſi alia ratione non poſſit adhærere vxori ſuæ, quàm deſertis parentibus; deſerat potiùs parentes, vt adhæreat vxori, quàm ſinat ſe per parentes impediri, ne cum ſua habitet vxore. Neque enim ſimpliciter iubetur filius deſerere patrem & matrem ſuam: quibus tam iure naturali, quàm lege diuina eſt obſtrictus, & omnem ſuam debet operam, vnde & primum ſecundæ tabulæ præceptum eſt, de honorandis parentibus; ſed iubetur ita adhærere vxori ſuæ, & tanti facere vinculum coniugale, vt ſibi potius deſerendi ſint parentes, quàm vxor. Ac proinde docet, vinculum, quo vir obſtrictus eſt vxori, maius eſſe vinculo, quo filius obligatus eſt parentibus. Et meritò. Nam illud etiam prius fuit iſto. Prius enim Adamus & Eua fuerunt coniuges, quàm parentes. Imò & ideo coniuges, vt poſſent eſſe parentes, & ita humanum genus propagare. Meritò igitur deſerendi potiùs ſunt parentes, quàm vxor, aut maritus. Annon bonum publicum, præponendum eſt priuato? Ad bonum autem publicum pertinet, habitatio cum vxore, nempe ad propagationem humani generis, per liberorum procreationem. Manere autem cum parentibus, ad proprium ipſorum bonum, conſolationem & vtilitatem ſpectat.

Deſerendi igitur potiùs parentes, quàm vxor. Proinde etiamſi liberi ſint ex parentibus, caro de carne, & oſſa ex oſſibus eorum: nunquam tamen dicuntur, *in vnam carnē eſſe*, aut *vna caro*, ſicut de viro & vxore dicitur. Vnde etiam apparet, vnionem viri cum vxore, longè maiorem eſſe, vnione quæ inter parentes eſt & liberos. Deſerendi igitur potiùs parentes ſunt liberis: quàm vxor viro, aut vir vxori.

Huc pertinet vox illa de vxore, quòd ſit *adiutorium viro* כנגדו quod certè de liberis & parentibus nunquam legitur. Etſi enim liberi debent eſſe auxilio parentibus, & illis inſeruire, omnémque operam præſtare: non ſunt tamen illis id, quod vxor debet eſſe viro adiutorium כנגדו.

Rationes has omnes complexus eſt Adamus: cùm à ſuo coniugio, intulit de coniugio aliorum omnium, *Propterea relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam: & adhærebit vxori ſuæ.*

Emphaſim habet, quòd non ait, *relinquet parentes*, ſed nominat *patrem & matrem*: neque ſimpliciter ait *patrem & matrem*: ſed *patrem ſuum, & matrem ſuam*: Quid enim dulcius & charius nomine patris ſui, & matris ſuæ? Interim tamen docet, hos etiam potiùs eſſe relinquendos, quàm vxorem.

Docet igitur, chariſſima quæque in hoc Mundo, eſſe deſerenda potiùs, quàm vxorem.

1. Hinc luculenter apparet, quàm non facilè facienda ſint diuortia. Si enim ne parentum quidem auctoritas, quæ poſt Deum maxima eſt, & nobis debet eſſe ſacroſancta, aliquid valet, ad impediendam viri cum vxore coniunctionē; & contemnenda ea potiùs eſt, quàm vt ſinat te à tua abduci vxore: quantum igitur peccant illi, qui leuibus de cauſſis diuortia faciunt? Et hoc fuit Chriſti argumentum apud Matthæum: *Deus dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit vxori ſuæ. Ergo non quauis de cauſſa licet vxorem dimittere, & quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

2. Hinc conſequenter apparet, quàm grauiter etiam peccent omnes illi, qui coniugatis vllam dant vel cauſſam, vel occaſionem, diuortia inter ſe faciendi: vt qui inter ipſos ſeminant diſſidia, eorúmque animos à ſe inuicem variis rationibus, vel verbis, vel factis alienant.

3. Ac ſi parentes deſerendi non ſunt, niſi propter coniugem, vt ſcilicet huic adhæreat: grauiſſimè igitur illi peccant, qui deſerunt quidem parentes: ſed interim neque cum vxore ſua habitant.

4. Hinc etiam liquet, nunquam licitum eſſe coniugium inter parentes & liberos: ac iure naturæ, tale coniugium damnari. Si enim deſerendi ſunt parentes liberis, propter connubium: Ergo connubij cauſſa, non poſſunt illis adhærere.

5. Illud quoque obſeruandum eſt, quod ait, *Derelinquet patrem, &c.* vt ſcilicet adhærere poſſit vxori ſuæ: hoc eſt, ſi vt cum vxore habitare poſſit liberè, diſcedere ei licet ex ædibus parentum. Non ergo prohibet viro amorem, honorem, & reuerentiam erga parentes, vt amare poſſit vxorem: ſimul enim cohærere poſſunt, amor erga parentes, & amor erga vxorem: ſed permittit diſceſſum à parentibus, vt liberè cum ſua coniuge habitare & viuere poſſit.

6. Ad extremum, ſi tanta eſt vnio inter virum & vxorem, vt huius ſeruandæ cauſſa, liceat parentes derelinquere: Ergo neque propter liberos, licebit vel viro vxorem, vel vxori virum deſerere. Primus enim gradus coniunctionis eſt inter virum & vxorem: Secundus inter parentes & liberos. Ergo vt illam non licet infringere propter parentes, ſic neque propter liberos.

Cæterùm hinc etiam argumentari licet, ſi propter parentes non licet deſerere vxorem, imò contrà, vt cum hac poſſis manere, deſerendi potiùs ſunt parentes, idque propterea, quòd & prius & maius eſt vinculum, quo obſtrictus eſt vxori vir, quàm quo obligatus eſt parentibus filius: Ergo multo magis propter Deum, licet deſerere & parentes, & verò etiam vxorem. Ratio eſt, quia vinculum, quo obſtricti ſumus Deo; & prius & maius eſt aliis omnibus. Atque hoc eſt, quod Chriſtus dicebat, Matthæi capite decimo, *propter ſe deſerendum eſſe patrem & matrem: & vxorem etiam ſuam.* Qua etiam re declarabat, ſe non eſſe purum hominem. Nullus enim eſt purus homo: cuius cauſſa, deſerenda ſit vxor, quando ne propter parentes quidem ipſos deſeri poteſt aut debet.

Tertium legis membrum, vel potius tertia lex eſt, de reddenda (vt Apoſtolice loquar, modeſtiæ cauſſa) vxori debita beneuolentia. Poſſet enim quis habitare cum vxore, ſed interim tamen, non ei reddere beneuolentiam. Proinde Apoſtolus diſcrimen vtrumque facit, in priori ad Corinthios capite ſeptimo: dum etiam diſtincta tradit præcepta, quorum vnum eſt de cohabitatione. *Vir* (inquit) *non dimittat vxorem ſuam.* Alterum de reddenda debita beneuolentia: *Vxori*, inquit, *vir debitam beneuolentiam reddat: ſimiliter autem & vxor viro: Ne fraudet item alius alium.* Et quoniam in his paucis verbis Moſis, continentur virtute omnes hæ leges de coniugio, de ducenda vxore, de retinenda ſecum vxore, ac reddenda beneuolentia vxori, hæc cauſſa eſt, cur diſtinguam inter *adhærebit vxori ſuæ*: & *erunt duo in carnem vnam.* Neque enim libenter admitto in ſacris Literis *βαττολογίας*: præſertim in talibus breuibus ſententiis & legibus, qualis eſt hæc præſens.

Hæc igitur particula: *Et erunt in carnem vnam*, copulam carnalem propriè intelligo: qua ita vir adglutinatur vxori ſuæ, vt ambo fiant vna caro. Quanquam cum hac, complector etiam ius, quod vterque coniunx, in alterius accipit corpus: vt Apoſtolus explicat 1. Cor. 7. *Mulier non habet proprium corpus in poteſtate, ſed vir: Similiter autem & vir ſui, &c.* Sed ex hoc iure ſequitur legitima carnalis copula. Ideo notanda eſt phraſis & Moſis & Chriſti vtcunque diuerſa, de eadem re. Chriſtus ait, *Erunt duo vna caro.* Moſes verò dixerat, *Erunt in vnam carnem.* Senſus igitur eſt: Ita ſeſe coniungent vir & vxor in vnam carnem, vt duo ſint vna caro. Cur autem ſic verba hæc Moſis interpreter, adducor præter alias rationes, loco Apoſtoli, ex 1. Cor. 6. Vbi de carnali copula viri, cum ſcorto verba faciens, apertè ex hoc Moſis loco, affirmat, *Eos tali actione, fieri vnam carnem, & vnum corpus.* Non eſt autem abuſus Paulus verbis Domini, de prima coniugij inſtitutione. Neceſſe igitur eſt, cùm Deus dixit, *Erunt in carnem vnam*: eum non de vnione ſolum animorum, neque de ſolo iure, quod vterque coniugum accipit in alterius corpus, locutum eſſe, ſed etiam, idque cumprimis, de carnali coniugum inter ſe coniunctione. Nam perinde de ſcortatore & ſcorto ait Apoſtolus, eos fieri vnam carnem: atque de viro & vxore idem antea pronunciat Deus & Chriſtus. Neque diſcrimen eſt inter ſcortatores & coniuges, ad hanc rem quod attinet, niſi quod honeſtè & ex Dei ordinatione, ij fiunt vna caro: Illi autem fiunt, contra Dei mandatum & illegitimè. Ergo dubitare non poſſum, quin his verbis; *Et erunt in carnem vnam*, tradiderit Deus legem illam quam Apoſtolus diſertis verbis explicat, dicendo, *Vir vxori debitam reddat beneuolentiam ſimiliter & vxor viro.*

Cōfirmatur hoc à ſimili. Qui enim reali vnione per Spiritum ſanctum adglutinatur Domino; vnus Spiritus efficitur cum illo, vt ſuprà citato loco docet Apoſtolus. Ergo etiam per realem copulam viri cum vxore, fit alter cum altero, vna caro. Adde etiam à contrario argumentum: Qui

Qui enim ſcortādo, vna caro efficitur cum ſcorto: is quantum in ipſo eſt, reipſe ſeſe diuidit ab vxore: & deſinit eſſe cum illa vna caro. Ergo per carnalem ſanctamque cum vxore coniunctionem, fit cum illa vna caro, eaque ſancta: quia thorus immaculatus eſt, ait Apoſtolus.

Cæterùm, neque ſola carnalis copula ſignificatur his verbis, *Erunt in carnem vnam*, ſed ſincera etiam beneuolentia, & amor. Proinde Apoſtolus, vna hac tantum voce vſus eſt, *εὔνοιας* ſcilicet ac beneuolentiæ: cum tamen ea ſignificare voluerit duo, nempe & internam beneuolentiam: & externam corporum coniunctionem. Quia verò vtrumque poteſt etiam eſſe inter ſcortatores, ideirco tertium additur, quod inter illos eſſe non poteſt: nempe legitima poteſtas vtriuſque coniugis in alterius corpus.

Tria ergo Dominus his verbis ſignificauit:

1. Poteſtatem, quam tradit vtrique coniugi in alterius corpus, vt eo poſſit ad moderatam honeſtámque coniunctionem vti. Proinde etiam antequam ad coniugalem veniant actionem: iam coniuges ſunt huiuſce poteſtatis reſpectu, vna caro.

2. Significauit animorum vnionem, ſincerámque beneuolentiam: quæ inter ipſos eſſe coniuges debet. Ex hoc enim fonte proficiſci debet carnalis copulatio: quæ cauſſa eſt, cur Apoſtolus, carnalem etiam hanc coniunctionem, vocarit *beneuolentiam*. Proprium enim amoris eſt, rem amatam, ſibi copulare & vnire.

3. Poſtremò ſignificauit, ipſiſſimam corporum in ſancto coniugio coniunctionem. Sicut enim Eua realiter erat caro ex carne Adæ: quia ex illo realiter deſumta fuerat: Sic etiam fuit ei data in matrimonium, vt realiter denuo, per ſanctam corporum coniunctionem, fieret cum illo, vna & eadem caro: idque non ad turpem inexplebilémque libidinem: ſed ad liberorum procreationem.

Nunc tenemus ſenſum huius tertij membri, ſeu legis.

Tria autem cumprimis damnantur hac lege: Polygamia: Diuortia (quæ ſcilicet, excepta adulterij cauſſa, temere fiunt) & ipſa Adulteria.

1. *Polygamia* quidem: quia inter duos tantùm inſtitutum fuit matrimonium. Ait enim: *Et erunt in carnem vnam*. Quinam? Ille vir, qui deſeret patrem & matrem coniugis cauſſa; & illa vxor, cui vni vt vir adhæreat, ille patrem & matrem deſeret. Id quod Dominus Ieſus clarius etiam explicauit, cùm dixit: *Et erunt duo vna caro*. Nam neque primi coniuges fuerunt plures, quàm duo: Adamus & Eua. Ac ſi valeret quorundam ratio, multiplicandi humani generis cauſſa, implendiq; terram, licitam fuiſſe patribus polygamiam: cui magis fuiſſet licita, quàm primis hominibus, è quibus totum humanum genus erat propagandum, & replenda terra? Nam iis inprimis dictum fuit, *Fructificate, augeſcite, replete terram*. Ergo cùm Deus his non conceſſerit polygamiam, apparet, non ex Domini voluntate, ſed contra primam inſtitutionem, in Mundum eam irrepſiſſe.

2. Diuortia verò damnari hac lege, quæ fiunt inter veros coniuges, manifeſtum eſt, interprete Chriſto Matth. 19. Iubet enim Deus, vt vir & vxor ſint vna caro: & reuera ſunt vna caro. Quid autem aliud agit ille, qui diuortium facit, niſi quod vnam carnem in duas lacerat partes? Ideo Chriſtus concludit ex hac lege, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Quomodo autem homo ſeparat? Si alter coniunx, aut adulterium committit: aut citra cauſam adulterij, diuortium facit. Qui enim adulterium committit, cùm ſe faciat vnam carnem cum ſcorto, vt Apoſtol. 1. Corinthior. 6. docet: deſinit eſſe vna caro cum ſua coniuge: & ita diuidit quod Deus coniunxerat. Qui autem facit diuortium excepta adulterij cauſſa, is itidem diſſoluit quod Deus coniunxerat, vt Chriſtus apertè docuit. Ergo hac lege, *Et erunt duo in vnam carnem*, diuortia damnantur, quæ excepta adulterij cauſſa fiunt.

3. *Adulteria* verò ipſa itidem hac lege damnari, nimis manifeſtum eſt: Quando, teſte Apoſtolo, qui adhæret ſcorto, vnum corpus efficitur cum illo; Non poteſt autem vnum corpus eſſe duo corpora. Non poteſt igitur adulter vnum corpus eſſe cum ſcorto, & ſimul vnum alterum corpus eſſe cum vxore. Quare cùm fiat propter ſcortationem, vnum corpus & vna caro cum ſcorto, deſinit omnino eſſe vnum corpus & vna caro cum vxore. Qui ergo iubet, vt coniuges ſint vna caro, idem prohibet adulterium, quo coniuges deſinunt eſſe vna caro. Hactenus de iis quæ hoc verſu traduntur, ad omnium hominum coniugium attinentia, ſatis: ſubdit Moſes:

XXI. verſ. 25. *Et erant ambo nudi: Adam & vxor eius: nec erubeſcebant.*

Scopus Moſis in hoc verſu fuit, vt indicaret, quanta fuerit ſimplicitas, puritáſque animorum, ſanctitas & innocentia Adami & Euæ, primorum coniugum, cùm adhuc eſſent in Paradiſo, ante eſum vetiti fructus. Atque ita voluit oſtendere, quantum diſcriminis ſit inter ſtatum hominis ante peccatum, & poſt peccatum: & quòd vterque in Paradiſo honeſtiſſimè cum ſuo coniuge, in ſancto coniugio ſeſe geſſerit. Hic eſt ſcopus. Duo autem ſunt huius vſus membra: Vnum, Adamum & Euam fuiſſe nudos, hoc eſt, creatos nudos, & nudos etiam in Paradiſo inter ſe vixiſſe. Alterum, neutrum illorum aut de ſua nuditate pudefactum, aut alterius nuditate offenſum fuiſſe. Vtrumque enim ſignificatur hac voce: *Et non erubeſcebant*: hoc eſt: Neque ſuam quiſquam illorum, neque alter alterius nuditatem erubeſcebat: Non ſecus atque noſtri infantes non erubeſcunt, etiāſi nudi incedant, & ſe inuicem videant nudos. Sed diuerſa eſt cauſa, cur noſtri infantes non erubeſcant, ab illa propter quam non erubeſcebant Adam & Eua. Cur noſtri non erubeſcunt? Quia deſtituti ſunt iudicio, & nondum percipiunt diſcrimen inter honeſtum & turpe. Turpe enim iam eſt incedere nudum. At verò qui fiebat, quòd Adam & Eua, licet nudi eſſent, non tamen erubeſcebant? Num quia infantes eſſent & pueri? Ætate quidem erant ceu infantes, quia recens creati. Interim tamen illo erant & animo atque iudicio & ſimul etiam corpore præditi: perinde atq; nunc ſunt homines 40. annos nati. Creati enim fuerunt perfecti & corpore & animo, ſicut ſuprà etiam dictum eſt de arboribus omnibus & animantibus: id quod etiam apparet ex vi generandi ſibi ſimile, illis tradita. Neq; enim coniugium fuit inſtitutum inter Adamum & Euam pueros aut adoleſcentes (nam talis ætas propter imbecillitatem tum corporis, tum iudicij, ad coniugium apta non eſt) ſed cùm eſſent & corpore firmo atque robuſto, & animo ſapienti atque prudenti, fuerunt coniugij vinculo colligati. Duo enim hæc requiruntur in iis, qui matrimonio ſunt copulandi, nimirum, vires ac firmitas corporis, & mentis iudicium atque prudentia. Vires corporis propter prolem: iudicium atque prudentia animi, vt ſciant tempore & loco omnia ſibi inuicem debita præſtare officia vir & vxor, neque ſe ſinant à mera voluptate in tranſuerſum rapi, & ab aliis rapi, cū Deo, proximo debitis officiis abduci. Ideo Paulus docet, aliquādo ab illa debita beneuolentia vacandum, & orationi, aliiſque pietatis exercitiis inſiſtendum: *Omnia enim tempus habent*. Certum autem eſt, vtrumque nempe, & vires corporis & prudentiam mentis, in adoleſcentibus deſiderari: ac proinde talem ætatem connubio non ita idoneam eſſe. Quibus de rebus poſtea ſuo loco. Hoc tantùm in præſentia contendo, Adamum & Euam, non ideo non erubuiſſe ſuam nuditatem: quòd eſſent pueri ſenſibus, ſicut noſtri infantes: ſed aliam ſubeſſe cauſſam. Ea eſt, quia pueri erant malitia, & nihil dum egerant, propter quod erubeſcere didicerint. Inde factum eſt, vt neque nuditatem, quæ nihil in ſe habebat mali, erubeſcere potuerint. Verecundia enim & pudor, à malo & turpitudine eſt: vt etiam Ariſt. in Rhetor. definit, animi perturbationem & triſtitiam ob ea eſſe mala: quæ in ignominiam & turpitudinem adducunt. Sic & Apoſtolus erubeſcentiam, peccati fructum eſſe docet: quum ait in Epiſtola ad Romanos capite ſexto: *Quem fructum habetis, in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* At verò nihil adhuc in Adamo & Eua erat, & nihil adhuc ipſi egerant: propter quod erubeſcere poſſent, aut deberent. Erant nudi: Verum: Sed non erat in illorum membris illa lex peccati, quę cum lege mentis pugnaret: qualis in nobis eſt. Mens erat pura; corpus verò obſequens menti. Fecerat enim Deus totum hominem rectum, vt Eccleſiaſtic. vocat Salomon: & ad imaginem Dei, hoc eſt, iuſtum & ſanctum: vt explicat Paulus. Cùm ergo pudefactio à re turpi proficiſcatur, nihil autem turpe vel in primis parentibus ineſſet, vel ab ipſis eſſet adhuc geſtum: inde fiebat, vt licèt eſſent nudi, nullo tamen pudore, propter illam nuditatem affici poſſent.

Atque hoc eſt, quod initio dixi, propoſitum Moſis in his paucis verbis fuiſſe, demonſtrare ſcilicet, quanta eſſet primorum illorum coniugum ſimplicitas, puritas, innocentia: & inter ſeſe caſtitas, pudicitia, honeſtas. Quaſi dicat: Erant quidem nudi, & nudi inter ſe verſabantur, ſicut illos creauerat Deus: ſed tamen tanta erat illorum ſanctitas, innocentia, rectitudo, iuſtitia, in qua creati fuerant, & tam ſanctam etiam atque honeſtam conſuetudinem habebant inter ſe, vt nulla prorſus re, eóque nec nuditate illa pudefieri poſſent. Hic eſt ſenſus verborum Moſis.

Summa igitur hæc eſt; Licèt nudi eſſent corpore, quia tamen nudi etiam erant ab omni malitia, ideirco nuditatē corporis erubeſcere non potuerunt. Hinc verò conſequenter docet, quia poſtea erubuerint, nempe poſt peccatum, cùm ſe vidiſſent nudos, vt in tertio capite habemus; Hoc ideo factum fuiſſe, quia nuditatem animi acquiſierant. Mali-

tia enim in illorum animos penetrauerat, totámque naturam infecerat, poſt primam ſcilicet inobedientiam. Inde factum eſt, vt cum ſubinde peccamus: ſubinde etiam cogamur erubeſcere & pudefieri. Quia ſicut erubeſcentia non potuit ibi eſſe, vbi nulla erat turpitudo: Ita non potuit ibi non conſequi, vbi admiſſum fuit turpe aliquod facinus.

Cæterùm notandum eſt, licet erubeſcentia conſecuta ſit peccatum, ipſam tamen peccatum non eſſe, ſed ſpeciem potiùs habere virtutis. Eſt enim teſtimonium animi cognoſcentis, & deteſtantis peccatum, eóque reſipiſcentis hominis. Vnde illud: *Erubuit: ſalua res eſt.* Sicut contrà impudentia vitium eſt intolerabile, & ſignum animi in malo obſtinati, atq; præfracti: Ergo ſicut non erubuiſſe nuditatem ſuam, fuit in primis parentibus ante peccatum, teſtimonium ſummæ innocentiæ, ita poſt peccatum erubuiſſe, ſignum fuit à ſe, & damnati peccati: eóque animi non præfracti, ſed pœnitentis.

Hinc verò perſpicuum fit, quanta fuerit impudentia quorundam nebulonum, quos inter hæreticos connumerat Epiphanius & Philaſter: qui ideo *Adamitæ* vocari voluerunt, quòd exemplum Adæ ſua nuditate imitarentur.

Erant iſti homines nefarij & ſcelerati, qui & damnabant coniugium, & nudi ad ſacra conueniebant, & hic promiſcuè inter ſe viri & fœminæ, Veneri operam dabant. Ac quò ſuum ſcelus tegerent, dicebant ſe exemplum Adæ & Euæ in Paradiſo innocentium imitari. Ac proinde locum etiam in quo conueniebant, totámque ſuam Eccleſiam, *Paradiſum* vocabant. Ideò verò damnabant nuptias, quia ſentiebant nuptias inter Adamum & Euam nunquam fuiſſe perfectas, niſi poſt peccatum, & extra Paradiſum: ídque propterea, quòd in 4. demum capite Geneſeos legitur, *Adamum cognouiſſe vxorem ſuam Euam*. poſtquam ſcilicet eiecti iam eſſent è Paradiſo. Quaſi verò non ſit mos ſcripturarum, & præſertim Moſis, in hac hiſtoria, quæ longe antè contigerant, ea poſtmodum ita narrare, quaſi nùc primùm contigerint. Exempla: *Et formauit hominem de limo terræ*, pro *formauerat*, *Ac plantauit Paradiſum*, pro, *ac plantauerat*, die ſcilicet tertio. Item Gen. 4. *Ac cognouit Adam vxorem ſuam*, pro, *& cognouerat*, nempe in Paradiſo: Sicut & Rabi Selomoh, & alij multi interpretantur.

Certum eſt in ipſo Paradiſo connubium fuiſſe celebratum inter Euam & Adamum. Quid igitur cauſſæ fuit, cur vxorem ducere auerſarentur? Vnde verò didicerunt licere cum mulieribus, quæ non ſint vxores ipſorum, rem habere? Quaſi verò Adam in Paradiſo cognouerit Euam vt ſcortum: extra Paradiſum verò vt vxorem. Egregios verò imitatores Adami ipſa nuditate, quaſi ipſi eſſent animis ab omni vitio nudis, ſicut Adam erat & Eua. Manifeſtum eſt hic, docente omnes gentes natura, poſt peccatum incedere nudos, rem eſſe turpiſſimam: imò vel in locis etiam priuatis conſpici nudos, ita vt vnumquemque etiam pudeat, ſeipſum intueri nudum. Nam idem contigit etiam Adamo & Euæ poſt peccatum: vt habes Geneſ. 3. Et prophani ſcriptores idem docent. Herodotus ait, apud Lydos, omnéſque barbaros magnam eſſe ignominiam, ſi quis cōſpiciatur nudus. Proinde optimo iure Lydorum regina ſuccenſuit viro ſuo, quòd non ſolùm retexerit, quæ inter ipſum & reginam contingebant in matrimoniali congreſſu: verùm etiam quòd eam, inſciam tamen, nudam cuidam ſuo ſodali conſpiciendam curarit, cùm facies etiam & caput mulieri velandum ſit. Vnde rectè ſubiicit Herodotus: ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Nam pudor ſimul cum tunica deponitur. Cicero etiam ipſe vidit, quàm hoc & turpe ſit, & multorum vitiorum cauſſa: In 4. Tuſcul. ait, *Flagitij principium eſt nudare inter ciues corpora.* Et cur Apoſt. iubet mulieres tecto capite in Eccleſia orare, niſi quòd turpiſſima res ſit, faciem eas detectam habere? Et ait, *naturam hoc docere*, turpe ſcilicet eſſe mulieri capite non velato in Eccleſia orare: in loco ſcilicet vbi ab omnibus conſpicitur. Et cur maledictus fuit Cham? Quia patrem nudum nudáque eius pudenda non texit: ſed ſine pudore intuitus fuit. Ergo præpoſterè ex hoc preſenti loco exemplum ſumſerunt Adamitæ, nudè incedendi, vt de alijs nefandis actionibus taceam. Nos meliora ex hac Adami & Euæ nuditate obſeruemus & colligamus.

1. Creati fuerunt Adamus & Eua, & ita etiam aliquandiu vixerunt nudi, vnde & nos omnes naſcimur nudi. Intelligamus ergo nos non eſſe creatos ad quempiam lædendum. Sicut multa, imò pleraque omnia videmus naſci armata cornibus, vnguibus, roſtris, & alijs multis armorum generibus.

Proinde videmus etiam, vnde arma initium ſumſerint, nempe à *Lamech*, filio Tubalcain: Geneſ. 4. ex ſcelerata Caini familia, primóque polygamiæ auctore.

2. Incedebant nudi Adam & Eua. Nos quoque naſcimur nudi, & nudi hinc migramus. Cum igitur & ingreſſus, & egreſſus noſter ſit nudus, diſcamus etiam in vitæ huius progreſſu, ita contenti eſſe noſtra ſorte, vt affectibus à πλεονεξίᾳ nudis & vacuis, in hoc mundo verſemur. Ac ſi quid nobis aufertur, dicamus cum Iobo; *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Ac ſicut illi non erubeſcebant ſuam nuditatem, ſic nos non pudeat noſtræ paupertatis, in qua vult nos Dominus viuere.

3. Nudi incedebant, & coram Deo, & inter ſe, & Adam & Eua. Diſcamus, & nos nudi, hoc eſt, aperti, ſinceri, nulla tecti hypocriſi viuere: tum in conſpectu Dei, tum inter fratres. Deniq; nudi illi vixerunt in Paradiſo, cùm eſſent animis etiam ab omni vitio vacuis & nudis: meminerimus nos quoque, tum demum non opus habituros veſtimentis, quibus nuditatem noſtram tegamus, cùm liberati ab omni peccato in cæleſtem Paradiſum peruenerimus.

XXII. His iam quæ Moſes ſcripſit in 2. cap. de coniugio Adami & Euæ: cuius occaſione factum eſt, vt de coniugio quoque cæterorum hominum certam pronunciarit ſententiam, per Adamum Deus, dicendo, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Cui commodum additum fuit, quanta innocentia & ſimplicitate inter ſe verſarentur illi duo primi coniuges, Adam & Eua: His inquam ſubiicienda ſunt, quæ in primo capite habemus verſ. 28. 29. & 30. Nam manifeſte apparent quæ ibi traduntur, fuiſſe à Domino dicta & conſtituta Adæ & Euæ, poſtquam fuerunt facti coniuges, non autem antea: ait enim *Et benedixit eis, & dixit ad eos:* Quóſnam eos, ſi nondum erat creata Eua, ſed ſolus Adam? Nam quod præcedit, *Maſculum & fœminam creauit eos*, per anticipationem dicta ſunt, cum nondum deſcripta eſſet formatio Euæ.

Tria autem ſunt capita eorum quæ hic continentur. *Vnum* de benedictione coniugij, déque vi gignendi liberos, quam iis primis coniugibus: & in eis, alijs quoq; deinceps largitus eſt Deus, vna cum præcepto, quo coniuges operam dare liberis iubentur. *Alterum* caput eſt, de ſubiicienda hominibus terra, déque dominatu quem eis dedit, omnia animantia, tam terreſtria, quàm volatilia & aquatilia. *Tertium* caput de cibis eſt, quibus veſci ipſi deberent: déque illis etiam quibus alenda erant animantia bruta.

Commodum, ſicut dixi, hæc ſubnectuntur, poſtquam fuerunt Adam & Eua coniuges effecti: Primùm quidem, quia finis præcipuus, cur noluerit Deus Adamum eſſe ſolum, ſed dare illi vxorem, fuit, vt humanum genus, eóque electos, ex quibus conſtituenda erat Eccleſia, propagaret: ergo vt ſanctè poſſent facere, opus habebant iſta benedictione, quam ſubiungit.

Alterum etiam fuit neceſſe: ſi enim complenda erat terra hominibus, oportuit ergo illam ſubiici hominibus, & quæcunque in ea eſſent, etiam beſtias ad varios hominum vſus creatas.

De tertio nulla eſt controuerſia. Oportuit enim alimenta, tum hominibus, tum alijs animantibus omnibus conſtituere. De primo igitur ſic ait:

Et benedixit illis.

Duo ſignificat hoc verbo: Vnum, quòd Deus ſignificarit coniugium & coniuges: Et verò etiam qui ex eis naſcituri erant liberi, ſi non peccaſſent. Nam quod naſcuntur immundi, hoc non eſt ex natura coniugij, ſed per accidens, ex corruptione naturæ. Cur autem ſic interpreter, facit Apoſtolus qui ait Hebr. 13. *Honorabile inter omnes coniugium & thorus immaculatus.* Hæc eſt Dei benedictio, qua omnibus in matrimonio conſtitutis, quicunq; illi ſint, benedicit, eos eorúmq; actiones ſanctificans. Hoc itaq; dicto: *Et benedixit eis*, népe Adæ cumprimis & Euæ, & deinde in ipſis, omnibus quicunq; futuri erant coniuges. Hoc inquam dicto, interprete Apoſtolo, damnantur omnes illi, qui coniugium aut ſimpliciter & per ſe, aut in certo hominum genere, tanquam immundum damnarunt, eoq; & legibus cauerunt, ne certi homines nubant, ducantq; vxores, ſed cœlibes eſſe cogunt. Quam doctrinam Apoſtolus 1. Timot. 4 *doctrinam dæmoniorum* vocat. Qua de re poſtea. Neque nouum eſt, quod verbum *benedicendi*, pro *ſanctificare* accipiatur. Etiā infrà cap. 2. ait, *Deum benedixiſſe diei ſeptimo, & ſanctificaſſe illum*, vbi multi interpretes poſterius verbum, eſſe alterius interpretationem, volunt. Et ſic etiam illud interpretantur, 1. Corint. 10. cap. *Calix benedictionis cui benedicimus:* pro calix in hunc vſum ſanctificatus & conſecratus, vt ſit ſanguis Chriſti ſacramentaliter, &c. Ergo abſurdum non eſt, quòd hinc coniugij ſanctificationem munditiémque colligamus. Docemur autem, ſi coniugium ſanctum eſt: Sanctè igitur illo eſſe vtendum. Et ſic Apoſtolus docet 1. Theſſ. 4

vnus quiſque vas ſuum poſſideat in ſanctificatione & honore, nō in paſſione deſiderij. Sed præter hoc, ipſa etiam gratia fœcunditatis & gignendi liberos ſignificata fuit verbo *benedicendi*: ſicut etiam ſuprà de piſcibus dictum eſt. Nam *benedicere*, eſt *bene precari*. Verum cum Deus benedicit, non precatur hoc modo, ſed reipſa præſtat quæ dicit & iubet. Cùm igitur poſt benedictionem mox ſubdat *fructificate*, apparet verbo *benedicendi*, contuliſſe illis primis coniugibus, & ſimul etiam quotquot deinceps filios & filias genituri erant, fœcunditatis gratiam. Hæc eſt benedictio. Proinde in veteri Teſtamento quæcunque pariebant liberos, ſeſe benedictas eſſe à Domino profitebantur: contrà quæ ſteriles, ſeſe eſſe maledictas putabant, ad hanc ſcilicet partem benedictionis quod attinet, de qua iam loquimur.

1. Notandum itaque ante omnia, quòd quis liberos gignat, hoc eum habere, non à natura, ſed à Deo. Is enim ſolus eſt qui benedixit & benedicit coniugibus. Nouit hoc Eua ſtatim poſt ſuſceptum Cainum primum filium, cum dixit, קניתי איש את יהוה. Et ſic deinceps omnes ſanctæ mulieres idem faſſę ſunt, & gratias agebāt Deo. Hinc etiam petitio fœcunditatis, quam precabantur à Deo.

2. Deinde notandum, ſicut ſanctificatio coniugij, quæ etiam verbo *benedicendi* (vt ſuprà declarauimus) exprimitur, ad omnia legitima coniugia extenditur, vt docet Apoſtolus, nec fuit reſtricta in coniugio Adami & Euæ: ſic etiam hanc alteram benedictionem, nempe fœcunditatis, inprimis quidem fuiſſe conceſſam primis coniugibus, à quibus totum humanum genus erat propagandum: Verùm in illis non fuiſſe reſtrictam, ſed ad alios quoque omnes pertinuiſſe. Neque enim quiſpiam hic excipitur. Quum enim benedicit Adæ & Euæ tanquam coniugibus: omnibus etiam aliis coniugibus benedicit.

Verum, qui fit quod non omnes coniuges participes ſunt huiuſce benedictionis? Hoc ex peccato factum eſt. Sicut enim terra propter peccatum maledicta fuit, ne vbique aut ſemper proferat fructus: ſic etiam propter peccatum factum eſt, vt hæc benedictio à multis ſit ſubiecta, & ſteriles ſint facti. Hinc ſteriles pro maledictis habebantur. Sed niſi contigiſſet peccatum, omnes coniuges fuiſſent fœcundi, vi huiuſce primæ benedictionis. Itaque gratiæ Dei adſcribendum eſt quod quidam generent, peccato autem, quod alij non generent.

3. Illud quoque prætereundum non eſt: benedictionem hanc per ſe ad coniuges tantùm pertinere. Deus enim benedixit, non adulteris, non ſcortatoribus, non inceſtis, ſed legitimis coniugibus, eiſque dixit, *fructificate*: interim tamen ex accidenti benedictio hæc deriuatur etiam ad multos ſcortatores, & adulteros. Nam quod etiam ipſi fœcundi ſint, & liberos ſuſcipiant è ſuis ſcortis & adulteris, pendet ex hac præſenti Dei benedictione, quæ ſeminarium fuit, & ſcaturigo eſt, vnde totum humanum genus fluxit, fluit, & fluet in infinitum vſque. Ea eſt Dei bonitas, vt etiam ex malis noſtris multa bona ipſe colligat; nec propter ſceleratos velit ſuarum benedictionum curſum impediri: Imò inter impios ſuæ benedictionis teſtimonia extare vult. Vnde etiam ex adulteriis, & ſcortationibus, multos electos naſci voluit. Interim peccata ipſorum non excuſantur, ſed vt Apoſtolus dixit, *Honorabile eſt connubium inter omnes*: ſic etiam ſubiecit: *Scortatores autem & adulteros damnabit Deus.* Sic ergo videmus de ſolis coniugatis dictum fuiſſe: *Erunt duo in carnem vnam.* Hoc eſt enim ex Dei ordinatione. Interim tamen quia etiam ſcortatores adhærent ſcortis. (Quanquam illicite & contra Dei mandatum) ſicut etiam viri vxoribus ſuis: idcirco ex accidenti fit, vt ipſi etiam ſcortatores cum ſcortis fiant vna caro. Eodem etiam modo fit, vt quæ ad ſolos pertinebat coniugès benedictio, ex accidenti etiam deriuetur in adulteros & ſcortatores: Ita videmus magna Dei iudicia, eáque inſcrutabilia. Multos pios coniuges propter peccatum humani generis priuat hac benedictione, & eâdem multos ſceleratos, adulteros largiter donat, ſed in maiorem ipſorum perniciem. Atque hæc de benedictione ſatis. Quia verò Deus dona ſua non confert incaſſum, & vt ea ſint otioſa, iam ſubdit:

XXIII. *Fructificate, augeſcite* (multiplicamini) *& replete terram.*

Quibúſnam verò etiam hæc verba dixit Deus? Coniugibus, non autem ſcortatoribus & adulteris. Ergo hinc apparet, voluntatem Dei fuiſſe, & eſſe, vt gignantur liberi; & hominibus impleatur mundus, non per adulteria, ſed per ſanctum coniugium. Hæc eſt certa & nobis ſemper ſpectanda, ſequendaque Dei voluntas. Quòd nunc etiam per adulteros gignantur liberi, & mundus hominibus impleatur: hoc (vt antè dictum eſt) ex occultis eſt Dei iudiciis, imò & ſumma eius bonitate; qui noſtris etiam malis ad ſuam vtitur gloriam, & ad Eccleſiæ ſalutem. Sed certum eſt ex præſenti loco, & ex aliis infinitis, voluntatem Dei reuelatam fuiſſe & eſſe, vt non gignantur liberi, neque mundus hominibus impleatur, niſi per legitimum coniugium. Quare illos facere contra Dei ordinationem, qui alia ratione curant vt habeant liberos, quàm ex ſancto coniugio, & ex hac Dei benedictione. Dubitatur autem, an hoc ſit præceptum, cum ait, *fructificate*: an verò conceſſio, vel benedictionis explicatio. Et, ſi præceptum eſt, ad quoſnam pertineat. Præceptum eſſe omnes ferè interpretes conſentiunt: & ad omnes etiam homines pertinere: illis tantum exceptis, quos dono continentiæ donat: ac proinde quos à coniugij eximit neceſſitate, vt expedit iis vacent Euangelio: Ac proindè grauiter in hoc Dei mandatum peccare eos, qui non vocati à Deo, per donum continentiæ ad cœlibatum, ſeſe ſponte eximunt ab hac lege. Quæ iſti dicunt, vera ſunt. Eſt enim præceptū: *vt qui ſe non continent, nubant.* Cæterùm ad ſenſum quod attinet huius loci, non mihi hîc videtur tradi præceptum, de ducenda vxore illis, qui carent vxore. Hîc enim alloquitur Deus non inconiugatos, ſed iam coniugatos. Præceptum potius de ducenda vxore continetur in illis verbis: *Quapropter relinquet homo patrem & matrem, &c.* Et ex illa pendet ratione. Quia; *Bonum non eſt hominem eſſe ſolum.* Præceptum igitur mihi hîc eſſe videtur: quo coniuges iubentur operam dare in ſuo coniugio, non voluptati, neque libidini, ſed liberis ſuſcipiendis, quibus mundus repleatur, & Eccleſia Dei promoueatur: ac proinde multi abuſus in coniugio damnantur hoc verbo, *fructificate.* Scimus quàm graue fuerit peccatum Onan, propterea quòd nollet liberos ſuſcitare fratri ſuo defuncto. Geneſ. 38. Legatur hiſtoria. Ita ſentio his verbis: *Fructificate, augeſcite, implete terram*, partim explicari verbum, *& benedixit eis*, partim mandari coniugibus, vt in coniugio, huic vni cumprimis rei dent operam, vt procreatione liberorum repleant terram, numerúmque augeant electorum: quòd hic ſit præcipuus finis, cur inſtitutum ſit coniugium. Hæc eſt mea ſententia.

Porro tria hîc ſunt verba, recto ordine poſita.

Primum, *Fructificate.* Voluit igitur ex coniugio liberos id quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον impletur, procreari.

Secundum, *augeſcite* ſeu, *multiplicamini*, nempe numero: Voluit igitur magnum hominum numerum. Proinde videmus in Geneſi, quum recitantur generationes, ſubinde repeti: Et genuit non vnum filium, ſed filios & filias: id quod etiam nunc fit multiplicandi humani generis gratia.

Tertium eſt, *Et replete terram*, ſcilicet totam. Hic eſt finis, nempe, vt terra impleatur primùm electis, è quibus conſtituatur & cōſeruetur Eccleſia, & deinde aliis etiam hominibus, per quos exerceantur electi. Sed hoc ex accidenti. Omnia enim per ſe creata, & conſtituta propter electos fuerunt. Hinc colligimus, etiamſi non peccaſſet Adam, tamen Electos etiam extra Paradiſum habitaturos. Erat enim implenda tota habitabilis terra. Ita tota terra fuiſſet inſtar Paradiſi.

Notandum præterea, hæc omnia fuiſſe ordinata à Deo in ipſo Paradiſo: quare potuerunt etiam in eadem Paradiſo, ab Adamo & Eua impleri, ſine vlla Paradiſi contaminatione. Erat enim ſanctum connubium, propter Dei inſtitutionem & benedictionem. Vanum igitur eſt quod Hieronymus aduerſus Iouinianum ſcribit: virginitatem fuiſſe in Paradiſo: extra verò Paradiſum fuiſſe nuptias, & tum meritò dixiſſe, *Replete terram*, quia cœlum replendum erat virginibus, terra verò nuptiis. Sed qua via potuiſſet, ô Hieronyme, ipſum cœlum impleri virginibus, niſi per coniuges? Si ergo virgines ad cœlum, coniugati autem ad terram pertinent: nemo debuiſſet fieri coniunx. Ita neque virgines pro cœlo nati eſſent. Sic ergo nos dicamus: Deum voluiſſe repleri terram, vt tandem repleretur cœlum. Verum non dixit, *Et replete cœlum*, ſed *terram*, quia vt quis eat in cœlum, hoc non fit ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo, qui regenerat quibus Cœlum vult impleri. Ergo licèt ideo volebat repleri terram vt repleretur Cœlum: tamen meritò non dixit, *replete cœlum*, ſed *terram*: quia quod ex carne eſt, caro eſt, quod ex Spiritu, ſpiritus eſt. Niſi autem quis renatus fuerit, ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Cœlorum.

Quod autem attinet ad complementum huius mandati, videmus impletum eſſe: Nullam enim eſſe terræ habitabilis partem conſtat, quæ non ſit hominibus repleta. Quòd ſi terra repleta eſt, profecto tandem etiam cœlum replebitur electis hominibus. *Nam quos elegit & prædeſtinauit*

hos & vocauit. &, quos vocauit, hos & iuſtificauit. &, quos iuſtificauit, hos & glorificabit.

Hæc de primo capite huius verſus. De altero ſubdit:

XXIV. *Et ſubijcite eam* (terram) *& dominamini.*

Duo habet membra. Vnum de terra ſubiicienda hominibus; Alterum de dominatu in animalia.

Terræ ſubiectio in eo conſiſtit, vt ab hominibus habitetur, Terra fodiatur, aretur, ſeminetur: denique tota in obſequium atque commodum hominum redigatur. Hoc eſt enim officium ſubiectorum, vt ſuis inſeruiant dominis, ſicut illi iuſſerint. Ergo quum ait, *Et ſubijcite eam*, iubet terram ab hominibus habitari, coli, ædificari, & in humanos vſus redigi. Nam ideo vult hominibus repleri terram, vt etiam hominibus ſubiiciatur, hoc eſt, in eorum vſus tota cedat. Quibuſnam verò hoc etiam mandauit Deus? Primis parentibus, & eorum poſteris. Sed quomodo? Legitimè. Neque enim conſtituit Deus in Mundo ἀναρχίαν, vt quiſque pro ſua libidine, quacunque velit terram, ſibi armis ſubiiciat: ſed omnia ordinatè & ex æquitate fieri voluit. Docuit hoc Deus de principio, quum eiecit Cainum non ſimpliciter è terra, ſed è terra, vbi Eccleſia tunc colligebatur. Itaque fuit tunc eiectus ex Eccleſia & à conſpectu Domini. Sed interim aliam ei partem terræ in qua habitaret cum ſuis, dedit: vbi & ciuitatem ædificauit, quam à ſuo exilio appellauit *Nod*: Alteram partem reliquit Eccleſiæ: Nolebat ergo Cainum ſibi eam terræ partem vendicare, ſibique ſubiicere, quam Eccleſiæ reliquerat, ſed aliam. Atque ita deinceps factum eſt. Hoc præterea docuit, cùm iuſſit terram fluentem lacte, & melle, non confundi: ſed ordine diſtribui tribubus Iſrael. Et hiſtoriæ Geneſeos poſt diluuium apertè docent, quomodo voluerit Deus terram hominibus ſubiici: quum cuique genti ſuam dedit terram, atque prouinciam. His igitur verbis non concedit cuique, vt quamcunque velit terram, eam ſibi occupet: ſed legitimè intelligit, & ex Dei ordinatione, eſſe ſubiiciendam. Verum eſt, variis etiam temporibus mutata fuiſſe loca; & eiectis vnis populis, alios fuiſſe inductos: ſed hæc omnia ex Dei ordinatione facta fuerunt, & fiunt, aut aperta, aut occulta. Eſt enim in manu Dei, transferre Reges: & mutare regna. Cæterùm, hæc fuit Dei ordinatio: vt cuique genti ſua eſſet terra, quam inhabitaret, quam coleret, & ex qua victum ſibi pararet.

Quod verò magna ſequuta ſit inæqualitas, hoc ex peccato profectum eſt, quo omnia corrupta ſunt. Sed non ita tamen: quin Dei ordinatio ſemper impleatur. Vbique enim ſunt homines, & vbique reperiunt habitacula, & aliquam terræ partem; quam ſibi ſubiiciant. Summa: ſtatuit cuique genti certos terræ fines, in quibus habitent: ſed hos quoque pro ſua voluntate, quando placet, mutat; vel ampliando, vel decurtando: nunquam autem totam terram vnigeniti ita permittit, vt aliis non liceat in terra habitare. Quare efficiant quicquid velint Tyranni: ſemper habebunt reliqui homines, vi iſtius verbi diuini, partem aliquam terræ, quam inhabitarent, quam ſerant, quam colant, vnde & vbi viuant. Concluſionem hanc colligo ex verbis Moſis propter Pauli interpretationem qui ait Actor 17. *Deus qui fecit Mundum & omnia quæ in eo ſunt: his cæli & terræ cùm ſit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, quum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia: fecitque ex vno, omne genus hominum habitare per vniuerſam faciem terræ: definiens ſtata tempora & terminos habitationis eorum.* Duo ſunt in his Apoſtoli verbis, ad noſtrum ſacientia inſtitutum obſeruanda: vnum quòd ait effeciſſe Deum vt ex vno, omne genus hominum habitet, ſuper vniuerſam faciem terræ. Impletum igitur eſt quod dixerat Adæ & Euæ, *Fructificate, augeſcite, implete terram & eam vobis ſubijcite.* Alterum, quod ſubdit Apoſtolus definiens tum terminos habitationis, vbi: tum tempora, quibus ibi debeat habitare. Ergo à Dei pendet voluntate, vbi quiſque habitare & quàm diu ibi habitare debeat. Ita vt vt res cadat; ſemper impletur verbum Dei, *Replete terram, & ſubijcite eam.*

Ideò meritò Deus & quidem eleganter perſtringit per Ieſaiam cap. 5. auaros & tyrannos, qui occupare conantur ſoli totam terram, quaſi ſoli ſint in eo habitaturi, dicens: *Væ illis qui copulant domum domui, & agrum agro continuant: donec locus deficiat.* Num vos ſoli habitabitis in terra? Non enim vni, ſed omnibus hominibus, atque inprimis electis, quales fuerunt Adam & Eua, dictum eſt, *ſubijcite vobis terram.* Quæ igitur eſt hominum quorundam inſania, qui putant ſe poſſe efficere, vt ſoli habitent in terra: & in ea nullum habeat locum Eccleſia.

Denique duo cumprimis vitia his verbis Domini corriguntur. vnum eorum, qui totam terram, ita ſibi ſolis vendicare & ſubiicere audent, & conantur: vt nihil aliis relinquant. Non enim vnius, ſed omnium hominum terra eſt, quando non vni, aut multis aliquot hominibus dixit, *ſubijcite eam*, ſed, *omnibus*. Alterum vitium huic quaſi contrarium, eſt eorum, veluti Anabaptiſtarum, qui ita volunt omnes agros, domos, vrbes, totam denique terram, & quæcunque in ea ſunt, eſſe omnibus communia, vt cuique liceat alterius agros, ædes, bona inuadere. Nec perpendunt verba Dei. Omnibus quidem ait: *Subijcite eam*: Sed quomodo? Suam quiſque ſibi partem: vt ordo ſit in Mundo, non ἀταξία. Proinde Apoſtolus verborum Moſis interpres apertè ait: *Deũ conſtituiſſe, & definiſſe fines habitationis terræ*: nempe vt quæque gens, quæque ciuitas, quiſque ciuis, certos habeat terræ, agrorum, vinearum, ædium fines, intra quos ſe contineat. Non pugnat κοινωνία, cum certa rerum diſtributione.

Cape exemplum ex Actis Apoſtolorum: *Erant* (inquit Lucas) *omnia illis communia.* Ecce κοινωνίαν. Num interim quiſque arripiebat quod volebat? Minime. Subdit enim: *Et diſtribuebantur omnibus, prout cuique opus erat.* En certam diſtributionem. Etſi igitur Deus totam terram omnibus ſubiicit hominibus, quia vult omnes in terra habitare: ἀταξίαν tamen non vult inter homines: & idcirco definiuit cuique genti, populo, ciui, terminos habitationis eorum. Ac quod de terra dicimus; idem de aliis bonis omnibus dictum volumus: vt in exemplo Apoſtolorum oſtendimus. Ciuitas communis eſt omnibus ciuibus: interim ſua cuique definita eſt domus. Domus alicuius patrisfamiliàs, communis eſt toti familiæ: interim cuique perſonæ ſuum aſſignatur cubiculum, lectus, cibus, veſtimentum. Quod probamus in ſingulis ædibus, diſtinctam ſcilicet rerum, & locorum diſtributionem; cur non idem probemus in ſingulis vrbibus? Et quam in ſingulis vrbibus, cur non & in ſingulis regnis, eóque in tota terra? Sed tertium quoque vitium corrigitur verbis Domini, nempe eorum, qui putant, quod ſemel ſibi ſubiecerunt, illud nunquam debere aliis ſubiici. Sed non cogitant, dictum hoc, ſicut ad omnes homines, ſic ad omnia etiam tempora extendi: ita vt quod vno tempore fuit tuum, illud alio tempore futurum ſit alterius. Explicat hoc Apoſtolus, quum ait, *Deum definiiſſe, non ſolùm terminos habitationis hominum, ſed etiam tempora ſtata*: quibus ſcilicet debeant homines certis habitationum finibus concludi. Credo ſatis explicatum eſſe hunc locum: *Et ſubijcite eam.* Hoc tantùm teſtat obſeruandum: Etſi Deus dixit hominibus: *Subijcite vobis eam*: Deum tamen eſſe illum ipſum qui eam ſubiiciat: vt Apoſtolus loco ſuprà citato ait: fecitque eos habitare ſuper vniuerſam faciem terræ: vtitur igitur Deus opera noſtra: ſed ipſe eſt qui omnia agit & dat.

XXV. Subdit iam de dominio in animalia.

Et dominamini in piſces maris.

Subiecta hominibus terra: ſubiicienda etiam erant animalia: Ait igitur, *Et dominamini in piſces, &c.* Quinam conſtituuntur domini animalium? Omnes homines. Omnes igitur ius habent in animalia: in vniuerſum: ſed vſus diſtributus eſt (ſicut ſuprà etiam de terra dictum eſt) ad certa tempora. Quo vſque autem ſeſe extendit hic dominatus? In omnia animalium genera, quæ his tribus nominibus comprehenduntur; piſcium, volatilium, beſtiarum terræ. Atque eo ordine illa recenſet, quo etiam fuerunt creata: Primo piſces, ſecundo aues, tertio beſtias terræ. Latiſſime ergo patet hominis imperium; quando etiam vſque ad ea, quæ ſunt in profundo maris, extenditur, & ad ea quæ volitant per nubes. Quibus verò in rebus conſiſtit hic dominatus? In eo vt hominis neceſſitatibus, & commodis, pro ipſius arbitrio inſeruiant; ſed citra tyrannidem. Dominatum enim tradidit homini Deus; non tyrannidem: & vſum conceſſit, non abuſum. Proinde lege cauit ſua, vt Sabbatho etiam animalia quieſcerent. Ex hoc dominio fit, vt homini liceat animalia interficere, in ſuum vſum; tum vt illorum veſcatur carnibus; tum vt eorum pellibus veſtiatur: & ſi quis alius vſus eſſe poteſt.

Verùm cui vſui eſſe poſſunt feræ venenatæ, & ſanguinariæ? Ante peccatum non nocebant, ſed ſuum habebant vſum: poſt peccatum etiam habent vſus; hunc ſaltem, quod iis Deus caſtigat inobedientes: dum eas, famulos ſcilicet noſtros, in nos armat propter peccatum. Ideo Ezech. 5. *Immittam in vos famem, & beſtias peſſimas.* Et 2. Melach. 17. *Leones immiſit in Samaritanos, qui eos interficiebant: Vrſos in pueros qui Eliſæum deridebant*, 2. Melach. 2.

Verùm hîc quæſtio mouetur, quomodo impletum ſit hoc Dei verbum, de dominatu hominis in vniuerſa animalia? De Adamo conſtat, illum dominatum habuiſſe in animalia omnia: id quod apparuit, quum ad eum omnia acceſſerunt;

acceſſerunt ſponte, eorúmque ſingulis nomina impoſuit. Et ſerpens à colloquio mulieris non abhorruit. Nullum enim animal aduerſabatur homini. Sed cùm hic dominatus traditus ſit, non Adæ ſolùm & Euæ: ſed omnibus hominibus: quomodo hoc complectur? Reſponſio facilis eſt. Peccato hoc factum eſt; quia enim homo rebellarit Deo, ideo etiam animalia homini: ſicut etiam terra fuit maledicta, vt non amplius ſponte proferat fructus bonos homini, ſed ſpinas & tribulos. Etſi verò meritò Deus, propter peccatum, imperium hoc in animalia ademit homini, magna ex parte; non tamen in totum. Tanta eſt eius erga nos bonitas. Quot enim adhuc animalium genera ſunt, in quæ dominatur homo: & ea ad ſuos adigit vſus? Ideò Dauid non tam de primo homine, quàm de nobis dicebat, Pſalm.8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: volucres cœli, & piſces maris.* Imò nullæ etiam ſunt feræ, in quas non aliquid habeat imperij homo; dum ingenio & arte illas capit, domat,& ſibi ſeruire cogit. Hinc fit, vt omnes ſibi ab homine metuant; ac proindè noctu tantùm audeant progredi è ſuis latibulis, quum ſciunt hominem dormire: ſed interdiu quantum poſſunt,latitant: pauent enim & tremunt ſolo hominis conſpectu. Quæ res argumento eſt, eas beſtias neſcio quomodo ſentire, hominem ſuum eſſe dominum. Quid? An non videmus magnas etiam beſtias & ipſos quidem elephantos,ab vno puero duci,cædi,cogi? Non igitur in totum ademptum eſt hoc imperium homini in beſtias: ſed ex parte tantùm: vt hinc meminerimus noſtri peccati,cuius cauſa imminutum eſt imperium;illinc verò bonitatis Dei,qui noluit nos in totum eo ſpoliare. Cæterùm per Chriſtum ſicut aufertur peccatum; ſic etiam imperium reſtituitur. Apparet hoc in ipſis fidelibus, qui fide Chriſtum amplectuntur. *Signa autem, eos qui crediderint in me, hæc ſequentur*, inquit Chriſtus: *Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint,non eis nocebit*,Marc.16.Et in Actis Paulus à vipera non fuit læſus. Leonibus obiectus Daniel, nihil ab illis patitur mali. Samſon & Dauid vincebant leones. Pſalm 91. de vnoquoque fideli ait: *Super aſpidem & baſyliſcum ambulabis: & conculcabis leonem ac draconem.* Sunt hæc teſtimonia imperium de principio conceſſum homini in animalia, & poſtea per peccatum amiſſum: poſtmodum cœpiſſe per Chriſtum reſtitui: & pleniùs etiam reſtitutum iri: vbi ſcilicet peccatum fuerit penitus deletum, atque ſublatum. Tunc verè implebitur, non tam in capite Chriſto, quàm etiam in nobis illud Dauidis: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*: ſicut Apoſtolus explicat in 1.Corint.15. Nunc tenemus qualis & quantus ſit dominatus,quem Deus dedit in animalia omnia,primùm Adæ: deindè etiam aliis hominibus, & quomodo per peccatum amiſſus, nunc etiam reſtituitur,& plenius etiam reſtituetur per Chriſtum: qua in re minima pars imaginis Dei, ad quam factus eſt homo, conſiſtit. Sequitur iam tertium caput huius contextus.

Et dixit Elohim,&c.

XXVI. Poſtquam creauit homines, coniugio copulauit & dominos conſtituit totius terræ, & imperium dedit in omnia animantia, ad extremum proſpexit illis etiam, & eorum animalibus de cibo, quo ſeſe omnes ſeruarent in vita, adeo vt hoc opus, ad prouidentiam potius Dei, qua res creatas regit, ac ſuſtentat, pertineat, quàm ad creationem. Proinde Chriſtus cùm de prouidentia loquitur Matth. 6. hoc opus quo omnes alit Deus commemorat: Et certum eſt hinc confirmandam eſſe fiduciam noſtram de prouidentia Dei: hoc modo, Non rogatus,ſponte proſpexit hominibus,& animantibus omnibus,de iis quibus ſe poſſent in vita ſuſtentare: cur igitur ſimus ſoliciti, aut dubitemus, quin ſuppeditaturus ſit nobis omnia neceſſaria; Præſertim rogatus per Chriſtum? Sed coniuncta ſunt creatio, & prouidentia Dei,ideo eodem die,quo creata ſunt animalia, de victu etiam illis prouidit Deus.Vnde etiam in ſymbolo,vbi Deum vocamus creatorem, ſimul cum eodem nomine profitemur conſeruatorem. Primùm autem hominibus proſpicit, deinde aliis animantibus, vt Moſes dicit: Pluris enim eſt homo, quàm omnes beſtiæ. Manifeſtum autem eſt,Deum non deeſſe beſtiis:cùm etiam coruorum pullos à parentibus propriis deſtitutos non deſerat ipſe, ſed etiam paſcat. Hinc Chriſtus argumentatur:Quantò magis igitur vos? Sic enim ait Matt.6. *Intuemini in volucres cœli, non ſerunt enim, neque metunt, neque cogunt in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit eas: nónne vos multò præſtatis eis?* De cibis igitur hominum ſic ait:

Et dixit Elohim: ecce dedi vobis. Senſus eſt: Ecce meam erga vos beneuolentiam, déque vobis prouidentiam: Antequam eſſetis conditi,iam paraueram vobis non ſolùm habitationem, totam ſcilicet terram: verùm etiam alimenta, quibus viuere poſſetis. Dedi igitur vobis in eſcam, quicquid in terra fructuum cernitis.

Hinc perſpicuum eſt, omnes cibos à Domino Deo nobis eſſe: eóque ab ipſo etiam eſſe petendos; vnde iure dicimus ei, *Pater noſter: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sed quomodo dedit? præmiſſo verbo: *Et dixit eis* (inquit Moſes) *Ecce dedi vobis.* Hinc duo colligimus: Vnum, verbo Dei cibos nobis omnes, quos ille conceſſit, ſanctificari: hoc eſt, licitos fieri, nihílque habere immundi: ita vt bona conſcientia illis veſci poſſimus. Hoc eſt, quod Apoſtolus 1. Timoth.4. ait: *Omnis creatura Dei bona eſt: & nihil eſt reijciendum. Sanctificatur autem per verbum Dei, & precationem.* Et Matth. 15. *Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem.* Alterum: Deum velle,vt quum ſumus cibos ſumpturi: fide priùs verbum ipſius apprehendamus: quum dixit: *Ecce dedi vobis in eſcam*: atque ita ad gratiarum actionem excitemur. Eóque non tam corpus iis cibis, quàm animos verbo Dei nutriamus. Hoc eſt, quod Apoſtolus ait, *Sanctificatur enim per verbum Dei & precationem.* Verbo Dei mens intelligit,cibos hoſce nobis eſſe licitos;precatione quæ fit ex fide, purgatur noſtra conſcientia, fide autem purificantur corda. Tunc ſequitur omnia nobis eſſe munda: Quia omnia munda mundis.

Quid verò dedit in eſcam? Quid dederit in Paradiſo ante peccatum Adæ & Euæ, ſuprà explicatum eſt: *De omni arbore quæ in Paradiſo comedes.* Quid & iiſdem & aliis hominibus,vſque ad diluuium; docet hic.

Dedi,inquit,*vobis omnem herbam.* Duo plantarum genera exprimit, quibus veſci voluit homines: primum herbas, quæ ſemen faciunt עשב זרע זרע. Ergo tam herbas,quàm illarum ſemina conceſſit. Ita habemus omnes herbas quæ eduntur adhuc exiſtentes herbæ,vel lactucæ,ſpinacea,& id genus. Et omnes ſemina habentes,vti eſt frumentum,fabæ,milium,& aliæ id genus. Deinde addit: *Quæ ſunt in ſuperficie terræ.* Nullum ergo herbarum genus, quod è terra naſcatur, vetitum fuit hominibus, ſi illud eis in eſcam eſſe poſſit. Secundo loco concedit fructus arborum,quæ ſemen faciunt. Igitur etiam horum & fructus & ſemina edere licet. Vt verbi gratia, perſicum & eius ſemen. Atque ita de aliis. His autem duobus comprehenduntur omnia ciborum genera, quos terra proferre poſſit.

Hæc expreſſit Deus,Ergo licita fuerunt etiam ante diluuium. Et quia nunquam reuocauit hoc, ideo ſemper,& vbique,& omnibus licitum eſt hoc cibi genus.

Cæterùm, quæſtio vertitur, an aliis etiam cibis veſci licuerit patribus ante diluuium, vt carnibus, piſcibus, ouis? Diuerſæ ſunt ſententiæ.Quidam ſentiunt licuiſſe.

1. Quia non legitur Deus vetuiſſe alios cibos, ſicut expreſsè interdixit eſum arboris ſcientiæ boni & mali.

2. Accedit quòd dedit illis dominium in omnia animalia, & in piſces. In quem autem vſum eſſe poterant piſces, & alia nonnulla animalcula, niſi in eſcam?

3. Adde quòd ſacrificare oportebat. Animalia autem ſacrificare non licebat, niſi quorum vſus hominibus erat conceſſus.

4. Pellibus quoque animalium veſtiri licebat: ergo etiam illa occidere:quare & veſci.

Sed contrà alij ſentiunt,carnibus non licuiſſe veſci.

Primò: Quorſum opus fuiſſet certa eſcarum genera concedere,ſi omnibus licebat veſci? Disertè enim ait Dominus: *Ecce dedi vobis omnem herbam,&c.* Quaſi dicat: Habetis abundè quod edatis, excluſit igitur quicquid nomine herbarum, aut arborum non continetur.

Secundò: Poſt diluuium tantùm eas conceſſit: Ergo ante non erant licitæ. Ibi enim etiam herbarum antè conceſſarum meminit, dicens: Quaſi herbam virentem dedi vobis omnia, quorum verborum apertus hic eſt ſenſus: Nunc non tantùm herbas, vt antè, do vobis in cibum, ſed ipſa etiam animalia, excepto illorum ſanguine.

Tertiò: Ratio quædam etiam accedit, cur vetuerit carnes, quia ſcilicet volebat Deus horrorem fuſi ſanguinis incutere hominibus à principio. Hæ ſunt cauſſæ, cur & Iudæi,& Patres omnes ſenſerint,ante diluuium conceſſas non fuiſſe carnes. Quorum ſententiæ, plures quoque è noſtris ſubſcribunt. Neque ego certè habeo, cur ab illis diſſentiam. Adde, quòd antiquiſſimi Poëtæ, tam Græci,quàm Latini, & Philoſophi docent, primos homines victitaſſe herbis, olera,poma.Rationes eorum,qui contrarium ſentiunt,facilè ſoluuntur.

Ad *primam.* Quis non videat, dum nominatim concedit herbas & fructus arborum herbarúmque ſemina, atque olera, & nihil præterea, reliqua excludi omnia? Præſertim cùm poſt diluuium expreſſa vtatur comparatione: ſicut antè herbas dederat, nunc præter illas dare ſe animalia in cibum.Negat igitur ſe antè conceſſiſſe animalia.

Ad *ſecundam*. Ex dato in animalia iure, atque dominio, non efficitur, licuiſſe igitur hominibus illorum veſci carnibus, etiam ante diluuium: nam ad multos alios vſus inſeruire poterant homini. Deinde ſi illorum etiam eſus fuerit neceſſarius: ille erat ſuo tempore permittendus, ſicut factum eſt poſt diluuium. Sed antè non erat neceſſarius, cum plus alimenti, & oblectationis, habere poſſent homines ex eſu herbarum, quàm ex eſu carnium animalium. Suauiſſimæ enim erant herbæ, & ſaluberrimæ arbores ante diluuium. Dominium igitur illud hunc quoque vſum eſcæ complectebatur: ſed in poſterum, ſuo vt antè dictum eſt tempore.

Tertia ratio nihil habet ponderis. Nam quæ quidem immunda iudicare poterat homo, & indigna quæ à ſe ederentur, ea etiam non licebat ſacrificare, vt canes, ſerpentes, ſues, idque genus alia nonnulla. Totum hoc damus. Quia, cùm etiam poſtea lege cautum fuit, ne quis hiſce immundis veſceretur, eadem lege interdicebatur, ne ſacrificarentur. Hinc illud, non licuiſſe ſacrificare, niſi quorum vſus eſſet homini conceſſus. Verùm hinc non efficitur, etiam ante diluuium, licuiſſe hiſce veſci carnibus, quas ſacrificare licebat: Poterant enim fieri holocauſta, totáque animalia ſacrificari, ſine humano eſu. Hinc patet poſtremam rationem nihil concludere. Vt enim licebat ſacrificare animalia, nec tamen inde ſequebatur, licuiſſe ea edere: ita ſine carnium ipſarum eſu poterant homines illorum animalium pellibus veſtiri. Itaque cùm nulla adferatur ratio, qua euincatur, licuiſſe veſci carnibus, cenſeo verba Domini ſimpliciter eſſe intelligenda: *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Hoc eſt, multam, ampliſſimam, ſuauiſſimam & vtiliſſimam do vobis alimoniam. Hac igitur eritis contenti, & nil præterea quæretis in eſcam. Cæterùm quòd hinc nonnulli ſuperſtitioſi homines, ſibi & ſuis interdicunt carnibus: produnt ſuã imperitiam, & inſcitiam. Cum enim per Chriſtũ donati ſimus libertate, vt ne legi quidem Moſaicæ ſimus obnoxij: cur ſe legi ante peccatũ traditæ obſtringunt? Quòd ſi illam ſequi volunt, cur igitur non etiam abſtinent ab ouis, caſeo, butyro, piſcibus? Adde quòd ſi Deus vetuit, non vetuit religionis cauſſa. Iſti autem abſtinent religionis ergò. Non diſſimulabo tamen, eſſe nonnullos viros doctos, qui cenſeant: ſicut euinci non poteſt, fuiſſe ante diluuium conceſſa animalia in cibum, ſic etiam non poſſe demonſtrari fuiſſe vetita: ac proinde hanc quæſtionem in medio eſſe relinquendam. Quorum mihi ſententia non probatur, neque cenſeo facilè à recepta Patrum, aliorúmque doctorum ſententiis, diſcedendum: niſi apertis ſcripturarum teſtimoniis, rationibúſve cogamur. Hæc verò tria certiſſima ſunt: Primùm, ante diluuium, herbas & arborum fructus, fuiſſe ita bonos, vt non opus fuerit aliis cibis: quare non erat vt concederentur carnes in eſcam. Secundò, certum & hoc eſt, poſt diluuium, ita aquis fuiſſe corruptam terram, & ex conſequente etiam hominum corpora fuiſſe facta imbecilla; vt carnibus, ouis, & id genus aliis firmioribus cibis, opus fuerit. Quare meritò tum fuiſſe permiſſas. Tertiò denique illud etiam extra controuerſiam eſt: nullum cibi genus, nobis vetitum eſſe, quia *omnia munda mundis. Et omnis creatura Dei bona eſt: ſanctificatur enim per verbum.* Quare quæſtio de delectu ciborum, ad nos nihil pertinet. Atque hæc de cibis, hominibus conceſſis, ſatis.

XXVII. De cibis aliorum animalium ſubdit Deus per Moſen, *Et omni beſtiæ terræ*.

Aliis animantibus herbæ conceduntur, & olera, hoc eſt, ipſarum ſemina: vt hordeum, auena, & alia id genus: ſed de fructibus arborum nulla mentio. Ita videntur hominibus tantùm fuiſſe conceſſi: nempe tunc, quum abundè haberent animalia, ex herbis, quo veſcerentur. Sed poſtmodum, vt carnes hominibus, ita etiam animalibus brutis, multi arborum fructus permiſſi ſunt. Hæc eſt Chriſtiana libertas.

Notanda verò eſt ratio, cur omnibus animalibus, tam brutis, quàm ratione præditis, cibus ſit à Deo conſtitutus. Ea innuitur in contextu Moſis, vbi ait Deus, *Ecce dedi vobis omnem herbam vt ſit vobis in eſcam, & omnibus quæ mouentur ſuper terram: in quibus eſt* נפש חיה *anima viuens.* Primo coniungit motum & vitam, quia quæcunque viuunt, etiam mouentur: & tolle motum, abſtuliſti & vitam; ſicut & vita ſublata, ſublatus eſt motus animalis. Deinde anima viuens in animali, naturam habet ignis: qui vt calefacit, ſic etiam exedit, conſumit, exiccat. Proinde opus habet animal alimento: quo alimento quantum humidi à calore naturali conſumitur, tantum etiam denuo ſuppeditetur oportet. Hinc apparet, vt illi contra mandatum Dei faciunt, qui nimia inedia, ſuam extinguunt animam: ita etiam illos non minus contra inſtitutionem Dei peccare: qui crapula & ebrietate vitam ſuffocant. Vt enim ignis extinguitur, non minus ſuffocatione nimij humidi, quàm omnis ligni & humidi ſubtractione, ſic etiam vita animalis.

Porrò in ordine, quem Deus ſeruauit, in conſtituendo animalibus cibo, quia primùm hominibus, deinde aliis animantibus proſpexit, docemur: Prius alendos nobis eſſe homines; ac tum demum beſtias. Quare contra Dei ordinationem fieri ab illis, qui ita ſuas curant beſtias, vt interim homines fame perire ſinant. Hæc habui quæ dicerem in hanc Dei legem: de cibis traditis primis parentibus. Pergam ad alia.

XXVIII. Abſolutis omnibus Dei operibus: hoc eſt, ædificata domo, eáque velut rebus omnibus ornata, tam tabulato, hoc eſt; cælo, quàm pauimento, hoc eſt, terra, & collocato in ea homine, cum ſua coniuge, aſſignatáque tam illis, quàm omnibus aliis animantibus, alimonia; ſic de toto opere pronuntiat Moſes:

Et vidit Deus totum quod fecerat: Et ecce bonum valde. Et fuit veſpera & fuit mane dies ſextus.

Duo hic habemus: Diuinam rerum omnium conditarum approbationem; & tempus quo homo creatus, omniaque Dei opera fuerunt perfecta. De primo ait:

Et vidit Deus totum quod fecerat: Et ecce bonum valde.

Proſopopœia eſt: qua fingitur Deus omnia ſua opera, atque inprimis hominem diligenter inſpexiſſe, ac conſideraſſe: & in ſumma reperiſſe, cùm ſingula opera; tum totum hoc Mundi opificium eſſe valde bonum, hoc eſt, ita perfectum, vt nihil in eo deſiderari poſſet. Hoc enim ſignificat eſſe valde bonum. Proinde notanda eſt differentia, quam Moſes indicat. De ſingulis operibus ante creatum hominem, dixit, *ea fuiſſe viſa Deo bona*. At verò creato iam homine, & omnibus, quæ tum ad ipſius conſeruationem: tum ad totius humani generis propagationem pertinebant, conſtitutis: totum mundi opificium Deo viſum fuiſſe valde bonum: hoc eſt, ita bonum, vt nihil in eo amplius deſiderari poſſet.

1. Hinc igitur colligimus: Primùm quidem: ſingulas mundi partes eſſe bonas: & nihil in eo rerum creatarum, eſſe malum: hoc eſt, aut turpe, aut inutile. Quòd ſi aliter quis iudicet: huius iudicium longè diuerſum eſt à Dei iudicio. Deus enim certò vidit, vnumquodque ſuorum operum eſſe bonum. Quis autem meliùs poteſt de rebus iudicare, quàm Deus? Ergo licèt nobis multa ſæpenumero videantur in mundo aut mala, aut inutilia, ac ſuperuacanea: meminerimus tamen Deo longè aliter videri: ac proinde reuera nihil eſſe in mundo, quod vel malum vel inutile ſit: ſed ſingula eſſe ſimpliciter bona. Hinc Apoſtolus concluſit licere veſci omni ciborum genere: quia omnis creatura Dei bona eſt, 1. Tim. 4. Quòd ſi quid mali in mundo reperiatur, vti eſt peccatum, illud non eſt à Deo: imò ne quidem propriè eſt aliquid, ſed defectus. Quo facilè refellitur, delirium eorum, qui audent dicere, *peccatum eſſe ſubſtantiam.* Sã enim ſubſtantia eſt: aut falſum igitur eſt quod ait Moſes: *Omnia quæ fecit Deus fuiſſe, & eſſe valde bona*: aut aliqua ſubſtantia erit in Mundo, quæ non ſit facta à Deo: atque ita Deus non fuerit omnium rerum creator. Hoc eſt vnum.

2. Colligimus ſecundo loco, ex his verbis Moſis totum non ſolùm maius eſſe, ſed etiam melius ſuis partibus. De ſingulis enim Dei operibus dixit Moſes: *Deum vidiſſe quod eſſet bonum.* Sed de toto opificio ſimul, *vidiſſe quod fuerit valde bonum.* Ergo licèt ſingulis mundi partibus, aliquid fortè boni addi poſſit, & ſingulæ fieri meliores: totus tamen mundus ita eſt formatus, itáque perfectus, vt nihil ad eius perfectionem deſiderari poſſit, quia totum hoc opificium ipſius ſapientiſſimi Dei iudicio, eſt valde bonum: id quod etiam ex tam diuturno tempore, quo durat & conſeruatur, euinci poteſt. Inde etiam apparet optimè ac ſapientiſſimè fuiſſe fabricatum. Irrepſit quidem propter peccatum aliquid mali in Mundum, quia omnis creatura vanitati ſubiecta eſt non volens: Vnde & tandem liberanda eſt ab hac vanitate: ſed hoc à Deo non eſt creatore: neque ad mundi ſubſtantiam pertinet.

3. Denique hinc colligere etiam promptum eſt, hominem perfectiſſimam eſſe earum omnium quæ in mundo ſunt creaturarum: ac proinde meritò dominum totius mũdi fuiſſe conſtitutum. Hoc inde apparet, non ſolùm, quia poſtremus omnium creatus eſt; ſemper autem ab imperfecto ad perfectum progreſſus creationis factus eſt, verùm etiam, quia tum demum vidit Deus totum opificium eſſe valde bonum, quum creatus fuiſſet homo, conſtitutúſque omnium dominus, vt non immeritò dixerit Dauid, *hominem paulò minorem Deo eſſe factum.* Hinc fit, vt maior etiam & intolerabilior ſit, noſtra in Deum ingratitudo, quàm vllius alterius creaturæ. Interim Dei bonitas, infinitis partibus maior eſt bonitate totius Mundi, qui & omnia pro ſua

bonitate

bonitate condidit: & hominem ipſum alioqui bonitate Dei abuſum & ingratum effectum, miſſo etiam Filio ſuo in hunc mundum, redimere dignatus eſt. Et quomodo? Filio ipſo Dei, Deo, homine effecto, & pro nobis mortuo. Ergo cùm audimus totum hoc opificium eſſe valde bonum, cogitemus, multò igitur meliorem eſſe eum qui fecit illud. Ac ſi bonitas Dei patefacta eſt in mundi creatione, quia in eo creatus eſt homo: eam multò clariùs ſeſe patefeciſſe, in hominis redemptione: quia hîc, Deus, homo factus eſt. Cæterum hinc etiam colligere debemus, quid noſtri ſit officij, qui ad imaginem Dei conditi ſumus, & poſiti in mundo veluti dij quidam: Si quæcunque fecit Deus: Ecce erant valde bona: efficiamus & nos, vt opera noſtra bona ſint. Sic Chriſtus, *Eſtote & vos perfecti, ſicut & Pater veſter, qui in cœlis eſt.* Atque hæc de primo: vbi ait, *Et vidit Deus omne quod fecerat: Et ecce* (hoc eſt, manifeſtè, & in ipſius Dei oculis) *valde bonum.* De altero ait:

Et fuit veſpera, & fuit mane dies ſextus.

Hæc fuit poſtrema dies, qua operatus eſt Deus: hanc ſubſequuta eſt, dies quietis, vt mox dicet Moſes.

Obſeruandum eſt hîc myſterium magnum, de quo Apoſtolus 1. Timoth. 3. *magnum pietatis eſt myſterium.* Sexto die creatus homo: Sexta ætate, quaſi ſexto mundi die, Deus, factus eſt homo. Primus enim dies mundi, fuit ab Adamo, vſque ad diluuium. Secundus, à diluuio, vſque ad Abrahamum. Tertius, ab Abrahamo vſque ad Dauidem. Quartus, à Dauide, vſque ad tranſmigrationem. Quintus, à tranſmigratione, vſque ad Chriſtum. Sextus, tempus illud, quo Chriſtus venit, in finem vſque ſeculi. Si ſexto die factus eſt homo; Sexta etiam die redemtus fuit homo. Et per quem? Per eundem, per quem etiam factus fuerat. *Omnia* (inquit Iohan. de Chriſto) *per ipſum facta ſunt.* Ideo Apoſtolus Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis* (hoc eſt, ſexto die) *miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Hoc idem *tempus* Hebr. 1. vocatur *nouiſſimum.* Vt enim poſt ſextum diem, quo operatus eſt Deus, ſequutus eſt ſeptimus dies quietis: Sic etiam hoc tempus præſens, qui eſt nouiſſimus dies operandi; ſubſequetur æternum ſabbathum. Non eſt igitur hærendum in hiſtoria creati Mundi; ſed inde tranſitio facienda eſt, ad hiſtoriam eiuſdem redempti per Chriſtum. Subdit poſtea Moſes commodiſſimè, & ait:

XXIX. *Et perfecti ſunt cœli & terra.*

Apparet manifeſtè, hos tres verſus non fuiſſe ſeiungendos à primo capite. Sunt enim concluſio primi capitis.

Duo in hac concluſione continentur: Vnum, quando fuerit impoſitus finis rerum creationi, die ſcilicet ſexto: hoc eſt, fuiſſe ita omnia die ſexto abſoluta, vt die ſeptimo Deus quieuerit à ſuis, quæ etiam creauerat, operibus. Alterum eſt, de ſanctificatione huius diei ſeptimi: pendet hoc ex priori. Ita in ſumma dicit: ſex primos dies fuiſſe creandis rebus aſſignatos: ſeptimum autem quieti. Perſtringam verba. Ait igitur:

1. *Igitur perfecti ſunt Cœli, &c.* Nominat cœlum & terram, tanquam primas mundi partes: deinde omnem exercitum eorum. Ego intelligo omnes reliquas creaturas, quæ ſunt aut in cœlis; vt ſtellæ: Aut in terra, vt plantæ, & animalia omnia: ita nihil omittitur. Dicuntur autem fuiſſe perfecta: quia nihil amplius vel in vniuerſo, vel in ſingulis partibus deſiderabatur. Cur verò creaturæ vocantur *exercitus*? Et cuius ſunt exercitus? Exercitus ſunt Dei: vnde vocatur *Deus exercituum.* Ideo autem vocantur exercitus: quia eas vt ſuum exercitum, quum vult, armat aduerſus ſuos hoſtes. Vnde apparet, quanta ſit Dei potentia: habet enim exercitus & in terra, & in cœlo: hoc eſt, vbique. Ita etiam Angeli, nomine exercituum qui in cœlis ſunt, continentur. Vnde in ſcripturis ſubinde legimus: exercitus Angelorum miſſos fuiſſe, & apparuiſſe, & pugnaſſe.

2. *Et perfecit Deus die ſeptimo.* Quum ait, *Deum perfeciſſe die ſeptimo opus ſuum*: ne putes die ſeptima etiam aliquid eum feciſſe: hoc enim pugnaret cum eo quod ait, *die ſeptimo eum quieuiſſe*: Sed intelligit ita die ſexta omnia fuiſſe perfecta: vt die ſeptima nihil ſuperfuerit faciendum. Duæ particulæ in contextu, hoc euincunt, prima: quia ait: *opus ſuum quod fecerat*: ſcilicet ante. Sexto igitur die ita fecerat omne ſuum opus; vt ſeptimo iam eſſet perfectum. Altera etiam particula idem euincit: quando ait: *Quieuitque die ſeptima ab omni opere ſuo.* Ergo die ſeptima nihil creauit: alioqui non fuiſſet quies. Et hic iterum addit: *Quod fecerat*; Hoc eſt primum quod tradit, in hac concluſione, quandónam fuerit totum opus creationis perfectum. Ita die ſexto; vt die ſeptimo nihil ſuperfuerit agendum, ſed quieti illum diem tradiderit Deus.

Hîc vero quæritur, quomodo Deus omnia tunc dicatur perfeciſſe ita, vt die ſeptimo quieuerit: Chriſtus enim ait Iohan. 5. *Pater meus vſque nunc operatur*: item, *creat animas quotidie.* Reſponſio facilis eſt; quieuit ita ab operibus creationis, vt nihil noui deinceps creet: Sic Salomon Eccleſiaſt. 1. *Nihil nouum ſub cœlo, quod fuit, etiam erit, &c.* Agit igitur ſemper, conſeruando Mundum; ſed nihil noui creat. Concluſio autem Moſis fuit: non eſſe nouum alterum Mundum expectandum: quia perfecit tunc Deus ſuum Mundum. Ideo notanda eſt particula: *Quod fecerat.* Non quieuit igitur ab operibus faciendis, hoc eſt, à prouidentia: ſed ab eo quod fecerat. Anthropopathia verò eſt, in verbo *quieuit*: Non enim defatigatus eſt Deus, vt opus habuerit quiete; ſed tantùm ſignificatur finem impoſuiſſe, creandis rerum generibus.

Obſeruandum porrò eſt in verbo *perfecit opus ſuum*: hoc eſſe Dei ingenium: vt nihil incipiat, quod non etiam perficiat. Ideò Apoſtolus: *Qui incepit in vobis bonum opus, illud perficiet vſque in finem.* Hebr. 12. *qui vocatur autor & conſummator fidei veſtræ.* Illud quoque prætereundum non eſt: qui fiat quod ſingulis ſuperioribus diebus, attribuit veſperam & mane: ſeptimo autem die nequaquam. Significatur ſabbathum æternum Dei, de quo Eſaias vltimo capite, *Ibi neque veſpera, neque mane*: quia poſt ſabbathum nullus alius ſequitur dies; ſed erit ſabbathum ex ſabbatho; ait Propheta. Hæc de primo, hoc eſt, de tempore, quo Deus finem impoſuit rerum creationi: Sequitur alterum, nempe de ſanctificatione diei ſeptimi.

XXX. *Et benedixit diei ſeptimo, &c.*

Hîc primò ait, *Deum benedixiſſe diei ſeptimo, & ſanctificaſſe illum.* Deinde rationem addit, cur benedixerit, & ſanctificarit: quia ſcilicet in illo quieuerat ab omni opere quod fecerat. Quid eſt *benedixit diei ſeptimo*? Qui volunt poſterius verbum, eſſe prioris explicationem: illi facile ſeſe expediunt, dicendo: *Benedixit diei ſeptimo*, id eſt, eum ſanctificauit. Quid eſt autem *ſanctificauit*? Eſt à reliquis diebus ſegregauit, & quieti diuinæ conſecrauit: cùm alij dies deſtinati fuerint operibus huius mundi faciendis. Poſſumus tamen propriam retinere ſignificationem, qua benedicere pro bonum largiri, & bene alicui facere ſignificat. Quam igitur benedictionem, id eſt, gratiam & fauorem contulit diei ſeptimo Deus? Hanc ſingularem, quòd eum ſanctificauit: hoc eſt, quòd cùm alij dies fuiſſent deſtinati creandis Mundi operibus, quæ ad vitam hanc præſentem pertinent; hunc ab illis ſegregauit & rei longè illis operibus præſtantiori conſecrauit & dedicauit. Cuinam rei? diuinæ, ſempiternæque quieti, quieti inquam & ſuæ, & noſtræ: ſuæ quidem; quia eo die voluit quieſcere, non ſimpliciter, ſed ab omni opere quod fecerat, vt ipſe Moſes explicat. Et ἀνθρωποπάθεια eſt in verbo *quieſcendi*, quum de Deo dicitur: noſtræ verò, quia nos voluit quoque quieſcere ab operibus noſtris, quæ ad Mundum, vitamque hanc pertinent, non autem ſimpliciter ab omnibus operibus: qualia illa ſunt, quæ ad alteram pertinent vitam, ad gloriam Dei, ad fidem, ſpem, & charitatem: quæ non à nobis, ſed à Dei in nobis gratia, proficiſcuntur: & etiam magis ſunt Dei quàm noſtra opera. Et ſic Apoſtolus interpretatur hanc noſtram quietem, & ſabbathiſmum hunc noſtrum ad Hebr. 4. Certè quies conſcientiæ, qua per fidem quieſcimus in Chriſto; opus carnis non eſt, ſed Dei in nobis. Proinde hanc quietem cui conſecrauit hunc diem, diuinam voco: quia vt Deus nunquam ſimpliciter otiatur (ſemper enim operatur, & quæ ad ſuam gloriam, & quæ ad noſtram ſalutem pertinent) ſic nos vult ita quieſcere animo & conſcientia in Chriſto: vt tamen occupemur ſemper in iis quæ Spiritus ſunt: & quæ tum ad gloriam Dei, tum ad ſalutem tam noſtram, quàm proximi pertinent. Manifeſta ſunt hæc ex præcepti quod habemus in decalogo de ſanctificando ſabbatho, explicatione. Ideo enim vult Deus nos otiari ab operibus noſtris, & huius vitæ: vt faciliùs vacemus operibus Dei, & alterius vitæ, cultui ſcilicet diuino, tam externo, quàm interno. Summa, quod ad præſentem hunc locum attinet, hæc eſt; Deus, ſicut aliis ſex diebus occupatus (hac enim oratione vtendum mihi eſt, maioris explicationis gratia) ſicut, inquam, aliis ſex diebus occupatus ſemper fuerat, in creando Mundo, & aliis, quæ ad Mundum pertinent, operibus: ſic hunc ſeptimum diem voluit, quieſcendo à prioribus operibus, cuidam alij ſanctiori illis operi conſecrare, quandoquidem iam perfecerat omnia alia, & ab illis creandis ceſſauerat. At cuinam operi voluit hunc ſeptimum conſecrare? Hominibus erudiendis, inque Dei cognitione, atque cultu inſtituendis. Hoc eſt quod ait: *Et benedixit die ſeptimo, & eum ſanctificauit*: quia in illo quieuerat ab omni opere quod fecerat. Senſus eſt: Quandoquidem die ſeptima quieuerat ab operibus creationis, & nihil ei ſupererat faciendum, idcirco voluit hunc

ſeptimum diem quieſcendo ab aliis operibus, operi alterius generis & ſanctiori conſecrare. Quidnam autem aliud potuit eſſe, quàm quòd Adamo & Euæ narrauit quæcunque egiſſet, in quem finem omnia creaſſet, quæ felicitas, quæve quies illis eſſet in cœlo parata: qua ratione deberent ſe colere, & alia quæ ad ipſorum tum officia, tum fœlicitatem pertinebant? Ego itaque non dubito (dico meam ſententiam, ſine aliorum præiudicio) non dubito, inquam, quin Filius Dei, humanam faciem indutus; toto hoc ſeptimo die occupatus fuerit in ſanctiſſimis cum Adamo colloquiis: quin illi & Euæ ſeſe plenè patefecerit, modum & ordinem quo vſus fuerat in creandis rebus omnibus, reuelarit: ad hæc opera contemplanda, inque eis ſuum creatorem, & Deum verum cognoſcendum, ac laudandum hortatus fuerit: & vt ſuo exemplo, ſeptimo quoque die in hoc potiſſimùm pietatis exercitio, operibus aliis omnibus poſthabitis, ſeſe occuparent, docuerit: atque vt ita ſuos etiam liberos inſtituerent, monuerit: quæ vita, item quæ fœlicitas eos maneret in Cœlo: vbi perpetua & vera quies eſt, patefecerit. Denique non dubito, quin eos illo die totam Theologiam condocefecerit, & in audiendo ſe, laudibúſque ſuum Deum ac creatorem celebrando, eiſque gratias pro tot tantíſque beneficiis agendo, occupatos tenuerit. Hæc eſt illius ſeptimæ diei benedictio ac ſanctificatio, in qua Filius Dei, vnà cum Patre & Spiritu ſancto, quieuit ab omni opere quod fecerat. Vt ita interpreter, duabus adducor rationibus: quarum prior ducitur à ſanctificatione ſabbathi, quam in lege præſcripſit Deus. Ea autem eſt, vt homines, tum valere iuſſis negotiis huius Mundi: vacent commemorandis Dei operibus ac beneficiis: Deóque cognoſcendo, laudando, colendo, tum etiam neglectis propriæ carnis affectibus, atque operibus ſinant Deum in ſe ſuo Spiritu operari. Talis igitur etiam fuit ſeptimæ diei ſanctificatio, ad homines, quod attinet, de qua loquitur hic Moſes. Altera ratio eſt, quia oportuit Adamum, hanc talis diei ſanctificationem intelligere. Probabile igitur eſt: Filium Dei hanc Adamo & Euæ explicaſſe, tum diſertis verbis, tum ſuo exemplo. Nam ipſe etiam Deus dicitur eo die quieuiſſe: & Exodi vigeſimo, ſuo exemplo hortatur ad ſabbathi ſanctificationem. Idem igitur egit cum Adamo & Eua. Hęc eſt mea ſententia, de hac ſeptimæ diei ſanctificatione: qua Deus requieuit ab omni opere quod fecerat. Totum ſcilicet illum diem Chriſtum inſumſiſſe in erudiendis, docendis, inſtituendis, exercendiſque in cultu diuino illis primis hominibus: & vt hæc eadem ſuos docerent poſteros, monendis. Illud verò mihi eſt extra controuerſiam, ideo benedixiſſe potiſſimùm diei ſeptimæ: quòd typus eſſet illius beatæ æternitatis, in qua ſumma fruemur quiete: poſt peracta omnia redemptionis opera, per Chriſtum & creatorem & redemptorem noſtrum. Reliqua, quæ ad ſabbathum pertinent, ſuo dicentur loco: mihi ſatis eſt in præſentia, ſimplicem huius loci ſenſum explicaſſe: quomodo ſcilicet Deus ſeptimo die quieuerit, ab omnibus operibus ſuis, quæ fecerat, & diem illum ſanctificarit: quòd ſcilicet alij diuino operi, longè reliquis præſtantiori, conſecrarit. Huius etiam rei ſpecimen quoddam exhibuit, idem Filius Dei in carne manifeſtatus. Poſtquam enim abſoluiſſet opera recreationis, ſeu redemptionis, requieuit totam diem ſeptimam in ſepulchro à talibus operibus, ſed non à ſpiritualioribus. Nam excitatus à mortuis, verſatus eſt cum diſcipulis per dies 40. apparens eis, & loquens cum eis, de Regno Dei, plenéque illos inſtituens, profundamque Theologiam docens, non tam verbis, quàm efficacitate Spiritus: & in Cœlo pro nobis intercedit, ſempérque Eccleſiam regit ſuo Spiritu. Eſt igitur idem etiam, qui peractis operibus creationis, requieuerit ita die ſeptimo ab operibus quæ fecerat, diémque hunc ſanctificauit: vt non deſierit homines tamen docere, & in vero cultu inſtituere.

Reſtat illud explicandum in verſu tertio לעשות *ad faciendum*. Bifariam exponitur: aut quod creauerat faciendo: aut quod creauerat ad faciendum. Prioris locutionis ſenſus eſt: Deum creaſſe omnia non vno flatu, ſed per ſex dies diligenter operando, faciendo, diſtinguendo, formando. Secundæ locutionis ſenſus eſt: Deum creaſſe omnia, non vt otientur, ſed vt ipſa; ex præſcripta cuique forma viribus & ratione, operentur & agant. Sic enim creata terra dixit, *Producat terra, &c.*

XXX. Porrò tranſiturus Moſes à ſumma rerum conditarum ad Paralipomena, quibus quædam non ſatis explicata diligentiùs declaret, repetit ſummam in hæc verba, quæ deberent eſſe initium ſecundi capitis.

Iſtæ ſunt generationes Cœli & Terræ. Tranſitionis eſt particula. Senſus eſt: Quæ hactenus dixi, ad hiſtoriam creati cœli, & terræ pertinent. Perinde autem eſt, Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ: atque hæc ſumma eorum, quæ ad creationem pertinent. Porrò vtitur nomine תולדות quod poſtmodum dicturus ſit de תולדות non cœli & terræ: ſed hominum ipſorum: déque propagatione humani generis, atque Eccleſiæ. Proinde in cap. 5. habemus זה ספר תולדות אדם Horum itaque תולדות reſpectu: etiam creationem Mundi, cum ſingularum rerum productionibus vocauit תולדות: quaſi dicat: Hæ ſunt procreationes & productiones cœli, & terræ, & eorum omnium quæ in eis ſunt: Ideo adiecit, & plantas, & herbas, quæ propriè dicuntur productæ in primo capite. Summa autem eorum, quæ his duobus verſibus, quarto & quinto continentur, duobus conſtat membris: ſed duabus propoſitionibus. Prima eſt, hanc eſſe ſummam, eorum quæ ad creationem, productionémque cœli & terræ, & quæ in eis ſunt, pertinent. Hæc non opus habet probatione. Secunda propoſitio eſt: Quæ hactenus narraui opera omnia, ea ſunt à ſolo Deo creata: non autem vel naturali, vel ſpontanea generatione nata: vel humano artificio producta, ne plantæ quidem ipſæ aut herbæ. Hanc probat verſu quinto, quia, inquit, hæc facta ſunt, antequam quicquam ſimile; vnde generari poſſent, reperiretur in terra. Deinde nunquam ante hæc præceſſerat pluuia, à qua terra irrigaretur, & vnde orirentur herbæ virentes. Neque etiam adhuc homo erat conditus, qui potuerit eas plantare & colere: Ergo neque natura & ſponte nata ſunt: neque hominum artificio producta: ſed à ſolo Deo creata.

Hinc itaque colligere promptum eſt: tres eſſe rationes, quibus res producantur: aut à Deo immediatè, ſine vllius medij interuentu. Et tales fuerunt res à Deo primum conditæ, vt Moſes probat: aut opera naturæ: ex principiis nimirum naturalibus: tales ſunt, quæcunque e terra ſponte naſcuntur herbæ, & plantæ, & metalla, aliáque id genus, ſine vllo humano artificio. Aut demum quæ arte, hoc eſt, humano fiunt artificio; etiamſi principia ibi quoque ſint naturæ. Ars enim iuuat naturam, vt quæcunque e terra, ſed non niſi culta prodeunt, vt frumenta, vina. Ita omnia opera ſunt, aut mere diuina: aut naturalia, aut artificioſa. Et ex ordine quo illa recenſet Moſes: videmus primum locum tenere opera Dei: Secundum opera naturæ: Tertium opera artis. Cur vero probauit de ſolis plantis & herbis eas fuiſſe à Deo immediatè, non à natura, vel ex humano artificio: & non idem fecit de animalibus, & aliis rebus infinitis? Reſpondeo. Quia de plantis & herbis magis dubitare homines poſſunt, quàm de aliis rebus. Illarum enim progerminatio attribui ſolet, aut naturæ viribus, aut humano artificio. Hinc vult nos diſcere, etiam nunc quum videmus herbas & plantas progerminare, primas dandas eſſe Deo: non autem vel naturæ vel humano artificio. Huc illud Apoſtoli: *Neque qui plantat, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Vni igitur Deo gloria omnis. Quantò verò minùs gloriandum eſt in operibus ſpiritualibus, ad ſalutem pertinentibus?

Videmus & hîc diſtributas operas poſt primam creationem in rerum è terra naſcentium productione. Hominis eſt operari terram: ideo ait: *Nondum erat homo, qui operaretur terram*: docens deinceps debuiſſe homines eſſe, qui terram colerent. Dei eſt immittere pluuiam, eóque & Solem: ideo ait, *Nondum pluerat Deus ſuper terram.* Terræ verò & ab homine cultæ & à Deo irrigatæ, eſt proferre fructus. Poſſet etiam nunc, ſicut initio ſolus omnia facere: ſed voluit ſuas ſibi creaturas eſſe συνεργοὺς. Hæc de ſumma huius Epilogi Moſis de creatione. Subdit:

Et vapor aſcendebat è terra, &c.

Hîc primùm incipiunt [illegible]. Incipit enim explicare, quomodo Deus effecerit: vt meteora, & inprimis pluuiæ generarentur. Sed hæc explicare, non eſt præſentis noſtri inſtituti. Tranſeundum igitur eſt ad ſingulorum operum Dei quæ in hominis creatione præſtitit, explicationem.

HIER.

HIERONYMI ZANCHII DE OPERIBVS DEI, PARTIS TERTIÆ, LIBER SECVNDVS.

DE HOMINIS CREATIONE.

CAPVT PRIMVM.

EXPLICATO toto Moſis contextu, qui fuit *de hominis creatione*, de Paradiſo, in quo fuit collocatus: de ſancto coniugio, quo fuerunt Adamus & Eua coniuncti, de imperio illis in omnia animantia tradito, déque cibis, quibus veſci deberent: Explicato item Epilogo, quem ſubiecit de perfectis omnibus Dei operibus, déque Sabbathi die, quem ſanctificauit Deus. Reſtat, vt iam locos, qui ſeſe ex toto hoc contextu explicandos offerunt, pertractemus. Primus autem atque præcipuus, eſt locus de hominis, tum corporis, tum animi creatione.

I. Quanta ſit hominis dignitas.

Hominem eſſe omnium viſibilium Dei operum præſtantiſſimum veréque diuinum: ita vt non meritò μικρόκοσμος appellatus ſit, quod quidque boni atque excellentiæ in aliis rebus ſparſim eſt, id totum in vno homine ſit collectum atque comprehenſum: extra controuerſiam poſitum eſt. Cæterùm quanta ſit totius hominis, tum animæ, tum corporis ipſius dignitas: quis facilè aut animo concipere, aut verbis explicare queat? Scripturæ tamen, tam multa de hominis dignitate paſſim tradunt; vt ſi quis velit ea diligenter obſeruare, maximam & incomparabilem eſſe hominis, præſertim qualis fuit à Deo creatus, excellentiam, haud obſcurè viſurus ſit: vt pudere hominem ipſum debeat, quòd ſuæ dignitatis oblitus, tam turpiter, in varia ſcelera ſe proſtituat, inque belluinam naturam degeneret.

Principio Moſes narrat, cùm Elohim, Pater nimirum, cum Filio & Spiritu ſancto, reliqua omnia ſimplici iuſſu creaſſet, creaturum porrò hominem, conſilium potiùs de creando, iniiſſe: dicendo, *Faciamus hominem*. Formaſſe itaque Adami corpus, per ſeſe, & ſpiritum vitæ, in illud inſpiraſſe. Euam quoque creaturum, dixiſſe, *Faciamus Adæ adiutorium*, eámque non ſine maxima diligentia & ſtudio atque myſterio formaſſe: & vtrumque ad imaginem Dei factum eſſe: eóque ſapientiæ, iuſtitiæ, bonitatis, aliarúmque infinitarum Dei gratiarum plenos: rerum denique omnium dominos fuiſſe conſtitutos: taliſque naturæ factos, qua poſſent vſu tantum vnius fructus, nunquam ſeneſcere, nunquam ægrotare, nunquam mori: homines ita ſimplices & innocentes, vt citra vllum ruborem poſſent inter ſe nudi viuere, atque verſari. Hæc omnia de homine Moſes.

Poſt Moſem, alij quoque Prophetæ & ſancti viri, dignitatem hominis prędicarunt, ſummiſque laudibus celebrarunt. Dauid in Pſalm. 8. idcirco cum primis ait, *magnum eſſe & admirabile, Dei nomen: quòd fecerit hominem pauſò minorem ipſo Deo: eúmque omni gloria atque honore coronauerit, rebus omnibus illi ſubiectis*. Eccleſ. 7. Salomon ait, *Hominem fuiſſe creatum rectum* ישר, quòd non tam de rectitudine corporis, quod alij animantium nemini conceſſum eſt, quàm de rectitudine animi intelligendum eſt. Omnia enim in Adamo recta: quia corpus animæ ſubiectum erat atque obſequens: Senſus, rationi ac menti; Mens Deo: Ac proindè nihil in homine erat diſtortum, nihil obliquum, nihil non omni ex parte perfectum: Non poterat, vno verbo, hominis perfectio meliùs exprimi, quàm expreſſa fuit à Salomone, dicendo, creatum fuiſſe hominem rectum. Pertinent huc omnia, quæ Siracides cap. 17. eleganter de hominis creatione, excellentia, atque ſupra omnia dignitate ſcripta reliquit.

Apoſtolus vocat corpora noſtra, templum Spiritus ſancti, & Deum in nobis habitare, paſſim docent ſcripturæ. Quid? Quod Filius Dei, qui nos formauit, amore noſtri (vt ita loquar) captus, fieri & ipſe homo voluit? Quid? Quòd in Cœlo futuri ſumus nos ipſi, ſicut Angeli Dei? Quid? Quòd Deus ita nos ſibi copulaturus eſt; vt futurus ſit ipſe in nobis, & nos in illo: vt vnum ſimus futuri cum illo? Quam ob rem rectè Greg. Nyſſ. Philoſophiæ, ſeu de homine, lib. 1. cap. 5. *Quis*, inquit, *huius nobilitatem animalis dignè admirabitur? quòd in ſe ipſo immortalibus mortalia copulat, & rationalia irrationalibus colligat: in ſuâ ipſius natura, totius creationis ſimulachrum ferens? Quibus de cauſis, etiam paruus Mundus dictus: qui tanta à Deo dignus factus eſt prouidentia, cuius gratia ſint omnia præſentia & futura. Propter quem & Deus homo factus eſt qui in incorruptibilem deſinens, & mortalitatem effugiens, in Cœlis regnat: & ſecundùm imaginem ac ſimilitudinem Dei factus, cum Chriſto conuerſatur: Dei quoque Filius eſt, omnium principatui, & poteſtati præſidens. Quis verò præclaras huius animalis dotes explicare queat? Pelagus pertranſit: Cœlum contemplatione intrat: aſtrorum motus & interualla dignoſcit: terram & mare, ad ſuam vtilitatem vendicat: feras & cete contemnit: omnem diſciplinā & artem, ad methodum dirigit: abſens per literas, quos vult, alloquitur: nullo à corpore impeditur: diuinat futura: omnibus dominatur: cuncta poſſidet: ex omnibus voluptatem capit: Angelis & Deo loquitur: creaturi iubet: Dæmonibus præcipit: horum naturam perſcrutatur: Deum inueſtigat: Dei domus templum fit: Atque cùm hæc omnia poſſideas, per virtutes & pietatem poſſidet.* Hæc Gregor.

Ergo tanta cùm ſit hominis dignitas, æquum eſt, vt de hoc tam excellenti opificio Dei, ſeorſum diſſeramus: idque partim, vt hinc magis ac magis, quanta ſit Dei ſapientia atque bonitas, innoteſcat, partim, vt diſcamus, quanta reuerentia, quantóque honore proſequi debeamus omnes homines, atque inprimis pios: partim denique vt nunc magis, quàm vnquam metuamus, ne aliqua peccati labe, vllâve iniuria, noſtra afficiamus corpora, atque animos: ſed potiùs demus operam, ſicut hortatur Apoſtolus, vt Deum in noſtro corpore & ſpiritu glorificemus. Ideò Nyſſenus, loco ſuprà citato ſubdit, dicendo, *Quanta itaque dignitate præditi ſimus, cognoſcentes: & quòd planta exiſtimus cœleſtis: naturam noſtram minimè deturpemus, aut vilipendamus: néve tantis Dei largitionibus indigni appareamus: neque nos ipſos tanta poteſtate, gloria & beatitudine priuemus pro puſillo tempore, & breui voluptate, omnium æternorum bonorum perdendo delitias: ſed per iuſtas operationes malorúmque abſtinentiam, & rectam intentionem, cui maximè Deus cooperari conſueuit, atque orationis nobilitatem, conſeruemus.*

Dicam autem primùm de corpore: deinde de anima: imitatus hac in re Moſem, imò Deum ipſum, qui primò corpus formauit, deinde animam creauit. Tertiò, de ipſa Dei imagine; ac proindè tum demum de toto ſtatu primorum hominum ante peccatum diſſeram; vbi multæ quæſtiones erunt explicandæ.

II. De fabrica humani corporis.

MIhi porrò de fabrica humani corporis dicturō; duo præfanda ſunt: vnum non eſſe, cur quiſpiam à me expectet, plenam huiuſce rei tractationem, qua ſingula membra, tam interna, quàm externa, ſinguliſque membrorum particulas, arterias, venas, muſculos, neruos, inteſtina, & ſingularum vſus, aliáque genus innumerabilia explicem. Hæc enim foret res, & immenſi laboris, & à Theologi officio aliena. Si quis hæc cupiat exactè cognoſcere: is poſt Ariſtotelem de partibus animalium: & Platonis Timæum, vbi elegantiſſimè ſimul & diligentiſſimè partes humani corporis deſcripſit: legat etiam Medicos, tum veteres, vt Galenum: tum nouos, vt Veſalium, & alios. Præter alios, inter opera Galeni, liber eſt, imò libri ſunt, quibus titulus eſt, *De vſu partium corporis humani*: libri omnium pulcherrimi, & vtiliſſimi: in quibus perfectiſſimè totum hoc tractatur argumentum. Quanquam & D. Phil. Melanchthon, licet Theologus, perſpicua breuitate, de omnibus humani corporis partib. déque earum nominibus & vſibus, doctè diſſeruit in libello de Anima.

Alterum itaque, quod nobis præfandum eſt, & quod magis ad rem noſtram facit, eſt, ſi velimus præſtantiam humani corporis probè intelligere: ſpectandum nobis eſſe inprimis

mis conſilium Dei, in hominis creatione. Summa hæc eſt:

Cùm iam per ſex fermè dies multa & pene innumerabilia rerum viſibilium genera creaſſet Deus; & interea, nullum adhuc eſſet, à quo ipſe cognoſci, amari, colíve, vt & par erat, poſſet: imo; quod vel ſeipſum, vel alia à Deo condita eorúnique dignitatem intelligendi, atque percipiendi, & pro omnibus Deo gratias agendi, haberet facultatem: voluit perfectiſſimum animal, hominem ſcilicet creare, qui non minùs viueret, quàm plantæ, nec minùs ſentiret, locóque ſe moueret, quàm animalia bruta, nec minùs etiam, tum ſe, tum res alias, tum Deum ipſum intelligeret, atque cognoſceret, quàm Angeli: vt in hoc vno perfecta ſui imago luculentiſſimè reluceret: & ab hoc vno in terris cognoſceretur, amaretur, coleretur: & tanquam nomine aliarum creaturarum omnium, pro tot tantíſque beneficiis, cum debita gratiarum actione prædicaretur: ídque per ſucceſſionem, ad finem vſque Mundi: imo & vltra, in ſempiternum, in ipſis quoque Cælis. Hoc fuit Dei conſilium in hominis creatione, & hic illius finis: vt omnibus notum eſt. Cum quo & hoc coniunge, quod Deus, cùm præſciret hominem, per inobedientiam, in eam naturæ corruptionem lapſurum, è qua non poſſet ſeſe eripere, eóque officium illud, cuius cauſſa creabatur, præſtare: decreuit & ipſe, nempe Filius Dei, fieri homo, & totum illud in ſe ipſo præſtare, ídque Electorum omnium nomine, quod ipſi homines præſtare quidem debuiſſent, ſed præſtando non erant. Cùm hæc ita ſe habeant: oportuit igitur hominem, tum tali conſtare anima, quæ immortalis eſſet: quæ corpus viuificandi, locóque mouendi: qualitates rerum externarum percipiendi, eas inter ſe diſcernendi naturas, ſubſtantiáſque omnium rerum conditarum intelligendi, Deum ipſum cognoſcendi, amandi, colendi facultatem haberet; tum etiam tali præditum eſſe corpore, cuius forma pulcherrima eſſet omnium, cuius membra ſeruire animo, ad omnia eius officia poſſent. Talia autem ſunt corpora noſtra. Quare ad finem, in quem creatus eſt homo, quàm accommodatè creatum fuerit hoc corpus quod geſtamus: ex his quæ diximus, perſpicuum eſt in vniuerſum.

III. De materia humani corporis.

Sed nunc ſeparatim anatomia quædam præcipuarum humani corporis partium facienda eſt: quo clariùs diuinum hoc opificium, admirabiliſque eius ſtructura atque dignitas appareat.

Primùm omnium contemplare mecum, materiam humani corporis. Videbis quidem eam initio fuiſſe vilem, ſed progreſſu factam eſſe perfectiſſimam omnium, ac nobiliſſimam, futuram etiam perfectiorem ac nobiliorem, tum propter formam materiæ illi additam, totiúſque corporis fabricam: tum propter qualitates virtutéſque adiunctas: tum propter inhabitantem in ea Spiritum Dei: tum propter Chriſtum. *Ex humo*, ait Moſes, *formatum fuiſſe corpus Adæ*. En vile principium. Sed quali tamen ex humo formatum fuit? Non certè arida & ſicca: verùm cum aliorum Elementorum qualitatibus mixta, vt ſuprà declarauimus. Conſtat igitur humanum corpus ex quatuor Elementis, quatuórque Elementorum qualitatibus; miro temperamento inter ſe coniunctis atque permixtis, vt iam hinc incipiat apparere, quomodo homo, ſuo etiam corpore ſit μικρόκοσμος: cùm in ſe omnes primas Elementaris Mundi partes contineat. Erat autem hæc conſtitutio neceſſaria, ad quatuor humores, quibus carere nullum animal poteſt, in hoc corpore excitandos. Quomodo enim alioqui aut viuere, aut nutriri poſſet? Vita enim in humido & calido eſt, non ſimpliciter, ſed in humido, ſiccitate, & in calido, frigiditate temperatis. Ex quatuor igitur Elementorum qualitatibus, quatuor in humano corpore orti ſunt humores, qui quatuor Elementis reſpondent: χολὴ *flaua bilis*, quę igni: μελαγχολία, quę terræ: φλέγμα, *pituita*, quæ aquæ, & αἷμα, *ſanguis*, qui aëri reſpondet. Eſt enim χολὴ calida & ſicca, vt ignis: μελαγχολία ſicca & frigida, vt terra: φλέγμα, humidum & frigidum, vt aqua: ſanguis verò humidus temperatéque calidus, vt aër. In harum autem qualitatum, & humorum temperamento, vel intemperamento, conſiſtit bona aut mala valetudo, vita ac mors. Anima enim his tanquam inſtrumentis, ad corpus viuificandum, augendum, corroborandum, conſeruandum vtitur. Creauit autem Deus humanum corpus in optimo & perfectiſſimo temperamento, & quaſi ſuauiſſima harmonia: cui harmoniæ in corpore, ſuccinit harmonia extra corpus: ipſorum ſcilicet eſculentorum & poculentorum: quibus corpus nutriendum eſt. Voluit enim Deus, omne ſimile nutriri ſimilibus; idcirco corpora omnia; tam quæ nutriunt, quàm quæ nutriuntur, ex quatuor Elementis compoſita eſſe oportuit: vt omnia ex iiſdem principiis, & ortum haberent, & coaleſcerent: atque etiam ad extremum in eadem reſoluerentur. Hæc eſt harmonia Mundi, quæ maximè in humano ſpectatur corpore.

IV. De corporis partibus.

Ex horum porrò Elementorum, humorúmque inde natorum mixtione ac compoſitione: duæ præcipuæ materiei, ex qua humanum conſtat corpus, natæ ſunt partes: nempe *oſſa*, cum ſuis *neruis*, quibus ſimul vinciuntur ac connectuntur: & *caro* cum ſuis *venis*, per quas ſanguis fluit: & cum ſuis arteriis, per quas vitales, animaléſque ſpiritus currunt. Has duas partes expreſſit Adamus, cùm de Eua dixit, *Hæc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Primùm ait, *Os*, tanquam ſolidior pars, & quaſi baſis totius corporis: Deinde ait *caro*, qua obteguntur oſſa. Sic Dominus Ieſus, his duabus partibus, totum humanum corpus ſignificauit, dicendo: *Palpate & videte, quòd ſpiritus carnem & oſſa non habet.* His duabus partibus accedit *cutis*: qua tota corporis ſtructura connexa & vnita continetur: cutis, inquam, non ſquamoſa, vt piſces habent; non plumoſa, vt aues; non villoſa, vt multa bruta; nec durum corium; ſed cutis mollis, lenis, ſuauiſque contactus, & tali ad ſummam carne ac corpore digna: imo & tali congruens animo, qualis eſt hominis animus. Vbi enim plus eſt ingenij, ibi non opus fuit duro corio: ſed tenuis ſubtiliſque cutis, ſubtilem acutúmque decuit animum. Vnde & Philoſophi obſeruarunt, & ſcriptum reliquerunt: molles carne, acuti eſſe ingenij. Hæc συμμετρία quædam eſt, quam Deus inter animum & corpus eſſe voluit: vt nobiliori animo, nobilior etiam caro, delicatiórque cutis adderetur: & externum corpus, interioris animi eſſet teſtimonium atque index. Atque hinc etiam, quanta ſit noſtri corporis dignitas, luculenter apparet: ex eius ſcilicet, cum nobiliſſimo animo coniunctione: qua fit, vt ipſa quoque corporis humani caro, totáque materia, præſtantior ſit omnium animalium carnibus. Atque eò etiam fit nobilior, quo pluribus præſtantioribúſque virtutibus ornatur animus. Ornamenta enim animi, ipſum quoque corpus exornant: ſicut contrà vitia contaminant. Sed & corporis forma, omnium elegantiſſima: non parum nobilitat materiam, è qua ſumptum eſt. Quanta verò accedit dignitas, cùm ipſe etiam Spiritus Dei, dignatur in noſtris corporibus inhabitare, eáque ſibi templa efficere? Sed in Chriſto nobiliſſima eſt effecta; cùm æternus Dei Filius, eam ſibi ὑποστατικῶς aſſumſit atque vniuit, effecítque vt caro hæc, quæ de principio ſumpta fuit è vili terra, facta ſit cœleſtis atque diuina; futura etiam immortalis atque glorioſa. En ſummam materiei, è qua noſtra conſtant corpora: & quo pacto ex viliſſimo principio, paulatim facta eſt nobiliſſima. Sed vt vnde digreſſus ſum, redeam: ex eorundem Elementorum, in corporibus noſtris mixtione: ſicut varij nati ſunt humores: ſic etiam pro vario eorundem inter ſe temperamento, variæ naſcuntur corporum complexiones (vt vocant) ſeu naturæ atque etiam formæ. Qua in re, ſi quis mirabilem Dei ſapientiam non videt, cæcus eſt. Etſi enim nullum eſſe corpus voluit, in quo non inſint tum eædem quatuor Elementorum qualitates, ſiccitas, humiditas, caliditas, frigiditas: tum iidem quatuor ex illis nati humores, ſanguis, phlegma, bilis, melancholia: quod ſine ipſis, humani corporis moles & ſubſtantia conſiſtere cohærerěque non poſſit; tamen vt conſtaret, horum mixtionem, non fieri vel caſu, vel à cæca natura, ſed à Dei prouidentia; idcirco noluit eandem prorſus harum qualitatum, horúmque humorum, in omnibus fieri mixtionem ac temperationem: ſed in aliis vnum humorem excellere, in aliis alium, ídque etiam diuerſo modo: vt inde diuerſæ quoque conſtitutionum formæ, pro maiori minoríve illarum qualitatum & humorum temperatura, in ſingulis hominibus miſcerentur. Vnde nec duos vnquam repereris homines, qui eiuſdem planè ſint vel formæ, vel complexionis. Quid ita? Quia Deus vult videri, ſicuti reuera eſt, ille eſſe ſolus, qui pro ſua voluntate, omnia ex eadem materia, corpora formet. Hæc cauſa eſt, quamobrem, licet humana corpora temperatoria ſint reliquorum animalium corporibus; nullum tamen inter tot millia hominum corpora, eiuſdem planè & per omnia ſit cum altero temperamenti. Vnde etiam fit, vt (ſi vnum excipias Adamum & Euam, ante peccatum, & deinde vnum Chriſtum) nullum inueniri poſſit corpus: in quo omnibus modis temperata, omnibúſque numeris perfecta conſtitutio fuerit, vel ſit, vel futura ſit, niſi poſt reſurrectionem, in æterna vita. Id quod omnino ideò factum eſſe poſt peccatum & fieri, perſuaſum habeo: vt veſtigia pœnarum peccati in noſtris corporibus, impreſſa cernamus ſemper atque ſentiamus: & inde ad reſipiſcentiam excitemur. Atque

hæc de

hæc de materia ſatis, è qua formatum fuit, & qua conſtat humanum corpus: déque primis Elementorum qualitatibus in ea exiſtentibus: quatuor humoribus; varia illorum mixtione. Vnde & variæ complexiones atque naturæ, & formæ exiſtunt: & denique quo pacto, ex viliſſimo principio, tam nobile corpus formatum ſit, vt nobiliſſimæ animæ eſſet conforme; dicta ſunto.

V. *Totius formæ corporis partes præcipua.*

Venio nunc ad præcipuas partes, è quibus tam pulchra atq; elegans totius corporis forma figuráque reſultat. Inde magis etiam ac magis perſpicuũ fiet: tali animo, qualis eſt humanus, tale corpus, talibúſque membris prædit um atque diſtinctum, debitum neceſſariúmq; fuiſſe: vt hinc, quâta ſit, qualiſq; Dei opificis noſtri ſapientia atq; bonitas, luculentiſſimè videri palpariſq; poſſit. Illud enim repeto atq; reſumo principium à fine, ad quem creatus eſt homo, deſumtum, nimirum, Deum talem animum, eóque & tale corpus nobis dediſſe: quæ finibus, in quos creati ſumus, congruerent. Finis vltimus fuit, vt Deum, tum ex rebus creatis, ſenſúq; beneficiorum eius: tum ex audito intellectóq; eius verbo, cognoſceremus, cognitum amaremus, amatum coleremus, prædicaremus, æterniſq; laudibus celebraremus: idque non ſolum mente, verùm etiam voce. Neceſſaria igitur fuit homini anima, quæ mente & ratione eſſet prædita: eóque & tali opus fuit corpore, talibus organicis prædito atq; diſtincto: per quod poſſet anima, operationes illas ſuas exercere: nempe rerum externarum qualitates percipere, ad interna tranſmittere, componere, diuidere: ac tãdem ſubſtantias etiam earúmq; naturas per ſe cognoſcere, eóq; in illis Dei bonitatem atq; ſapientiam contemplari: & inde in eius amorem affici. Hinc patet neceſſitas, primùm quidem talis capitis, quale habet homo: vnde omnes nerui per totũ corpus, omnéſq; ſenſus ortum habent: cum omnibus ſuis ſenſoriis tam internis, quàm externis: deinde neceſſitas ipſius cordis, in quo affectus generantur atque reſident. Cæterùm quia hæc non niſi à viuenti præſtari poſſunt: Vita autem ſine nutrimento ſeruari non poteſt: proinde hinc etiam apparet neceſſitas membrorum: tum eorum, in quibus vita ſedem habet, vti eſt iecur, vnde ſanguinis, in quo vita conſiſtit, origo eſt: & cor, vnde arteriæ, per quas vitalis ſpiritus fluit, oriuntur: tum eorum, per quæ cibi ſumuntur, concoquuntur & cernuntur. Denique noluit Deus ab vno aut altero cognoſci, & alia, de quibus dictum eſt, effecta præſtari, ſed ab infinitis in finem vſq; Mundi: hóſq; omnes voluit à duobus primis hominibus, ſancto coniugio coniunctis, procreari. Hinc factum eſt, vt etiam de membris ad generationem & nutritionem fœtus accommodatis proſpectum ſit. Summa: Vt tres præcipuæ ſunt animæ facultates, intelligens, ſentiens (qua cum locomotiuam coniungimus) & vegetans, vt inquam tres ſunt præcipuæ animæ facultates: quibus omnes ſuas perficit operationes anima: Sic etiam corpus in tria principalia membrorum genera diſtinxit Deus, in ea quæ facultati intelligenti, in ea quæ ſentienti, & in ea, quæ vegetanti, inſeruiant: ita vt nullum ſit in noſtro corpore membrum, quod non alicui iſtarum animæ facultatum, ad illius ſubſeruiat actiones: id quod ſi quis cupiat perfectè cognoſcere: legat libros Galeni de Vſu partium. Nihil enim fruſtra agit Deus, aut natura. Et vt tota anima inſeruire debet Deo: ſic totum corpus animæ, eóque ipſi Deo. Vnde illud, *Diliges Dominum ex toto corde, tota anima, totis viribus tuis, &c.* Hæc cùm ita ſe habeant: nunc præcipua, ſicut antè polliciti ſumus, humani corporis membra, eorúmque præcipui vſus, percurrendi ac perſtringendi nobis ſunt.

VI. Diſtingui ſolent animalium membra, in externa & interna: atque ita ſingula ſeorſum conſiderari à Philoſophis conſueuêre. Sed nos breuitati ſtudentes: omiſſa hac exactiori partitione & conſideratione, præcipua tantùm externa, cum ſuis partibus internis ſimul, breuiter examinabimus. Quia tamen præcipua docendi ratio, & princeps methodi pars, in diſtinctione conſiſtit, idcirco in explicanda etiam humani corporis fabrica, vtar partitione aliqua perſpicua atque nota. Ea eſt illa, quam habet Daniel in cap. 2. de ſtatua, quæ in caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, fœmora ac tibias cum pedibus, ferreas, diſtincta fuit. Ergo iuxta hanc partitionem, prima nobis conſideratio erit de capite, idque merito, cùm ipſum etiam ſit caput & initium totius corporis, eóque membrum etiam omnium nobiliſſimum.

In capite enim duæ præcipuæ animæ facultates, intelligens nimirum atque ſentiens, ſuas exerunt vires: quanquam etiam vegetans, ſuas ibi habet partes: ſed reliquæ duæ illi potiſſimum regnant. Ideirco ſedes omnium ſenſuum, tam interiorum, quàm exteriorum in capite collocatur. Et meritò. Cùm enim facultas intelligens, non aliter ſolita ſit intelligere, quàm phantaſmata ſpeculando; phantaſmata autem per ſenſus exteriores, à rebus externis generentur, & ad phantaſiam tranſmittantur, ſapientiſſimè Deus, ibi ſedem ſenſuum omnium collocauit, vbi & mens ipſa reſidet, ne procul petere phantaſmata, quæ conſideraret, eóque intelligeret, cogeretur. Ergo cùm ſenſus inſeruiant menti, ibi rectè ſedes ſenſuum eſt, vbi & mens ſuas exercet operationes. Ab eodem capite, omnes fluunt nerui, quibus ſingula oſſa, membra, adeóque totum corpus, connexum, compactúmque, cohæret, coaleſcit, conſiſtit. Ibi etiam præcipua formæ atque figuræ humanæ pars, qua homo ab aliis differt animalibus, relucet: qua de figura, Poëta rectè cecinit, ſic de homine loquendo:

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:
Pronaq; cùm ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, Cœlumq; videre
Iuſſit: & erectos ad ſidera tollere vultus.

A qua forma factum eſt, vt vocatus ſit *ἄνθρωπος* Græcis: ſicut à materia, homo Latinis, & Adamus Hebræis dictus eſt. Ergo cùm præſtantiſſima omnium reliquarum corporis partium, pars ſit, caput, ea etiam primo loco conſideranda nobis venit: tam internè, quàm externè.

Quia in capite Deus voluit facultatem animæ intelligentem, & facultatem ſentientem dominari, idcirco organa etiam, ad vtriuſque officium accommodata, ibi finxit, fabricatúſque eſt. Sunt autem horum organorum duo potiſſimùm genera. Primum continet organa interiorum ſenſuum: alterum autem exteriorum. Dicam primùm de exterioribus, tanquam notioribus: deinde de interioribus.

Exteriorum ſenſuum organa ſunt, *Oculi, Nares, Aures, Os cum Palato, & Lingua.*

Oculos ita fabricauit, mirabili artificio, vt per eos fieri ab anima poſſit viſio. Per eos enim tanquam per feneſtras, reſpicit anima: ſpecies rerum coloratarum, & figuratarum, ad ſe recipiendo. Proinde vt hoc fieri commodè poſſet: primum omnium eos fecit lubricos rotundóſque; vt facilius moueri in omne latus, atque ita omnium rerum colores, qui ſurſum, qui deorſum, qui dextrorſum, & qui ſiniſtrorſum ſunt: vno quaſi momento percipere poſſent. Ex tribus verò humoribus conſtare oculos voluit, aqueo nimirum, ſeu albugineo, vitreo, cryſtallino, per tenuiſſimas membranulas, inter ſe diſtinctis, idque vt capaces eſſent lucis: tum vt ſpecies colorum in eis poſſent recipi. In horum autem humorum medio, pupilla ineſt, ceu foramen quoddam, per quod fit viſio. Per hoc enim, tanquam per feneſtellam, tum ſpiritus animæ viſorij tranſmittuntur foras ad obiecta, tum ſpecies colorum intrò recipiuntur, atque ad ſenſum communem, qui in interiori parte cerebri ſedem habet, per neruos opticos, transferuntur. Addidit enim Deus hoſce duos neruulos, tanquam vehicula ſpecierum in oculo receptarum, ad ſenſum communem perferendarum: qui nerui, licèt duo ſint oculo vtrique annexi; cùm tamen porriguntur ad cerebrum, ſimul coëunt, & in vnam deſinunt cuſpidem; cuius rei finis eſt, vt quæ vnius coloris binæ erant duobus in oculis, ſpecies: ipſæ etiam deſinant in vnam, vnius tantùm cùm ſint coloris ſpecies: eóque ſenſus communis iudicium non fallatur.

Texit præterea extrinſecus oculos palpebris, quaſi valuis, tum vt ſe ab obiectis lædentibus tueantur, tum maximè propter ſomnum: vt ſcilicet animal occluſis hiſce oculorum valuis, dormire queat, & requieſcere.

Quòd verò non vnum duntaxat oculum fecerit, ſed duos, eóſque naſo vtrinque munitos, & in abdito quaſi loco repoſitos: hoc ad formam faciei pulchriorem eſt factum. Hæc igitur inſtrumenta ſunt atque organa viſus, oculi ſcilicet: quorum exactum artificium aſſequi quis poſſit? Multa quidem obſeruarunt Anatomici: ſed illi iidem ipſi fatentur innumera eſſe in humano corpore, quæ ſoli Deo nota ſint, qui illud condidit. Ergo ſatis nobis eſſe debet, ſi vtcunque & craſſa Minerua præcipuorum membrorum vſus teneamus. Turpe enim eſt hominem, præſertim Chriſtianum, ſui corporis, tanto artificio à Deo conditi, prorſus eſſe imperitum. Rurſus totum etiam tempus vitæ noſtræ in harum rerum inueſtigatione conſumere: laudabile non eſt, neque vtile. Breuiter igitur reliqua percurramus organa corporis noſtri.

Inter vtrunque oculum, *naſus* poſitus eſt, partim ad odores percipiendos, partim vt per eum fiat ſpiratio, partim etiam vt per eum cerebri excrementa depellantur. Proinde horum vſuum gratia, primùm è molli cartilagine, &

ex carne à Deo compoſitus eſt, ſine oſſe, vt manibus premi, indéque excrementa cerebri exprimi poſſent. Deinde apertum eum eſſe voluit duplici meatu; ita tamen, vt etiam occludi manibus, ad malos odores vitandos, queat. Tranſit per haſce nares, flatus, ſpiratio fit & reſpiratio, vt & pulmones refrigerentur, & odores ad cerebrum deferantur. Proinde, ſicut etiam de oculis dictum eſt, licet duo ſint initio narium foramina: ad cerebrum tamen, cùm peruenitur, in vnum coëunt.

Ad percipiendos porrò ſonos, eóq; ad audiendum cumprimis verbum Dei, correctionis, conſolationis, doctrinam, creatæ ſunt aures duæ, ab vtraque capitis parte, cùm tamen vna tantùm lingua, eáque intra dentes concluſa, data nobis ſit: vt ſcilicet diſcamus multa audire, & pauca, ac nõ niſi bene ſalita loqui. Sunt autem illæ patulæ: vt audiendis omnibus pateant. Vnde & Iudicibus dicitur, *vt vnam aurem accuſatori, alteram reo præbeant.* Cæterùm naturaliter patulæ ſunt aures, ex dura cartilagine factæ, & flexuoſis anfractibus diſtinctæ: vt ſonos etiam diſtinctos capere poſſint, & ad ſenſum communem tranſmittere. Hunc in finem, duo fecit, in vtraque illarum, foramina, quibus duo etiam nerui alligantur, ſimiles opticis, qui deinde ſimul coeuntes, in vnum deſinunt: vt per hos, ſonus ad cerebrum deferatur Imò & tintinnabulum quoddam ſeu tympanum in eis fabricatum eſt: per quod ſonitus externus ad cerebrum vſque continuetur: facta ſonitus per illud tintinnabulum repercuſſione. Potiſſimùm verò in hunc finem fabricatus eſt tanto artificio nobis aures Deus: vt ſuam cumprimis vocem audiremus: ſed eo neglecto, illas ſæpenumero damus ſerpẽti: ſicut etiam fecimus de principio Mundi.

Subſequitur *os* cum dentibus, lingua & palato, ad multos vſus ordinatum, quos ſingulos explicare neceſſum nõ eſt. Duo autem ſunt præcipui oris vſus: vnus, vt per illud cibus ſumatur, guſtetur, ac ſi ſapiat, teratur, deglutiatur, & in ventriculum, ad nutrimentum, cóque ad vitam ſuſtentandam, traiiciatur. In hũc finem os, primùm quidem duobus labiis carnoſis contegitur; deinde duobus etiam dentium ordinibus, quaſi duabus molis munitur, quibus cibus teratur. Horum enim dentium ordo, vnus in ſuperiori maxilla, alter in inferiori poſitus eſt, pulcherrimo ſitu ac proportione, vt vna maxilla, ſuperiori nimirum, ſemper ſtante, altera inter edendum ſemper moueatur: non ſecus, quàm videmus in molendino à duabus molis granum conteri: vna ſuperiore, altera inferiore, niſi quod in molendino inferior ſtat, ſuperior mouetur: contra vero in homine ſe habet.

Huc pertinent lingua & palatum, ad dignoſcendos ſapores: Et lingua quidem ad cibum etiam in ore voluendum, & tandem in ventriculum traiiciendum Hic eſt primus oris vſus: ad vitam ſcilicet conſeruandam inſtitutus & neceſſarius. Alter eſt loquela: vt quæ mens concipit, ea etiã aliis per os exprimamus atque ſignificemus. Hi quatuor omnes ſenſus, cum ſenſoriis: in parte capitis anteriori, quæ facies & vultus appellatur, poſiti ſunt.

Senſus porrò tactus, per totum corpus diffuſus eſt. quo calida & frigida, ſicca & humida, dura & tenera, aſpera & mollia, percipiamus & diſcernamus. Atque hæc de organis exteriorum ſenſuum.

VII. De internis ſenſibus & organis.

CÆterum, ſunt alij quoque ſenſus, ſed interiores, ac proinde qui etiam habent organa interiora. Ij ſunt in cerebro, intra capitis *cranium*, os capitis ſupremum in formam globi fabricatum; & tribus paruorum foraminum ordinibus ac commiſſuris diſtinctum. Cranium hoc extrinſecus pelle, carnéque tenui, ne nimia mole grauetur, contectum eſt, túmque ſua pelle, ideó poroſum eſt, vt inde expirari craſſi humores cerebri, & quædam etiam eiuſdem excrementa, è quibus fiunt pili, effluere poſſint. Intrinſecus verò, cranium hoc concauum eſt, vbi cerebrum, ſedes ſenſuum, contineri poſſit.

Diſtinxit autem cranium Deus, tres in partes: in ſinciput, quæ pars anterior eſt, frontíque coniuncta: in occiput, quæ pars eſt poſterior: & in verticem, quæ medium tenet locum inter ſinciput, & occiput. Sub iis tribus partibus, tres interiores ſenſus collocãt: in anteriori, phantaſiam, ſeu communem ſenſum: in media, cogitatiuam: in poſteriori, memoratiuam. Eſt enim intra hanc cranij concauitatem *cerebrum*: tribus diſtinctum ventriculis, vno anteriori, altero medio, tertio poſteriore: in quibus tribus ventriculis, rerum, per externos ſenſus comprehenſarum imagines diſtincte imprimuntur. Proinde, vt hoc fieri poſſet, Deus non fecit cerebrum inſtar aquæ tenerum: quia nullam recepiſſet imaginem aut retinuiſſet: neque etiam durum fecit, vt oſſa: quia neque ibi facilè imagines imprimi poſſent: ſed fecit moderatè tenue, & moderatè durum, hoc eſt, molle & temperatæ naturæ.

Porrò in ipſo cerebro, quaſdam Deus fecit cauitates, & has impleuit vitalibus ſpiritibus, ſine quibus internæ ſenſationes fieri non poſſunt. Atque his etiam ſpiritibus vtitur anima, ad intelligendum, & ad alias ſuas actiones, quas in capite exerit, perficiendas. In eodem cerebro fontem neruorum qui per totum corpus diffunduntur, collocauit. Inde enim fluunt omnes nerui: tam ſenſorij, quàm motorij, hoc eſt, quibus mouetur corpus. Ibi enim mens potiſſimùm (vt antè dictum eſt) dominatur: proinde ibi quoque Deus voluit eſſe fontem omnium ſenſuum & motuum. Sed quis exprimere queat, aut etiam mente conſequi, quęcunque in capite, animæ inſtrumenta collocauit Deus? Venio itaque ad collum.

Baſis totius capitis, eſt *collum*; ſpinæ atque humeris inſitum: quo caput cum pectore, & reliquis membris coniungitur. Habet autem & collum duas partes: anteriorem & poſteriorem.

Principio itaque, quia voluit Deus, vt à capite in reliqua omnia membra effluerent motus & ſenſus: idcirco primùm omnium voluit foramen quoddam eſſe in poſteriori capitis parte, per quod anima è cerebro, motum & ſenſum inferioribus membris communicare poſſet Deinde huic foramini, quod in parte eſt capitis poſteriori, collum itidem ſubiecit, à parte poſteriori, quæ ceruix appellatur: inde per vertebras quaſdam neruis & cartilagine, firmiſſimè inter ſe colligatas. Ita factum eſt, vt per illud capitis foramen, cui ceruix alligata eſt, totúmque iugulum: cerebrum aditum habeat ad ſpinam, ſpinæque medullam, atque inde ad reliqua membra.

Hic tu cogita, quomodo etiã à Chriſto capite, per ipſius Spiritum tota gratiarum cœleſtium medulla, in totum corpus Eccleſiæ influant. Ab eadem colli poſteriori parte, hoc eſt, à ceruice, neruos & muſculos quoſdam ad inferiorem maxillam, & ad linguam porrigi Deus voluit, à quibus motum illæ accipiant, & verò etiam firmitatem. At verò in anteriori colli parte, quæ propriè collum vocatur, poſuit guttur, quod in ſe duas quaſi fiſtulas continet: nempe, aſperam (vt vocant) arteriam, & gulam: vt per hanc, cibus ac potus in ventriculum deferretur; per illam verò, ſpiritus traheretur, & expiraretur: & vox ederetur. Vnde fit, vt cui deeſt collum, nullum animal edere vocem poſſit, vti ſunt piſces. Propter hanc ſpiritus attractionem, per aſperam arteriam, voluit eam Deus operculo quodam eſſe tectam: ne propter vicinitatem, quam cum gula habet, aliquid cibi aut potus in eam incideret, & ſpiritum cohiberet, vt aliquando nobis imprudentibus contingit. Proinde operculum illud non vult Deus aperiri, niſi quatenus per illam arteriam inſpiratur, vel inſpiratur aer. Ita in capite videmus vſus ferme omnes animæ. En mirabilem capitis humani ſtructuram: quod prima & nobilior pars eſt totius corporis; quàm omnes & ſingulæ eius partes, ad vſus facultatum omnium animæ, accommodatæ ſint, ab optimo noſtro conditore, conſeruatore, & redemtore Deo. Atque hæc de capite ſufficiant, quo cum coniungitur & collum, tanquam illius baſis & fundamentum.

VIII.

Diximus corpus ad animam fuiſſe à Deo ordinatum, ac proinde nullum in corpore membrum eſſe, quod animæ non ſeruiat. Secuimus autem iuxta ſtatuam Danielis, humanum corpus in quatuor partes, ſed iuxta Ariſtotelem in tres, in *caput, thoracem, & fæmora*, vſque ad pedes. Cùm verò tres etiam ſint præcipuæ animæ facultates, intelligens, ſentiens & vegetans: diximus, in capite duas primas facultates maximè vigere: ac proinde merito etiam organa ſenſuum tam interiorum quàm exteriorem, præcipua, ibi eſſe collocata: veluti ſunt externis ſenſibus aſſignati oculi, aures, nares, os: internis autem, tres cerebri ventriculi, ſub cranio: quod itidem in tres ſecatur partes, in ſinciput, verticem & occiput: quibus reſpondent ſenſus communis ſeu phantaſia, cogitatiua & memoratiua. Senſum enim tactus, per totum eſſe corpus diffuſum: quòd vbique ſit neceſſarius, ad animalis conſeruationem.

Sequitur nunc altera corporis pars, in qua maximè viget, & ſeſe exercet vegetatiua animæ facultas. In hoc enim eſt ſedes ac fons vitæ, & vaſa in quibus generatur ſanguis, & per quæ idem in omnes corporis partes diſtribuitur: vbi item fons eſt ſpirationis & reſpirationis: quę omnia ad partem vegetatiuam propriè pertinent. Hæc pars eſt thorax ſeu pectus cum humeris atque brachiis. Habet hæc pars, ſicut & reliquæ ſua exteriora & ſua interiora. Dicam primùm de exterioribus.

Principio

Principio fecit Deus ad colli radices duos *humeros*: vnum ad dextram, alterum ad ſiniſtram. Ii non ſolùm ad pulchriorem corporis formam faciunt, verum multos quoque habent vſus. Vnus eſt, vt ſint ceu baſis colli: ſicut collum, baſis eſt capitis. Collum enim iis duobus nititur humeris, ſicut etiam ſpina. Alter vſus eſt, vt ex iis brachia, quaſi rami ex truncho ducerentur, illiſq; niterentur: magnis firmiſque neruis, connexa cum illis. Tertius denique eſt, vt his onera ferri poſſent: & à Dei Filio crux. Vnde & humeros dictos volunt ab *humo*: quòd ſicut humus, ſic humeri, ſuſtinendis oneribus idonei ſint.

Quia itaque propter hos & alios vſus, oportebat humeros eſſe fortes, atque duros: idcirco Deus fecit eos ex magnis duriſque oſſibus. Ab humeris pendent *brachia*, neruis rigidiſſimis ita illis colligata, vt in omnem moueri partem poſſint. Horum quàm multiplex, & quàm neceſſarius ſit vſus, nemo neſcit. Hæc ſunt hominum arma, quibus omnia domant animalia. Hæc ſunt inſtrumenta, quæ ad omnem actionem accommodata, dedit nobis Deus: vt non immerito Ariſtoteles ea vocarit, *organa organorum*. Proinde in ſcripturis, cùm Deus ſuam vult ſignificare potentiam: ſæpenumero illam indicat nomine brachij, dicendo, *ſe extenſurum ſuum brachium, & facturum hoc aut illud.* Et, *manibus ſuis formaſſe hominem. digitis ſuis Cælos* Vnde & *opera digitorum Dei* appellantur. Et legem ſuam, digitis ſuis ſcripſiſſe in tabulis legitur: Et per Prophetarum atque Apoſtolorum manus, ſcripta habemus Biblia: manibus adminiſtrantur Sacramenta. Denique nihil eſt tam excellens, tam magnum, tam ſublime, tam difficile, quod manibus ſuis non efficiat homo: vt ſi quis velit dicere de laudibus brachiorum & manuum hominum, defecturus ſit illum dies. Dixit Anaxagoras, *manum ſapientiæ cauſſam* eſſe: quòd hac ſcripti ſint libri, vnde ſapientia, & omnes noſtræ res diſcuntur. Ergo quoniam & ad ardua atque magna, & ad ſubtilia atque minutiſſima opera ordinauerat Deus brachia cum manibus atque digitis, idcirco compoſuit illa ex oſſibus & magnis & paruis, neruorum fortiſſimorum nexu inter ſe coniunctis: vt ad omnia flecti & accommodari poſſent.

Idcirco autem muſculos, neruos, arteriáſque multas, & venas magnas in eis eſſe voluit, vt plus alimenti capiant, & ita ad agendum ſint firmiora. Ideò verò, manum, quæ extrema pars eſt brachij, huius, qualem videmus, formæ fecit, cum neruis multis, veniſque, & molli ac tenui carne compactam: quinque digitis inæqualibus ab illa quaſi ramis ex trunco pendentibus & vnguibus in extrema parte munitis: vt accommodatior eſſet, tum ad quaſuis res capiendas: tum ad tactum percipiendum; tum ad quodvis opus faciendum. Denique data ſunt brachia, cum talibus manibus homini, vt tum ſibi, omnibúſque reliquis ſui corporis partibus: tum proximo, ad omne genus obſequij, inſeruire poſſet: vt nullum membrum in toto corpore magis officioſum iſto reperiri queat. O incomprehenſibilem Dei noſtri ſapientiam, bonitatem, prouidéntiam! Exemplum charitatis capiendum eſt à manibus noſtris, quæ ſimul ac pars aliqua alia corporis, ſentit ſe lædi, vel à pulice pungi: eò ſtatim accurrit, vt tuetur, eámque à lædentibus tueatur. Et Chriſtus, brachiis in cruce expaſſis, hoſtes noſtros debellando: omnibus electis opem tulit, ſalutémque æternam.

Sequitur iam *pectus*, quod duas in partes ſcinditur, in anteriorem & poſteriorem. Anterior, *thorax* Græcis appellatur, Latinis *pectus* propriè: poſterior autem *dorſum*. Eſt autem thorax à collo vſque ad diaphragma, ſeptum tranſuerſum, ex Medicorum ſententia: ſed Ariſtoteles thoracis nomine, intelligit totum truncum, à collo vſque ad pudenda. Quod vero vocant στῆθος, partem thoracis ſuperiorem eſſe vult: & extendi vſque ad διάφραγμα: atque hæc eſt ea pars, de qua loquimur nos in præſentia, iuxta partitionem Ariſtotelis. Conſtat pectus, ad oſſa quod attinet, ex medio oſſe, quod στέρνον vocant: & ex coſtis 12. ab vtraque parte, quæ inter ſpinam dorſi & στέρνον collocatæ ſunt: Vtrique, ſpinæ ſcilicet & στέρνῳ colligatæ. Sic autem muniuit hanc partem Deus oſſibus, cùm ad alios multos vſus, tum maximè ad tuenda præcipuæ vitæ vaſa atque organa: nempe cor, epar, & pulmones, quæ ſubtus poſita ſunt: Et voluit Deus plures eſſe coſtas, non autem vnum os continuum: vt melius dilatari & conſtringi pectus poſſet: ventriculi etiam & ventris cauſa, ne ſcilicet tectus coſtis, nimium ab illis comprimeretur, cibo iam plenus. Ideò noluit coſtas ſuper illum diffundi. Proinde quæ etiam illi adiacent: breuiores ſunt aliis, & molliores coſtæ, deſinúntque ad diaphragma.

Adiecit porrò pectori *mammas* duas, quas τιτθὰς Græci & μαζοὺς vocant: non tam ad ornamentum, quàm ad neceſſitatem: in mulieribus præſertim. Sunt enim additæ mammæ pectori, tam in maſculis, quàm in fœmellis, ad tuendum cordis & epatis, quorum vnum eſt ſub dextra, alterum, ad ſiniſtram erigitur, calorem Sed præter hunc vſum alius accedit mulieribus, nempe vt propter vicinitatem cordis & epatis: & viciſſim lac meliùs coquatur. Sed hoc mirabile eſt, quòd Deus in aliis animalibus, mammas adiecit ventri: in homine autem pectori. Fecit hoc Deus, vt maior amor inter lactantem matrem, & lactentem filium conciliaretur; dùm mater in filium transfundit, non ſolùm lac ex mamma, ſed ſimul etiam cum lacte στοργὴν quandam, & affectum amoris ex corde, ſub mammis poſito. Proinde videmus retineri amorem inter matrem & liberos: id quod non fit in beſtiis, quæ poſt ablactatam ſobolem, illius non meminerunt ampliùs.

In poſteriore parte pectoris, quæ dorſum appellatur, primum locum externè tenet *ſpina*: quà poſteriori parte cerebri, vſque ad ſacrum os, quaſi carina totius nauis, protenditur. Conſtat ea 24. oſſibus rotundis & concauis, quæ vocantur ab officio *vertebræ*: craſſioribus neruis & ligaminibus duris conglobatæ. In hanc formam ita eſt fabricata hæc ſpina, non autem ex vno continuo & recto oſſe: vt homo ſeſe flectere poſſet atque curuare, pro ſuo arbitrio. Intra verò harum concauarum vertebrarum capacitatem, medulla omnis continetur: quæ à cerebro ortum habens, inde per foramen cerebri in ſpinam totam, vſque ad os ſacrum protenditur, atq; ab hac, reliqua etiam oſſa, ſuam accipiunt medullam: vnde & alantur & humectentur. Nam huic ſpinæ primùm quidem omnes 24. coſtæ, ceu rami, inſitæ ſunt: Deinde reliqua etiam oſſa, ferè omnia, præſertim quæ pectus intra ſe claudunt, à ceruicis radicibus, vſque ad medium corpus porrecta, nituntur. Quin & coxæ, in infima parte, illi adhærent. Adde, quòd intra ipſam ſpinam multæ etiam influunt venæ, alimenti cauſſa: inter quas, & *caua vena* eſt, quæ ſpinæ ideo intrinſecus à Deo adiuncta fuit, vt ibi firmiùs conſiſtens, melius etiam in varias venas, ceu in varios ramos diffundi poſſet. Ita huic ſpinæ, tota ferè oſſium & venarum moles innititur, diuerſis rationibus & ligaminibus copulata. Proinde carinæ, à qua tota pendet ſtructura, rectè comparatur.

IX. *Internæ pectoris partes.*

Diximus de partibus pectoris extrinſecis: & in quos vſus ſint factæ. Nunc breuiter internas partes percurram, atq; illarum vſus perſtringam. Decreui autem breuitatis cauſa, ſicut antè dixi, thoracis tantùm partes percurrere. Nam reliquas corporis partes, quæ ſunt infra hunc thoracem, nolo examinare, quia neque eſt neceſſe, neq; multum noſtra intereſt, qui illas præcipuas tantùm corporis partes, in quibus maximè viget anima, & in quibus ſuas præcipuas exercet operationes, conſiderandas ſuſcepimus: vt inde craſſa quadam (vt dicitur) Minerua, videamus, quàm excellens ſit hæc humani corporis fabrica: & quo pacto ſuis præcipuis membris corpus, ipſis præcipuis animæ facultatibus reſpondeat.

Partes itaque totius thoracis internæ, illæque præcipuæ ſunt, in primis cor, ſedes vitæ, ita in medio pectoris ſitum, vt eius mucro ſit ſub mamilla ſiniſtra: & epar, fons ſanguinis, ſub dextra. Ventriculus item prima alimenti ſedes, extremæ gulæ parti, in medio adhærens. Deinde pulmones, ventilabrum cordis, eóque vitæ conſeruatio, ad latus itidem dextrum, ſub epate: Et lien, ad ſiniſtrum. Caua item vena, vnde reliquæ omnes pendent, ſpinæ adhærens: Et magna arteria, quam vocant *Aortam*: è qua vt è fonte, cæteræ fluunt: ad ſiniſtrum cordis ventriculum, à quo etiam naſcitur, poſita. Poſtremò renes, & inteſtina: Hæc omnia organa, vegetatiuæ cumprimis facultati inſeruiunt: eóque ad vitam conſeruandam pertinent. Dicam de ſingulis breuiter.

Cor, in quo vitæ fons & ſedes eſt, poſitum eſt à Deo hominis opifice, ita in medio pectoris: vt eius mucro in ſiniſtrum latus, ſub mamilla erectus exiſtat. Toti autem reliquo corpori, per varias venas, arterias, neruos, & ideò firmè colligatum eſt: partim vt vita ab ipſo in reliqua membra communicando, diffundatur: partim, vt in ipſum, aliorum viciſſim officia & beneficia referri queant. Eſt enim in corde theſaurus vitæ: vnde totum corpus viuit. Proinde vt vita meliùs ibi ſeruetur: veſtiuit illud Deus atque muniuit totum membrana quadam firma & valida, quam περικάρδιον χιτῶνα vocant: in qua membrana, humorem quendam, ſeu aquam rori ſimilem poſuit opifex: vt ea irrigetur & refrigeretur cor: ne propter continuum vehementemque motum, & propter magnum calorem, quo æſtuat, exiccetur & contabeſcat: id quod fieri ſolet, cùm magna & diuturna afficitur & comprimitur triſtitia. Figuræ eſt vtcunq; pyramidalis: quòd & ſolida ſit, & ad motum cordis congruens: ad (id quod & Plato ſcribit) quod hæc figura, naturæ cordis

quæ ignea eſt, conueniebat. Ignis enim ſuo motu, pyramidem facit. Sed hæc cordis figura, monere nos debet, affectus noſtros in cœlum eſſe dirigendos ad Deum, non autem in terram deprimendos.

Influit in cor ab epate ſanguis, per cauam venam: partim vt eo nutriatur cor: partim vt ex illo, ex ſubtiliore ſcilicet ſanguine, ſpiritus vitales generentur. Viciſſim vero à corde, vitales iſti ſpiritus, qui ſunt ceu flammæ viuificæ, miniſterio arteriarum, in omnes corporis partes emanant: quibus omnia membra viuificentur, & ad ſuas actiones adiuuentur. In vtrunque hunc vſum, duos fecit Deus in corde ventriculos: vnum dextrum, alterum ſiniſtrum: nempe vt in dextrum ſanguis influat ab epate per cauam venam: à ſiniſtro autem per arteriam Aortam, eiúſque ramos, vitales ſpiritus in totum corpus tranſmittantur. Hinc apparet, quæ ſit huius parui membri, cordis videlicet præſtantia, vtilitas, neceſſitas. Ariſtoteles ſic de corde ſcribit *πρῶτον ἐστὶν ἀρχὴ* [illegible]. *Primus* igitur *cordis vſus*, cum crearetur, fuit, vt eſſet fons vitæ, omnibus corporis membris, vitámque toti corpori communicaret, id quod efficit, cùm calorem viuificum, vitalemque ſpiritum omnibus membris impertit.

Alter, vt ipſi ſpeciatim capiti, in quo mens propriè operatur, vitalem ſpiritum communicando, materiam præberet, vnde ſpiritus animales, in ipſo generarentur: quibus crearetur motus; ſenſus quoque & cogitationes excitarentur. *Tertius* vſus, vt ſedes quoque eſſet & fons ac cauſſa omnium affectuum. Sunt enim in corde motus: motus pulſus, per quem ſignificatur vita: & fit ordinaria aëris attractione & exhalatione: & motus affectus, qui cogitationem ſequitur: & fit extraordinaria totius cordis dilatatione, vt in lætitia: vel compreſſione, vt in rebus triſtibus. Sequitur hic tertius vſus ex duobus prioribus, vt manifeſtum eſt. Ideo affectus lætitiæ, vita quædam eſt, ſicut triſtitiæ, mors. Triſtitia enim & dolore contabeſcimus, lætitia viuificamur. Vnde & cor dicitur vno affectu dilatari & exhilarari: altero conſtringi & exiccari. Hinc perſpicimus, cur ſcriptura nomine *cordis* voluntatem omnéſque affectus intelligat: ſicut *mentis* nomine, omnes cogitationes, omnémque cognitionem. Quare vt motus, ſenſus & cogitationes, ortum habent à cerebro, ſeu à capite: ſic omnes affectus à corde, ſicut & vita.

Eſt autem obſeruanda mira & ſtupenda *συμπάθεια*, quam Deus conſtituit inter cerebrum & cor: quia fit, vt ſibi mutua præſtent officia, ad totius corporis & animæ beneficium. A corde aſcendunt ad cerebrum ſpiritus vitales, è quibus animales gignuntur. Per animales ſpiritus excitantur cogitationes, & notitiæ gignuntur in mente. Rurſus, ij cogitationibus & notitiis feriunt totum cor: & affectus in eo accenduntur, variíſque motus cientur: qui, ſi læti ſint & ſuaues, vitam: ſi triſtes & dolorifici, mortem afferunt: atque hæc omnia naturaliter. Sed quid hæc ad Theologiam? Maximam adferunt vtilitatem. Nam præterquam quod intelligimus, quomodo anima vtatur corpore, & operetur per corpus: duæ etiam ſunt præcipuæ veræ pietatis partes, quæ illa doctrina illuſtrantur: Cognitio, ſcilicet Dei, & ipſius amor: vnde naſcitur obedientia, obſeruantiáque mandatorum eius. Vtramque parit Spiritus vitæ, hoc eſt, Spiritus ſanctus in noſtra illapſus corda. Is enim primùm quidem mentem, quæ operatur in capite, luce ſua perfundit: qua Dei cognitionem in mente gignit. Deinde ea efficaci cognitione, affectum amoris in corde accendit. Inde vero motus, ad voluntatem Dei complendam. Tum Deus verè habitat in mente, in corde, & in toto corpore noſtro. Certe, ſi quis diligenter conſideret, quæ naturaliter in nobis fiunt per ſpiritus vitales: & quomodo fiant: is plurimum hoc iuuabitur, ad intelligenda illa quæ ſpiritualiter quoque in nobis aguntur per Spiritum ſanctum. Proinde doctrina hæc, plus vtilitatis confert, quam multi exiſtiment. Quàm ſæpiſſimè enim ſcriptura ſacra, ad res ſpirituales, quæ à capite Chriſto, in totum corpus myſticum communicantur, explicandas: vtitur iis, quæ geruntur in humano corpore. Examina præter alia, locum Apoſtoli ad Epheſ. 4. vbi ait, *Chriſtum, caput eſſe Eccleſiæ: ex quo* (inquit) *capite, totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnem iuncturam ſeu commiſſuram ſubminiſtrationis, ex vi intus agente, pro menſura, cuiuſque membri, incrementum capit, &c.* Quantam lucem afferri credas loco illi explicando, ex mediocri ſaltem cognitione fabricæ humani corporis, ſitus cuiuſque membri, ligamentorum, neruorum, venarum & arteriarum: quibus membra omnia inter ſe connexa, mutuam ſibi operam, ad totius corporis conſeruationem præbent? Quod autem de hoc loco Apoſtoli dixi: idem de aliis infinitis dici poteſt.

Pergam itaque, reliqua thoracis organa, eorúmque vſus perſtringere.

Alterum præcipuum thoracis membrum *Epar*. Huius locus eſt ſub mamilla dextra; vt & ipſum ab illa defendatur, & illa ab eo calefiat. Cuius ſit naturæ, manifeſtum eſt ex ipſo etiam colore. Eſt enim Epar carnoſum, & rubicundum, & fere vt ſanguis congelatus. Eſt igitur igneæ ſanguineæque naturæ. Et in hunc cumprimis vſum eſt a Deo creatum Epar: & tali corporis loco poſitum, vt ſcilicet à ventriculo chylum accipiat, & ſuo calore melius illum concoquat: in ſanguinem vertat, & totum ad cor tranſmittat: vt à corde porro in reliquas corporis partes diſtribuatur. Eſt enim compertiſſimum ipſa experientia, ſanguinem in Epate generari ex chylo bene cocto, & inde in cor transfundi: vt partim eo alatur cor, partim ex eo vitales ſpiritus generentur, partim etiam, vt inde, hoc eſt, ex corde, melius etiam coctus & purgatior factus per venas, vnà cum ſpiritibus vitalibus per arterias, ad reliqua membra deriuetur. Hanc ob cauſſam Deus fecit in Epate duos quaſi conductus, quos *portas Epatis* vocant: vnam per quam chylus in Epar inuehitur coquendus; & hanc vocant *venam portæ*. Alteram, per quam ſanguis ad cor tranſmittitur: atque hanc vocant *venam cauam*: à qua reliquæ omnes, vt à trunco rami, pendent. Ideò Epar, fons eſt omnium venarum.

Eſt autem obſeruandum, quomodo in Epate, ex chylo concocto, ſecernantur omnes humores, qui in cibis, eoque & in chylo inerant: & ſinguli ad ſuos tranſmittantur locos. Hic enim apparet admiranda Dei ſapientia; & apertum colligitur teſtimonium, neque Mundum, neque humanum corpus fabricatum fuiſſe, ab vllo alio, quàm à Deo Optimo Maximo. Omnia eſculenta & poculenta, quibus veſcimur, conſtant ex quatuor Elementis, hoc eſt, ex quatuor Elementorum qualitatibus, quibus quatuor in humano corpore humores reſpondent: qui & ipſi ex illis generantur qualitatibus Elementorum. Cibi itaque poſtquam in ventriculum recepti, verſi ſunt in chylum, excrementis ipſorum, in inteſtina demiſſis, & poſtquam chylus ex ventriculo in Epar tranſlatus, & quaſi in alterum Alembicum poſitus eſt: humores illi omnes, qui ſimul erant permixti in chylo, vi caloris Epatis: ſecernuntur. Ac bilis quidem in veſicam fellis, quæ in medio eſt Epatis: melancholia in Lienem: ſanguis autem cum parte pituitæ ad cor tranſmittitur. Sanguis deinde etiam ipſe in corde ſecernitur: quia ſubtilior ſeparatur à craſſiore. Et hoc ſanguine craſſiore, tum ipſum cor, tum reliqua membra corporis nutriuntur, quandoquidem ad ipſa quoque ex corde tranſmittitur. Ex illo autem ſubtiliore generantur ſpiritus vitales. Ac ſicut ſanguis, quo nutritur corpus, vehitur à corde, per venas in totum corpus: ſic etiam ſpiritus vitales, per arterias, quæ ſemper & vbique cum venis coniunctæ ſunt; in totum itidem corpus tranſuehuntur, indéque & vita & motus totius animati corporis pendet. Anima enim (vt poſtea dicemus) quæ propriè viuificat & mouet corpus: vtitur & ſanguine & ſpiritibus ad vtrumque officium faciendum. En miranda Dei opera in corporibus noſtris. Ac vide mihi, quali Deus & quanto amicitiæ vinculo colligarit inter ſe, cum reliqua membra omnia, tum maximè hæc duo prima vitæ organa, Epar & cor: vt vnum alterius opera indigeat. Sanguis communicatur cordi ab Epate, & viciſſim Epati, vitales ſpiritus communicantur à corde. Ac ſicut nunquam ſanguis in venis eſt ſine aliquo ſpiritu; ſic neque ſpiritus fluunt per arterias, ſine aliquo tenuiſſimi ſanguinis riuulo. Et vt venæ arteriis opus habent ad ſanguinem ciendum: ſic arteriæ venis, ad ſpiritus nutriendos. Quis hîc apertè non videat, manibus & digitis ipſius Dei, totam hanc corporis fabricam fuiſſe concinnatam?

Non pigeat igitur nos, reliqua etiam organa, partéſque thoracis internas inſpicere. Poſt primas vitæ ſedes, ſeſe offerunt lien & ventriculus.

Ex aduerſo Epatis, in ſiniſtro latere, quod *hypochondryon ſiniſtrum* vocant, collocauit Deus *ſplenem* ſeu *lienem*, membrum corporis non contemnendum. Eſt enim fabricatum, vt in illud ab Epate, fæculentus & limoſus ſanguis, quem *melancholicum* vocant *humorem*, expellatur, & denuo coquatur & defæcetur: atque ex meliori eius parte, lien ipſe nutriatur. Nihil eſt enim in humano corpore tam defæcatum vel coctum, quod non denuò excoqui defæcaríque magis ac magis poſſit: indéque aliquid boni ſucci extrahi. Lien igitur fabricatus eſt à Deo, vt recipiat ab Epate fæculentum ſanguinem: & ex ipſo denuo excocto, nutriatur ipſe: partem verò inutilem & excrementoſam, ad os facrum egerat. Hanc ob cauſſam Deus primum quidem venam grandiuſculam, traxit à vena portæ, quæ eſt in Epate, ad lienem ipſum: vt per eam deriuetur ab Epate in lienem fæculentus

illic

ille ſanguis. Deinde aliam quoque venam lieni adiecit, per quam excrementoſa pars illius limoſi ſanguinis egeratur. Eſt ſplen domicilium melancholiæ: vnde & triſtitiæ ſæpè in corde naſcuntur: & multi lethales morbi in toto corpore, niſi maturè contrariis remediis occurratur. Nunc de ventriculo.

Ventriculus in quem vſum ſit à Deo factus, experimur quotidie edendo & bibendo. Ad cibum enim excipiendum, & chylum ex eo vtcunque cocto faciendum, inque Epar tranſmittendum; ad excrementoſas verò partes in inteſtina deijciendas, cõſtituturus eſt. In hunc finem Deus primum coniunxit ventriculũ gulæ, deinde fecit in eo duo orificia, ſeu oſtia, vnum ſuperius, per quod cibus à gula, mediante *οἰσοφάγῳ* in ventriculum ingeratur: alterum inferius, quod *ianitorem* vocant, per quod tum chylus in ventriculo prima coctione coctus tranſuehatur in *duodenum* (vt vocant) *inteſtinum*: & inde per Meſaraicas venas in Epar: tum etiam vt fæces, partes nimirum chyli excrementoſæ, in alia inteſtina importentur: & inde ad os ſacrum egerantur.

Ac mirabile eſt, quòd hæc officia ſeu oſtia ventriculi, ſumto cibo & potu, ſponte claudantur; vt calor in ventriculo contineatur ad concoquendum cibum. Nec ſuperius orificium aperitur, niſi cùm ſumitur cibus: nec inferius, niſi cùm egeritur. Mirabiliſſima verò eſt tota ventriculi ſtructura, qui ita compoſitus eſt, & intus variis illorum generibus rectis, tranſuerſis & obliquis præditus: vt aliis cibum attrahere, aliis retinere, aliis expellere poſſit: Deinde licet natura ſua, factus ſit à Deo, multis de cauſſis, frigidus & ſiccus, naturæ nimirum terreæ: (oportuit enim eſſe duriorem, ne ciborum aſperitate offenderetur: quemadmodum & ollæ, in quibus coquimus cibos, duræ ſunt) tamen vt poſſent in eo cibi concoqui, dedit ei etiam aliquid naturalis caloris: effecit deinde, vt à vicinorum etiam membrorum, quæ illi adiacent, calore, calefiat, & ad coquendum cibum iuuetur: vti ſunt Epar, cor, ſplen, diaphragma ſua aſſidua agitatione & calore: & vti etiam eſt omentum, venis & arteriis plenum, eóque calidiſſimum Hoc enim ipſe quoque ventriculus tegitur: & ideo ab hoc calefit. Ita membrum hoc, verum eſt inſtrumentum facultatis animæ vegetantis, ac nutrientis: & in hoc videmus manifeſtè omnes altricis facultatis vires exerceri: vim attractiuam, retentiuam, alteratiuam, expulſiuam. Ventriculus enim attrahit cibum, retinet, alterat ac coquit, & expellit. Proinde cùm velit Deus, vt viuamus, & nemo ſe ipſum occidat; danda eſt opera Chriſtiano homini, ne ventriculum perdat, aut nimia diæta, aut nimio cibo, vel potu, aut cibis ventriculo aduerſis. Neque enim noſtra eſt hæc corporis fabrica: ſed Dei, qui eam fecit: & multò magis nunc, cùm etiam redemtum ſit hoc corpus ſanguine ipſius Dei: & factum ſit habitaculum Spiritus ſancti. Idcirco cura gerenda nobis eſt huius corporis, vt ſeruetur Deo.

Dicendum iam eſt de *pulmone*, quem *πνεύμονα* Græci ab officio vocant. Duplex eſt ipſius vſus; Vnus, vt ſit animæ ſpirandi & reſpirandi inſtrumentum. Alter, vt ſit organum, per quod vna cum aſpera arteria, anima formet vocem. Quanti autem momenti eſt vterque iſte vſus? Per vnum ſeruatur vita; per alterum, omnis religio, politia, ſcientia, ſocietas promouetur & conſeruatur. Propter vtrumque hunc vſum, & ex tali materia, voluit Deus conſtare pulmonem, & tali figura eſſe præditum, quali eſſe videmus. Materia, caro eſt rara, mollis, ſpongioſa, figura inſtar follis eſt, per quem attrahitur & extrahitur aër. Plura de pulmone non dico, quia ſi penitiùs ingrederer in ipſum, reſpirationem non inuenirem.

Ad ſummam, ventilabrum eſt cordis; eóque vitæ conſeruatio.

Reſtant quatuor, caua vena, magna arteria, quam vocant *Aortam*: Renes, & inteſtina. Sed de *caua vena*, quæ truncus eſt omnium venarum, & in iecore radicem habet, déque magna arteria; vnde omnes reliquæ ducuntur: ſatis ſuprà dictum eſt

De renibus multa dicẽda forent: ſed breuitatis cauſſa omitto, ſicut & multa alia, de aliis partibus corporis. Multi & mirabiles ſunt vſus horum vaſorum; tum ad corporis nutrimentum, tum ad generationem, tum maximè ad expurgandas efferendáſque vltimas ciborum fæces.

Inteſtinorum autem genera, naturam & vſus, quis queat explicare? Canales ſunt, per quos totum corpus expurgatur. Quid vis ampliùs?

Duo itaque tantùm verba mihi dicenda ſunt de ſpiritibus vitalibus, & animalibus. *Spiritus* vapor eſt, ex puriore ſanguinis parte, calore cordis excoctus, atque incenſus, tum ad vitam conſeruandam, tum ad motum in ſingulis membris ciendum: eóque ad vnumquodq; membrum ad ſua officia facienda, excitandum, ordinatus.

Hinc duæ oriuntur ſpecies ſpirituum: vitalium nimirum & animalium. *Vitalis*, flammula quædam eſt, ex puriſſimo ſanguine, in corde nata: calorem vitalem deuehens ad cætera membra: & vim illis exercendi ſuas actiones, quas calore vitali efficiunt; impertiens. Huius vitalis ſpiritus organa ſunt, arteriæ: vt per has, ſpiritus iſte in omnia membra tranſuehatur.

Spiritus *animalis*, à vitali non differt, niſi quòd transfuſus ad cerebrum, virtute cerebri fit lucidior atque ſubtilior: qui in neruos infuſus, eos ad motum: & ſenſus, ad ſenſationem impellit. His ſpiritibus vitalibus & animalibus, actiones præcipuæ in humano corpore efficiuntur: nempe vitæ conſeruatio, nutritio, generatio, ſenſus, motus, cogitatio, affectus in corde. Hinc factum eſt, vt nonnulli dixerint, hos ſpiritus, aut animam ipſam eſſe: aut immediata animæ inſtrumenta, quibus corpus viuificat, & mouet. Hoc poſtremum verum eſt.

His verò ſpiritibus noſtris, miſcere ſe dignatur ſpiritus Dei: vt eos efficiat fulgentiores. Et his omnibus (plura enim nolo explicare) ſatis conſtat: quanta ſit noſtri corporis dignitas. Quare & nos hinc diſcamus, quid noſtri ſit officij; nempe vt cum totum corpus, ad animæ obſequium ſit ordinatum; Animæ autem, ad obediendum Spiritui diuino: ſubdamus corpus noſtrum animæ, animam Deo: ad ipſius gloriam & noſtram ſalutem.

DE HOMINIS CREATIONE

LIBRI SECVNDI,

CAPVT II.

De Anima.

VT Deus creauit corpus propter animam: ſic quæ nos hactenus de humani corporis fabrica perſtrinximus, ea cumprimis doctrinæ de anima reſpectu, explicata à nobis fuerunt: nempe vt ex iis quæ de corporis dignitate dicta ſunt, quanta quámq; præſtantior ſit animæ excellentia, ad cuius ſeruitium conditum eſt corpus, facilius cognoſci poſſit. An non præter ſapientes huius mũdi, Spiritus etiam ſanctus idem ſæpenumero in ſacris literis fecit? Cur tanta diligẽtia arma Goliathi deſcripſit: ita vt haſtile quoq; lanceæ dixerit fuiſſe tanquam iugum liciatoriũ texentiũ, ferrum verò lãceæ ſexcentorũ ſiclorum ferri? 1. *Sam.* 17. An non, vt ex talib. armis, quantæ eſſent naturales illius vires, quem tamen Dauid ſola fretus Dei inuocatione deuicit, apertius demonſtraret? Eodem ſpectauit noſtra humani corporis, ſingulorúmque membrorũ vſus explicatio: vt hinc clariùs quanta ſit animæ, de qua dicturi ſumus, præſtantia, cuique intelligẽti innoteſceret: indeq; magna Dei erga nos bonitas, potentia, ſapientia, ad ipſius Dei gloriã, noſtrámque ſalutem, luculẽtior nobis fieret. De eadem re multa ſcripſerunt Philoſophi, plura & enucleatiora Medici: ſed in quóſnam fines? Illi, vt quanta ſit corporis noſtri dignitas, nobis indicarent. Iſti, vt faciliùs quomodo curari poſſit, & debeat, docerent. Etſi verò neutrum Chriſtiano homine indignum eſt; in neutro tamen Theologus, cùm de eadem fabrica diſſerit, ſicut fecerunt Lactantius, Nyſſenus, & alij non pauci, cõſiſtit: ſed altiùs, vt modo dictum & explicatum eſt, ad magnificandã Dei gloriam, & ad promouendam hominis ſalutem, aſſurgit. Quare eo etiam hæc omnia, quæ nos de admirabili corporis opificio diximus, referat, lectorem rogamus.

Cæterùm quando iam de corporis humani materia, forma, natura, præcipuis partibus earúmque vſibus, quantum ſatis fuit Theologo, dictum eſt: Methodus Moſis poſtulat, vt de anima humana, quæ eſt altera, eáque præcipua hominis pars, ſeorſum diſſeramus. Hominem enim duabus rebus longè inter ſe differentibus conſtare, animo ſcilicet & corpore, extra controuerſiam eſt, non ſolum apud Chriſtianos, verum etiam apud Philoſophos. Nam quòd Dicæarchus apud Ciceronem in prima Tuſculana dixerit, nihil eſſe omnino animum, totúmque hoc quod dicitur animus, nomen eſſe inane: eóque hominem nihil eſſe, niſi corpus, ſui temperatione per ſe viuens atque ſentiens & intelligens: ſententia illa vt prorſus cum ſenſu ipſo, nedum cum omni pugnans ratione, ab omnibus ferè exploſa fuit. Quòd ſi etiam omnes Philoſophi id pernegarent, habemus tamen nos verbum Dei apertum: vbi legimus, *Deum creaſſe primùm corpus Adæ*: & deinde rem longè à corpore diuerſam, *ſpiraculum* ſcilicet *vitæ in illud per nares inſufflaſſe*. Paſſim etiam in ſacris literis diſcrimen hoc inter animam & corpus nobis occurrit. Qui igitur de anima vnquam diſputarunt: ij certè non de re inani, & quæ nihil præter nomẽ habeat, ſed de re grauiſſima, maximéque

momenti, qua nihil ſub cœlo continetur præſtantius, diſputaſſe iudicandi ſunt. Quare neque nos, de animo humano dicturi, vanum aut leue argumentum, ſed verè Theologicum & Theologo digniſſimum, explicandum ſuſcepimus.

II. Dicturo verò mihi de re tam præſtanti atque diuina; ne in rebus per ſe notis immoremur; quæ & perſpicua ſunt, & ad intelligendum facilia: ea aut ſilentio omnino prætereunda, aut vno verbo perſtringenda ſunt.

1. Eſt autem apud omnes tum certum, tum ad intelligendum perfacile: primùm quidẽ animam id eſſe & vocari, quo vnumquodque viuens, viuit & vitæ opera præſtat.

2. Deinde & hoc alterum, nemini ignotum eſt: Animorum tria eſſe genera: Vnum, quo quædam viuunt, ſed non ſentiunt, neque loco mouentur, vt *plantæ*: Alterum, quo quędam viuunt, & ſentiunt, ſed non intelligunt: vt *anima in brutis*. Tertium, quo alia viuunt, ſentiunt, & intelligunt liberéque volunt, vt nos *homines*.

3. Hinc fit, vt hoc etiam apud neminem controuertatur: Animum ſcilicet humanum, tria hęc animorum genera in ſe continere, ſeu (vt rectiùs loquar) & vitæ, & ſenſus, & rationis eſſe participem: facultatémque vegetandi, ſentiendi, intelligendi habere.

Poſtremò, hoc etiam eſt in confeſſo: primum & alterum animarum genus, vnum in plantis, alterum in brutis, talis eſſe naturæ, vt ſicut cum corpore incipit, ſic etiam cum corpore deſinat: ídque propterea, quòd ſeparari à corpore, & per ſe ſubſiſtere nequeat. Hæc omnia omnibus nota, perſpecta, & intellectu facilia ſunt: proinde nullæ de hiſce rebus inſtituentur diſputationes. At verò de animo humano longè diuerſa eſt ratio. Nam diſputatur in primis, quidnam ipſe ſit, quæve eius natura: Deinde quæ eius origo: ſitne à Deo in ſingulis hominibus per creationem, an verò à parentibus vnà cum corpore per generationem traducatur in liberos, veniátne aliunde in corpus, an verò in ipſo corpore creetur, & quando: ſitne etiam vna tantùm in homine anima, an plures. De his, inquam, déque aliis aliquot rebus, ad animum noſtrum pertinentibus, & ſæpe olim diſputatum fuit, & etiamnum diſputatur, non ſolùm inter profanos Philoſophos, verùm etiam inter Theologos: vt cùm multę quæſtiones ſint non ſolùm in Philoſophia, verùm etiam in Theologia difficiles ad explicandum: tum maximè hæc, quæ de animorum eſt natura, & perdifficilis ſit & perobſcura. Huiuſce quæſtionis difficultatem & obſcuritatem illi innumerabiles libri, qui de hac re fuerunt, tum à Philoſophis, tum à Patribus, tum à Scholaſticis conſcripti, & qui ſcribuntur adhuc, facilè ſua multitudine, prolixitate, obſcuritate, ſententiarúmque diuerſitate, non obſcurè teſtificantur.

Tres præcipui Patres prolixè ſatis & copiosè de hac quæſtione ſcripſerunt: Tertullianus librum vnum de anima, aduerſus Hermogenem varióſque Philoſophos: quos in hac præſertim quæſtione, Patriarchas hæreticorum vocauit. Argumentoſus eſt Tertullianus: ſed opus eſt multa prudentia in hoc præſertim libro legendo. Auguſt. in T. 1. librum de immortalitate animę vnum: & de eiuſdem quantitate, alterum ſcripſit. In T. autem 7. quatuor habet eruditiſſimos libros, de anima, & eius origine. Gregorius porrò Nyſſenus, totum librum de Philoſophia ſecundum, ſcripſit de anima, & alia multa de eadem re in aliis duobus diſſeruit libris. Noſtro verò tempore, qui non ſcripſerunt de anima? Sed vtinam omnes Chriſtianè & piè. P. Pomponacius primùm, deinde Simon Portius, duo maximi in Italia Philoſophi, dum contenderunt datis in lucem libris, animam de Ariſtotelis ſententia eſſe mortalem, neque vllis rationibus poſſe illius immortalitatem probari; eóque ſola fide eſſe credendam: multos eò adduxerunt, vt ne fide quidem crederent, eam eſſe immortalem, ſed plane vnà cum corpore mori. Inde noſtri Ariani & Anabaptiſtæ, poſteaquam in dubium vocarunt, imò pernegarunt æternam Chriſti Deitatem: de ipſorum etiam animorum immortalitate, alij dubitare cœperunt, alij verò pernegarc; alij eos in finem vſque Mundi dormire ſenſerunt. Ergo non tam vtile, quàm neceſſarium eſſe putaui: vt quæ vera ſit de natura animorum ſententia, dilucidè ſimul, & quantum fieri poteſt, breuiter exponam.

III. Quæſtiones explicandæ.

SEptem itaque de anima noſtra quæſtiones ordine hoc à nobis explicabuntur: vt dicamus:

1. *De ipſius animæ eſſentia atque natura.*

2. *De eius* (Ariſtoteles vocat) *partibus, quas etiam* facultates animæ *vocent Hinc ſequitur*

3. *De eius vnitate. Li. ès enim plures ſint animæ facultates in homine vno, non eſſe tamen tres animas: ſed vnam tantùm.*

4. *De origine animæ: à quonam, quando, & quomodo in vnoquoque vitam habeat.*

5. *De animi coniunctione cum corpore: an coniungatur, vt motor tantùm, ſicut nauta naui, an vt forma, &c.*

6. *De ſingulorum animæ facultatum operationibus.*

7. *De totius animæ immortalitate: ita vt & ſeparetur à corpore, & in ſempiternum viuat per ſe quidem multo tempore ſubſiſtens, tandem verò reuerſa in corpus ſuum, in omnem æternitatem. Hanc ideo ad extremum reſeruo, quia ex iis, quæ de ea priùs fuerint diſputata, meliùs ipſius immortalitas intelligetur & confirmabitur.*

Eſt autem hic ſtatus totius huius tractationis de anima: vt appareat, eam eſſe immortalem, eámque poſt hanc vitam ſemper manere, ſiue felicem in cælo, vti ſunt animæ piorum; ſiue infelicem in inferno, veluti ſunt animæ impiorum.

1. Ad primam quæſtionem quod attinet, antequam quæ ſit vera ſententia de eſſentia animæ explicem: trium magnorum virorum definitiones mihi proponendæ examinandæque ſunt: Galeni Medici; Ariſtotelis & Platonis Philoſophorum. Quia enim horum virorum ſententiæ de anima, non paruum pondus habent apud multos non tantùm Philoſophos, profanóſque homines, ſed etiam apud Chriſtianos: idcirco mihi non ſolùm veram è ſcripturis ſententiam confirmaturo, ſed etiam falſam refutaturo, horum trium virorum ſententiæ, de animi noſtri eſſentia prætermittendæ nullo modo ſunt, quin & examinentur, & quantum opus eſt, refellantur.

Galenus itaque (vt ex multis ipſius libris, atque inprimis de conſecutione morum animi & corporeæ temperationis, colligunt ij qui Galenum diligenter legerunt) Galenus, inquam, ita animam definiuit, vt dixerit, eam nihil aliud eſſe, quàm temperationem è quatuor Elementis, certa proportione concretam: qua animal omne viuat, & omnia vitę opera præſtet. Sunt tamen, qui ſcribant, neque Galeno ipſi hanc definitionem ſimpliciter probatam fuiſſe: quamuis ex Hippocrate eam deſumſerit, & rationibus aliquot confirmare conatus fuerit: Et alicubi faſſum eſſe ſe neſcire, quid verè ſit anima.

Sententiam hanc olim quoque refutauit Socrates apud Platonem in Phædone; ac rationibus efficaciſſimis demonſtrauit, fieri non poſſe, vt anima ſit harmonia ſeu κρᾶσις humorum in corpore. Nam hæc etiam antè fuerat opinio aliorum quorundam: vt cùm aliorum, tum cuiuſdam Simmiæ, cuius in eo Dialogo mentionem facit Plato: & Dynarchi Philoſophi: vt refert Nyſſ. l. 2. c. 3. Cùm ergo fuerit hæc ſententia, ab ipſis etiam Philoſophis Platonicis refutata, neque etiam Ariſtoteli probetur, non eſt cur multis nos eam refellamus: Duabus igitur, aut tribus tantummodo rationibus erimus contenti: ne omnino nihil aduerſus illam attuliſſe videamur.

Si elementorum in corpore animalis temperatio, anima ipſa eſt, efficietur nullum eſſe corpus, ex quatuor elementis compoſitum, quod non ſit etiam animatum. Nullum enim eſt, quod ex 4. Elementorum temperatione, non ſit concretum. Ita anima erit in lapidibus, & in omnibus metallis. Quòd ſi quis excipiat, imò ita ſe habere. Ex augmento enim apparere in ipſis etiam lapidibus & metallis, vitam ineſſe: eóque animam aliquam: quid ſaltem his reſpõdebit de anima ſenſitiua & intellectiua? Certè in lapidibus & metallis, qualis in hominibus eſt, neque in brutis anima eſt talis, qualis in omnibus eſt. Quomodo igitur ſimpliciter anima eſt κρᾶσις Elementorum humorúmve in corpore?

2. Accedit, quòd ſi anima reſultet ex corporis temperatione, imò nihil aliud quàm hæc ipſa temperatio: Anima ipſa corporis impetus cohibere nunquam poterit, ſed illos ſemper conſequetur. Nam ipſi quoque ex temperatione corporis naſcuntur: Vt iracundia in corpore, vbi plus eſt ignis, eóque plus calidi & ſicci. Item vt laſciuia in corpore, vbi plus eſt calidi & humidi. Contrà autem fieri videmus: Anima gubernatrix eſt corporis.

3. Poſtremò, ſi anima nil aliud eſſet, quàm humorum temperatio: efficeretur, ipſam nil aliud eſſe quàm accidens quoddam. Hoc autem eſſe non poteſt: quia accidens eſt id, quod poſſit adeſſe & abeſſe, præter ſubiecti corruptionem. Quomodo autem corpus animale & viuens, abſente anima, ſubſiſtere poteſt? Non poteſt igitur anima eſſe κρᾶσις humorum in corpore. Hoc verò fatemur, ex craſi humorum, enaſci ſpiritus vitales & animales, iis verò, ſicut & toto corpore, animam vti ad ſuas actiones atque operationes. Imò ne ipſi quidem ſpiritus ex tali temperamento naſci poſſunt niſi vi pręſentis & agentis in corpore animæ. Separata enim anima à corpore, vt in homine: vel extincta, vt in brutis, nulli ibi amplius vitales ſpiritus ſunt, vel animales: imò omnis etiam κρᾶσις euertitur: Tantum abeſt, vt anima poſſit eſſe

eſſe eiuſmodi *κρᾶσιν*. Atque his Phyſicis rationibus, facilè euertitur illa prima animæ definitio. Scriptura verò apertiſſimè euincit, eam merum eſſe ſomnium. Moſes enim ait, *compoſito iam corpore Deum in illud inſufflaſſe ſpiraculum vitæ*. Anima igitur non pendet à corpore, ſua eſſentia. Si quis plures rationes, quibus Galeni ſententia refellatur, videre cupiat, legat Nyſſenum lib 2. cap. 3.

Ariſtotelis ſententia fuit magis recepta, non ſolùm in ſcholis Philoſophicis, ſed etiam in Theologicis: quanquam ne illa quidem ſimpliciter, quid ſit humanus animus, explicat.

Principio, is omnium aliorum, qui ante ſe fuerunt, Philoſophorum, definitiones de anima, recenſet & refutat, quæ ſunt numero duodecim. Qui volet, legat Ariſtotelem in 1. de anima libro. Alij enim dixerunt, eam eſſe ex atomis, alij ignem, alij aquam, alij ex omnibus elementis, alij ſanguinem, alij aërem, alij aliud.

Deinde duplicem ipſe ſubijcit definitionem; quæ vtraque mihi diligenter ac dilucidè, ſed breuiter tamen eſt explicanda: tum quoniam multa continet, quæ ad veram animæ definitionem pertinent, tum propter Ariſtotelis in omnibus ſcholis auctoritatem. Prior definitio hæc fuit in 2. lib. cap. 1. *Ἀναγκαῖον* (inquit) *τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι, ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ, δυνάμει ζωὴν ἔχοντος*. Et poſtea ſubdit: *Διὸ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει· τοιοῦτο δὲ ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν*. Itaque ſic tota definitio componetur. *Anima eſt ἐντελέχεια prima, corporis Phyſici, Organici, potentiâ vitam habentis.*

Vt probè omnia intelligantur, notandum eſt: Ariſtoteles, cùm videret vnumquodq; animal, imò quodque animatum, duabus conſtare rebus; Anima ſcilicet mouente, & corpore moto, eóque certis organis diſtincto, támque demonſtraſſet, animam, à quo corpus mouetur, non eſſe accidens aliquod, vt multi docuerant, dicendo eam eſſe vel continuam motionem, vel harmoniam, vel numeros, ſed eſſe *οὐσίαν*: demonſtraturus porrò, hanc *οὐσίαν*, non eſſe vel materiam, vel compoſitum ex materia & forma, ſed formam ipſam, eámque eſſentialem, non cuiuſlibet corporis, ſed & organis diſtincti, & iam animati, quaſdam præmiſit diſtinctiones, ex quibus ſuo more (diuidendo ſcilicet & colligendo) animæ definitionem componeret atque concluderet. Primo itaque diſtinxit *τὴν φυσικὴν οὐσίαν* ſeu ſubſtantiam, in *ὕλην* materiam, quæ per ſe non eſt *τὸ δέ τι*: in formam, *εἶδος*, quam etiam nouo nomine, *ἐντελέχειαν* vocat, per quam fit *τὸ δέ τι*, & in ipſum *τὸ δέ τι*, ex materia & forma compoſitum.

Eſt autem manifeſtum, animam non eſſe ipſum *τὸ δέ τι*, hoc eſt, ipſum animal, ſeu ipſum animatum: quia animatum per aliud eſt animatum, nempe per animam: neque etiam eſſe *τὴν ὕλην*, per quam nihil animatur: cùm ne actu quidem ipſa per ſe exiſtat. Animam igitur eſſe formam, ſeu *ἐντελέχειαν*: quam vocem Latini Ariſtotelis interpretes, interpretati ſunt *actum*: non malè quidem, ſi rem ipſam ſpectes: ſed ineptè, ſi propriam vocis ſignificationem conſideres. Propriè enim *perfectionem* ſignificat, qua aliquid perficitur, *ἀπὸ τοῦ ἐντελοῦς*, quod perfectum notat & conſummatum: & à verbo *ἔχειν*, deducta: vt ferè docti iam omnes ſentiunt. Vnde & *perfecti habia* à Barbaro vocata fuit: quanquam aliis aliter viſum eſt, nempe, vt ſit *ἐντελέχεια, τοῦ ἐντελοῦς συνοχή*. Sed in idem recidunt.

Cæterùm *ἐντελέχειαν* etiam duplicem fecit Ariſtoteles: vnam primam, alteram ſecundam: Latini dixerunt *actum primum, & actum ſecundum*. Prima *ἐντελέχεια*, ſeu primus actus, eſt, vt ſcientia, hoc eſt, vt habitus, quo quis poteſt aliquid agere, etiamſi actu non agat: vt Philoſophia in Philoſopho. Secunda *ἐντελέχεια*, vel ſecundus actus, eſt, vt ſcientiæ & Philoſophiæ agitatio. Proinde hæc ſecunda, propriè *ἐνέργεια* etiam ab Ariſtotele appellatur: Et iuxta hanc ſignificationem, motum quoque idem Ariſtoteles in Phyſicis definiuit. Ne itaque quiſpiam putaret, animum eſſe motionem aliquam, & non potiùs cauſſam motus efficientem in re animata: idcirco dixit animam eſſe non ſimpliciter *ἐντελέχειαν*, ſed *ἐντελέχειαν πρώτην*, ſeu, vt Latini loquuntur, *actum primum*: hoc eſt, formam eſſentialem, ita perficientem corpus animatum, vt & viuere, vitæque opera exercere poſſit.

1 Cæterum, quia neque omnis corporis *ἐντελέχεια*, ſeu forma eſſe poteſt anima: idcirco diſtinctionem etiam corporum ſubindicauit, vt oſtenderet, cuiuſnam corporis ſit *ἐντελέχεια*. Corporum enim alia ſunt artificioſa, alia Phyſica: & illorum anima non poteſt eſſe forma: ideo ſubiecit, animam eſſe *ἐντελέχειαν* corporis duntaxat Phyſici.

2. Phyſicorum etiam corporum alia ſunt ita homogenea, ſimilaria, vt diſſimilaribus partibus, hoc eſt, organis ad varias vitæ functiones accommodatis careant; ideo ſubiecit alteram differentiam, dicendo: *Animam eſſe ἐντελέχειαν corporis non tantùm Phyſici, ſed Organici*: docens, in quibuſcunque eſt anima: ibi varia eſſe organa, per quæ anima diuerſa faciat vitæ officia, ſuáſque exerceat facultates, aut nutriendo, aut loco mouendo, aut ſentiendo, aut intelligendo.

3. Fieri verò poteſt, vt ſit aliquod corpus Phyſicum & organicum, cuius tamen forma, non ſit anima: vti eſt cadauer animalis, & hominis, quæ organica quidem ſunt, ſed anima carent: ideo ſubiecit tertiam differentiam corporum.

Corporum Phyſicorum organicorum, alia ſunt animata, alia inanima. Horum certè forma, nõ eſt anima. Anima enim animat & viuificat id cuius eſt anima & forma. Corporum igitur duntaxat animatorum anima eſt *ἐντελέχεια*. Verùm neque dixit, *animati corporis*, ſeu *δυνάμει vitam habentis*. Quid ita? Diſcrimen indicare voluit, inter animam ipſam, quæ eſt forma corporis, & inter vitam quæ eſt animæ effectus. Quid autem eſt vita? Perennis illa & continua rei animatæ motio, cuius variæ ſunt actiones. Voluit igitur oſtendere Ariſtoteles, animam non eſſe ipſam continuam in re animata motionem, ſed potiùs eſſe ipſius motionis cauſſam. Vnde euincitur, Ciceronem hallucinatum fuiſſe, cùm in hac de anima diſputatione, vocem Ariſtotelicam *ἐντελέχειαν*, interpretatus eſt continuam & perennem motionem ſeu agitationem: cùm ex profeſſo hoc refutare voluerit Ariſtoteles: & docere, animam eſſe cauſam huius agitationis. Quantum autem diſcriminis eſt inter cauſſam & effectum? Verum eſt, nomine *ἐντελεχείας*, & *ἐνδελεχείας*, nonnunquam ſignificari aſſiduitatem & continuationem: Vnde *ἐνδελεχῶς λέγειν*, ſine intermiſſione loqui. Sed nihil ad cauſſam animę, de qua Ariſtoteles diſputabat.

Cæterùm, cùm corpus animatum, ſemper actus habeat hanc vitam, cur Ariſtoteles dixit, *δυνάμει, vitam habentis* & non potiùs *ἐνεργείᾳ*? Primò, cum dixit *δυνάμει*, non intellexit *δύναμιν*, quæ priuationem ſignificat: ſed quæ actu quidem eſt, ſed otiatur. Exemplum illius primæ *δυνάμεως* eſt, vt ſi hominem indoctum, dicas habere *δυνάμει* Theologiam: quòd ſcilicet poſſit Theologiam diſcere, & Theologus fieri. Exemplum alterius eſt, ſi eum, qui iam Theologiam teneat, ſed non eam actu exercet (puta cum dormit) illum *δυνάμει* habere Theologiam dicas. Senſus enim erit, illum Theologiam quidem tenere habitu, ſed actu Theologię doctrinam non exercere. Sic igitur etiam de corpore, cuius anima, forma eſt & *ἐντελέχεια*, loquitur Ariſtoteles, cùm ait, *illud vitam habere δυνάμει*: hoc eſt, viuum quidem eſſe actu, ſed vitæ officia non ſemper efficere. Voluit enim docere, etiamſi exempli cauſſa, non ſemper videas arborem florere, fructus edere, augeri; non ideo tamen ſequi, illam non viuere. Etſi enim actu non proferat vitæ effecta: Vitã tamen habet *δυνάμει*, id eſt, opera vitę: ſi inſit illa anima, forma ipſius: quia vbicunque eſt anima: ibi vita eſt, & vitæ effecta præſtari poſſunt. Ex qua Ariſtotelis doctrina, eáque certiſſima, confirmatur etiam doctrina, de perſeuerántia ſanctorum in fide ſeu efficacitate fidei in electis: nempe, licèt non ſemper in eis appareant opera fidei, imò nonnunquam eam languere videamus, vt contigit Dauidi & Petro, & aliis: non ideo tamen ſequi ibi nullam eſſe fidem, nullámve vitam.

Senſus igitur Ariſtotelis eſt, animam eſſe *ἐντελέχειαν* illius corporis, quod & viuit, & vitæ officia exercere poteſt. Vt hic nomine vitæ propriè intelligas vitæ officia atque effecta.

Hæc fuit prima Ariſtotelis definitio de anima: Eam ſcilicet talem eſſe formam eſſentialem corporis animati: qualis eſt cuiuſq; compoſiti, eſſentialis forma: Per eam enim vnumquodque eſt, & operatur.

Nunc cùm perſpicuè ſit explicata animæ definitio: examinanda nobis eſt, & videndum, quid in ea ſit boni, & quid mali: quatenus ad humanam refertur. Quod igitur boni hîc tradidit nobis Ariſtoteles, eſt, quod primò docuit.

1. Animam, non eſſe accidens aliquod, ſed *οὐσίαν* eſſe definiuit.

2. Quòd etiam eam talem *οὐσίαν* eſſe prædicat: quæ non ſit vel materia, vel corpus aliquod.

3. Neque illud improbari poteſt, quòd doceat, eam eſſe formam corporis animati, eſſentialem: ac proinde.

4. Illud etiam veriſſimum eſt: Animam talem eſſe corporis animati formam & *ἐντελέχειαν*: quæ cauſa ſit, cur corpus illud & viuat, & vitæ officia præſtet, pręſtaréque poſſit: dum ſcilicet tali præditum eſt forma. Hæc omnia conſentanea ſunt cum verbo Dei. Nam etiam ſpiraculum vitæ, quod Deus inſufflauit in corpus Adæ, non fuit accidens, ſed ſubſtantia; non corporea, qualis eſt vel Elementorum, vel etiam cælorum, ſed incorporea, ad naturam diuinam proximè accedens: vnde & ad eius ſimilitudinem facta eſſe dicitur. Tertiò fuit etiam eſſentialis forma hominis, eóque & princi-

pium & ea uiſſa omnis vitæ, omniúmque vitæ operationum in homine. Nam etiam homo duobus iis conſtat, tanquam ſuis eſſentialibus partibus, anima ſcilicet & corpore: Et ſimulac inſufflaſſet Deus in illud corpus Adę ſpiraculum hoc vitæ, ſtatim factum fuit in animam viuentem: hoc eſt, viuum fuit, & vitæ opera efficiebat, & efficere poterat. Itaque hactenus definitionem animæ ab Ariſtotele allatam, ad noſtrámque etiam animam accommodatam, non reijcimus.

Verùm in hac definitione, multa reprehendit Nyſſenus: ſed quàm rectè omnia, non video. Reſponderi enim poteſt: Primò, Ariſtotelem hîc animam definiuiſſe in genere, quatenus ea ad omnes animatium animas referri poteſt & debet. Deinde, animam quoque humanam, complexum eſſe, non alia ratione & reſpectu; quàm quatenus eſt forma humani corporis, ſicut & reliquæ ſuorum quæque, corporum, ſunt formæ. Nam quatenus noſtra eſt νοῦς, per ſe ſubſiſtens: de ea egit in Metaphyſicis, longè aliter, quàm hîc in Phyſicis περὶ τῆς ψυχῆς. Ita nihil incommodi habet Ariſtotelis definitio. Et certe quatenus eſt forma corporis; pereunte corpore, deſinit & ipſa eſſe, non ſimpliciter, ſed forma corporis: vt ex hoc loco colligi nequaquam poſſit, humanam mentem, de Ariſtotelis ſententia mortalem eſſe, & eum pereunte corpore, ipſam quoque perire. Neque enim ſpecificam differentiam, qua humanus animus, à plantarum & brutorum animis differt, hîc propterea negaſſe dicendus eſt, quia eam non expreſſit. Nunquid negat, animam plantæ, ab anima bruti differre, quia generali definitione vtramque complexus eſt? Quatenus enim ſunt formæ ſuorum corporum: eatenus omnibus hæc definitio optimè conuenit. Si quis ergo velit eſſe æquus interpres: hæc Ariſtotelis definitio ſimpliciter negari non poteſt, quin animo quoque humano, prout eſt ſui corporis forma, optimè congruat. Melior tamen nobis quærenda eſt: qua quid ſit animus humanus, plenius definiatur.

Alteram definitionem priori ſubiecit idem Ariſtoteles, dicendo: *Anima princip um eſt, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & primò intelligimus.* Quod etiam hîc dicit, verum eſt. Eſt enim definitio, ab actionibus animæ deſumta. Atque illud cumprimis placet: quòd facit, vnam & eandem animam in nobis, principium eſſe vnicum, quo & viuamus, & ſentiamus, & moueamur, & intelligamus. Facit hæc Ariſtotelis definitio aduerſus illos, qui plures vnà, in vno homine collocant animas. Hinc etiam efficietur, ſi anima ſeparari à corpore poſſit, & ſubſiſtere per ſeſe, vt verè ſeparatur & ſubſiſtit; efficietur, inquam, totam animam, quia vna duntaxat eſt, ſeparari, non autem aliquam illius partem cum corpore interire, vt quidam ſomniant.

Cæterùm, quia neque hæc altera definitio explicat animæ eſſentiam atque naturam: ideo neque hanc ſimpliciter probamus.

Videamus igitur, an Plato propiùs ad veritatem acceſſerit.

Definit Plato animam in Timæo, multis iiſque etiam magna ex parte obſcuris verbis: quæ cauſſa eſt, cur non ab Ariſtotele tantùm, ſed etiam à multis Patribus, qui tamen Platoni adducti fuerũt, improbetur: cùm in illa tamen, quædam longè meliora contineantur, quàm in definitione Ariſtotelis. Ego itaque neque eam penitus præterire poſſum: neque etiam in ea explicãda volo immorari: præſertim cum videam eam definitionem non ita eſſe receptam, vt Ariſtotelis eſt. Summam complectar, quatenus tum ex definitione in Timæo allata: tum ex iis quæ de ea ſcribit partim in Phædone, vbi de eius immortalitate diſſerit: partim in libro de Legibus, colligere potui: atque etiam ex Plutarcho, qui Platonis dogmata examinauit.

1. Summa hæc eſt; Principiò facit animam eſſe eſſentiam corpori noſtro inſitam: qua fit, vt & viuamus, & ſentiamus, & intelligamus; qua in re nihil cum ſacris literis pugnans dicit.

2. Quia verò intelligere, actio propria eſt mentis; Viuere verò & ſentire cõmune eſt corpori & animæ; idcirco ſecundo loco ſubiecit, hanc eſſentiam duabus conſtare naturis; vna indiuidua, diuina & ſpirituali; in qua vis ſit intelligendi, & quæ ſupremum in homine tenet locum: Altera diuidua, corporique ita affixa, vt ab eo ſeparari nequeat; à qua ſit corpori vis viuendi & ſentiendi; ac proinde, in qua ſit vis appetendi & iraſcendi. Ita vnam naturam cum corpore interire; alteram ſuperſtitem remanere vult; vnámque à Deo immediatè; alteram à parentibus haberi.

In hac altera parte, non aſſentimur Platoni; quoniam ſcriptura vnam tantùm animam, eámque vnius naturæ licèt diuerſis facultatibus præditam, agnoſcit; eóque totam à Deo eſſe, totámque immortalem; licet non ſemper, vt à corpore ſeparata, omnes ſuas exerceat facultates. Etſi enim vnius facultatis ceſſet operatio, propter defectum organi: ipſa tamen tum eſſentia animę, tum facultas permanet. Anima certè Chriſti, à corpore ſeparata, ea vitæ officia non præſtitit, quę ſine corpore præſtari non poſſunt: vt, loqui, edere, &c. An non tamen reſumto corpore, ea omnia denuo præſtitit? Id quod in ipſo quoque Lazaro primum mortuo, deinde per Chriſtum ad vitam reuocato, videre fuit. Ergo etſi operationes deſierunt corporeæ; facultates tamen non perierunt. Quare quod propter diuerſas operationes, alias quę fiunt etiam extra corpus; alias quæ non poſſunt fieri ſine corpore, ſtatuat Plato, animam duplicis eſſe naturę, diuiduę & indiuiduæ, mortalis, & immortalis; cùm nulla id credere cogat neceſſitas, & cum ſcripturis non conſentiat, probari non poteſt.

Ita à Platone duo bona accipimus: Vnum, animam eſſe veram eſſentiam atque ſubſtantiam: alterum, eam eſſe ſpiritualem, eóque immortalem. Sed addimus, *totam*: quia duplicis eam eſſe naturæ eùnci non poteſt; licet diuerſis prædita ſit facultatibus.

3. Addebat deinde motum, quo & ipſa moueretur; & corpus moueret. Corpus ab anima verè moueri manifeſtum eſt: ſed quòd ipſa moueatur, bifariam intelligi poteſt: Aut propriè ac Phyſicè. Ita Ariſtoteles merito improbat Platonis ſententiam de motu animæ, lib. de Anima 1. cap. 3. Aut impropriè, vt motus animæ nil aliud ſit, quàm animæ operatio, quam in corpore edit, vel intelligendo atque volendo & amando; vel ſenſilia percipiendo. Hoc certè ſenſu, anima ſuos habet motus; quibus ipſa etiam, certo quodam modo, moueri dicitur. Et ita ſcriptura tales motus ſæpe attribuit animæ: vt cùm ſæpe ait Dauid, *ſe leuaſſe animam ſuam ad Dominum*; & ſimilia, &c.

4. Denique addebat harmoniam quandam; duplici de cauſſa: partim quod ipſa eſſet harmonicis numeris compoſita, partim quòd in ſuis actionibus, hoc eſt, in mouendo ſe, & corpus, concentum faceret harmonicum. Totum hoc figuratè dictum fuiſſe, fatentur omnes docti. Plutarchus, aliique tam veteres, quàm recentiores Philoſophi, qui æqui voluerunt eſſe interpretes. Nam & mirabili concentu conſtat anima, eſſentia vna, facultatibus autem multis. Quæ cùm & reipſa manifeſta ſint, & à ſacris literis non diſſentanea, ſit, vt hæc Platonis de eſſentia naturáque animæ ſententia improbari non poſſit.

Interim multa apud ipſum de anima leguntur, quę omnino damnamus, vt quod ait de animorum origine, omnes eſſe ex mundi anima, eáſque ante omnia corpora genitas; imo è mente Dei decerptas, & alia nonnulla.

Sed illud quod habet in Timæo: omnibus ipſius erroribus medetur. Cùm enim multa dixiſſet de anima: poſtea ſubdidit hæc verba: τὸ μὲν ἀληθὲς ὡς εἴρηται, θεοῦ συμφήσαντος, τότε ἂν οὕτω μόνως διϊσχυριζοίμεθα. hoc eſt: *At quod reuera ita ſit, vt dictum eſt, tum demum ita aſſeruerimus ſi Deus confirmauerit.* Tim. 4. 33. O vocem verè diuinam! Docet enim nihil de rebus diuinis, qualis eſt anima, aſſeuerandum eſſe quod verbo Dei confirmari non poſſit; ac proinde neque ſe quidpiam de anima docuiſſe, aut docturum eſſe, niſi quod ſibi probabile viſum fuerit.

5. Examinatis Galeni, Ariſtotelis & Platonis ſententiis de animi humani eſſentia (neque enim de aliorum animalium animis diſſerimus, ſed tantùm de humano) & viſis, quæ probari improbaríſque poſſint ac debeant: Reſtat, vt nunc, quid de animæ eſſentia atque natura ſentiendum ſit, ex verbo Dei diſcamus, & rationibus etiam confirmemus. Videmus enim, etſi à Philoſophis multa peti poſſunt bona & vera; interim tamen illorum auctoritatibus nitendum non eſſe; cùm multa etiam abſurda, ſicut modo vidimus, ſcripta reliquerint. Neque verò nunc plenam animæ definitionem quærimus, ſed tantùm ipſius eſſentiam; quidnam ſit, accidens an ſubſtantia: Et, ſi ſubſtantia, corporeáne, an incorporea: materialis an immaterialis: atque ita paulatim, donec videamus quid ſit.

THESIS.

Anima humana, vera eſt ſubſtantia, eáque incorporea & immaterialis, ac proinde ſpiritualis.

CVm *humanam animam* dico, totam intelligo, eamque vnicam. Neque enim multas in homine animas agnoſcimus: licèt plures in vna, animæ potentias; ſicut & ab vna anima, plures diuerſáſque operationes proficiſci videmus.

Hanc vocamus *veram ſubſtantiam*, tum vt ſignificemus, eam non eſſe qualitatem aliquam vllúmve aliud accidens: tum, vt doceamus, eam talis eſſe naturæ, quæ à corpore etiam

ſeparari,

ſeparari,& ſubſiſtere per ſe ipſam poſſit. Hoc enim eſt proprium veræ ſubſtantiæ,vt per ſe ſubſiſtere queat: Ac proinde non eam eſſe materiam, quæ non niſi per formam actu exiſtere poteſt: eóque vera ſubſtantia non eſt,niſi *δυνάμει*, & in ſubiecto ipſo,compoſitóque corpore. Adiecimus,*incorpoream:* ne quis putet,quia poteſt ſeparari à corpore, & per ſe ſubſiſtere; ideo eſſe corpus aliud ſubtile, ex materia & forma compoſitum, & in hoc craſſo incluſum: quòd corpora verè ſubſiſtant. Subſiſtunt enim ſubſtantiæ etiam incorporeæ. Poſtremò additum eſt *immaterialis*; differentiæ cauſſa; vt diſtinguatur hæc ſubſtantialis forma, ab aliis. Sunt enim formæ eſſentiales duplicis generis: quędam materiales,hoc eſt, quæ ita ſunt cum materia coniunctæ, & è potentia materiæ deductę,vt etiam à materia ſimpliciter ſeparari non poſſint, & per ſe ſubſiſtere. Quales ſunt animæ brutorum. Quædam verò ſunt immateriales, quæ è potentia materiæ, nempe è ſemine animati corporis non producuntur: ac proinde,quæ etiamſi ſint in ipſo compoſito, tamen à compoſito ſeparari, & ſeipſis ſubſiſtere queunt. Et talem eſſe humanam animam contendimus: vt ab angelicis ſpiritibus,ad eſſentiam quod attinet,non differant animę humanę,niſi quòd illi non ſunt formæ alicuius corporis; illæ autem ſunt. Proinde eodem nomine,tam animæ noſtræ,quàm Angeli appellantur: nempe ſpiritus, in S. Literis: vt ſignificetur,tam animas noſtras, quàm illos, ſubſtantias eſſe ſpirituales, omnis materiæ expertes. Quia itaque ſunt,qui ſentiant,animam noſtram,quę eſt forma corporis, licèt non ſit accidens, neque corpus,eſſe tamen formam materialem,hoc eſt,cuius eſſe pendeat à materia: Et inde inferunt, à materia ſeparari non poſſe,eóque eſſe mortalem. Ideo adieci particulam *& immaterialem*. Hinc autem pendet ſtatus totius cauſæ, de mortalitate aut immortalitate animorum. Itaque tota noſtra hæc theſis diligenter confirmanda nobis eſt.

CONFIRMATIO.

E Scripturis totam hanc theſim probare,perfacile eſt,tum apertis teſtimoniis, tum argumentis inde deductis. Citabo aliquot loca inſigniora. Gen. 2. *Inſufflauit in eum ſpiraculum vitæ:* Inde colligimus primùm quidem, animam accidens aut qualitatem è corpore naſcentem non eſſe: neque etiam formam materialem,quales ſunt animę brutorum; ſed ab illis differentem. Etſi enim Deo autore illæ productæ fuerunt: ex materia tamen elementari productas fuiſſe, docet Moſes. De piſcibus enim ait Moſes, Deum dixiſſe, *Producant aquæ reptile animæ viuentis: & volatile ſuper terram.* Et mox, *Creauit que Deus omnem animam viuentem atque reptantem: quam aquæ produxerant*. En, quo pacto productionem animarum, piſcium & volatilium, ita attribuit Deo: vt eas tamen ex materia aquarum productas eſſe prædicet. Ac de terreſtrium beſtiarum animis ſubdit; Deum dixiſſe: *Producat terra animam viuentem.* Ergo animæ piſcium & volatilium, ex materia aquarum eductæ ſunt: Et animæ terreſtrium animalium: è materia terreſtri, aliorúmque Elementorum ſimul mixtorum. At verò de anima hominis,aliter loquitur Moſes. Deus ipſe immediatè, ex ſe inſpirauit ſpiraculum vitarum, in Adami corpus, per nares eius. Non fuit igitur ſubſtantia ſeu materia Elementorum: ſed ſpiritualis diuináque & immaterialis ſubſtantia: hoc eſt,aliunde acceſſit corpori: non autem è corpore nata eductáve fuit. Hoc ſignificare voluit Deus inſufflatione illa, tanquam ſymbolo ſpiritualis ſubſtantiæ, illiúſque diuinæ. Et Moſes nomine *ſpiraculi vitarum*. Quo etiam ex loco, vnam tantùm in homine animam eſſe colligimus, quoniam ſpiraculum vnum, & non plura, inſufflauit in Adamum: quo & viuens, & ſentiens,& intelligens factus fuit. Sed plures fuerunt eiuſdem ſpiraculi potentiæ ac facultates: quę etiam indicatæ fuerunt nomine חיים in plurali, quia vocatum fuit *ſpiraculum vitarum*. Ex illo itaque loco ſatis luculenter euincitur apud eos, qui ſcripturas admittunt: Animam humanam, neque accidens vllum eſſe, neque *ἁρμονίαν* humorum corporis, neque materiam compoſiti,neque corpus,neque formam materialem,cuius ſcilicet *eſſe* pendeat à materia corporis: ſed veram ſubſtantiam,incorpoream, immaterialem, eóque verè ſpiritualem.

2. Idem confirmauit Adamus: qui à ſomno illo diuino excitatus, cùm vidiſſet Euam ex ſe eductam; nouit carnem quidem eius & oſſa,è ſua carne, & è ſuis oſſibus, fuiſſe eductam; ſed animam nequaquam. Ideo non dixit, *Hæc anima,ex anima mea.* ſed tantùm,*Hoc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea.* Adamus igitur plenus alioqui ſapientia cœleſti, non nouit animam è materia corporis eſſe: ſicut neque ex alia anima per traducem.

3. Adde quòd idem docet Moſes,cùm ait, *hominem factum eſſe imaginem & ſimilitudinem Dei.* Imago ad eſſentiam non ineptè refertur à multis. Et ſimilitudo ad qualitates. Subſtantia autem humani corporis,non eſt homo ad imaginem Dei, cùm ſit Deus incorporeus. Si igitur etiam anima eſſet vel corpus, vel *ἁρμονία* corporis,vel forma materialis: quomodo ſua ſubſtantia homo eſſet ad imaginem Dei? Vbi etiam impreſſa eſſet imago & ſimilitudo iuſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis, ſanctitatis diuinæ: ſi anima,vel *ἰσοκρασία* eſſet humorum, vel qualitas aliqua, vel corpus, vel forma materialis? Certè non minima pars imaginis Dei,conſiſtit in natura ſpirituali & immortali, ſicut & Deus Spiritus eſt & immortalis. Non poteſt igitur homo verè dici ad imaginem Dei factus: niſi anima ſit ſubſtantia ſpiritualis,eóque & immortalis.

4. Zachariæ capite duodecimo Deus à tribus omnipotentiæ ſuæ operibus commendatur: quòd ſcilicet *extenderit cœlos: quòd fundauerit terram: & quòd ſpiritum hominis formet in medio eius.* ארם ויצר רוח. Si formauit ſpiritum, hoc eſt, animam: Subſtantia igitur eſt. Si ea eſt ſpiritus: non eſt igitur corpus. Si in medio eius: vnde ſcilicet totum corpus viuificare poſſit: Forma igitur ſubſtantialis eſt. Si *in eo* nempe Adamo: non autem *ex eo* formata eſt: Non igitur è materia corporea. Quare non eſt forma materialis. Quid etiam præclari prædicaſſet hîc Propheta de Deo: ſi animam hominis formaſſe diceretur ex materia? An non & reliquorum animantium animæ, à materia ortum habent? Imò, quia prædicatur hîc omnipotentia Dei, qui cœlum & terram è nihilo creauit: Idcirco etiam aliter intelligi non poteſt dictum Prophetæ de formatione animæ, in medio noſtri, niſi quòd eam creet in nobis ex nihilo: non autem ex vlla materia præiacente. Quare multis modis ex hoc etiam loco Prophetæ, euincitur, animum non eſſe,niſi veram ſubſtantiam, incorpoream, immaterialem, eóque verum ſpiritum.

5. Pſal. 30. *In manus tuas Domine,commendo ſpiritum meum:* id quod & Chriſtus de ſua adduxit anima, dicendo: *In manus tuas commendo ſpiritum meum:* Et Stephanus, *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.*

Diſcrimen certè faciebant inter *corpus*, quod morti obnoxium videbant, & inter *animam*, quam *ſpiritum* vocabant. Vnum relinquebant terrę,alterum commendabant,vt ſuſciperetur à Deo. Docebant igitur, animum,ſubſtantiam eſſe diuerſam à corpore; eóque non corpoream. Deinde illam cum corpore non mori;non eſſe igitur materialem. Denique dum vocabant eum *ſpiritum*, qui corpore ſolutus ſuſcipiendus eſſet à Deo: apertè ſignificabant,eum eſſe ſubſtantiam verè ſpiritualem,& per ſe ſubſiſtentem, cuiuſmodi,& Angeli ſunt.

6. In Eccleſiaſte cap. 12. locus eſt inſignis: vbi hominem in duas ſecat partes, è quibus etiam compoſitus eſt: in puluerem, hoc eſt, in corpus: & in ſpiritum, hoc eſt, in animam. Et ait, *in morte alterum ab altero ſeparari: ac puluerem redire ad terram, vnde eſt: ſpiritum autem ad Deum, qui dedit illum.* Quid hoc loco clarius? Quomodo enim anima eſt aut accidens, aut *ἰσοκρασία* humorum, aut corpus, aut forma materialis, ſi ſeparatur à corpore; & ſeparata per ſe ſubſiſtit, vadítque ad Deum; vt cum eo in ſempiternum maneat? Neque etiam anima interim dormit vſque ad finem Mundi, cum & Salomon dicat: *Vt redit puluis in terram: ſic ſpiritum redire ad Deum.* Et Apoſtolus 2. Corinth. 5. duplicem faciat ſtatum animorum: vnum,quo peregrinantur à Domino in carne: alterum, quo peregrini à corpore, præſentes ſunt ad Dominum.

7. Diſcrimen idem inter animam & corpus, docet *Chriſtus*,cùm ait,apud Matth. *Nolite timere eos,qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere.* Docet igitur,animam,ſubſtantiam eſſe à corpore diuerſiſſimam: quòd cùm illud priuari anima poſſit: hæc ſuo *eſſe*, ſuáque vita priuari non poſſit; eóque animam ſubſtantiam eſſe ſpiritualem, per ſe ſubſiſtentem,immortalem.

8. Luc. 23. Latroni dixit Chriſtus,*hodie mecum eris in Paradiſo.* Non fuit autem corpore; anima igitur. Ac proinde anima ſubſtantia eſt,quæ ſoluta corpore, per ſe ſubſiſtit & felicitate frui poteſt. Quare ſubſtantia eſt ſpiritualis, à corpore non dependens.

9. 2. Corinth. 5. docet corpus, domum quandam eſſe animi, & tabernaculum: ac domum quidem diſſolui poſſe; ſed animum, qui inhabitat, minimè. Diſſoluto enim hoc præſenti tabernaculo, animum ſubſiſtere: donec aliud accipiat tabernaculum, hoc eſt, corpus: aliud inquam corpus, hoc eſt, aliis & diuerſis qualitatibus affectum. Si igitur animus, talis eſt inhabitator corporis, ſubſtantia ſit per ſe ſubſiſtens, & ſpiritualis, oportet. Sic locutus eſt & Petrus, 2. Epiſt. cap. 1. quàm diu ſum in hoc tabernaculo, &c.

Cæterùm notandum, cum dicitur: *animus inhabitare in corpore*: non ita intelligendum eſſe hanc inhabitationem, ſicut nos habitamus in noſtris ædibus: aut ſicut Angeli in aſſumtis corporibus. Non enim ex domo inhabitata, & ex inhabitante, fit vnum: ſicut ex anima, & ex corpore, fit vnus homo. Sed talis inhabitatio intelligenda eſt: qualis quodam modo fuit & eſt τοῦ λόγου, in humana aſſumta natura: de qua Apoſtolus, *In quo habitabat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Sic enim explicat Athanaſius: *Sicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: Sic Deus & homo, vnus eſt Chriſtus.* Verùm ex iis locis, illud luculenter demonſtratur, animam veram eſſe ſubſtantiam, incorpoream, immaterialem, per ſe ſubſiſtentem: licèt vera etiam ſit corporis forma: quod quomodo fieri poſſit, poſtea declarabitur.

10. Philip. 1. Dicebat etiam Apoſtolus, *ſe cupere ſoluere hinc, & eſſe cum Chriſto.* Facit igitur corpus, vt nauē, ſe verò, id eſt, animam, inſtar nautæ. Sed eodem modo, quo & alterum modo dictum intelligendū eſt: vt talis ſit nautæ animus in corpore, vt ex duobus, vnus fiat homo; ſicut ex materia & forma, vnum corpus. Interim euincitur, animam veram eſſe, & per ſe ſubſiſtentem ſubſtantiam.

11. Sed quid opus eſt multis? Chriſtus non tam verbis, quàm ſuo exemplo docet, quid ſit anima; & totam noſtram confirmat theſim. Dum viueret in carne, per animam, omnia illa vitæ officia præſtabat, quæ quiſque homo; pérque illam verus fuit homo: Fuit igitur vera hominis forma. In cruce, dum moritur, ſeparatur anima à corpore: & corpus quidem iacet in ſepulchro: Anima autem cum latronis anima venit in locum quietis, quem *Paradiſum* vocat. Anima igitur ſubſtantia eſt, quæ ſeparari à corpore poſſit, & per ſe ſubſiſtere: eóque incorporea eſt, & immaterialis, ab *Eſſe* corporis non dependens. Cùm verò nos quoque reſurrecturi ſimus, & animæ, in ſuum quæque corpus, redituræ, vt Ezechieli in viſione, apertè fuit oſtenſum: euincitur, animam talem eſſe ſubſtantiam, qualis & anima Chriſti, &c.

Vno verbo potuiſſem totum hoc, ſi è ſcripturis petenda ſit probatio, confirmare. Petit enim tota religio Chriſtiana; ſi anima hominis, non ſit talis ſubſtantia; quæ poſt mortem per ſe ſubſiſtat. Verùm, quoniam hoc etiam tempore ſententia hæc, quia nihil eſt certius, vertitur in controuerſiam, non à Philoſophis tantùm, ſed etiam ab illis, qui nihil aliud ſimulant ſe profiteri quàm ſacras literas: idcirco, volui multis ſcripturarum locis veræ pietatis ſtudioſos, aduerſus impios homines communire. Summa hęc eſt: Vbicunque prædicant ſcripturæ, *animam fuiſſe à Deo creatam*, idque ſeorſim à corpore: ibi euincitur, animam veram eſſe ſubſtantiam. Vbi verò legimus, *animam eſſe ſpiritum*: & talem quidem ſpiritum, qui intelligat & vélit: ibi docemur, animam eſſe incorpoream. Poſtremò, vbicunque dantur animæ actiones, quæ à corpore non pendeant; aut ſubſiſtentia extra corpus: reditióque ad ſuum Deum, & denique ad ſuum etiam corpus, vt in reſurrectione; ibi nos monet Spiritus ſanctus, animam ſubſtantiam eſſe minimè materialem: ſed ſpiritualem, quales & Angeli ſunt.

VI. Nunc aduerſus malos Philoſophos, eandem confirmamus doctrinam. Rogo autem æquum & amicum lectorem, ne hanc meam prolixitatem faſtidiat: quando non parum adfert vtilitatis. In accurata enim huiuſce primæ quæſtionis explicatione, quæ de eſſentia animæ eſt, tota ferè doctrinæ, de humana mente, intelligentia conſiſtit. Et ab huius prioris, reliquarum omnium quæſtionum declaratio pendet. Legat ergo non oſcitánter, & ſe non temerè aut fruſtrà legiſſe, re ipſa ſentiet.

Principio, animam eſſe aliquid in corpore animato, liquet ab ipſius effectis: vt ſumma fuerit Dicæarchi ſtultitia, animam præter inane nomen, nihil eſſe dicentis. Aut igitur eſt ſubſtantia, aut accidens, quod ſuum eſſe habeat in corpore. At accidens eſſe non poteſt.

1. Sublata enim anima: perit animatum corpus, totáque ratio animalis. Non igitur accidens.

2. Eſt etiam anima humana ſubiectum omnium virtutum, & vitiorum, ſcientiarum & artium. Non igitur accidens.

3. Corpus item non ſuſtentat animam: ſed anima corpus. Non ergo accidens.

4. Et per varia animarum genera, variæ conſtituuntur animalium ſpecies. Hæc verò certè de accidentibus dici non poſſunt.

Quare erronea eſt opinio dicentium, animam eſſe aut ἰσονομίαν humorum, complexionémque corporis: aut harmoniā. Anima enim regit corpus, & repugnat paſſionibus, quæ complexionem ſequuntur, eáſque cohibet: vt iracundus iram ſuam, quę ex abundantia flauę bilis oritur. Cùm igitur complexio excitet gignátque paſſiones naturales; anima autem contra eas frę net & cohibeat; aliud ſit anima compeſcens, & aliud complexio gignens neceſſe eſt. Ita firmum ſtat, animam eſſe ſubſtantiam.

Qualis verò ſubſtantia eſt? Certè, aut materia eſt, aut forma, aut ex vtraque compoſitum, hoc eſt, corpus. At, materia prima eſſe non poteſt. Ea enim non eſt ens actu, ſed δυνάμει, neque efficit, vt aliquid ſit viuens, aut homo, vel aliquod aliud animal: id quod facit anima. Neque etiam eſt corpus aliquod, ſeu ſubſtantia corporea.

1. Cùm enim anima in corpore: duo corpora ſimul in eodem ſubiecto cohęrentia inuenirentur: duæ item formæ; vna corporis huius; altera animæ ipſius: id quod cum omni pugnat Philoſophia, & cum tota natura. *Nyſſen. lib. 2. cap.* 1.

2. Anima humana, altera pars eſt hominis, qua fit, vt homo ſit & dicatur homo; eóque forma eſt hominis. Vnumquodque enim habet Eſſe per formā: Atqui corpus non poteſt eſſe forma: cùm potiùs ſit ex materia & forma compoſitum. Non igitur anima, corpus eſt.

3. Intelligere & liberè velle, actiones per ſe alicuius corporis eſſe non poſſunt: ſed mentis iudicio, & libera volendi facultate præditæ: humanus autem animus intelligit & liberè vult, iudicio & electione. Corpus igitur eſſe non poteſt.

4. Si anima corporea eſſet ſubſtantia, & tamen intelligens; non poſſet niſi corporata, & corporaliter, ſeu materialiter intelligere, qualis & ipſa eſſet. Intelligendo enim recipimus res intellectas. Vnumquodque autem recipitur per modum recipientis. Animus autem humanus, incorporea & immaterialia, & immaterialiter etiam intelligit. Non igitur corporea eſt ſubſtantia.

5. Si anima corpus eſt, aut corpus eſt animatum, aut inanimum. At inanimum corpus eſſe quis dixerit illud, quod corpora viuificat & animat? Neque etiam dici poterit, animam eſſe corpus animatum. Erit enim animatum, per aliquam animam aliam; quæ & ipſa, aut corpus fuerit animatum, aut inanimū. Verum autem reſponderis: cogeris in infinitum abire; & abſurda reſpondere: aut tandem fateri, animam aliquam non eſſe corpus.

6. Denique, ſi anima, quæ totum hoc corpus viuificat, corporea eſt ſubſtantia: profectò creſcente corpore, creſcet & ipſa cum corpore. Non ſuſcipit autem illa augmentum vel decrementum. Nullo igitur modo fieri poteſt, vt anima ſit corpus, ex materia & forma compoſitum: ſicut omnia corpora, neceſſariò talia ſunt. Anima tamen ſubſtantia eſt, vt ſuprà euicimus: & ſubſtantia talis eſt, qua corpus viuit & ſentit. Quod verò tale eſt, Forma ſubſtantialis appellatur, & ἐντελέχεια πρώτη: Atque hìc locum habet Ariſtotelis demonſtratio: nempe, principium, quo viuimus: ἐντελέχεια eſt πρώτη. *Animæ principium eſt, quo viuimus, ſentimus, intelligimus.* Anima igitur ἐντελέχεια πρώτη, hoc eſt, ſubſtantialis, corpus perficiens, vita, ſenſu, intelligentia. Barbari dicunt, eſt *actus actuans*. Ita demonſtratum eſt, animam formam eſſe ſubſtantialem.

Cæterùm formarum ſubſtantialium, duo ſunt genera: vt ſuprà etiam dictum eſt, aliæ *materiales*: aliæ *immateriales*. Materiales ſunt, quæ quia per ſe non ſubſiſtunt, ſed tantùm in compoſito, cuius ſunt formæ & actus: Idcirco illarum Eſſe ita à materia, cuius ſunt actus, pendent; vt ab ea ſeparari non poſſint, & per ſe ſubſiſtere: ſed ad corruptionem ſubiecti, corrumpantur & ipſa. Tales ſunt omnes cum Elementorum, tum aliorum corporum formæ. Proinde Philoſophi has dicunt eſſe conditiones formarum materialium: Prima, *Quod nunquam ſunt in actu, niſi cùm ſunt alicuius corporis actus.* Vt anima formáque equi, actu nihil eſt, niſi cum eſt forma & actus talis corporis equini. Hinc ſequitur ſecunda: *Quòd tales formæ non ſunt id, quod operatur, ſed tantum principium, quo compoſitum operatur: proinde organo ad operandum indigent.* Neque enim anima equi, propriè viuit, aut ſentit, ſed eſt principium, quo equus ipſe viuit, ſentit, &c. Neque forma ignis calefacit, ſed ignis per formam. Tertia eſt, *Quòd ſunt formæ limitatæ* (vt loquuntur ipſi) *& extenſæ, ad limitationem & extenſionem ſubiecti: à quo, tanquam à fundamento, quo ſuſtentantur, dependent.*

Contrà formæ immateriales ſunt & dicuntur, quæ non ſolùm actus ſunt alicuius corporis, ſed etiam actu per ſe ſunt, & ſubſiſtunt, ac proinde ab illa materia; cuius ſunt actus & formæ, ſeparari poſſunt & per ſe ſubſiſtere. Vnde fit, vt cùm etiam ſunt actus alicuius corporis: non ſolum ſint principium, quo compoſitum dicitur operari, ſed etiam ipſę operentur. Et ſic Ariſtoteles definit de humana anima, in 3. de Anima, quod ipſa ſapiat & intelligat, & non ſolùm homo per animam. Vtrumque enim verum eſt: & quod homo intelligat per animam; & quod anima ipſa intelligat.

Proin-

Proinde etiam ſequitur, has formas non eſſe ita materię ſuę, hoc eſt, ſuis corporibus alligatas, quin ab eis, & per ſe abeſſe, & per ſe operari poſſint. Non enim à corporibus ſuſtentantur, ſed illa potius ipſæ ſuſtentant. Atque hæc cauſa eſt, cur immateriales appellentur: quia ſicut à materia, cuius ſunt formæ, non habent, vt ſint & operentur: ſic etiam ab illa non pendent, nec ſuſtentantur: quin ſeparari poſſint, & per ſe ſubſiſtere ac operari.

VII. Nunc itaque cùm demonſtratum ſit, animam humanam, ſubſtantiam eſſe incorpoream, formam ſcilicet ſubſtantialem, videndum eſt, an ſit ex primo genere, an verò ex altero. Etſi autem, quibus rationibus probatum eſt, animam non eſſe corpoream, iiſdem etiam demonſtretur, eam non eſſe materialem: ſpeciatim tamen hîc euincam, eam non eſſe formam materialem: idque rationibus, quæ à propriis ipſius operationibus manifeſtis, dum adhuc eſt in corpore, ducuntur. Sunt autem duo præcipua & propria mentis noſtræ actionum genera, nimirum alia *intellectus*, alia *voluntatis*. Ac primùm ab operatione intellectus, deinde ab actionibus voluntatis argumentabor.

1. Mens humana non ſolùm eſt cauſa, qua compoſitum ex anima & corpore, nempe homo intelligit, & intelligere dicitur, verùm etiá ipſa per ſe intelligit. Docet hoc ipſe etiam Ariſtoteles, lib. de Anima 3. c. 4. *περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ*, &c. Nulla autem forma materialis dicitur dicive poteſt per ſe agere, ſed tantùm compoſitum, per illá agit, vt apud omnes Philoſophos in confeſſo eſt. Atque hæc eſt (vt paulò antè dixi) proprietas formæ materialis. Quis verò neſciat, quod cuius eſt agere, illius etiam ſit eſſe? Si igitur anima, ſeipſa intelligit, quia parte ſua, facultate ſcilicet intelligendi, intelligit, ſeipſa igitur, ſit oportet. Quare materiæ immerſa non eſt, vt ipſius *οὐσία* ſeu Eſſe, ab Eſſe materiæ, hoc eſt, corporis pendeat.

2. Talis naturæ eſt anima: vt ab excellenti obiecto, quòd ſeſe cognoſcendum offerat, non offendatur; imò magis perficiatur. Ideò magis ex cognitione Dei perficitur anima, quàm ex cognitione rerum creatarum: & magis ex cognitione ſubſtantiarum ſpiritualium & abſtractarum, quàm ex cognitione corporatarum & materialium. Vnde & Philoſophi veri, felicitatem animæ in cognitione intelligentiarum abſtractarum, vt eſt Deus inprimis, & deinde Angeli, collocare non dubitarunt. Huc & illud ſpectat: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Nihil enim excellentius eſt Deo Patre, & Chriſto eius Filio, cum vtriuſque Spiritu. Quos omnes complexus eſt & Apoſtolus: quando dixit: *ſe neſcire aliud, quàm Ieſum Chriſtum: & hunc crucifixum.* Numquid tunc profitebatur ſe ignorare Patrem & Spiritum ſanctum? At verò formæ materiales eius ſunt naturæ: vt cum ſuis organis, à vehementibus obiectis offendantur & lædantur. Exemplum habemus in oculo: vbi facultas videndi materialis, quæ ſcilicet in ipſo hæret oculo, ita à vehementi Solis luce offenditur: vt per aliquod temporis ſpatium nil poſſis videre. Vnde hoc? A materia oculi, in qua videndi facultas, ab anima ineſt. Idem contingit auribus à vehementi ſono: & aliis ſenſibus. Cùm igitur contrarium manifeſtè eueniat humanæ menti: liquet, eam non ita hærere corpori, vt ab eo ſeparari nequeat, eóque non eſſe materialem corporis formam.

3. Talis etiam eſt naturæ mens noſtra; vt quò minùs occupata eſt in externis ſenſibus; eò meliùs & alacriùs & expeditiùs & feliciùs operetur. Experimur hoc quotidie. Hinc fit; vt qui in *ἔκστασιν* rapiuntur, à ſenſibus abſtracti, plura & diuiniora intelligant & videant, quàm alij: & in horum animos imprimantur melius diuina oracula & imagines rerum cœleſtium. Sic Apoſtolus raptus vſque ad tertium Cœlum; ſiue extra corpus, ſiue in corpore: vidit arcana, quæ antè nunquam. Atque hanc etiam doctrinam tradunt Philoſophi: quòd anima quieſcendo fiat ſapientior. Contrà ſe habent facultates corporales ac materiales, vt notum eſt. Quò minùs colorum videas: minúſve audias ſonorum, aut ciborum guſtes: eò minùs poteris de coloribus, ſonis, ſaporibus iudicare. Certè niſi in externis obiectis occupentur ſenſus, facultates ſuas exercere non poſſunt. Contrà ſe habet mens humana. Non eſt igitur affixa materiæ: vt eius Eſſe & operari, à materia pendeat.

4. Argumentor iam ab aliis, quæ intelligit.

Anima humana intelligit & nouit ſeipſam: ſuáſque potentias & actiones. Nouit enim ſe eſſe ac viuere; nouit ſe non eſſe accidens, neque corpus, ſed ſubſtantiam à corpore differentem, facultatibus variis præditam, ſentiendi, intelligendi, volendi, &c. Imò etiam ſcit ſe ſcire per ſeipſam & alia noſſe. Formæ autem materiales, vt animæ brutorum, neque ſe norunt, neque ſuas vires, neque ſuas actiones. Vnde nec viſus, videt ſe, neque ſuam actionem: idémque de aliis dicendum eſt ſenſibus, tam internis, quàm externis: id quod fatentur Philoſophi omnes. Materialis igitur non eſt animus.

5. Mens humana nouit per ſeipſam, & noſcere poteſt omnia quæ ſunt extra ſe, corpora, corporúmque & rerum corporearum ac materialium naturas. Docet hoc experientia: & libri qui ab hominibus, de rerum Phyſicarum naturis conſcripti ſunt. Oportet igitur eam, naturæ eſſe ab omni materia vacuæ. Si enim materia infectus eſſet intellectus, res alias materiales diſcernere à ſe inuicem, naturáſque illarum cognoſcere non poſſet. Qui enim fit, cur ægroti lingua, cholerico & amaro humore infecta, diſcernere nequeat dulce ab amaro, & varios percipere ſapores? Cauſſa eſt, quia amaritudine infecta eſt. Proinde ſi debeat varios percipere & diiudicare ſapores: ab omni ſapore naturaliter vacua ſit oportet. Sic ſi oculus debeat varios percipere & diſcernere colores: nullo colore infectus ſit neceſſe eſt. Idem de aliis ſenſuum facultatibus dico. Qui enim fit cur febricitans ſuo tactu percipere non poſſit, an alius quoque febri laboret? Quia ipſius manus, totúmque corpus febrili calore infectum eſt. Ergo niſi etiam mens noſtra, ab omni materia libera ſit; res materiales, earúmque naturas noſſe, diſcernerréque non poterit. Quare ex eo, quod hoc præſtare poteſt, & præſtat, euincitur, eam omnis corporeæ materiæ eſſe expertem.

6. Mens item humana percipit nouítque res à materia abſtractas & ſeparatas: vt Deum, vt Angelos, vt Mathematica, vt vniuerſalia. Immaterialis igitur & ipſa ſit neceſſe eſt. Res enim incorporeæ & immateriales, à facultate corporea & materiali, percipi non poſſunt: ſicut neque infinitum à finito comprehendi poteſt. Simile eſt huic argumento id, quod habet Apoſtolus 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, nec poteſt percipere: Spiritualis autem omnia diiudicat.* Ratio eſt: quia non poſſunt ſpiritualia, niſi à ſpiritualibus percipi. Hinc fit, cur mens noſtra, & immaterialia, & materialia percipiat; quia ſcilicet ipſa immaterialis ac ſpiritualis eſt. Quia enim expers eſt materiæ: ideo diſcernere poteſt vnius rei naturalis naturam, ab alterius natura: cùm nulla re materiali ſit infecta, vt oſtenſum eſt. Rurſus, quia immaterialis eſt: res etiam à materia abſtractas percipere, & à materialibus diſcernere poteſt. Sicut & homo ſpiritualis, ideo poteſt ſpiritualia intelligere, quia ſpiritualis eſt & ipſe. Rurſus idem ideo poteſt carnalia à ſpiritualibus diſcernere, & vtraque intelligere: quia ſpiritualis eſt, id quod certè animalis homo facere non poteſt. Ita à rebus, quas mens noſtra cognoſcit & cognoſcere poteſt, liquidò apparet, eam neque corpus eſſe, nec formam materiæ affixam, cuius Eſſe, & operatio à materia pendeat.

Nunc idem euincam à modo, quo intelligit: qua certè ratione omnes docti vtuntur.

7. Septimum itaque hoc eſto argumentum. Propoſitio eſt apud omnes Philoſophos certiſſima ac receptiſſima: *quicquid ab aliquo recipitur, illud recipi, & in recipiente eſſe, ſecundum modum & naturam recipientis.* Exemplis craſſis explicabo. Si vinum in vas acetoſum imponatur, naturam vini vtcunque deponit, & aceti ſumit. Et cibi, qui in ſtomachum recipiuntur, naturam ſuam paulatim amittunt, & naturam carnis ac ſanguinis ſumunt. In naturam enim recipientis corporis vertuntur. Ex hac etiam fit regula: vt licet Deus ſit ſua natura immenſus & infinitus; à mente tamen noſtra percipi non poſſit, niſi tanquam finitus: propterea quòd mens ipſa recipiens, finita ſit. Ita manifeſtè apparet, vnumquodque recipi ſecundùm modum & naturam recipientis. Atqui manifeſtum eſt, quicquid mens, ſua intelligentia percipit, licèt naturæ ſit materialis: illud tamen ab ea, & in ea percipi immaterialiter; ab omnibus ſcilicet materiæ fæcibus defæcatum, & ab omnibus materialibus conditionibus liberatum. Sicut enim ventriculus & epar, quos ſumunt cibos, eos propriis conditionibus & qualitatibus exutos, alienis, hoc eſt, carnis & ſanguinis, veſtiunt, dum eos in ſuam conuertant naturam: ſic etiam mens noſtra, quæ rerum cognitione alitur, dum recipit res materiales, eas à materialibus conditionibus, qualitatibus, quantitatibus, locis abſtrahit, & immaterialiter atque in vniuerſali conſiderat. Apparet hoc, ſi ab ipſis etiam incipias ſenſibus. Cùm enim oculus percipit colorem aliquem: non ipſam materiam coloris, ſed illius duntaxat ſpeciem; ideóque quodam modo immaterialiter recipit: Non tamen perfectè immaterialiter: quia neque facultas viſus, colorem percipiens, prorſus immaterialis eſt. Quantò magis igitur mens; quæ nullum ſingulare, quatenus ſingulare eſt, conſiderat: ſed in vniuerſali omnia immaterialiter percipere dicenda eſt? Sicut enim intelligit res: ſic etiam denominat,

definit. Nominat autem res,& definit in vniuerſali,ſine ſingulari quantitate,qualitate,loco ,tempore: quæ omnia,conditiones ſunt materiales. Nam (vt exemplum adſeram) anima,poſtquam per ſenſus percepit hunc & illum, & ita deinceps ſingulos homines ſemper & vbique fuiſſe & eſſe, ratione,ac facultate ridendi præditos, tandem in vniuerſali, ſine vlla vel loci, vel temporis, vel perſonæ circumſtantia, hominem noſcit & definit, ac pronunciat animal eſſe ratione, ridendíque facultate præditum. Hoc autem eſt immaterialiter intelligere aliquid atque percipere.

Adſero & aliud craſſum exemplum. Nam iſtæ res,propter minùs in Philoſophia exercitatos , opus habent exemplis. Sunt autem non parui momenti res.

Eſto igitur litera, A : exempli cauſa. Dum hanc oculis vides in aliquo libro : certam habet quantitatem ac magnitudinem ; certam item qualitatem,quia certum colorem : erit enim rubra vel nigra.Certum item locum:erit enim in certa pagina,& in certa paginæ parte. Ita fiet vt nullum aliud A. ſcriptum,ſit illud idem quod habes in tua iſta pagina:ſed ab illa differat.Quid ita? Propter materiam,in qua eſt,& cuius eſt.Sed fac vt iſta litera A,tandem penetret in mentem,& in generali conſideres A: tum demum litera hæc A,nullam habebit quantitatem,nullum colorem,nullum locum:ſed vniuerſale quiddam erit omnibus A : quæcunque reperiri poſſint in libris,commune. Annon hinc manifeſtum fit:hanc literam A, in mente receptam , ideo mutaſſe modum exiſtendi, quem priùs habebat in papyro , in illum , quem habet mens: quia recepta fuit in mente? Ita nemo non videt,cùm aliquid in mentem humanam recipitur:illud tunc conditiones materiales exuere, & immateriales aſſumere. Nam (vt ad exemplum ciborum redeam) ſicut cibi corporei, cùm intrant in ventriculum,deinde in epar,& in venas,ſuam amittunt naturam, & priorem exiſtendi modum,alienámque induunt naturam , carnis ſcilicet & ſanguinis : ita cibi animæ , hoc eſt , res intelligibiles , licèt ſua natura materiales ſint : cùm tamen intrant in ſenſus externos,incipiunt ſuam deponere materiam : multò magis , cùm perueniunt ad ſenſus internos. Quid verò , cùm in ipſam etiam mentem penetrant? Tum demum omnem penitus materiam & naturam ſuam abijciunt : atque eam , quæ eſt mentis , recipiunt. Ergo ſi omnia,quæ in mente recipiuntur,immaterialiter recipiuntur : & quicquid recipitur, per modum, & iuxta recipientis naturam recipitur : an non hinç euincitur, animam eſſe immaterialem,vt ſicut eius Eſſe, ſic etiam eius operatio,à materia non dependeat? Qui hoc non videt,cæcus eſt.

8. Si mens per inſtrumentum materiale cognoſcit omnia,& ſine ipſo nihil,nullas res materiales poterit intelligere, & eas inter ſe diſcernere. Ratio eſt : quia oportet organum, per quod aliquid materiale percipit anima,natura earum materialium rerum, quas percipit, eſſe nudatum,& vacuum ; ſicut & de ipſa mente intelligente,antea concluſum fuit. Exẽplo declaro: Des mihi alicuius oculos,qui non poſſint quippiam videre, ſine conſpicillis. Vt oculi huius boni viri, videre omnes poſſint colores, & eos inter ſe diſcernere: neceſſe fuerit,vt non ſolùm pupilla oculi careat omni colore,ſed etiã ipſa conſpicilla. Alioqui ſi certum habuerint colorem,puta viridem, non poterunt colores diſcernere, & de eis iudicare: ſed omnia videbuntur illis viridia. Ita ſe habet mens. Si illa debeat omnia corporalia & materialia percipere,eáque & eorũ naturas diſcernere: neceſſe fuerit,vt non ſolum ipſa, ſed ipſius etiam organum materiale (ſi quo ad intelligendum vtitur) omni careat materia. Quomodo autem organum materiale carere poteſt certa materia? Aut igitur anima,non omnia materialia intelligit, aut ſi intelligit, ſine organo materiali intelligere poſſit oportet. Quod autem non opus habet materiali organo ad operandum; neque etiam opus habuerit ad hoc,vt ſit atque ſubſiſtat. Quare mens noſtra immaterialis eſt.

At , inquies , quomodo non opus habet mens ad intelligendum organo corporeo , cùm ſit & operetur in corpore? Reſp. Eſt & operatur in corpore, ſed non omnia operatur per corpus. Facultatem quidem vegetantem & ſentientem exercet per corporea organa : ſed non facultatem intelligentem,quam νοῦν Græci, Barbari autem intellectum poſſibilem vocant. At opus tamen habet intellectus iſte phantaſmatibus , quæ ſunt res materiales ad intelligendum , vt Philoſophi docent. Oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari. Reſp. Verum : ſed illis,vt obiecto,quod intelligatur,non autem vt inſtrumento, per quod mens intelligat,opus habet. *Phantaſmata* enim(inquit Ariſtoteles) *ſe habent ad intellectum ſicut colores ad viſum*.Colores autem ſunt obiectum viſus , quod videat , non autem inſtrumentum , per quod videat.

Ac rurſus,inquies : Læſo cerebro,aut defatigato ; experimur noſtram mentem non poſſe rebus cognoſcendis vacare, & in illis operari. Organo igitur corporali vtitur ad intelligendum.

Reſp. Fallaciam admittis non cauſæ,vt cauſæ. Ideò enim non poteſt læſis aut defatigatis , turbatiſque organis mens noſtra intelligendis contemplandiſque rebus operam dare: quia phantaſmata ipſa,quę ſunt in organo corporali,& quę ſunt ceu obiectum intellectus, turbato ipſorum organo, videri & percipi non poſſunt. Non autem id fit,quòd mens habeat organum, per quod intelligat : & quo turbato, intelligere nequeat.

Exemplum. Si corpus,in quo ſunt colores,turbetur,ita vt vel rotetur vehementer, vel alia ratione corrumpatur : oculus certè alioqui ſanus, non poterit in illos intueri colores: neque tamen ſequitur , tale corpus, in quo ſunt colores,organum eſſe, per quod viſus videat. Item , ſi aqua in aliquo vaſe turbetur: quæ in fundo ſunt,videri certe ab oculo alioqui ſano non poterunt. Num ideo aquam illam, organum dixeris eſſe viſus? Nequaquam: ſed organum eſt,in quo eſt viſus obiectum. Ita de anima & organo,vbi ſunt phantaſmata,déque aliis organis per quæ congregantur phantaſmata, dico. Quomodo igitur (inquis) anima intelligit ; ſi per organum non intelligit? Inſtrumento alio nullo,quàm ſua intelligendi facultate,ſuáque naturali actione: hoc eſt ſeipſa, intelligit atque cognoſcit. Alioqui ſi anima non poſſit intelligere ſine corporali organo: quomodo ſeipſam intelligeret? Inter ipſam enim intelligentem,& eandem intellectam & cognitam, quódnam materiale medium eſſe poteſt? Vtitur quidem organis corporalibus , ad alias duas facultates exercendas , nempe ad vegetandum , ad nutriendum, & ad mouendum corpus:item ad ſentiendum,videndum,odorandum : & ad phantaſmata ipſa intellectui colligenda. Vnde inter animam operantem , & inter obiecta externa , in quæ operatur,intermedia ſunt organa corporea; per quæ ſuam exercet operationem:puta inter facultatem videntem & inter obiectum viſibile medius eſt oculus,tanquam organum, citra quod facultas videndi,videre non poteſt. Itaque ſi organum aut deſit, aut corrumpatur , maléve afficiatur, viſio fieri non poterit. At verò ad primam facultatem,nempe intelligentem exercendam,non eget organo,tanquam medio, per quod intelligit:quanquam eget obiecto,in quod intueatur , & ex quo intellectionem concipiat. Hoc autem obiectum,ſunt phantaſmata , ſeu rerum à ſenſibus perceptarum ſimulachra, ad phantaſiam perlata. In hæc autem rerum ſimulachra, mens immediatè & per ſeſe intuetur,& quicquid in eis adhuc ſupereſt fæcum materialium defæcando , & in ſuam quaſi naturam conuertendo, inde intellectionem efficit. Ita fit , vt inter mentem intelligentem , & rem intellectam , ínque ipſa mente comprehenſam , nullum intermedium ſit organum. Craſſum exemplum affero. Antequam epar chylum in ſanguinem conuertat , opus habet , primo quidem,manibus & dentibus,qui cibum ſuppeditent. Deinde ventriculi organo, qui cibos receptos, in chylum vertat: Sed vbi chylus in epar fuerit tranſmiſſus, alio organo, ad illum in ſanguinem conuertendum,opus non habebit. Per ſeſe enim ſuo natiuo calore id efficit. Idem cogita de ſenſibus externis , qui ſpecies rerum capiunt, & tranſmittunt ad internos:& deinde de internis,per quos tranſmittuntur phantaſmata. Mens ergo,etſi opus habet organis,ad ſuppeditanda phantaſmata: ad ſuam tamen ex eis formandam intellectionem,nullo alio opus habet organo. Vnde efficitur,mentem humanam minimè corpoream, materialémve eſſe. Atque hactenus id ſatis liquidò demonſtrauimus , ab actionibus ipſius intellectus.

9. Nunc idem confirmo ab operationibus voluntatis, quæ eſt altera præcipua mentis facultas. Confirmo autem partem ab iis, quæ voluntas vult : partim à modo quo vult. Altera mentis humanæ pars , appetitus ſcil. intellectiuus, qui *voluntas* appellatur : vult bonum vniuerſale,ſicut contrà ſenſitiuus appetitus,particularis tantùm eſt. Non eſt igitur humana mens , forma à materia dependens. Vt hoc argumentum intelligatur , notandum eſt , ſicut magnum diſcrimen eſt inter ſenſum & intellectum: quod ſenſus ſingularia tantùm percipiat,intellectus vero vniuerſalia:ſic inter appetitum intellectiuum & ſenſitiuum contingit. Atque hinc apparet,quid ſit vniuerſale bonum,& particulare. Propriè quidem vniuerſale bonum , eſt id , quod rationem omnis boni in ſe continet : ſicut vniuerſale verum,quo omnia vera continentur. Hoc autem eſt Deus. Eſt enim primum verum, & primum bonum. Vnde fit,vt ſicut mens,nunquam vlla veritate contenta eſt,donec ad perfectam Dei cognitionem perducatur : ſic etiam voluntas nunquam vllo in bono acquieſcere poſſit,donec Deum poſſideat:quod certe argumentum

eſt, certæ cuiuſdam Deitatis in humana mente : hoc totum eſt verum. Interim tamen ſolemus etiam vniuerſale bonum illud appellare, quod in communi & in genere apprehenditur vt bonum : ac proinde, quod in ſenſum non cadit, ſed in mentem. Particulare autem, quod in particulari percipitur, hoc aut illud : ac proinde, quod in aliquem cadit ſenſum, ſiue externum, ſiue internum. Et ſæpe inter ſe pugnant ab homine apprehenſa. Exemplum primi. Vt, ſi dicas, Bonum eſt abſtinere ab ebrietate. Eſt enim vtile & honeſtum. Exemplum ſecundi. Vt, Bonum eſt hoc vinum largiter, & vſque ad ſatietatem bibere. Eſt enim ſuaue & delectabile. Hoc alterum cadit in ſenſum, illud primum, in intellectum duntaxat. Ideo vniuerſale etiam hoc bonum, vtile & honeſtum, appetit propriè voluntas : illud particulare & delectabile, ipſe appetitus ſenſitiuus. Ac de hoc vniuerſali & particulari bono, loquor proprie in hoc argumento nono.

Notanda eſt cauſa, cur ſenſitiuus appetitus, ſicut & ſenſus omnes, ſingularia tantùm percipiant, & non vniuerſalia. Ea eſt materia, cui affixi ita ſunt, vt ab ea ſeparari, neque ſua ὕλῃ, vt in brutis, neque ſuis operationibus, vt in bonis, poſſint. Hinc fit : vt neque niſi ſingularia percipere vllo modo queant: propterea quod materia *principium* eſt (vt Philoſophi loquuntur) *indiuiduationis*, ſeu id, quo fit, vt multa ſint eiuſdem ſpeciei indiuidua : quæ alioqui in vna ſpecifica forma conueniunt. Eſt hoc extra omnem controuerſiam. Si igitur cauſſa, cur neque ſenſus, neque appetitus ſenſitiuus percipere poſſint vniuerſalia, ſed tantum ſingularia, eſt ipſa materia, in qua ſunt, & à qua ipſorum operari dependet : à contrario euincitur, ideo & intellectum non percipere ſingularia, ſed tantum vniuerſalia : & voluntatem propriè velle bonum vniuerſale, non autẽ particulare : quia materiales non ſunt, neque à materia dependent. Voluntatem autem eſſe boni vniuerſalis: Senſitiuum autem appetitum particularis: vbique docet Ariſtoteles, & alij Philoſophi. Et huius ratio eſt, quoniam appetitus retinet naturam facultatis cognoſcentis, quam ſemper inſequitur. Senſus autem ſingularium eſt, intellectus vero vniuerſaliũ. Inde fit, vt voluntas propriè appetat honeſtum, quod vniuerſale eſt, & abſolutè bonum; Senſitiuus autem appetitus, bonum duntaxat ſibi delectabile. Sicut ergo inde euicimus intellectum non eſſe materialem, quia vniuerſalia intelligit : idem de voluntate concludimus, quia vniuerſalis eſt boni.

Cæterùm notandum eſt, circa bonum quod appetit voluntas, duplicem eſſe operationem: quarum vna eſt circa finem, altera circa ea quæ ad finem ſunt. Ac ipſius quidem finis, propriè eſt voluntas (voluntas enim ſimpliciter vult finem, reliqua verò propter finem:) Eorum autem quę ſunt ad finem, propriè eſt electio, liberúmque arbitrium. Eligimus enim aut reijcimus, quæ ad finem aut facere, aut non facere iudicamus.

Notandum præterea, ſicut ſe habet intellectus circa prima principia, ſic ſe habere voluntatem circa vltimum finem, ſummum ſcilicet bonũ : ac proinde ſicut intellectus non poteſt non aſſentiri primis principiis, quia per ſe nota ſunt, & in eis, omnis tandẽ veritas continetur : ſic voluntas non poteſt non appetere vltimum finem, qui eſt ſummũ & vniuerſale bonum. Denique notandum eſt, ſummum bonum, eóque finẽ vltimum, in quem humana voluntas ordinata eſt, & in quem neceſſariò fertur, non poſſe eſſe, niſi Deũ ; quanquam eum non omnes cognoſcant. Ratio eſt: quia illud duntaxat poteſt eſſe ſummum humanæ voluntatis bonum, in quo ita omnia bona continentur, vt nihil in eo deſiderari poſſit amplius : eóque ille etiam vltimus finis eſſe poteſt, in cuius ademptione conquieſcere voluntas poſſit. Atque talis eſt ſolus Deus. His explicatis, quæ tum ad confirmationem explicationémque prioris argumenti pertinent, tum ad inſequentium intelligentiam: ſic a prima voluntatis operatione quæ verſatur circa finem, argumentamur.

10. Si humana anima, materialis eſſet forma, ſeu ſubſtantia, eius voluntas nequaquam in Deum primum, ſupremum ac ſummum per ſe bonum, & infinitum, tanquam in ſuum vltimum finem ferretur. Forma enim materialis, tam altè non aſcendit, neque ad talem finem deſtinata eſt. Atqui voluntas humanę mentis, fertur in ſummum bonum, tanquam in ſuum vltimum finem. Hoc inde manifeſtum fit : quia in nullo bono creato vnquam conquieſcit, conquieſcerév̀e poteſt, vt quiſque in ſeipſo experitur.

11. Addo iam confirmationem : Si Deus, humanæ menti proprium eſt ipſius bonum, vltimuſque finis, neceſſe eſt, vt illum conſequi mens humana poſſit. Non enim eſt alicui res aliqua bona: quam ſimpliciter ille aſſequi nequeat. Quòd ſi humana voluntas non conſequatur ſuum vltimum finem, id eſt, Deum: hoc fit ex accidenti, & ex vitio voluntatis, quæ debita media ad finem hunc conſequendum non eligit, ſed reijcit. Atqui Deum perfectè aſſequi non poteſt humanà mens, dum eſt in corpore, vt ipſi quoque Philoſophi confeſſi ſunt. Corporis enim ſenſibus impeditur mens, ne Deo perfectè cognoſcendo & fruendo adhæreat. Extra corpus igitur eum aſſequatur oportet; nempe ſi debitis vtens mediis, fuerit eum perſecuta. Ac proinde eam non ita pendere à corpore, vt extra illud ſubſiſtere nequeat, manifeſtum eſt. Atque hæc tria poſtrema argumenta, à prima voluntatis operatione, ducta ſunto.

12. Argumentum, ab altera ſumitur voluntatis operatione, quæ eſt electio aut reiectio eorum, quæ ad finem aut facere, aut non facere videntur. Argumentum tale eſt;

Si humana mens ſeipſam verè agat & moueat, verè etiam immaterialis eſt, & minimè corpori mixta. Propoſitio hæc manifeſta eſt ; quoniam proprium corporis & rerum materialium eſt, moueri & agi : rerum autem immaterialium, agere & mouere. Ideo Deus ſolùm mouet, & non mouetur : quia verè incorporeus eſt, & immaterialis. Contrà Elementorum eſt, tantùm ab alio moueri, & non mouere : quia tantùm ſunt materialia. Atqui humana mens ſeipſam verè agit in eligendis, aut reijciendis iis, quæ ad finem facere, aut non facere, iudicat. Eligit enim ſua voluntate, aut reijcit liberè, tanquam ſui actus domina, quæcunque eligit, aut reijcit : cùm à nulla re, ad eligendum vel reijciendum cogatur. Alioqui ipſius actio, minimè diceretur electio. Hoc verò in nullum animal competere, præterquam in hominem poteſt. Quid ergo hinc efficitur, niſi quòd omnium animalium animæ, ſicut ortum habent à corporis materia: ſic etiam ei ita mixtæ ſunt, vt ab ea ſeparari non poſſint? Sola autem humana, immixta eſt. Atqui hoc eſt argumentum Platonis, cùm ideò probauit animam humanam eſſe immortalem, & omnino immaterialem ; nimirum, quia ſeipſam moueat : in eligendo ſcilicet ac reijciendo. Itaque à liberà hominis voluntate euincitur, humanam mentem, non eſſe materiæ corporique permixtam : vti ſunt brutorum animæ: quæ nulla præditæ ſunt libertate, ſed quicquid ſenſui delectabile offertur, illud naturaliter perſequuntur: Quod autem aduerſum, illud & naturaliter itidem & neceſſariò reijciunt. Ideò Deus etiam inprimis verè liber eſt: quia ſimpliciſſimus ſpiritus ; Deinde Angeli : poſtremò humana mens.

13. Videmus & nouimus certè experientia, talem tantámque eſſe vim voluntatis humanæ, tam in malo, ſua natura, quàm in bono, gratia Dei: vt naturales etiam & animales ſuos ſuperet affectus, vt vitam etiam ac ſanguinem profundere ſæpè non dubitet. Quomodo hoc facere poſſet: ſi à materia corporis penderet ? Naturale enim eſt cuique animanti, proprios ſequi affectus : non autem illis pro virili ſua aduerſari.

Quid ? Quòd ſæpenumero, ſicut intellectus eò fit perſpicacior in rebus diuinis intelligendis : quo ſenſus minùs in rebus humanis occupantur ; ſic etiam voluntas efficacior fit atque conſtantior in bono ſummo amando ac retinendo, quò minùs efficax eſt appetitus ſenſitiuus, in ſuis carnalibus oblectamentis ? De intellectu quod dico, manifeſtum eſt ex iis, quæ ſuprà dicta ſunt. Rapti enim in ἐκστάσει, plura & maiora vident, quàm qui non rapiuntur : vt contigit Paulo, cùm raptus fuit vſque ad tertium cœlum. Et videmus etiam idem in ſenibus, in quibus mentis oculus acutior eſt, cùm iam deficiuntur ſenſibus: quàm cùm vehementiores in ipſis iuuenibus vigerent ſenſus. De voluntatis verò efficacitate, itidem manifeſtum eſt, quod dixi, cùm in aliis, tum maximè in ſanctis. Ipſi enim pugnam ſentiunt inter carnem & ſpiritum : Et vbi vehementiores in ſe carnis affectus, & appetitum ſenſitiuum ſentiunt : ibi languet intellectiuus & ſpiritualis appetitus : non quia à carne pendeat, ſed quia ab illa, ne liberiùs verſetur in iis quæ ſunt Dei, impeditur. Vbi verò infirmantur affectus carnis : ibi reſumit vires affectus mentis. Vidit hoc etiam Plato Philoſophus. *Non floreſcit* (inquit) *virtus animi : niſi virtus corporis defloreſcat : Non acuitur mentis acies, niſi corporis acies hebetetur.* Sed longè Auguſtinus in 2. Corinth. 12. *Oblector* (inquit) *in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmor : tunc fortior ſum.* Et quidem in ipſo mortis tempore, reperiuntur ſanctorum mentes fortiores, hilariores, expeditiores, quàm cùm viuunt, & in rebus verſantur ſecundis. Quid hæc obſecro, ſibi aliud volunt, quàm mentem humanam, minimè à corpore pendere ? Alioqui corpore infirmo infirmaretur : & cum eodem robuſto, robuſtior fieret. Contrarium autem experiuntur ſancti. Nam quòd impiis non idem contingat, id ex accidenti fit, & ex alia cauſa, quàm quòd anima ſit à corpore pendens. Non ſentiunt enim in morte ſe fieri firmiores,

quia propter peccata iram Dei concipiunt mentes ipſorum.

Imo inde etiam conuincitur, ipſorum impiorum animos, à materia non pendere corporis: nimirum ab ira Dei, quam in ſua ſentiunt morte. Tunc enim viuidiùs mens operatur, certiùſq; & vehementiùs perſpicit ſua peccata, & iram Dei quàm ante, in bona valetudine. Hoc certè non faceret, ſi à corpore penderet. Si enim moriente corpore, ipſa quoque moreretur; profectò cum ipſo etiam languente, langueret: ægrotante, ægrotaret: infirmato, infirmaretur: viribus deſtituto, viribus deſtitueretur. Atqui contrarium euenit, non tantùm piis: ſed etiam impiis: cum languente & moribundo corpore, ipſorum mentes plus virium recipiunt, ad cognoſcenda peccata ſua; & ad ſentiendam Dei iram atque iudicia. Tunc ergo vel ipſi Philoſophi, qui dum viuerent, contenderunt: Animam formam eſſe à materia corporis pendentem, & inſeparabilem, eóque cum corpore mori: tunc inquam, hoc eſt, in ipſa morte, ſentiunt ſe fuiſſe mentitos; & animam à materia corporis non pendere: idque ſentiunt ab illa animi efficaci operatione, qua meliùs & viuidiùs, quàm vnquam intelligunt vna ex parte Deum eſſe, eúmque vltorem peccati: & ex altera parte, efficaciter ſentiunt ſua ſcelera, in quæ antè ne intuebantur quidem: eóque inde inferunt, ſe iamiam damnatum iri. Fieri nequit, quin ex hac viuidæ animæ operatione intelligant impij, ſe mentitos fuiſſe, cùm animam dicerent, à materia corporis pendere. Si enim animus penderet à materia corporis: non eo certe tempore, tam efficax ipſe eſſet in ſua propria operatione: quo tempore corpus iam viribus omnibus exhauſtum eſt, & penè mortuum.

Præterea, quando vnquam voluntas magis ſe exerit, & ſuas actiones efficaciùs exercet, quàm cùm quis moriturus eſt, agitque animam? Tum enim maxime quiſque vellet eſſe felix ac beatus; hoc eſt, vltimum ſuum conſequi finem: qui eſt ſummum bonum, nempe Deus. Et hæc prima volũtatis operatio communis eſt tam impiis; quàm piis. Deinde tum maximè etiam pij, eligunt & retinent vera media, quæ ad finem ducunt, pœnitentiam ſcilicet & fidem in Chriſtum Impij autem tunc pertinaciores ſunt in illis reijciendis, quàm vnquam. Ergo in ipſa morte, omnes reipſa ſentiunt ab operationibus animæ, animam ipſam minimè eſſe mortalem materiæve immixtam.

Huius autem rei hæc eſt ratio: quoniam quò minùs anima occupatur in officiis vegetatiuæ & ſenſitiuæ facultatis faciendis, eo efficacior fit in operationibus facultatis ſeu partis internis intelligentis præſtandis; vt cognoſcere & velle; quæ ſunt propriæ humanæ mentis actiones. Cur enim ſobrij, & à ſtrepitu, externiſque negotiis remoti, meliùs ſtudemus, contemplamur, aliáque mentis propria opera præſtamus; quàm ſi vel crapula ſimus grauati, vel externis actionibus distracti? Quia tunc anima minùs occupata in officiis facultatis ſentientis ac vegetantis, efficacior eſt in illis actionibus quæ propriæ mentis ſunt. Contrà quî fit, vt cùm ſumus ſtudiis intenti, minùs concoquamus cibos, minúſve corpora nutriantur: & minùs etiam, quæ ſubſunt ſenſibus, ſentiamus? Quia tunc temporis occupatior eſt in actionibus ſuperioris facultatis, nempe intelligentis. Reipſa igitur experimur quotidie, quò minùs occupata eſt anima in officiis inferiorum facultatum, eò efficaciorem eſſe in actionibus mentis. Atqui in morte, minùs occupatur animus in corpore vegetando, & in ſenſuum actionibus. Sicut enim in ſingulis extremis corporis partibus, naturalis calor extinguitur, & humor vitalis exiccatur: ſic anima paulatim ab illis ſeſe ſubducit, propriáſque vires colligit. Ita fit, vt in morituris, cùm mens tota ſit in ſe collecta, efficacius, quæ propria ſunt ſua ipſius opera, præſtet. En cauſſam, cur in ſua quiſque morte, ab operibus mentis, reipſa ſentiat animam minime à materia corporis pendere, eóque ſimul cum corpore non mori quando tum operoſior eſt; quàm ante fuerit mens ipſa. Denique vt Tertullianus monet, ſuam quiſque interroget animam, quid ſit: & audiet intus eam reſpondentem, ſe non eſſe corpus, neque cor, neq; ſanguinem, neque humorum [illegible]. neque formam à materia corporis pendentem: ſed rem omnib. his ſuperiorem, meliorem, efficaciorem, digniorem. Itaque alios nolo teſtes, quàm cuiuſque animam, an ſit corpus, aut forma materiæ corporis mixta, an verò potiùs ſubſtantia incorporea, immaterialis, per ſe ſubſiſtens.

Videor mihi ſatis theſim noſtram de animæ humanæ eſſentia atque natura, non ſolùm apud pios viros teſtimoniis ſcripturarum comprobaſſe: verùm etiam Phyſicis rationibus aduerſus impios non Philoſophos, ſed Philoſophaſtros demonſtraſſe. Animam nimirum, primùm quidem non eſſe nihil, vt Dicæarchus dicebat, præter inane nomen: ſed verè aliquid in nobis eſſe; idque efficax. Deinde, ſi aliquid eſt: eam eſſe aut ſubſtantiam, aut accidens. Non eſſe autem accidens aliquod: ſubſtantiam igitur. Tertiò cùm ſubſtantia ſit, eam eſſe aut materiam, aut formam, aut ex vtraque compoſitum. Non eſſe certe materiam, neque compoſitum: hoc eſt, corpus: Formam igitur. Quartò duplex cùm ſit ſubſtantialis forma, nempe vel materialis, eóque per ſe non ſubſiſtens, vel immaterialis, quæ per ſe ſubſiſtere queat, eam non eſſe ex priori formarum genere: ex ſecundo igitur. Ac proinde, animam veram eſſe ſubſtantiam incorpoream, immaterialem, vere ſpiritualem, pérque ſe ſubſiſtentem.

IX. *Sophiſmatum refutatio.*

Reſtat, vt breuiter præcipua quædam Sophiſmata, quibus multis perſuadetur, animam aut verum eſſe corpus, aut formam ſaltem corpoream ac materialem, quæ per ſe ſubſiſtere ſine corpore nequeat, refutemus.

1. Videmus (inquiunt) liberos naſci, parentibus ſimiles, non ſolùm corpore, verùm etiam naturalibus animæ affectibus, puta ex iracundo patre, iracundum filium: ex laſciuo laſciuum, &c. Fieri autem hoc non poſſet: ſi anima non eſſet res corporea, quæ cum ſemine traducatur. Spiritus enim per generationem non traducuntur. Anima igitur eſt corporea.

Reſp. Qui ſentiunt, animas per traducem propagari: facile ad hoc argumentum reſpondebunt Alij enim admittent, animam eſſe corpoream: alij negabunt, ſpiritus per traducem non propagari. Sed nobis, qui animam neque corpus eſſe concedimus, neque per traducem propagari, aliter reſpondendum eſt.

Principio, negamus ſemper filios naſci parentibus ſimiles, affectibus animi naturalibus. Sæpenumero enim longè diſſimiles parẽtibus, liberos naſci videmus: quemadmodum multis exemplis, ex ipſis etiam ſacris literis demonſtrari facilè poteſt. Quo & illud: *Filij Heroum noxæ*. Itaque inuerti poſſet argumentum: Si animi eſſent corporei, ſemper in liberos, naturales parentum affectus traducerentur. Non fit. Non ſunt ergo.

2. Diſcrimen eſt inter corporis complexionem (vt vocant) ſeu humorum craſim; qua fit, vt quiſque naſcatur vel ad aliquod peculiare vitium: vel ad virtutem aliquam propenſus: Et inter ipſum animi affectum, vel bonum, vel malum. Complexio corporis, eóque & propenſio, quæ ex illa naſcitur: ſæpe à parentibus, in liberos traducitur. Eſt enim res corporea. Sæpe, inquam, quia neque tamen hoc ſemper fit: ſed ipſas propriè animi affectiones traduci negamus. Affectiones enim propriè in animo ſunt, quem per traducem propagari, non concedimus: Sed [illegible]. & quæ inde naſcuntur, propenſiones, in corpore ſunt. Quare damus quidem, liberos ſæpe naſci parentibus, temperamento corporis & propenſionibus ad certa vitia vel virtutes ſimiles: ſed veris animi affectionibus negamus. Hoc eſt, quod alij dicunt, materiam quidem affectionum, puta bilem, quæ materia eſt. vnde ira accenditur, à parentum corporibus in corpora liberorum propagari: ipſam autem affectionem, puta iram, quæ definitur, nil aliud eſſe, quàm appetitus vindictæ, minimè ab animis parentum, in animos liberorum traduci. Proinde hinc non efficitur, animum humanum corporeum eſſe.

3. Admittimus etiam, animos ex coniunctione cum corporibus, infici tum generali concupiſcentiæ morbo; tum illis ſpeciatim vitiorum labibus, quæ ex peculiaribus corporum conſtitutionibus, & (vt vocant) *complexionibus* naſcuntur. Si enim biliosa ſit corporis conſtitutio: quia ex bile accenditur ira, inde ipſe etiam animus inficitur, & ad iracundiam perfacilis fit. Vnde & ex iis ſpecialibus vitiorum labibus, quas à parentib. in filios deriuari videmus: confirmatur totius originalis peccati in totam naturam propagatio. Verùm hinc nunquam efficietur, animam eſſe corpoream. Non enim ipſa ideo à corpore inficitur, quòd & ipſa corporea ſit; ſed quia cum corpore corrupto & contaminato coniungitur: Deo ſic ordinante, ad peccati Adæ vltionem. Itaque ex iis, quæ à parentibus in filios deriuantur: probari minimè poteſt, animos eſſe corporeos ac materiales.

Tertullianus in libro de anima, cõtendit animam ſubſtantiam eſſe corpoream, eóque & per traducem propagari.

Reſpond. Primò: Tertullianus ſolitus eſt, ſicut antiqui etiam Philoſophi, omnem ſubſtantiam, corpus appellare: quòd apud nos, veræ ſubſtantiæ, per ſe ſubſiſtentes, ſint corpora. Hac de cauſſa Deum quoque ipſum vocat *corpus*. Sed non tam imperitus aut impius fuit: vt cum Anthropomorphitis ſenſerit, Deum verè corpus eſſe. Itaque dici poteſt, animam à Tertulliano vocatam fuiſſe corpus: vt oſtenderet, eam veram eſſe ſubſtantiam, per ſe ſubſiſtentem: non autem quod ſit verè corpus; qualia ſunt vel elementorum, vel etiam Cœli. Deinde comparatiuè, hoc eſt, reſpe-

ctu

ctu & comparatione Dei, qui ſimpliciſſimus eſt Spiritus: ipſi etiam Angeli, & animi noſtri, corporei quodammodo appellari poſſunt, & à quibuſdam Patribus ſolent. Aliqua enim compoſitio eſt in Angelis & in animis noſtris, & præterea finiti ſunt; eóque certa illis quantitas attribui ſolet: non eius tamen generis, qualis eſt corporum Phyſicorum quantitas, in materia ſcilicet: ſed longè diuerſa, quia ſc. finiti ſunt. Et tota anima, totum occupat corpus, non amplius, neque etiam minus. Vnde & Auguſtinus librum de quãtitate animæ ſcripſit eruditiſſimum. vbi docet, quænam ſit animæ quantitas. Qua de re non eſt iam diſputandi tempus. Quòd ſi Tertullianus verè ſenſit animam eſſe corpoream, ex materia ſcilicet, & ex forma compoſitam, qualia ſunt omnia corpora: ſententiam illius non admittimus: quia cum verbo Dei conſentanea non eſt. Vbi ea vocatur ſemper, aut *ſpiraculum vitæ*, aut *ſpiritus*; nunquam autem *corpus*: cùm neque ex materia illa prima, vnde omnia ſunt facta, facta fuerit. Atque hæc ad Tertullianum ſatis. Certum eſt. Tertullianum in eo dogmate de anima, non eſſe ſimpliciter & per omnia admittendum. Nam contendit etiam, animam formam habere ſimilem ſuo corpori. Et vnde probat hoc? Ex viſione cuiuſdam fœminæ, quàm ait ſuo tempore, in Eccleſia Dei, donatam fuiſſe ſpiritu videndi arcana & cæleſtia. Legatur caput *de effigie animæ*, pag. 645.

4. Sunt, quibus abſurdiſſimum eſſe videatur dicere, animam eſſe ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem: propterea quòd ſi ita ſe res haberet, eſſet anima τόδε τι. Non videtur autem eſſe poſſe τόδε τι: cùm ſit forma ſimplex: τόδε τι autem, de compoſito ex materia & forma dicatur: vt homine, ex anima & corpore compoſito.

Reſpond. Bifariam capitur τόδε τι: aliquando pro quauis re, verè ſubſiſtente: etiamſi pars alicuius ſit compoſiti. Sic manus per ſe eſt τόδε τι: ſic ſingula corporis membra. Non enim ſunt accidentia, aut formæ materiales, quæ à corpore humano ſeparari nequeant, & per ſe ſubſiſtere: ſed membra per ſe ſubſiſtentia. Atque hoc etiam modo anima, licèt forma ſit corporis: quia tamẽ forma eſt minimè à materia corporis dependens, ſed pars eſt humanæ ſpeciei, non minùs quàm corpus: idcirco & ipſa, non minùs quàm corpus, meritò τόδε τι & eſt, & dici poteſt. Alio modo τόδε τι prędicatur de toto ipſo duntaxat compoſito, in aliqua ſpecie perfecto atque completo. Sic totum duntaxat corpus humanum, quatenus organicum & humanum, illúdque perfectum corpus eſt: non autem manus vel pes, τόδε τι eſſe dicitur. Sic ſolus tantùm homo in humana ſpecie, ex anima & corpore conſtans, τόδε τι eſt: Non autem ſola anima, aut ſolum corpus. Quoniam neque ſola anima, eſt homo, neque etiam ſolum corpus. Itaque abſurdum non eſt, diuerſis reſpectibus, animam & eſſe, & eſſe τόδε τι. Eſt certè, quatenus à materia corporis non pendet, ſed per ſe ſubſiſtit. Non eſt quatenus ipſa ſola, non eſt homo, ſed pars hominis.

Atque hæc diſtinctio retinenda eſt diligenter: quoniam facit etiam ad diluenda Sophiſmata Arianorum, contra tres perſonas per ſe ſubſiſtentes: & vnam omnium οὐσίαν, quæ vnus eſt duntaxat Deus. Si enim Deus eſt vnus (inquiunt) & vnum τόδε τι: quomodo igitur ſingulæ perſonæ, ſunt per ſe ſubſiſtentes. & τόδε τι? Singulæ ſunt ceu partes (ſi ita nobis de imperueſtigabili illa Trinitate loqui liceat) Dei vnius eſſentiales: ideo hoc reſpectu, vnaquæque eſt τόδε τι, ſicut & anima eſt vnum τόδε τι & corpus alterum. Omnes autem ſimul, vnus tantùm ſunt Deus, non plures: ſicut anima, & corpus, vnus tantùm homo. Ideò hoc reſpectu ſunt vnum τόδε τι.

CAPVT III.

De partibus & potentiis animæ: quæ eſt altera de anima quæſtio.

IN hac altera quæſtione diſputandum diu nobis non fuerit, ſed breuiter, quot & quænam ſint animæ partes atq; potentiæ, explicandum. Eſt autem hæc quæſtio cognitu neceſſaria: tum ad naturam animæ plenius cognoſcendam: tum etiam ad percipiendas ipſius vires atque actiones, quarum actionum cauſa data nobis eſt à Deo. Neque verò varias Philoſophorum partitiones commemorabo: ſed ſimpliciter veram explicabo ſententiam, eámque etiam magis receptam. Hæc igitur eſto

THESIS I.

Quæ in tribus viuentium generibus, tria ſunt animarum genera: hæc in vno homine, tres ſunt eiuſdem animæ partes: quæ & δυνάμεις, ſeu facultates animæ appellantur: vegetatiua, ſenſitiua, intellectiua.

Explicatio & confirmatio.

HAbet enim tria, θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, καὶ διανοητικὸν Ariſtoteles 2. *de Anima cap.* 2. *&c.* vocat & animas ψυχὰς: & partes animæ, τὰ μόρια τῆς ψυχῆς. & verò etiam δυνάμεις: ſed variis id reſpectibus. Si ſeorſim in diuerſis viuentium generibus conſiderentur, tria animarum genera ſunt, vnum in plantis, alterum in brutis, tertium in hominibus. Si verò in homine ſimul: tres ſunt partes eiuſdem animæ. Quatenus verò his, varias vitæ actiones exercemus, δυνάμεις ſunt & facultates animæ. Sunt igitur animæ humanæ partes.

Cæterùm, cùm vocamus partes, eſſentiales intelligimus partes: ac proinde, quæ ab anima ipſa non differant τῷ εἶναι, ſed tantùm τῷ λόγῳ. His enim partibus eſſentialibus tota conſtat anima: ita vt anima, ſic hæ ſuæ partes: & hæ partes, ipſa anima, τῷ εἶναι: quemadmodum etiam in libris *D. tribus Elohim* & vno Iehoua declarauimus. Scio permultos alios, aliter ſentire: nempe has partes qualitates potius eſſe animæ, vel medium quiddam inter ſubſtantiam & accidens: non autem partes propriè eſſentiales: Sed cur potius ſententiam alteram complectar: his adducor rationibus. Primùm, quòd Ariſtoteles eas vocat *partes animæ*. non certè ἀνομοιομερῶς, ſed ὁμοιομερῶν. Anima eſt ſubſtãtia. Omnis autem pars ſubſtantiæ, ſubſtantia eſt: vt omnis pars aquæ, aqua. Eſſentiales igitur ſunt partes. Deinde quod hæ tres partes, ſeorſim in variis viuentium generibus, tres ſunt animæ inter ſe diuerſæ. Anima autem quæque ſubſtantia eſt. Etſi igitur in homine, non ſunt tres animæ: tres tamen ſubſtantiales animæ partes ſint oportet. Poſtremò: idem Ariſtoteles ait, *animam eſſe principium illud, quo viuimus, ſentimus, intelligimus primò.* Anima autem ſubſtantia eſt. Atqui θρεπτικὸν, eſt principium, quo nutrimur & viuimus: αἰσθητικὸν principium quo ſentimus: & νοητικὸν, principium, quo intelligimus. Fieri igitur nequit, quin hæc tria in homine, licèt tres animę non ſint, tres ſaltem ſint eſſentiales partes, eiuſdem animæ. Neque defuerunt, deſúntve viri docti, qui hanc eandem tueantur ſententiam: ſicut etiam Aquinas teſtificatur. Doctrina hæc, doctrina fuit D Auguſtini, quemadmodum abundè oſtendit Gregor. Arimineuſis, in 2. Sent. diſtinct. 16. & 17. q 3. art. 1. Ex variis enim Auguſtini dictis ſententiam hanc collegit, & grauiſſimis additis rationibus confirmauit. Secutus eſt eandem & Scotus. Et Aquinas cum ſuis, licet potentiales potiùs partes, appellet, quàm eſſentiales, talia tamen argumenta affert pro altera ſententia, ad quorum nonnulla an verè & ſolidè reſponderit, néc ne, iudicent viri docti: mihi certè non videtur. Sunt & alij viri eruditi, tum in Germania, tum extra Germaniam: qui nobiſcum ſentiunt: quos recenſere non eſt neceſſe. Iacobus certè Schegkius, Philoſophus in Germania non poſtremus, non aliter dici poſſe contendit. Ac Toleto quidem Ieſuitæ, qui quæſtionem hanc multis explicauit, licèt Thomæ ſententia probabilior eſſe videatur, ita tamen hanc ſequitur, vt alteram nullius damnet hæreſeos. Non eſt igitur ſententia noſtra, vel noua, vel ſingularis, vel hæretica. Eò verò libentiùs hanc de partibus eſſentialibus ſententiam ſequor, quàm alteram: quòd hac retenta, myſterium illud de tribus perſonis, & vna eſſentia in Deo, ſimilitudine animæ noſtræ, clariùs explicatur, & faciliùs à nobis, quantum in hoc ſeculo fieri poteſt, percipitur. Sed adde, quod de Ariſtotelis ſententia, aliter dici non poteſt. Is enim illa τὰ μέρη comparat numeris & figuris, & ait: *in ſenſitiua contineri vegetatiuam, tanquam vnitatem in binario: & in intellectiua vegetatiuam, & ſenſitiuam contineri, tanquam binarium, in ternario: non quòd ſint tres numeri: ſed quòd vnius numeri ternarij, tres ſint partes.* Quales? An non verò eſſentiales? Si quis tamen malit Thomæ ſequi ſententiam, per me licebit. Mihi ſatis eſt oſtendiſſe ex ipſo etiam Ariſtotele, θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, καὶ διανοητικὸν, ſicut in variis viuentium generibus, tres ſunt animæ, inter ſe diuerſæ, ſic in vno homine, veras eſſe eiuſdem animæ partes. Non ſunt autem partes diſſimilares, vt ſunt humani corporis membra, caput, brachia, &c. Similares igitur cóſque eiuſdem inter ſeſe, & cum tota anima eſſentiæ. Ne quis verò miretur: quòd cùm quinque fieri ſolent animæ potentiæ, vegetatiua, ſenſitiua, locomotiua, appetitiua, & intellectiua, nos tres tantum faciamus. Hic enim ſpectamus, quæ propriè partes ſint animæ, & primæ δυνάμεις quibus diuerſa conſtituuntur animorum genera. Hæc certè tantùm ſunt θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, & διανοητικὸν, vt diximus. Verùm cum ipſa vegetatiua, & multò magis cum ſenſitiua, vim appeti-

tiuam coniungimus: Cum ſenſitiua autem locomotiuam. Hæc enim in omnibus animalibus perfectis, vt in homine, de quo agimus: cum ſenſitiua coniuncta eſt. Sic Plato fecit in Timæo, in lib. de Rep. & alibi. Tres enim tantùm in partes diſtinxit animæ facultates, ſicut & Ariſtoteles tria tantùm fecit animorum genera. Sed diuerſis vſi ſunt vocibus. Nam quod Ariſtoteles vocat θρεπτικὸν: Plato appellauit ἐπιθυμητικόν: & quod Ariſtoteles ὀρεκτικὸν, hoc vocauit Plato θυμὸν & θυμοειδῆ, qui coniungit locomotiuam facultatem. Ac quod Ariſtoteles διανοητικὸν, Plato λογικὸν nominauit, à quo non ſeparatur voluntas. Ergo non immeritò, hæc tantùm tria, quibus tria tantùm animarum genera conſtituuntur, eſſentiales animæ partes vocamus. Nã locomotiua, facit nouum animæ genus. Eſt etiam hæc partitio magis conſentanea ſacris literis. Vbi videmus, viuentia omnia, in plantas, in beſtias, & in homines diuidi. Ac proinde animam diſtingui in has tres facultates, vegetantem, ſentientem, intelligentem. Ita optimè conſentiunt hæc inter ſe: nempe tria tantum eſſe animarum genera, eóque tres tantùm in homine eſſentiales animæ partes: & tamen quinque etiam eſſe potentiarum genera, vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, locomotiuum, & intellectiuum.

THESIS II.

II. Varia autem ſunt cuiuſque partis animæ vires, atque potentiæ.

EXPLICATIO.

VAria effecta, quæ ab vnaquaque partium animæ præſtari videmus, apertè docent, varias eſſe cuiuſque vires ſeu potentias. A vegetatrice enim videmus corpora ali, viuificari, augeri, cibos attrahi, retineri, alterari, fæces expelli. Vita igitur habet altricem, attractricem, retentricem, alteratricem, expultricem. A ſenſitiua autem parte, videmus percipi colores, ſonos, odores, ſapores, calidum, frigidum, humidum, ſiccum: & alia id genus. Habet igitur vires diuerſas. Idem de intellectiua dico, vt fuſius poſt explicabitur. Nam varia quoque ſunt cuiuſque facultatis obiecta. Ergo, ſi potentiæ per actus, & actus, per obiecta diſcernuntur, manifeſtum eſt: Deum cuique parti animæ noſtræ, varias dediſſe vires: quas etiam *potentias naturales* appellamus, vt his diuerſa vitæ officia præſtare poſſimus. De ſingulis igitur breuiter dicam: Ac primùm de vegetatiua, tanquam communiore, déque omnibus eius viribus: Poſtea de ſenſitiua, ac demum de intellectiua.

De Vegetatiua.

THESIS III.

Θρεπτικὸν, ſeu facultas vegetatiua in homine, pars eſt animæ humanæ, eſſentialis: quia homo, hominúmve corpus viuum conſeruatur, augetur: & ſimile ſibi in ſpecie generare poteſt.

SVnt enim hæc prima ac præcipua vegetantis partis officia. Nam in plantis, vbi θρεπτικὸν, eſt anima, formáque talis corporis, hæc omnia ſpectantur: Viuentes enim nutriuntur, & nutriendo viuunt, augentur, & ſimile ſibi generant. Ergo licèt anima in nobis hæc agat omnia, per partem tamen eam, quam *vegetatricem* vocamus, agit, non per ſenſitiuam aut intellectiuam. Si autem hæc omnia in nobis proficiſcuntur à parte vegetatiua: efficitur in parte vegetatiua, ineſſe vim nutriendi, & nutrimento vitam conſeruandi, augendi item & generãdi. In officio autem nutriendi, videmus hæc omnia fieri: cibum ſcilicet attrahi, retineri, alterari: & quicquid inde alimenti extrahi potuit, per omnia membra diſtribui: fæces autem & excrementa expelli. Ergo in parte vegetatiua vires inſunt, hæc omnia faciendi. Sequitur

THESIS IV.

Partis vegetatiuæ, tres primæ ac præcipuæ, ſunt facultates, altrix, auctrix, generatrix.

ALtrix eſt, quæ corpus viuens, nutrimento neceſſario, & ei congruente alit, & alendo vitam in eo conſeruat. Facit autem hoc, cibum attrahendo, retinendo, alterando, & fæces expellendo, alimentum verò ſingulis corporis partibus communicando: quæ omnia, vno *nutricationis* vocabulo ſignificantur: vnde & facultas ipſa θρεπτικὴ appellatur. Ad hanc verò nutricationem faciendam, ordinauit Deus, & dedit huic facultati membra corporis accommodata, quæ ſunt os, cum dentibus & lingua: ventriculus, venter, inteſtina, iecur, cor, venæ, arteriæ, ſplen, & renes. Ad varias enim concoctiones faciendas, & ad diſtribuendum ſingulis corporis partibus alimentum: omnia iſta membra erant neceſſaria. Sæpius enim voluit Deus cibum concoqui, antequam in noſtram conuerteretur ſubſtantiam in ventriculo, in iecore, in corde, in venis, in ſingulis membris: *in quorum ſubſtantiam ſeſe conuertit ſanguis.* Ideò eleganter Plato in Timæo, eam partem, quę eſt in ventriculo vſque in vmbilicum, & vbi cibi concoquuntur: vocat *præſepe animæ*, ad totius corporis alimoniam ordinatum. O magnam Dei bonitatem! Quid verò hinc ad ſalutem animæ colligimus? Multum per omnem modum. Si ad nutriendum corpus, eóque ad vitam in eo conſeruandam, tot animæ viribus, & tot corporis membris, tot denique concoctionibus, opus fuit: Quid igitur miramur, ſi ad alendam animam, & ad vitam ſpiritualem in ea ſuſtentandam tam multa, tamque varia ordinauit Deus media, tum interna, tum externa? Verbum, ſacramenta, fidem, qua cibum recipiamus, id eſt, verbum: varias item cruces, quibus maceratur cibus: denique Spiritum Sanctum, cuius calore concoquatur, & in nutrimentum animæ conuertatur. Magna enim ſimilitudo eſt inter ea, quæ fiunt, ad conſeruandam vitam in corpore, & inter ea, quæ fiunt in anima ad eius vitam itidem ſuſtentandam. Sicut & Chriſtus oſtendit, Iohann. 6. Vbi exemplo manducationis & nutritionis corporalis, quomodo ipſa ſpiritualis fiat, docuit: Hæc de prima vegetatiuæ partis facultate ſatis.

Altera eſt facultas *auctrix*. Hac corpus animatum, ab exortu ſuo, ſemper augetur, donec ad præſcriptam illi à Deo magnitudinem & quantitatem promoueatur. Ac tum inclinante ætate ad ſenectam: efficitur, vt paulatim etiam corpus ipſum imminuatur, marceſcendo & exiccando: vt tum maximè meminerimus, eò redeundum nobis eſſe, vnde venimus: nempe corpore in terram, anima ad Deum. Eodem autem alimento fit augmentum corporis, quo etiam nutricatio. Ex quibus enim quodque animatum nutritur, ex iiſdem etiam augetur, quàm diu poteſt. Nutrimur autem cibis, qui omnes ex quatuor conſtant Elementis. Ex quibus enim conſtat corpus animatum: iiſdem etiam alitur. Sic eodem ſpirituali cibo, fit augmentum animæ ſpirituale: & ea creſcit in virum perfectum, donec perueniat ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti, vt docet Apoſtolus ad Epheſ. 4. Ac ſicut augmentum corporum, non idem eſt in omnibus, cùm alij fiant grandiores, robuſtiores, craſſiores, alij minùs: ita non idem ſpirituale fit incrementum in omnibus piis: cùm alij plus, alij minus in pietate proficiant. Vnde verò hæc differentia? Inde ſane, quod bonis cibis alij minùs, alij magis aluntur. Non etiam omnes æquè bene concoquunt cibos. Idem contingit animis noſtris. Cibus ſalutaris eſt Euangelium. Fide igitur recipiendum, & bene concoquendum eſt, alioqui nutricatio non fit, neque augeſcimus in virum perfectum. Ac ſicut quotidie opus eſt cibo, corpori conueniente, ad ſuſtentandam in ipſo vitam, & ad augmentum faciendum: ſic animæ ſuo cibo opus eſt.

Porrò certa corporis organa, non ſunt huic facultati, ad incrementum faciendum deſtinata, neque aliæ vires præter illa & illas, quæ etiam facultati Altrici. Fit enim augmentum in ſingulis corporis membris, pro rata proportione, ſicut etiam omnia nutriuntur.

Tertia facultas eſt *generatrix*. Voluit enim Deus, vt cùm ſingulis nobis moriẽdum ſit, humanum genus in liberorum procreatione conſeruaretur. Vnde & benedicendo dixit: *Fructificate, augeſcite*, &c. In hunc igitur finem, parti animę, quam *vegetatricem* vocamus, indidit vim ſibi ſimile in ſpecie generandi. Hæc vis, *facultas generatrix* appellatur. Porrò, hanc vim eſſe facultatis vegetatiuæ propriam, liquet itidem ex plantis, quæ licèt careant facultate ſentiẽte; gignunt tamen fructus, & ſibi ſimiles plantas, ex ſuis ſeminibus. Cæterùm; ſicut facultati Altrici, ſua certa aſſignauit Deus in corpore membra & organa, per quæ ſuum faciat officium: ſic etiam Generatrici, ſua: & huius etiam rei cauſſa in vnaquaque animalium ſpecie fecit maſculum & fœminam. Singulare verò, & verè diuinum eſt hoc beneficium, quo effecit, vt nos quodammodo ſimus hominum creatores, dum nobis vim hanc, ſimile in ſpecie generãdi, communicauit. Sic in negotio pietatis, vt Eccleſia conſeruetur in Mundo, vtitur nobis Deus, tanquam ſuis inſtrumentis & organis ad homines regenerandos, & quaſi ad procreandos ipſius filios; per Euangelij ſcilicet prædicationem. Quò pertinet illud Apoſtoli. *Ego per Euangelium vos genui:* & vbi ſe vocat *patrem Corinthiorum*. Sicut autem *altrix* facultas in ſuo officio faciendo, habet vim attrahendi, retinendi, alterandi, expellendi: ſic & Generatrix,

trix, triplicem habet vim, quam vocant *ſeminatricem, immutatricem, formatricem*: de quibus exactè diſſerere noſtri non eſt inſtituti.

Hæ ſunt primæ ac præcipuę facultates partis vegetatiuæ: *Altrix* ſcilicet, *Auctrix* & *Generatrix*. Ex quibus colliguntur fines, in quos data ſit animæ noſtræ hæc pars, atque huic parti, illæ vires: nempe, primò, ad vitam in corpore (vt modò explicatum eſt) vſque ad præſcriptum à Deo tempus, per nutricationem ex congruente alimento, conſeruandam. Secundò, ad idem corpus, ad præſcriptum illi incrementum, eodem alimento, deducendum. Denique ad liberos procreandos, eoque ad genus humanum, continua liberorum generatione, conſeruandum. Non ſine cauſa autem dixi in Theſi, *has tres eſſe primas ac præcipuas partis vegetatiuæ facultates*: quibus ſcilicet ſua omnia perficere poſſit officia iis: quia iis adiunctas habet alias vires, ſicut explicauimus: tam in Altrice quàm in Generatrice.

Illud quoque prætereundum non eſt, vim ſeu facultatem appetitricem, cum ſingulis animę partibus eſſe coniunctam. De parte ſenſitiua & intellectiua nemo dubitat: cùm in ea ſit appetitus, quem *ſenſitiuum* vocant, in hac autem, ſuus intellectiuus: quem vocamus *voluntatem*, de quibus ſuo dicemus loco. Verùm ipſa quoque pars vegetatiua, ſuam quandam habet naturalem appetentiam, tum cibi, quo corpus nutriatur, viuum conſeruetur, augeatur: tum etiam ſimile ſibi in ſpecie procreandi. Significauit hunc in parte vegetatiua appetitum Plato: tum id quod Ariſtoteles vocat θρεπτικὸν, ille vocauit ἐπιθυμητικόν: ſicut etiam, quod Ariſtoteles appellat ὀρεκτικὸν, ille θυμὸν & ἐπιθυμίαν: & quod vnus διανοητικὸν, alter vocauit λογιστικόν. Proinde cum appetitus in ſingulis ſit animæ partibus: nolui ex hoc peculiarem facere animæ facultatem. Ipſa vero locomotiua cum parte ſenſitiua coniuncta eſt, vt paulo poſt dicemus. Ita manent tres animæ partes. θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, διανοητικόν: quarum vnaquæque ſuas habet facultates & vires. Atque hactenus de vegetatiua, deque ipſius facultatibus & viribus: ac proinde in quem finem data illa nobis ſit. Sequitur poſtrema theſis de huius facultatis præcipuo vſu.

THESIS V.

Præcipuus vegetatiuæ partis finis, eſt vita in animato corpore, vſque ad tempus illi à Deo præſcriptum, conſeruatio.

HVnc eſſe præcipuum eius vſum & finem, nemo dubitat: id quod vel ipſum nomen vegetatiuę apertè docet. Vegetare enim eſt (vt omnibus notum eſt) vegetum, hoc eſt, viuum, ſanum, atque incolumem tueri & conſeruare. Idem ſignificat vox Græca. A θρέφω enim eſt θρεπτικόν: illud autem ſignificat *nutrire*, alereque ad vitam conſeruandam.

Notandum igitur eſt, totam animam, cauſſam eſſe vitæ efficientem in humano corpore, ſua præſentia. Sic enim non ſolum docent Philoſophi, ſed etiam ſcribit Moſes. *Simulac enim Deus inſufflaſſet in corpus Adæ ſpiraculum vitæ*: ait Moſes: *factum illud fuiſſe in animam viuentem*, id eſt, viuum: animæ illius præſentia. Nam à contrario, cùm primùm recedit à corpore anima, vita priuatur corpus. Eſt igitur anima, cauſſa vitæ efficiens ſua præſentia. Ita enim agit, mouet & afficit corpus: vt illud ſuſtentet, & ad omnes vitæ actiones agat. Quid eſt autem vita corporis aliud, quàm perpetua quædam animæ in corpore agitatio, qua corpus per ſe alitur & augetur? Quod Cicero dixit, animam eſſe ἐνδελέχειαν, id eſt, continuatam quandam & perennem motionem, id propriè eſt vita ipſa, animæ effectus. Eſt igitur anima tota, cauſſa vitæ efficiens. Sed pars animæ vegetatiua, illud propriè eſt, quo vita in corpore conſeruatur. Quónam pacto? Explico. Materia enim vitæ, eſt calidum & humidum inter ſe temperatum: quorum vnum ſe habet vt agens, nempe calidum: alterum vt patiens, nempe humidum. Agit enim calidum in humidum: ſicut in candela accenſa apparet: & inde fit, vt lux lucisque agitatio, ac ceu vita candelæ conſeruetur. Proinde, ſicut etiam ſcriptura docet, anima, id eſt, vita, in ſanguine eſt: quia ſanguis, vtpote calidus & humidus, materia eſt vitæ, cuius tamen efficiens eſt anima. Cum hoc ita ſe habeat: ſi vita conſeruari in corpore debeat: neceſſe eſt, vt materia hæc vitæ, in corpore conſeruetur, ſicut humidum in laterna. Quia verò humidum perpetuò conſumitur, calore in illud ſemper agente: & quia calor viciſſim, deficiente humido, deficit, ſicut videmus in laternis, in quibus ſi deficiat oleum, deficit etiam flamma & calor: idcirco neceſſe eſt, vt aliunde ſemper humidum ſimile priori, humidum ſcilicet calore temperatum ſuppeditetur. Hoc ſuppeditatur ab alimentis quæ ex quatuor elementis cum conſtent, ſicut & corpora noſtra, ſuum habent & calidum & humidum. Cæterùm quia Elementa per ſe ſunt craſſa & fæculenta, vt permeare per venas & per totum corpus, eoque congruum corpori humidum ſuppeditare non poſſint: idcirco vt & terantur & defæcentur, & coquantur ac concoquantur in corpore ipſo, neceſſe eſt, ſicut omnibus manifeſtum eſt. Sic enim ordinauit Deus. Quid verò illud eſt à quo cibi ſumuntur, retinentur, coquuntur, & pulſis fæcibus in humidum vitæ conſeruandæ commodum, conuertuntur? Pars animæ vegetatiuæ, ſicut ſupra explicatum eſt: ſeu ipſa anima, parte ſua facultateque vegetatiua ſeu θρεπτικῇ. Apparet igitur, proprium huius partis finem & vſum eſſe, vt per hanc vita in corpore animato conſeruetur. Huc ordinata ſunt omnia eſculenta & poculenta. Huc etiam ſpectant ea organa, quæ cibis ſumendis, terendis, retinendis, concoquendis, defæcandis, per totum corpus tranſmittendis, deſtinata à Deo fuerunt, de quibus ſuprà diximus. Huc ordinati ſunt motus cæleſtes, atque inprimis Soli, & Lunæ, ad humidum ſcilicet & calidum in corporibus ſeruandum, eoque ad vitam in nobis cuſtodiendam.

Sed hic luculentiſſimè cernitur, & palpatur Dei prouidentia: Deum ipſum, cauſam eſſe primam vitæ noſtræ ſua voluntate. Qui enim fit, quòd cùm anima immortalis ſit, & licet ſemper optimum ex cibis optimis humidum corpori ſuppeditet, non tamen ſemper, ſed vſque ad certum duntaxat tempus, vita conſeruatur? Certè ſi igni accenſo, ſemper ligna ſuppedites commodè, nunquam extinguetur. Cur non idem nobis contingit? Neque enim virtus animæ, & facultas vegetatiua deficere poteſt ſua natura: vnde etiam à corpore ſeparata anima partem hanc non amittit. Fac enim vt anima redeat in corpus, confeſtim illud videbis à vegetatiua foueri. Neque etiam valet ſi dicas, ideo hoc fieri, quia corpus ex contrariis compoſitum eſt. An non & ante peccatum ex contrariis erat compoſitum? Ex eſu tamen fructus arboris vitæ, potuiſſet vita perpetuò in corpore illo conſeruari. Quid igitur cauſſæ eſt, cur id non fiat? Cauſſa eſt, quia Deus non vult, vt hic perpetuò aut diu viuamus. Hoc ſcriptura apertè docet: non ſolum cùm ait propter peccatum vnius hominis ingreſſam eſſe mortem in Mundum: ſed ſpeciatim cùm ait ad Hebr. 9. *ſtatutum eſſe omnibus ſemel mori*. A quo verò ſtatutum hoc eſt? A Deo. Prima igitur vitæ cauſſa, & efficiens & conſeruans eſt Deus. Vnde Apoſtolus Act. 17. *In ipſo viuimus*. Interim dum vult nos viuere: vtitur his cauſſis ſecundis, de quibus diximus: & omnia media congrua ſuppeditat: efficitque vt pars animæ vegetatiua ſit efficax. Cùm autem vult nos mori; efficit, vt natiuus calor variis modis extinguatur, quo extincto, anima diſcedit à corpore.

Eſt autem ſedes huius caloris, eoque & vitæ ipſum cor. Quàm diu enim talis calor in corde ſeruatur, & eo cor mouetur, tam diu etiam vita conſeruatur: etiamſi reliqua omnia membra frigeſiant. Sed corde hoc calore deſtituto, & à motu ceſſante, mors confeſtim ſequatur neceſſe eſt. Hinc autem vult nos diſcere Deus, idem animis noſtris euenire. Quàm diu Chriſtus vera vita, calore ſui ſpiritus, habitat in cordibus noſtris, eaq; agit & mouet, de vita noſtra dubitandum non eſt. Sed deſinente calore Spiritus Chriſti, & eo ceu extincto, noſtra in peccatis pertinentia & infidelitate, de vita actum eſt. Eòdem referenda eſt iuuentus & ſenecta, quò & vita & mors: nempe non tam ad facultatem vegetatiuam, quæ efficacior eſt initio, & deinde remittit efficacitatem, quàm ad Deum ipſum, qui ſic conſtituit: vt inter initium vitæ & finem, ſint interiecti hi duo diuerſi ſtatus, iuuentutis & ſenectutis.

Iuuentus inchoatur ab exordio animati corporis: & portenditur ad maturitatem vſque eiuſdem: facultate vegetatiua ad illud vſque tempus efficaciſſimè agente, viréſque ſuas exerente. Senectus autem, inde incipit, ad interitum ſemper declinans: facultate vegetatiua, vires ſuas remittente: ipſa tamen incorruptibili permanente. Verùm vnde hoc, niſi à Deo, qui conſtituit cuique animanti certum tempus, quo viuidiùs valeat, creſcat & fortius ſit: & aliud, quo ſemper paulatim declinet ad interitum? Sed ad vtrumque ordinata eſt facultas animæ vegetans: vt certo ſtatóque tempore efficaciter agat in corpore, & alio paulatim vires remittat. Huic autem Dei mandato atque ordini obtemperat illa. Hinc iuuentus, hinc ſenecta, hinc vita & mors. Ac de parte vegetatiua ſatis.

III. De parte Animæ ſenſitiua.

EST hæc pars longè dignior priore: non quoad eſſentiam, quia vna & eadem eſt omnium animę partium eſſentia: ſubſtantia ſcilicet incorporea immaterialis, vt ſuprà dictum

eſt, ſed nobilior & dignior dicitur & eſt, tum reſpectu plurium ac multiplicium virium, quæ in hac ſpectantur, quàm in illa: tum ratione nobiliorum actionum, quas præſtat ſenſitiua; non autem vegetatiua: tum gratia obiectorum & finis, ſicut in explicatione huius partis apertè videbimus. Nam etiam iiſdem de cauſis nobiliſſima aliaꝶ in duarum partium eſt intellectiua. Vnde & ab intellectiua ac ratiocinante homines; à ſenſitiua omnia animalia; à vegetatiua, viuentia tantùm denominantur. Ergo & æquum & vtile fuerit, ſi quæ ad hanc partem pertinent, facultates & vires explicentur diligenter, ſed tamen breuiter. Dicam autem primùm, de ipſa parte ſenſitiua, quid ſit. Deinde de eius facultatibus & viribus. Poſtremo, quæſtiunculæ quædam paucis explicabuntur. Hæc breuis explicatio, ad omnium & ſingulorum ſenſuum cognitionem pernecesſaria eſt.

THESIS I.

Αἰσθητικὸν in homine, eſt ea animæ pars, eſſentialiſve facultas: cuius viribus, quæ ſunt extra nos poſita, per aliquod corporis organum ſeu partem percipimus atque comprehendimus: ad ſalutem tum corporis, tum ſpiritus nobis tradita.

EXPLICATIO & CONFIRM.

OMnes huius deſcriptionis particulæ perſpicuæ ſunt. Differentia inter hanc & vegetatiuam, ab obiecto petita, inde apparet, quod vegetatiua in iis, quæ intus ſunt, occupatur, nempe in cibis capiendis, retinendis, coquendis, defæcandis, diſtribuendis: & denique in vita, intus in corpore conſeruanda. At ſenſitiua verſatur in percipiendis iis, quæ extra nos ſunt. Deinde vegetatiua percipit cibos craſſè, eorum ſcilicet ſubſtantiam. At ſenſitiua quodammodo ſpiritualiter: dum ſpecies tantùm ſeu imagines rerum percipit, non ſubſtantias ipſas. Finis item diuerſus eſt. Data eſt vegetatiua, in hunc præcipuum finem, vt alatur corpus cibis, qui ingeruntur in ventriculum, per eum concoctis, & in ſubſtantiam corporis conuerſis. At ſenſitiua in ſalutem non ſolum corporis: ſed etiam animæ. Corporis quidem, quia per hanc diſcernuntur cibi, quinam ad valetudinem valeant, qui non valeant, quæ aduerſa immineant, quæ non immineant. Animæ verò: quoniam præter alia ſenſibus percipimus, tum opera Dei, per quæ intellecta, vt eſt Rom. 1. cognoſcitur Deus: tum maximè verbum Dei, ex cuius auditu fides gignitur, hac autem ſalui ſimus.

Notandum præterea diſcrimen inter ipſam partem animę, & eius vires. Ipſa, ſubſtantialis eſt, quia ſubſtantialis animæ pars eſt, eóque materiæ corporis annexa non eſt. Vires autem ſunt ipſi cumprimis ſenſus tam externi, quàm interni, ab ipſa parte ſenſitiua, corpori affixi: vt vis viſoria, oculis: auditoria, auribus, &c. Hinc fit: vt licèt ipſa pars ſenſitiua & vegetatiua, non minùs quàm intellectiua, per ſe ſubſiſtant, & immateriales atque à corpore ſeparabiles immortaléſque ſint: ipſi tamen ſenſus, non ſubſiſtant per ſe, ſed radices quidem in anima habeant: actiones verò ceu fructus ſuos in organis corporeis: & ideo etiam cum corpore pereunte, ipſi euaneſcunt. Anima enim à corpore ſeparata, non videt ampliùs, neque audit, neque odoratur, ſed tamen poteſt adhuc, ſi corpori denuo coniungatur, videre, audire, edere, &c. Vt in exemplo animæ Chriſti, Lazari & aliorum, poſt reſurrectionem, manifeſtè apparet: quia virtus ſenſuum ab anima non ſeparatur. Hinc ergo ſequitur altera theſis.

THESIS II.

Senſus, vis eſt partis ſenſitiuæ, qua per aliquod corporis organum ad id accommodatum, ſingulas quaſque res extra nos poſitas, ſenſibúſque expoſitas, & per medium aliquod in ſenſus perlatas percipimus atq; diſcernimus, ad ſalutem tum corporis, tum animæ.

EXPLICATIO.

DEfinitio hæc, cuique ſenſui conueniens, ex iis quæ dicta ſunt, perſpicua eſt, modò quædam breuiter explicemus, quibus cognitis, nihil præterea credo, deſiderari poterit. Deus, ad hoc vt poſſemus res etiam extra nos poſitas percipere, ordinauit quædam in nobis percipientibus: quædam extra nos, quæ aut percipiuntur: aut res percipiendas ad nos deferunt. In nobis ſunt primum *οὐσία*, hoc eſt, ipſa ſenſitiua animæ pars, ſecundò, *δύναμις*, hoc eſt, eius vis, organo communicata, qua fieri poſſit ſenſatio. Tertiò, ipſa *ἐνέργεια*, huiuſce *δυνάμεως* actio. Quartò, organum, per quod recipiatur obiectum. Extra nos vero ſunt obiecta, quæ ſenſibus percipiantur, & medium aliquod, per quod obiecta ad ſenſus perferantur: vt in viſu, aer luce illuſtratus, per quem colorum imagines ad oculum perferantur, atque ita de reliquis ſenſibus. Neque enim propriè colores ab oculo percipiuntur, ſed colorum imagines. Nam ſicut ſigillum, dum premit ceram, non recipitur ipſum in cera, ſed eius imago; ſic etiam obiecta ſenſuum externa, dum percellunt ſenſus, non recipiuntur ipſa, ſed ipſorum imagines. In Cœna Domini, duo ſunt actionum genera: alia partis ſenſitiuæ, dum audimus verbum, & percipimus panem ac vinum: Alia partis intellectiuæ, dum & ſenſum verborum Chriſti percipimus mente: & veram Chriſti carnem ac ſanguinem, fide viua apprehendimus, edimus, ac bibimus. Ad extremam actionem quod attinet, omnia illa, quæ iam recitamus, neceſſaria ſunt: ſi quis ſingula conſideret, atque ad actionem accommodet. Externa verò ſenſuum actio, ſeruit internæ ipſius partis intellectiuæ: de qua paulo poſt dicemus. Nam videmus externos ſenſus non ſolùm ad corporis, verùm etiam ad animi ſalutem, eſſe à Deo ordinatos. Nunc tenemus quid ſit pars ſenſitiua, & quid ſenſus. Venio nunc ad ſenſuum viriúmque omnium partis ſenſitiuæ partitionem. Sed ſi hoc priùs indicauero, nempe nomine ſenſus duo intelligi ſolere. Primùm, vim ipſam, qua ſentimus: deinde ipſam rei ſenſibilis perceptionem ac dignotionem. Ita aliquando pro cauſſa, aliquando pro effectu capitur. Nos hîc loquimur de cauſa, ſeu de vi, qua percipimus.

THESIS III.

Partis ſenſitiuæ, duo ſunt prima virium: ſeu facultatum genera: vis apprehenſiua & vis motiua.

EXPLICATIO.

APprehenſiuæ nomine, omnes ſenſus comprehenduntur, tum externi, tum interni. His enim res extra nos poſitas percipimus, ſiue præſentes, ſenſibus ſcilicet exterioribus, ſiue etiam abſentes, ſenſibus interioribus. Motiua autem omnes complectitur vires, quibus tum internè mouemur: veluti eſt τὸ ὀρεκτικὸν, ſenſitiuus appetitus, & reſpiratio aliíque motus: tum etiam externè, vti eſt progreſſio, geſtus, & alij. Vtraque multos & neceſſarios habet vſus. Apprehenſiua voluit Deus, vt res extra nos poſitas perciperemus. Motiua verò contrà, vt nos plerunque ad alia moueremus ipſi: ſicut vi illa animæ, quam vocant locomotiuam; Ariſtoteles, κινητικὸν κατὰ τόπον. De cuius vtriuſque generis viribus nunc dicam.

THESIS IV.

Vis apprehenſiua in ſenſus externos, & internos diuiditur.

EXterni appellantur, tum quòd organa, quibus vires ſeſe exercent, ſunt externa: tum etiam quia in obiectis extra nos poſitis, verſantur percipiendis.

Interni autem ſunt tres, ſenſus communis, phantaſia, & memoria: & interni ſenſus vocantur: propterea quòd ipſorum organa interna ſunt, & intra animam ipſam ſenſus pariuntur, ſoláque ratione à nobis percipiuntur. Hæc in genere de ſenſitiua, eiúſque viribus.

Nunc breuiter, quid quiſque ſenſus ſit, quod eius organum, quiſve vſus, mihi dicendum eſt: ac primum de exterioribus ſenſibus, tanquam notioribus, deinde de interioribus: præmiſſa tamen priùs, eorum quæ ſenſibus omnibus ſunt communia, explicatione.

Vnum eſt, omnes externos ſenſus, nobis eſſe traditos, vt iis res nō abſentes, ſed tantùm præſentes percipiamus. Oculus enim non videt colores abſentes, ſed tãtùm qui ipſi obiecti ſunt. Sic auris non audit ſonos, voceſque abſentes, ſed præſentes: atque ita de aliis. Idcirco, vt audiamus verbum, & ſacramenta percipiamus, ordinauit Deus cœtus Eccleſiaſticos, vbi omnes præſentes, illa percipiamus.

Alterum eſt, inter ſenſum, hoc eſt, vim ſenſitiuam in organo, & ſenſile, hoc eſt, obiectum quod ſentiendum eſt, ordinatum eſſe à Deo medium aliquod, per quod res ſenſilis, ad ſenſum perferatur, vt inter viſum, & coloratum corpus, eſt aer luce illuſtratus, per quem coloris imago ſeu ſpecies, à corpore colorato, in oculum deferatur: Alioqui ſine tali medio bene affecto, color ab oculo percipi non poſſet. Idcirco regula tenenda eſt: *Senſile poſitum immediatè ſu-*

pra

pra ſenſorium nullam efficere ſenſationem. Si enim corpus coloratum tangit oculum, nil percipere ille poterit.

Tertium eſt, vim animæ ſenſitiuam, partim eſſe paſſiuam, partim actiuam, diuerſis reſpectibus. Paſſiua eſt quatenus percipit obiecta. Recipere enim eſt quoddam pati, ſed perficiens, non perdens. Actiua vero eſt, quatenus ipſa ab obiecto affecta, parit ſenſum & rem vnam ab alia diſcernit. Potentia enim viſiua, poſtquam recepit coloris albi ſpeciem, diſcernit hanc à nigro, & aliis. Sic in rebus diuinis, vis noſtræ mentis & voluntatis, & paſſiua & actiua eſt. Paſſiua, quatenus recipit gratiam a Deo, in nobis operante. Actiua vero, quatenus affecta Dei gratia, ipſa credit, ipſa amat. Acti enim agimus.

Quartum eſt, Deum ita temperaſſe omnia, vt etiam inter ſenſum & ſenſile, velit eſſe proportionem, ne nimia obiecti vis, vim perdat ſenſitiuæ potentiæ. Proinde omne ſenſile nimis vehemens, perdit ſenſum. Si enim oculos diu defixos teneas in Solem meridie lucentem, & nulla obductum nube, perdentur oculi, viſúmque, aut amittes, aut hebetabis. Hinc fiebat, vt Patres, cùm apparebat Dominus, lucem eius ferre non poſſent: imò ne ſplendorem quidem, qui in facie Moſis reſplendebat, ex conſortio cum Deo in monte, ferre poterant Iſraëlitæ. Sic Chriſtus ſuam Deitatem, velo carnis ſuæ, noſtra cauſſa texit.

Quinto denique notandum eſt, conſtituiſſe Deum, vt ſenſus (ſi omnia, quæ ad veram ſenſationem faciendam requiruntur, adſint) circa proprium obiectum, non fallantur, ac proinde iudicium, quod tunc à ſenſu fit, certum eſſe. Huc Thomam, & alios Apoſtolos vocauit Chriſtus poſt reſurrectionem: cùm dixit, *Palpate & videte, quòd ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Non poterat enim ſenſus eorum, ea in re falli. Nam neque obiectum, procul aberat, ſed præſens, quod videri & palpari poterat. Neque organa ſenſuum Apoſtolorum, erãt corrupta, ſicut eſt palatum febre laborantis: nec denique medium, vt aër, carebat ſua conditione, luce nimirum. Proinde ſumma ſtultitia eſt in huiuſcemodi rebus, negare ſenſum, vt cum Apoſtoli videbant Chriſtum in terra paulatim eleuari, & aſcendere in cœlum: nihil erat certius, quam Chriſti corpus tolli à terra, in cœlum. Quæ igitur inſania, illa ſic interpretari, vt dicas, non credendum fuiſſe vbique? Quæ etiam eſt impudentia, negare panem in Cœna Domini, eſſe panem: cum ſenſus circa proprium obiectum falli non poſſit? Hæc itaque capita ſenſibus omnibus externis communia, retinenda ſunt: quod vtilia ſint, in rebus etiam ſacris, ac in ſcripturarum interpretatione. His vero explicatis, faciliora ſunt, quæ de ſingulis ſenſibus dicenda ſunt. Dicam autem primum de tactu. Nam primus & maximè neceſſarius eſt iſte ſenſus, omnibus animalibus, tam imperfectis, quàm perfectis communis. Nullum enim animal eſſe aut dici poteſt ſine tactu, cum ad nutrimentum, & ad vegetationem pernecesſarius ſit.

THESIS I.

De Tactu.

Eſt itaque Tactus vis ſenſitiuæ partis, per totum corpus diffuſa, in hunc vſum nobis tradita a Deo, vt eâ per neruos totius corporis, media cute & carne, omnes corporum qualitates tactiles percipere valeamus.

EXPLICATIO.

ORganum Tactus, ſunt nerui: qui idcirco per totum corpus ſunt inſtar retis expanſi, vt nulla ſit pars corporis, in qua non ſit tactus. Hoc enim erat nobis neceſſarium: quoniam omnibus etiam corporum qualitatibus, tam primis, calido, frigido, humido, ſicco: quàm ſecundis, duro, tenero, aſpero, molli, & aliis, omnia corporis noſtri membra, obnoxia erant. Ergo, vt poſſent ſe & totum corpus, eoque & animam in corpore tueri, neceſſe fuit; per totum corpus neruos, eóque tactum expandi. Sed cum *neruos* dico; intelligo eum ſpiritibus animalibus, qui in ipſis ſunt: & quibus propriè fit, vt anima incorporea, res corporeas ſentiat. Sunt enim iſti ſpiritus medij inter incorpoream animam, & corporea obiecta. Medium inter organum Tactus, & obiectum ſenſile: eſt cutis & caro. Obiectum Tactus ſunt inprimis qualitates corporum primæ, deinde etiam ſecundæ. Quia verò hæ, aut dolorem inferunt ſenſui, aut voluptatem: Dolorem quidem, ſi intemperatæ & vehementes ſint: Voluptatem vero, ſi temperatæ, & debitam cum ſenſu habeant congruitatem, idcirco à ſenſu Tactus, iudicium etiam voluptatis & doloris, proficiſcitur. Hæc de Tactu.

De Guſtu.

TActum immediatè ſubſequitur guſtus: cùm ſit ſpecies quædam tactus, & in eundem finem ordinatus: nimirum ad nutriendum corpus. Guſtu enim, cibi, quibus alendum eſt corpus, diſcernuntur. Itaque ſine guſtu, nullum animal capere alimentum poteſt, eoque nec viuere. Ergo

THESIS II.

De Guſtu.

Guſtus eſt vis partis ſenſitiuæ, palato & linguæ cumprimis affixa, & in hunc vſum nobis a Deo tradita, vt ea per neruos palati & linguæ, medio humido ſaliuoſo, omnes ſapores percipere & diſcernere valeamus.

HIc etiam organum Guſtus, ſunt nerui, non omnes, ſed qui ſunt in lingua & in palato, nerui, inquam, cum ſuis ſpiritibus animalibus. Medium eſt ſaliua, vel humor ſaliuoſus. Obiectum eſt ſapor, quicunque ille ſit. Huc ſenſu nitimus, panem in Cœna panem eſſe. Non enim fallitur hic ſenſus in ſuo proprio obiecto.

THESIS III.

De Olfactu.

Olfactus, vis eſt partis ſenſitiuæ, naribus affixa, in hunc finem nobis data, vt ea per narium neruos, medióque aëre, omne odorum genus apprehendere & diſcernere queamus.

EXPLICATIO.

HIc eadem, quæ ſuprà habemus, præter vim odorantem, ipſum etiam organum, medium & obiectum.

Cum vero nomine *nares*, vt organum Olfactus, omnia intelligo, quæ cum naſo ad hoc officium comprehenduntur, carunculas duas cauas, alióſque internos meatus, quos ad id ordinauit Deus: De quibus conſulendi ſunt Anatomici.

THESIS IV.

De Auditu.

Auditus, vis eſt partis ſenſitiuæ, auribus affixa: inque hunc vſum nobis donata, vt ea per neruos, à cerebro, ad aures, expanſos, pérque alia ipſarum inſtrumenta, internóſque meatus, medio aëre, vel aqua, omnes ſonos percipere, ac diſcernere poſſemus.

EXPLICATIO.

HIc ſicut etiam ſuprà, eadem capita explicantur. Et dixi, media etiam aqua, propter eos, qui in aquis ſentiunt ſonos. Eſt autem res viſu & cognitu iucundiſſima, conſtructio organi auditus: quo tam varios ſonos, ſtatim percipere, multáſque vocum ſignificationes, diſcernere vno momento poſſimus. Erat hic ſenſus propter auditionem verbi diuini & propter ſcientias, artes, conſilia: denique propter ſocietatem humanam apprimè neceſſarius, ſi quis alius. Idcirco mirabili etiam artificio opus fuit, in huius organi ſtructura O quot quantorúmque aut bonorum, ſi bene; aut malorum, ſi male vtamur, cauſſa eſt hic ſenſus! Initium peccati fuit ex auditus abuſu.

THESIS V.

De Viſu.

Viſus, eſt vis ſenſitiuæ partis, oculis affixa: in hunc finem nobis conceſſa: vt per neruos opticos, a cerebro ad oculos protenſos, pérque oculi pupillam, medio lucido aëre, aut aqua, quaſuis res coloratas, aut lucidas, percipere poſſimus.

EXPLICATIO.

VErum & ſempiternum horum oculorum obiectum eſt corpus Chriſti, de quo Iob. *[illegible] in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem [illegible]* Hæc de ſenſibus externis: quibus [illegible] hoc vnum addo;

mirabilem eſſe proportionem, quæ inter ſenſus poſita eſt à Deo: & inter Elementa, vnde omnes res ſenſiles componuntur. Oportet enim ſimilia à ſimilibus ſentiri, vt Philoſophi docent. Tactus itaque, qui eſt omnium ſenſuum hebetiſſimus, reſpondet terræ, quæ Elementum etiam eſt omnium craſſiſſimum. Aquæ reſpondet Guſtus: quia ſine humore non fit. Aeri reſpondet Olfactus & Auditus. Per aërem enim & odores ad naſum, & ſoni ad aures perferuntur. Igni verò reſpondet Viſus: propter lucem, ſine qua nil videri poteſt: & qua etiam colores conſtant. Luce enim eſtetur Viſus. Hæc eſt magna Dei ſapientia: quæ in omnibus rebus luculenter relucet.

De ſenſibus internis.

Partis ſenſitiuę virium, duo inprimis eſſe genera diximus, apprehenſiuam, & motricem. Atque apprehenſiuam in duplices ſenſus ſecuimus: in externos & internos. Diximus de externis, quantum fuit noſtro inſtituto ſatis. Reſtat, vt de internis diſſeramus: qui cur *interni* nominentur, ratio à nobis allata fuit: nimirum quia ipſorum organa, interna ſunt, ita vt nihil percipere queant, quod non prius ab exterioribus ſenſibus perceptum ſit. & quod totus iſte ſenſus, intra ipſam fiat animam: neque niſi interna mente intelligi à nobis queat. Neque etiam horum potiſſimum vſum tacuimus: nempe duo hæc ſenſuum genera, nobis fuiſſe à Deo data, vt quando vno res tantùm præſentes percipimus; altero abſentes etiam apprehenderemus. Erat autem vtrumque homini pernecesſarium, quatenus etiam animal eſt. Denique diximus, quot & quinam ſint interni ſenſus; tres nimirum: *ſenſus communis, phantaſia ſeu imaginatio, & memoria*. Vnde etiam apparet, longè nobiliores eſſe internos externis Longè enim nobilioris eſt virtutis, apprehendere res non ſolum præſentes, ſed etiam abſentes, quàm ſolas præſentes percipere. Adde, quòd exteriores. vnum tantùm obiectum ſinguli ipſorum habent, quod percipiant, vt viſus coloratas res duntaxat & lucidas: aures ſonos, & ita de aliis. At verò ſinguli interni, omnia exteriorum ſenſuum obiecta apprehendunt, & de illis iudicant. Ac ſenſus exteriores, ſunt ceu famuli interiorum. Foris enim negotiantur, & variarum rerum ſibi imagines lucrantur: eáſque ſingulas ad ſenſus internos deferunt. Interim item, cient vim illam ſenſitiuæ partis, quæ *motrix* appellatur. Ex rerum enim per phantaſiam apprehenſione, excitantur affectus omnes concupiſcibiles, & iraſcibiles, & inde ad ſe loco mouendum permouentur animalia omnia perfecta. Quare non ineptè interiores ſenſus comparantur feneſtris, per quas radij Solis in cubiculum aut hypocauſtum penetrant. Interiores autem, hominibus, qui ſunt in hypocauſto, ad quos radij deferuntur: vt ipſi ex horum præſentia agunt, quod cuiuſque eſt officij. Ita dubium non eſt à collatione effectorum & actionum vtriuſque generis ſenſuum, quin interiores, exterioribus nobiliores ſint.

Quàm verò neceſſarij fuerint homini aliiſque animantibus interiores ſenſus, ex ipſorum itidem operationibus, manifeſtum fiet. Erat enim pernecesſarium cuique animali perfecto, vt (exempli cauſſa) ſeſe loco moueret, quærendi ſibi ſuiſque filiis alimenti, eóque conſeruandæ vitæ gratia, cùm non ſemper præſentes ei ſuppeditentur alimoniæ: & vt deinde ad ſua etiam loca rediret. Proinde Dauid Pſalmo 104. docet, *feras noctu è ſuis egredi cryptis, vt quærant à Deo eſcam ſibi: orto autem Sole, eas ad ſua redire loca.* Quomodo verò hoc facere poſſent, niſi interioribus præditæ eſſent ſenſibus, quibus res abſentes apprehenderent: vno in loco eſſe eſcas, alibi ſuas cryptas: idque ex imaginibus eſcarum & locorum, perceptis quidem, per externos ſenſus, ſed ſeruatis in interiori phantaſia, atque memoria? Quomodo ouis fugeret lupum, niſi interno ſenſu eſſet prædita, quo retinet, talem beſtiam ſibi eſſe inimicam? Quomodo formica procul abiret, & eſcam ſibi in totam hyemem æſtate quæreret, ſi externis tantùm ſenſibus prædita eſſet? Vnde vero omnes Mechanicæ artes, Mathematicæ, ſcientiæ denique omnes, niſi ex rerum externarum imaginibus, per ſenſus quidem externos receptis: ſed deinde ad ſenſus internos delatis, ibique ſeruatis atque collectis, menti denique oblatis? Nihil eſt enim in intellectu, quin illud prius fuerit in ſenſu. exteriori ſcilicet primum, & deinde in interiori. Oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari. Vnde etiam appetitus ſenſitiuus, & affectus omnes excitantur, niſi à ſenſibus internis? Denique nullus opifex, architectus, calceator, faber ferrarius aut lignearius, ſuæ artis opera præſtare ſciet aut poterit, niſi formam ſuæ domus, ſui calcei, ſui gladij, ſui lecti, ſenſibus primum externis conceptam, deinde in phantaſia conſeruatam habeat. Videmus itaque, quantum hoc ſit beneficium, quod Deus non in hominibus ſolum, ſed per omnia perfecta, animantia contulit: vt non externos tantùm habeant ſenſus, ſed etiam internos, ad omnia quæ officia pernecesſarios.

Eſſe autem plures vno ſenſus internos, nempe tres: ex diuerſis operationibus id perſpicuum fit, quas in nobis experimur, & in aliis etiam animantibus, quæ mente carent, conſpicimus.

IV. Reſtat igitur, vt quid quiſque horum ſit, quod eius organum, quod obiectum, quæve operatio, hoc eſt, in quem vſum datus nobis ſit, conſideremus: ac primum de ſenſu communi.

THESIS I.

De ſenſu communi.

Senſus communis, vis eſt partis ſenſitiuæ interior, anteriori cerebri parti, tanquam proprio organo, affixa: in hunc verò vſum nobis à Deo tradita, vt ea per neruos, qui ab ipſo cerebro, ad ſingulos externos ſenſus porriguntur: tum omnes ſenſuum exteriorum actiones percipere, tum omnes rerum imagines, ab illis ſenſibus perceptas, & per eoſdem neruos ad primam cerebri partem delatas, apprehendere, & aſe inuicem diſcernere poſſimus.

EXPLICATIO.

Hic *primò* habemus, organum ſenſus communis, eſſe anteriorem cerebri partem: qua in re omnes, quos legerim, conſentiunt. Atque huius ratio redditur: quoniam ſi imagines rerum tranſmittendæ ſunt à ſenſibus externis, ad cerebrum, vnde ipſi quoque vim habent ſentiendi propter neruos ſenſorios, qui omnes à cerebro deriuantur, neceſſe eſt, vt ad primam cerebri partem, tanquam externis ſenſibus viciniorem, prius, quàm ad alias partes tranſmittuntur. Iſtæ enim imagines, certo ordine, ab obiectis externis, ad ſenſoria externa: & ab externis, ad viciniùs organum, prioremque partem cerebri, & inde ad mediam, vt inde tandem ad poſtremam transferantur oportet. Nihil enim tranſit ab extremo ad extremum, niſi per media. Simile cape accommodatum. Eſto vas aliquod, aqua plenum. Conijcias in eam aquam lapidem, circulum effeceris. Is deinde paulatim dilatatur ordine certo, donec ad poſtremam aquæ perducatur. Eodem ſanè modo imagines rerum ſeſe habent in ſenſibus, primùm exterioribus, deinde interioribus. Semper autem fiunt ampliores hæ imagines, ſicut & circuli in aqua, hoc eſt, magis vniuerſales: cùm ſemper magis ac magis, à circumſtantiis materialibus defæcentur, quo in penitiores cerebri partes perferuntur: donec tandem vi mentis, ab omni penitus circumſtantia liberentur & planè vniuerſales efficiantur. Voluit enim Deus, vt quæ ſimpliciter percipiuntur ab externis ſenſibus, poſtea ab internis diſcernantur, & diligenter iudicentur.

Ariſtoteles ſtatuit organum ſenſus communis, vt centrum, vnde omnes lineæ fluunt, & in quo omnes etiam coniunguntur. Sic à ſenſus communis organo omnes nerui ſenſorij, ad externos ſenſus fluunt, vt per hos varia captantur obiecta: & rurſus per eoſdem captæ obiectorum imagines, ad organum communis ſenſus referantur, ibique vniantur. Vis autem, quæ in hoc organo poſita eſt: *ſenſus communis* appellatur. Quid ita? Quia cõmunis eſt terminus, & ceu centrum, à quo omnes ſenſus externi, vim ſentiendi accipiunt, fluúntque: & ad quem rurſus, omnes rerum externarum imagines à ſe perceptæ, deferuntur. Eſt itaque ſenſus communis, fons & radix omnium ſenſuum exteriorum, & particularium, à cuius organi centro, omnes aliorum ſenſuum nerui, per quos ſentiunt, progrediuntur, & ad quem etiam omnia per ſenſus externos recepta, referuntur. Nunc tenemus organum, & cur ſenſus communis appelletur.

2. *Secundò* loco habemus hic, obiectum. Obiectum ſenſus communis eſt quælibet paſſibilis (vt loquuntur Scholæ) & ſenſibilis qualitas: hoc eſt, omnes, cuiuſvis rei, ab externis perceptæ, imagines. Cùm enim ſpecies tantùm coloris, obiectum ſit viſus: Soni autem, ſolius auditus, & ſic de aliis: omnes ſimul obiectum ſunt communis ſenſus. Proinde quiſque ſenſus ſuam tranſmittit ſpeciem ſeu imaginem ad communem ſenſum, vt ipſe omnes ſimul percipiat, & diſcernat.

3. *Tertiò*

3. *Tertiò* loco videmus, quæ ſint ſenſus communis officia.

Primum officium eſt, percipere actiones exteriorum ſenſuum, hoc eſt, cognoſcere, an operentur necne. an oculus videat, an aures audiat, aut an defierit videre vel audire. Nullus enim exterior ſenſus ſuam ſentit cognoſcitive actionem. Neque enim oculus videt ſe videre: neque auris audit ſe audire. Ratio eſt: quia quicquid ab oculo videtur, coloratum eſt, aut lucidum. Actio autem oculi, hoc eſt, ipſum videre, non eſt vel colorata vel lucida, atque ita de aliis. Proinde manifeſtè euincitur, nullum ſenſum exteriorem, ſuam percipere actionem: ſicut facit mens, vt poſtea dicetur. Vnde etiam immaterialis, immortaliſque eſſe conuincitur. Nemo autem eſt, qui cùm videt, aut audit: neſciat ſe videre & audire, & cùm deſinit videre & audire, qui neſciat, ſe non ampliùs audire, aut videre. Aliquo igitur ſenſu id ſentit. Non externis: Interno igitur. Hic eſt ſenſus communis. Sed ne quis dicat, hoc in nobis fieri à mente, quod nobis contingit: idem etiam brutis accidit. Sentiunt enim ſe videre, ſe audire, ſe latrare, &c. Eſt igitur hoc officium non mentis, ſed ſenſus alicuius communis.

Alterum officium eſt, vt non ſolùm percipiat cuiuſque ſenſus actionem, verùm etiam cuiuſque obiectum, tam abſens, quàm præſens, & vnius obiectum, ab altero diſcernat atque diſtinguat, & iudicet: nempe album, eſſe album, non autem dulce: & ſonum, eſſe ſonum, non autem odorem: hoc eſſe calidum, non autem amarum. Certe nos, cuiuſque ſenſus obiecta percipimus, & quantum inter ſe conueniant, ac diſſentiant, nouimus: nec nos ſolùm, ſed etiam bruta, vt canes. vt elephanti, & alia animalia perfecta. Non fiunt autem hæc ſenſu vllo exteriori: quoniam vnius ſenſus, vnum tantùm eſt obiectum, & vna actio. Etſi enim oculus videt omnia colorum genera, & vnum diſcernit ab altero, ſonos tamen, aut odores non videt. Eſt igitur hoc alicuius ſenſus, cui communia ſint omnia propria aliorum obiecta. Duo hæc officia expreſſimus in Theſi, ſed

Tertium accedit: hoc autem eſt, percipere etiam & diſcernere per ſe & propriè ſenſibilia, quæ *communia* vocantur, quæ certe nullo ſenſu exteriori, niſi ex accidenti cognoſci poſſunt. Sunt enim *obiecta propria, & propria communia.* Propria ſunt illa, quæ quiſque ſenſus per ſe percipit: vt color, à viſu percipitur per ſe. Communia ſunt illa, quæ à pluribus quidem ſenſibus percipi poſſunt, verùm non per ſe & propriè, ſed ex accidenti. Vt eſt, magnitudo, motus, quies, numerus, figura. Magnitudo percipi poteſt ab oculo, & à tactu, ſed ex accidenti, quatenus magnitudo cum colore & qualitate aliqua ſenſili coniuncta eſt. Verùm nos & animalia etiam bruta percipimus hęc obiecta propriè & per ſe: ſenſu igitur aliquo interiori. Hic eſt communis ſenſus, qui & meritò *communis* vocatur: quoniam communia etiam percipit obiecta.

Ex iis autem officiis, facilè intelligimus, vſus & finem propter quem datus eſt iſte ſenſus: nempe, vt iſta tria officia, omnibus animalibus neceſſaria, perficere poſſimus. Atque hæc de primo interiori ſenſu. Ex quibus probè intellectis, faciliora fuerint quę dicenda ſunt de aliis duobus. Nam etiam reliqui duo, eodem modo definiuntur: niſi quòd diuerſa ſunt organa, & operationes ſeu officia. Itaque ne in re perſpicua immoremur, cuiuſque propria perſtringam.

THESIS II.

De Phantaſia.

Phantaſiæ obiecta ſunt imagines rerum, quæ à ſenſu communi ad illam deferuntur: ſed quas mox ipſa colligit ſimul atque componit, & φαντάσματα appellantur.

EXPLICATIO.

IN ſenſu enim communi, nudæ rerum imagines recipiuntur: vt panis, vt corporis Chriſti: ſed in phantaſia eadem componuntur: vt, *panis eſt corpus Chriſti.*

Organum, eſt media cerebri pars, cum ſuo neruo, & ſpiritu animali. A loco enim ſenſus communis, qui ſubeſt ſincipiti, ad mediam cerebri partem vſque, neruus ducitur, per quem vi ſpiritus animalis, imagines rerum à communi ſenſu perceptæ, ad locum phantaſiæ perducuntur: ibique diutiùs retinentur, componuntur, attentiùs conſiderantur, & diligentiùs iudicantur. Atqui in hunc finem effecit Deus, cerebrum in eo loco firmius & durius, quàm in loco communis ſenſus: nimirum vt in loco phantaſiæ diutiùs immorari poſſit. Sicut enim in cera duriore, tenaciùs retinetur ſigilli imago: ſic etiam in parte cerebri duriore rerum imagines: in teneriore autem cera facilius quidem imprimitur ſigilli forma: ſed minùs firmè retinetur. Id quod fit in loco ſenſus communis, qui humidior eſt. Sic omnia Deus temperat, & cuique facultati, ad ſua facienda officia, loca præbet accommodata. Prout autem magis vel minùs temperata fuerit hęc cerebri pars: ſic etiam plus vel minus ingenij & apprehenſiuæ, homines habere dicuntur, & reliqua animantia Vis enim phantaſiæ, felicius ibi operatur, vbi commodius repererit organum: quia affixa eſt organo, ſicut & reliquæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ partis facultates faciunt: quanquam partes ipſæ in anima humana à corpore non pendeant. In medio autem cerebro collocata eſt hæc facultas: quòd ibi ſit vicinior ſenſui communi, à quo accipit: & memoriæ, cui communicat.

Officia porrò phantaſiæ præcipua, tria ſunt, *Vnum* eſt, vt imagines è communi ſenſu perceptas, firmè retineat, & altè defigat: abſente etiam obiecto externo. In ſenſus enim communis loco diu ſeruari non poſſunt: quòd humidior ſit. Ideo vero locus phantaſiæ durior eſt à Deo factus: vt firmiùs ibi hæreant imagines ſeu phantaſmata.

Alterum eſt, vt diſperſas has imagines colligat componatque. Hoc facit phantaſia, nobis etiam dormientibus, vt cùm in ſomnis componit ſpeciem montis, quem ſemel videris: & ſpeciem auri quod percepiſti, & inde imaginem montis aurei proponit. Vnde hæc Chymera & ſomnium? A vi phantaſiæ, quæ res diſperſas colligit & componit. Ab hac igitur omnia inſomnia: non ſolum vana & humana: verum etiam vera & diuina. Deus enim ea in huius facultatis organum immittit.

Tertium eſt, vt ex variis phantaſmatibus ſimul coniunctis, quodam modo ratiocinetur & diſcurrat: id quod etiam à canibus fieri, aliſque animalibus videmus, colligimuſque ab ipſorum effectis. Hæc ſunt præcipua phantaſiæ officia.

Quibus ex rebus hæc certè obſeruatione digniſſima colliguntur: 1. Quòd hunc phantaſiæ locum nobis dedit Deus, vt in eo ſua ſomnia Prophetis excitaret, viſionéſque ſuas collocaret, quas Prophetis monſtrare volebat.

2. Quòd ab hac facultate omnes animalium cogitationes & ingenia proficiſcuntur; rerúmque omnium etiam abſentium æſtimatio. Omnia enim huic tanquam iudici, à ſenſibus aliis offeruntur æſtimanda ac diiudicanda. Ipſa verò phantaſia, & præterita colligit ac recolit, & præſentia cum illis confert atque diiudicat, & futura præmeditatur & æſtimat; quærit vtilia, incommoda vitat, comparat neceſſaria; conſulit corpori totique animanti. Denique quod in mente efficit ratio: hoc in parte ſenſitiua efficit phantaſia; Et ſæpè hæc cum mente pugnat; ſicut & appetitus ſenſitiuus, cum intellectiuo.

3. Denique, illud obſeruandum; quòd hæc partis ſenſitiuæ facultas propinqua eſt intellectiuæ; & huic ſuppeditat materiam cogitandi, intelligendi, & denique omnia ſua officia faciendi. Inde verò fit, vt cum phantaſia, quæ organo corporis affixa eſt, temperationem corporis, eoque & naturales propēſiones ad vitia aut ad virtutes ſequatur; hinc, inquam fit, vt ipſa quoque mens facilè in huius ſententiam conſentiant, niſi Dei Spiritu cohibeatur. Plurimum igitur intereſt, quomodo affecta ſit phantaſia, ſeu imaginatio noſtra. Ex hac enim omnes ferè animalium affectus naſcuntur; amores, irę, triſtitiæ, lætitiæ, & alij.

4. Illud ad extremum notandum eſt de nomine ipſo; phantaſiam à Cicerone verti, viſum, ſicut & phantaſma: Sed Suidam facere diſcrimen inter phantaſiam, & phantaſmata; quòd phantaſia, viſio ſit atque imago eius rei, quæ reuera eſt; phantaſmata imago eius, quæ non eſt: vt eſt montis aurei imago in mente.

Cæterùm, Philoſophi phantaſiam pro δυνάμει qua phantaſmata concipiuntur; phantaſmata autem, pro ipſis imaginibus conceptis atque formatis in phantaſiæ organo accipiunt; ita phantaſia vocanda eſſet potiùs τὸ φανταστικὸν, vel ἡ φανταστικὴ δύναμις: quàm φαντασία. Significat enim hæc vox rem potius conceptam à phantaſtico; quàm δύναμιν ipſam. Ac de Phantaſia ſatis.

De Memoria.

SEquitur de tertio interiori ſenſu, memoria, nempe ſenſitiua; Nam de memoria intellectiua ſuo dicetur loco, quę certe differt à ſenſitiua. Vtraque enim peculiaria ſua habet obiecta; & vna affixa eſt organo, altera non. Anima namque à corpore ſeparata, ſicut retinet ſuam cognitionem, & affectus ſpirituales, pietatem, charitatem; Sic etiam ſuam habet memoriam; ſicut in hiſtoria, ſeu mauis parabola Epulonis & Lazari habemus. Meminit item diues ſuorum fratrum. Et Abrahamus illi dicit, *Recordare fili, quòd receperis bona tua in vita tua*, Illud inficiamur, quàm diu ſumus in corpore, partis ſen-

ſitiuæ memoriam, ita intellectiuæ eſſe ſubnexam, vt diſcerni facilè vna ab altera non poſſit: niſi fortè ex obiectis, quorum meminimus: quia intellectiua, vniuerſalium tantum eſt mente perceptorum: At ſenſitiua particularium, à ſenſibus comprehenſorum: Et ſi eſt vniuerſalium, illud eſt ex accidenti. Nunc itaque de ſenſitiua memoria, quæ communis etiam eſt brutis, dicam: ſicut & de phantaſia diximus.

THESIS I.

Obiecta memoriæ ſunt imagines rerum præteritarum, à phantaſia, in illam tranſlata.

EST enim memoria, eorum propriè, quæ à ſenſibus percepta, & à phantaſia ſeu imaginatione, cogitata, collata, æſtimatáque fuerunt. Hæc propriè recipit, atque diutiſſimè conſeruat memoria. Proinde (vt dixi) ſi quæ intelligibilia contineat: accidentario id fit, quatenus ſcilicet hæc ab imaginatione, vt in memoriam reuocentur, ſæpenumero (quanquam per accidens) adiuuantur.

Dixi, eam eſſe *rerum præteritarum*. quia licèt phantaſia præſentia etiam percipiat, & futura præmeditetur: Memoria tamen, non niſi præteritorum eſſe poteſt. Non enim dicimur meminiſſe præſentium aut futurorum; ſed duntaxat præteritorum. Idcirco ſi quæ etiam futura præcogitet phantaſia, eáque in memoriæ theſaurum transferat: Memoria tamen ea vt futura, non percipit, ſed vt præmeditata. Itaque ſemper præteritorum eſt memoria. Quare retinenda eſt hæc diſtinctio, præſentia tantùm, à ſenſibus externis percipi: Præterita duntaxat in memoriæ theſaurum recondi; Phantaſiam autem tum præſentia, tum præterita comprehendere, & verò etiam futura præconcipere ac præuidere. Dixi de obiecto, nunc de organo.

Organum memoriæ eſt poſtrema cerebri pars, occipiti ſubiecta, & ſuo neruo, animalique ſpiritu prædita.

Eſt enim etiam inter organum phantaſię & memoriæ, collocatus à Deo neruus, cum ſpiritu animali, per quē neruum rerum conceptarum à phantaſia imagines in memoriæ theſaurum transferuntur & reconduntur, vt ibi quàm diutiſſimè aſſeruentur. Atque in hunc etiam finem, organum hoc in extrema capitis parte collocauit, à reliquis diſſitum, & in abdito quaſi poſitū: vt ſine turbatione, commiſſas ſibi imagines faciliùs retinere poſſit. Nam ſic ſolent etiam omnia theſaurorum loca, ſeorſum à turba, & ab hominum frequentia conſtitui. Sic fecit Deus in hoc organo, vbi theſauri rerum omnium præteritarum erant collocandi. Proinde in occipitio, tanquam in capitis angulo, memorandi vim poſuit: ſicut contra, communem ſenſum in anteriori, vt vicinior eſſet ſenſibus externis: Et imaginatiuam in medio, tanquam ſupremo in animalibus rerum iudici.

In hunc eundem finem, fecit cerebrum huius partis memoratiuæ duriuſculum: quàm ſit etiam in ipſa phantaſia. Quò enim durior eſt cera, in ea diutiùs ſeruatur imago ſigilli. Hinc fit, vt alij magis, alij minùs memoria naturaliter valeant: nempe, quo aut magis aut minùs fuerit ea cerebri pars temperatior. Neque enim ſolùm durities quædam cerebri temperata requiritur in ea parte: verùm etiam caliditas moderata: Caliditas enim ad citiùs res memoriæ infigendas facit: durities, ad diutiùs retinendas. Ergo qui cerebrum habent temperatum, nec frigidum, nec humidum, neque admodum ſiccum: magnam etiam habeāt naturaliter memorandi vim, neceſſe eſt: Ad ſummam, ſicut felicior eſt in vnoquoque vis phantaſiæ, quo etiam melior eſt corporis temperatio: ſic etiam memoria, & omnes qui ſenſus, tam interni, quàm externi, meliores ſunt.

Officium memoratiuæ duplex eſt. Vnum, vt quæ recepit, ea fideliter retineat ac conſeruet, tanquam fidelis rerum apud ſe depoſitarum, cuſtos. Alterum eſt, vt repetendi promptè etiam & expeditè fideliterque reddat. Atque hoc propriè eſt recordari, reminiſci, in mentem & in animum reuocari.

De diſcrimine verò memoriæ & reminiſcentiæ, non eſt cur hîc multa diſputemus. Summa hęc eſt: Quorum firmè & certò recordamur: eorum eſt memoria, & ea meminiſſe dicimur. Contrà quorum penitùs obliti ſumus, eorum eſt obliuio. Quæ verò partim meminimus, partim obliti eramus, ſed reuocata & renouata iterum recordamur, eorum propriè dicitur eſſe reminiſcentia. Neque enim hæc differt à memoria, niſi eorum quæ exciderunt reſumtione: idque proprium hominis eſt efficere. Proinde ἀνάμνησιν brutis non tribuunt Philoſophi, ſed ſoli homini. Ad hanc enim faciendam opus eſt mente & ratione: quæ ex circumſtantiis locorum, temporum, perſonarum, aliarúmque rerum repetitis, ea quæ memoria exciderunt, reſumat ac recolligat. Quare cùm bruta præſtare hæc non poſſint, ea etiam carere reminiſcentia. & memoriam tantum habere dicuntur: quę etiam eo maior eſt in vno, quàm in alio, quo etiam meliorem ſortitum fuerit corporis temperationem, vt ſuprà dictum eſt.

Cæterùm, licèt hæc vera ſint naturaliter: quædam tamen videmus extra ordinem vni & non alteri concedi, quorum ratio nulla reddi poteſt, niſi quod Deo ſic placuit. Quanta ſit formicæ phantaſia, memoria, eóque & prudentia: omnibus notū eſt. Quantum tamen obſecro corpus habet? Quantum cerebri? Contrà quot ſunt grandia animalia, imò & homines, qui tanta memoria & prudentia non valeant? Ergo tam in ordinariis, quàm in extraordinariis operibus Dei, videmus ſtupendam Dei ſapientiam. Quàm magnum verò ſit hoc Dei beneficiū: nempe vt præterita meminiſſe poſſimus, & ſi quid fortè exciderit, etiam reminiſci: quis queat explicare? Neque etiam vt explicetur vel opus eſt, vel præſens noſtrum inſtitutum poſtulat: qui partes tantùm animæ, earúmque vires in præſentia explicandas ſuſcepimus.

De ſomno & vigilia.

AD alia igitur nobis tranſeundum eſt: ſed ſi illud priùs obſeruauerimus, præter hos, quos explicauimus ſenſuum tam exteriorum, quàm interiorum vſus: accedere duos etiam alios homini & animalibus omnibus, ad vitam & ad omnes vitæ actiones pernéceſſarios: ſomnum & vigiliam: Sic enim Deus ſenſus in animali temperauit, vt illi neque ſemper quieſcere, neque ſemper operari poſſint. Ex vno ſomnus, ex altero vigilia naſcitur.

Quid enim eſt ſomnus? ὕπνος (inquit Ariſtoteles) πάθος τι τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου ἐστὶν οἷον δεσμός τις καὶ ἀκινησία; nempe ipſorum ſenſuum: hoc eſt, *ſomnus paſſio ſeu affectio quædam eſt ſenſitiuæ partis: quaſi vinculum ſeu ligamen & immobilitas*. Somno enim ligantur ſenſus: vt operari nequeant: vna excepta phantaſia, quæ tum maximè vagatur, cùm dormimus, & alij ſenſus ligati ſunt. Contrà vero vigilia eſt λύσις καὶ ἄνεσις relaxatio eorundem ſenſuum, vt denuo operari queant. Vnde etiam efficitur, vt vtrumque & in ſola, & in omnia competat animalia: quòd ſola prædita ſint ſenſibus. Igitur ſomno etiam & vigiliæ obnoxia ſunt ſola & omnia. Ordinatus verò eſt ſomnus, ad ſalutem animalis, quæ in quadam motus & quietis viciſſitudine poſita eſt. Nam, *Quod caret alterna requie, durabile non eſt*. Præſertim verò, quod dum ſenſitiua pars quieſcit, hoc eſt, ſenſus: tum maximè vegetatiua efficacius facit ſuum officium, in cibis ſcilicet concoquendis, animalíſque nutriendo calor, qui in ſenſibus erat diſperſus, in ventriculum collecto. Ex calore enim naturali; aut diffuſo per ſenſus aut collecto in ventriculum, oritur ſomnus aut vigilia. Nam cum illo opus eſt vegetatiuæ, ad cibum concoquendum: contrahitur à ſenſibus ad ventriculum, & illi conſopiuntur. Cùm verò peracta eſt concoctio: redit calor ad ſenſus, eóſque titillat, & ita à ſomno ad vigilandum excitat. Quibus in rebus maximè relucet, immenſa primùm Dei bonitas, & prouidentia: deinde imago noſtrę mortis & reſurrectionis in ſomno mortia: in excitatione à ſomno ad vigiliam, reſurrectionis à mortuis. Sed de ſomno differendi tempus non eſt. Satis nobis fuit indicaſſe hos etiam alios duos vſus ſenſitiuæ facultatis: nimirum ab hac etiam proficiſci ſomnum & vigiliam: quæ duæ res, quàm neceſſariæ ſint cum aliis animalibus, tum maximè nobis: nemo eſt qui neſciat.

Porrò ex iis, quæ iam de ſomno diximus, apertè duo interni ſenſus euincuntur: communis ſcilicet ſenſus, & phantaſia. Nam cùm dormimus, tunc non ſolum non videmus colores, neque audimus ſonos: vnde apparet, ligatos eſſe externos ſenſus: Verùm etiam non diſcernimus colorem à ſono, neque ſapores ab odoribus: id quod tamen facimus in vigilia: neque certè hoc facimus ſenſibus externis. Intus igitur eſt alius ſenſus, quem *communem* vocant, & à quo reliqui omnes vim ſentiendi accipiunt. Rurſus cum dormimus, ſomniamus mirabilia, & varia videmus phantaſmata, non ſolum nos, ſed etiam bruta carent mente. Aliquo igitur ſenſu, qui tum maximè excurrit & operatur, hæc fiunt. Hic non poteſt eſſe ſenſus communis: quia (vt diximus) ſopitus oriatur. Alius igitur eſt. Hic eſt, quem *phantaſiam* Græci, Latini *imaginatricem* appellant: vel melius *imaginatiuam*. De memoria nemo dubitat. Huius enim effecta ſentimus manifeſtè. Sunt igitur tres interni ſenſus. Atque hactenus de ſenſibus, tum externis, tum internis, qui prima vis ſunt ſenſitiuæ partis.

Diximus enim duo eſſe prima virium ſenſitiuæ partis genera, nempe vim apprehenſiuam, & vim motiuam. Apprehenſiua autem ſenſus omnes complectitur, tum externos, tum internos. Ergo cùm dictum ſit de apprehenſiua, reſtat, vt de motrice dicamus. Hæc enim ab illa pendet. Quoniam

niam ab apprehenſione obiectorum, excitantur in animali interni motus affectuum: & inde externi, ad obiecta gerenda, vel fugienda.

De vi ſenſitiuæ partis Motrice.

THESIS I.

Facultas motiua, vis eſt altera ſenſitiuæ partis præcipua: qua tum interni, tum externi animales motus in nobis cientur.

ESt hæc perſpicua. Dixi autem *ab hac motus cieri animales*, quoniam motus corporis, quatenus corpus eſt graue, à ſenſitiuæ partis viribus non ſunt, ſed à grauitate corporis naturali. Deinde, motus etiam quidam vitales in nobis ſunt, qui non tam à ſentiendi, quàm etiam à viuendi principio oriuntur, vt eſt pulſus & reſpiratio. Nos tamen vitandæ confuſionis cauſſa, omnes ſub parte ſenſitiua collocamus.

Vis *motiua* in animali triplex eſt: vitalis, imperans, proſequens.

Vitalis, quæ & *naturalis virtus* appellari ſolet, vis eſt, ad vitam in corpore tuendam, à Deo ordinata, quę ſponte & perpetuo, tum cor animalis palpitat, tum vitales ſpiritus in arteriis, per corpus micant: tum denique pulmones ſine intermiſſione ſpirant atque reſpirant. Ita ad hanc pertinent pulſus, qui à corde in arteriis ortum habent: & reſpiratio.

Imperans vis eſt, ab apprehenſiua in animali excitata, & ad actiones ordinata: qua intus ad aliquid appetendum vel refugiendum mouemur: ac proinde, qua opus etiam externum præſtare quaſi iubemus, cum allicimur. Hoc autem facit appetitus ſenſitiuus, qui à ſenſitiua cognitione naſcitur, à quo etiam omnes affectus oriuntur. Proinde ad hanc vim imperantem, pertinent omnes appetitus ſenſitiui, ἐπιθυμητικοὶ καὶ θυμοειδεῖς: & ex conſequenti omnes, qui ex illis oriuntur, affectus. Ij enim ſunt, qui in animali, & in homine etiam animali (vt loquitur Apoſtolus) regnant & imperant. Quo factum eſt, vt horum vis meritò imperans appelletur.

Proſequens autem eſt vis, qua nos noſtráque membra, ad obtemperandum appetitui atque affectibus, ſiue locum toto corpore mutando, ſiue non mutando permouemur. Hæc eſt locomotiua, qua aliquando toto corpore ab vno loco ad alterum mouemur, vt fit in progreſſione: aut aliquo tantùm membro, vt fit in geſtibus corporis.

Hæc eſt totius motricis facultatis, quæ eſt altera pars virium partis ſenſitiuæ, partitio: de quibus ſingulis breuiter dicendum nobis eſt. Afferunt autem hæc maximam vtilitatem, non tam ad perfectam totius huius tractationis de anima cognitionem: quàm etiam ad veram ſacrarum literarum explicationem: ſubinde enim hæc occurrũt. Ac ſi iucundum & vtile eſt, tenere cuiuſlibet rei ἀνάλυσιν: quantò magis, ſi quis totius animæ, eiúſque partium & facultatum atque virium, ſummam & ordinem ante oculos propoſitum habeat? Cui poſtea ſi addas reſpondentia iis corporis membra, quid iucundius? Quid enim poſt Dei notitiam, magis expetendum eſt homini, quàm vt ſeipſum noſcat? Age igitur de ſingulis his motricis facultatibus viribus dicamus.

De vi vitali, atque inprimis de pulſatrice.

MOtricem illam vim, quam vitalem, & naturalem etiam vocant: in *pulſatricem*, & in *reſpiratricem* diſtinximus. Dicam igitur primum de pulſatrice.

THESIS I.

Vis pulſatrix, vis eſt animæ in animali, cordis inprimis, & deinde à corde, ipſis etiam arteriis omnibus communicata: qua ſine vlla præcedente vel cogitatione, vel appetitione fit, vt ſponte ac ſine intermiſſione: tum cor palpitet, tum arteriæ micent, ad vitæ conſeruationem nobis à Deo data.

PRimò vim eſſe animæ, dubitari non poteſt, quia illa principium eſt intrinſecum omnium virium, omniſque motus in animali. Ideo ἐνδελέχεια, cauſa eſt τῆς ἐνδελεχείας efficiens.

Secundò, dicimus eſſe cordi primum communicatam. Eſt enim cor, ſedes totius vitæ. Eſt autem vita in hoc perenni motu poſita.

Tertiò, ad vitæ conſeruationem eſt data. Si enim vita in interna perennique animæ motione poſita eſt: ſequitur, vim, qua iſta fit motio, ad vitæ conſeruationem, datam eſſe. Ideo motu hoc ſedato, mors ſequitur. Argumento enim eſt, tum animam à corpore noſtro diſceſſiſſe: in brutis autem eſſe extinctam. Hinc fit, vt pulſus teſtis ſit vitæ, ſicut eius ceſſatio, mortis.

THESIS II.

Etſi verò huiuſce perennis motionis efficiens cauſa, eſt anima, ſua hac, qua de loquimur, vi, hanc tamen motionem efficit per ſanguinis calorem, quam ex corde excitat: pérque ſpiritum vitalem, quam eodem ex ſanguine, ſed ſubtiliore elicit, ac gignit.

SVnt enim hæc animæ inſtrumenta, quibus vitam in nobis ſeruat. Id manifeſtum fit, quia extincto cordis calore, & exhalato ſpiritu vitali: ceſſat motus ille perennis, & ſequitur mors. Quia igitur inſtrumenta ſunt animæ, calor & ſpiritus: idcirco licet in morte & calor ille extinguatur, & ſpiritus vitalis euaneſcat: non ſequitur tamen animam ipſam mori.

Cæterùm, notandum eſt, non omnem cordis palpitationem fieri ab hac naturali, de qua agimus, vi pulſatrice. Fit enim ſæpe etiam à motrice imperante, hoc eſt, ab affectibus: puta ab amore, vel ab ira. Si enim quis aut ira, aut vehementi amore afficiatur: huic cordis calor inflammabitur magis ac magis: & inde cor vehementius, quàm antè palpitabit. Vnde *cordolia*, & varij *cardiales morbi*. Itaque palpitatio nonnunquam eſt ab ipſis etiam affectibus.

Cæterùm, manifeſtè apparet diſcrimen, inter motricem naturalem, de qua nunc theſes poſuimus: & inter motricem imperantem, de qua mox dicemus. Illa enim mouet, nulla præcedente cogitatione, aut turbatione: hæc ex affectu proficiſcitur. Illa ſemper mouet, & ſine intermiſſione: hæc non ſemper. Illa viuificat: hæc turbat, & ſæpe etiam occidit. Atque hæc de vi pulſatrice ſatis: nunc de reſpiratrice.

THESIS III.

Reſpiratrix, vis eſt partis ſenſitiuæ, qua fit inſpiratio & expiratio: ad caloris naturalis in corde cumprimis, in aliis deinde membris, refrigerationem: ad craſſiorem item noxiorúmque ſpirituum è pectore exhalationem: & ex conſequenti, ad purum alimentum ſpiritibus vitalibus & animalibus præbendum: eóque ad vitam tuendam, ordinata.

INſpiratio fit, cùm aër in pulmones, & inde in cor atque venas attrahitur, caloris refrigerandi cauſa. Expiratio autem fit cum contrà e pulmonibus, totóque pectore, fuliginoſi noxiique ſpiritus exhalantur. Hæc autem inſpirandi & expirandi viciſſitudo, quæ conſeruandæ vitæ gratia fit, *reſpiratio* appellatur. Neque hac de re plura dicam. Hæ verò duæ ſunt vitalis motricis partes: pulſatrix ſcilicet & reſpiratrix: quæ licèt non tam à principio ſentiendi, quàm à principio viuendi ortum habeant: illæ tamen ſenſitiuæ parti attribuuntur: quod non niſi in animantibus ſenſu præditis, reperiantur. Dicam nunc de motrice imperante.

De Motrice imperante.

QVid ſit motrix imperans, in genere ſuprà diximus. Quia verò hanc fecimus in appetitum ſenſitiuum, & in affectus; nunc vtraque hæc pars nobis explicanda eſt; ac primùm de appetitu dicam: ſed ſi illud priùs monuero, quod Ariſtoteles tradit, nempe appetitum omnibus animæ partibus communem eſſe, vegetatiuæ, ſenſitiuæ, intellectiuæ; eúque triplicem eum eſſe; vnum omnibus viuentibus, etiam plantis communem; quo ſcilicet naturaliter appetunt pabulum & ſui conſeruationem. Vnde & Plato, vegetatiuam animam, ἐπιθυμητικὴν appellant. Alterum, animalium omnium; qui ideo etiam ſenſitiuus dicitur, propterea quòd ab aliqua ſenſus apprehenſione proficiſcitur. Tertius proprius eſt hominis, quatenus ratione præditus eſt; qui etiam hac ob cauſam intellectiuus appetitus vocatur, quod à cognitione intellectus ortum habeat. Verum nos hîc de ſenſitiuo tantùm loquimur.

THESIS IV.

Appetitus ſenſitiuus, vis eſt animæ, à cognitione ſen-

ſitiua, bonum aliquod vel malum apprehendente, in nobis, inque animalibus omnibus excitata, qua aut ad malum fugiendum, aut ad bonum expetendum, permouemur.

EST hæc perſpicua & certa Theſis. Etſi verò duplex eſt officium huius facultatis: quorum alter, cupiditas eſt boni, alter fuga mali: tota tamen vis, appetitus ideo appellatur, quia etiam cùm malum fugimus, bonum expetimus. Boni enim cauſa, fugimus malum.

THESIS V.

Dua autem ſunt appetitus ſenſitiui partes: ἐπιθυμητικὸν, *&* θυμοειδὲς: appetitoria *&* iraſcibilis, *vt vocant.*

HArum partium vnam collocant in corde: nempe iraſcibilem, alteram in iecore: Et iraſcibilem, fontem eſſe omnium turbulentarum affectionum docent: Appetitoriam autem, ſeu (vt vulgò loquuntur) *concupiſcibilem*, mitiorum eſſe turbationum cauſam. Verùm ſcriptura vtramque partem in corde ponere ſolet. Ideo Chriſtus Matth. 15. *E corde,* ait, *egredi tam homicidia, & obtrectationes*, quæ effectus ſunt iraſcibilis: *quàm adulteria*, quæ ſunt concupiſcibilis.

THESIS VI.

Porrò ex vtraque appetitus ſenſitiui parte: omnes affectus, quos τὰ πάθη *Græci appellant, oriuntur.*

EST enim affectus, Impetus appetitus ſenſitiui, ex imaginatione boni aut mali exortus.

Hinc apparet, affectuum omnium fontem, eſſe appetitum ſenſitiuum: Cauſſam autem mouentem, eſſe obiectum bonum vel malum, extra nos poſitum, & à phantaſia apprehenſum. Sed ad affectus excitandos, multę aliæ ſæpe concurrunt cauſſæ, vt corporis temperatio. In bilioſis enim facilius excitatur bilis & indignatio, vindictæque appetitus: in ſanguineis amor voluptáſque. Educatio item plurimum valet. Idcirco multum prodeſt, eſſe in Eccleſia Dei: & ibi à parentibus piis boniſque præceptoribus educari. Accedit conſuetudo & conuerſatio: item otium, vel honeſta occupatio, & alia id genus. Hæc non parum habent efficacitatis, ad affectus bonos vel malos in nobis excitandos. Sed vt ad animam redeamus, omnes ab appetitu ſenſitiuo, primum ortum habent affectus: Appetitus autem iſte ab apprehenſiua ſeu à ſenſitiua cognitione proficiſcitur.

THESIS VII.

Secantur affectus omnes iuxta partitionem diſpoſitionémque obiectorum appetitus ſenſitiui: boni ſcilicet aut mali apprehenſi.

NAm alij affectus, ex bono apprehenſiuo, & alij ex malo oriuntur. Et alij ex iiſdem præſentibus, alij verò ex iiſdem abſentibus generantur. Namque ad bonum quod attinet, ſi bonum apprehenſum pręſens ſit: inde voluptas, amor, gaudium, delectatio oriuntur. Si verò idem ſit abſens & futurum: inde cupiditas & ſpes excitantur. Quod verò attinet ad malum apprehenſum, ſi illud præſens habeas, gignet tibi dolorem, odium, pudorem, verecundiam, liuorem, æmulationem, indignationem. Si autem futurum: metum & audaciam pariet.

THESIS VIII.

Affectuum porrò omnium, duo ſunt capita: voluptas, & dolor.

VOluptas, caput eſt omnium, qui ex bono apprehenſo oriuntur. Omnes enim aliquid habent voluptatis huiuſcemodi affectus. Dolor verò, caput omnium eſt, qui ex mali apprehenſione proficiſcuntur. Omnes enim aliquid afferunt doloris. Quot verò ſint numero affectus: quot item ex concupiſcente, & quot ex iraſcibili oriantur, quidve quiſque illorum ſit: noſtrum non eſt hic diſſerere.

De origine tantùm affectuum in anima noſtra, dixiſſe ſatis nobis eſt. Hæc tantùm ex iis, quæ de horum origine diximus: colligere obiter debemus.

Vnum, affectus in nobis aliiſque animalibus, non eſſe opiniones, vt Stoici voluerunt: ſed veras res, in anima & corpore. Sentimus enim has affectiones in nobis: & varia ipſarum effecta.

Alterum, quæ à natura ſunt affectiones (de iis enim loquimur) eas non eſſe per ſe, & ſuapte natura malas: vt iidem docebant Stoici: imò contrà ſua natura, bonas eſſe: quia inditæ animalibus à Deo. Nihil autem à Deo, & à natura eſt: quod ſuo genere bonum non ſit. Imo Apoſtolus Rom. 1. inter alia vitia, quæ enumerat in impiis, ponit etiam ἀστοργίαν. Vitioſi igitur ſunt affectus in nobis ex accidenti: quatenus tota natura, propter peccatum Adæ, corrupta eſt non autem per ſe. Hinc ſequitur tertium contra Stoicos: neque affectus iſtos, non ex natura eſſe tollendos: ſed tantùm corrigendos ſpiritu, & verbo Dei: vt omnes noſtros affectus, ad verum bonum perſequendum, quod eſt Deus, Deique voluntas: & ad verum malum fugiendum & auerſandum, quod eſt peccatum, dirigamus.

Nunc tenemus, quæ ſit vis ſenſitiuæ partis, Motrix imperans: quęve eius partes. Reſtat tertia vis, motiua: nempe proſequens, quæ locomotiua appellatur.

De Locomotiua.

SIc enim Deus Opt. Max. ordinauit in animalibus omnibus has potentias: vt poſtquam aliquid vel commodi, vel incommodi ſenſibus, & præſertim imaginatione apprehenderint, appetitus illud vel refugiendi, vel proſequendi excitetur. Poſtquam verò ab appetitu & affectibus fuerint permota animalia: alia excitetur in eis facultas, quæ membra animalium ad reipſa pręſtandum, quod appetitus titillatione indicauerit, atque docuerit eſſe vel fugiendum, vel proſequendum, moueantur. Loquor autem de natura, quatenus à Deo creata fuit. Proinde hæc vis ab effectu & officio, proſequens vocatur: nempe proſequens id quod appetitus, moderatúſque affectus faciendum eſſe monet. De hac igitur vi has reliquas ſubdo Theſes.

THESIS IX.

Motrix proſequens, quæ & locomotiua dicitur: vis eſt partis ſenſitiuæ, per totum diſperſa corpus: qua homo & quodvis animal, aut toto corpore, aut aliquo ſaltem corporis membro, loco moueri poteſt.

VIdemus enim omnia animalia loco moueri, ad paſtum, ad fugam periculorum, ad generationem, & ad multa alia peragenda: prout ab appetitu ſenſitiuo afficiuntur atque pelluntur: nempe ſi poſſint moueri. Et videmus alia, aut etiam eadem nonnunquam appetere quidem, ſed propter membrorum impotentiam non moueri. Eſt igitur præter vim appetitus & affectuum imperantem, alia vis in animalibus, qua loco moueri poſſint. Hæc eſt Locomotiua, qua de loquimur.

Diximus deinde eſſe per totum corpus diſperſam, docent hoc effecta, & Ariſtoteles confirmat. Radices tamen ſuas eam habere in cerebro, vbi ſedes eſt ſenſuum, neruorum & motus, verùm ſpiritibus cordis illam iuuantibus, docent omnes docti, & Galeni ſententia, quæ in hac parte præfertur aliis omnibus.

THESIS X.

Inſtrumenta autem, quibus ad animal loco mouendum, vtitur anima: ſunt inprimis ſpiritus vitales & animales: deinde nerui motorij: tum denique muſculi & oſſa, ſinguláque membra.

SPiritibus enim, qui partim ſunt corporei, partim quodammodo incorporei, ab anima excitatis: nerui primum, qui animæ ſunt habenæ loco, ad totum corpus regendum, intenduntur, tum muſculi & chordæ, à neruis intenſis mouentur, ab iis verò oſſa ſinguláque corporis membra. His inſtrumentis, vis animæ motrix proſequens, ſeu mandata appetitus & affectuum exequens: ad animalia quouis motus genere locomouenda vtitur.

En itaque omnes ſenſitiuæ partis animæ vires, ordine explicatas: quas nobis omnibúſque animalibus, ad varia officia facienda, donauit Deus, pro ſua prouidentia.

Nunc breui exemplo, quomodo hæc, quæ diximus, in homine animali fiant: ſub oculos pono. Statue mihi hîc hominem iracundum, & ſine Spiritu Dei. Afficias illum verbis contumelioſis. Primùm quidem, verborum horum imago imprimetur in vim auditoriam: inde in ſenſum communem: qui hæc verba contumelioſa diſcernit ab aliis verbis. A ſenſu communi tranſmittuntur in phantaſiam,

quæ

quæ illa verba perpendens, ſentit ea facere contra honorem ſuum, eóque non eſſe ferenda. ſed vl[illegible]enda, aut verbo, aut facto. Si hoc ſtatim non poſſit, in memoriam reconditur iniuria. Data occaſione affectus iræ imperat vltionem: inde ſpiritus excitati, mouent neruos, & ſimul manum vel ſaltem linguam, ad retaliandam iniuriam, &c. Hoc exempli cauſa dictum eſto. Sed ſi dil[illegible]ter quis obſeruet: rem ita ſe habere, in ſeipſo quotidie ſentit.

III. De parte Animæ Intellectiua.

MAxima eſt inter ſenſitiuam & intellectiuam ſimilitudo: vſque adeo, vt antiqui Philoſophi dixerint (quanquam falſo.) *Intellectum nil aliud eſſe, quàm ſenſum interiorem.* Ex iis certè, quæ de ſenſibus & de intellectu ſcribunt Peripatetici & Platonici, talis colligitur ſimilitudo inter vtrumque: vt ſi eodem modo partiar vires intellectiuæ, quo etiam ſenſitiuæ partitus ſum, nullam faciam homini iniuriam, modò quæ propria ſunt cuiuſque, ea cuique etiam ſeruentur. Neque enim idem prorſus ſunt, ſenſus, & intellectus: cùm ille ſine hoc eſſe poſſit, vt in brutis: hic autem ſine illo nequaquam, vt in hominibus. Sed in actionibus magna eſt ſimilitudo: vt verè Ariſtoteles dixerit, ὥσπερ τὸ αἰσθητικὸν πρὸς τὰ αἰσθητά, οὕτω νοῦν πρὸς τὰ νοητὰ ſeſe habere, de anima, lib. 3. c. 4. Ergo hæc eſto

THESIS I.

Sicut ſenſitiuæ, ſic etiam intellectiuæ partis, duæ ſunt primæ facultates, Apprehenſiua, & Motiua: quarum vna intellectus cùm memoria, altera voluntas, appetitus nimirum intellectiuus, appellatur.

SIcut enim ad omnes animalis cuiuſque operationes: ſic etiam ad omnia, quæ hominis ſunt præſtanda, vtrumque pernecesſarium eſt, vt ſcilicet & apprehendat, quæ ſibi vt homini agenda ſunt: & quibus ad illa facienda ſe moueat, habeat vires.

THESIS II.

Duplex eſt autem humani intellectus vis: vna qua res intelligibiles percipere queat: altera, quæ efficiat, vt res δυνάμει intelligibiles, actu percipiantur atque intelligantur. Quarum propterea, vna, νοῦς δυνάμει, & παθητικὸς; altera νοῦς ποιητικὸς ab Ariſtotele nominatur.

MVlta hîc mihi ſunt explicanda: tum vt ab imperitioribus meliùs intelligantur, quæ dixi, de duplici intellectus vi: tum vt facilius refutari queat pernicioſus error Auerrois, & aliorum, qui, quæ propriè ſunt humanæ mentis vires, vnde etiam probatur animæ immortalitas: ipſi faciunt ſubſtantias abſtractas, ab animáque diuerſas: Animæ tamen ad tempus, hoc eſt, vſque ad mortem communicatas: vnde & animam humanam, vnà cum corpore, interire contendunt.

Principio, nomine intelligibilium rerum, intelligimus propriè rerum ſubſtantias, & vniuerſales omnium rationes. Sicut enim accidentia, & ſingularia percipiuntur propriè à ſenſibus: ſic rerum ſubſtantiæ, & vniuerſales rerum omnium rationes ab intellectu. Et in hunc finem dedit nobis Deus, tum ſenſus, vt iis perciperemus rerum omnium accidentia: tum mentem, vt ea etiam ſubſtantias: atque ita nihil nos lateret, eorum quæ fecit. Verùm vtrumque ſpiritualiter. Senſibus enim non percipimus ipſa accidentia, ſed accidentium imagines, ac ſpecies: (Neque enim in oculo hæret color, quem vides: ſed tantùm coloris ſpecies ſeu imago: multò verò minus mente ſubſtantias ipſas rerum complectimur: ſed ſubſtantiarum duntaxat imagines, & vniuerſales rerum omnium rationes. Iſta igitur ſunt, quæ propriè vocamus intelligibilia, & quæ propterea ſunt intellectus obiecta. Qua ex re, ipſa animæ immortalitas colligetur: vt ſuo dicemus loco.

Deinde duplicem vim facimus intellectus, ſeu mentis humanæ: vnam, qua res intelligibiles percipere poſſit: alteram quæ efficiat, vt reipſa percipiantur. Vtramque hanc intellectus vim, ex hac duplici eius actione colligunt Philoſophi, atque inprimis Ariſtoteles: vnde & vnam vim vocat facientem, alteram patientem. Demonſtrat autem vtramque maniſeſtiſſimè, quoniam in omni natura duo ſunt, vnum quod accipiat, & patiatur: alterum, quod det & agat. Nulla enim actio eſt, in qua non ſit & agens & patiens. Eſt autem manifeſta in nobis hæc intellectus actio, nempe intelligere. Scimus enim nos intelligere. Ibi igitur, hoc eſt, in intellectu, ſit agens & patiens, hoc eſt, & intelligens, & faciens intelligere, ſeu faciens intellectionem, & eam recipiens, neceſſe eſt. Duæ porrò mentes, ſubſtantiâ inter ſe diſtinctæ & differentes, in homine vno eſſe non poſſunt: quia tantùm vna eſt cuiuſque rei ſubſtantialis forma: Eandem igitur eſſe mentem, quæ & faciat intelligere, & intelligat, oportet. Sed vnam & eandem r[illegible]m, reſpectu eiuſdem, eſſe & agentem, & patientem ἀδύνατον eſt. Duplicem igitur eſſe vim in mente, vnam, qua agat, & alteram, qua patiatur: id eſt, vnam, qua intelligat: & alteram, qua res ſibi faciat intelligibiles, neceſſarium eſt.

Hîc verò nihil eſt abſurdi, cùm in aliis quoque rebus permultis, vtraque vis apertè conſpiciatur: vna, qua efficiant vt res capi poſſit, ſeu vt actu capiatur: altera, qua eandem capiant, atque retineant. Solis in aere lumen, vim habet vnam generandi ex aqua vapores: & alteram, eos ad ſe in ſublime attrahendi & retinendi. Idem lumen ſolis, colores quoſdam, puta Iridem, in nubibus facit: & eoſdem etiam recipit ac retinet. Anima vegetatiua, varias habet vires: vnam, qua cibum concoquendo, bonum inde gignat nutrimentum: alteram, qua nutrimentum ipſum recipiat. Et oculi animalium eorum, quæ noctu vident, vt felis, in eadem oculorum eſſentia, vires habent geminas: per quarum vnam, imagines colorum ex rebus coloratis eiiciunt, (non enim id fit per lumen externum, cum noctu nullum ibi adſit;) & per alteram, eas capiunt ac retinent. An non ipſa imaginitiua facultas, ex variis imaginibus rerum à ſenſu communi in ſe translatis, mirabiles elicit ac componit phantaſias: vt ex ſpecie auri, & ex ſpecie montis, montem aureum: & eaſdem etiam in ſe recipit & retinet? Abſurdum igitur non eſt, in ipſa etiam parte intellectiua, hanc duplicem eſſe vim agendi vnam: patiendi, hoc eſt, recipiendi alteram.

Accedit ipſius Ariſtotelis teſtimonium, qui de anima lib. 3. cap. 5. poſtquam concluſiſſet, in omni natura, eſſe hoc vtrumque: vnum, quod patiatur, & alterum, quod agat: concludit & de anima in hæc verba: Ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς, τῷ πάντα γίνεσθαι· ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν. Notandum, quod ait in ipſa anima, eſſe has διαφοράς, quas etiam vocat νοῦς: vnum, qui omnia fiat; dum ſcilicet omnia intelligendo, percipit; alterum, qui omnia faciat; nempe vt intelligantur. Atque hinc apparet, Ariſtotelem nomine duplicis intellectus, non intellexiſſe duas ſubſtantias, aut extra animam (vt Auerroes docuit,) quia ait eſſe eos ἐν τῇ ψυχῇ; aut etiam in ipſa anima, quia vnam tantùm nominat animam, quæ vna tantum eſt ſubſtantia. Nomine igitur duplicis intellectus, agentis & patientis, duplicem animæ, ſuæ mentis humanæ vim intellexit. Ac proinde eandem mentem eſſe, quæ & faciat intellectionem, vna vi ſua; & intellectionem à ſe factam, recipiat, altera vi itidem ſua. Atque hoc eſt, quod ait pati. Qui enim recipit, dicitur pati; ſed hoc pati in mente, eſt perficiens mortem, non autem perdens vel corrumpens. Sic etiam oculus, dum recipit colores, perficitur, non perditur, & corpus recipiendo animam, & anima recipiendo lumen Spiritus ſancti perficiuntur. Proinde ipſorum pati, dum hæc recipiunt, perfectionis eſt, non corruptionis. Manifeſtum igitur eſt, ex ipſius etiam Ariſtotelis ſententia, duplicem eſſe ipſius humani intellectus vim ſeu δύναμιν; vnam, qua ipſemet efficit intellectionem; alteram, qua ipſemet etiam eam recipit, eóque intelligit. Ac proinde eundem intellectum, reſpectu vnius potentiæ, facientem, & reſpectu alterius, patientem intellectum appellari. Eadem enim eſt anima, quæ agendo, repatitur, eo quo declarauimus modo. Nunc ex iis, quæ de vtroque (vt vocant) intellectu, faciente & patiente tradit Ariſtoteles; breuem vtriuſque definitionem colligo.

THESIS III.

Intellectus patiens, ſeu potentia, ſeu (vt alij vocant) poſſibilis, vis eſt partis intellectiuæ, in vnoquoque homine propria, nulli affixa organo corporeo, omnique carens materiali natura: qua mens humana ſuapte natura capax eſt omnium rerum, nempe vt earum natura intelligat.

Explico & confirmo ſingula.

PRimò, *vim eſſe partis intellectiuæ*, iam demonſtrauimus. Si enim mens humana capax eſt rerum intelligibilium

aliqua ſua vi capax ſit oportet. Nam omnes etiam ſenſus, quicquid percipiunt, vi ſua percipiunt: & ſua natura tales ſunt, vt percipere omnia ſenſilia queant.

Secundo. *Eſſe vim animæ, non autem aliam ab anima ſubſtantiam: eámque abſtractam*: ex iis itidem, quæ diximus, manifeſtum eſt: atque ex iis etiam, quæ mox dicentur, contra vnum in omnibus intellectum, perſpicuum magis fiet.

Si enim vis hæc, ſubſtantia eſſet abſtracta, non eſſet in ipſa anima, vt aperrè ex Ariſtotele ipſo demonſtratum eſt: qui ait has διαφορὰς eſſe ἐν τῇ ψυχῇ: hoc eſt, intellectû, quem vocant potentia & facientem, ita eſſe in anima, vt ſint aliquid animæ. Deinde idem Ariſtoteles ait, *animam principium eſſe quo viuimus, ſentimus, intelligimus primo*: quòd non poteſt eſſe aliquid ab anima diuerſum ſeparatúmque.

Tertiò, *hanc vim in vnoquoque homine eſſe propriam*, ita vt non vnus ſit in omnibus intellectus (vt vocant) poſſibilis, quo quiſque homo intelligat, vt ſomniat Auerroes: nihil eſt certius.

Si enim vires ſentiendi, non ſunt eædem in omnibus hominibus, cur vim intelligendi eandem faciant in ſingulis?

Perinde igitur vnus homo atque alter, vnam & eandem rem intelliget. Vbi enim vna & eadem numero vis, ibi etiam eadem fuerit actio. Hinc nos Chriſtiani euincimus: quicquid Pater operatur: idem & Filium operari, quia ſcilicet vna eſt & eadem vtriuſque potentia, & contrà: quia vtriuſque eſt eadem operatio, ideo & vnam eandémque eſſe potentiam, eóque & Deitatem. Scripſit aduerſus hanc Auerrois ſententiam, de vno in omnibus hominibus intellectu: ipſe etiam Porcius, in lib. de humana mente. Et Thom. contra Gent. lib 2.c.27. Et 1 p. q.76.

Quartò, Diximus *vim hanc nulli eſſe affixam organo corporeo*: nempe ſicut ſunt vires ſenſitiuæ. Eſt enim pars intellectiua cum ſuis viribus omnibus in corpore, ſed nullæ ipſius vires affixæ, ſunt organo corporeo vllo modo, ſicut vires ſenſitiuæ, quatenus organis communicatæ ſunt. Sic enim etiam cum ſuis organis pereunt, ſeu euaneſcunt. Sed illæ eædem, quatenus radices habent in anima, non ſunt affixæ organo, ſed animæ, eóque cum anima etiam ſemper manent. At vires intellectiuæ nulla ratione, affixæ ſunt organis. Ratio eſt, quia pars intellectiua, in ſua operatione, non opus habet organo, vt inſtrumento, ſed tantùm vt materia intelligibilis, per corporeos ſenſus ſuppeditetur. Anima enim ad intelligendum, organo corporeo, tanquam inſtrumento, neque vtitur, neque opus habet, vt in prima quæſtione oſtenſum eſt. Neque igitur eius vis, qua intelligit, organo affixa eſt. Ac ſi eſſet affixa organo, ſeneſcente organo, ac vires amittente, vis quoque animæ ei affixa, ſeneſceret, ac infirmaretur. Hoc verò falſum eſſe, à ſenum prudentia & intelligentia, quæ maior in ipſis eſt, quàm in iuuenibus, manifeſtè euincitur.

Quòd ſi excipias, imò in iis, qui ſtulteſcunt, apparet ideo locum non habere vim intelligendi, quia organum viriatum eſt, & læſum. Ergo ſi ideo iſti impediantur, ne poſſint intelligere & ratiocinari: quia organum phantaſiæ læſum eſt: apparet organo opus eſſe menti, ad intelligendum. Sed reſponſio facilis eſt: hinc nil aliud concludi: niſi organum phantaſiæ, & phantaſiam, neceſſariam ad hoc eſſe menti in hoc corpore: vt per eam ſuppeditentur menti phantaſmata: hoc eſt, materia, circa quam verſetur mens: ſicut etiam ſenſus externi opus habent obiectis externis, ad ſuas exercendas operationes. Verùm mens, non opus habet organis ad intelligendum: ſicut ſenſus ſuis ad ſentiendum: ſed modò abſit obiectum, à phantaſia ſuppeditatum; Mens ſua ipſius vi intelligit omnia, ſicut etiam ſe ipſam: quæ vis euincit, eam eſſe incorpoream, & incorruptibilem.

Quintò, Adiecimus, *vim hanc omni carere materiali natura*: hoc eſt, eſſe prorſus immaterialem. Probat hoc Ariſtoteles, quia alioqui percipere non poſſet, neque diſcernere res materiales inter ſe: ſicut neque oculus colores: ſi colorem in ſe haberet vllum: id quod in prima Quæſt. abundè fuit à nobis demonſtratum.

THESIS IV.

Intellectus faciens, vis eſt partis intellectiua, in vnoquoque homine propria: nulli affixa organo, omnique carens materiali natura: qua mens humana, res potentia intelligibiles, actu vt intelligantur, ſuo lumine atque actione efficit.

SI excipias officium huius, quod diuerſiſſimum eſt, ab officio ſuperioris intellectus: cùm vnus agat, alter patiatur, in reliquis omnibus, quæ ad eſſentiam pertinent, conſentiunt inter ſe. Ideo eo priores partes huius definitionis, non opus habent probatione neque explicatione: ſed tantum poſtrema de officio.

Porro Ariſtot. explicat hoc facientis intellectus officium exemplo Solis: qui colores ſua natura viſibiles, efficit ſua luce, vt actu ab oculis videantur. Ita res ſua natura intelligibiles: vis hæc animæ, faciens intellectus appellata, efficit ſuo lumine, ſuáque actione, vt res actu intelligantur. Ideo hanc vim comparat habitui & lumini. Habitus, actus eſt primus, actio, ſecundus. Ab habitu autem deriuatur actio, ſeu ab actu primo, ſecundus. Et quæcunque manifeſtantur, à lumine manifeſtantur, inquit Ariſtoteles. Ideo ſubdit Ariſtot. cap 5. de anima. lib. 3 Quodam enim modo etiam lumen ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα, ἐνεργείᾳ χρώματα. Dixit *ſpêcie nam facere colores, qui erant potentia, non colores actu*: quia lumen non efficit, vt ſimpliciter colores ſint colores: ſed vt ex coloribus potentiâ viſibilibus, fiant actu viſibiles: quod proprium eſt coloris, vt ſint ſcilicet viſibiles. Sic vis mentis, quæ intellectus faciens vocatur, non efficit, vt res intelligibiles, ſimpliciter intelligibiles: ſed vt actu intelligantur Quòd ſuo lumine. Quódnam eſt hoc? Lumen à Deo mentibus noſtris traditum, in ipſorum animorum creatione: lumen ſcilicet diuinum & incomprehenſibile. Vnde & immortalitas totius animæ euincitur. Hoc lumen intellectus agentis, hoc eſt, animæ noſtræ, non minima pars eſt imaginis Dei, in qua creati ſumus. Eſt enim Deus lux perfectiſſima. Obſcurata tamen fuit lux nobis communicata, per peccatum Adæ. ſed illuſtratur denuo per Chriſtum. Vnde hac noua luce, Deum Deíque myſteria intelligimus: quę certè animalis homo percipere non poteſt. Proinde cùm eſſemus tenebræ, denuo facti ſumus & vocamur lux in Domino.

Ex hac noua luce, donata per Chriſtum intelligimus, quid ſit intellectus faciens: vis mentis atque lux, qua fit, vt res ſua naturâ intelligibiles, re ipſa intelligantur, & intellectæ in mentem ipſam recipiantur atque figantur, vi qua prędita eſt recipiendi, & quam propterea intellectum patientem vocant. Exemplo ab oculi operatione ſumto, res fit perſpicua: quo & Ariſtoteles in hac re vtitur. Ad viſionem faciendam, requiruntur tria præcipua, vis oculi, qua recipere colores poſſit: obiectum externum, color ſcilicet, cuius imago recipiatur: & lumen, quo color ſua natura viſibilis, actu videri queat. Vis oculi, receptiua coloris, eſt, vt intellectus patiens. Vis lucis, qua fit vt color videatur, & viſus recipiatur in oculum, eſt, vt intellectus faciens. Eſt itaque intellectus faciens, ſplendor animi humani, intellectionis efficiens. Patiens autem intellectus, eſt vis, qua in mentem recipiantur rerum intellectarum imagines, imprimantúrque. Ac ſatis de intellectu faciente & patiente, ſeu potentia. Nam, vt antè dixi, reliquæ definitionis partes, non egent explicatione ac confirmatione: quia ſi talis eſt patiens, nempe omni carens materia, nullique affixus organo: multo magis talis fuerit faciens, cùm faciens ſemper nobilius ſit patiente. Ariſtoteles 3. *de anima, cap.* 1. apertè dat agenti intellectui, quod ſit primò χωριστός, ſeparabilis ſcilicet à corpore. Secundo quod ſit ἀμιγής, non mixtus materiæ corporis. Tertio, quod ſit ἀπαθής, impaſſibilis. Quarto, quòd ſit τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια id eſt, actu, ſua ſubſtantia ſemper exiſtens, & denique quòd ſit ἀθάνατος καὶ ἀΐδιος. Sed quod ille dicit de intellectu faciente, nos intelligimus de tota anima humana, quoniam talem eam eſſe, ſcripturæ prædicant: vt partim vidimus, partim viſuri ſumus ſuo loco: idque etiam ex hoc ipſo Ariſtotelis loco euincimus. Si enim talis eſt intellectus faciens: & intellectus faciens, non eſt aliquid ab anima ſicut à corpore ſeparatum, ſed ita eſt in anima, vt ſit aliquid, id eſt, vis animæ (ſupra enim initio capitis dixit, tam hunc, quam patientem eſſe ἐν τῇ ψυχῇ) profectò efficietur, totam animam, talem eſſe, ſeparabilem ſcilicet à corpore, non mixtam, ſeu non affixam materiæ corporis, impaſſibilem, ſemper ſua ſubſtantia actu non exiſtentem: immortalem, ſempiternam. Sed hæc ſuo loco. Vidimus primam intellectus partitionem, nempe in facientem & patientem. Subdimus alteram, eamque veram & ſolidam. Multas enim vanas prætetimus.

THESIS V.

Duplex item eſt intellectus, practicus & ſpeculatiuus.

SVmitur hæc diſtinctio, non tam à rebus, quæ cognoſcuntur, quàm à viribus animæ, quibus cognoſcuntur. Itaque non eſt aliena à noſtro inſtituto. Vt hoc intelligatur, notandum eſt, in mentibus noſtris, iam inde à cuiuſque animi creatione, in ita eſſe à Deo duo notionum genera, quas κοιναὶ ἔννοιαι vocant; vnam boni, alteram veri. Ab illa

priora

priore naſcitur iudicium virtutum & vitiorum. Eſt enim omnibus naturaliter inſita cognitio quædam boni & mali, æqui & iniqui, vt Rom. 2. docet Apoſtolus de Gentibus, quæ legem quidem non habebant Moſis, ſed tamen opus legis habebant ſcriptũ in cordibus ſuis. Ab altera naſcitur iudicium veri & falſi, quod etiam ex parte inſitum eſt omnibus. Vnde & idem Apoſtolus ait, *etiam inuiſibilia Dei, & Deum ipſum cognitum ſuiſſe à Gentibus, per ea, quæ facta ſunt, &c.* præterquam quod omne bonum, etiam eſt verum. Quia igitur in nobis inſitæ ſunt hæ cõmunes ἔννοιαι boni ac veri, inde fit, vt mens humana vim habeat quandam, qua diſcernere poſſit bonum à malo, æquum ab iniquo, & alteram, qua diſtinguat verum à falſo. Hæc igitur duplex vis, duplex intellectus vocatur, practicus vnus, ſpeculatiuus alter: quia vna vi cognoſcimus, quæ ad praxim, hoc eſt, quæ ad humanas actiones & officia ſpectant, altera, quæ ad ſolam contemplationem: & hæc in ſimplici rerum cognitione poſita eſt. De practico ſic ait Ariſtoteles: Πρακτικὸς ἐστὶν ὁ ἕνεκά του λογιζόμενος. Et 3. de anima: τῷ δ᾽ ἕνεκα διαφέρει τῷ τέλει. De altero ſic ibidem, ὁ μὲν γὰρ θεωρητικὸς οὐθὲν νοεῖ πρακτικὸν, οὐδὲ λέγει περὶ τοῦ φευκτοῦ, καὶ διωκτοῦ οὐθέν. Sic igitur definimus vtrumque. Intellectus practicus vis eſt mentis humanæ, qua quid bonum, quidve malum: quid perſequendum, quidve fugiendum ſit, nouimus. Intellectus ſpeculatiuus, vis eſt humanæ mentis, qua quid verum, quidve falſum ſit, intelligimus & contemplamur, ac præterea nil quærimus.

Quàm verò vtilis ſit hæc diſtinctio: inde apparet, quòd tota Philoſophia ex hac diſtinctione deriuata eſt. Ab intellectu quidem practico, tota moralis orta eſt: quæ poſita eſt in vitæ moribus, officiiſque humanis. A ſpeculatiuo autem, tota naturalis Philoſophia, adeóque omnes ſcientiæ, quæ in rerum tantùm cognitione ac contemplatione verſantur. Huc pertinet & ſacrarum literarum partitio: in legem, quæ de vitandis & perſequendis eſt: & in Euangelium, quod propriè in Dei cognitione beneficiorúmque eius per Chriſtum collatorum, contemplatione, eóque in fide & fiducia verſatur. Non potuit igitur hæc diſtinctio omitti: tum quòd ad vires pertineat animæ: tum quòd cognitu vtiliſſima ſit. Cum intellectu coniungimus memoriam intellectiuam.

THESIS IV.

Eſt autem memoria intellectiua, vis intellectiuæ partis, nulli affixa organo: qua rerum ab intellectu poſſibili perceptarum imagines cuſtodimus ac conſeruamus, eaſdémque cùm libet opúſque eſt, referimus ac renouamus, & ſi exciderint, quaſi mortuas reſuſcitamus.

SIcut enim ſenſus, ſuam habent memoriam ſenſitiuam, in quam recondunt, quæ perceperunt ſingularia: ſic intellectus ſuam: in qua collocat ac figit, quæ à ſe percepta ſunt, vniuerſalia. Hæc enim ſunt obiecta memoriæ intellectiuæ propria & per ſe. Idcirco poſt ſeparationem à corpore: Animæ noſtræ non prorſus omnia obliuiſcuntur. Quanquam dum ſumus in hac vita, ſicut phantaſia ſeruit intellectui: ſic memoria ſenſitiua, ſeruit intellectiuæ. Reliqua nota ſunt. Hactenus igitur de prima vi intellectiuæ, nempe de apprehenſiua.

De vi intellectiuæ partis Motrice.

DVæ ſunt Motricis partes, vna imperans, altera proſequens ſeu exequens: vt ſuprà etiam vidimus in viribus ſenſitiuæ. Ergo

THESIS I.

Motrix imperans, eóque prima vis in homine, qua ad aliquid agendum mouetur, eſt voluntas.

SIcut enim prima imperans in ſenſitiua, eſt appetitus ſenſitiuus, ſic in intellectiua, eſt appetitus intellectiuus. Hic autem eſt voluntas: vis ſcilicet, qua volumus: Nam voluntas aliquando capitur pro obiecto, quod volumus: vt, hæc eſt voluntas Dei, vt credatis in Filium, id eſt, hoc eſt, quod vult Deus. Nonnunquam pro ipſa actione voluntatis, qua volumus. Sæpiſſime pro ipſa facultate volendi: vt hîc. Quæ & intellectiuus, rationaliſque appetitus appellari ſolet.

Eſt autem voluntas humana, vis partis intellectiuæ, nulli affixa organo, qua quicquid boni, aut veri, aut apparentis, nobiſque poſſibilis, efficacius percipimus, liberè volumus: & ad illud perſequendum nos ipſos mouemus. Et contra, qua malum nolumus, ab eóque ſponte refugimus.

Neque verò eſt, cur hic ſingulas has partes probemus: quoniam ſeorſum dicendum erit de voluntate liberóque arbitrio. Nunc tantùm de ea loquimur, quatenus prima vis eſt, qua ad aliquid appetendum, vel refugiendum, homo primum ac principaliter mouetur. Nam in nobis, etiam appetitus ſenſitiuus, ſua non caret ratione. Cùm enim tota anima noſtra rationalis ſit: omnes quoque actiones noſtræ, aliquam habent rationem vel veram, vel apparentem: ſicut etiam Ariſtoteles docet in Ethicis.

Obiectum itaque voluntatis eſt bonum in genere à nobis cognitum; vel verè, vel apparenter bonum, illúdque nobis poſſibile. Nam ſi prorſus nobis impoſſibile eſſe videatur, deſiderare quidem illud poſſumus, ſed propriè velle non dicimur. Ad illud enim voluntas non mouebit corpus, vtpote ad rem deſperatam. Quis enim dicat, ſe velle inſtar auis volare, eóque ad id ſua moueat corpora? Nemo ſanè. Quid ita? Quoniam licèt res ſit optabilis, nouit tamen, rem ſibi eſſe impoſſibilem. Non igitur omne bonum propriè vult voluntas, ſed poſſibile, quoniam ad hoc tantùm, mouet omnes animi & corporis vires.

THESIS II.

Vis autem proſequens, vis eſt ſpirituum, muſculorum, neruorum, omniumque corporis membrorum.

HÆc ſuperiùs explicata fuit; pertinet enim ad vires ſenſitiuæ partis.

Eſſe autem voluntatem noſtram, eam primam vim, quæ ſuo nutu omnia imperet, & cui ſtatim dictum factum obeditur; quotuſquiſque noſtrûm eſt, qui non milties in die experiatur? Quicquid volumus & ſperamus, ad illud exequendum omnes vno momento accurrunt animi & corporis vires; ſpiritus inprimis mouent muſculos; inde neruos, chordas, omniáque membra; vt verè appareat, voluntatem, Reginam eſſe in hoc corpore; ſicut Philoſophi docuerunt. Et quis poſſit hanc omnium virium animi & corporis, promptam & ſubitam erga voluntatem obedientiam percipere? Quod ſi tanta eſt vis voluntatis noſtræ in corpore humano: vt omnia membra ad eius nutum moueantur: quid dicemus de Deo in toto hoc Mundo? Quis mirabitur, quod ſcriptura dicat, nihil in hoc Mundo fieri, *ne paſſerem quidem perire, aut capillum cadere de capite noſtro ſine voluntate Patris noſtri?* Si hanc vim videmus in voluntate noſtra, vt totum corpus, & ſingula eius membra, ad quicquid velit, permoueat: Idque vno momento: audebimus id denegare Deo in corpore huius Mundi? Ergo, vt voluntas in nobis eſt prima vis animæ motrix: ita Deus primus eſt in toto orbe motor: vt verè dixerint Philoſophi, omnia ab ipſo moueri, ipſo immobili permanente. Et rectè Apoſtolus, *In ipſo,* inquit, *viuimus, mouemur & ſumus.* Prior ipſe igitur immobilis omnia mouet: nos non niſi moti mouemus. Diximus de omnibus præcipuis & partibus & viribus animæ.

CAPVT IV.

QVO TERTIA EXPLICATVR quæſtio: nempe,

De vnitate animi humani.

VEtus etiam quæſtio eſt, tum apud Philoſophos, tum apud Theologos, de vnitate animæ: an vna ſit, vel plures, in vno eodémque homine. Tres autem ſunt hac de re ſententiæ. Vna eſt, plures in vnoquoque homine, eſſe animas: vegetatiuam, ſenſitiuam, intellectiuam. Altera huic longè diuerſa eſt: vnam duntaxat eſſe omnium hominum, qui vnquam fuerunt, aut futuri ſunt, animam ſeu mentem. Tertia, media eſt, neque plures eſſe in vnoquoque animos; neque vnam omnium mentem: ſed vniuſcuiuſque vnam: quæ tribus conſtet partibus; vegetatiua, ſenſitiua, intellectiua. Duæ itaque priores mihi refutandæ ſunt, tanquam impiæ atque erroneæ, & tertia confirmanda.

1. Prioris ſententiæ autoribus, occaſio ita ſentiendi, inde fuit data; quòd in vno eodémque homine obſeruarunt effecta viréſque, non ſolùm intellectiuæ; verùm etiam vegetatiuæ & ſenſitiuæ. Has autem non eſſe vnius & eiuſdem generis animas; ſed trium ac diuerſorum. Præſertim verò, quòd intellectiuam, immortalem eſſe nouerunt, reliquas autem duas, vnà cum corpore interire non ignorarunt; vt in plantis & brutis cuique manifeſtum eſt.

2. Adde, quòd affirmarunt, cùm generetur homo, priùs in Embryone (vt vocant) vegetatiuam generari: deinde ſenſitiuam: poſtremo, aliunde illi accedere intellectiuam. Ita factum eſt, vt putarint, tres vel duas minimum in homine eſſe animas: vnam ex materia parentum genitam: alteram à Deo creatam, vnam mortalem, alteram immortalem.

3. Acceſſit prætetea apud quoſdam Patres, quòd legerunt in ſacris literis, animam & ſpiritum, diſtinctè hominibus attribui: inde putarunt, vt Didymus Alexandrinus, nomine animæ ſignificari ſenſitiuam cum vegetatiua, vt vnam animam: Nomine autem ſpiritus, mentem, tanquam alteram animam. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus adducti nonnulli, duas ſaltem in homine animas eſſe putarunt.

1. Sed hæ rationes non euincunt, animas plures vnà, in vno eſſe homine. Nam ad *primam* quod attinet: ſcimus, vegetatiuam ſeorſum, vt in plantis, diuerſam eſſe ſubſtantia animam à ſenſitiua: quę eſt in brutis: ſed eadem vegetatiua, coniunctim cum ſenſitiua in eodem bruto, etſi viribus differt, eſſentiâ tamen non differt: eóque duæ non ſunt animæ, ſed vna duntaxat, quæ ſenſitiua appellatur, vegetatiuam in ſe complectens, hoc eſt, ſua virtute in ſe habens, quicquid virtutis erat in vegetatiua. Sic intellectiua in homine, ita præſtat cæteris duabus: vt quicquid virium habent vegetatiua, & ſenſitiua ſeorſum: illud ſimul totum & quidem præſtantius, in vna hominis anima reperiatur. Notandum igitur eſt: primum, in vno eodémque ſubiecto conſequentiam quidem valere, à pluribus diuerſiſque actionibus ad plures & diuerſas potentias: ſed minime à pluribus diuerſiſque potentiis, ad plures diuerſáſque formas ſubſtantiales: quando plures potentiæ in eodem ſubiecto eſſe poſſunt, & perpetuò inueniuntur. Vt potentia viſus, potentia olfactus, & reliquorum ſenſuum, tam internorum, quàm exteriorum, in vna, eiuſdémque animantis anima. Deinde notandum eſt, τὸ θρεπτικὸν καὶ τὸ αἰσθητικὸν ſimul coniuncta, bifariam accipi, modò pro partibus animæ bruti: modò pro partibus animæ humanæ: Et illas quidem in bruto, vnà cum corpore interire, cum ſint partes animæ, è materia corporis eductæ. Has verò ſimul cum τῷ διανοητικῷ, id eſt, parte intellectiua, incorruptibiles & immortales eſſe, cùm ſint eſſentiales animæ humanæ partes. Sicut ergo, nemo ſanæ mentis dixerit τὸ θρεπτικὸν, καὶ τὸ αἰσθητικὸν in bruto, duas eſſe animas & formas ſubſtantiales: ſic etiam dici nullo modo poteſt, hominem tribus conſtare animis, quia in eo ſunt, τὸ θρεπτικὸν, καὶ τὸ αἰσθητικὸν, καὶ τὸ διανοητικὸν, cùm hæ ſimul coniunctæ partes ſint vnius humanæ animæ, non autem ſingulæ, diuerſæ animæ: ſed ex iis ſimul coniunctis vna conſtet anima. Nunquid duo & tria, quia ſeorſim poſita, duos conficiunt numeros, binarium & ternarium: ideo etiam ſimul coniuncta, duo dicentur eſſe numeri? Minimè verò, ſed vnus duntaxat, nempe quinarius, qui in ſe continet binarium & ternarium: Id quod in figuris, etiam videre licet. Angulus enim & triangulus ſeorſim accepti, duæ diuerſæ ſunt figuræ: Nunquid, in quadrangulo coniuncti, duæ itidem figuræ eſſe dicentur? Aut non potiùs duæ vnius quadranguli partes? Sic ſe habet negotium de vnitate animæ & eius partibus. Ita apparet, licet in vno homine, ſint effecta viréſque tum ſenſitiuæ, tum vegetatiuæ, tum intellectiuæ, non inde tamen conſequi, ibi tres eſſe animas: cùm ſint tres duntaxat, illæque eſſentiales, vnius animæ partes. Quòd additur, vegetatiuam & ſenſitiuam, eſſe mortales, intellectiuam non: eóque diuerſas eſſe animas: ad hoc reſpondetur, id ſeorſum, & in brutorum animis eſſe verum; quod de vegetatiua & ſenſitiua aſſerunt. Sed in vna hominis anima, omnes hę partes immortales ſunt. Credo ad primam rationem, perſpicuè eſſe reſponſum.

2. Ad *alteram* de Embryone, reſpondetur, non ſequi, ideo tres in homine eſſe animas, quia primò vegetatiua ille viuat, deinde ſenſitiua, poſtmodum intellectiua. Secunda enim continet primam, vt ſuam potentiam, non vt aliam animam: Itidem tertia, ſecundam & primam; vt ſuas potentias; ſicut ternarius numerus, binarium & vnitatem; & quadrangulus, triangulum & angulum. Sic reſponderi ſolet; nec malè. Sed quòd aiunt, vegetatiuam & ſenſitiuam generari à parentibus; Intellectiuam creari; id ego ſimpliciter non conceſſerim. Si enim vegetatiuam & ſenſitiuam, pro partibus animæ humanæ accipias; ſimpliciter nego, illas à parentibus generari. Totam enim animam quæ ſpiraculo vitæ ſignificatur in ſcripturis, à Deo in homine creari cum tota Eccleſia credo, confiteor, doceo, & firmis rationibus demonſtrari poſſe contendo. Si autem illas non, pro partibus humanæ animæ intelligas; ſed vnam pro anima, plantarum animis ſimili: alteram pro tali anima, qualis eſt in brutis; quarum vtraque adueniente humana & illarum locum ſupplente pereat; illud ego non pernegauero. Recepta enim eſt in Eccleſia apud pleroſque nec indoctos, neque hæreticos ſententia: in hominis generatione primum creari à Deo, ex humano ſemine per parentum operam, τὸ θρεπτικὸν ſeu animam vegetatiuam: deinde ipſum αἰσθητικὸν, ſeu animam ſenſitiuam, & hac creata, vegetatiuam perire, idque ne duæ eſſentiales formæ in vno homine admittantur: Et poſtmodum animam verè humanam, ex nihilo creari: Et hac creata; ipſam quoque ſenſitiuam extingui: humanam verò præter proprium, vtriuſque etiam præcedentis officium facere. Per hanc enim, tanquam per vnicam, perfectámque hominis formam, nos & viuere, & intelligere & ſentire, atque velle. Ita ſecundùm hanc explicationem, abſurdum non eſt dicere, vegetatiuam & ſenſitiuam generari. Conſtat item, in homine nunquam plures vna forma eſſentiali, hoc eſt, anima, ſimul exiſtere inueniriue poſſe: quandoquidem primum ſola in eo vegetatiua: deinde ſenſitiua ipſius quoque vegetatiuæ vim in ſe habens, poſtmodum ſola intellectiua cum ſuis eſſentialibus partibus, tanquam ἐντελέχεια ineſt. Sed quod aiunt, præcedentem formam noua adueniente corrumpi, intelligo non ſimpliciter, ſed κατά τι, hoc eſt, ita vt iam amplius non ſit forma, non autem quod tota illa materialis ſubſtantia tollatur, & quod ad officium, non autem, vt ita loquar, quo ad Eſſe. Non defuerunt tamen qui ſenſerint, vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam, tanquam humanæ animæ partes, certo ordine à Deo, paulatim in humano corpore creari: nempe vt vegetatiua, prius ſola creetur, deinde poſt aliquod temporis ſpatium ſenſitiua: ac demum intellectiua: Ex quibus tanquam tribus eſſentialibus partibus vna conſtat anima. Nam etiam qui facit triangulum, primò trahit lineam vnam, deinde alteram ducit, & facit angulum: poſtremò tertiam addit, qua fit triangulus. Et qui ternarium efficit numerum, primò numerat vnum: deinde duo: ad extremum iis ſimul coniunctis ternarium facit. Neque tamen hinc fit, plures eſſe numeros, ternarium, & non vnum. Sed hæc ſententia licèt aliàs non diſplicuerit: nunc tamen mihi probari non poteſt: cum multis aliis de cauſſis: tum quia è ſacris literis quomodo colligi poſſit, non video: imò potius cum illis pugnare videtur. Vna enim actione, & vno eodémque tempore, Deus ſpiraculum vitæ in corpus humanum inſufflauit. Fuit autem inſufflatio illa, exemplar actionis illius, qua Deus in ſingulis hominibus, animas etiamnum creat. Sunt igitur qui doceant, totam animæ eſſentiam ſimul creari: quanquam non ſimul omnes partes, ſed certo ordine, prout organa corporis perficiuntur, ſuas exerant vires. Sicut enim cor primum eſt, quod viuit, & poſtremum quod moritur: ſic etiam primùm, quanquam initiò imperfectum, deinde perfectius aiunt formari: eóque ibi etiam primùm vegetatiuam partem, ſuas exercere vires. Inde autem fieri, vt primò viuamus, ſicut plantæ: ſecundo ſentiamus, vt animalia: poſtremò etiam vt homines intelligamus, & ratiocinemur: quanquam de principio, tota anima fuerit in nobis creata.

Hoc contendit, multíſque demonſtrat Tertullianus, in libro de anima: Intellectum ſcilicet nunquam ſeparari ab anima, neque animam fuiſſe vnquam ſine intellectu: quanquam non ſemper actu intelligat. An non etiam ſenſitiua parte, omnibúſque ſenſuum potentiis præditus eſt fœtus in vtero perfectus? Quid ni? Nunquid tamen aut videt, aut audit aut odoratur? Ergo etiam abſurdum non eſt, quod Tertullianus docet, animam humanam, qua viuit homo, etiam in vtero non ſolum perfectè formatus, nunquam fuiſſe ſine intellectiuo & ἡγεμονικῷ; licèt non ſemper actu intellexerit. Hoc enim ideò fit; tum quia materiam circa quam verſetur, intellectus in vtero matris non habet, tum quia nondum perfecta ſunt organa, quibus ad actiones mentis vti ſolemus. Nam ſi anima, vtpote tabula raſa, de Ariſtotelis ſententia, nil percipit, niſi quod à ſenſibus prius percipitur; & per phantaſiam ei ſuppeditatur; quomodo poteſt in vtero intelligere, vbi ſenſus nil ei ſuppeditant, aut ſuppeditare poſſunt? Si tamen Deus, aliquid in eius mentem immittat; quidni intelligat? Quò pertinet, quod legimus de Iohan. Baptiſta; illum in vtero matris exiliiſſe, poſt auditam à matre ſalutationem Mariæ. Ab vtero enim matris fuit repletus Spiritu ſancto; vt Lucas teſtatur. Quo ſignificatur, Ioannis mentem in ipſo etiam vtero matris, non caruiſſe lumine Spiritus ſancti, quo Chriſtum iam incarnatum eſſe cognouerit.

Pertinent huc etiam, quæ ſcribit Nyſſenus de anima lib. 2. cap. 8. *Cæterùm*, inquit *quamuis infantibus, in primis vitæ rudimentis, ſolus irrationalis motus adſit: animam tamen rationalem habere eos dicimus: quoniam adulti, rationis actum demonſtrant.* Stante hac Tertulliani & Nyſſeni ſententia; corruit argumentum

tum

tum illud, ab embryone ductum: quoniam negamus in embryone eſſe vegetatiuam animam, ſine ſenſitiua parte & intellectiua, ad ſubſtantiam ipſarum quod attinet. Anima enim hominis vna eſt, eaque indiuiſibilis. Neque quando Deus inſpirauit ſpiritum in Adamum: primum vnam animam inſpirauit, deinde alteram: ſed omnes ſimul partes, hoc eſt, totam animam inſpirauit.

3. Quod verò Didymus Alexandrinus adferebat de anima & ſpiritu: declaratum à nobis aliàs fuit. Anima enim ſæpe pro parte ſenſitiua, ſpiritus pro intellectiua capitur in ſcripturis: quæ partes ſunt eiuſdem animæ; non autem diuerſæ animæ. Ita nullam rationem video, qua euinci poſſit, plures vnà in homine eſſe animas.

Contrà verò fieri non poſſe, vt vnus homo, plures habeat animas, efficaciſſimis demonſtratur rationibus, non tam è ſacris literis, quàm etiam è Philoſophia petitis; vſque adeo, vt verè ſcripſerit Porcius lib. de mente humana, cap. 3. *Nihil abſurdius in Philoſophia dici poſſe, quàm plures animas ſubſtantiâ diſcretas, in eodem homine, actu exiſtere.* Et Ariſtoteles hoc Platonicum dogma refutat ex profeſſo, in lib. de anima primo. Et Thomas Aquinas contra Gen. libro ſecundo. cap. 58. Item 1. part. q. 76. art. 3. Vnam tantum aut alteram afferam rationem breuitatis cauſſa.

1. Vnius hominis, non poteſt eſſe, niſi vna eſſentialis forma: ſicut etiam cuiuſvis compoſiti ex materia & forma. Nam vnaquæque res compoſita, ſicut habet Eſſe per formam: ſic etiam per eandem, eſt vna: quia ab eodem habeat, & vt ſit Ens, & vt ſit vna: omnino neceſſe eſt.

Atqui hominis forma, eſt anima. Eſt enim ea, qua fit vt homo ſit & vocetur animal, illúdque ratione præditum. Hoc infrà etiam magis ac magis confirmabitur. Fieri igitur nequit, vt plures ſint in vno homine animæ.

Quòd ſi excipias, anima intellectiua ſola eſt hominis forma, eáque eſt vna; reliquæ duæ non ſunt forma hominis: facilè refellitur iſta exceptio. Homo enim per ſe, ſicut per intellectiuam dicitur homo; ſic per ſenſitiuam, animal eſt, & per vegetatiuam viuens. Ergo tam vegetatiua & ſenſitiua ad formam hominis pertinent, quàm intellectiua: alioqui per accidens homo diceretur eſſe animal, & vnum: ſi vegetatiua pars & ſenſitiua, vnà cum intellectiua, non eſſent eſſentialis hominis forma. Apparet igitur, fieri nullo modo poſſe, vt in vno homine plures ſint animæ eſſentiâ differentes. Quare rectè Ariſtoteles, varias partes eiuſdem animæ nominauit, non plures animas. Sed partes vnius animæ: quia optimè nouerat optimus Philoſophus, ſimpliciter eſſe ἀδύνατον, vt vnius ſubiecti plures ſint formæ ſubſtantiales. Tam verè autem ſubſtantialiter, & eſſentialiter de homine prædicatur, quòd ſit viuens, & animal ſentiens, quàm quòd ſit intelligens. Sicut enim fieri non poteſt, vt quod eſt vnum indiuiduum, ſit multa indiuidua; & quod eſt vnius ſpeciei, diuerſarum ſit ſpecierum; ſic fieri nullo modo poteſt, vt aliquod indiuiduum, & vnius ſpeciei Ens, plures habeat formas eſſentiales: Ratio eſt: quia quæque eſſentialis forma efficit, vt ſit vnum tantùm Ens, & vnius tantùm ſpeciei Ens: quando vnumquodque habet à forma, & vt ſit, & vnum ſit, vniúſque ſpeciei. Eſt autem omnis anima, eius rei, cuius eſt anima, ſubſtantialis forma: qua fit, vt ab aliis ſpecie diuerſis, differat ſpecie: vt planta à bruto per vegetatiuam ſuam formam: & brutum ab homine, per ſuam ſenſitiuam: & homo ab vtroque, per ſuam intellectiuam. Si igitur homo plures haberet animas: plures haberet formas ſubſtantiales: eóque non differret aut à brutis, aut à plantis: ſed eſſet & homo ſimul, & beſtia, & planta. Adde & hoc, ſi τὸ θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, καὶ διανοητικὸν, in homine tres ſunt animæ, ſubſtantia inter ſe differentes: 1. aut nulla ipſarum, erit hominis forma: 2. aut quælibet ſeorſum fuerit, eóque tres formæ vnius hominis: 3. aut vna tantum, puta intellectiua, forma erit, & reliquæ non erunt: 4. aut omnes ſimul erunt vna forma. Atqui nihil horum dici, affirmatiuè poteſt. Non ſunt igitur tria hæc, tres in homine animæ. Nam primum dici non poteſt: nullam ſcilicet ipſarum, eſſe hominis formam. Fatentur enim omnes, hominem conſtare ex corpore, tanquam materia, & anima, tanquam forma. Et Ariſtoteles definiuit animam eſſe ἐντελέχειαν corporis, &c. hoc eſt, formam eius ſubſtantialem, per quam perficitur, & perfectum habet Eſſe. Neque infitiari poſſumus, quin anima principium illud ſit, quo viuimus, & intelligimus: vt Ariſtoteles definiuit. Tale autem principium, eſſentialis eſt forma eius, quod per eam viuit, ſentit, intelligit. Proinde nimis abſurdum eſt, dicere nullam animam eſſe hominis formam. Vnde & meritò Plato refutatur, qui animam in corpore hominis ſimplicem voluit eſſe motorem: non autem talem motorem, qui etiam ſit forma eſſentialis: vt poſtea fuſius videbimus. Quare dici nullo modo poteſt, nullam animam, hominis eſſe formam.

2. Alterum etiamſi dixeris, omnes ſcilicet eſſe formas eiuſdem hominis: nimis abſurda dixeris, vt contradictionem implicaueris. Primò enim efficietur, vnum hominem, eſſe vnum indiuiduum, & multa: Plures enim formæ eſſentiales, plura efficiunt indiuidua. Sicut enim per formam vnam, quiſque habet, vt ſit Ens vnum: ſic per multas, multa ſint Entia & indiuidua oportet. Secundo, efficietur, hominem vnius multarúmque eſſe ſpecierum: nempe plantam propter vegetatiuã: beſtiam, propter ſenſitiuam: hominem, propter intellectiuam. Hæ enim diuerſæ animæ, diuerſa conſtituunt animalium genera: vt notum eſt, plantarum, beſtiarum, hominum. Quo quid abſurdius dici poteſt? Tertiò, conſequetur etiam, hominem vnum tribus conſtare corporibus, ſi tribus conſtat animis & formis. Quævis enim anima ἐντελέχεια eſt vnius corporis Phyſici organici, &c. Corpus igitur homo habebit plantarum, ferinum, & humanum. Quale monſtrum? Denique fiet, vt homo ſit homo, & non homo. Quod enim arbor eſt, aut aſinus, & equus, homo non eſt. Fuerit autem homo, propter animam vegetatiuam, arbor: & propter ſenſitiuam, brutum animal: erit igitur homo & non homo. Quare nullo modo dici poteſt, quamlibet harum animarum, hominis eſſe formam.

3. Tertium quoque dici non poteſt ſine magnis abſurditatibus, nempe etſi tres animæ ſubſtantia diſcretæ ſint in vno homine: illarum tamen vnam duntaxat, puta intellectiuam, formã eſſe hominis. Aut enim reliquæ duæ erunt ἐντελέχειαι: aut non erunt. Si erunt, formæ igitur eſſentiales fuerint eius, cuius ſunt ἐντελέχειαι. Eſſe enim ἐντελέχειαν, & formam eſſentialem: idẽ ſunt. Si non erunt ἐντελέχειαι: non igitur animæ. Omnis enim anima, ἐντελέχεια eſt. Neque vlla adferri poteſt ratio, cur potius intellectus, debeat eſſe ἐντελέχεια, quàm ſenſitiua & vegetatiua.

4. Reſtat quartum: vt dicas omnes ſimul vnam eſſe formam hominis. Sed neque hoc verè dici poteſt: ſi tres animas eſſe contendas. Ariſtoteles enim quamque animam ſic definiuit, vt dixerit: & eſſe ἐντελέχειαν corporis Phyſici: & principium illud, nempe intrinſecum & formale, quo viuimus, ſentimus, intelligimus. Eſſe autem tale principium, & talem ἐντελέχειαν: quid aliud eſt, quàm eſſe formam ſubſtantialem? Contradictionem itaque implicat, eſſe tres animas, & tamen non eſſe tria principia formalia, tréſque ἐντελεχείας: ſed vnum principium, vnámque ἐντελέχειαν, & formam. Quod ſi hæc omnia abſurda ſunt: abſurdiſſimum igitur etiam fuerit, tres aut etiam duas animas in eodem eſſe homine. Hæc eſt primi argumenti explicatio illuſtrior. Adde iam & alteram rationem, quam Ariſtoteles affert contra Platonem.

II. Si plures ſunt animæ in eodem homine, inter ſe tamen ſubſtantiâ differentes: oportet illas eſſe nexu aliquo coniunctas. Sunt enim in vno homine, eóque vnitæ. Quid igitur illud ſit, quo coniunguntur, quæro. Certè illud fuerit aut ipſum corpus, aut aliquid corporis. In homine enim mox nato, præter animam aut animas, & corpus, nihil eſt. Animæ ſunt quæ vniuntur. Per corpus igitur: aut aliquid corporis vniantur oportet. Atqui corpus, aut aliquid corporis, non poteſt eſſe animarũ nexus. Animæ enim potius nectunt, & coniungunt ſibi corpus, quàm corpus ſibi animas. Hoc manifeſte apparet: quia ablata anima vel animis: mox diſſoluitur corpus, & omnia corporis membra. Fieri igitur nequit, vt multæ animæ in vno ſint hominis corpore: cùm neque per corpus coniungantur, neque ipſæ per ſe coniungi inter ſe poſſint; neque quidpiam aliud in homine ſit, quo coniungi inter ſe queant.

III. Adde iam omnium gentium, & cuiuſvis hominis teſtimonium. Quis enim vnquam ſenſit duas in ſe animas? Aut quis idololatra etiam iurauit per animas ſuas, & non ſemper per ſuam animam? Tertullianus omnes ad animam quemque ſuam, prouocat in hoc animæ negotio.

IV. Denique quod poteſt fieri per pauciora, non debet fieri per plura. Per vnam animã, nempe intellectiuam, quæ vim habeat & ſenſitiuæ & vegetatiuæ, vtpote illis perfectior, & ſuperior, poſſunt præſtari omnia, quę à ſingulis ipſarum exiguntur. Nam etiã Ternarius numerus continet in ſe binarium, & aliquid prætereà amplius, tertiam ſcilicet Monadem. Et Sol quicquid luminis eſt in ſtellis reliquis, ipſe in ſe habet. Nihil igitur neceſſe eſt, plures animas in vno homine fingere, cùm vna ſatis eſſe poſſit.

II. Altera quoque ſententia, quæ ſtatuit vnam eſſe omniũ hominum animam ſeu mentem, facilè refellitur eodem ferè argumento, quod tale eſt: Sicut vnius hominis non poteſt eſſe niſi vna anima, quia vna forma: ſic plurium plures ſint neceſſe eſt: quia plurium hominum plures ſunt formæ. Ab eadem enim forma, quiſque habet, vt ſit & Ens & vnus. Igitur multi à multis formis habeant, vt multi ſint oportet.

Quare vna omnium anima eſſe non poteſt: quia vna etiam forma, multorum eſſe nequit. Non enim dixit Ariſtoteles, *Animam eſſe ἐντελέχειαν corporum Phyſicorum*, ſed *corporis Phyſici*. Quòd ſi excipias, vt excipit Auerroes, huius ſententiæ autor. Nos non dicimus, vnam eſſe omnium hominum formam, ſed vnam mentem, ſeu vnum intellectum poſſibilem, quo intelligimus omnes: formas autem fatemur eſſe multas: eóque multas animas, ſed non multas mentes: ſi inquam ita excipias: nihil dixeris. Si enim humana mens, forma hominis non eſt: fuerit igitur ſenſitiua ipſa, aut vegetatiua. Neque enim alia animorum genera inueniuntur, niſi hæc tria, vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum. Quòd ſi ita eſt, quánam re igitur differt homo à brutis? Cogitatiua, inquit Auerroes, quæ organo affixa eſt. Verùm hæc, vis eſt ſenſitiuæ, & reipſa non differt à phantaſia. Quod enim in brutis ſimplex eſt & hebetior phantaſia: illud eſt in homine cogitatiua, id eſt, phantaſia acutior. Ita eludi non poteſt, quin efficiatur, hominem ab aſino non differre forma eſſentiali, eóque ſpecie: ſi vera ſit Auerrois ſententia. Clarius etiam reddo hoc argumentum. Si animus, quo intelligimus, eſt vnus numero, omnium hominum: is etiam eſt aut hominis forma, aut non eſt. Si non eſt, non eſt igitur anima, quia anima eſt ἐντελέχεια & forma corporis. Præterea anima eſt principium, quo ſicut viuimus & ſentimus, ſic etiam intelligimus. Omnes præterea concedunt, per animum quo intelligimus, differre nos à beſtiis: & hominem eſſe animal ratione præditum. Itaque fieri nequit, quin animus, quo intelligimus, forma ſit hominis. Quod ſi forma eſt, & tamen vnus numero eſt omnium hominum; efficietur, omnes homines, eſſe vnum numero hominem, quo quid abſurdius? Certiſſima enim eſt propoſitio: A forma vna haberi, quod aliquid ſit, ſicut Ens, ſic etiam vnum.

Si excipias, eſt vnus per ſe & in ſe, ſed multiplex, quatenus in vnoquoque recipitur homine, & cuique ſit ſuus, ſicut & lux Solis, vna eſt in ſe, ſed quatenus recipitur ab hoc & ab illo, per radios, fit multiplex, vnde & radiorum multitudo oritur: Si inquam ita excipias; nihil effeceris. Nam hac ratione, primò iſte intellectus poſſibilis, ſiue νοῦς: non fuerit vnus numero, ſed multiplex, vnus autem duntaxat ſpecie Hoc verò eſt, quod nos dicimus, ſicut & radij Solis non ſunt vnus numero, ſed multi. Secundò, animus iſte, verbi gratia, qui fuit in Paulo Apoſtolo, aut eo demortuo, factus eſt alterius alicuius animus, aut non eſt factus. Si non, hoc eſt, quod nos dicimus, ac proinde cuique eſt ſuus animus proprius: non autem vnus eſt omnium communis. Si eſt factus: Ergo ille, in quem demortuo Paulo ingreſſus eſt, tam fuerit doctus, ab ipſis etiam incunabulis: magnanimus & fortis in religione, atque Paulus. Non enim dici poteſt oblitus eſſe iſte intellectus, eorum quæ recepit, cùm in Paulo eſſet; cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis & incorruptibilis. Atqui hoc apparet eſſe falſum, quia nemo naſcitur doctus, nemo Theologus, nemo alius Paulus. Et experimur, veram eſſe Ariſtotelis ſententiam, qui ait, *cuiuſque animum* (& de hoc poſſibili intellectu loquitur) *eſſe initio, cùm naſcimur, inſtar tabulæ, in qua nihil vnquam ſcriptum fuerit.* Fieri igitur nequit, vt qui vnius erat intellectus: poſtea fiat alterius. Et ſemper damnata fuit iſta μετεμψύχωσις: multò minus igitur erit vnus omnium hominum intellectus. Omnes enim æquè docti eſſent, & æquè ſapientes.

Si vnus eſſet omnium intellectus, vnæ eſſent atque eædem omnium cogitationes, ſcientiæ, artes, conſilia. Operatio enim ſequitur potentiam. Quid autem magis cum vero pugnans atque hoc? Mentem, quam vocamus etiam intellectiuam animam, eſſe hominis formam, euincitur ex Ariſtotelis definitione.

Anima eſt principium, quo intelligimus porrò. Hoc autem principium, eſt ipſa mens. Mens igitur, anima eſt hominis, eóque & eius forma. Anima enim ἐντελέχεια eſt, hoc eſt, eſſentialis forma organici corporis, potentia vitam habentis.

Aliæ rationes Philoſophicæ, illæque firmiſſimæ, quibus hoc ſtultiſſimũ commentum refutatur, legantur apud Philoſophos, qui contra hanc Auerrois opinionem ſcripſerunt. Nemo autem non ſcripſit. Scripſit & Aquinas, in lib. contra Gentes lib. 2. c. 73. 75. Item in Q. Diſput. quæſtione de ſpiritualibus creaturis, art. 9. Et 1. p. q. 76. art. 7. Et Mar. Fic. de immortalitate animorum lib. 15 per multa capita.

In Theologia autem nihil eſt magis impium & pugnans cum ſacris literis. Si enim vna eſſet omnium anima & mens, omnes aut eandem haberent Dei cognitionem, fidem, pietatem, eóque omnes ſeruarentur: aut non eandem, ſed nullam fidem. Vna enim duntaxat eſt vera fides. Nam ſi vnus tantum eſſet intellectus in omnibus hominibus, numero: qualis in vno eſt, talis erit in altero: Imo efficietur, eundem hominem, & ſeruari & damnari; quia videmus alios fide præditos eſſe, alios non eſſe. Si igitur eſt idem in omnibus animus, omnes & ſeruabuntur & damnabuntur. Nunc itaque iis erroneis, impiiſque ſententiis, refutatis, veram affero, eamque confirmo.

THESIS.

III. Sua cuique homini, eſt anima, eáque vnica.

PRimum huiuſce Theſis membrum, perſpicuum eſt è ſacris literis: Primo in omnibus illis locis, vbi plures animæ nominantur, cùm multi ſignificantur, vt in Exodo, *omnes animæ ingreſſæ in Ægyptum, fuerunt* 75. id eſt, 75 homines, ſua quiſque anima præditi. Rom. 13. *Omnis anima ſubiecta ſit poteſtatibus*, &c. id eſt, quiuis homo. Et Ezech. 18. *Anima quæ peccauit*, &c. Secundo, in omnibus locis, vbi legimus aliis donari fidem, aliis non donari, alios iuſtificari, alios non, alios damnatum iri, alios æterna vita fruituros. Tertiò, imo ex iis etiam locis, vbi vnica tantum prædicatur anima cuiuſque hominis, euincitur etiam, vnumquemque ſuam habere animam propriam. Ne igitur fruſtra immoremur in re perſpicua: accedo ad alterius membri confirmationem.

Geneſ. 2. *Vnicum ſpiraculum inſufflauit Deus in Adamum.* ſunt autem omnes homines ei ſimiles natura. Vnde Geneſ. 5. *Genuit Seth, ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem ſuam*, id eſt, verum hominem, qualis & ipſe erat: & corruptum, ſicut & ipſe. Vna enim vox ad naturam refertur, & eſſentialem imaginem ſignificat: altera ad corruptionem naturæ. Illud Exodi 1. vbi animæ 75. hominum, ſeptuaginta fuiſſe dicuntur; euincit, vnicuique homini, vnicam fuiſſe animam. Et in Euangelio, vbi Chriſtus ait de ſingulis paruulis: *Animæ eorum ſemper vident faciem patris*: idem confirmat. Et in Actis Paulus ait de Eutycho adoleſcente; *Anima eius in ipſo eſt.* Et Stephanus, *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum*, id eſt, animam meam. Denique Chriſtus, *Triſtis eſt*, inquit, *anima mea*, non *animæ meæ*. Eſt autem ille ſimilis nobis per omnia, excepto peccato. Ad ſummam: Nunquam in ſcripturis dantur vni homini plures animæ, ſemper autem vna duntaxat. Ideo recepta eſt ſententia: Etſi in vno homine plures animæ facultates ſint: non plures tamen eſſe in eo animas; ſed vnam. Ideo apud Auguſt. To. 3. in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 15. ſic legimus: Neque duas animas eſſe dicimus in vno homine, ſicut Iacobus & alij Syrorum ſcribunt: vnam animalem, qua animetur corpus, & immixta ſit ſanguini; & alteram ſpiritualem, quæ rationem miniſtret; ſed dicimus vnam eandemque animam in homine, quę & corpus ſua ſocietate viuificet, & ſimul ipſum ſua ratione diſponat, habens in ſeſe libertatem arbitrij, vt in ſuæ ſubſtantiæ eligat cogitatione, quod vult. Hæc ibi.

CAPVT V.

QVOD QVARTÆ QVÆſtionis, nempe

De origine animorum, explicationem continet.

QVæſtionem de origine animorum, perdifficilem eſſe ſemperq; fuiſſe; luculenter docent multiplices variæque tum Philoſophorum, tum Theologorum ea de re ſententiæ, quas ferè omnes paucis cõplexus eſt verbis D Hieron. To. 2. in Epiſtola ad Marcellinum: recitatis illatum etiam autoribus. Ego & illas, & alias, quas omiſit, breuiter recenſebo. Deinde quid de vnaquaque ſentiendum ſit, fideliter explicabo.

Sunt autem tria præcipua capita, ad quæ tota hæc quæſtio refertur. Cauſa *efficiens*, à qua ſint; Cauſa *ex qua*; an e nihilo ſint, an verò ex re præiacente. Item *quando*, an ab ęterno, an in tempore: & an ante, an poſt efformatum corpus, an verò ſimul cum corpore fiant.

1. Fuerunt itaque, qui putarunt, animos à Deo quidem eſſe, ſed ex anima Mundi, ſubſtantiæ ſcilicet cæleſti, ſtellis conſimiles eóque incorruptibiles, & immortales: adde & omnes certo quodam numero, qui nec augeatur, nec minuatur, fuiſſe à Deo factos: in Cæliſque proprium habere domicilium: inde verò poſtquam cuiuſque formatum fuerit corpus, huc deſcendere, & corporibus, quibus deſtinati ſunt, vniri. Sententia hæc, Platonis, & ante ipſum, Pythagoræ fuiſſe videtur.

videtur:quam & Academici plerique omnes ſecuti ſunt. Hi omnes cogebantur admittere μετεμψύχωσιν.qua ſcilicet animæ ſeparatæ à primis corporibus, in alia migrarent, quod alioqui,ſi nouæ perpetuò crearentur, forent etiam infinitæ numero:quod Philoſophi non admittunt. Quæ opinio apud ipſos quoque fuit Iudæos: Vnde Chriſtum dicebant alij,eſſe Ioannem Baptiſtam, alij Eliam. Ab hac non multum diſſentit Origenis ſententia.

2. Alij itaque docuerunt cum Origene,in tempore poſt conditum orbem, è nihilo quidem factos à Deo fuiſſe: ſed omnes ſimul,cóſque in theſauro Dei, vt ait Iacob,ac veluti in fonte aliquo contineri, poſtea verò in corpora, aut diuinitus immitti, aut ſponte deſcendere crediderunt. Hanc ait Hieronymus, fuiſſe Theologorum quorundam ſententiam, ſed non nominat eos.

3. Quidam putarunt,animas humanas non ſolùm omnes ſimul conditas fuiſſe,verùm etiam è ſubſtantia Dei fuiſſe factas. Fuerunt ij poſt Stoicos Manichæi, & tandem etiam Priſcillianiſtæ. Ij enim ſtatum illum,de quo Geneſ.2. è ſubſtantia Dei profectum fuiſſe exiſtimarunt.

4. Sed neque defuerunt,qui contenderint,non à Deo,ſed ab Angelis factas fuiſſe animas omnes, idque ex igne & ſpiritu. Hi fuerunt Seleucus & Hermias, Galatæ, vt Philaſter Epiſcopus Brixienſis ſcribit pag. 44. quam poſtea hæreſim Meſſaliani ſecuti fuiſſe dicuntur. Sed primus omnium Carpocrates ſenſit, mundum totum ab Angelis creatum fuiſſe, eóque & animas. Iren.lib.1 cap.24.

5. Alij ſenſerunt,primam quidem animam è nihilo creatam fuiſſe à Deo, ínque corpus Adami immiſſam, vt Moſes docet,ſed reliquorū deinceps animas ex illa prima, vnà cum corporis propagatione propagari; ita vt ſicut corpus habemus ab Adami corpore,ſic etiam animam ab Adami anima, tanquam à prima radice,per traducem accipiamus: immortalem tamen. Sed qui ſic ſenſerunt,duplicis fuerunt generis. Alij enim ſenſerunt,animam eſſe corpoream,& item corporaliter generari. Ideo hanc damnat Auguſtinus. Alij eſſe ſpiritum: ideò ſpiritualiter propagari,ſicut lumen de lumine. Sic Apollinaris & alij Epiſcopi non pauci;quam & maxima eruditorum virorum pars,vt teſtatur Hieronymus, in Occidentalibus Eccleſiis,amplexata eſt.

6. Contrà alij negarunt eſſe per traducem, ſed quotidie nouas à Deo creari ex nihilo, ſingulaſque ſingulis indi corporibus. Defendit hanc Hieron.& ſcribit Eccleſiam ſuo tempore ſic ſenſiſſe,in Apol.contra Ruffinum lib.2.

7. Septima fuit Auguſtini ſententia,qui neque damnate eos voluit, qui animas per traducem eſſe docuerant: neque etiam negare, quin nouæ à Deo quotidie creentur, ſed ita hanc alteram ſententiam, ait ad Hieronym. ſe amplecti: vt tamen nondum videat, quomodo è ſcripturis poſſit demonſtrari. Ideò ab Hieronymo petit hoc fieri,ſéque doceri, Epiſt.28.

8. Poſtremò,eorum qui ſentiunt,animas creari quotidie nouas:Quidam ſentiunt,extra corpus creari,& deinde in corpus infundi. Alij in ipſo corpore creari. Quidam & creando infundi,& infundendo creari.

Hæ ſunt omnes, quas reperire potui,de animorum origine atque ortu,ſententiæ.

Sed priores quatuor iam ferè apud omnes gentes, quæ ſacras literas profitentur, ſua abſurditate euanuerunt. Vna itaque Theſi, illarum quatuor abſurditatem complector atque demonſtro.

THESIS I.

Anima humana neque ab Angelis, neque ex Dei ſubſtantia, neque ex ſubſtantia cœleſti, neque ab æterno, neque etiam ab initio mundi omnes ſimul condita fuerunt, ac proinde neque in cœlis, neque neſcio in quibus theſauris Dei creata latuerunt, laténtque prius & deinde in corpora deſcendunt.

PRincipio ad cauſſam *efficientem* animorum quod attinet, conſtat è ſacris literis, animas non fuiſſe creatas, neque creari ab Angelis:ſed tantùm à Deo,ſine Angelorum auxilio aut opera,vel miniſterio,Geneſ.1.ad cuius imaginem conditæ ſunt animæ:ab eodem etiam creatæ ſunt.Sunt autem ad imaginem non Angelorum,ſed Dei,c.2.ſolus Deus, *inſufflando Animam Adæ,creauit*,&c.Non ergo Angeli.In Symbolo confitemur vnum Deum creatorem eſſe omnium viſibilium & inuiſibilium:vt etiam Apoſtolus Coloſſ.1.docet.Animarum igitur etiam vnus eſt creator Deus. Et ſic Hebr.13. *Qui omnia creauit Deus eſt.*

Itaque meritò Eccleſia errorem hunc damnauit, vt teſtatur Leo primus,epiſt.93. ad Turibium Epiſcopum,c.10. Vbi poſtquam recenſuiſſet errores Priſcillianiſtarum de anima, ſubiecit hæc verba: *Sed omnes eos* (Priſcillianiſtas) *Catholica fides, à corpore ſuæ vnitatis abſcidit: conſtanter prædicans atque veraciter quòd animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuêre: nec ab alio incorporentur, niſi ab opifice Deo, qui & ipſarum eſt creator & corporum.*

2. Ad cauſam etiam *materialem*,quod attinet; conſtat inprimis,animas minimè è ſubſtantia Dei eſſe factas: ſententiámque hanc tanquam impiam atque hæreticam, fuiſſe ab Eccleſia damnatam, quemadmodum patet ex Epiſtola Hieronymi ad Marcellinum,de qua ſuprà: & ex epiſt. Auguſtini ad Hieronym. 18. Item ex lib. de origine animæ primo,cap. 4.& lib.2.cap 3.Clariſſimè verò Leo primus epiſt 93.ad Turibium,cap.5 id docet, cuius verba,quia lectu digna ſunt,refero.

Quinto,inquit,capitulo refertur,quòd animam hominis, diuinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ: nec à natura creatoris ſui,conditionis noſtræ diſtare naturam. Quam impietatem ex Philoſophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem,Catholica fides damnat: ſciens, nullam tam ſublimem támque præcipuam eſſe facturam: cui Deus ipſe natura ſit. Quod enim de ipſo eſt: id eſt quod ipſe. Nec id aliud eſt,quàm Filius & Spiritus ſanctus. Præter hanc autem ſanctæ Trinitatis vnam conſubſtantialem & ſempiternam atque incommutabilem Deitatem nihil omnium creaturarum eſt, quod non in exordio ſui ex nihilo creatum ſit. Et paulò poſt concludens: *Nimium igitur*, inquit, *ſuperbi, nimiúmque ſunt cæci, qui, cùm dicant, humanam animam diuinæ eſſe ſubſtantiæ, non intelligunt, nihil ſe aliud dicere, quàm Deum eſſe mutabilem: & ipſum perpeti,quicquid potest naturæ eius inferri.* Hæc ille. Auguſtinus etiam in epiſtola ad Hieronym. 28. non ſolùm damnat hanc Manichæorum & Priſcillianiſtarum hæreſim; verum etiam rationibus demonſtrat, fieri non poſſe, vt anima ſit ex ſubſtantia Dei: ſicut & Leo fecit. Idem Auguſtinus Tom.3.de Geneſ.ad lit.lib.7.cap.2.idem facit.Pluribus verò rationibus hunc impium errorem refutauit Aquinas: cont.Gent.lib.2 cap 85. Idem fecerunt alij Scholaſtici,qui ſcripſerunt in Mag.Sent.lib.2. diſt.17. B. Quomodo verò intelligenda ſint verba Moſis, de inſufflatione Dei in nares Adami, quibus ex verbis occaſionem ſuæ hæreſeos ſumſerunt hæretici,declarauimus ſuo loco. Nihil igitur certius,quàm animam non eſſe è ſubſtantia Dei, quia Deus eſſet: Neque etiam eſſe è ſubſtantia cœleſti, vt Platonici voluerunt, manifeſtum eſt. Cùm enim Deus inſufflando, animam Adæ crearet: ſignificauit eo ſymbolo,ſe illam animam è nulla creata iam ſubſtantia, procreare: ſed è nihilo, ſuo ſolo flatu. Deinde nobilior eſt anima, omni cæleſti ſubſtantia:Non igitur ex illa condita eſt.Denique anima incorporea eſt:ſubſtantia autem cæleſtis,corporea. Omnes enim ex prima ſunt materia,quam chaos vocarunt.Confirmat totum hoc Salomon in Eccleſiaſte,cap.vltimo.cùm ait, *Et corpus omnium reuertetur in terram, vnde ſumptum eſt, & ſpiritum rediturum ad Dominum, qui dedit illum.* Reſoluit enim Salomon vtramque hominis partem, in ſua prima principia. Vt ergo corpus in terram,vnde ſumptum eſt,reſoluit: Ita etiam, ſi anima ex ſubſtantia cæleſti, vel ex anima (vt Plato ait) Mundi, eſſet facta: in eam reſoluiſſet Salomon. Cùm verò ſimpliciter de ipſa dicat,eam redituram ad Deum, qui dedit illam: docet, eam è nihilo,in quod reſolui non poteſt,creatam eſſe.

Ambroſius Tom 3 Epiſtolarum lib.5.epiſt.21.ad Horontianum,quæſtionem hanc de ſubſtantia animę explicat ex profeſſo: & omnino ſuperioris eſſe ſubſtantiæ,quàm ſit cœlum, demonſtrat. Ideo idem Tom 4 de Noë & Arca,c.25. Ex loco Geneſ.2. *Et inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ*: colligit animę ſubſtantiam eſſe diuinum ſpiritum. Quod intelligo non de Spiritu ſancto,ſed quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis, eáque diuina; hoc eſt, immediatè à Deo creata, & ad imaginem Dei, proinde diuinus eſt ſpiritus, non autem ſpiritus Deus, neque ſubſtantia Dei.

Si verò has ob cauſas euincitur: animas non eſſe è cæleſti ſubſtantia: multò magis demonſtratur, illas ex materia Elementorum non eſſe, neque ex igne, neque ex ſpiritu ſeu ex aëre, vt Seleucus & Hermias, & poſtmodum Meſſaliani docuerunt: quemadmodum aliâs in prima quæſtione declarauimus, planúmque fecimus: cùm demonſtrauimus, animam prorſus eſſe incorpoream ſubſtantiam, formámque immaterialem. Ita relinquitur, animam ſaltem primam, nempe Adæ, è nihilo conditam à Deo, *per ſeipſam* fuiſſe.

Atque hæc de materia ſubſtantiáque animarum, è qua hæretici eas eſſe voluerunt.

3. De *tempore*, quo conditæ ſunt. Principio nihil eſt certius,quàm illas ab æterno non fuiſſe. Nihil enim verè æter-

num eſt, niſi Deus. Quæcunque vero creata ſunt: aut cum ipſo tempore, aut in tempore creata ſunt: quia in principio creauit Deus cœlum & terram. Imo conſtat, ſexto die, primam animam fuiſſe in corpus Adami efflatam. Poſt corpus enim creatam fuiſſe, conſtat ex Moſe. Meritò itaque hanc Platonicam ſententiam damnarunt Patres: & præter ſacrarum literarum teſtimonia, firmis etiam iiſque Phyſicis rationibus refutarunt Scholaſtici: Aquinas contra Gent. lib. 2. cap. 83. & 84. Fecit idem M. Ficinus, licèt Platonicus, libro de immortalitate animorum 18. cap. 2. Vbi probat, neque Angelos, neque animos ſemper fuiſſe. Tria ſunt ſpirituum genera. Primus, qui ſemper fuit & erit. Hic eſt Deus. Vltimus, qui neque ſemper fuit, neque ſemper erit: animæ brutorum. Medius igitur etiam eſt, qui cum primo participat, vt ſemper futurus ſit: cum vltimo, vt non ſemper fuerit: hic eſt humanus & Angelicus ſpiritus. Quartum enim membrum omnino impoſſibile eſt, nempe eſſe ſpiritum, qui ſemper fuerit non ſemper autem futurus ſit.

4. Porrò neque etiam omnes fuiſſe à principio Mundi, ante corpora certo numero conditas, vt ſomniauit Origenes: & vel in ſtellis, atque cœlis, vel in neſcio quibus Dei theſauris latuiſſe: deinde verò in corpora aut ſponte veniſſe, aut iuſſu Dei detrudi: ex iiſdem Scripturis ſanctis euincitur. Nam Gen. 2. de vna tantum anima locutus eſt Moſes, quum dixit, Deum ſufflaſſe in Adamum ſpiraculum vitæ: illa autem fuit prima omnium anima. Non igitur omnes ſimul creatæ.

Deinde multa ſunt Scripturarum teſtimonia, quibus docemur, animas in ſingulorum corporibus creari, vt Pſal. 33. *Qui fingit ſigillatim corda eorum*, hoc eſt, animas. Et Zachar. 12. *Qui fingit ſpiritum hominis in medio eius.* Accedunt Phyſicè rationes, quibus idem demonſtratur. Anima enim forma eſt corporis humani: quoniam homo & anima & corpore conſtat. Eſt autem hoc naturale ipſi formæ, vt ſuæ vniatur materiæ, & præter naturam eſt, vt ſit à materia ſua ſeparata. Vnde & præter naturam eſt, quòd anima noſtra, ſeparata à corpore, maneat vſque ad reſurrectionem. Ergo ſi animæ fuiſſent omnes à principio Mundi conditæ, præter naturam fuiſſent diu, à ſua quæque materia ſeparatæ. Hoc autem pugnat cum natura & cum ſapientia Dei. Ratio eſt, quia in omnibus rebus, ſic natura comparatum eſt, ex ſapientiſſima Dei prouidentia: vt quod eſt per ſe, prius ſit illo, quod eſt per accidens. Eſt autem per ſe, & naturale, vt anima ſit cum corpore: ex accidenti autem, & contra naturam, vt ſit extra corpus cùm ſit illius forma. Si igitur animæ fuiſſent prius ſine corporibus: prius fuiſſet quod eſt per accidens, & præter naturam, quàm quod per ſe, & ſecundùm naturam. Abſit autem, vt hoc de Dei prouidentia ſentiamus aut dicamus. Non fuerunt igitur creatæ extra corpora ſua, præſertim à principio Mundi omnes. Qui plures cupit rationes, legat Ficinum de immortal. animorum, lib. 18. cap. 3. Et Aquinat. contra Gen. lib. 2. cap. 83. Multò verò minus tolerabile eſt, quod adiecit Origenes: *Animas initio creatas, peccaſſe, alias grauius, alias minus grauiter: ac pro qualitate ac grauitate peccatorum: in corpora etiam aut magis, aut minus nobilia, tanquam in varios carceres, fuiſſe à Deo è cœlis detruſas atque coniectas.* Pugnat enim hoc cum ſacris literis, quæ tradunt, non ante creatum totum Adamum, animam & corpus, ſed poſt creatum corpus, & poſt animam in illud inſufflatam, eum peccaſſe. Non igitur anima Adæ, extra corpus: ſed in corpore tantum peccauit. Ab illo autem vno, in reliquos omnes, propagatum eſt peccatum: vt Roman. 5. dicitur. Nullæ igitur animæ extra corpus peccauerunt; eóque extra corpus nihil ſunt promeritæ, quo corporibus tanquam carceribus includerentur.

Ait præterea Apoſtolus, ad Roman. 9. de Iacobo & Eſau, eos, antequam naſcerentur, nihil boni aut mali egiſſe. Falſum igitur eſt, & cum doctrina Apoſtoli ex diametro pugnans: animos eorum à principio Mundi creatos fuiſſe, & pro varia peccatorum qualitate meruiſſe, vt in talia truderentur corpora. Quare merito opinio hæc Originis & Priſcillianiſtarum, tanquam hæretica damnata fuit olim ab Eccleſia Catholica: vt Leo primus quoque in epiſtola ad Turibium 93. cap. 10. teſtificatur. Si enim omnes animæ, antequam ſuis coniungerentur corporibus, à principio Mundi creatæ peccaſſent, etiam anima Chriſti peccaſſet, quo quid magis blaſphemum dici poteſt? Canon itaque ſextus Concilij Braccarenſis primi, pius & ſanctus eſt: qui ſic habet: *Si quis animas humanas, dicit prius in cœleſti habitatione peccaſſe, & propter hoc, in corpora humana in terram deiectas, ſicut Priſcillianus dixit, Anathema ſit.* Et in lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus, cap. 14. idem docetur. Ita ſatis confirmata eſt prima theſis: qua quatuor priores de anima ſententias, eáſque abſurdiſſimas, & apertè hæreticas, complexi ſumus.

II. Tres inſequentes, quinta, ſexta & ſeptima: quæ ſunt, an animæ propagentur ex prima, per traducem, an vero nouæ quotidie creentur: difficiliores ſunt reliquis ſuperioribus: cùm aliis de cauſis, tum etiam propter hoc, quod neutra ſententia fuit hæreſeos damnata in Eccleſia: ſed vtraque multos & graues habuit defenſores. Hæc igitur quæſtio diligenter nobis excutienda eſt, & videndum, vtra probabilior ſit, magiſque cum ſacris literis, & cum analogia fidei conſentanea: ſed ſi prius indicauerimus, in quibuſnam locis de hoc argumento apud Auguſtinum copioſè diſputetur: vt quiſque ſciat, quo recurrendum ſit, ſi exactiorem de hac re cognitionem percupiat. Inter Patres enim nemo eſt, qui plura de hoc argumento ſcripſerit, quàm Auguſtinus. Etſi verò multa paſſim: præcipui tamen loci, vbi fusè hac de re diſputauit, ſunt hi:

To. 2. tota epiſtola 28. ad Hieronymum, de hoc eſt argumento, item epiſt. 157. ad Optatum.

T. 3. de Gen. ad lit. totus liber ſeptimus, & decimus, hanc continet diſputationem.

Deinde T. 7. quatuor libri, qui ſunt de anima, & eius origine. Eſt etiam inter opera Hieronymi in T. 4. Dialogus à neſcio quo conſcriptus, in quo breuiter collecta eſt ſententia Auguſtini & Hieronymi de origine animorum, ex vtriuſque Patris ſcriptis.

Ita verò vtramque ſententiam diligenter & liberè examinauit & pertractauit Auguſt. vt ſaſſus ſit ingenuè, ſe neutram poſſe damnare.

Prior ſententia, animam ſcilicet per traducem à parentibus propagari in liberos: non paucos habuit, vt dixi, neque ignobiles defenſores: Tertullianum inprimis, qui hac in parte damnatus non fuit. Deinde, vt Hieronymus teſtatur, maxima pars Occidentalium doctorum, eam ſententiam tutata eſt. Præcipua autem ratio, qua ceu victi in ſententiam de propagatione animæ per traducem deſcenderunt: fuit ea, quam vbique inculcat Auguſtinus: à peccato nimirum Originali deducta. Non enim videre potuerunt illi Patres, quónam poſſet modo defendi propagatio peccati Adæ in totam poſteritatem, niſi etiam, ſicut ex illius corpore omnia humana corpora propagantur: ſic ex eiuſdem animo, omnes humanos animos per propagationem deriuari concederetur: cùm peccatum Originis, non tam in corpore, quàm in animo ſit. Si enim animæ creantur ex nihilo, & nouæ: & interim tamen peccato infectæ naſcuntur: oportet eas tales eſſe, aut per ſe, aut per aliud. Si per ſe, aut quia tales creantur à Deo: at hoc pacto, Deus videretur peccati autor: aut quia creatæ bonæ, ſua voluntate peccarunt in vteris matrum. At hoc abſurdum videtur, cum paruuli in vteris matrum, minimè poſſint liberum propriæ voluntatis habere vſum. Non ergo per ſe peccatrices ſunt aut naſcuntur. Si autem per aliud tales ſunt, hoc bifariam contingere poteſt: aut quia voluptas, quam parentes in generatione filiorum ſentiunt, tranſeat in animas etiam liberorum per humanum ſemen: aut quia coniunguntur corpori in peccatis concepto. Primum abſurdum eſt: partim quia voluptas illa, ſi aliud vitium non accedat, per ſe mala non eſt: neque etiam ſi mala ſit, totam peccati originalis contagionem complectitur: partim quia anima, nondum ibi eſt, in ſemine ſcilicet parentum. Eſt enim ἐντελέχεια corporis duntaxat Phyſici organici. Alterum etiam videtur abſurdiſſimum, tum quia impoſſibile iudicatur, ſubſtantiam ſpiritualem, nempe animam, infici à corporali: tum quia ſi hoc fiat, adhuc Deus videbitur autor peccati: quippe qui animam per ſe bonam & mundam, coniungit cum corpore immundo, & peccatis contaminato. His itaque de cauſſis cenſuerunt illi boni Patres, defendi non poſſe peccati Originalis propagationem, ſi animæ dicantur nouæ quotidie, & ex nihilo creati. Nulla autem alia ratio ſupereſſe videbatur, qua peccati Originalis propagatio defendi poſſet, quàm ſi dicerent, animas etiam ſimul cum corporibus, ab anima illa prima peccato contaminata propagari. Ergo vt retineretur doctrina de peccato Originali, quæ omnino negari non poteſt, quin totum Chriſti beneficium pereat: ſententiam de propagatione animorum per traducem, acriter defenderunt. Hæc fuit præcipua Patrum illorum ratio, propter quam, in ſententiam de origine animorum per traducem (vt vocant) manibus & pedibus maluerunt deſcendere: quàm tot abſurda, quæ ex altera ſententia conſequi videntur, admittere.

Adferebant quidem etiam loca quædam è ſacris literis, vt illud ex Gen. 46. de animabus ſexaginta ſex quæ egreſſæ dicuntur de ſemore Iacobi: & alia quædam eiuſdem generis. Sed ad omnia facilis erat & eſt reſponſio, ſicut idem Au-

guſtinus vidit, & reſpondit, tum in lib. de Gen. ad lit. decimo, tum in epiſtola ad Hieronymum, & in libris de origine animæ. Verum ad argumentum ſuperius allatum, non videbant vllam iuſtam reſponſionem. Itaque factum eſt vt retinendæ doctrinæ de peccato originis gratia: doctrinam de origine animorum per traducem, aut apertè defenderint (vt Tertullianus, Apollinaris, & alij) aut ſaltem damnare auſi non fuerint, vt Auguſtinus, Eucherius, & alij. Idcirco liberum facit cuique Auguſtinus, cum in libris de origine animæ, tum in alijs: vt credat, dicat & doceat, animas creari nouas & ex nihilo, modo ne aut peccatum originale negemus, aut dicamus, animas fieri à Deo peccatrices per alienum peccatum, aut animas peccaſſe alicubi ante carnem: & hoc merito, in carnem peccatricem fuiſſe detruſas: aut denique peccata, quæ in eis inuenta non ſunt, quia præterita ſunt memoria fuiſſe punita: Omnes enim hi grauiſſimi ſunt & intolerabiles errores. Proinde hac doctrina atque quæſtione Eucherius etiam Epiſcopus Lugdunenſis in Gen. 2. in illa verba: *Et ædificauit Dominus coſtam*, hæc ſcripta reliquit.

Quæritur, inquit, vtrum fœmina de latere viri formata, ex eius anima acceperit animam? Et vtrum ſicut caro nata eſt ex carne, ſic anima ex animabus procreentur: an vero nouæ ſemper creentur à Deo ex nihilo? Quæ quæſtio indefinita inderminata eſt, quia nihil eſt à ſanctis viris, vel ſcripturarum auctoritate manifeſtius pronunciatum. Hæc ille. Quid? quòd Gregorius primus, Epiſcopus Rom. idem docet? tom. 2. ex Regiſtro, epiſtolarum lib. 7. epiſtola 53 ad Secundinum, col 954. B. in extremo verò, inquit, epiſtolæ, *Quæſiſti, quid in reſpondendum ſit, qui dilectionem tuam de paruulorum animabus requirunt, qui ſine gratia Baptiſmatis moriuntur: dicens, ſi corpus originali tenetur culpa, vnde anima quæ à Deo datur, rea erit, quæ adhuc in actuali delicto, corpori non conſenſit? Sed de hac re dulciſſima mihi charitas tua ſignificat, quia de origine animæ inter ſanctos Patres requiſitio non parua verſata eſt: ſed vtrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certe ſingulis detur, incertum remanſit, eámque in hac vita inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem. Grauis enim quæſtio eſt: nec valet ab homine comprehendi. Quia ſi de Adam ſubſtantia eſt, anima cum carne naſcitur. Si verò cum carne non naſcitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata eſt, obligata peccatis tenetur? Sed cùm hoc ſit incertum: illud incertum non eſt, quia niſi ſacri Baptiſmatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis eſt obſtricta*, &c. Neque mirum, quod iſti duo Patres ita locuti ſint. Erant enim & ipſi in occidentalibus Eccleſiis Epiſcopi, quarum Eccleſiarum maxima pars (vt Hieronymus etiam antea ſcripſerat) in ſententiam de propagatione animorum per traducem inclinabat. Adde quod ipſe etiam Alfonſus de Caſtro, Monachus Franciſcanus, qui noſtro tempore ſcripſit aduerſus omnes hæreſes: hanc de traduce animorum ſententiam non eſſe hæreticam docet: quamuis erroneam eſſe fateatur. Atque hæc de priori ſententia ſatis. Nam reliqua argumenta, quibus hanc probare conantur, referam ad extremum, eaque, & quæ etiam recitauimus, Deo fauente diluemus.

Nunc itaque de ſecunda dicam ſententia, quæ quoniam & plures & firmiores habet rationes, pluréſque defenſores, & verò etiam cum ſacris literis magis conſentanea eſt: idcirco etiam magis mihi probatur; Proinde de ea hanc pono Theſim, cui poſtea ſubdam confirmationem. Ergo hæc eſto

THESIS II.

Singulorum hominum animas, & nouas & ex nihilo creari, à Deo: probabilius eſt, & cum ſacris literis magis conſentaneum: quàm vnam ex alia, per traducem deriuari.

CONfirmo hanc theſim, primùm ſcripturis, rationibúſque ex ea deductis: deinde teſtimoniis tum Patrum, tum etiam Philoſophorum, poſtremo phyſicis rationibus.

1. Illud inprimis admodum probabile eſt: Deum initio docuiſſe, quæ ſit omnium animorum noſtrorum origo: cùm in Adami formatum iam è terra corpus, animam inſpirauit. In ipſa enim prima rerum creatione, ſicut creauit prima rerum omnium principia: ſic etiam quænam illa ſint, quæve illorum origo, declarauit. Vnde & Chriſtus de matrimonio diſſerens apud Matthæum, ad primum matrimonium, tanquam ad omnium regulam reuocauit Iudæos, dicendo, *à principio non fuit ſic*.

Adde, quòd abſurdum eſt, aliunde eſſe animam noſtram, & aliunde animam Adæ: cùm omnes eiuſdem ſimus ſpeciei. Nam neque ex alio primo principio materiali ſunt noſtra corpora, quàm fuerit corpus Adæ, nempe ex terra. Vnde tam de noſtris, quàm de illius, dictum eſt, *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Nec minus de Eua, quæ immediatè ſumta eſt de coſta Adæ, quàm de Adamo, intelligitur illud Moſis Geneſ. 3. *Et emiſit eum Dominus de Paradiſo voluptatis, ad colendam humum, de qua ſumtus erat.* Quomodo igitur vero ſimile eſt, aliam eſſe originem animæ Adæ, & aliam noſtrorum animorum? Certè alia eſſet, ſi illius anima ex nihilo: Et Euæ anima, è ſubſtantia animæ Adæ fuiſſet: noſtræ autem eſſent ex præiacente ſubſtantia, è ſubſtantia ſcilicet animarum noſtrorum parentum. Cùm igitur manifeſtum ſit, Deum animam Adæ creaſſe è nihilo: probabile admodum eſt, noſtras quoque è nihilo creari, & ſingulorum corporibus indi. Proinde videmus, quæcunque ſunt ex primo chaos formata, diuerſa eſſe ab ipſo, ſpecie: quia illud fuit è nihilo creatum, reliqua autem ex ipſo. Quanto magis nos differemus ſpecie ab Adamo, ſi noſtræ animæ, quæ ſunt formæ noſtrorum corporum, eſſent ex præiacente ſubſtantia; Adami autem anima ex nihilo? Hoc eſt primum argumentum è ſacris literis deductum.

2. Sequitur ſecundum: Cùm diuerſa vtcunque eſſet immediata materia corporis Adæ, quia è terra, & materia corporis Euæ, quia è coſta & carne Adæ: eam expreſſit Moſes dicendo, *Deum formaſſe ex coſta Adæ, Euam.* Si igitur diuerſa etiam fuiſſet immediata animorum vtriuſque origo: eam expreſſiſſet Moſes, cum eſſet illi propoſitum primas rerum omnium origines narrare. Atqui de anima Euæ, nil narrat: ſed tantum de origine corporis. Veriſimile igitur eſt, non fuiſſe nouam rationem, qua corpori Euæ indita fuit anima, ab ea, qua indita fuerat corpori Adæ: ſed eandem omnino: nempe per inſufflationem. Verùm eam non repetiit: quia ſuperuacaneum erat, cùm iam communis animorum omnium origo fuerit in creatione animæ Adæ expreſſa. Nam ſi ille modus, quo creata fuit anima Euæ, fuiſſet nouus, aliuſque à priore: non eum certè ſilentio prætermiſſet Moſes, qui primas rerum omnium origines deſcribebat.

3. Adde, quod etiam Adam ipſe, non nouit Euæ animam, è ſua fuiſſe productam, ſicut corpus. Non enim dixit *hæc anima, de anima mea*: ſicut *hæc os ex oſſibus: & caro de carne mea.*

Fuiſſet tamen hoc magis accommodatum ad exprimendam coniugij coniunctionem, quæ debet eſſe non ſolùm in corporibus, ſed etiam in animis: quàm ſimpliciter nouiſſe & dixiſſe *hoc os, ex oſſibus, &c.* Non eſt igitur vero ſimile, animam Euæ, ex anima Adæ eductam fuiſſe: cùm hanc propagandæ animæ rationem, omnino taceat Moſes.

4. Neque contemnendum eſt argumentum, quod huius ſententiæ defenſores colligebant ex Eccleſiaſte cap. 12. *Et conuertatur puluis in terram, vnde fuit, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum.* Vt corpus in materiam illam, vnde ſumptum eſt, reſoluit Salomon: ita etiam, ſi anima ex præiacente aliqua eſſet ſubſtantia, in illam reſoluiſſet. Non reſoluit: non habet igitur ſubſtantiam vnde ſit. Certum eſt ex hoc loco non ineptè colligi, animam Adæ datam, è nihilo fuiſſe creatam (vt Auguſt. optimè deducit To. 3. de Gen. ad liter. lib. 10. cap. 9.) quoniam ſi ex aliqua præiacente ſubſtantia facta fuiſſet, ad eam rediiſſet, ſicut corpus ad terram, vnde fuit. Rediit igitur ad Deum: quia non habuit aliud, ad quod rediret, niſi ad factorem ſuum. Cæterum an idem euincatur de vnaquaque anima: non plane videtur Auguſtino: Ego verò probabiliter ſaltem illud colligi poſſe, planè non dubito.

5. Sunt etiam permulta loca, in quibus prædicatur Deus vnicus eſſe animarum omnium, in vnoquoque homine creator, vt illud ex Pſalm. 13. *Qui finxit ſigillatim corda eorum* Item Ieſa. 57. *Omnem flatum Ego feci*, id eſt, omnem animam. Item Zachar. 12. *Finxit Iehoua ſpiritum hominis in medio eius.* Scio quid reſpondeat ad hæc Auguſtinus: non negari, quin Deus omnem formet animam: ſed quæſtionem eſſe, vnde formet: an è ſubſtantia animæ parentis, an ex nihilo. Cæterum cum ſcopus Spiritus Sancti in huiuſcemodi locis ſit, prædicare omnipotentiam Dei: cúmque omnino eſſe, qui ſicut creauit ſolus cœlum & terram, ſic etiam ſolus fingat animam in medio hominis. Vt ex loco Zachar. 12. manifeſtum eſt: non video, quo modo ex his locis idem non poſſit colligi: nempe animos à ſolo Deo è nihilo creari. Si enim ex ſubſtantia parentum conderet animas; iam ad earum factionem concurrerent & parentes, nec earum ſolus conditor eſſet Deus. Idque eo maximè ſentiendum eſt nobis: quod etiam Philoſophi Platonici, Stoici, & alij permulti docuerunt, ſolum Deum, factorem eſſe animorum noſtrorum, nullámque horum in terris eſſe originem: vt paulò poſt videbimus. Quantò magis igitur idem nobis dicendum eſt ex iſtis locis, vbi prædicatur Deus cuiuſque animæ formator eſſe.

6. Locus vnus eſt in Exodi cap. 21 ex quo, ſi ſeptuaginta

interpretatio admittatur: firmiſſimum pro hac ſententia argumentum deducitur.

Lex de percutientibus grauidam mulierem, ſic Græcè habet verſ.22. Ε'ὰν μάχωνται δύο ἄνδρες, κ πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν κ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον: *mulctabitur iuxta æſt. mationem, quam imponit ei maritus mulieris, &c.* Ε'ὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ: *dabit animam pro anima*, &c. Hebraicus quidem contextus habet ולא יהיה אסון. *Et non fuerit mors*: ſed Septuaginta videntur legiſſe, *Et non fuerit* אסון & צורה quod figuram ſignificat. Ideò verterunt, *Et non fuerit* ἐξεικονισμένον, *efformatum*. Atque ita Græci Patres legunt, & interpretantur: vt Theodoretus in libro de curandis affectionibus Græcorum, ſermone 5. qui eſt de natura hominis. Eſſe enim tempus quoddam, quo fœtus in vtero matris nondum formatus ſit: ſed adhuc Embryo, vt vocant, maneat. Si itaque tunc grauida mulier, ex percuſſione alicuius abortiat: percuſſorem mulctandum eſſe pœna pecuniaria, non autem capitali. Quid ita? Quia hominem non occidit: cùm fœtus nondum eſſet formatus, eóque nondum anima præditus humana. Si verò fœtus formatus, & ex percuſſione vteri materni perierit, ita vt mater abortiat fœtum formatum vtrumque hominem: tum percuſſorem pœna talionis eſſe puniendum, ita vt det animam pro anima.

Ex hoc itaque loco confirmat Theodoretus doctrinam Philoſophorum de conformatione hominis in vtero matris: nempe fœtum priùs eſſe informem Embryonem, deinde formari: perfecto autem corpore, tum demum anima donari. Quare ſi tūc abortiat mulier, percuſſorem eſſe homicidam, ideóq; dandam ei eſſe animam pro anima. Si verò ante formatum fœtum abortiat, percuſſorem non eſſe homicidam: ideóque pœna tantùm pecuniaria mulctandum eſſe. Atqui ſi anima eſſet ex traduce, & cum ſemine viri propagaretur: profectò differentia hæc fœtus formati atque animati anima rationali, & non animati, tolleretur: & vir qui ſua percuſſione efficeret, vt mulier grauida abortiret, ſemper homicida: eóque ſemper dare deberet animam pro anima. Ex lege igitur Domini, iuxta verſionē Septuaginta euincitur, animam non propagari per ſemen viri. Sed vtvt ſit de veritate contextus huius legis: conſtat certè ſic ſenſiſſe ſeptuaginta interpretes: niſi fortè etiam contendas verſionem ſeptuaginta interpretum, eſſe corruptam. Ergo nihil concludat hic locus Moſis: nihil valeat ſeptuaginta interpretum auctoritas: tem ſaltem negare non potes: quin ſcilicet ſemen viri in matricem mulieris receptum, maneat per aliquod tempus inanimum quiddam, animæ ſaltem rationalis expers. Nam ſic docent omnes tū Eccleſiaſtici, tum profani ſcriptores. Quare ſi poſtea hac anima fœtus donetur: ea profectò ex ſemine non fuerit: Quomodo igitur erit ex traduce? Sed inquies, in ſemine illo, ſaltem ineſt vis animæ parentis: è qua porrò ſuo tempore formetur anima infantis. Verùm hoc admitti non poteſt, quin inde ſequatur, animam corruptibilem eſſe atque mortalem. Aut enim illa vis in ſemine corruptibilis eſt, aut non eſt. Si dixeris eſſe: ex illa igitur non generabitur anima. Semper enim generatio vnius, corruptio eſt alterius: ſicut etiam vides, generato corpore humano ex ſpermate, ſperma ipſum corrumpi. Si autem virtus in ſemine, è qua generatur anima, corruptibilis eſt: ipſa etiam anima corruptibilis ſit neceſſe eſt & mortalis. Neque enim poteſt è re corruptibili, res incorruptibilis generari, & cuius ſemen corruptibile eſt, illud incorruptibile eſſe non poteſt. Ergo nulla vis in ſpermate humano eſſe poteſt, è qua generari queat anima. Quare ex eo, quòd fœtus in vtero matris per aliquot, eóſque non paucos dies manet informis, & expers rationalis animæ, euincitur, fieri non poſſe, vt anima filij, ex anima patris traducatur.

7. Reſtat adhuc argumentum ab anima Chriſti deductum, quod & Auguſtinus magni fecit. Argumentum tale eſt: Anima Chriſti, non fuit ex traduce: ergo neque noſtræ. Antecedens concedunt Patres, etiam Auguſtinus: & probatur hoc argumento. Si fuiſſet ex anima Adæ per traducem: procul dubio educta inde fuiſſet peccato infecta, vt & reliquæ. Ideo enim reliquas concedunt peccato infectas eſſe, quia ex anima Adæ per traducem ſunt. Non eſt igitur anima Chriſti ex traduce. Sequela autem, nempe, Ergo neque noſtræ ſunt ex traduce: probatur hunc in modum: *Chriſtus factus eſt nobis ſimilis in omnibus & per omnia, excepto peccato: quo fit, vt illius corpus non ſit conceptum ex ſemine viri, vt noſtra*: quia ſic non caruiſſet peccato: ac proinde, vt eſſet ſine peccato, opera Spiritus ſancti carnem ex Maria accepit. Verùm animam ex anima Adæ accipere non potuiſſet (nempe ſi traducatur à Patre) ſine viri ſemine. Quod cùm ita ſe habeat: Ergo origo animarum etiam noſtrarum, diuerſa non eſt, ab origine animæ Chriſti, ſed ſimilis prorſus. Quare cùm illius ſit ſine traduce: etiam noſtrarum animarum origo traducem non habet. Scio quid ad hoc etiam excipi poſſit: proinde non dico argumentum eſſe ἀποδεικτικὸν: ſed valde probabile. Cur enim negemus hanc inter ipſum corpus, & nos membra ſimilitudinem? cum Apoſtolus ſimpliciter dicat, eum nobis ſimilem factum eſſe per omnia, quà homo eſt, ſi vnum excipias peccatum? Nam quòd ſimilis nobis non fuit in modo ſumendi carnem à parentibus, per ſemen ſcilicet viri: ratio eſt in promptu, quia fieri hoc non poterat abſque peccato. At cùm ipſius anima ſit creata immediatè à Deo, cur non idem de noſtris dicatur, quo ſimiles illi ſimus per omnia, excepto peccato: rationem planè nullam video. Nam ſi dicas, ideo non accepit per traducem animam ſicut nos, quia fieri hoc non poterat abſque peccato: paralogiſmum admiſeris, quem *petitionem principij* vocant. Aſſumis enim, quod in controuerſia eſt: nempe nos animam accipere à parentibus per traducem. Ego verò ex conceſſis, pérque ſe manifeſtis argumentor: nempe, Chriſtus accepit animam, non per traducem, ſed per creationem. Et Chriſtus ſimilis nobis factus eſt in omnibus, excepto peccato: Ergo nos quoque animas accipimus, non à parentibus per traducem: ſed à Deo per creationem. Corpus verò à parente accepit ſicut & nos: ſed alia ratione, nempe per operam Spiritus ſancti, quia communi ratione accipere non potuiſſet ſine peccato. Ideo quod hoc excipiamus, iure facimus, quia hoc eſt, quod Apoſtolus excepit: dicendo, *ſimilem eſſe nobis per omnia, excepto peccato*.

Sed ſcio, rurſus excipies, quia impoſſibile erat, Chriſtum animam accipere per traducem, abſque peccato: idcirco oportuit ipſam accipere per creationem, & corpus per operam Spiritus Sancti. Contrà verò, quia fieri nequit, vt accipiamus animam immediatè à Deo per creationem, & vt interim tamen naſcatur cum peccato: idcirco accipiamus eam per traducem oportet. Quare vt ratio eſt, cur Chriſti anima non potuerit eſſe per traducem, ita contrà ratio etiam eſt, cur noſtra non poſſit eſſe ſine traduce. Verùm ad hanc exceptionem, in promptu eſt reſponſio, imò optimè fieri poſſe, vt & animas accipiamus immediatè à Deo per creationem: & interim tamen, tam anima, quàm corpore naſcamur in peccato Originali. Hoc ſuo loco planum faciemus. Hoc viderunt illi etiam Patres, qui negant, *animam fieri per traducem*. Quod ſi ita eſt, manet adhuc integrum & firmum argumentum ab exemplo animæ Chriſti deductum. Quid? Quod Apoſt. ad Hebr.12. v.9. litem hanc dirimit? Corporum enim noſtrorum, parentes noſtros facit auctores ſeu propagatores: nempe cum Deo, animorum autem, *ſolum Deum*: cum ſolum vocans *parentem ſpirituum*: At parens eſt animi per homines. Sed idem dicitur etiam de corporibus? Vbi igitur antitheſis? Sed pergamus, & vtra ſententia magis probata fuerit Patribus, videamus. Contendo ego, & plures & doctiores, fauere huic ſententię, quàm alteri.

III. Principio illud conſtat, tum ex dicto Hieronymi in epiſtola ad Marcellinum, tum ex Patrum lectione, & ex hiſtoriis: omnes ferè Orientales Eccleſias ſenſiſſe, animas creari quotidie nouas. Ait enim Hieronymus de ſententia, quod ſint ex traduce: maximam Eccleſiarum Occidentalium partem, eam ſecutam eſſe. Docens Orientales non ita ſenſiſſe. Id quod etiam liquidò apparet, ſi Græcos Patres legas. De *Origene* non eſt quod dicamus, cùm ſua ſententia de creatis ſimul omnibus ab initio Mundi animis: apertè damnarit hanc animorum ex parentibus propagationem.

Nyſſenus lib.2. de anima cap.6. Apollinaris opinionem refellit, argumento ducto à cauſſa, cur quiſque ſibi ſimile in ſpecie generet. Quæcunque ex mutua propagatione, ſecundùm ſucceſſionem generantur, mortalia ſunt. Ideo enim vnum ex altero generatur: quia quod generat, æternum per ſe eſſe non poteſt, & ideo in genito ſeipſum conſeruare naturaliter cupit. Id quod in omnibus rebus corporeis & materialibus apparet. *Ideo enim generantur & generant* (inquit Nyſſenus) *vt corruptibilium permaneat genus*. Atqui anima immortalis. Ergo ex anima non generatur, vel propagatur anima. Item hoc altero. *Quæ generantur, materiam habent.* Et ita Moſes horum, qua generantur, materiam deſcribit. Anima immaterialis eſt.

Theodoretus de affectionibus Græcorum curandis, ſerm. 5. probat tum ex lege Moſis contra percuſſores grauidarum, Exod.21. tum ex Iobo, tum ex Pſalmis: prius formari corpus humanum, quàm anima donetur. Inde infert, animam non generari, ſeu per traducem (vt loquuntur) non propagari, ſed à Deo creari, corporique coniungi. Neque immorabor in Græcorum Patrum ſententiis colligendis, quod vitioſum ſit, in re perſpicua immorari. Tranſeo igitur in Occidentem

ab

ab Oriente. Hi ſecantur in duos ordines: vnus eorum eſt, qui originem animorum per traducem improbant: alter contra eorum qui probant. In primo ordine permulti ſunt magnæ autoritatis viri.

Hieronymus vſque adeo improbat ſententiam de traduce animorum, vt etiam alicubi anathema dicat ei, qui ita ſentiat. Tomo autem 1. aduerſus Ruffinum. lib. 2. Primò probat id fieri in nobis, quod etiam in Adamo. Sicut igitur anima creata fuit & indita corpori Adæ: ita etiam noſtræ. Confirmat idem ab exemplo animæ Chriſti: qui ſimilis factus eſt nobis per omnia, excepto peccato. Probat autem pag. 213. Animam Chriſti, neque fuiſſe, antequam ex Maria naſceretur, neque fuiſſe ex traduce. quod ſequeretur, humanarum animarum, quas æternas fatemur: & brutorum animantium, vnam & eandem eſſe conditionem. Concludit itaque figurato corpore, creatam fuiſſe animam, & immiſſam in corpus eius. Ac proinde idem de nobis noſtriſque animis concludi.

Deinde pag. 216. quia Ruffinus dixerat, ſe neſcire quid ſit in vero de origine animorum, nec quempiam hoc certo ſcire: idcirco illum arguit Hieronymus his verbis: *Per tanta ſecula tibi nullus videtur dignus fuiſſe, cui de hac quæſtione Dominus reuelarit? Non Patriarcha, non Propheta, non Apoſtolus, non Martyr? Dominus in Euangelio, Pater (inquit) reuelaui nomen tuum hominibus. Qui Patrem reuelauit, de animarum ſtatu tacuit? Et miraris, ſi contra te fratrum ſcandala concitentur: cùm id neſcire te iures, quod Chriſti Eccleſiæ ſe noſſe fatentur?* Docet itaque iis verbis Hieronymus, quam ipſe defendit ſententiam de animorum origine: eam fuiſſe ſuo tempore Eccleſiæ: quanquam non inficiatur, vt habet in epiſtola ad Marcellinum, quin magna pars doctorum virorum in Eccleſiis Occidentalibus, alteram ſequerentur.

Leo etiam primus Epiſcopus Rom. idem docet in epiſtola 83. ad Turibium, cap. 10. cùm de Priſcillianiſtis loquens, ait: *Sed omnes eos Catholica fides à corpore ſuæ vnitatis abſcidit, conſtanter prædicans atque veraciter, quòd animæ hominum priùs quàm ſuis inſpirarentur corporibus, non fuêre: nec ab alio incorporentur, niſi ab opifice Deo.* Notentur verba, *animas inſpirari ſuis corporibus, & incorporari.* Docet igitur opinionem de traduce animorum ex parentibus, non fuiſſe receptam in Eccleſia Romana: ſed alteram, de creatione eorum & inſpiratione.

D. *Ambroſij* ſententia nota eſt, to. 4. de Noë & Arca cap. 4. Plerunque Angelos, *filios Dei* vocat ſcriptura, quia ex nullo homine generantur animæ. Et cap. 25. idem docet. Et in Dialogo, qui ex ſcriptis Auguſtini & Hieronymi collectus eſt, de origine animarum, & qui eſt inter opera Hieronymi, to. 4. de Ambroſio, hęc citantur verba: *Insipientium puto, animas cum corporibus generari, vt anima naſcatur ex anima: quod nec animæ ipſi competit, nempe vt vel generet, vel generetur.*

Tranſeamus ab Italis ad Gallos.

Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, ſcriptor antiquus & grauiſſimus, eandem quoque defendit ſententiam, & traducem damnat: de Trinit. lib. 10 pag. 205. aduerſus eos qui contendebant, Chriſtum ſumſiſſe ex Adamo in Maria, ipſam etiam animam: *Quaſi verò (inquit) ſi tantùm ex virgine aſſumſiſſet corpus, aſſumſiſſet quoque ex eadem & animam, cùm anima hominis, opus Dei ſit, carnis verò generatio, ſemper ex carne ſit.* Hæc ille. Notandum, quod ait, *Animam hominis opus Dei eſſe, carnem* autem *ex carne generari.* Docet hoc Antitheſi, animam à ſolo Deo fieri: cùm caro generetur ex carne. Et pagina inſequenti: Sed (loquitur autem de Chriſto) vt per ſe ſibi animam aſſumſit, quæ vtique nunquam ab homine, gignentium originibus præbetur. Si enim conceptam carnem niſi ex Deo, virgo non habuit: longè magis neceſſe eſt, anima corporis, niſi ex Deo, aliundè non fuerit. Docet hic locus, non ſolùm animam Chriſti non habere originem ab hominibus: ſed neque animas noſtras.

Idem in Pſal. 62. initio, pag. 498. ſcribit, inſitum impreſſúmque eſſe omnibus nobis, vt opinemur, diuinam nobis ineſſe animarum originem: & rationem affert: nempe, cùm (inquit) non exiguam cœleſtis in ſe generis cognationem, mens ipſa cognoſcat. Ita ex Hilario etiam liquido apparet, quid tunc de hac quæſtione ſentiretur in Gallijs.

In libro quoque de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui inter opera Auguſtini collocatur, to. 3. cap. 14. idem definitur, nempe *animas hominum credimus, non eſſe ab initio: animas per coitum* (vt illi loquuntur) *non ſeminari, ſed formato corpore, animam creari & infundi.* Ita videmus in Eccleſiis etiam Occidentalibus, permultos magnóſque viros fuiſſe, qui originem animorum per traducem improbarint: quamuis, vt Hieronymus ait magna pars doctorum in iis Eccleſiis, virorum, illam ſecuti ſint.

Reſtat igitur alter ordo, eorum ſcilicet, qui traducem defenderũt. Horum poſt Tertullianum, princeps videtur fuiſſe *Auguſtinus*. Cęterùm neque ipſe ita defendit traducem, vt alteram ſententiam improbet: imò libentius inclinat in contrariam ſententiam, quæ credit animas nouas creari, corporibúſque infundi ſicut videre eſt, cùm alibi, tum maximè in epiſt. ad Hieron. 28. modo ad argumentum ab Originali peccato ductum reſpondeatur. *Proinde (inquit) ne longum faciamus, hoc certè ſentis, quòd ſingulas animas, ſingulis naſcentibus etiam modò Deus faciat.* Poſtea ſubdit: *Ecce volo, vt illa ſententia etiam mea ſit, ſed nondum eſſe confirmo.*

Apparet Auguſtinum inclinaſſe in eandem cum Hieronymo ſententiam: & cupiuiſſe ſe illam poſſe tueri. Verum propter argumentum ab Originali peccato ductum, e quo, quomodo ſe extricaret, viam nõ reperiebat: hærebat adhuc, nec audebat, propter conſcientiam, apertè & ſimpliciter Hieronymi ſententiæ ſubſcribere.

Porro idem contigit etiam alijs vt *Gregorio* primo, Epiſcopo Rom. vt videre eſt in tom. 2. epiſtolarum lib. 7 epiſt. 53. ad Secundinum. Ad quæſtionem enim hanc, de origine animorum ſibi propoſitam: affirmat ſe nihil certi habere, quod reſpondeat: niſi quòd & reuera immortalis ſit, & peccato Originali ſit infecta. Sed quomodo hæc duo cohærere poſſint, & peccato infecta ſit in vteris matrum: & tamen non traducatur ex animis parentum, quia immortalis eſt: hoc neminem in hac vita poſſe cognoſcere. Interim vides, illum etiam inclinare in ſententiam, quòd non ſit ex traduce: quoniam videtur hunc conſequi, illam eſſe mortalem. *Si de Adami ſubſtantia (inquit) anima cum carne naſcitur: cur non etiam cum carne moritur?* Hoc enim erat illis Patribus ceu ἀξίωμα. *Quicquid cum carne naſcitur, etiam cum carne moritur.* In alteram verò ſententiam ſubdit: *Si verò cum carne non naſcitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata eſt, obligata peccatis tenetur?* Sed cùm hoc ſit incertum: illud incertum non eſt, quia (pro quod) niſi ſacri Baptiſmatis gratia fuerit renouatus homo: omnis anima Originalis peccati vinculis eſt obſtricta.

Videmus itaque (vt concludam) primò, plures ſemper fuiſſe, eóſque grauiſſimos Patres, qui ſenſerint, animas quotidie nouas creari, corporibúſque infundi, quàm qui per traducem propagari iudicarint. Deinde qui etiam putarunt, per traducem fieri: hoc tamen non ita pertinaciter aſſeruiſſe, vt priorem damnarent ſententiam: Hæſiſſe verò potius inter vtramque: ídque propterea, quòd neque viderent, quomodò anima, immortalis eſſe poſſit, ſi traduceretur ex parentibus: neque etiam intelligerent, qui fieri poſſit, vt anima infantis in vtero, peccato ſit infecta, ſi noua à Deo creatur, non autem ex peccatrice parentis anima propagetur.

Ergo ſi verè oſtendatur hæc duo optimè inter ſe, ſine vllo abſurdo cohærere, nempe & animam creari nouam, & interim cum peccato Originali infectam naſci: nulla ſupererit apud Patres dubitatio de origine animæ: quin ea creetur noua. Atqui hoc, Deo volente, facturi ſumus. Quòd ſi pleniſſimè non poterimus omnibus ſatisfacere: ſatis tamen fuerit dubitare non quidem de re, ſed tantùm de modo, quo anima à Deo creata, peccato inficiatur Originali: quàm aſſerere, eam per traducem propagari, cùm hoc dici non poſſit, quin inde efficiatur: animam corruptioni mortique eſſe obnoxiam. Atque hæc hactenus de Patrum teſtimoniis.

IV. Neque verò ad confirmandam theſim noſtram, parum ponderis habere debent ea, quæ de eadem re ſcripta reliquerunt Philoſophi: quippe qui naturam animæ & diligenter inquiſierunt, & multa etiam ſapienter de ea piorum etiam Patrum teſtimonio, docuerunt. Præcipuorum igitur teſtimonia percurremus.

Primùm omnes Pythagorici & Platonici, & quicunque ſenſerunt, animas eſſe æternas: item quicunque etiam docuerunt, animas à principio fuiſſe omnes ſimul factas, vt Origenes & illi Patres, de quibus loquitur Hieronymus in epiſtola ad Marcellinum, omnes, inquam, iſti, hoc ſuo dogmate, quanquam erroneo & impio, ſatis tamen luculenter indicarunt, quantum alieni fuerint ab hac ſententia de origine animorum per traducem. Deinde illi etiam hæretici, qui docuerunt, animam humanam, è ſubſtantia eſſe Dei: certè magnificentiùs de animis noſtris ſenſerunt, quàm qui eas non aliter, quàm pecudum etiam, generari, aut ſaltem ex alia in aliam traduci prædicant. Sed ſingularia aliquot iam profero teſtimonia.

Pythagoræ, ad quemuis hominem, dictum hoc erat: Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν. *Sed tu bono eſto animo: Nam diuinum eſt genus ſeu origo hominibus.* Quò ſpectat & illud *Arati*, quod Paulo Apoſtolo probatum, ab eodem etiam citatur in Actis: Θεοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Neque enim hoc dicto indicare voluit cauſſam duntaxat primam efficientem (nam corporis quo-

que cauſſa efficiens eſt Deus) verùm etiam, idque inprimis, animæ noſtræ ſubſtantiam, non eſſe ex Elementis, neque ex cœleſti ſubſtantia corporali: ſed rem planè diuinam: ſicut etiam Ambroſius vocat *ſpiritum diuinum*, omníque re corporea excellentiorem, ita, vt cognationem cum Deo habere videatur: Sicut & *Epictetus* loquitur, cùm περὶ τῆς συγγενείας τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων diſſeruiſſet ſubiecit: εἰ ταῦτά ἐστιν ἀληθῆ, τὰ περὶ τῆς συγγενείας τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων λεγόμενα ὑπὸ τῶν φιλοσόφων διὰ λόγων ... κόσμου: ὅλα τί μὴ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Et iterum: Καὶ συγγενεῖς τινὲς τοῦ Θεοῦ ἐσμὲν κἀκεῖθεν ἐληλύθαμεν ἄφες ἡμᾶς ἀπελθεῖν, ὅθεν ἐξεληλύθαμεν. *Et affines quidem ſumus Dei hinc venimus ſine nos abire, vnde exiuimus.* Item, Ἀλλ᾽ αἱ ψυχαὶ οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ Θεῷ ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα: *ſed animæ*, inquit, *ita ſunt Deo connexæ & ... æ, tanquam particulæ eius, & abſciſſiones quædam.* Dixit, ἅτε αὐτοῦ μόρια, quod non ſint verè e ſubſtantia Dei, neque eius partes: ſed propter ſimilitudinem eſſentiæ cum Deo, verè diuinæ ſint, & quaſi partes illius: ſicut liberi, partes ſunt parentum. Id quod præclarè Triſmegiſtus explicat ad Aſclepium: ὁ νοῦς οὖν οὐκ ἐστὶν ἀποτετμημένος τῆς οὐσιότητος τοῦ Θεοῦ ἀλλ᾽ ὥσπερ ἡπλωμένος καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς. *Mens igitur*, inquit, *non eſt abſciſſa ex Dei ſubſtantia, ſed quaſi explicata veluti Solis lux.*

Et hoc, quod & *Simplicius* in primum Phyſicæ auſcultationis, ſcriptũ reliquit: Καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ ὑπὸ Θεοῦ ἐλλαμπτικῶς λέγεται. Pleríque enim putarunt, animam lucem eſſe, ex Deo in hominibus relucentem: vt *Plutarchus* etiam in eo, quem inſcribit, *Viuendo latuæ*; λάθε βιώσας φῶς, τῇ οὐσίᾳ νομίζουσι.

Ficinus in lib. 10. de immortalitate animorum, hos Zoroaſtri verſus recitat verè Chriſtianos, non ethnicos:

Χρὴ σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ πρὸς πατρὸς αὐγάς:
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πολλὴν ἑσσαμένη νοῦν.
Oportet te feſtinare ad lumen ipſum, & Patris radios, vnde miſſa tibi eſt anima multo mentis lumine circumfuſa.

Multis vero ſignis oſtendit ibi Ficinus: Animam noſtram à Deo nobis dari atque infundi, ſine medio & per ſe. Hoc etiam Ariſtoteles ipſe docuiſſe videtur, cùm dixit, *mentem venire nobis* θύραθεν. Locus, qui eſt in libro de Generatione animalium. cap. 3. clarior eſt: quàm vt quis poſſit illi nebulas offundere. Ex iſto enim principio, *Quorum principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ſubſiſtere non poſſunt*, concludit, ſolam mentem, τὸν νοῦν θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Ratio: οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια. Quia igitur actionem ſuam exercet mens, ſine actione corporis: idcirco eam eſſe incorpoream, eoque non à corpore gigni, ſed aliunde corpori venire, euincit Ariſtoteles. Ac de anima rationali, qua homines ſumus, loqui Ariſtotelem: liquet ex præcedentibus & ſubſequentibus. Apertè enim quæſtionem propoſuerat initio capitis de omni anima: an in ſemine ſit vita & anima, néc ne. Et diſcertè nominat ψυχὴν θρεπτικήν, καὶ αἰσθητικήν, καὶ νοητικήν. Poſtquam autem conclusiſſet de illis duabus, eas ſine corpore ſuas actiones exercere non poſſe, eóque pendere à corpore, ſubiecit de anima νοητικῇ, eam ſolam à corpore non eſſe, ſed θύραθεν accedere: quod ipſius actioni non communicet actio corporalis.

Ringantur Porcius & alij ſimiles: eludere nõ poſſunt hunc locum, quin euincatur non ſolùm ex ſententia Ariſtotelis: ſed firma etiam ratione, mentem humanam non generari ex ſemine, nec vlla ratione pendere ipſius οὐσίαν à corpore, ſed aliunde corpori aduenire. A quo? A Deo. Proinde ſubdit: λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Cur diuinam vocat mentem noſtram? Quia à ſolo eſt Deo: naturæque eſt diuinæ, hoc eſt, incorporeæ, ſimplicis, immortalis, omnia intelligentis, ſicut etiam Deus. Alia Ariſtotelis teſtimonia videbimus ſuo loco: cùm de animi immortalitate agemus. Veriſſimè dixit Poëta de anima noſtra: *Sedibus æthereis ſpiritus ille venit*, hoc eſt, à Deo.

Placet autem concludere hanc orationem verbis ipſius Ciceronis, ex Tuſcul. 1. pag. 162. *Animorum nulla*, inquit, *in terris origo inueniri poteſt. Nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum; aut quod ex terra natum atque fictum eſſe videatur, nihil ve aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat. quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti poſſit præſentia: quæ ſola diuina ſunt. Nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire poſſint: niſi à Deo. Singularis igitur eſt quædam natura atque vis animi, ſeiuncta ab his vſitatis, notíſque naturis. Ita quicquid eſt illud quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & diuinum eſt: ob eámque rem, æternum ſit, neceſſe eſt.* Hæc Cicero. Ego non poſſum ſatis mirari ingenium & eruditionem Ciceronis. En quàm breuiter, & quàm perſpicuè omnia argumenta Ariſtotelis complexus eſt, tum à natura, tum ab operationibus deducta, quibus animam noſtram νοητικὴν probat venire θύραθεν; & immortalem eſſe, &c.

Si Philoſophi profani tam magnificè de animis noſtris ſenſerunt & docuerunt, vt demonſtrauerint etiam firmis rationibus, eos eſſe diuinos, originémque non habere in terris, neque à rebus terrenis: quid nos Chriſtiani dicemus, quibus magis perſpecta hæc eſſe debent, quàm illis fuerint? Atque in alium finem ... rum teſtimonia non affero: niſi vt intelligamus, hoc eſſe à natura ... (ſicut ait Hilarius) vt ſentiat animam humanam, originem non habere vllo modo à rebus terrenis, ſed à ſolo Deo.

V. Nunc ſi argumenta è ſacris literis collecta: ſi Patrum auctoritas, ſi teſtimonia denique Philoſophorum parum nos mouent: agamus rationibus à natura petitis: atque inprimis a natura animæ.

1. Anima rationalis, non minùs quàm Angelus, ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens, ſpiritualis, eáque neque ex potentia materiæ educta: vt in prima quæſtione demonſtratum eſt. Ergo, ſicut Angelus, ex Angelo non propagatur (hoc enim neque ſacræ literæ docent: neque Philoſophi admittunt) ſic neque anima ex anima, multò verò minus per corporale ſperma, corporalemque hominis actionem. Illatio hæc ſeu ſequela ita probatur. Primò, quæ eiuſdem ſeu ſimilis ſunt naturæ: eaſdem etiam ſeu ſimiles habent operationes, & ſimilem habent ortum. Ideo omnis ignis calefacit: omnis aqua humectat: omnis homo ratiocinatur, ſeu ratiocinari poteſt, atque ita de aliis: & eodem etiam modo, omnia quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, naſci & fieri ſolent. Sunt enim Angelus & anima, ad ſubſtantiam quod attinet, eiuſdem generis & naturæ: nempe, ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, incorporea, immaterialis, ſpiritualis: vnde & ſpiritus tam hæc quàm ille appellatur, & idcirco etiam tam anima noſtra intelligit & vult: quàm Angelus: quanquam ille, vtpote ſeparatus à corpore, perfectiori modo, quàm anima. Ergo ſicut Angelus, non producit alium Angelum: ſic neque anima, animam. Eſt enim vtrobique eadem ratio. Quæ eſt enim ratio, cur Angelus ex Angelo non propagetur? Quia ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens, ſpiritualis, immaterialis, quæ tranſmutationem non patitur. Cùm igitur talis etiam ſit anima noſtra: quis non videat, eandem ob cauſam, hanc etiam ex alia anima propagari non poſſe? Si hîc obijcias generationem filij ex patre Deo: facilè refello. Omnem enim captum illa excedit: & finiti ad infinitum nulla eſt comparatio, ſeu proportio. Phyſicè & naturaliter loquimur de Angelo & anima humana. Proinde trahi huc illa Dei natura non poteſt. Quòd vero multò minus per ſemen humanum, actionémque corporalem propagari anima poſſit: hunc in modum probatur.

2. Mens humana, ad hoc, vt proprias exerceat operationes: quæ ſunt intelligere & velle, opus non habet corporis inſtrumento, actioneve corporea: quemadmodum ante dictum a nobis fuit, & veri docent Philoſophi. Nam etiam ſeparata à corpore, intelligit & vult. Ergo neque ad hoc, vt ſit, vlla corporis actio, vllúmve corporale organum requiritur. Nam vnaquæque res, ſicut ſe habet ad operandum, ſic etiam ſe habet ad Eſſe: & ſicut ad Eſſe, ſic etiam ad operandum. Cùm igitur mens humana operetur ſine corpore (id quod manifeſtè apparet, quia etiam à corpore ſeparata, intelligit) efficitur, vt etiam in Eſſe producatur, ſine corporis actione. Quare per traducem fieri non poteſt. Argumentum hoc Ariſtotelis eſt, ex 2. de Generatione animalium, cap. 3. vt ſuprà oſtendimus. Pendet autem ex hoc fundamento, quod ipſe iacit: ὅσων γὰρ, inquit, ἐστὶν ἀρχῶν ἡ ἐνέργεια σωματική, δῆλον ὅτι ταύτας ἄνευ σώματος ἀδύνατον ὑπάρχειν οἷον βαδίζειν ἄνευ ποδῶν. Proinde hinc neceſſario infertur, animam vegetatiuam & ſenſitiuam, per ſe ſubſiſtere non poſſe: & generari per corpus. Contrà, quorum principiorum operationes, ſine corpore fiunt: eorum productio non fit per corporis generationem. Talis autem eſt omnis intellectiua: vt idem docet.

3. Quicquid fit, aut ex nihilo, aut ex præiacente materia fit. Et ita docet etiam Moſes in primo cap. Gen. dum opera Dei deſcribit. Anima autem non fit ex materia præiacente. Materia enim ex qua aliquid fit, contraria ſubſtantia ſit, oportet: hoc eſt, talis naturæ, vt contrarias ſuſcipere formas poſſit: id quod in omni rerum naturalium generatione fieri videmus. Manifeſtum autem eſt, rationalem animam, omnis materiæ expertem eſſe. Eſt enim ſpiritus, ſubſtantia ſcilicet ſpiritualis. Fieri igitur nequit, vt anima ex anima propagetur: Quare ex nihilo creatur. At dices, fit ex materia ſpirituali. Sed neque ſic diluis argumentum. Materia enim hæc ſpiritualis cõtrarietati ſubiecta eſſet ſi ex ea generatur alia ſubſtantia ſpiritualis: & tranſmutatio fiet inter ſubſtantias ſpirituales: quod omnino dici non poteſt,

poteſt, quin conſequatur corruptioni obnoxias eſſe. Quicquid enim ex materia generatur, corruptioni obnoxium eſt: idque propter talem materiam, quæ contrarietati ſub ecta eſt, & ſubiecta ſit oportet. Fieri igitur nequit, vt anima ſit immortalis, ſi ex altera anima, tanquam ex præiacente materia fiat. Multo vero minus ſi id fiat, per ſeminis humani actionem.

4 Qui negant creari animas, ideo hoc negant, quòd pro abſurdiſſimo habent, vt corpus agat in ſubſtantiam ſpiritualem, eámque inficiat labe peccati. Ex hoc itaque fundamento euinco, animam per traducem, actionemque corporis non propagari. Si enim abſurdum eſt, vt res corporea agat in rem incorpoream: multo magis abſurdum eſt, vt per rem corpoream generetur res incorporea. Non enim per carnem generatur ſpiritus. Quomodo igitur anima, quæ ſubſtantia eſt ſpiritualis: per actionem corporis, perque ſemen humanum propagari poteſt? Hoc enim eſt, fieri per traducem, id eſt, traduci animam ex parentis anima, per ſperma parentis in filium. At certum eſt, omnino ἀδύνατον eſſe, vt actio corporeæ virtutis, eò vſque tollatur, & extendatur naturaliter, vt ſubſtantiam penitus ſpiritualem producere poſſit. Nihil enim agit vltra ſuam ſpeciem: Et omne agens, ſemper præſtantius eſt, debetque eſſe patiente: vt etiam Ariſtoteles ait in 3. de Anima.

Quod ſi excipias: Non ipſum ſperma agit ſua virtute, ſed anima patris agit per ſperma, tanquam per inſtrumentum ad generandam filij animam: Nihil dicis. Supra enim oſtenſum eſt, mentem humanam non opus habere organo corporali in producendis actionibus propriis & ſpiritualibus: vt eſt intelligere & velle: Ergo multo minus in producenda ſubſtantia ſpirituali: vti eſt, anima filij. Quare etiamſi quis daret, animam ex anima propagari: id tamen nullo modo dari poſſit, fieri per ſemen corporeum, actionemque corporalem. Sed neq; animam ſimpliciter generari ex anima, antea probatum eſt, quia ſubſtantia ſpiritualis eſt: ſubſtantiæ autem ſpirituales, tranſmutari inter ſe non poſſunt.

5. Per corporis corruptionem, anima intellectiua non corrumpitur, neque deſinit eſſe. Manet enim immortalis, & per ſe ſubſiſtens. Ergo neque per corporis generationem, anima fit aut producitur. Conſequentia hæc neceſſaria eſt: quia ſicut poſita cauſa, ponitur effectus: ſic eadem ablata, effectus quoque tollatur oportet. At videmus hoc in anima ipſa & corpore. Anima, ſicut ſua præſentia in corpore, cauſa eſt vitæ corporis: ſic ſua abſentia, cauſa eſt mortis ipſius corporis. Si igitur etiam contrà, corporis generatio, cauſa eſt, per quam anima producatur, efficietur, vt etiam eiuſdem corporis corruptio, cauſa ſit, vt anima quoque corrumpatur & pereat. Atqui hoc non fit, nec fieri poteſt. Ergo neque illud. Proinde euitari non poteſt: quin anima ſit mortalis, ſi per traducem producatur.

Argumentum non poſſum omittere, quod Auguſtinus indicauit quidem, ſed non explicauit: id autem eſt tale.

6. Si anima propagatur, ſicut corpus ex corpore, per aliquod ſemen à parentibus deciſum, illa propagatio fiat oportet. Nam etiam corpus, per ſemen corporis propagatur; & omnes arbores & piſces, denique omnia: vſque adeo vt etiam anima noſtra non regeneretur, niſi per ſemen ſpirituale, quod eſt verbum Dei, & gratia Spiritus Sancti, vt docent ſcripturæ: alioqui, ſi per nullum omnino ſemen: erit ex nihilo anima, vt nos docemus. Si ergo anima per ſemen aliquod propagatur, aut illud erit ſemen corporale, aut ſpirituale: hoc eſt, aut corporis, aut animæ ipſius parentis ſemen. Si corporis, ipſa igitur anima, quæ propagatur, ex tali ſemine, corporea & ipſa erit ac materialis. Quod enim eſt ex carne, caro eſt; quod ex corpore, corporeum. Si animæ, illud erit aut corruptibile, & mortale: aut incorruptibile, & immortale. Si primum: Ergo & anima ex illo genita & propagata, mortalis erit. Si alterum: Ergo quod eſt incorruptibile & immortale, aliquando perit & corrumpitur. Quónam id modo ſequetur? Peto enim à te, an ex iſto ſemine ab hominibus emiſſo, ſemper naſcantur homines, & ita animæ propagentur, néc ne? Non ſemper: quid igitur fit de illo ſemine? Aut redit, vnde abſciſſum fuit, aut manet, aut perit. Non redit, neque manet. Perit igitur. Si perit: quo modo igitur erat incorruptibile? An non vides, ſi anima traducatur per ſe: & aliquod, neceſſario conſequi: & ſemen, per quod traducitur: & ipſam animam, quæ traducitur, eſſe corruptibilem atque mortalem? Vide & Ficinum de immortalitate animorum, lib. 18. cap. 3.

Sunt hæ Phyſicæ rationes tales, vt dilui facilè non poſſint: niſi quis principia per ſe nota, reijcere velit. Cum autem ſit, ceu duplex Dei vox: vna, qua loquitur in ſcripturis Deus, altera, qua in libro rerum conditarum, hoc eſt, in Phyſica vera Philoſophia, nos docet; certè vbi deeſt apertum Dei verbum, ibi audienda eſt altera Dei vox, Phyſicæ nimirum rationes. Dauid enim vtramque vocem celebrat in Pſal. 19. Vocem Dei in creaturis, cum ait, *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. Vocem in ſacris literis, cùm ait, *Lex Domini immaculata*, &c.

Ergo licèt ſententia de traduce nondum declarata ſit hæretica: Falſam tamen & erroneam eſſe, ego planè non dubito: adductus iis, quas attuli rationibus, tum è ſacris literis, tum ex Philoſophis: vt de Patrum teſtimoniis, & omnium Philoſophorum cõſenſu, nihil dicam. Reſtat, vt ad argumenta in contrariam partem, hoc eſt, contra noſtram ſententiam allata, reſpondeamus. Præcipua tantum perſtringam.

VI. Argumentorum pro Origine Animorum ex traduce refutatio.

PRimum ac præcipuum argumentum, quod contra noſtram Theſim facere videatur, eſt argumentum à deriuatione Originalis peccati ab Adamo in totam poſteritatem, deductum. Huius argumenti explicatio, ſuprà à nobis allata fuit. Illud ad ſummam duo habet difficilia capita: Vnum eſt, ſi creantur nouæ ſemper animæ: quomodo fieri poteſt, vt ideo animæ illæ, peccati Originalis labe inficiantur, quia cum corpore in peccatis concepto, coniunguntur: cum res corporea, vim non habeat in rem incorpoream? Alterum eſt. Et ſi hoc fit, quomodo euitari poteſt, quin Deus autor ſit peccati: quippe qui mundam animam, cum tam immundo corpore coniungit? Hæc duo ſunt, quę negotium faciunt piis viris in hoc negotio. Vtrumque enim videtur nimis abſurdum. Ergo ſi declaretur vtrumque hoc dubium, demonſtreturque, neutrum abſurdum ex noſtra ſententia de origine animorum, déque peccati Originalis tranſmiſſione in animam, propter coniunctionem cum corpore, conſequi, reſponſum fuerit ad argumentum, & omni dubitatione ſublata, firmior manebit noſtra Theſis. Poſſem paucis hoc facere, ſed fortaſſis non tam dilucidè atque opus eſt. Ergo vt hoc dilucidius & commodiùs fiat, quædam mihi axiomata, tum de Dei decretis, tum de peccato Originis, præmittenda ſunt.

1. Primum axioma. Nihil efficit Deus, quod ab æterno non conſtituerit facere. Hinc ſequitur, conſtituiſſe Deum creare tot homines, quot creat, idque eo modo, quo facit, & quæcunque videmus in peccato Originali contingere, non ſine æterno Dei decreto contingere.

2. Omnia Dei decreta, ſunt & iuſtiſſima, & immutabilia. Hinc efficietur, non eſſe iuſtum, vt, quod ſemel decreuit Deus: illud propter noſtrum vitium & culpam immutetur. Quare nullius iniuſtitiæ accuſari poteſt Deus: quod iuxta ſuum decretum, animas à ſe creatas mundas, cum corporibus in peccato conceptis coniungit: etiamſi inde animę quoque peccato inficiantur: cum etiam hæc infectio iuſtè in totam humanam naturam, deriuetur, propter peccatum Adæ: quod non tam illius, quàm omnium eſt hominum, quia in illo omnes peccauerunt, vt dicit Apoſtolus, vnde & *peccatum naturæ* dicitur.

3. Etſi Deus, reſpectu ſui, omnia ſua decreta fecerit (vt ita loquar) vno ſimul momento: reſpectu tamen rerum, quę certo ordine, vna poſt aliam, certiſque temporibus, mandandæ erant executioni, quendam inter ſe ordinem habent iſta Dei decreta: & vnum inſeruit alteri: vt decretum de permittendo peccato, perque vnum hominem in omnes homines deriuando: inſeruit decreto de electis per Chriſtum redimendis: déque reprobis, iuſtè damnandis. Hinc fit, vt multa nobis videantur vel fieri, vel permitti à Deo iniquè, cum poſſit ea impedire aut non facere: quæ tamen iuſtiſſimè fiunt & permittuntur, propter ordinem decretorum Dei, qui non niſi iniuſte turbaretur, ſi tamen turbari à quopiam poſſit. Atque hæc pauca de decretis Dei, ſunto axiomata. Sequuntur alia de peccato originali.

4. Cùm Adamus in ſui creatione, acciperet illam iuſtitiam, rectitudinem, illámque perfectionem, in qua creatus eſt: non illam accepit, vt priuata tantùm perſona, ſed vt caput, radix, fons & origo totius humanæ naturæ, hoc eſt, omnium hominum, qui ex eo naturaliter naſcituri erant. Cùm enim dicit ſcriptura, *fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, & fecit hominem rectum*: non ſolum de perſona Adæ, ſed de omnibus in eo hominibus, dictum eſt: Quia quicquid accepit Adamus, non ſibi ſoli, ſed omnibus nobis accepit. Hinc fit, vt illa iuſtitia & perfectio, non perſonalis, ſed originalis iuſtitia appelletur. Erat enim ab ipſo, tanquam à fonte & origine, ſi non peccaſſet, & peccando eam amiſiſſet, in omnes homines deriuanda. Imo merito dicimur omnes creati fuiſſe iuſti & ad imaginem Dei, in ipſo Adamo: quia in ipſo, tanquam in radice eramus omnes.

& coram Domino perinde eramus, atque ſi iam creati fuiſſemus.

5. Ita igitur etiam, cùm Adamus peccauit ſua inobedientia: & cùm propter peccatum, iuſtitiam illam, omniáque illius ornamenta amiſit, & corruptus eſt: non tam vt priuatus homo, quàm vt fons & ſcaturigo totius humanæ naturæ, peccauit, amiſit, corruptus eſt. Nam illud præceptum, *Ne comedas de fructu arboris*: non ad Adamum ſolum, ſed ad totum humanum genus pertinebat. Nunquam enim cuipiam homini licuiſſet de fructu illius arboris edere. Ideo cùm Adamus de eo edens peccauit, in eo dicimur omnes peccaſſe: ſicut & cùm Abrahamus decimas dedit Melchizedecho: ipſe etiam Leui decimatus in eo fuiſſe dicitur ad Hebr. Hinc fit vt *peccatum* illud non tam *Actuale*, Adami ſcilicet reſpectu: quàm *Originale*, omnium ſcilicet noſtrûm cauſa appelletur: Et ſimiliter corruptio illa, propenſióque ad malum, quæ in Adamo poſt & propter illam primam inobedientiam ſubſecuta eſt: *corruptio totius naturæ* vocetur, & Originalis peccati nomine ſignificetur. Originem enim ab Adamo, in nobis habet, tanquam inobedientiæ pœna. Nam ſicut præceptum, *Ne comedas de fructu*: ſic etiam comminatio, *quacunque hora comederis, morte morieris*: æque ad omnes pertinebat. Nomine autem *mortis*, ipſa etiam ſpiritualis mors, quæ eſt gratiæ Dei deſtitutio, eóque totius naturæ corruptio, ſignificabatur.

6. In peccato itaque Originali, in quo omnes concipimur & naſcimur, duo ſunt, obedientia Adę tanquam capitis noſtri, nobis tanquam eius membris iuſtiſſimè imputata: & ipſa totius naturæ corruptio propenſióque ad malum, tanquam illius inobedientię pœna, ab ipſo in nos, iuſto Dei iudicio deriuata.

Liquet hoc ex capite 5. ad Rom. vbi antitheſis fit inter Adamum & Chriſtum, & inter ea, quæ ab vno, & quæ ab altero accipimus. Nam etiam iuſtitia Chriſti, qua iuſtificamur, duas habet partes: gratiam & donum, ſeu remiſſionem peccatorum, cum obedientia ipſius, nobis imputata: & regenerationem, naturæque renouationem. Vt igitur obedientia Chriſti, nobis imputata, propriè eſt noſtra iuſtitia, qua iuſtificamur, vt Apoſtolus docet: regeneratio autem, huius iuſtitiæ effectus: Ita propriè *peccatum Originale*, quo dicimur peccaſſe in Adamo, eſt ipſa Adæ inobedientia, nobis imputata, reatúſque, quo conſtringimur omnes. Naturæ autem corruptio, non tam peccatum eſt, vt verè eſt, quàm etiam pœna illius peccati, iuſtiſſimè omnibus, qui in Adamo peccarunt, inflicta. Hinc ſequitur explicatio illius dicti, quo vtuntur omnes, qui de peccati originis tranſfuſione loquuntur. Hoc igitur eſto ſeptimum axioma.

7. Cùm dicimus animam ex coniunctione cum corpore, peccato infici: Senſus non eſt, quòd propriè & Phyſicè corpus agat in animam, eámque inficiat: ſed quòd ſicut eo momento, quo Deus animam rationalem à ſe creatam, cum corpore in peccatis concepto, coniungit, ex corpore & anima fit homo: (Nam neque ſolum corpus, homo eſt, neque ſola anima) ſic eodem momento, tum inobedientia Adæ, toti huic homini, in vtero matris exiſtenti, imputatur: (Omnes enim homines in Adamo peccauerunt) tum ex conſequenti, ipſa etiam contagio, propenſióque ad malum, tanquam talis pœna peccati, quæ etiam peccatum ſit; ex iuſta Dei ordinatione conſequitur. Verba enim illa: *Quacunque hora comederis, morte morieris*: non ad Adamum duntaxat, ſicut antè dixi, ſed ad totum humanum in ipſo genus, dicta fuerunt: [in Adamo enim tanquam in radice, eramus omnes:] Mors autem illa, non tam corporis erat, quàm animæ: priuatio ſcilicet gratiæ Dei, eóque totius naturæ corruptio, & ad malum duntaxat propenſio, ſicut paulò antè explicaui.

Hæc eſt mea breuis ſententia de peccato Originali, déque illius ab Adamo in omnes nos, non tam in corpus, quàm in animã, licèt è nihilo creatam, propagatione: quam & veram & genuinam eſſe credo, & ſuo tempore magis ac magis Deo volente confirmabo. Neque enim omnes ita explicant, ſed ipſam duntaxat naturæ corruptionem, nomine peccati Originalis accipiunt. Hinc fit difficilior quæſtio, quomodo hæc in animam, ſi non ſit ex traduce, propagetur, quin & corpori attribuatur vis in animam, & Deus, qui eam coniungit cum corpore, autor aliquo modo peccati eſſe non videatur, & iniuſtè agere. Sed ſi retineantur quæ dixi tum de decretis Dei iuſtis & immutabilibus, tum de peccato Originali, déque illius in totum hominem tranſfuſione, vtrumque abſurdum facilè tollitur.

Ad primum itaque abſurdum ſic reſpondetur: Non ſequitur: anima ex coniunctione cum corpore in peccatis concepto, labe peccati inficitur: Ergo ſubſtantia ſpiritualis & in corporea patitur à corporea, & corpus vim habet in animam. Fallacia enim eſt ex ignoratione huiuſce phraſeos in hoc negotio, vt ex ſeptimo axiomate manifeſtum eſt. Non enim hac locutione ſignificamus, animam infici à corpore, propter contactum Phyſicum, quo ſolet infici corpus à corpore, vt vinum coniectum in vas acetoſum ab ipſo inficitur vaſe propter contactum, ſed ideo dicitur infici primum quia ſimulac ex corpore immundo, & ex anima per ſe munda, factus eſt homo, eóque filius Adæ, inobedientia Adæ huic homini imputatur, vt ſua. In ipſo enim Adamo omnes, quotquot futuri erant homines (Chriſtus ſolus excipitur ob cauſſam omnibus notam) peccauerunt, tam anima, quàm corpore? Et ratio eſt, quia ſicut in quinto axiomate dictum eſt, cùm peccauit Adam, non peccauit tantùm vt priuatus homo, ſed etiam vt fons & ſcaturigo totius humanæ naturæ, vnde & *peccatum naturæ* vocatur atque *originis*: cum etiam præcepto de non edendo fructu illius arboris, non ſolum Adamus, ſed totum humanum genus conſtringeretur. At quomodo dicuntur homines, animis etiam in Adamo peccaſſe: cùm nondum eſſent creati? Reſpondeo, quomodo etiam Leui dicitur, antequam eſſet in rerum natura, decimatus in Abrahamo? Certè nomine Leui decimati, non corpus ſolùm, ſed anima ſimul & corpus intelliguntur. Ergo quia ſimulac quis factus eſt homo, eóque membrum Adæ, imputatur illi inobedientia Adæ, tanquam ſua, quia in Adamo peccauit (Fit enim aliquis homo, ſimulac anima rationalis coniuncta eſt cum corpore) idcirco ex iſta coniunctione dicitur anima infici peccato: ſicut etiam ſimulac quis factus eſt membrum Chriſti (Fit autem, cùm per Spiritum Sanctum Chriſto inſeritur) huic imputatur iuſtitia Chriſti, & iuſtus eſſe in Chriſto verè dicitur. Hoc eſt primum ac principale.

Deinde ex hoc ſequitur alterum. Dicitur enim ſecundo etiam loco, anima ex coniunctione cum corpore, peccato infici, quia propter illam primam inobedientiam, cuius reatu implicita eſt anima, ipſa etiam naturæ corruptio, & ad malum propenſio, quam vocare ſolent contagionem, in ipſam etiam animam deriuatur, non per Phyſicam corporis actionem in animam, ſed ex iuſtiſſima Dei ordinatione, qui ſic initio conſtituerat, vt ſicut ſi Adam non peccaſſet, tota illius iuſtitia in liberos propagaretur, qua de cauſſa originalis iuſtitia appellatur, vt ſuprà quarto axiomate dictum eſt, ſic illo peccante, & omnibus aliis in ipſo delinquentibus, tota etiam naturæ Adami corruptio, quæ inobedientiam illius conſecuta eſt, ab illo, tanquam à fonte in omnes homines, hoc eſt, tam in animam, quàm in corpus flueret, vnde & naturalis corruptio nominatur, nominéque peccati Originalis ſignificatur. Pendet enim ab illa maledictione, *Quacunque hora comederis, morte morieris*. Atque hoc eſt, quod breuiter, & acutè, vt omnia, ſcribit doctiſſimus interpres, *Inſt. lib. 2. cap. 1. paragrapho* 7. Neque enim in ſubſtantia carnis aut animæ cauſam habet contagio, ſed quia à Deo ita fuit ordinatum, vt quæ primo homini data contulerat, ille tam ſibi, quàm ſuis haberet ſimul & perderet. Ita apparet, non per vllam corporis actionem in animam iſtud fieri, ſed quia ſic conſtituerat Deus: idque iuſtiſſimè: cùm hæc naturæ corruptio atque contagio, non ſolùm peccatum ſit, & cauſa peccati; ſed etiam pœna præcedentis peccati, nempe originalis inobedientiæ.

Deinde etiamſi quis diceret, corpus, nempe cum anima coniunctum eóque viuum, aliquam in animam habere actionem, ſicut & anima in corpus habet: is neque præter conſuetudinem ſcripturarum loqueretur, neque contra Philoſophos. Scriptura enim ſic loquitur Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*: ac ne putes loqui de ſenſitiua tantum facultate; ſubdit, *Et terrenum domicilium, plenam curarum mentem deprimit*, *τὸν νοῦν*. Philoſophi autem *συμπάθειαν* ſtatuunt inter animam & corpus, vt ſicut corpus ab anima afficitur, ſic viciſſim anima à corpore: Id quod inficiari non poſſumus, niſi ſenſum & experientiam negare velimus. Nam qui abundant flaua bile, animo etiam ſolent eſſe iracundo, & vindictæ appetente. Quibus verò atra bilis dominatur: mœſtam habere ſolent mentem. Ergo à corpore anima aliquid patitur. An non etiam corpora cæleſtia, dum agunt in noſtra corpora, quodam modo agunt etiam in animas noſtras, licèt non in ipſam voluntatem?

Sciendum igitur, licèt Deus non creet animam in peccato, ſeu peccatricem (ſic enim foret peccati auctor) ipſam tamen animam in corpore, duobus magnis affici incommodis, ex quibus tota naturæ prauitas pendet. Vnum eſt, quòd ipſa caret ea gratia, & illis virtutibus, quibus anima primi hominis ornata erat: quibúſque potuiſſet, ſi voluiſſet, regere corpus, & totum ſibi ſubiectum retinere. Alterum

rum eſt, quòd contra corpus tale nacta eſt, quod cùm maledictioni obnoxium ſit, vtrùmque corruptum: ad bonum nihil eſt aptum, ad malum autem totum propenſum. Ita fit, vt cum vna ex parte, deſtituta ſit anima illis viribus, quibus poſſit ſibi corpus ſubijcere; & ex altera, in corpore ſit ad malum propenſo: ſit inquam propter hæc duo magna incommoda: vt anima, quæ deberet corpus regere, contrà à corpore in varias eáſque malas pertrahatur cupiditates: Idque vſque adeò, vt ipſa quoque talibus oblectetur vitiis & affectibus, & ad malum fiat propenſa. Atque hoc eſt, quod Sapientia ait, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrenum domicilium, plenam curarum mentem deprimit.* Credo ſatis eſſe factum primo abſurdo, quod adferebatur.

Verum enimuero (vt ad alterum veniam) inquies: eſto, réſque ita ſe habeat, vt declaraſti de peccato Originali, déque illius in poſteros propagatione, ſed nondum acquieſcit animus. Primùm quomodo poteſt excuſari Deus, quin ſit autor peccati, quod anima ex coniunctione cum corpore, contrahit, cùm Deus ipſe ſit, qui hanc cum illo coniungat?

Reſp. Minimè autor eſt: quia licèt copulet animam corpori, culpam tamen, quam inde contrahit & labem: ipſe Deus non facit, neque animæ immittit inſtilláve: ſed ex coniunctione ſequitur, non per ſe, ſed per accidens. Si enim Adam non peccaſſet; copulaſſet tamen Deus animas corporibus, vt ex vtrorumque copula fierent homines: neque tamen infecti fuiſſent peccatis. Quod igitur Deus coniungit vnum cum altero, hoc eſt per ſe: quod verò ſequitur inde animæ labes, hoc eſt, ex accidente. Non eſt igitur Deus, auctor huius peccati.

At, inquies, etiam ſi peccatum ſit ex accidente: Deus tamen ita de principio conſtituit vt fieret, cùm dedit præceptum Adæ, *Ne edas*. & voluit illud præceptum ad nos poſteros pertinere, vt ex primo patet axiomate. Reſp. Non conſtituit vt peccaretur; ſed præuiſum peccatum non impedire decreuit, voluitque præcepto ſuo omnes teneri; ſed voluntas hæc atque decretum, ſapientiſſimum, iuſtiſſimum, & optimum fuit, vt ex ſecundo axiomate patet: tum quia optima eſt Dei voluntas, cauſaque omnis iuſtitiæ: tum quia habuit optimos fines.

At cùm poſſet totum hoc malum auertere; aut præceptum illud non dando, aut ne violaretur efficiendo, aut animas cum corporibus non coniungendo, & ita ne homines naſcerentur impediendo, cur non fecit? Reſp. Decreuerat hæc omnia certo ordine facere, quæ facit, & vnum decretum inſeruiebat alteri, vt ex tertio axiomate liquet. Non erat igitur æquum, vt aliquod horum decretorum impediretur. Sed cur, inquies, decreuit hæc? Hic tibi reſpondet Apoſtolus: *O homo, tu quis es, qui reſponſas Deo? Quis cognouit mentem Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Item, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia*, &c. Et Dauid: *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

Regula igitur certa & ſaluberrima hæc retineatur: *Quæcunque aut facit Deus, aut fieri à nobis permittit: certò ſciamus omnia fieri & permitti ex æterna Dei ordinatione.* Cùm vero quæſtio eſt de ordinationibus decretíſque diuinis, hic nullam quæramus cauſam, præter ipſius voluntatem, quæ omnis iuſtitiæ regula eſt.

Reſtat adhuc ſcrupulus circa iſtud argumentum primum à peccato Originali, eiuſque propagatione ductum. Dices enim, Acquieſco in iis, quæ dixiſti, nempe & optimè fieri poſſe, & id etiam iuſtiſſimè, vt quia peccatum Adæ, peccatum fuit naturæ, & non tam perſonale, quàm Originale, cùm peccauerit non vt priuatus homo, ſed vt fons & ſcaturigo totius humani generis, idcirco omnibus illis, qui communi propagatione ex ipſo naſcuntur, peccatum inobedientiæ illius imputetur, & per conſequens tota etiam naturæ contagio, ab eo, tanquam à fonte, in nos deſluat, tam in animam, quàm in corpus, propter immutabilem Dei ordinationem. Omnes enim qui communi propagatione ex Adamo naſcuntur; in illo, & cum illo, tum peccarant. Nam ſicut præceptum, *Ne comedas de fructu arboris*, ad omnes pertinebat, ſic etiam quando contra præceptum extendit manum, fructum accepit & comedit: omnes illi quoque, qui in eius erant lumbis, de illo egreſſuri, manum pariter in Adamo ſimul extenderunt, pomum acceperunt, comederunt, peccarunt, ſicut & Leui, cùm eſſet in lumbis Abrahæ, decimas dedit in Abrahamo, & cum Abrahamo ipſi Melchiſedecho; Totum hoc, inquies, optime habet. Sed adhuc hæret manétque ſcrupus, & tua reſponſione magis infixus eſt, tantum abeſt, vt ſit exemtus, nempe; Quinam fieri poſſit; vt animis noſtris imputetur inobedientia Adæ, & in eos transferatur contagio, ſi non ſunt ex traduce? Si enim non ſunt ex traduce animæ Adæ, non erant igitur in lumbis eius, eóque nec peccarunt in illo.

Reſp. Fallacia hic admittitur, quæ diuiſionis appellatur. Diuidis enim in hoc negotio, quæ non ſunt diuidenda, nempe animam à corpore. Apoſtolus cùm ait ad Rom. *Omnes in Adamo peccaſſe*, omnes intelligit homines, qui ex ipſo communi propagatione naſcuntur, vt ex ipſius verbis apertè apparet. Ait enim, *per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum*, id eſt, in homines, *& per peccatum mors*: & ita in omnes homines mors pertranſit, in quo omnes peccauerunt. Peccauerunt ergo in Adamo, non animæ ſeorſum à corporibus; neque corpora ſeorſim ab animabus, ſed homines ipſi, qui conſtant anima, & corpore. Vnde neque dicimus, ex Adamo naſci animos ſine corporibus, neque corpora ſine animis, ſed homines. Proinde ſuprà etiam in axiomate ſeptimo diximus, peccatum Adæ imputari non animæ, antequam corpori ſit coniuncta, ſed cum primùm anima coniuncta eſt corpori: & ex vtroque factus eſt homo: tunc ſtatim toti huic homini, peccatum inobedientiæ Adæ imputari. Quid ita? Quia tunc ad Adamum pertinet, & Adami membrum eſt factum: cùm ex Adamo naſcantur non ſola corpora, neque ſolæ animæ, ſed homines, id eſt, tales perſonæ. Ergo licèt animæ creentur à Deo, neque ſint ex Adamo per traducem, nihil tamen hoc impedit, quin tota perſona, quæ naſcitur ex Adamo: filius Adami eſſe dicatur, & verè ſit: & ea te fuiſſe in lumbis Adæ, & in illo peccaſſe. Nam, vt dixi, ſicut ex Adamo non naſcitur corpus abſque anima, neque anima abſque corpore, ſed homo, anima & corpore conſtans: ſic etiam cùm dicimur peccaſſe in Adamo, non eſt in Adamo conſiderandum, aut ſolum noſtrum corpus: aut ſola anima: ſed totius homo. Omnes enim (ait Apoſtolus) homines in eo peccauerunt. Ergo etſi anima non ſit ex traduce; hinc tamen non efficitur, quin omnes homines fuerint in Adamo, de Adamo egreſſi ſint, filij ſint Adami, & in Adamo peccarint: eóque in ipſos, quanti quanti ſunt, tam in animas, quàm in corpora, tota contagio, optimo iure deriuetur.

Explicationem hanc illuſtrabo exemplo Chriſti. Chriſtus certè ſecundùm ſuam totam humanitatem eſt ex Patribus, & ex ſemine Dauid. Apoſtolus enim ait; Rom. 1. *Qui factus eſt ex ſemine Dauid, ſecundùm carnem.* Item cap. 9. *Ex quibus Patribus eſt Chriſtus κατὰ σάρκα.* Quid autem intelligit nomine *carnis*? De omnium interpretum ſententia: totam illius humanitatem ſeu humanam naturam: ſicut etiam Iohan. 1. *Et λόγος caro factus eſt.* Facit enim Apoſtolus antitheſim inter diuinam & humanam naturam: quibus duabus conſtat Chriſtus. Humana autem Chriſti natura, non eſt tantùm corpus, ſed etiam anima. Eſt igitur Chriſtus ſecundùm totam ſuam humanam naturam, tam animam, quàm corpus, ex Patribus, & factus ex ſemine Dauid. Interim tamen conſtat, Chriſti animam, non eſſe per traducem, ex Dauide factam: ſicut ſuprà ex Patribus oſtendimus: Et Auguſtinus concedit: id quod etiam ratione euincitur. Nam ſi (vt defenſores traducis docent) anima traducitur in liberos, per ſemen patris: quomodo anima Chriſti fuit traducta; cum Chriſtus conceptus ſit ſine ſemine viri; ex Spiritu ſancto? Exemplum certè habemus hic apertum: Etſi alicuius anima non ſit per traducem à ſuo parente: hinc tamen non impediri, quin is totus dicatur & ſit ex ſuo parente, & ſui parentis filius. Neque eſt, cur hic dicas, non eſſe ſingulare factum, & myſterium. Nam mihi ſatis eſt oſtendiſſe quod factum eſt in Chriſto: idem etiam poſſe fieri in nobis. Quare abſurdum non eſſe, quòd anima creetur à Deo: & tamen totus homo, ſui ſit parentis filius. Quid? Quòd Chriſtus, vſque adeo dicitur & eſt verè totus, quantus eſt, filius Mariæ: vt ea vere dicatur eſſe *mater Dei*, ſicut contra Neſtorium in concilio Epheſino & Chalcedonenſi definitum fuit, vt vocaretur Θεοτόκος? Nunquid tamen hinc euinces, Chriſtum ipſam quoque Deitatem à Maria accepiſſe? Minimè verò. Quid ita? Quia hæc non pugnant: Mariam totius perſonæ Chriſti, matrem eſſe: totúmque Chriſtum, ex ea natum eſſe: Et tamen diuinam ſuam naturam, Chriſtum aliunde habere, nempe à Patre, non autem à Maria.

Adde & hoc, quod clarius etiám eſt. An non totius Chriſti, qua homo eſt, mater eſt Maria: & ipſe, qua homo eſt, totus eſt ex illa, eiúſque filius primogenitus? Eſt. Animam tamen non habet ex anima Mariæ traductam. Ergo licèt animæ noſtræ non ſint per traducem ex parentibus noſtri [illegible] ex Adamo: veri tamen ſumus parentum noſtrorum [illegible] mi filij, quia veri homines, ex ipſis nati ſumus. [illegible] ſumus: fuimus igitur in Adamo, & in illo pec[illegible] in illo omnes homines peccauerunt: ac pro[illegible]

lata in nos eſt, tam in animam, quàm in corpus, peccati Originalis contagio. Ita manet firma noſtra prior ſolutio, ad argumentum à peccato Originali deductum: & exemplo Chriſti reſponſum eſt ad inſtantiam factam.

Eſt tamen hîc etiam obſeruandum: licèt rationalis anima, quo ad ſuam ſubſtantiam minime à parentibus pendeat, ſed à Deo: eóque propriè non generetur à parentibus, neque traducatur per ſemen, ſed creetur à Deo: idque propterea quòd anima incorporea eſt, & forma immaterialis per ſe ſubſiſtens, & immortalis: tamen, quia creatur à Deo (vt poſtea explicabo) non extra corporis materiam, ſed in ipſo corpore, quod omnino generatur à parentibus, & ad animam recipiendam diſponitur: hanc ob cauſam ipſa quoque anima certo quodam modo dici poteſt à parentibus generari, non quo ad eius eſſentiam atque ſubſtantiam: ſed quo ad eius οὐσίας atque ὑπάρξεως. Explico clariùs. Anima, vt talis ſit ſubſtantia, non habet a parentibus noſtris, ſed creatur à Deo. Vt verò incipiat eſſe & exiſtere, hoc habet etiam à parentibus. Ratio eſt, quia non incipit eſſe & ſubſiſtere, niſi in corpore benè præparato atque diſpoſito. Anima enim ἐντελέχεια eſt, formáque corporis non cuiuſvis: ſed organici potentiâ vitam habentis. Corpus autem generatur, diſponitur ac præparatur ad formam à parentibus: ad hoc etiam operante Sole: vnde illud; *Sol & homo generant hominem.* Abſurdum igitur non eſt, animam creari à Deo: & eandem tamen dici propter præcedentes corporis præparationes ad animam ſuſcipiendam, à parentibus quoquo modo generari.

Atque hoc eſt, quod Contarenus aduerſus Pomponacium ſcribit, animæ humanæ productionem, mediam eſſe inter puram creationem, & generationem. Et Ficinus ait, *Non vniri animam corpori niſi per ſpiritus illos animales atque vitales, qui medij ſunt inter corpus & mentem.* Ac de primo argumento ſatis.

2. Atque hinc (vt ad ſecundum veniam) intelligi facilè poteſt, quomodo in Geneſi cap. 46. dicatur *egreſſas fuiſſe animas è fœmore Iacob*, quem etiam locum adferunt defenſores traducis. Auguſtinus in Epiſtola ad Marcellinum ait, intelligendum hoc eſſe per Synecdochen dictum, qua contentum, pro continente accipitur. Anima enim continetur in corpore, vel potius continet corpus: Sicut ergo Poëta dixit, *vina coronant*, cùm non vina, ſed vaſa vinaria coronarentur: Et ſicut Eccleſiam, quæ propriè eſt populus contentus, ipſum etiam locum, vbi continetur populus, appellant: ſic ait, nomine animarum, ſignificata fuiſſe corpora, in quibus animæ continentur. Corpora autem verè egreſſa ſunt ex femore Iacob. Sed ego aliter reſpondeo: nomine animæ, ſignificari totum hominem: à nobiliore parte denominatum. Omnes autem illi homines, egreſſi ſunt ex femore Iacob, id eſt, geniti, quanquam non quoad animas propriè, ſed quoad corpora. Sic etiam ſolemus dicere ſecundùm ſcripturas, Deum mortuum eſſe, cùm de Chriſto loquimur Deo & homine. Neque tamen, quà Deus, mortuus eſt, ſed tantùm quâ homo. Sed præter hanc reſponſionem, quodam etiam modo dicere poſſumus, animas ipſas egreſſas fuiſſe ex femore Iacobi, non quòd ſimpliciter, & quòd ad ipſarum eſſentiam traductæ ſint ex Iacobi femore: ſed propterea quòd virtus ſeminis de femore Iacobi egreſſa, operata fuerit ad vnionem animæ & corporis, diſponendo materiam corporis ad animam recipiendam: ex cuius vnitione cum corpore, homo habet vt ſit homo.

3. Ex hac eadem explicatione colligitur reſponſio ad illud argumentum: *Vnumquodque animal generans, generat ſibi ſimile in ſpecie, idque perfecta generatione: quia & corpus & animam generat.* Fatendum igitur eſt, aut hominem non generare ſibi ſimilem in ſpecie, eóque imperfectiorem eſſe hominis generationem, generatione brutorum, quod abſurdum videtur: aut ex parentibus non ſolùm corpus, ſed etiam animam generari.

Reſpond. primò, Etiamſi anima creetur à Deo, non autem generetur à parentibus: tamen inde non ſequitur, hominem non ſibi generare ſimilem in ſpecie: & imperfectiorem eſſe hominis generationem, generatione brutorum. An non Maria generando Chriſtum verum hominem, genuit ſibi ſimilem in ſpecie? Anima tamen Chriſti, vt ſuprà demonſtratum eſt, non fuit genita ex humano ſemine, ſed creata à Deo. Num ideo dices, hanc generationem imperfectiorem eſſe generatione brutorum? Dicéſne etiam ideo generationem noſtram, imperfectiorem eſſe generatione animalium: quia illa gignunt ſuos filios perfectos, robuſtos, optimis tectos coriis, qui, ſimulac nati ſunt, ſaliunt, comedunt, & perfecta vitæ & animalis officia faciunt? Nos autem generamus liberos imbecillos, nudos, vagientes. &c. Perfectio generationis noſtræ in iis rebus non conſiſtit, ſed in hoc, quòd inſtrumenta Dei ſumus, ad vniendam talem animam, cum tali corpore: eóque ad generandum tale animal, quo nihil perfectius reperiri poteſt: etiamſi animæ ipſius ſubſtantia, à Deo creetur: Imò in hoc apparet præſtantia generationis humanæ: quòd Deus in generatione hominis, præſtantiori modo nobiſcum operatur quàm in aliis animalibus faciat. Sicut etiam ideo præſtantior fuit creatio primi hominis, quàm reliquorum animalium: quia de iis dixerat, *Producat terra animam viuentem. hominem autem ipſe formauit, animámque inſufflauit.*

Certum eſt, licet anima creetur à Deo, interim tamen nos generare nobis ſimiles in ſpecie: ſicut & de Maria, cum genuit Chriſtum, dictum eſt. Huiuſce autem rei ratio eſt illa, quam ſuprà explicauimus, nimirum quia virtute ſeminis noſtri, humanum corpus, ad animam recipiendam præparatur: & hanc ob cauſam, anima quoque ipſa, quodam modo generari à parentibus dicitur, vt Contarenus ait. Atque ita etiam explicat Aquinas, tum contra Gent. lib. 2. cap 88. tum in Q.D. part. 1. q. 3. art. 9.

4. Ex eodem fonte fluit reſponſio ad quartum argumentum. Si anima, inquiunt, non generatur, ſeu non traducitur à parentibus, ſed creatur à Deo: minor igitur pars filij, à parentibus eſt, eóque non totius filij, parens quis fuerit: ſed tantùm ex parte, eáque etiam minima, eoque non poterit dici homo generari, ſed corpus tantùm.

Reſp. Maria ita fuit totius Chriſti mater, licèt neque anima ex Maria eſſet per traducem, & multò minus Deitas, vt tamen vocata ſit, idque veriſſimé, Mater Dei, Θεοτόκος. Quid ita? Quia mater eſt totius illius perſonæ Chriſti, quæ vna tantum eſt, neque in partes ſcindi poteſt. Chriſtus autem & eſt Deus verus, & perfectus homo. Deinde anima Chriſti non fuit genita, ſed creata, vt ſuprà oſtenſum eſt. Verè tamen dicitur Maria genuiſſe filium ſuum primogenitum & verum hominem. Non pugnant igitur hæc, animam non generari à parentibus, ſed creari à Deo: & tamen totum hominem naſci ex parentibus, & parentes totius eſſe hominis parentes: Præſertim cùm accedat ratio prædicta: nempe quòd propter diſpoſitionem corporis à parentibus factam ad ſuſcipiendam animam, quodammodo anima etiam dicitur generari à parentibus.

5. Apollinaris hoc adferebat argumentum, ſi animam creat Deus in omnibus hominibus: Ergo cùm quis naſcitur ex adulterio, Deus cooperatur adultero: atque ita peccati autor, vel ſaltem comprobator eſt.

Reſpondet Auguſtinus: Etſi Deus operetur in conceptione infantis, qui ex adulterio concipitur: non inde tamen Deum, aut auctorem aut comprobatorem eſſe adulterij: Tantum enim Deus ex malo colligit bonum, vt facere ſolet.

Reſpondent alij, diſtinguendum eſſe inter actionem adulteri & eius voluntatem. Actionem eſſe ex genere bonorum per ſe: ſed voluntatem malam eſſe. Deum itaque cooperari actioni: voluntatem autem non comprobare. Hieronymus (vt Auguſtinus quoque recitat, in epiſtola ad Hieron. 28.) ita reſpondet, vt Auguſtino quoque optimé ſatisfaciat, ſimili ducto à terra, & ſemente. Terra hanc habet in ſe à Deo bonitatem, vt quicquid ſementis in eam ieceris, illud foueat, & ex eo gignat, proferátque fructum: ſiue illa ſementis ſit legitimè è tuo granario, à te accepta: ſiue etiam furto ſublata. Non enim propter tuum furtum & malefactum, deſinit illa excipere & cum fructu reddere ſementem. Et quis de hac bonitate terram accuſabit? Ita Deus quæ ſua eſt infinita bonitas, ſi quis iaciat ſemen in matricem mulieris, vel legitimè vel illegitimè: non ceſſat, iuxta ſuum decretum, & primam conditionem, & homini cooperari, in formando fœtu, & per ſe animam creare: cùm interim tamen non probet adulterium, ſed damnet & puniat. Fuit ineptum Apollinaris argumentum.

6. Quò quæque res perfectior eſt, eò magis etiam poteſt ſimile ſibi in ſpecie procreare. Hoc enim eſt proprium perfecti. Eſt autem anima humana, omnium animarum perfectiſſima. Ergo cùm omnium aliorum animalium animæ, alias ſibi ſimiles gignant: multò magis id poterit humana.

Reſp. Non valet argumentum, cùm ſit à longè diſſimilibus petitum. Ideo enim vis vegetatiua & ſenſitiua, vt in animalibus, generare dicuntur ſibi ſimilia, quia etiam ipſæ generantur: At verò humana mens, idcirco aliam humanam mentem generare dici non poteſt, quia neque ipſa generatur, cùm ſit incorruptibilis & immortalis, & à ſolo Deo creetur. Totum autem hoc, quod neque generare poſſit, neque generetur, ſed à ſolo Deo immediate creetur, perfectionis eſt, & excellentis dignitatis.

7. Si animæ crearentur à Deo: certè non eſſent caro, hoc eſt, immundæ, ac corruptæ: ſed ſpiritus, hoc eſt, mundæ.

Nihil

Nihil enim Deus creat immundum, ſed omnia valdè bona: & *quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Ioh. 3. Atqui ab initio ſuæ vel creationis, vel generationis in humano corpore, immundæ ſunt & caro: quia homo naſcitur caro. De toto enim homine loquitur Chriſtus, cum ait, *quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Ac proindè docet, totum etiam, corpus habere regeneratione, & vt fiat ſpiritus. Ne igitur aut negemus corruptionem animæ, aut eam adſcribamus Deo, vt autori: fateamur oportet animas non creari à Deo, ſed ex traduce fieri.

Reſp. Ad maiorem. Diſtinguendum eſſe inter id, quod facit Deus: & quod aliunde accedit. Subſtantiam animæ creat Deus, eamque bonam & mundam, & ſpiritualem. Corruptio & contagio, quæ nomine *carnis* ſignificatur, à Deo non eſt, tanquam à cauſſa efficiente. 1. Iohan. *Concupiſcentia carnis, &c. non eſt ex Patre.* Vnde igitur? A Diabolo primùm, peccati Originalis auctore primario. Deinde ab Adamo, tanquam à prima ſcaturigine: vnde tota hæc contagio, in poſteros deriuatur: (vt ſuprà explicatum eſt) Deo ſic primam inobedientiam iuſtè puniente. Eſt enim hæc naturæ corruptio, cuius autor eſt Diabolus, pœna inobedientiæ Adæ, in quo omnes peccauerunt. Eſt igitur fallacia non cauſſæ, vt cauſſæ. Cauſſa enim cur à principio ſuæ creationis in corpore, anima ſit infecta peccato, & caro effecta: non eſt quia aut talis efficiatur à Deo, aut naſcatur ex traduce: ſed quia ſimulac creata eſt: eáque bona atque ex ea & corpore factus eſt homo: ſtatim propter imputatam ei inobedientiam Adæ, in quo peccauit omnis homo: contagio originalis in eam deriuatur: Deo id ex ſuo decreto iuſtiſſimo permittente & ordinante: idque propterea quòd omnes homines in Adamo peccarunt. Ac proinde mors etiam illos inſequitur, non ſolùm corporalis, ſed etiam ſpiritualis, quæ eſt deſtitutio gratiæ Dei. Diſtinguendum igitur eſt inter id quod facit Deus: & quod propter peccatum primum, fieri permittit.

8. Filij naſcuntur parentibus ſimiles, non ſolùm qualitatibus corporis, ſed etiam affectionibus animi, bonis vel malis. Ergo ſicut ideo parentibus ſimiles ſunt corpore liberi, quia ex illis corpus accipiunt: ita etiam ideo ſimiles ſiunt animi vitiis, vel virtutibus, quia animos ab illis itidem in ſe traductos habent.

Reſp. Primò, Non ſemper verum eſt antecedens: vt experientia & hiſtoriæ docent. Nam neque corpore, neque animo omnes liberi naſcuntur ſimiles parentibus. Secundò, ſi quando ſimiles animorum affectiones, ſimiléſque ad vitia vel virtutes propenſiones, conſpiciuntur in liberis, quæ & in parentibus: cauſſa non eſt, quia animos à parentum animis traductos accipiant, ſed quia corpora eiuſdem temperationis, cuius erant & parentum, accipiunt. Ex diuerſa enim corporum noſtrorum humorúmque temperatione: diuerſæ etiam in animis noſtris propenſiones & affectiones excitantur atque naſcuntur: vt experientia docet. Ex flaua enim bile in corpore, affectio iracundiæ. Ex natura ſanguinea atque dulci: propenſio ad Venerem. Atque hæc eſt *συμπάθεια*, quam inter corpus & animam ſtatuunt Philoſophi. Anima enim multa accipit & patitur in corpore: ſicut etiam corpus ab anima. Ac ſi firmum eſſet iſtud argumentum: retorquere poſſem hoc modo: Si animæ per traducem propagarentur: filij ſemper ſimiles omnino eſſent parentibus. Non ſunt ſemper Ergo, &c.

9. Geneſ. 9 & Leuit. 17. & alibi, prædicatur eſſe anima in ſanguine. Ergo ſicut traducitur ſanguis: ſic etiam anima, per ſemen hominis, in quo eſt anima. Præſertim cùm ſperma nil ſit aliud, quàm ſanguis decoctus, vt multi docent.

Reſp. Subſtantia animæ, neque ſanguis eſt, neque in ſanguine immerſa, neque ab illo pendet. Sed dicitur eſſe in ſanguine anima, ſuo effectu, hoc eſt, vita. Vita enim, quæ eſt effectus animæ, maximè in ſanguine conſiſtit, & ſanguine nutritur atque ſeruatur.

10. Requieuit Deus ab omni opere ſuo, hoc eſt, operibus creationis. Nihil igitur nunc erat noui. Illud enim, *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor,* non de creatione dictum eſt, ſed de conſeruatione rerum. Fuit hoc argumentum Apollinaris: vt Nyſſenus refert.

Reſp. Si ex verbis Moſis inferre licet, quod inferunt: Ergo neque anima Chriſti creata eſt in vtero virginis: ſed per traducem, producta; eóque peccati Originalis particeps. Si autem conceditur eſſe creata: Verba igitur Moſis aliter ſunt intelligenda: nempe poſt ſeptimum diem, nullum nouum rerum genus creatum fuiſſe à Deo, ſicut orthodoxi Patres interpretantur aduerſus hæreticos. Quare fit etiam iniuria Chriſto in illis verbis: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*: cum reſtringuntur ad Mundi tantùm gubernationem, & excludantur à creatione animorum: cùm tamen propoſitum Chriſto fuerit ſignificare, ſe vnum eſſe cum Patre Deum: propterea quòd vnà cum illo omnia & crearit, & regat creata; & ſi quid adhuc creetur, vt animæ noſtræ, cum ipſo omnia operetur.

VII. Poſtremum in hac quæſtione de animorum origine à nobis propoſitum caput, fuit: ſi creantur ſingulorum hominum animæ: quando & vbi creentur: An ante, an poſt corporis formationem: & an extra corpus, cui poſteà infundantur: an vero in ipſo corpore. Neque abs re hoc quæritur: cùm etiam diuerſæ ſint hac de re ſententiæ: vt de principio diximus: aliis contendentibus ante, & extra corpus creari, qua in ſententia fuit & Hilarius, qui illud in 1. Geneſ. *Creauitque Deus hominem ad imaginem ſuam*, de creatione duntaxat animæ rationalis interpretatur: & quod narratur in ſecundo capite, de formatione corporis, poſt creationem animæ rationalis, factum fuiſſe docet: talis tamen contrà affirmantibus, ſicut in Adamo factum eſt, ita etiam in nobis fieri: vt ſcilicet primo formetur corpus, deinde anima. Quorum etiam duplex eſt ſententia: quia alij volunt extra corpus creari, alij in corpore. Ac certum eſt, ſi anima creetur extra corpus, & poſtea in illud infundatur: inde effici, animam per ſe ſubſiſtere poſſe, à corpore etiam ſeparatam. Ratio: quia antea quoque extra corpus ſubſtitiſſet. Verum ex hac ſententia, alia conſequerentur abſurda. Itaque magis recepta eſt ſententia: animam rationalem in corpore iam formato, creari; & quia ex traduce parentum non eſt, ſed à foris venit: idcirco vt vtrunque ſignificaretur, nempe, neque ex materia eſſe parentum, neque tamen extra corpus creari; obtinuit in ſcholis, vt anima dicatur & creando infundi & infundendo creari. Hæc noſtra igitur Theſis eſto tertia, in quæſtione de origine animorum.

THESIS III.

Animæ ſingulorum vt poſt formatum corpus creantur: ſic non niſi in ipſo formato corpore à Deo efficiuntur.

VT tota hæc Theſis, quæ duobus conſtat membris, clariùs intelligatur, illud inprimis de tempore, quo anima rationalis in ipſo creatur corpore, obſeruandum eſt: quod tam à Theologis, quàm à Philoſophis obſeruatum & explicatum fuit: nempe ſicut corpus non ſtatim perfectè formatur, ſed ſucceſſiuè; ſic etiam mentem humanam, qua homo tum viuit, tum ſentit, tum intelligit, non ſtatim in eo creari: ſed ordine quodam præcedentibus priùs in corpore diſpoſitionibus: ita vt prius vegetatiua præcedat: deinde hac corrupta, ſenſitiua ſequatur: ac demum intellectiua: quæ illis prioribus deſtructis, vires earum in ſe habeat: ſuccedat. Meliùs explico: & quod dixi, confirmo.

Axioma eſt certiſſimum apud Philoſophos: *Vnum ſubiectum non poſſe, pluribus vna, eſſentialibus formis conſtare: Idque in quouis rerum genere.* Inde fit, vt ſi ſubiectum ſeu materia, aliam accipere debeat formam: priorem amittat, neceſſe ſit. Videmus hoc in humani corporis formatione. Primò materia humani corporis formam habet lactis: deinde hac amiſſa, formam accipit ſanguinis: tum formam carnis: demum humani corporis. Ita etiam ſe habet animæ productio in corpore. Primò, præcedit in ſemine non anima, ſed vis quædam animæ, quæ in ſpiritu ſpermatico conſiſtit: deinde per hanc vim, anima vegetatiua producitur: atque ita fœtus viuit, vt planta. Poſt aliquod tempus hac corrupta, generatur ſenſitiua, per eandem vim, ita viuit fœtus, vt animal. Denique hac etiam extincta, ſuccedit anima rationalis: non per illam vim genita, aut ex traduce alterius animæ producta, ſed vi ſolius Dei, è nihilo creata: quæ anima & vegetatiua eſt ſimul, & ſenſitiua atque rationalis: ita vt non plures ibi ſint animæ, ſed vna duntaxat, quæ tribus eſſentialibus conſtet partibus, θρεπτικῇ, αἰσθητικῇ καὶ διανοητικῇ, ſicut in Quæſtione tertia declaratum eſt. Seſe enim habent iſtæ animæ, inter ſe, vt numeri, qui per ſe queunt ſubſiſtere, vt vnum, duo, tria, quatuor: & in aliis poſſunt comprehendi, vt duæ monades, in binario: tres monades in ternario, & tamē ternarius, vnus tantùm eſt numerus. Sic ſe habent iſtæ tres animæ, vt tum quoque explicatum fuit. Proinde in vno homine, non ſunt tres animæ, ſed vna tribus conſtans partibus eſſentialibus. Nunc tenemus quo pacto, poſt non ſolùm formationem corporis, verùm etiam generationem & corruptionem vegetatiuæ & ſenſitiuæ, creetur in homine anima rationalis: ad cuius receptionem præparatur corpus per præcedentes animas.

Cuius rei cauſſa, ipſa etiam anima rationalis certo quodam modo conceditur à parentibus generari: non

quoad ſuam ſubſtantiam,ſed ad hoc,vt in hoc ſubſiſtat corpore,eiúſque ſit forma. Exemplum in artibus inter ſe ordinatis,quarum inferior ſeruit ſuperiori. Statua dici quodam modo poteſt facta eſſe à carpentario, & non à ſtatuario ſolùm: quia licet vltimam formam non habeat à carpentario, ſed à ſtatuario: materia tamen fuit ab illo ad hanc præparata. Sic molitor præparat materiam ad panem ipſi piſtori. Sic homo ſuo ſemine corpus Deo ad animam in illud inducendam. Sic pædagogus puerum doctori;ſic inferiores claſſes ſuperioribus.

VIII. Quòd verò non extra corpus, ſed in corpore creetur: & ſcriptura docet, & firmis confirmari rationibus poteſt,vt de multorum Patrum teſtimoniis taceam.

Zachar. 12. dicit Dominus, *Qui extendit Cælos, & fundat terram & ſpiritum hominis in medio eius fingit.* Teſte etiam Vatablo, tria hic ponuntur miracula: *extenſio cælorum: fundatio terræ: & creatio animæ rationalis in medio hominis*: id eſt, in ipſo homine.Nec ſine cauſa ait,*in medio eius.* Anima enim ſedem & principium habet in corde, ſecundùm ſcripturas, & de Philoſophorum ſententia: Inde verò ſeſe totam per totum corpus diffundit: vt optimè explicat Ficinus,libro decimo octauo, capite ſeptimo. Proinde ſicut primum, quod viuit in corpore per animam,eſt cor: ſic etiam vltimum, quod moritur,& vnde diſcedit anima,eſt idem cor. In ipſo igitur homine creatur. Et id ſapientiſſimè iuréque optimo facit Deus. Anima enim noſtra perfectionem ſuæ naturæ non habet extra corpus: cùm ſit humanæ naturæ pars, non autem perfecta natura. Vnde etiam fit,vt ſeparata à corpore poſt mortem: perpetuo afficiatur deſiderio ſui reſumendi corporis:quod tandem etiam recipiet:quia tale deſiderium ſempiternum eſſe:eóque & natura humana imperfecta manere in ſempiternum non poteſt.Eſt autem conſentaneum diuinæ ſapientiæ, vt ſicut initio Mundi omnia creauit perfecta: ſic etiam nunc perfectum creet humanam naturam. Cùm igitur naturalis perfectio animæ in eo ſita ſit, vt non maneat à corpore disiuncta: efficitur,eam, cùm creatur, in corpore creari: vt nullo temporis momento initio ſui extra corpus maneat. Rationem hanc viderunt Platonici,qui animas omnes ab æterno fuiſſe tradunt. Proinde vt abſurdum hoc euitarent,dixerunt animam eſſe ipſum hominem, perfectæque naturæ: vti verò corpore,vt nauta naui:& homo veſtimento.

Hac ratione etiam vtimur aduerſus eos, qui dicunt,cur coniungit Deus animam cum corpore: cùm ex huius copula illa inficiatur? Coniungit,vt perfecta ſit humana natura: id quod maioris eſt momenti, propter ordinem vniuerſi, & propter *Chriſtum*: quàm quòd ex coniunctione cum corpore, labe peccati inficiatur. Huic enim incommodo atque morbo, remedium & medicina optima eſt parata: quia *Chriſtus ſuo ſanguine lauat nos à peccatis.* Hac vnica ratione, poſt teſtimonia Scripturæ ſanctæ,contentus acquieſco.

Falſum igitur eſt, quod Platonici finxerunt & Origenes: Animas creari in cœlo, & inde in corpora vel deſcendere ſponte, vel inuitas trudi: quemadmodum optimè euincit Marſ.Ficinus lib.18.cap.4.& 5.

Nunc tenemus explicationem huius difficilis quæſtionis de origine animorum: cuius eſt hæc ſumma. Primùm ad cauſſam efficientem quod attinet:Anima neque ab Angelis,neque à Cœlis fit,neque à parentibus generatur;ſed à ſolo Deo per ſe creatur: Quia verò parentes,materiam corporis formatam & præparatam,eóque animæ humanæ recipiendæ idoneam ſuppeditant.ideo quodam modo & ipſam animam producere dicuntur; verè autem totum hominem generare.Quod attinet ad cauſſam materialem,anima neq; ex ſubſtantia Dei eſt, neque ex neſcio qua anima Mundi, neque ex animis parentum traducitur,multò minùs ex corporali ſemine generatur; ſed ex nihilo creatur. Tertiò, quoad tempus & locum; Ea poſt formatum corpus, & extinctis vegetatiua & ſenſitiua præcedentibus formis; Rationalis,tribus conſtans partibus, vegetatiua, ſenſitiua,& intellectiua in ipſo homine, idque in homine eius,creando infunditur; & infundendo creatur; inde etiam ſuo tempore,ad illum,qui dedit eam,hoc eſt, ad Deum reditura.

CAPVT VI.

QVÆSTIO V.

De Vnione animæ cum corpore.

SEquitur nunc quæſtio quinta, eáque etiam non minus difficilis ad intelligendum; quàm ad pietatem vtilis, vt videbimus. Quæſtio hæc eſt de vnione animæ cum ſuo corpore. Conſtat ex iis, quæ modò diximus, de ipſius animæ in corpore creatione: Animam, cùm creatur, corpori ſuo vniri: ſed quomodo vniatur, & quónam ſimili explicari poſſit hæc vnio,vt qualis ſit,intelligatur:diuerſæ fuerunt doctorum veterum ſententiæ.

1. Quidam putarunt, eam vniri corpori, ſicut aqua in vaſe continetur,per contactum ſcilicet. Sed quæ ſolo tactu iunguntur: neque ſimul ſunt omnino, neque ſimul agunt. Aqua enim in vaſe,ſua tantùm ſuperficie,tangit ſuperficiē vaſis; idcóque non verè ſimul ſunt:quia in vnum non coaleſcunt; neque etiam ſimul agunt,cùm aqua humectet agátque ſine vaſe omnia quæ agit. At vero anima & corpus ita ſimul omnino ſunt:vt ex vtroque, vnum verè fiat,vnáq; natura: & nihil agit corpus ſine anima; nec ferè anima ſine corpore. Abſurdiſſima igitur fuit opinio eorum, qui animam ceu quoddam corpus, membris ſuis diſtinctum, ſicut & corpus materiale,eſſe putarunt.

2. Alij itaque ſenſerunt,animam vniri corpori,ſicut molle corpus molli corpori:vt aqua vino, nempe per mutuam mixtionem. Sed quæ ita miſcentur:deſinunt eſſe quod erāt, vímque priorem amittunt. Deinde,anima,cùm ſit materiæ expers: non poteſt cum corpore noſtro hoc modo miſceri. Non ergo per mixtionem vnitur.

3. Quare alij exiſtimarunt, animam vniri corpori, non ſecus quàm calor ignis,vnitur aquæ,cum calefit aqua. Minùs abſurda eſt hæc ſententia:quia comparat animam calori,qui corpus non eſt:& vim vnionis magis exprimit, quia calor vnitur aquæ, vt forma,quanquam accidentalis. Sed tamen neque ita vnitur anima corpori:tum quia ex corpore & anima,fit vnum per ſe:ex aqua autem & calore, vnum per accidens:tum quia calor non totus in tota eſt aqua,& totus in qualibet parte,ſed pars in parte.

4. Proinde alij voluerunt animam vniri corpori,& eſſe in corpore;ſicut vox loquentis,aeri ineſt. Videtur enim tota eſſe,exempli cauſſa, in toto alicuius auditorij aere,& in qualibet eius parte:cùm ex æquo,in qualibet eius parte audiatur.Deinde eadem vox mouet aures auditorum, & præter hoc aliquid intellectu annunciat. Nam ſic etiam anima ſe habet. Primùm eſt tota in toto; & tota in qualibet parte corporis.Deinde mouet regítque corpus,& ſentiendi vim corpori ſuppeditat,efficítque,vt homo intelligat. Verùm præterquam quòd vox in aere,non eſt aeris forma: Eſt etiam fragile quiddam,& paſſioni ſubiectum. Nam concipi in aere non poteſt ſine aeris fractione, & vix concepta, euaneſcit. Anima autem ſubſtantia eſt,& non facilè à corpore diſcedit.

5. Plato dixit,hominem, eſſe ipſam animam: corpus,inſtrumentum animæ,ſeu hominis.Vniri itaque animam corpori, vt corpus indumento, & vt nauta naui,quam regit,& qua ad ſuum iter conficiendum, vtitur. Videntur ſcripturæ non abludere ab hac ſententia. Vnde Apoſtolus ait, *cupio hinc ſoluere,& eſſe cum Chriſto.* Et Petrus, vocat *corpus ſuum tabernaculum.* Vera hæc ſunt: ſi quoddam officium, ad quod creata eſt anima & corpus,conſideres: vt illa ſcilicet regat, hoc regatur. Sed ſi ſpectemus præcipuum vtriuſque finem, res aliter ſe habet.

Finis immediatus creati corporis & animæ,eſt:vt ex vtroque componeretur homo. Vnde poſtquam inſufflaſſet ſpiraculum vitæ Deus, ait Moſes: *Et factus eſt Adam in animam viuentem.* Proinde corpus,vt eſſet materia: Anima,vt eſſet illius forma.Theſis igitur noſtra,hæc eſto prima.

THESIS I.

Anima rationalis vnitur corpori, vt quæuis forma ſubſtantialis, ſuæ materiæ; multámque ſimilitudinem, cum vnione lucis in aere habet.

VT primum membrum intelligatur, reuocandum eſt in memoriam id, quod de forma ſubſtantiali traditur à Philoſophis. Eſt enim ea doctrina veriſſima & cum ſacris literis conſentanea. Forma, ſubſtantia eſt quæ materiæ adueniens, dat Eſſe ipſi ſubiecto; & quæ efficit.vt res,ſpecie inter ſe differant. Quòd enim vna res ab alia differat ſpecie, hoc efficit forma ſubſtantialis, quando materia eadem eſt in omnibus. Cùm itaque homo & habeat, vt ſit homo & ſpecie etiam differat ab aliis animantibus per animam rationalem, manifeſtum eſt, animam rationalem corpori, tanquam formam,vniri. Confirmo. 1. Nam ſi anima ſenſitiua, forma eſt corporis animalis:ita vt ex anima & corpore fiat animal: cur non igitur & rationalis, forma eſt corporis humani, ita vt ambo in vnum hominem coaleſcant?

2. Accedit,quod ſcriptura, quoties nominat hominem:

animam rationalem ſimul & corpus intelligit, tanquam eſſentiales hominis partes. Si igitur corpus, pars vna eſt eſſentialis: Anima ſit altera oportet. Eſſentiales autem cuiuſque compoſiti partes, ſunt materia, & ſubſtantialis forma. Nemo autem dicet, corpus eſſe formam animæ. Anima igitur forma corporis. Ideo & Moſes vtriuſque meminit in creatione hominis, & Salomon, in Eccleſiaſte 12. cùm ait, *corpus*, quod puluerem vocat, *rediturum in terram: & ſpiritum ad Deum.* Et Chriſtus ſubinde vtrumque coniungit, vnúmque docet eſſe mortale, alterum immortale. *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, &c. Item, *pluris eſt anima, quàm corpus.*

3. Quid? Quòd ipſa etiam ſυμπάθεια inter corpus & animam, idem confirmat: Totus enim homo, ſibi ipſi compatitur, anima corpori, corpus animæ. Coëunt igitur ita, vt ſint vnum, hoc eſt, vnus homo.

4. Denique naturæ ordo, qui à diuina eſt ſapientia, hoc poſtulat, vt ſcilicet ſubſtantia ſpiritualis & immortalis, ita corpori mortali vniretur, vt ex vtroque tanquam ex materia & forma vnus conſtaret homo. Nam citra controuerſiam, duo ſunt ſpirituum, à Deo conditorum genera. Quidam ita à materia abſtracti: vt cùm ea in vnum non poſſint coniungi ſubiectum ſeu ὑφιστάμενον: hi ſunt ſupremi ſeu diuini: Angelicæ ſcilicet ſubſtantiæ. Nam etiamſi aliquando aſſumunt corpora: in vnū tamen cum ipſis non coaleſcunt. Contrà alij ſunt ita cum materia coniuncti, vt ab ea ſeparari nequeant. Hi ſunt animæ brutorum. Nam & ipſæ ſpiritus vocantur. Natura autem non patitur duo extrema, ſine aliquo medio. Ad perfectum igitur naturæ ordinem, requirebantur medij ſpiritus, qui cum ſupremis, à materia vacui eſſent ſua natura & eſſentia: & cum infimis, materiæ eſſent vniti: ita vt in vnum coaleſcerent. Hoc argumentum alij aliis explicant verbis: Nimirum, Angeli neque educuntur ex materia, neque in materiam inducuntur. Brutorum animæ & educuntur, & inducuntur. Humanæ igitur non educuntur, vt illæ, ſed inducuntur, vt iſtæ. Proinde homo dicitur eſſe ceu Horizon inter ſubſtantias merè ſpirituales ac cæleſtes: & inter eas, quæ merè ſunt materiales & terrenæ, quoniam anima prorſus immateriali, & corpore materiali conſtamus; eóque & corporei ſumus, & incorporei, mortales & immortales. Quòd ſi alicui abſurdum videatur, ſicut Platoni videbatur, vt ſubſtantia ſpiritualis, qualis eſt anima noſtra, ita vniatur corpori, vt in vnum cum eo coaleſcat hominem; idque propterea, quòd alioqui cum corpore interiret, is Chriſtum ſibi proponat. Quid magis diſtat à natura corporis, anima noſtra, an verò Deitas Chriſti? Certè diuina Chriſti natura. Ea tamen ita ſibi aſſumſit ſemen Abrahæ: vt ex humana natura, tanquam materia, & ex diuina, tanquã forma, vnus duntaxat factus ſit Chriſtus: Sic enim Athanaſius: *Sicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: Ita Deus & homo, vnus eſt Chriſtus.* Num propterea cū humana carne, mortua eſt & Deitas? Quid igitur mirum, quòd pereunte corpore, non pereat anima: quæ tamen cū corpore in vnum coaluerat hominem? Si quæ coeunt in vnum, vtraque ſint corporata: certè vno cadente, alterum ſtare nequibit, ſed anima incorporea eſt, & immaterialis. An non vides Sôlis lumen in aëre, cum aëre tamen non corrumpi: neque cum illo cædi aut diuidi? Quid ita? Quia res ſpiritualis eſt, lumen Solis. Atque hæc de primo membro noſtræ Theſeos.

II. Ergo nunc accipe explicationem alterius, huius ſcilicet ſimilitudinis, à Sole deductæ: qua maximè confirmatur & explicatur vnio animæ cum corpore.

1. Lumen Solis, res eſt ſpiritualis, & incorruptibilis: ita & anima.

2. Illud eſt vnum, illúdque indiuiſibile: & anima.

3. Illud ita vnitur aëri, vt ex vtroque vnum fiat. Quid enim penitiùs penetrat rem aliquam & totam, quàm lux totum aërem? Et ta re, quænam ſunt magis vnum, quàm aër & lux in ipſo? Sic ſe habet anima cum corpore.

4. Neque tamen inter aërem & lucem vlla eſt confuſio: ſed aër, manet aër, & lux, lux. Ita licet vnitiſſima ſit anima corpori: ſine vlla tamen hoc ſit confuſione. Corpus manet corpus: anima, anima.

5. Interim lux Solis, ita illuminat aërem, vt tota ſit in toto, & tota in qualibet parte. Non ſecus anima ſe habet in corpore. Eſt enim tam illa, quàm hæc indiuiſibilis.

6. Eſt lumen ita vnitū, vt tamen cum aëre nō feriatur, neque diuidatur: ſic anima, vnum ita eſt cum corpore, vt tamen cum corpore non feriatur, non concidat, non pereat.

7. Ac licet aër variis inficiatur fœtoribus, lumen tamen ſimul non inficitur. Neque itidem ſordibus corporis, anima commaculatur. Et ſi fluitet ventis aer; lumen tamen perſtat & manet. Non aliter anima, agitato corpore.

8. Sine lumine, aër ceu mortuus eſt, quia & obſcurus ſit, & frigidus, ac putreſcit. Lumen enim & illuminat eum & calefacit, eóque conſeruat purum. Sine anima corpus cum ſenſu deſtituitur, qui eſt ceu lumen, tum calore atque vita priuatur.

9. Lux immediatè à ſolo eſt Sole, ita anima, à ſolo eſt Deo.

10. Illa ſine medio, vnitur aëri: hoc citra vllum medium, corpori: dum illa à Deo, & creando infunditur corpori, & infundendo creatur.

11. Sine luce, lucere aër non poteſt: ſed ſine aëre, lucere per ſe poteſt lux, vt ſit in Sole. Sine anima etiam viuere corpus nequit; ſed bene ſine corpore anima. Vt igitur per lucem, lucet aër; per ſe autem lux: ſic per animam viuit & ſentit corpus; per ſe autem anima & viuit & intelligit.

12. Præterea, Lumen vt à Sole eſt: ſic etiam in Solem reflectitur: anima, vt à Deo eſt: ſic ad eum redit, tam exiſtens in corpore per cogitationem, voluntatem, amorem, quàm ſeparata à corpore, per eſſentiam.

13. Denique lux Solis tria præbet aëri: calorem, fulgorem ſeu lumen, & vitalem motum. Anima corpori vitam, ſenſum, motum. Ita ſit, vt ſicut aëris actus, & ceu ἐντελέχεια, eſt lux Solis, ſic anima corporis. Magnam itaque ſimilitudinem habet animæ vnio in corpore noſtro, cum vnione lucis in aëre: Magnam dixi, quia non perfectam. Nam præter alia diſcrimina eſt etiam hoc: quòd lux è ſubſtantia Solis eſt; non item anima, è ſubſtantia Dei.

Cæterùm ex iis, quæ de collatione vtriuſque diximus, manifeſtè apparet, animam vniri corpori, vt formam: Nec vnionem hanc diſſimilem admodum eſſe vnioni, qua lux Solis vnitur aëri. Quare rectè Ammonius ait, eam eſſe intelligibilium τῶν νοητῶν naturam: vt poſſint corpora penetrare, & puritate ſua retenta, illis ſeſe alligare; quod in aëris illuſtratione cernitur. Lux enim incorporea, aërem corporeum perfundens, illuſtrat: cùm ipſa tamen minimè inquinetur.

THESIS II.

Anima itaque eſt in corpore, ſed à corpore non continetur, ſuſtinet autem potiùs ipſa corpus.

SEquitur hæc ex priore: nēpe quia anima, forma eſt ſubſtantialis ipſius corporis. Platonici contendunt, rectè dici non poſſe, animam eſſe in corpore: cùm res ſit ſpiritualis, & incorporea, omninóq; immaterialis: ſed potiùs dicendum eſſe, corpus eſſe in anima. Nullo enim loco circumſcribi poſſe animam. Sed ſacra ſcriptura aliter loquitur, Apoſtolus in Act. 20. de adoleſcente illo nomine Eutycho, qui de feneſtra deciderat, & quem ſuſtulerant tanquam mortuum: poſtquam Apoſtolus cum complexus eſſet, dixit, *Ne tumultuemini; Anima enim eius in ipſo eſt.* Sic 1. Malachim 17. Elias de alio filiolo, ſic Deum precando, dixit: *Reuertatur Domine anima pueri huius intra ipſum.* Contrà ſæpè legimus, *egredi animam de corpore, cùm quis moritur.* Gen. 35. de Rachele, cum moreretur, legimus: *cúmque efflaret animam.* Et de Chriſto aiunt Euangeliſtæ: *Et inclinato capite, emiſit ſpiritum.*

Dubium igitur non eſt, quin vera ſit locutio: animam eſſe in corpore, egredi de corpore, redire in corpus: ſed de ſenſu tantùm eſt quæſtio.

Cæterùm, animam non contineri à corpore, ſed ab ipſa potiùs ſuſtineri corpus, manifeſtum eſt. Anima enim non eſt in corpore, tanquam in loco: cùm à loco circumſcribi nequeat, vt optimè docent Philoſophi. Et Nyſſenus doctè explicat libro ſecundo, de anima, cap. 11. *Anima*, inquit, *cùm ſit incorporea, & loco non circumſcripta: tota per totum meat corpus: & non eſt pars, in qua non tota adſit. Non enim à corpore tenetur: ſed ipſa tenet corpus. Neque eſt in corpore, vt in vaſe, vel vtre: ſed potius in ipſa eſt corpus.* Hæc ille.

Notandum tamen, non ita Deum eſſe in nobis, ſicut anima in corpore. Anima enim in corpore eſt, vt forma in materia: ex quibus duobus conſtat hominis eſſentia. At Deus non eſt in nobis, neque vt materia, neque vt forma: alioqui eſſemus de eſſentia Dei: quæ fuit hæreſis Manichæorum, & Priſcillianiſtarum. Proinde verba Nyſſeni, quibus ait, *eſſe in corpore animam, ſicut & Deus in nobis eſſe dicitur*, non alium habent ſenſum, niſi quòd ſicut Deus in nobis eſt, non tamen localiter aut corporaliter, ſed tantùm ſua virtute, gratia, actione, vel (vt ille loquitur) ſecundum habitudinem: ita neq; anima in corpore eſt corporaliter, aut localiter. Scholaſtici dicunt, animam vniri corpori, & eſſe in corpore, non per contactum propriè dictum, quòd hic ſit tantùm corporum; ſed per contactum virtutis: quem à contactu corporeo, tribus differentiis diſtare oſtendunt. Contactus virtutis eſt, ſicut contactus, quo cæli

tangunt hæc inferiora, mouendo, alterando, viuificãdo, ſua ſcilicet vi cæleſti. Aiunt etiam animam rationalem, eſſe in materia, ſed minimè in materia immerſam, vt ab ea ſeparari nequeat. Ita concludunt, neque contactu corporali, neque continuatione, neque mixtione, nec denique colligatione; animam eſſe in corpore, corporíve vniri; ſed vt formam eſſentialem ſuæ materiæ. Vera ſunt hæc omnia. Verùm ego non poſſum meliùs explicare, quomodo ſit anima in corpore, niſi ſicut lux in aëre, vt antè diximus: ſed ita tamen, vt ſciamus, animam veram eſſe corporis ἐντελέχειαν, eóque verã primariámque hominis partem eſſentialem: qua homo viuit, ſentit, intelligit. Ac proinde hanc, eam eſſe, quæ potius ſuſtineat corpus, quàm quæ ſuſtineatur à corpore. Hoc nobis debet eſſe ſatis: atque ita vt etiam perſuaſum habeamus oportet. Si quis enim neget, animam eſſe formam, & eſſe in corpore; negabit hominem conſtare anima & corpore, tanquam partibus ſuis eſſentialibus. Quid igitur Chriſtus redemit, quídve iuſtificat: cùm dicitur hominem redemiſſe, & hominem iuſtificare? Num ſolum corpus: aut ſolam animã? Si dicas etiam animam contineri à corpore, & eſſe in corpore, tanquam in loco propriè accepto: dixeris eam eſſe corporalem & mortalem. Vt igitur omnia hæc abſurda & impia euitemus: fatendum eſt vtrumque, nempe animam & vt ἐντελέχειαν, vnitam eſſe corpori, eſſéque in corpore dum viuimus; & tamen eam non contineri à corpore, ſicut locatum à loco. Quomodo igitur in eo eſt? Dixi me non inuenire ſimile magis accommodatum, quàm quod ſuperiùs attuli, de luce in aëre exiſtente: quanquam neque hoc per omnia quadrat; præſertim quia lux, ſubſtantia non eſt, eóque nec forma aëris, vt anima corporis. Sequitur Theſis tertia.

Thesis III.

Anima ita eſt in corpore: vt ſit tota in toto, & tota in qualibet parte.

PRopoſitio hæc frequentiſſima eſt apud Auguſtinum & alios Patres nonnullos; & verò etiam apud Platonicos ſcriptores. Ac rationem adferunt, cur anima vere dicatur eſſe & ſit tota in toto corpore: & tota in ſingulis eius partibus: nempe quia indiuiſibilis eſt: cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, incorporea, immaterialis. Ideo Nyſſenus: *anima* (inquit) *cùm ſit incorporea, & loco non circumſcripta: tota per totum meum corpus.* Portius in lib. de mente humana, cap. 7. negat hanc theſim, & rationibus aliquot nititur eam conuellere. Sed fallitur. Et facilè refutari poſſunt eius rationes. Breuitatis tamen cauſſa, theſim tantum confirmabo. Eſt enim res non parui momenti.

Ratio 1. Forma eſſentialis in eo eſt tota, cuius etiam eſt forma. Ἐντελέχεια enim ſeu perfectio, in eo tota ſit oportet: cuius etiam eſt ἐντελέχεια, hoc eſt, actus & perfectio, cum per ipſam illud ſit, cuius hæc eſt actus & perfectio. Atqui anima forma eſt eſſentialis: non ſolùm totius corporis, ſed & ſingularum partium. Per ipſam enim tam partes ſingulæ, quàm totum corpus, viuunt & ſentiunt. Proinde recedente anima, tam ſingulæ partes corporis, quàm totum, deſtituuntur vita & ſenſu. Imò ſicut tunc corpus totum, non poteſt ampliùs verè appellari corpus humanum, niſi æquiuocè: ſic oculus, ſic auris, ſic reliqua membra hominis vocari minimè ampliùs poſſunt: nempe poſtquam ſeparata eſt à corpore anima. Fieri igitur non poteſt, quin anima quatenus forma eſt totius corporis, & ſingularum partium eſſentialis, in toto etiam corpore, & in ſingulis eius partibus, tota inſit. Dixi, *quatenus forma eſt eſſentialis*: quoniam ſuis facultatibus & viribus, non ita ſe habet. Primùm enim τῇ διανοητικῇ, quæ non eſt communis corpori: tantum abeſt, vt dici poſſit eſſe in qualibet corporis parte, vt potiùs in nulla eſſe dicatur: cùm nulli ſit affixa organo corporis. Deinde potentiis etiam & viribus, quas cum corpore communes habet, non eſt tota in toto, nec qualibet parte. Sed facultate videndi in oculo tantùm, non in auribus: & facultate audiendi in auribus, non in oculo. Sunt qui putent, facultate etiam, puta videndi, eſſe in pedibus: ſed ibi non poſſe videre, quia caret ibi organo: atque ita de aliis. Sed hoc diuinæ opificis ſapientiæ repugnat: quæ nihil agit fruſtra. Quaſi verò facultatem ibi aliquam collocarit, vbi nunquam ſuam exercere actionem poſſit. Deus ita corpus temperauit, & accommodauit animæ: vt ſingula membra, ſingulis etiam potentiis animæ reſpondeant & inſeruiant. Proinde vt ſtultum eſt dicere, facultatem cibum attrahendi & concoquendi eſſe non ſolùm in ventriculo, ſed etiam in calcaneo: ſic itidem inſanum eſt ſentire, facultatem videndi, non in oculis tantùm, ſed etiam in naſo eſſe: odorandi etiam in auribus: & loquendi in digitis: atque ita de reliquis. Atque exemplum Apoſtoli prima Corinthiorum duodecimo confirmat quod dico. Etſi vnus idemque ſpiritus in toto eſt Eccleſiæ corpore: & eius membris, hoc eſt fidelibus, ſua eſſentia eſſentialique (vt ita loquar) gratia, qua omnes ſancti ſumus & Chriſto inſiti. Numquid tamen in ſingulis eſt, iiſdem donis prophetandi, loquendi linguis, &c? Minimè vero: ſed alij dat ſermonem ſapientiæ, alij donum ſanationum: & ita varia variis dona largitur, prout vult. Atque vt hoc ſub oculos ponat Apoſtolus: ſimile corporis vnius & membrorum multorum, multarúmque in membris iſtis & diuerſarum facultatum ibidem affert. Sic itaque ſentiendum eſt: Deum idcirco totam animæ eſſentiam, in toto corpore, & totam etiam in ſingulis partibus collocaſſe: vt tam ſingularum ſeorſim, quam vniuerſorum ſimul eſſet perfectio, actus, forma: Non iiſdem autem facultatibus in ſingulis membris eam eſſe voluiſſe, vt per diuerſa organa, diuerſa etiam officia faceret.

Secunda Theſeos iſtius confirmatio, ex ipſa quoque luce & aëre peti poteſt. Tota enim lux, quatenus eſt lux, in toto eſt aëre: & tota in ſingulis aëris partibus, quia indiuiſibilis eſt, ſicut & anima: Interim vi ſui caloris, alia eſt in montibus: alia in planitie: alia in Oriente, alia in Occidente, &c. Adde aliud ſimile. Nónne etiam albedo, in corpore albo, quatenus eſt albedo, tam tota eſt in ſingulis partibus talis corporis albi, quàm in toto corpore? Omnino per ſe & albedinis ratione. Non enim maior albedo eſt, in toto, quàm in partibus: quamuis ratione corporis, in quo eſt, plus albedinis ſit in toto, quàm in ſingulis partibus. Verum id per accidens ſit: quatenus iuxta quantitatem, puta parietis, ipſa quoque ſit quanta. Sed anima neque per ſe eſt quanta: neque ex accidente, cùm non ſit ſparſa per corpus, vt albedo in pariete. Nam albedo ita in pariete, vt ad illius diuiſionem, diuidatur: quia ab eo ſeparari non poteſt, vt per ſe ſubſiſtat. Sed non ſic anima eſt in corpore.

Tertia. Quid? Quod experientia ipſa docet, animã totã eſſe in toto corpore, & totam in ſingulis partibus. Vndenã id patet? Inde ſanè: quia tota ſentit cuiuſlibet particulæ corporalis paſſionem. Fac enim vt pes tibi lædatur, aut lapide aut alia re. Mox oculi eò ſe intendunt: è veſtigio admouet ſe manus, os clamat, & cætera itidem membra afficiuntur. Quî fit hoc? Quia anima, quæ in pede læſo dolet, eadem in aliis etiam membris dolorem ſentit. Sentire autem in aliis membris, quod factum eſt in pede, non poſſet anima: niſi ibi præſens eſſet. Quis enim nuncius à pede mox ad oculos currit, & nunciat quod pede factum eſt? Tota igitur ſingulis partibus ſimul adeſt, quæ tota ſimul ſentit in ſingulis. Explicat hoc eleganter M. Ficinus de immortalitate animorum, lib. 5. cap. 5.

Quarta. Sed ratio ab indiuiſibilitate animæ, firmiſſima eſt. Quod enim eſt indiuiſibile, totum eſt, vbi eſt. Vt etiam Sim. Port. contendit, de mente humana, pag. 40. cap. 7.

Quid verò hęc, inquies, ad Theologiam? Cape igitur vſum doctrinæ huius.

1. Primùm intelligis animæ eſſentiam atque naturam. Ideo enim vbique tota: quia indiuiſibilis eſt.

2. Deinde cogitare potes, ſi anima, ita tota eſt in ſuo corpore, vt etiam ſit in ſingulis partibus, quanto magis Deus, vbique totus, & in ſingulis Mundi partibus, imo & in ſingulis rebus, & totus præſens eſt?

3. Adde quòd eadem anima, ideo tota eſt in toto, & tota in ſingulis partibus eſſe cognoſcitur, quia in toto corpore, & in ſingulis membris corporis ſentit, ſi quid vel minimum patiatur corporis membrum. Inde igitur etiam cognoſcunt membra Chriſti & Eccleſiæ, habere in ſe eundem Spiritum ſanctum, ſi quod vnum patitur membrum, reliqua etiam idem ſentiant. Eſt enim totus Spiritus S. in toto corpore Eccleſiæ, & totus in ſingulis membris.

4. Ad hæc ex eo, quod intelligimus naturale eſſe animæ humanæ, vt ſit corpori coniuncta (propterea quod in ſola anima ſicut nec in ſolo corpore, perfecta eſſe nequeat humana natura) ex hoc, inquam, quis perſuaſus de immortalitate animorum, non videat, neceſſario inde conſequi, fore vt tandem reſurrectio corporum fiat? Alioqui enim imperfecta ſemper, poſt hanc vitam maneret humana natura, ſi ſemper diuiſa à corpore ſuo, maneat anima.

5. Denique Nyſſenus ex iſta animæ cum corpore vnione, refutat errorem illorum, qui negabant, vniri potuiſſe diuinam naturam cum humana in vnam τοῦ λόγου perſonam, quin cõfuſio naturarũ facta ſit. Si enim anima (docet Nyſſenus) vnitur corpori, ſine vlla corporis & animæ confuſione, ita vt ipſa maneat anima, & corpus, corpus: cur non multo magis id fieri potuit in Chriſto, cùm ſibi ὁ λόγος humanam aſſumſit, copulauitque naturam? *Natura* (inquit) *quæ pura eſt & incorporea, ſine prohibitione per omnia incedit, per eam*

autem

eutem nin'i. Quare ex eo, quòd per omnia tranſit, vnitam eſſe liquet. In eo verò quod nihil per ipſam: ſine confuſione manere & impermixtibilem. Quod ait Nyſſenus, id perſpicuè cernitur in luce & aere, vt ante vidimus. Vtiliſſima igitur eſt hæc doctrina de vnione animæ cum corpore, & quod ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte.

Adde etiam hoc ad extremum: quæ Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Si ergo Deus coniunxit animam cum corpore; cur tu homicidio illa ſepares, aut crapula & ebrietate?

III. Quæritur etiam in hac vnione, an immediatè vniatur corpori anima, an vero per aliquod medium. Non enim defuerunt, qui vnionem hanc fieri per media quædam inter animam & corpus affirmauerint. Quidam enim docuerunt, animam corpore quodam ſubtiliſſimo & incorruptibili, naturaliter præditam eſſe, quo nunquam ſpolietur, atque in hoc, antequam corpori huic craſſo vniatur, ſubſiſtere. Per hoc itaque ſubtiliſſimum corpus, tanquam per medium, huic alteri craſſo copulari. Alij verò, animam coniungi cum corpore, per ſpiritus animales atque vitales, qui medij ſunt inter mentem humanam & corpus: tùm ſint partim corporei, partim incorporei. Nec defuerunt, qui dicerent, vniri animam corpori, media neſcio qua luce corporea, quæ naturæ ſit cœleſtis.

THESIS IV.

Anima citra vllum medium, corpori à Deo vnitur.

RAtio huius Theſeos pendet à ſuperioribus, atque ea eſt: quoniam anima corpori vnitur, nó vt ſimplex motor, vt Platonici volunt: ſed vt eſſentialis corporis forma. Inter formam autem eſſentialem, & ipſius materiam, cui coniungitur, & cui cõmunicat ipſum Eſſe: nihil medium intercedere poteſt. Si enim medium quid intercedat: illud in materia exiſtat oportet. At verò hoc fieri nequit; quoniam materia ipſa accipit Eſſe à ſua forma immediatè; & ſine forma, mera eſt potentia. Sicut ergo lux, immediatè vnitur aëri: ſic etiam anima corpori. Eſt enim anima in corpore: vt lux in aëre: ſicut ſuprà declarauimus. Proinde in Gen. etiam c. 2. cũ *Deus inſufflauit animam in corpus Adæ*: nihil inter ipſam & illud legimus, per quod tãquam per medium anima fuerit corpori coniuncta: ſed immediatè Deus eam inſufflauit, hoc eſt, in ipſo corpore creauit, vt à nobis explicatum fuit. Nam ſi Filius Dei, aſſumto corpore (vt interpretati ſumus) inſufflauit animam, flatus ille nil aliud fuit, quàm ſymbolũ externum animæ illius, quam internè in corpore creabat. Non alia autem ratione nunc coniungitur corpori anima, ſeu mens humana, atque tunc coniuncta fuit. Anima itaque immediatè à Deo, corpori copulatur vt forma.

Quærunt etiam nonnulli: cur Deus animam corpori cõiunxerit, & nõ fecerit animam ſubſiſtere per ſe abſque corpore: ſicut & Angeli ſunt incorporei. Etſi curioſa fortè videtur eſſe hæc quæſtio, quia tamen non ſine grauiſſimis cauſſis hoc fecit Deus, ſicut & reliqua omnia: idcirco non inutile eſt, neque cum pietate pugnans. ſi quis finales huiuſce rei cauſſas inueſtigare velit: id quod facilè fieri poteſt, ſi quis omnia, quæ ex iſta animæ cum corpore coniunctione conſequuntur, conſideret: ad quam rem, ipſæ etiam ſcripturæ opem ſuppeditant. Ergo

THESIS IV.

Grauiſsimi porrò & multi ſunt: propter quos animam cum tali corpore eſſe voluit Deus: & vtroque hominem conſtare.

SImplex quidem & immediata cauſa, cur ſic fecerit Deus, eſt, quia ſic voluit. Atque in hac acquieſcere debet pius animus. Verùm quia nihil voluit, aut vult Deus, niſi cum ſumma ſapientia: ſumma autem ſapientia, optimos ſibi fines proponit: horum autem finium plerique, partim ab euentu perſpecti nobis ſunt: partim è ſacris literis perſpiciẽdi proponuntur: idcirco cur hoc voluerit aut fecerit Deus: breuiter tum ex euentu, tum è ſacris literis explicãdum eſt: quia & ad gloriam Dei illuſtrandam, & ad noſtram conſolationem ſalutémque promouendam facit. Præcipui autem ij ſunt.

1. Primus, qui ad perfectionem mundi & operum Dei hoc pertinebat. Creauerat iam Deus ſubſtantias merè ſpirituales, craſſæ materiæ omnino expertes: nempe Angelos. Formauerat & ſubſtantias prorſus materiales atque corporeas, omne genus: Elementa nimirum, & quæ ex illis conſtant corpora, tam perfecta, quàm imperfecta. Deerat tertium genus ſubſtantiarum, ſcilicet quæ partim incorporeæ partim corporeæ eſſent. Ad perfectionem igitur Mundi requirebatur, vt Deus tale genus naturæ atque ſubſtantiæ conderet: hic eſt homo, anima & corpore conſtans.

En primum finem à perfectione Mundi petitum. Finem hunc indicat Moſes; quia tunc primùm dixit, omnia fuiſſe valde bona: & perfecta fuiſſe opera Domini, cùm factus eſſet homo ex anima & corpore.

2. Neceſſe erat, vt animalia haberent in Mundo Regem viſibilem; à quo regerentur, & qui illis dominaretur. Angeli non erant creati, vt in terris haberent, ſed homo. Decuit ergo animam humanam inuiſibilem, eſſe ſimul cum corpore viſibili. Finem hunc docet Moſes, cùm ait, *Deum dixiſſe hominibus, Dominamini piſcibus.*

3. Æquum item erat, vt terra propter tot animalium genera, quæ iam condita erant, coleretur: quo illa inde paſci & viuere poſſent. Ad hoc officium, nullum animal erat idoneum. Anima etiam humana præſtare hoc ſine corpore non potuiſſet. Ergo vt etiam terra, in omnium animalium vtilitatem coli poſſet ab homine: coniunxit animã corpori. Tradit hunc finem Moſes: dum, ſimulac creaſſet hominem Deus ait, *Deum poſuiſſe hominem in paradiſo, vt coleret & cuſtodiret illum.* Item, cum etiam forás eiecto mandauit, vt coleret terram. Item dediſſe homini & aliis animantibus in eſcam, omnem herbam & olera terræ.

4. Neque non erat neceſſe, vt viſibilis imago Dei, qua Deus in mundo repręſentaretur, eſſet in terris: ſine corpore autem videri non potuiſſet. Iuncta igitur corpori anima, vt homo, imago Dei eſſet in terris, omnibus conſpicua. Docet hunc Moſes, cùm ait, *Deum feciſſe ad imaginem ſuam, hominem.*

5. Fuit hoc ipſi etiam menti humanæ vtiliſſimum, tum ad cognoſcendum & Deum, & opera Dei, tum ad omnium rerum capiendum experimentum: quo ſcientia magis ac magis confirmaretur. Deus enim cognoſcit per ſuam eſſentiam omnia. Angeli tum per ſpecies inditas, tum per reuelationẽ diuinã, ſine verbi prædicatione. Animalia bruta nil percipiunt niſi per ſẽſus. Anima humana etſi *ἐννοίας* quaſdã inditas habet à ſui creatione: cæterà tamen eſt inſtar tabulæ raſæ, vt ſcitè docuit Ariſtoteles: vnde per ſenſus res percipiat oportet: vſque adeo, vt etiam quæ Dei ſunt, niſi ex auditu verbi, percipere ordinariè non poſſit. Vtiliſſimum itaque illi fuit corpus. Inde fit etiam magna ex parte, vt illud amet ſemper, & ægrè ex ipſo diſcedat. Vt enim anima viuificat corpus: ita corpus ad multa inſeruit animæ; & ſeſe mutuò complectuntur, ſibi etiam mutuò compatiuntur.

6. Voluit quoque Deus hoc honore afficere hominem: vt ex ipſo totum humanum genus propagaretur: ſicut omnia à Deo creata ſunt. Propagatio hæc citra corpus fieri non poterat, & tale quidem corpus, maſculeum & fœmineum. Proinde Angeli non propagantur: quia talis expertes ſunt corporis. Deus ergo hunc ſpectans finem, ſimulac creati fuiſſent perfecti corpore & anima, Adamus & Eua, dixit illis, *Fructificate, creſcite, implete terram.* In hunc finem creauit eos maſculum & fœminam. Sed duo, qui ſequuntur fines, maioris etiam ſunt momenti.

7. Ergo ſeptimus eſt, quia voluit Deus ſicut in cœlo ab Angelis, ſic in terris ab hominibus, vſque ad conſummationem ſeculi, coli & adorari, non tam ſpirituali internóque animæ cultu, quàm etiam corporali & externo, vt ceu nomine omnium rerum corporatarum, quæ Deum non norunt, homo Deum coleret, gratiáſque illi pro beneficiis, non tã in ſe, quàm in alias etiam creaturas collatis, & haberet & ageret. Et ita viſibilem in terris habere Eccleſiam voluit Deus, in qua prædicaretur eius verbum, ſymbola fœderis adminiſtrarentur, diſciplina exerceretur, virtutes colerentur. Denique voluit, vt non ſolùm animæ, ſubſtantiæ ſcilicet ſpirituales, ſed etiam corpora in cœlis, æterna fruerentur vita. Quis igitur non videat, quàm honeſtum, quàm bonum, quàm neceſſarium fuerit: vt animalia humana, corpori copularetur?

8. Denique, quod caput eſt omnium: voluit Deus efficaciſſimo, qui excogitari poſſet modo, ſuam erga nos beneuolentiã, ſeu *φιλανθρωπίαν* declarare, téque ipſa patefacere. Hic erat, ſi Filius eius vnigenitus factus homo, pro nobis omnia, quæ nobis propter peccatum à ſe præuiſum debebãtur, perferret, atque ad extremũ moreretur. Fieri autem iſta non poterant ſine corpore. Quis ergo non admiretur ſummam Dei ſapientiam potentiam, bonitatem, cùm in aliis rebus omnibus, tum maximè in hac, quòd noluit animã humanam eſſe ſolam, ſed eam cum hoc corpore, æterno vinculo colligauit? Nam etiamſi ad tempus propter pœnam peccati à corpore ſeparatur: iterum tamen illud propter Chriſtum reſumet, illúdque felicius amplius non depoſitura. Ac de præcipuis cauſſis vnitæ cum corpore animæ, ſatis.

CAPVT VII.

QVÆSTIO VI.

De Actionibus animæ.

TRia ſunt præcipua, quæ in vnaquaque re, ſicut inſunt, ſic etiam ſunt ſpectanda & conſideranda *οὐσία δύναμις* & *ἐνέργεια*. At ſicut prius, cauſſa eſt poſterioris, ſic per poſterius, in cognitionem prioris perducimur. Actio enim in cognitionem ducit potentiæ: & potentia, in cognitionem ſubſtantiæ rei. Itaque initio huius tractationis de anima: oſtẽſurus in prima quæſtione, animam ſubſtantiam eſſe incorpoream, formámque immaterialem: breuiter perſtrinxi de actionibus partis intellectiuæ: nempe intellectus & voluntatis: quòd harum facultatum operationes mirum in modum confirment, apertéque demonſtrent, quod probãdum ſuſceperam, de anima incorporea & immateriali. Cæterùm quia ſcopus nobis non fuit, animorum tantùm immortalitatem demonſtrare, ſed totum hoc opus Dei, quod animam humanam vocamus, eiúſq; originem dignitatémque conſiderare; idcirco diximus de eius eſſentia, quid ſit: de partibus partiúmque potẽtiis atque viribus: de vnitate, an ſit in quouis homine vna tantùm, an plures: de eiuſdem origine: & quinto loco de vnione animæ cum corpore: Reſtabat, vt nunc ſexto loco de ſingularum animæ partium operationibus fuſiùs diſſereremus. Verùm quoniam video fieri hoc non poſſe, niſi prolixa tractatione, eóque non ſine multo temporis ſpacio: adde quòd etiam non omnia ad nos pertinent, ſed tum ad Philoſophos, tum ad Medicos: & multa etiam de his dicta ſunt: idcirco decreui, poſtquam generalia quædam de operationibus vegetatiuæ & ſenſitiuæ partis perſtrinxero: dicere de actionibus partis duntaxat intellectiuæ: idque etiam ſummatim, & breuibus Theſibus.

1. Actio enim finis eſt, cur creata ſit *οὐσία*: & *οὐσία* prædita fuerit *τῇ δυνάμει*. His de cauſſis dum conſideramus actiones cuiuſque partis: nil aliud facimus, niſi quòd fines & vſus contemplamur, in quos creata eſt, cum ſuis potẽtiis anima. Hoc autem ad pietatem pertinet: videre ſcilicet, in quos quótve fines & vſus creauerit Deus. Inde enim non ſolùm reſplendet maxima Dei ſapientia & bonitas: verùm etiam diſcimus, ad quid vnaquaque re nobis vtendum ſit: & ex conſequenti, quis ſit rerum abuſus.

2. Hoc igitur in primis cogitandum eſt, & memoriæ infigendum, animam noſtram in hunc vltimum finem creatã eſſe, vt Deum creatorem ſuum, toto amet & complectatur affectu, omnibúſque colat viribus, in ſempiternum. Docet hoc Chriſtus, tùm ſummam legis, hoc eſt, voluntatis diuinæ explicans dixit, *hoc eſſe primum & maximum mandatum, vt diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus*. Huius igitur finis cauſſa, creata eſt anima, ſubſtantiæ immortalis: & data ei facultas volendi, quæ Deus vult, eúmque amãdi. Hæc eſt *δύναμις* voluntatis. Verum, quia amare Deum non poterat anima, niſi priùs eum cognoſceret: ideo data ei fuit alia facultas, qua Deum poſſet cognoſcere. Hæc eſt *δύναμις* intellectus. Atque hæ ſunt duæ præcipuæ, partis *διανοητικῆς*, facultates: ad Deum inprimis cognoſcendum & amandum ordinatæ.

3. Cæterùm intellectus, quia inſtar ferè tabulæ raſę creatus eſt: per ſe Deum cognoſcere non poterat: niſi ſeſe illi Deus reuelaret, cognoſcendúmque præberet: hoc verò facere Deus decreuerat, non tam internè per ſuum ſpiritũ, quã etiam externè, tum per res creatas, tum per externum verbum: Percipi autem iſta non poterant ſine ſenſibus: data igitur eſt animæ facultas *αἰσθητικὴ*. eáque multiplex, ſicut etiam multa & varia erant obiecta & percipienda.

4. Sed facultas hæc, ſine organis corporeis, ſuas exercere vires, & res ſenſiles percipere non poterat, neq; organa ad hoc officium idonea erant, niſi viua: quia vbi vita non eſt, ibi neque ſenſus. Deinde vita in corpore ſeruari nõ poteſt, ſine alimento. Addita igitur fuit animæ facultas *θρεπτικὴ* & corpus organicũ, quod ab anima viuificatũ, ad omnia illius obſequia eſſet paratum & accõmodatum. Itaq; cũ tota hominis anima creata: cũ totus corpus à Deo conditum atque formatũ eſt: vt vtroq; Deum amemus atque colamus, idque ex Dei ipſius voluntate, in ſempiternum. Hic vltimus finis noſtræ creationis, hæcque Analyſis, ſemper ante oculos nobis ſtatuenda eſt atq; habenda. Tum fiet, vt quæcũque aut legimus, aut audimus, de natura, viribus, actionibus tam corporis, quã animæ, ſalutaria nobis ſint, cedántque ad ſalutem. Neque certè ego in alium finem explicaui, quæcunq; de humani corporis fabrica, deque animæ natura; potentiis & viribus hactenus dixi. Ad eundem ſcopum referenda ſunt: quæ modo etiam breuiter de ipſius animæ operationibus dicturus ſum. Age igitur, & primùm de actionibus, ad quas vegetatiua eſt ordinata: Deindę de ſenſitiuæ: ac poſtremò de intellectiuæ dicamus: ad hanc enim reliquæ duæ, illarúmque actiones referuntur.

De actionibus vegetatiuæ.

THESIS.

Pars animæ θρεπτικὴ, tum ad vitam & vires in corpore conſeruandas & augendas: tum ad genus humanum propagandum, eóque Eccleſiam in Mundo conſeruandam, ordinata eſt.

TRes igitur ſunt vegetatiuæ partis actiones; corpus neceſſario & congruenti alimento nutrire, & nutriendo viuum ac vegetum conſeruare. Deinde eodem alimento corpus augere, & ad pręſcriptam à Deo magnitudinẽ prouehere. Poſtremo ſanguine decocto, & ad generationem præparato, ſimile in ſpecie generare: & ea re humanum genus propagare & conſeruare.

Quare harum operationum cauſſa: idonea quoque corporis organa, illi fuerunt accommodata: & externa etiam auxilia præſtita.

De actionibus ſenſitiuæ.

THESIS.

Pars animæ αἰσθητικὴ ad ſingulas res per aliquod ad id idoneum corporis organum percipiendas, atque earum perceptarum imagines retinendas, intellectuique offerendas, deſtinata eſt: idque tum in corporis commodum, tum etiam ad vſum intellectus.

TRes igitur præcipuæ ſunt ſenſus actiones: res externas ad corporis vtilitatem, vitæque præſidia percipere: & earum perceptarum ſpecies ſeu imagines retinere: ac demum intellectui, ad veram rerum cognitionem, verúmque de illis iudicium faciendum, offerre.

Proinde, quo iſtas actiones efficere poſſet: quæcunque illi erant neceſſaria, à Deo tradita ſunt, nimirum tum accõmodata in corpore organa; tum externa obiecta: tum etiam media, per quæ obiectorum ſpecies, ad organa ſenſuum perferantur, ſenſúſque percellant.

De actionibus intellectiuæ.

THESIS.

Pars animæ διανοητικὴ, tradita eſt homini, partim ad rerum conditarum naturas, & per eas, pérque diuinum verbum, ipſum Deum cognoſcendum: partim ad finem ſuum amandum, atque vt eo fruatur, appetendum & ad media, quæ ad finem conſequendum faciunt, eligenda: partim denique ad corpus, ſinguláque corporis membra, vt iuſſa exequantur, permouenda.

TRia itaque ſunt præcipua partis intellectiuæ actionũ genera: vnum; Rerum naturas, Deúmque & eius volũtatem cognoſcere: alterum, tum finem, præſertim vltimum, qui & ſummum eſt bonum, amare ac velle: tum media, quæ ad finem conducant, eligere: Tertium, corpus ipſum, & omnes animæ facultates inferiores, corporíſque membra ad officium faciendum permouere.

Sicut autem & vegetatiua, & ſenſitiua, cõmunes habent actiones cum corpore, quia ſine organis corporeis efficere eas non poſſunt: Sic contrà intellectiua licèt in corpore operetur, per organum tamen corporis non operatur: eóque ſuas actiones minimè cum corpore communes habet.

II. Naturales quædam dotes, quas Græci *κοιναὶ ἔννοιαι* vocant, à Deo, cùm creantur, noſtris induuntur mentibus: vt earum auxilio, facilè omnia comprehendamus.

Explico hanc, quia opus habet explicatione & confirmatione. Fatentur omnes, in animis omnium hominum, communes has notiones innatas eſſe: quia illas negare, eſt manifeſtam experientiam negare. Sed diuerſa plane ratione admittunt. Platonici, qui ante corpora, animas extitiſſe putarunt: Animas, haſce ſibi *ἐννοίας* comparaſſe docẽt: & has porrò ſecum adferre, cum veniunt in corpora: ſed falluntur in aſſumto, eóque in ſecula. Ariſtoteles igitur totum hoc impugnat; ſed neque concedit, eas nobis à natura inditas eſſe, cũ naſcimur; verùm paulatim eas inſtitutione &

tione & doctrina in animis noſtris:comparari contendit. At Stoici & Cicero, aliique permulti licèt prophani ſcriptores, docent,haſce notiones,nobiſcum naſci, nō autem vſu comparari: idque demonſtrant, quoniam in pueris imperitis & in aliis hominibus omni rerum vſu carentibus, eas apertè intuemur. Quis enim tam puer,támque imperitus rerū eſt, qui(modo ſignificationem verborum teneat)non intelligat ſtatim,totum maius eſſe quauis ſui parte? Qui neſciat tria plura eſſe,quàm duo? Qui aliquod diſcrimen iuſti & iniuſti nō teneat? Qui etiamſi nunquam Dialecticam didicerit, non videat tamen,hanc veram eſſe conſequentiam: Homo ſedet:Ergo non currit. Dormit: igitur non vigilat:& ita de multis aliis? Hac experientia edocti, *ἐννοίας* illas *κοινάς*, ceu ſcintillas,& ſemina ſcientiarum, in animis noſtris à natura inditas eſſe:non dubitarunt Stoici & alij affirmare. Apoſtolus quoque hanc doctrinam comprobare videtur: cùm ait ad Rom. 2. *Legem ſcriptam eſſe in cordibus hominum:& naturaliter ea,quæ legis ſunt facere,&c.* Quare,quod ait Ariſtoteles, *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*: non eſt abſolutè & ſimpliciter verum:ſed maxima ex parte. Certè Deus, multa etiam per internum afflatum Spiritus Sancti inſtillat in mentes piorum & Prophetarum: quæ nunquam fuerunt in ſenſu. Sed loquitur ille naturaliter, & ex communi ordine. Ego itaque quod de iſtis communibus mentis notitiis tradunt Stoici, & Cicero:de eo non dubito, tum propter experientiam,qua naturaliter nihil eſt certius, tum maximè propter authoritatem Apoſtoli. Sicut igitur lumen quoddam eſt in oculis naturaliter, quo fit viſio: ſic lumen etiam inditum eſt mētibus noſtris, quo diſcernimus verum à falſo:æquum ab iniquo:bonum à malo, &c. Atque hoc illud eſſe lumen credo:de quo Ioh.1. Christus *Lux eſt,quæ illuminat omnem hominem,venientem in hunc Mundum.* Non ſolum enim creat intellectum,ſed etiam illuſtrat,& iſtis communibus notionibus ornat.

2. Harum autem τῶν *κοινῶν ἐννοιῶν*, duæ ſunt præcipuæ: Vna, qua verum & falſum: altera, qua bonum & malum natura duce diſcernimus. Atque illa radix eſt omnium actionum, quæ circa veri inveſtigationem verſantur: iſta vero naturalium vitiorum & virtutum. Ex vtraque tamen initium habet conſcientia,vel bona,vel mala,à qua quiſque accuſatur, vel defenditur,vt docet & loquitur Paulus.

3. Porrò licèt hæ naturales *ἔννοιαι* ſint in mente cuiuſuis hominis innatæ:cætera tamen intellectus verè dicitur eſſe, vt tabula raſa. Ac proinde opus habet,vt aliunde rerum cognitiones accipiat.

4. Accipit igitur partim à ſenſibus, quæ naturaliter cognoſcit;partim à Deo, quæ ſupernaturaliter: Imò vtraque à Deo,ſed illa per ſenſus,iſta per eius ſpiritum.

5. Eſt autem ea humani intellectus natura, vt cognoſcere queat,& quæ infra ſe, & quæ intra ſe,& verò etiam, quæ ſupra ſe ſunt. Si enim creatus eſt,vt cognoſcat Deum: multo magis,& ſe, & res corporeas cognoſcere poteſt. Atque hac etiam in re ſita eſt non minima pars imaginis Dei, ad quam homo creatus eſt. Simile enim non niſi à ſimili cognoſcitur. Ideò homo factus quoque eſt *μικρόκοσμος*: vt poſſet totum Mundum cognoſcere.

6. Et quidem omnia etiam corporea & materialia, non niſi incorporaliter & immaterialiter intelligit. Vnumquodque enim recipitur per modum, & ex natura recipientis. Intelligere autem eſt recipere: & mens incorporea & immaterialis eſt. Atque hinc fit,vt non poſſit mens noſtra,niſi à materia abſtrahendo,intelligere. Vnde & euincitur,etiam eſſe immaterialem: quia non poteſt intelligi aliquid, niſi à ſuo ſimili.

7. Prius autem cognoſcit magis vniuerſalia, quàm minus vniuerſalia. Ratio eſt,quia à cognitione indiſtincta,cóque imperfecta: ad magis diſtinctam, cóque perfectiorem, naturaliter progreditur. Cuius rei ſignum eſt:quòd pueri, omnes viros vocant patres;& mulieres,matres. Poſtea verò, diſtinguunt ſuos ab aliis.

8. Proinde prius etiam vniuerſalia, quàm ſingularia percipit:& illa quidem directè, iſta autem reflexè. Cùm enim vniuerſale ex particularibus à ſenſu perceptis,colligatur:& à cognitione vniuerſalium, ad certam cognitionem ſingularium deſcendatur: non poſſunt ſingularia ab intellectu, niſi ſeſe reflectente intelligi.

9. Etſi vero, infinita ſimul percipere actu non poteſt, quia finitus eſt ipſe: infinita tamen,vnum poſt aliud omnino poteſt:quia omnium capax eſt.

10. Nec præſentia tantùm,verum etiam futura,licèt non in ſeipſis, in ipſorum tamen cauſis præcognoſcere poteſt: idque eo modo, quo ſunt in ſuis cauſis: vel neceſſariò vel contingenter. Hinc præcognitio Eclipſeos, & pluuiæ apud Aſtrologos, &c. Mortis,apud Medicos

11. Porrò, quæ etiam intra nos ſunt, noſtram mentem non latent:animæ ipſius *οὐσία, δυνάμεις, ἐνέργειαι, ἕξεις*. His enim 4. nominibus, omnia quæ intra animam ſunt, continentur.

12. Et quidem per actiones potentiæ:per potentias verò, animæ eſſentia atque natura cognoſcuntur. Hoc verò aliis animantibus datum non eſt. Vnde & dignitas animæ maximè relucet, ipſiúſque immortalitas confirmatur.

23. Etſi vero per ſeſe,ſuiſque viribus,Deum Deíque naturam,& alia, quæ ſupra nos ſunt, cognoſcere humana mens non poteſt: in eorum tamen cognitionem per varios deducitur gradus, per ea quæ facta ſunt, per verbum, per Spiritum Dei.

14. Quadruplex eſt autem ad ſummam humani intellectus operatio:ſimplicium apprehenſio: horum compoſitio: compoſitorum æſtimatio, eóque & verorum à falſis diuiſio: & demum ex his ratiocinatio, concludens vel demonſtratiuè,vel probabiliter. Vnde aut certa ſcientia, aut opinio naſcitur. Sicut enim ſimplicia,priora ſunt compoſitis,& iſta ex illis conſtantur: ſic etiam mens primò percipit ſimplicium notiones, vt Dei, iuſti, potentis, iniuſti, impotentis. Deinde has componit, vt dicat, Deum eſſe iuſtum, potentem,aut contrà. Tertiò,iudicat de connexis,quæ vera,quæ falſa. Quartò, hinc verò ratiocinatur, aliáque colligit:vt Deus eſt iuſtus & potens: ſcelera ergo non ſinit impunita: & bonos tuebitur à malis. Atque hinc omnia, quę rationis propria ſunt:vt conſultare,deliberare, loqui, exhortari, docere, &c. Vnde demum omnes dicendi artes: quas Græci *λογικὰς* vocant,profectæ ſunt. Hæ enim omnes, intellectus humani ſunt partus. Qua ex re quanta ſit humani ingenij vis atque præſtantia, facilè colligitur: vt *ἀδύνατον* ſit illud eſſe mortale. Atque hæc de intellectus noſtri actionibus.

III. Voluntas in bonum cognitum naturaliter fertur ſiue illud verum, ſiue apparens ſit bonum.

1. Sicut enim verum, obiectum eſt intellectus: ſic,bonum, voluntatis:bonum inquam cognitum. Proinde,ſicut ab intellectu proponitur bonum: ſic etiam ipſa voluntas, fertur in illud.

2. Boni autem nomine intelliguntur & finis, & media ad finem:ſed finis per ſe,media propter finem,bona ſunt.

3. Duo itaque ſunt prima actionum voluntatis genera: vnum,quo appetit,& vult finem per ſe:alterum, quo eligit, & vult media propter finem.

Dicitur propriè voluntas appetere & velle finem per ſe: quia ille rationem habet aut honeſti,aut delectabilis,aut vtriuſque,cóque per ſe expetitur. Media autem eligere:quia hæc rationem habent vtilis: Ideo enim hæc volumus,quatenus vtilia ſunt ad finem. Ex multis autem propoſitis mediis,vtiliora, commodioráque ſolemus eligere, reiectis incommodis,minúſque vtilibus.

4. Summum autem bonum,ſummus etiam & vltimus eſt finis: ideóque in illud ante omnia fertur: neque vnquam quieſcit,donec illud conſequatur humana voluntas. Summum enim bonum, & ſummè honeſtum eſt,& ſummè delectabile.

5 Reſpectu itaque finis,atque imprimis vltimi,tres ſunt ad ſummam voluntatis actiones. Vna, qua finem verè cognitum præ omnibus amat & appetit: altera, qua amatum aſſequi conatur,omnéſque ſuas in id intendit vires: Tertia, qua poſtquam illum eſt aſſecuta, illo iam præſente fruitur, inque ipſo conquieſcit.

6 Reſpectu autem eorum, quæ ſunt ad finem, tres itidem ſunt. Libera electio,ex iudicio conſilióque rationis facta. Imperium,quo tum animæ,tum corporis viribus,vt quę delegit,exequantur, imperat. Et denique ipſorum delectorum mediorum vſus.

7. Itaque omnes voluntatis actiones ſunt aut circa finē, idq; per ſe: aut circa media ad finem,idq; propter finē. Finis autem vltimus,Deus eſt. Eſt porrò intellectus ordinatus ad bonum voluntati proponendum: reliquæ vires, tam animi quàm corporis,ad illud exequendum. Totus igitur homo ad Deum cognoſcendum, amandum, colendum, conditus eſt:actiones verò illius omnes,ad Deum dirigendæ ſunt.

CAPVT VIII.

QVÆSTIO VII.

De immortalitate animorum.

VTILE eſt & neceſſarium, quatenus hominē perſuaſum eſſe de immortalitate animorum: non ſolùm propter amorem veritatis, quæ ſola etiam

per ſe amanda & expetenda eſt: Verùm etiam propter hanc vitam, honeſtè & feliciter tranſigendam. Sicut enim dubitare, an ſint, necne ſint immortales, efficit homines miſeros: perſuaſum autem habere, eos eſſe mortales, facit Epicureos: ſic contrà, qui minimè dubitat, quin mortuo corpore, animi ſuperſtites maneant: qui animi aut pœnas dent ſuorum ſcelerum, ſi abſque pietate deceſſerint: aut beatè feliciterque viuant apud Deum, ſi hinc, poſt actã honeſtam vitam cum fide in Chriſtum, veráque reſipiſcentia migrarint: is & animum obfirmabit in vera religione, veróque Dei cultu: & vt honeſtè ſanctéque viuat, omnem dabit operam: & quicquid aduerſi contigerit, alto & forti animo ſuſtinebit: & ea re in hoc etiam mundo, beato ac felix fuerit. Totum hoc optimè & eleganter deſcribitur in libro Sap. cap. 2. & 3. In ſecundo docet ſapiens, cur impij ſapientiam non curent, ſed pergant ſcelera ſceleribus cumulare, & in filios Dei ſæuire: vt tandem in æternam mortem ruant: hoc eſſe in cauſſa, quòd putent animos vnà cum corporibus interire. In tertio autem capite, contrà oſtendit, ideo pios conſtantes eſſe in pietate, ſanctáque vita, aduerſáque omnia & tyrannorum cruciatus fortiter ferre: quoniam ſpem alunt (vt loquitur) plenam immortalitatis. Eſt autem obſeruanda cauſſa, qua fiat, vt impij non ſecus de animis humanis ſentiant, quàm de brutorum etiam credant: & tam noſtros quàm beſtiarum, ſimul cum corporibus extingui, perſuaſum habeant. Ea eſt, quoniam de animis, ex ſenſibus iudicant: non autem ex ratione, animorúmque natura. Sic enim aiunt, *ſpiritus ſeu animus noſter, eſt vt fumus in naribus noſtris: & modica ſcintilla, è corde noſtro excitata*. Ergo ſicut corpus noſtrum redigetur in cinerem: (nempe poſt mortem) ſic ſpiritus noſter, vt laxus aër diffundetur, id eſt, euaneſcet in aërem. Atque hæc eſt prima illorum ratio.

2. Altera, *conſignatus eſt noſter interitus* (id eſt, oportet mori omnino, vt videmus:) *& nemo ab inferis ad nos rediit vnquam aut reuertitur. Ergo ab interitu non datur reuocare pedem, hoc eſt, anima non viuet ampliùs.* His duabus potiſſimum rationibus, à ſolo ſenſuum iudicio ducti, animos vnà cum corpore interire perſuaſi: abiecto omni timore Dei, ſeſe hortantur ad vitam hanc in delitiis, & in omni voluptatum vitiorúmque genere tranſigendam, hiſce verbis: *Adeſte ergo, & bonis fruamur præſentibus: rebúſque creatis ſimul, ac iuuentute grauiter vtamur: Vino pretioſo, & vnguentis repleamus nos: & cætera.* Cauſa igitur malæ vitæ, eóque veri interitus æterni: eſt perſuaſio, animos vnà cum corporibus extingui. Huius autem falſæ perſuaſionis cauſſa prima eſt, quòd de animis noſtris, ex ſolis ſenſibus iudicant. Sed ſi à ſolis ſenſibus iudicium de anima petendum eſt, & intra illorum fines omnia concludenda: miſerrima fuerit hominis conditio, & vt infinitos nimíſque craſſos errores conſentiamus oportebit. Nam hoc pacto, neque animantibus brutis tribuendæ erunt animæ; neque vllis corporibus, eſſentiales formę. Quis enim eas videt, aut vllo ſenſu percipit: niſi mente ab effectis colligit? Ita nihil nobis fuerit certum: niſi quod ſub ſenſus cadat. Quæ igitur differentia fuerit obſecro, inter homines & beſtias? Non igitur à ſenſibus corporis: ſed cum à ratiocinatione mentis, tum maximè ab oraculis Dei, de anima iudicandum & ſentiendum eſt. Nam ſi & ea videmus in homine ſigna, quæ teſtantur eius animum cœleſtis ac diuinę eſſe originis: & Deus id apertè ſuis prędicat verbis: quid eſt cur dubitemus amplius de eius immortalitate?

Principiò (vt ad primam reſpondeam impiorum in libr. Sapient. rationem) *Spiritus* (inquiunt) *noſter, eſt vt fumus in naribus noſtris, & modica ſcintilla, è corde excitata.* Erratis. Senſus quidem nihil aliud ſpiritus noſtri videt, cùm quis aut viuit aut agit animã, niſi fumũ quendam è naribus exeuntem, & in aërem tranſeuntem, ſed ratio docet, hanc non eſſe animã, ſed effectum animæ, quæ aërem trahit & retrahit, ad finem autẽ totum expirabit, cùm ipſa diſcedet. Id verò multo magis condocefacit verbum Dei. Effecta certè multa, magna atque diuina, quæ edit in hominibus anima: aliud euincunt animam eſſe, quàm inanem flatum, in aëra euaneſcentem. Scriptura verò ait, *cùm moritur homo, corpus redire in terram: ſpiritum autem ad illum, qui dedit eum*, Eccleſiaſt. 12.

Aiunt prætereà: *nullus redit ad nos ex inferis. Anima igitur ſeparata à corpore non viuit.* Hoc perinde eſt, ac ſi quis ante centum annos dixiſſet; nemo ex regione vltra columnas Herculis ad nos venit: Ergo ibi nulli ſunt homines. Nunquid proptereà ibi nemo hominum habitabat? Sed clarius.

Finge multos eſſe filiolos in vtero matris, & aliquot illorum egreſſos ex vtero: qui verò nondum egreſſi ſunt, inter ſe dicere, nemo eorum, qui egreſſi ſunt hinc, huc redierunt: Ergo extra hunc vterum nemo viuit. Itáne euincerent? Quòd animæ demortuorum ad nos non redeant, cauſſa in promptu eſt: quia nihil habent amplius, quod hic agant: ſicut nec ideo qui naſcuntur, redeunt in vteros matrum, quia nihil amplius ibi ipſis eſt negotij. Nam inter corporea, & incorporea, nulla poteſt eſſe conuerſatio, propter nimis magnam diſſimilitudinem. Deinde mortuorum animi, maioribus vel bonis fruuntur, vel afficiuntur malis, quàm vt de ſtatu præſentis huius vitæ illis vacet, vel libeat cogitare. Et alij quidem etiamſi poſſint: nolunt eos inuiſere, vt qui in cœlis ſunt: Alij fortaſſis quidem vellent, ſed nõ poſſunt, quòd inuiti detineantur in pœnis. Sed adde, quod multi etiam, ex diuino conſilio, vt de animæ immortalitate fieremus certiores, à mortuis ad nos redierunt: vt multi, quos legimus à mortuis excitatos, tum in veteri, tum maximè in nouo Teſtamento. Iudicium itaque de animorum natura, mortalitate, vel immortalitate: à ſenſibus petendum non eſſe, manifeſtum eſt.

Deinde etiam liquet, quàm vtile & neceſſarium ſit, vt quiſq; perſuaſum habeat, animos noſtros eſſe immortales.

II. Cęterùm, quo meliùs, quæ dicturi ſumus, de animorum immortalitate, intelligantur, notandum eſt, immortale aliquid dici poſſe bifariam: aut ſimpliciter, abſolutè, & per ſe, ſuáque natura. Hoc ſanè modo, ſolus Deus immortalis eſt: quia cùm ſit ipſum perfectiſſimum & ſimpliciſſimum, æternúmque Ens, à quo omnia entia, ipſaque æterna vita, vnde omnia viuentia: mortis particeps eſſe non poteſt. Ideo 1. Tim. 1. *Regi autem ſeculorum* (id eſt, æterno) *immortali & inuiſibili ſoli ſapienti Deo, &c.* Aut quòd licet ſua natura in id vnde factum eſt, poſſit redire, & ita vita priuari, ex voluntate tamen Dei, non moritur nec mori poteſt. Hoc ſanè modo animam immortalem eſſe dicimus. Nam ſi Deus vellet, interire poſſet cum corpore, ſicut & animalium reliquorum. Cùm enim ſit ex nihilo; in nihilum redigi poſſet à Deo omnipotente. Proinde dixit Chriſtus: *Nolite timere eos, &c. Timete potius eum, qui poteſt vtrumque mittere in gehennam.* Docens, ſolum Deum eſſe, qui poſſit animam occidere, & in nihilum redigere.

Non igitur eo modo docemus animam eſſe immortalẽ, quo Apoſtolus vocat *Deum immortalem*: quia ſic ſolus eſt immortalis. Etiam Plato docuit, minores quoque Deos, quos *Angelos* vocamus, voluntate & beneficio Dei eſſe immortales, non ex ſe ſuáve natura.

Deinde illud quoque prætereundum non eſt: eorum qui immortalitatem animorum negant, duo eſſe genera. Vnum eſt eorum, qui non ſimpliciter negant eam eſſe immortalem: ſed (vt ita loquar) [illegible]. Sentiunt enim eas mori cum corporibus: & mortuas manere vſque ad corporum reſurrectionem. Vbi verò excitanda erunt corpora in vitam: tum animas quoque reuiuificatum iri, & redituras in ſua corpora. Hæreſis hæc (vt refert Euſeb. Eccleſiaſt. hiſt. libr. 6. cap. 36. & Auguſtinus, Tom. 6. de hæreſibus, cap. 83.) excitata primùm fuit in Arabia: quanquam autor non nominetur. Sed ij opera Origenis, eos coràm docentis, ab errore reſipuerunt. Verùm noſtris porrò etiam temporibus, à nonnullis reuocatur.

Alij, vt Epicurei, item Sadducæi, tempore Chriſti, & multi Peripatetici, ſimpliciter ita mori cum corpore contendunt animos: vt nunquam ampliùs ſint reuicturi.

Priores, qui reſurrectionem corporum ideo admittunt, quia eam ſcriptura tradit: facilè teſtimoniis ſacrarum literarum refelluntur. Matt. 22. Chriſtus Sadducæos, qui & ſpiritus eſſe immortales, & corporum reſurrectionem negabant, ſic refellit. Deus dixit: *Ego ſum Deus Abrahæ, Iſaaci, & Iacobi*, nempe ſemper, & in ſempiternum. Sic enim promiſerat: *Ero Deus tuus, & ſeminis tui, in generationibus tuis, fœdere ſempiterno.* Hæc eſt aſſumptio. Deus autem non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Hæc eſt propoſitio. Argumentum igitur tale eſt.

Quorumcunque Deus, eſt Deus, fœdere ſempiterno: ij viuant in ſempiternum oportet. Non enim eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Ratio eſt; quia non initur, neque ſeruatur fœdus ſempiternum, niſi cum iis, qui in ſempiternum etiam viuunt. Nam ſi altera confœderatorum pars pereat omnino: fœdus cum illa initum perpetuum eſſe non poteſt, ſed perit & ipſum, id eſt, ceſſat. Quomodo enim altera pars, præſtare Deo poterit, quod promiſit, ſi non viuat? Aut quomodo etiam Deus ſuum ſeruare promiſſum dicetur parti confœderatæ, ſi viuam eam non ſeruet? Quomodo etiam Pater æternus eſſe poterit, ſine æternis liberis? Ideò vt vtraque pars præſtare ſemper poſſit quod promiſit, atque ita fœdus æternum maneat: oportet, vt ſicut Deus ſemper viuit, ſic eius confœderati ſemper viuant. Imò ideò ſemper viuant oportet, quia Deus cùm ſit illorum Deus, non poteſt non præſtare ſuum promiſſum de æterna vita

na vita. Hæc eſt vis huius propoſitionis, Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.

Aſſumit. *Atqui Deus, eſt Deus Abrahæ &c.* fœdere ſempiterno. Etſi enim hæc particula non reperitur Exod. 3. tamen ex Geneſ. 17. ſubintelligenda eſt. Sequitur concluſio. Ergo oportet Abrahamum & ſemen eius in æternũ viuere. Quare & ſpiritus eius iam viuit apud Deum (vt Lucas 20. explicat, dicendo, *Omnes enim viuunt ei.*) Ac licet corpus mortuorum ſit, reſurgat tamen neceſſe eſt. Quòd vero de Abrahamo, Iſaaco & Iacobo concluſum eſt: idem de toto ſemine eius concludatur oportet. Repeto breuiùs.

Propoſitio ſyllogiſmi eſt illa, *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Ea ſic explicatur. *Quorumcunque Deus eſt Deus fœdere ſempiterno: ij in ſempiternum viuant oportet.* Ratio ſumitur à fine, ſeu à ſubſtantia fœderis, ſic: Ideo enim Deus ſempiternũ cum aliquo fœdus facit, vt & ipſe huic in ſempiternum ſit Deus ac Pater, ſempérque adſit, defendẽs eum a malis: omniáque donans, quæ ad æternam eius vitam pertinent: & viciſſim, vt iſte illum, pro ſuo Deo & Patre agnoſcat, amet, colat in ſempiternum. Atqui neutrum præſtatur præſtarive poteſt: niſi ſicut Deus in ſempiternum viuit, ſic etiam alter, quocum fœdus init, ibidem viuat in æternum. *Nam mortui non laudabunt te Domine*, dicit Dauid. Ergo quorumcunque Deus, eſt Deus fœdere ſempiterno: ij in ſempiternum viuant cum Deo neceſſe eſt, quia non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Id quod confirmans apud Lucam cap. 20. ſubdit: *Omnes enim ei viuunt.* *Atqui Deus, Deus eſt Abrahæ, &c. fœdere ſempiterno*: vt liquet Gen. 17. Ergo, &c. Oportuit hoc Chriſti argumentum bene explicari: quia ab hoc pendent omnia alia ſcripturarum loca, quibus eadem concluſio confirmatur. Eſt enim argumentum ductum à fœdere Dei cum Abrahamo & ſemine eius. Huc itaque pertinẽt omnes promiſſiones de æterna vita. Quare non placet, quod quidam dicunt, ideo Chriſtum non citaſſe loca ex Prophetis apertiora, quia Sadducæi non admittebant Prophetas. Chriſtus de induſtria hunc citauit locum, vt à fonte omnium promiſſionum argumentaretur.

2. Alterum igitur argumentum ſumitur, ab aliis apertis promiſſionibus æternæ vitæ, vt illę Chriſti: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Non dicit *habebit*, ſed *habet*; *eámque æternam*, id eſt, continuatam in ſempiternum. At quomodo quis poteſt dici habere vitam æternam, ſi cum corpore intereat etiam anima? Pertinet huc & illa ſpecialis promiſſio Chriſti ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo neque anima Chriſti, neque anima latronis, moritura erat cum corpore: quoniam *hodie* (inquit) *eris*, non autem ait, *poſt reſurrectionem corporum.* Quibus etiam verbis obiter illorum opinio refellitur: qui ſcribunt animam Chriſti deſcendiſſe in infernum, & paſſum eſſe pœnas inferni, quæ nobis debebantur, quaſi non ſatis fuerit ad nos liberandos, illius mors & ſanguis. Egregiam verò promiſſionem: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, id eſt, *in inferno*. Sed de his aliâs.

3. Ex promiſſionibus autem Dei, in fœdere & repetitis & explicatis à Prophetis, à Chriſto, & ab Apoſtolis: pendebant ſpes certæ piorum, quibus perſuaſum habebant ſimulac ſoluti eſſent corporibus, ſe futuros ſtatim in cœlo cum Deo animis ſuis, cúmque illo victuros, vt illud 2. Cor. 5. Vbi duplicem piorum ſtatum ponit Apoſtolus: vnum in hac vita, alterum poſt hanc vitam. Ac dum ſumus in hac vita, ait nos peregrinari à Domino. Poſt hanc vitam, ſtatim nos præſentes futuros ad Dominum, & abſentes à corpore, vbi igitur tertius ſtatus? Aut quomodo præſentes erimus ad Dominum, ſi animæ vnà cum corporibus extinguuntur, & mortuæ manent vſque ad reſurrectionem corporũ? Ait etiam idem Apoſtolus ad Roman. *Scio, quòd neque mors ſeparabit me à Chriſto.* At quomodo non ſeparat, ſi anima etiam moriatur? Et ad Philip. 1. *Cupio* (inquit) *ſoluere*, ſeu *migrare*, *& eſſe cum Chriſto.* Verbo *ſoluendi* ſignificabat, ſe non moriturum ſpiritu, ſed inſtar nautæ, relicta corporis ſarcina in terris, animo ex hoc Mundo, ad Chriſtum in cœlum migraturum, &c. Et, ſi ſtatim futurus erat cum Chriſto, quomodo igitur anima moritura erat vſque ad finem Mundi? Stephanus etiam, fretus promiſſionibus Chriſti de æterna vita, ait, *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Anima igitur Stephani, non mortua, ſed ſtatim fuit cum Chriſto.

4. Quid verò clarius verbis Chriſti: *Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere?* Apertum diſcrimen facit inter corpus & animam, & docet vnum poſſe occidi ac mori, alterum non poſſe. Si autem anima vnà cum corpore interiret, & vnà etiam reſurgeret, æqualis eſſet vtriuſque conditio. Vnde etiam liquidò apparet, animam humanam non eſſe eiuſdem naturæ, cuius eſt anima bruti. Qui enim occidit corpus beſtiæ, eius etiam ſimul occidit animam. Itaque Chriſtus hoc etiam ad alterum diſcrimen oſtendere voluit ſuis verbis: nempe inter animas noſtras, & brutorum animalium.

5. Luc. 16. Anima Lazari demortui portatur ſtatim in ſinum Abrahæ: diuitis Epulonis, in flamma inferni cruciatur ſepulto corpore. Sentit Tertullianus, Chriſtũ hac parabola ſignificare voluiſſe conditionem, quæ & Iohannis Baptiſtæ, & Herodis mortem ſecuta fuerat: illum enim nomine Lazari: hunc nomine diuitis intellexiſſe. Ita ex hoc locó intelligitur, tam impiorum quàm piorum animas, extincto corpore non extingui, ſed viuere, & in ſuum quamque locum vel in cœlum, vel in infernum, deportari. Apocal. 6. Iohannes ait, *Vidi ſub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant: & clamabant voce magna, &c.* Duo docet de animis ſanctorum: vnum, quòd ſimulac à corpore ſoluti ſunt, migrent in cœlum: Ibi enim eſſe altare, ſub quo clamant, *Apocal.* 8. Non igitur mori animas cum corpore. Alterum: quod animæ à corpore ſeparatæ, non ſolum viuant, ſed quod actiones ſuas proprias exerceant: quod ſcilicet intelligant, ament gloriam Dei promoueri, & ſcelera in ſanctos admiſſa puniri cupiant. Ait enim illas animas clamare, *Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum.* Non igitur dormiunt cum corporibus vſque ad reſurrectionem. Simile habes etiam Apocal. 7. *Vidi*, inquit, *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni. & clamabant voce magna, &c.* Et infrà ait, *bonum ſanctorum animas, ſeruire Deo die & nocte, in templo eius*, id eſt, in cœlo. His atque aliis ſimilibus locis è ſacris literis, qui vbique occurrunt: facilè refutari poſſunt hæretici illi, qui ſcripturas quidem non reiiciunt, ſed tamen animas aiunt vſque ad reſurrectionem corporum vel penitus mortuas cum corporibus cuſtodiri, vel dormire.

6 Sap. capite 2. primùm ait Sapiens, *impios qui ſentiebant animas cum corporibus interire, eáſque in auram euaneſcere*: non rectè cogitaſſe. Et in capite 3. ait de animis iuſtorum: *illas in manu Dei eſſe, & in cœlo æterna frui felicitate.* Non igitur otioſæ ſunt, aut dormiunt animæ.

Eſt verò notandum: qui dicunt animas dormire, ſpoliántque eas omni ſenſu & cognitione, licèt diſertis verbis non dicant animas mori: ipſi tamen idem docent, quod alij. Quid enim eſt anima, niſi ἐντελέχεια, principiúmque primũ, quo ſicut viuimus, ſic etiam ſentimus & intelligimus? Si igitur animæ dormiunt, ita vt nihil ſentiant, nihil intelligant: ergo neque viuunt, ac proinde animæ non ſunt ampliùs. An non verò hoc eſt docere, animas vnà cum corpore interire? Ergo quæcunque confirmant animas à corporibus ſeparatas, ſuperſtites viuere: eadem refutant ſomnium iſtorum dormientium: qui cum non audeant diſertè dicere animas mori cum corpore: idem tamen aliis verbis docent: dicentes eas dormire. Scripſit aduerſus hos dormientes, egregium libellum Doctiſſimus Interpres: cui titulus eſt *Pſychopannychia*: vbi egregiè demonſtrat, animas à corpore ſeparatas non ſolùm ſuperſtites manere, & viuere, ſed ſuas etiam proprias mentis actiones exercere, quæ ſunt intelligere, amare, frui felicitate, &c. Digniſſimus eſt, qui legatur. Atque hæc ſatis aduerſus primum genus eorum, qui negant animorum immortalitatem: animam ſcilicet mori cum corpore, eámque etiam vnà cum corpore, in vitam reuocatum iri.

III. Qui verò ſimpliciter negant, animas mortuo corpore, ſuperſtites manere, & viuere: ita vt non ampliùs reuiuiſcere queant: in duos etiam ordines diſtribuuntur. Alij enim ſcripturas profitentur nobiſcum, vt hæretici nonnulli, & quidem nomine Chriſtiani, ſed animo plus quàm Peripatetici: Alij Scripturas ſanctas non admittunt, vt Epicurus & alij nonnulli mali Philoſophi.

Aduerſus priores illos, valent omnia, quæ diximus. Et præter illa, alia quoque infinita ſunt teſtimonia & argumenta: quæ è ſacris literis proferri poſſunt. Quædam præcipua capita attingam.

Primum argumentum ad abſurda ducens.

1. Tota perit religio, ſi animæ cum corporibus ita extinguantur, vt neutrum ampliùs reuiuiſcat. Sic enim Apoſtolus concludit, 1. Cor. 15. *Si mortui non reſurgant: vanam eſſe fidem noſtram*: Multò igitur magis, ſi animæ funditus pereant: Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Quorſum enim eius mors? ſi animæ perinde pereant, atque animæ brutorum? Quid ampliùs præſtitit noſtris, quàm etiam beſtiarum animis ſua morte? Vanæ ſunt omnes promiſſiones de æterna vita, & altero ſeculo felici. Vanæ itidem comminationes æternarum aduerſus impios & impuros; ſi animæ poſt mortem corporis, nihil ſunt, nihil ſentiunt, non viuunt.

Sapientiſſimi autem omnium ſunt Epicurei & impij, de

quibus etiã Sap. 2. diximus. Verè enim nihil ſupereſt, quàm vt edamus, bibamus, luxuriemur, omnibus voluptatum generibus incumbamus: ſi hoc corpore extincto; extinguitur etiam anima. Ita omnis diſciplina corruit, omniſque vitæ honeſtas perit.

Quid? Quod inde ſequitur, aut nullum eſſe Deum: aut ſi eſt Deus, eum nullam humanarum rerum curam gerere, & iniuſtum atque antiquiſſimum eſſe? An non iniquiſſimũ eſt, vt boni & pij, atque innocentes, & qui perpetuo ſtudent gloriæ Dei, honeſtati, ſanctæ vitæ, bonis moribus, ſemper malè habeant, perpetuò premantur aduerſis, opprimantur à malis, denique ſemper ſint miſeri? Contrà vero impij, blaſphemi, inimici Dei, hoſtes honeſtatis, omnium legum contemptores, pupillorum, viduarum & pauperum oppreſſores, impuri, ſcelerati, denique nouorum ſemper ſcelerum inuentores & autores, beatè & feliciter ſemper habeant: nunquam vero pro meritis puniantur? Res autem ita ſe habet in hoc mundo: qua de re paſſim ſancti conqueruntur in ſcripturis: Iobus, Dauid, & alij Prophetæ: & nos quotidie idem audimus, videmus, experimur. Si igitur præter hanc vitam, nullum aliud ſit ſeculum, in quo animæ ſuperſtites maneant: & aut ſi bene & ſanctè ſe geſſerint, felicitate aliqua afficiantur: aut ſi ſceleratè, & impiè, debitis pœnis puniantur: an non ſequitur, vel nullum eſſe Deum, vel eum nulla iuſti & iniuſti cura tangi, eóque iniquiſſimum eſſe, & qui Dei nomine appelletur, indignum: quippe qui nolit, aut ſi velit, non poſſit impios ac malos coërcere, pios vero & bonos tueri: imo qui contrà impios tueatur, omnique bonorum genere largiter donet: pijs autem nunquam deſinat malè facere? Imò etiam ſequitur, hũc Deum eſſe mẽdaciſſimum: ſi animæ cum corpore extinguãtur, & in altero ſeculo neque mali puniãtur, neq; boni felicitate afficiãtur. Promiſit enim vtrumque Deus. Quid autem magis blaſphemum in Deum dici poteſt, quàm quòd ſit mẽdax? Quin etiam euincetur, hunc Deum inſignem eſſe hypocritã, qui ſimulauit ſe odiſſe malos, & amare bonos; cùm contrarium re ipſa declaret, fauendo impiis, & bonos negligendo: ſi animæ cum corpore moriantur. Ergo cùm hæc ſint omnino intolerabilia, & quæ vel ab homine cogitentur, indigniſſima; neceſſe eſt, animos eſſe immortales; eóſque poſt hanc vitam, aut iuſtas pœnas ſuorum ſcelerum dare; aut præmia pietatis & bonorum operum accipere.

Hæc ſunt magna, horrendáque abſurda, quæ è ſacris literis deducuntur: ſi animæ ſimul cum corporibus moriantur. Sed præter hæc, ſunt alia certiſſima & teſtimonia & argumenta, idem confirmantia.

2. Ergo ſecundum argumentum ducitur ab omnibus locis, vel exemplis, vel oraculis, quæ de reſurrectione ſũt mortuorum in ſacris literis. Si enim aliquot mortui ſurrexerũt: & ſi reliqui etiam omnes, ad extremum reſurrecturi ſunt; non ergo extinguuntur animæ, vt nò ampliùs ſint victuræ.

3. Quæcunque ſunt de futuro vltimo iudicio teſtimonia, in quo ſingulorum acta ſint examinanda: & tunc alios ituros cum Diabolo in ignem æternum: alios in cæleſte regnum: ea omnia concludunt immortalitatem animorum.

4. Proinde quartum. Vbicunque deſcribitur cœleſtis Hieruſalem: domus Patris, in qua multæ manſiones ſint nobis paratæ: vrbs non manufacta, quæ habeat fundamentum: cæleſtia denique tabernacula, in quæ recipiendi ſint à Chriſto fideles omnes: ibi euincitur, animas omnino eſſe immortales.

5. Item, quæ ſunt de conditionibus, gloriáque fidelium in cælo: vt quòd ſimus cũ Chriſto glorificãdi, futuriq; ſicut Angeli Dei, animorũ immortalitatem neceſſariò euincunt.

6. Denique vbicunque prædicatur Chriſtus caput Eccleſiæ, & nos eius membra: caput vero illud in cœlum aſcendiſſe, ibi ſedere ad dextram Patris, & pro nobis interpellare; & alia ſimilia: inde apparet, ſi caput viuit, membra quoque non moritura, ſed vbi ipſe eſt, nos quoque ibi futuros, vt ipſemet dixit. Adde contrà, quæcunque de inferno, Satanæ & Angelis eius & omnibus hypocritis deſtinato, extãt oracula; ea omnia demonſtrare animas omnium hominum, tam impiorum, quàm piorum eſſe immortales.

Summa hæc eſt; Nec vnde meliùs & faciliùs, & euidentiùs demonſtrari poſſe animorum immortalitatem, quàm ex ſacris literis ſi quis eas admittat. Atque hęc aduerſus eos ſatis; qui cùm admittant ſcripturas, animorum immortalitatem aut apertè negant; aut fucatis verbis diſſimulant.

IV. Eorum, qui animorum immortalitatem negant; diximus duo eſſe genera; quoſdam, qui non ſimpliciter negant eos interire, nempe in ſempiternum; ſed tantùm manere omni ſenſu, cognitione & motu deſtitutos, vſque ad corporum reſurrectionem; eóque ſicut corpora, ſic & animas ad illud vſque tempus dormire; id quod reuera nil aliud eſt, quàm mori. Horum ſomnium, initio refutatum à nobis fuit. Alterũ genus, eorũ eſt, qui animas ſimpliciter interire cum corporibus docent: ita vt nunquam ſint in vitam redituræ. Sed huius quoque generis duo ſunt ordines. Quidam enim ſacras literas nobiſcum profitentur; vt erant Sadducæi, & poſtmodum alij hæretici, multique nomine tantùm Chriſtiani. Alij vero ſcripturas non admittunt, vt Epicuræi, nonnullique mali Philoſophi, vt Auerroes & alij.

Priores refutati ſunt, idque facile ſacrarum literarum teſtimoniis, & argumentis inde petitis: vt ſuprà viſum eſt. Reſtat nunc, vt poſteriores refellantur, qui ſacris ſcripturis non credunt.

Duobus autem probationum generibus, aduerſus hoſce profanos homines, nobis vtendum eſt: teſtimoniis præclariſſimorum Philoſophorum; atque adeo omnium ferè gentium & populorum conſenſu perpetuo: & rationibus Phyſicis.

Ad teſtimonia igitur quod attinet: hoc tanquam firmum fundamentum, cum Cicerone iacio, & conſtituo axioma.

In omni re, omnium gentium conſenſio, lex naturæ putanda eſt. Quid ita? Quia tales omnium hominum conſenſiones, non niſi κοιναὶ ἔννοιαι naturaliter animis hominum inditę eſſe poſſunt. Merito itaque huiuſcemodi conſenſio pro lege naturæ habenda eſt. Neque hoc ſolus docuit Cicero, homo gentilis: ſed etiam Spiritus S. in ſacris literis Apoſtolus ad Rom. Quæ omnes gentes iudicant eſſe iuſta aut iniuſta, æqua vel iniqua, ea vocat legem naturæ, dicendo cap. 2. *Gentes quæ legem non habent naturã, quæ legis ſunt facientes declarare ſe habere legem ſcriptam in cordibus ſuis.*

1. Corinth. 11. à natura hoc eſſe docet, vt mulier in cœtu velata maneat, vir autem detecto capite: quo illud ſit ſymbolum ſubiectionis: hoc autem dominatus. Mulieris autem eſt, eſſe ſubiectam viro. Et ſic omnes gentes ſentire.

Ita, quod docet cap. 14. Non eſſe loquendum in Eccleſia, niſi lingua, qua ab omnib. intelligaris: tanquam legem naturæ tradit: quoniam in hoc omnes conſentiunt. Sic quod Chriſtus ait, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & contrà: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis:* pro lege naturæ ab omnibus accipitur. Quid ita? Quia in hoc eſt omnium gentium conſenſio. Veriſſima igitur certiſſimáque ſententia eſt Ciceronis. *In omni re, conſenſio omnium gentium, lex naturæ putanda eſt: eóque inſtar mille demonſtrationum, talis conſenſio, apud bonos eſſe debet.* Eſt enim vox Dei in natura. Tanti igitur momenti eſt aliqua in re, omnium gentium conſenſio: vt ei reſiſtere, perinde ſit, atque voci Dei reluctari: quanta vero magis, ſi cum hac conſenſione, ipſum etiam Dei verbum conſentiat? Iacto hoc fundamento, nunc ſi demonſtrauero, in animorum immortalitate, omnium gentium eſſe conſenſionem: facilè euicero, fieri non poſſe, vt anima ſit corruptioni obnoxia. Vnde verò illud melius demonſtrari poteſt, quàm ex monumentis, quæ cuiuſque gentis ſapientes, poſteris reliquerunt? Nam quod nonnulli animorum immortalitatem inficiati ſint: ij & pauci numero fuerunt, & auctoritate longè aliis inferiores: quippe qui neque aliam ob cauſſam contenderunt, vnà cum corporibus animos interire, quàm quia improbi cum eſſent, ſicut nolebant eſſe Deum, qui omnium curam gerat: ſic cupiebant extingui animos cum corporibus, ne poſſent à Deo pro ſuis plecti ſceleribus. Tales fuerunt Epicuræi, huiuſce auctores ſententiæ. Ergo, vt omnium gentium conſenſio cognoſcatur: non quorundam ſceleratorum & imperitorum hominum inſania ſpectanda eſt: ſed ſapientiſſimorum & optimorum cuiuſque gentis dicta ſunt conſideranda.

Principio conſtat, omne hominum genus in duas ſemper partes fuiſſe diuiſum: in populum Dei: & in profanas gentes.

In populo Dei ſemper fuit recepta ſententia de immortalitate animorum, iam inde à condito orbe, ſemperq; erit in finem vſque ſeculi: quoniam hanc de animis noſtris doctrinam, non tam à natura didicerunt, quàm etiam à Deo diſertis verbis acceptam, poſteritati reliquerunt. Ecce primum magnúmque præiudicium.

Deinde ex iis, qui extra Eccleſiam ſunt, Iudaicus ſemper populus, etiam poſteaquam fuit à Deo reiectus, nobiſcum in hac re conſtanter conſenſit atque conſentit propter verba Prophetarum, quæ vt ſacroſancta amplectuntur. Nam quòd ſecta Sadducæorum negarit tum animarum immortalitatem, tum corporum reſurrectionem: nihil præiudicat ſempiternæ & communi apud illum populum receptæ ſententiæ: ſicut neque quòd quidam inſipientes dixerint aut dicant in cordibus ſuis, *Non eſt Deus.* Eodem enim modo, nempe edocti à natura, vt ait Cicero, nouimus animas eſſe immortales, quo & Deum eſſe.

Neque

Neque certè aliter ſenſerunt & docuerunt Ægyptij, Chaldæi, totaque prima illa Monarchia. Oraculum extat Chaldaicum, de mente, quæ ſicut à Deo exit, ſic ad eum immortalis redit;

Χρὴ σπεύδειν σε πρὸς τὸ φάος, καὶ Πατρὸς αὐγάς
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πολὺν ἑσσαμένη νοῦν.

Oportet te accelerare ad lucem, & ad Patris ſplendores: Vnde tibi miſſa eſt anima, multa induta mentem. Hoc oraculum ſic Pſellus interpretatus eſt; Ἐπειδὴ σὺν λόγῳ ἀσωμάτως ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν ἔλαβεν, οὐδὲ ἐν σωματικῆς ὑφίσταται μορφῆς, ἀλλ' αὐτόθεν, ὅπου τὴν ὑπαρξιν ἔχει, πρὸς ἐκεῖνον ἐπιστρέφειν. Hac autē locutione, animam redire ad Deum: ipſius immortalitas ſignificatur. Docemur enim, animam non redire in puluerem, ſicut corpus, vnde ſumptum eſt: ſed ſicut Deus ſemper eſt, ſic animam à corpore ſeparatam ſemper apud Deum ſubſiſtere. Illud quoque Chaldæorum fuit præceptum. Ζήτησον παράδεισον τὸν ἀμφιφαῆ τῆς ψυχῆς χῶρον: *Quære Paradiſum, ſplendidiſſimam animæ regionem.* De Syris Cicero refert Pherecydis teſtimonium, eum dixiſſe, *animos hominum eſſe ſempiternos.*

De Græcis hominibus, quid de anima ſenſerint, ex ipſorum tum Poetis, tum Philoſophis liquet. Pulcherrimum eſt, ſicut & breue carmen, *Phocylidis*, Poetæ antiquiſſimi, in ſuis de vita degenda præceptis, vbi poſtquam dixiſſet de corpore, illud ſumtum eſſe è terra: ſubiecit de anima, dicēs: ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός. *Anima autem immortalis, & nunquam ſeneſcens, viuit ſemper.* Pulcherrimum ſanè dictum, & cum doctrina Moſis conſentaneum, & quaſi inde ſumptum. Vnde etiam idem Poëta dixit, animam eſſe imaginem Dei: Πνεῦμα γὰρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών, pro εἰκών. Quin idem, & reſurrectura demortuorum corpora cecinit, dicendo: Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν. *Ac breui è terra ſperamus ad lucem redire.*

Triſmegiſtus verò Philoſophus, in eo qui inſcribitur, Quòd Deus inuiſibilis ſit ex operibus manifeſtus: poſtquam docuiſſet, hominem formari à Deo in vtero matris: ſic de eius natura ſcripſit; Ἄνθρωπος διπλοῦς, διὰ τὸ σῶμα θνητός, ἀθάνατος δὲ διὰ ψυχήν, ἣν οὐσιώδη ἄνθρωπον. Duplicem hominem vocauit, propter duplicem eius partem: corpus & animam. Animam verò οὐσιώδη ἄνθρωπον appellauit; quia præcipua hominis eſt pars. Sed apertè, animæ cauſſa, hominem ait eſſe immortalem.

De *Pythagoræ* ſententia qui in Italia docuit; non eſt cur multa dicam, cùm ex ipſo Cicerone in 1. Tuſc. conſtet, eum fuiſſe vnum ex præcipuis primiſq; Philoſophis, qui animos eſſe immortales atque diuinos prædicarūt. Θεῖον γένος ἐστι βροτοῖσιν. Nouit enim animam non eſſe ex Elemētis, ſicut corpus, ſed immediatè à Deo eſſe, & quaſi ex ipſo genitā, vt etiam ex Arato citauit Apoſtolus in Actis: quanquā ex Dei ſubſtantia non eſt, vt ſuprà demonſtratum eſt. Fuit autē maxima & ampliſſima Pythagoreorum ſecta: omneſque animam omnino immortalem eſſe docuerunt.

De Alcmæone & Anaxagora Philoſophis, teſtatur Ariſtoteles 1. de anima, c. 2. eos prædicaſſe animorum immortalitatem: quòd ſimiles ſint Deo immortali. Φησὶ γὰρ (nempe *Alcmæon*) αὐτὴν (ψυχὴν) ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις. Proinde ex eo, quòd ſcriptura tradit, hominem ad imaginem Dei factum eſſe, id quod imprimis de anima intelligitur: non ab re colligimus, animam humanam eſſe immortalem; quādo idem euincebant etiam Philoſophi, ex eo, quòd cognoſcebant ab operationibus animę, animam ſimilem eſſe Deo.

De ſecta Stoicorum, nemo neſcit: quid de animorum immortalitate ſenſerint; quando & ipſorum libri id teſtantur, & Cicero ipſe abundè confirmat.

Epictetus Stoicus, præter alia quæ de homine ſcripſit, hoc etiam ſcriptum reliquit: *Non pudet (inquit) vitam cum dedecore tranſigere, & impotentes in aduerſis cedere?* Rationem adfert dicendo. Καὶ γὰρ συγγενεῖς τινές τοῦ θεοῦ ἐσμὲν κἀκεῖθεν ἐληλύθαμεν· ἄφες ἡμᾶς ἀπελθεῖν ὅθεν ἐξεληλύθαμεν. Affines enim Dei ſumus, & inde venimus: ſinas nos regredi vnde venimus.

At verò ſchola *Platonica*, excelluit in hac parte omnibus aliis, nempe in prædicanda, firmiſque rationibus confirmāda animorum immortalitate. In Phædone cum primis copioſè tractauit hoc argumentum Plato: atque in hunc dialogum, doctiſſimos commentarios reliquit Morzillus Hiſpanus. Neq; teſtimonia Platonis referam, neq; omnia eius argumenta explicabo. Qui volet, legat apud ipſum, cùm Morzilli commentariis: quanquam non omnia etiam probo Platonis argumenta. Tria tantùm, aut quatuor, quia & veriſſima & perſpicua ſunt, præterire non poſſum.

1. Vnū eſt: quia ψυχὴ anima ὁμοιότατον, ſimillima eſt Deo immortali: id quod ab animæ operationibus liquet, ſicut etiā alij demonſtrant Philoſophi, & è ſacris literis cōfirmatur: Τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν· concludit Socrates in Phædone. Inde euincit, animam eſſe immortalem. Ratio hæc vera eſt, & cum ſacris literis conſentanea. Proinde ſubdit, *animam redire ad Deum immortalem, cui ſimilis eſt.*

Εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ ἀειδὲς ἀπέρχεται, τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον, καὶ φρόνιμον. Repetit idem argumentum etiam in 10. de Republ. & alibi. Imo & in Gorgia ſcribit, hanc ob cauſſam, quod ſcilicet anima ὁμοιότατος ἐστὶ θεῷ, omnes priſcos Poetas docuiſſe, *animam eſſe immortalem*: φασὶ (inquit) τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον. Proinde in Timæo vocat mentem humanam φυτὸν οὐκ ἔγγειον, ἀλλ' οὐράνιον: nō terrenam: ſed cæleſtem. Ἐκεῖθεν γάρ: quia ſcilicet non ex Elementari materia creata eſt, ſed immediatè ex Deo eſt, vt Moſes docet verbo *inſufflandi.* Ita & Plutarchus de placitis Philoſophorum. Platonem interpretatus eſt, dicendo: Πλάτων τὸ μὲν λογικόν, ἀφθαρτον (docuit) Καὶ γὰρ τὴν ψυχὴν, οὐ θεὸν, ἀλλ' ἔργον ἀιδίου θεοῦ ὑπάρχειν. Eſt igitur retinenda hæc prima Platonis ratio; quia Moſaica eſt & diuina.

2. Altera ratio eſt, quia ſi anima cum corpore extingueretur: bene ageretur cum malis & ſceleratis, malè autem cum bonis. Illi enim poſt perpetrata in hac vita ſcelera, nullas ſuorum ſcelerum darent pœnas: Iſti autem, poſt tranſactam in multis calamitatibus vitam honeſtam, nullā perciperent voluptatem ac felicitatem. Vtrumq; autem eſt iniquiſſimum. Hanc etiam habet in Phædone: ideo ait: Εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή (corporis ſcilicet & animæ) ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανοῦσι, τοῦ τε σώματος ἅμ' ἀπηλλάχθαι καὶ τῆς αὑτῶν κακίας μετὰ τῆς ψυχῆς, &c. Si n. mors, diſſolutio eſſet vtriuſq; (corporis & animæ) lucrū foret malis, cùm moriuntur: quoniam vnā cum diſſolutione corporis & animæ, omni etiam malitia liberarentur, omníque malo. Pugnat autem hoc cum iuſtitia Dei. Proinde hæc quoque ratio, tanquam Chriſtiana retinenda eſt. Hac etiam vtuntur Patres ad probandam corporum reſurrectionem: vt ſcilicet ipſa etiam corpora, vel piorum, glorificentur: vel malorum, pœnis æternis crucientur: quandoquidem per ea, & in eis, animæ vel benè, vel malè egerunt.

3. Ratio, quoniam homines ignaui & mali nihil curant, niſi præſentia: homines autem generoſi & boni, nihil non agunt, vt etiam poſt mortē bene audiāt apud omnes. Quod certè non curarent, niſi ſentirent animos eſſe immortales.

4. Adde quartam, quam cum hac coniungit: ea eſt;

Quoniam optimi quique ſentiunt, animos eſſe immortales, & ſenſum quendam illis à corpore etiam ſeparatis ſupereſſe: mali autem non ita ſentiunt. Sunt autem optimorum iudicia ſequenda: non autem malorum. Hæ duæ in Epiſtolis ſunt. Αἱ γὰρ βέλτισται ψυχαὶ μαντεύονται ταῦτα οὕτως ἔχειν· αἱ δὲ μοχθηρόταται οὔ φασι. Κυριώτεραι δὲ αἱ τῶν θείων ἀνδρῶν μαντεῖαι ἢ αἱ τῶν μή.

Hoc eſt, quod etiam *Hierocles* ſcriptum reliquit: cauſſam afferens, cur mali negent immortalitatem animorum, eámque cupiant: οὐ βούλεται (inquit) ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὑτοῦ ψυχὴν ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρηθῆναι, καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαστὴν θάνατον ἑαυτῷ καταψηφισάμενος. *Non vult improbus ſuam ipſius animam eſſe immortalem: ne ad iudicem ibi, pœnis torquendus adueniat, quippe qui ſuam ipſius mortem prius comprobauerat.*

Non ſolùm itaque Plato ſenſit cum aliis ſapientibus, animā eſſe immortalem: ſed firmis etiam rationibus comprobauit. Scripſit & Plotinus elegantem libellum de immortalitate animæ, vbi eandem demonſtrat doctrinam. Denique tota Academia idem ſenſit. Reſtant Peripatetici.

Etſi *Ariſtoteles* non ita perſpicuè de animæ immortalitate diſſeruit, atque Plato, & videatur de induſtria voluiſſe obſcurus eſſe in hac parte; tamē, ſi quis diligēter omnia ipſius dicta de anima perpendat: videbit iniuriam Ariſtoteli ab illis fieri, qui affirmant, eum omnino ſenſiſſe, animam eſſe mortalem. Nam multa ſunt loca in eius libris, quæ omnino docent, Ariſtotelem, aut ſenſiſſe animam eſſe immortalem, aut ſaltem, hoc non negaſſe. Loca breuiter indicabo. Neque enim mei eſt inſtituti, omnia diligenter examinare. Faciant hoc Ariſtotelis interpretes.

1. Primùm in Ethicis libr. 1. cap. 11. in quæſtione, *An aliquid ad felicitatem vel infelicitatem faciat, vt amici noſtri bene, necne bene habeant*, quærit etiam, *an ſoli viuentes, viuorum amicorum fortunis moueantur, an verò etiam mortui.* Et reſpondet, licèt ad mortuos etiam pertineant amicorum viuorum fortunæ vel bonæ vel malæ; tamen illud eſſe tenue quiddam & paruum, hoc eſt tale, quod illos (nempe mortuos) neque beatos faciat, neque aliqua beatitatis particula priuet. Proinde ſic tandem concludit in hæc verba, συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τι φαίνονται τοῖς κεκμηκόσιν αἱ εὐπραξίαι τῶν φίλων, ὁμοίως δὲ καὶ αἱ δυσπραξίαι: hoc eſt, *videntur igitur ad mortuos p.rtinere*

re amicorum res ſecundæ pariter & adverſæ. Modum tamen addit & moderationem, dicendo, τοιαῦτα δ' ἢ καὶ τηλικαῦτα· ὥστε μήτε ποιεῖν εὐδαίμονας. μὴ εὐδαίμονας μήτε τοὺς μὴ εὐδαιμονοῦντας εὐδαίμονας ποιεῖν. μήτ' ἄλλο τῶν τοιούτων μηδέν, h.c. ſed ita & eatenus, vt nec ex beatis, non beatos, nec ex non beatis beatos efficiant, nec aliquid huiuſmodi. Profectò, ſi Ariſtoteles omnino ſenſiſſet, vnà cum corpore, animam interire; neque quæſtionem hanc propoſuiſſet, neq; ſaltem ad eam ſic reſpõdiſſet, vt affirmatiue diceret, ad mortuos (aliquo modo) pertinere amicorum fortunas bonas vel malas. Hinc verò confirmari poſſe, Ariſtotelem cum Platone in doctrina de animorum immortalitate conſenſiſſe: inde apparet, quia ſimili argumento vſus fuerat Plato ad animorum immortalitatem confirmãdam: dicendo; τοὺς ἐπιεικεστάτους (id eſt, optimos viros) τῶν ἀνθρώπων ὄντας αὐτοὺς εἰς τὸ ἐπέκεινα χαρίεντος ἀγῶνος. Sic etiam Cicer. Tuſc. 1. eodem vtitur argumento; à cura ſcilicet rerum futurarum deducto: pag 154. dicens: *Maximum verò argumentum eſt, naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam indicare, quòd omnibus curæ ſunt, & maximè quidem quæ poſt mortem futura ſint.* Id quòd exemplis illuſtrat. Ex hoc igitur loco primi Ethicorum, colligitur Ariſtotelem, vel omnino aſſeruiſſe animorum immortalitatem: vel ſaltem non negaſſe.

2. Secundus locus eſt in iiſdem Ethicis, libro 10 cap. 7. & 8. vbi probat multis rationibus, veram perfectãmque felicitatem in contemplatione mentis, non autem in actione virtutum moralium conſiſtere: quandoquidem ſubſtantiæ etiam ſeparatæ (Deus ſcilicet & Angeli) quæ feliciſſimæ ſunt, carent actionibus virtutum moralium, & ſola contemplatione, beatiſſimæ ſunt: vt ait Ariſtoteles. Ibi prætérquam quòd mentem humanam vocat τὸ θεῖόν τι, & συγγενέστατον τῷ Θεῷ, ſicut Plato ὁμοιότατον appellauit: Primo duas ſtatuit hominis vitas: vnam, qua viuimus ſecundùm cõpoſitum, animam ſcilicet & corpus: alteram, qua viuimus tantum ſecundùm mentem & intelligentiam. Virtutes item & operationes hominis eſſe duplices; alteras ſecundùm compoſitum, alteras verò mentis tantùm & intelligentiæ. Et tam vitam, quàm virtutes & operationes ſecundùm cõpoſitum, vocat ἀνθρωπικάς: quæ verò ſunt tantùm mentis & intelligentiæ, appellat [illegible]. Et ait vitam, qua viuimus ſecundùm mentem, & in contemplatione: ſuperare hominis naturam. Non enim hoc ipſo, quo homines ſumus, nos ita viuere: ſed quo eſt quid in nobis diuinum, id eſt, mens. Et hanc vitam, eſſe veram vitam, verámque felicitatem. Vita enim, qua viuimus ſecundùm vegetatiuam facultatem; vita eſt arborum: qua autem viuimus ſecundùm ſenſitiuam, vita eſt belluarum: Qua autem ſecundùm intellectiuam: ea eſt duplex; vna qua viuimus ſecundùm facultatem mentis actiuam, quatenus ſcil. mens principium eſt rerum gerendarum, & hæc propria eſt præſentis vitæ: & ideo etiam humanam appellat Ariſtoteles. Non enim in ſola mentis actione conſiſtit, ſed in actionibus etiam corporis ſecũdùm virtutes morales. Altera eſt, qua viuimus ſecũdùm facultatem mentis ſpeculatiuam tantùm. Hanc ait ſuperare hominis naturam: quia ſecundum id tantùm, quod in homine diuinum eſt, viuimus. Vita enim eſt diuina: quia talis etiam eſt vita ſubſtantiarum ſeparatarum. Ac docet, non eſſe audiendos eos, qui hortantur, vt humana tantùm ſapiamus, cùm ſimus homines, & mortalia, cùm ſimus mortales: ſed enitendum eſſe pro viribus, vt ea vita viuamus, quæ eſt ſecundùm id, quod in nobis eſt præſtantiſſimum, hoc eſt, ſecundùm mentem contemplatiuam, & ita verè ſiamus immortales. Ad ſummam, totus ille contextus docet, Ariſtotelem ſenſiſſe, τὸν νοῦν, in nobis rem eſſe diuinam & immortalem. Nam hominem ſtatuit medium inter ſubſtantias ſeparatas atque diuinas, & inter animalia bruta: & habere eum ſimilitudinem cum vtriuſque & diſſimilitudinem. Similitudinem enim habemus cum brutis immediatè, ſenſitiua potentia, & eius vita atque actionibus: diſſimilitudinem autem immediatè, mente actiua, vitáque quæ eſt ſecundùm rationem & virtutes morales. Cùm ſubſtantiis autem ſeparatis, ſimilitudinem immediatè habemus, mente contemplatiua, eiúſque vita: diſſimilitudinem autem, inferioribus quidem potentiis omnibus, ſed immediatè; facultate mentis actiua, vitáque actiua. Hęc eſt Ariſtotelis doctrina. Vnde neceſſariò colligitur: hominem ſicut corpore, vitáque actiua, mortalis eſt: ſic mente vitáque contemplatiua immortalem eſſe.

Venio iam ad libros, quos ex profeſſo de Anima ſcripſit.

3. Tertius itaque locus eſt in 1. de anima, cap. 1. Ibi ſcribit: ſi aliqua ſit propria animæ operatio, hoc eſt, quæ non ſit communis corporis, ſed quam anima ſine organo inſtrumentóve corporeo exercere poſſit; fieri etiam poteſt, vt anima ſeparari à corpore poſſit, & per ſe ſubſiſtere. Si enim poteſt per ſe operari: poteſt etiam per ſe ſubſiſtere. Certiſſima eſt hæc Ariſtotelis propoſitio An verò poſſit anima per ſe operari, ſine organo corporeo: non hic definit, ſed alibi demonſtrat. Interim ex hoc loco colligitur, duplex genus animorum: vnum eorum, qui ſine corpore operari non poſſunt: & hos eſſe mortales: quia ſine corpore, ſicut operari nequeunt, ſic etiam ſubſiſtere non poſſunt. Talis autem eſt anima vegetatiua & ſenſitiua. Alterum eorum eſt, qui ſine corpore poſſunt ſuas proprias exercere operationes: & hos eſſe immortales, quia vt poſſunt ſine corpore operari, ſic etiam per ſe ſubſiſtere.

Quinam autem ſunt illi animi, qui per ſe operari poſſint niſi humani? Nam abſtractas ſubſtantias, quas vocamus Angelos, nunquam Ariſtoteles vocat ψυχάς. Hic autem περὶ τῆς ψυχῆς diſſerit.

Cùm etiã proponit in eodẽ capite 1. An naturalis Philoſophi ſit περὶ πάσης ψυχῆς, an verò tantum περὶ τοιαύτης, quæ ſcilicet habet. Eſſe tantum in materia, diſſerere: an non ſatis apertè docet, eſſe etiam animam, quæ non ita habeat Eſſe in materia, vt ab ea ſeparari non poſſit? Quæ autẽ hęc eſſe poteſt: ſi non eſt ipſa hominis anima? Nam, vt dixi, nomine animæ, nunquam aut Deum, aut aliam aliquam ſubſtantiam ſeparatam, ſolitus fuit Ariſtot. appellare.

4. Deinde in cap. 2. cum narraſſet probaſſetque aliorum Philoſophorum de anima ſententias, qui animas aut Elementum eſſe, aut aliquid ex Elementis compoſitum, eoque corruptibilem eſſe docuerunt: de Anaxagora ſubdit: Ἀναξαγόρας δὲ μόνος ἀπαθῆ φησιν εἶναι τὸν νοῦν, καὶ κοινὸν οὐθὲν οὐθενὶ τῶν ἄλλων ἔχειν. Hoc vero non improbat Ariſtoteles: ſed tantum hoc in eo reprehendit: quòd cùm ita ſit, non definierit tamen πῶς γνωριεῖ καὶ διὰ τίν' αἰτίαν. Non igitur negauit Ariſtoteles: animam eſſe immortalem.

5. In cap. 3. eiuſdem libri, refutando Platonis ſententiam, qui dixerat, animam humanam priùs extitiſſe extra corpus, deinde vniri corpori, à quo etiam non poſſit abſolui, cum vult, ait: Laborioſum igitur eſt animæ, miſceri corpori: imo & fugiendum, id eſt, quoniam melius eſt intellectui, non eſſe cum corpore, quemadmodum (inquit) dici ſolet, & complures ſanè conſentiunt. Docet receptam fuiſſe ſententiam: Mentem poſſe eſſe ſine corpore: & melius etiam ei eſſe, ſi ſit ſine corpore, quàm in corpore.

6. In cap 4. eiuſdem libri, vbi refutat ſententiam eorum, qui animam dixerunt eum eſſe harmoniam, eum moueri: præter alia de mente ſic loquitur: ὁ δὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι, οὐσία τις οὖσα, καὶ οὐ φθείρεσθαι. Apertè loquitur Ariſtoteles de humana mente, quæ eſt ſubſtantia: vt verba expreſſè docent: οὐσία (inquit) τις οὖσα Non loquitur igitur de aliquo lumine, nobis aduenien te, aut de alia re, quæ in nobis non ſit ſubſtantia: quia ait οὐσία τις οὖσα. De hac autem ſubſtantia duo dicit: Vnum, eam in nobis ἐγγίνεσθαι: procreatur ergo, ſeu fit in nobis, nẽpe à Deo: Alterum, eam οὐ φθείρεσθαι. Ea igitur ſubſtantia immortalis. Ac ne quis dicat, Ariſtotelem aut non loqui de mente humana, aut non affirmatiuè loqui, ſed ex aliorum iudicio, quia ait ἔοικεν, ratio, qua probat hanc mẽtem non corrumpi, facilè hoc effugiũ refellit. Subdit enim: Nam ab ea maximè, quæ fit in ſenectute ἀμαυρώσεως (id eſt, oculorum caligine & obfuſcatione) corrumperetur. Nunc autem perinde fit, atque in ſenſuum inſtrumentis. Etenim ſi ſenex talem acciperet oculũ (qualem ſcilicet habet iuuenis, ſanum & fortem) videret ſicut & iuuenis. Quare ſenectus nõ eſt, quia anima quicquam eſt paſſa; ſed quia id, in quo eſt aliquid, paſſum eſt: quemadmodum in ebrietatibus & in morbis fieri ſolet. Et ipſum igitur τὸ νοεῖν καὶ τὸ θεωρεῖν marceſcit: quia aliud quiddam intus corrumpitur: Ipſum autem paſſione vacat. Breuiter argumentum Ariſtotelis explico.

Probaturus Ariſtoteles mentem non eſſe obnoxiam alterationi corporis, vt quidam ſentiebant: ſic argumentatur.

Si eſſet obnoxia motui & alterationi corporis: vtique ad corruptionem corporis, corrumperetur & ipſa: Atqui non corrumpitur, &c. Non corrumpi ad corruptionem corporis, probat à minore ad maius, exemplo ſumpto à potentia viſiua. Viſiua enim facultas, ad imbecillitatem oculi, non fit imbecilla, neque corrumpitur. Nam ſi corrumperetur: vtique tum maximè corrumperetur, cum ſenes incipiunt caligare. Atqui licèt tunc ſenes non ita videant, ſicut cùm erant iuuenes: hoc tamen non ideo fit, quia facultas videndi ſit corrupta; ſed quia inſtrumentum viſus, id eſt, oculus ipſe, in quo eſt facultas, corrumpitur; exiccatis ſcilicet humoribus illis in oculo, qui viſioni faciendæ inſeruiebant. Des enim ſeni oculum talem, qualem habebat iuuenis; vtique videbit iam, ſicut & tunc. Ergo multo minùs mens ipſa, totáque anima ad alterationem corruptionẽmve corporis, corrumpitur. Sed quod non nunquam,

vt dece-

vt decrepitis contingit, minùs intelligere, & ſapere, quàm antè, eóque alterari & imbecilla fieri videatur: hoc ideo fit, non quod mens facta ſit imbecilla, ſed quia organum phantaſiæ, vnde illi phantaſmata ſuppeditabantur, corruptum & imbecillum eſt factum, ſicut & de oculo dictum eſt. Idcirco neque aliquis ideo homo eſt ſenex & imbecillus, quia anima eius ſit quicquam paſſa & facta eſt infirma: ſed quia corpus, in quo eſt anima, paſſum eſt & infirmum effectum.

Confirmat hoc, exemplo ebriorum, & graui aliquo morbo laborantium. Si quis inebrietur, aut graui aliquo morbo laboret, fiet vt deliret & inſaniat: ita vt omnino mentem amiſiſſe videatur: imò nonnunquam etiam viſum, cùm tamen non ita ſit. Neque enim vinum agere poteſt in mentem, aut in facultatem ſenſuum, vt eam perdat: ſed in corpus duntaxat, & in organa ſenſuum, vt etiam docet experientia. Fac enim, vt concocto vino, ceſſet ebrietas: videbis eum tam bene videntem atque intelligentem, quàm antea. Ergo quòd etiam in ætate decrepita, ſæpe videantur ſenes mentem habere imbecillam, neque tam bene intelligere ſicut antè: hoc non ideo fit, quòd mens ſit infirmata, aut ſit corrupta: ſed quia organum phantaſiæ, vnde mens phantaſmata accipiebat, infirmatum eſt. Ideò ſubdit Ariſt. concluſionem, *Et ipſum igitur intelligere ac contemplari marceſcit: quia aliud quiddam intus corrumpitur: ipſum autem ἀπαθές ἐστι* hoc eſt, non ideo infirmatur, & quaſi marceſcit operatio intellectus, quia mens ipſa marceſcat, & corrumpatur aut infirmetur. Eſt enim ipſa ἀπαθής: ſed quia organum phantaſiæ & totum corpus, in quo mens operatur, corrumpitur. Des enim decrepito, ebrio, aut ægroto tam bonum organum, quàm etiam habeat iuuenis, ſobrius, ſanus: tum tam bene intelliget & ſapiet, quàm antè.

Idem confirmat argumento à diſcrimine actionum ſenſitiuæ & intellectiuæ deducto. Actiones ſenſitiuæ, corrupto corpore, corrumpuntur, tam internæ, vt amare, odiſſe recordari, quàm externæ, vt videre, audire. Quid ita? Quia non ſunt ſolius animæ, ſed totius compoſiti, hoc eſt, etiam corporis, quod habet animam. At operationes intellectiuæ, non ita. Quamobrem? Quia propriæ ſunt ipſius: non autem communes corpori. Ideo concludit τὸν νοῦν, diuinum quiddam eſſe, καὶ ἀπαθές. Concluſionem porro ſubdit principalem, dicendo: ὅτι μὲν οὖν οὐκ οἷόν τε κινεῖσθαι τὴν ψυχὴν φανερὸν ἐκ τούτων. Locus ille ita perſpicuus eſt & efficax, pro animi immortalitate, ex ſententia Ariſtotelis, vt Portius in varias ſeſe mutet formas, vt eum eludat. Modò ait, contextum hunc eſſe corruptum, modo Ariſtotelem non ex ſua ſententia ita locutum eſſe, ſed ex diſputandi diligentia. Denique Ariſtotelem non loqui de intellectu humano: ſed in confuſo, & in genere.

7. Eſt etiam locus in 2. de Anima, cap. 1. ad calcem, eodem pertinens. Poſteaquam quid ſit anima, in genere definiuiſſet: concluſiſſet verò, aliquas animæ partes, nempe vegetatiuam & ſenſitiuam, eſſe à corpore inſeparabiles: idque propterea, quòd tales ſint corporis ἐντελέχειαι & actus, vt corpori ſint affixæ, ſicut liquet in plantis & brutis: poſteà de parte intellectiua ſubiecit: οὐ μὴν ἀλλ' ἔνιά γε οὐθὲν κωλύει (nempe quin ſint à corpore ſeparabiles) διὰ τὸ μηθενὸς εἶναι σώματος ἐντελεχείας. Negat τὴν διανοητικὴν, eſſe ἐντελέχειαν corporis, nempe eo modo quo vegetatiua & ſenſitiua: hoc eſt, ita vt ſit affixa corpori, ſicut illæ. Proinde poſſe hanc à corpore ſeparari docet.

8. Similem habet in lib. 2. de anima, cap. 2. Cùm dixiſſet de anima vegetatiua & ſenſitiua: ſubiecit de mente hæc verba; Περὶ δὲ τοῦ νοῦ, καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως οὐδέπω φανερὸν (ſcilicet fecimus) ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.

Mortalitatis defenſores verba hæc interpretantur, de neſcio quo intellectu faciente, qui non ſit de eſſentia animæ: ſed extrinſecum quiddam à Deo adueniens, vel potiùs Deus ipſe. Verùm ipſius Ariſtotelis verbis refellitur hoc commentum. Nam prætèrquàm quòd vocat eum νοῦν, & δύναμιν θεωρητικὴν, ait etiam, hunc videri ἕτερον τῆς ψυχῆς γένος. Intellectus autem faciens, qualem illi fingunt: neque etiam Deus ipſe, vocari ſolent ab Ariſtotele ψυχή. Itaque de mente humana intelligendum omnino eſt. Ait autem, hanc eſſe ἕτερον τῆς ψυχῆς γένος: nempe, quàm ſit vegetatiua in plantis, & ſenſitiua in brutis. Sunt enim tales ſuorum corporum formæ; & ἐντελέχειαι vt ſint illis affixæ, neque ab illis ſeparari poſſint, vt per ſe ſubſiſtant, aut operentur. Intellectiua autem neque affixa eſt corpori, neque vtitur organo corporis ad ſuas actiones, neque verſatur circa ſenſilia. Ideo aliud eſt genus omnino: ſicut etiam aliud eſt genus actionis operari, quod eſt intellectus: & aliud ſentire.

Sed loci perſpicui ſunt in 3. de Anima, vbi ex profeſſo de parte animæ, quæ διανοητικὴ dicitur, differit: eóque de anima rationali, quæ propriè forma eſt hominis. Ac primùm quidem in cap. 4.

9. Nonus itaque locus hic eſt: Περὶ δὲ τοῦ μορίου τοῦ τῆς ψυχῆς ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ, καὶ φρονεῖ. εἴτε χωριστοῦ ὄντος, εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ κατὰ λόγον: conſiderandum eſt, &c. Ibi ad ſummam de parte animæ intellectiua, hoc eſt, de mente humana, hæc tradit:

1. Ipſam carere paſſione: ἀπαθὲς, inquit, δεῖ εἶναι. Ratio: quia dum recipit rerum intelligibilium ſpecies: ab illis non corrumpitur, ſed perficitur. Nam rerum imagines percipiendo, fit actu id quod erat δυνάμει.

2. Ipſam non eſſe immixtam corpori, rebúſve corporeis: ſicut ſcilicet eſt ſenſitiua. Ratio, quia omnia percipit, hoc eſt, intelligit. Ἀνάγκη ἄρα ἐπεὶ πάντα νοεῖ, ἀμιγῆ εἶναι. Et ita probat Anaxagoræ ſententiam, qui dixerat, oportere τὸ μόριον τῆς ψυχῆς ἀμιγῆ εἶναι ἵνα κρατῇ: hoc eſt, (vt Ariſtoteles interpretatur) ἵνα γνωρίζῃ. Si enim eſſet corporea hæc animæ pars, aut corpori immixta, non poſſet omnia corporea percipere: cùm percipiens oporteat eſſe vacuum illis rebus, quas percipit. Vnde & tabulæ raſæ, in qua nihil ſit ſcriptum, illum comparat. Ideo concludit, dicendo:

Διὸ οὐδὲ μεμῖχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι.

3. Id confirmat ratione hac; quia ſi intellectus eſſet corpori immixtus, fieret talis, quale eſt corpus, calidus aut frigidus, humidus vel ſiccus. Deinde organo corporeo vteretur, vt inſtrumento ad intelligendum: ſicut viſus oculo ad videndum, & alij aliis: νῦν δ' οὐδέν ἐστι. Horum autem nihil eſt.

4. Confirmat idem alia ratione; quia ſcilicet, ſi eſſet hæc animæ pars corporea, immixtáve corpori, à magno & vehementi & intelligibili corrumperetur; ita vt non poſſet vel ipſa minora minúſq; difficilia intelligibilia percipere; ſicut & ſenſui contingit. Nā ſenſus à vehementi ſenſibili ita afficitur, vt percipere nequeat deinceps alia minora ſenſilia; ſicut patet in ſonitu, & viſu, & odoratu; cùm aut ille maximū percipit ſonū; aut alter in Solē defixus fuit, aut tertius vehementi affectus fuit odore. Noui ego qui in Tuneti expugnatione, nimio & frequenti ſonitu tormentorū bellicorū, factus fuit omnino ſurdus; & qui ſuper niues ambulat, oculis in eas defixis; non poterit ſtatim facilè alios videre colores. Sic etiam intellectus, poſt vehemens & magnum intelligibile, non poſſet minora & inferiora percipere; ſi eſſet immixtus corpori, vt ſenſus. Hoc autem apparet eſſe falſum. Ideo inquit: ἀλλ' ὁ νοῦς, ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητὸν, οὐχ ἧττον νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. Et rationem repetens ſubdit: τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός. Ratio enim cur ſenſus poſt vehemens & magnum ſenſibile, ſentire non poſſit; eſt, quia ſenſus in corpore tantùm eſt, & extra corpus eſſe non poteſt. Ergo quòd mens, poſt magnū intelligibile, minora faciliùs percipiat; ratio fuerit, quia nō eſt admixta corpori; ſed extra corpus ſubſiſtere & operari poteſt. Non poteſt hic locus facilè eludi, quia apertè Ariſtoteles locutus eſt de parte animæ, qua intelligimus: & quæ intellectus τῇ δυνάμει, & poſſibilis appellatur. Portius de mente humana, cap. 18. & 19. conatur eludere, ſed vaniſſima ſūt quæ ſcribit. Ex tribus enim, quæ attribuit menti, res intelligibiles percipienti, nēpe, quod ſit νοῦς ἀμιγὴς, quòd ἀπαθὴς, quòd χωριστός: nos inferimus, eſſe igitur illum immortalē. Portius negat conſequētiā. Ratio eſt, quod aliter interpretatur hæc tria attributa, quàm nos. Sed quæ ſcribit, meræ ſunt nugæ; vt facilè, ſi operæ pretium eſſet, oſtendere poſſem. Certè ratio Ariſtotelis eſt; ideo intellectum hunc omnia intelligere, quia immaterialis eſt, & impaſſibilis, &c.

10. Decimus eſt in cap. 5. Vbi poſt eam animæ facultatem, quæ intelligibilia percipit; aliam quoq; eiuſdem animæ vim, neceſſariam eſſe tradit; quæ efficiat, vt res intelligibiles, actu percipiantur, quam vim ſeu facultatem, νοῦν ποιητικὸν appellat. Oportet enim etiam in anima, ſicut in omni alia natura, eſſe & patiens & agens.

Porrò huic intellectui tria attribuit: quòd ſit χωριστός: quòd ἀμιγής: quòd ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. Quod verò ibi ait, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς, φθαρτὸς, καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ: de intellectu cōmuni toti homini, hoc eſt, de cogitatiua ſeu imaginatiua facultate intellexit, teſte etiam Themiſtio; ſine qua nil in hoc exiſtens corpore intelligit, de Ariſtotelis ſententia. Quia oportet intelligentē phantaſmata ſpeculari. Non poteſt etiā eludi hic locus; quaſi Ariſtoteles nō ſit locutus de anima noſtra; ſed de Deo, aut de alio neſcio quo faciēte intellectu, qui non ſit pars animæ. Apertè enim ſtatuit hūc intellectum in anima, & animæ partem eſſe docet. Imò addit Themiſtius hæc verba: ἡμεῖς μὲν οὖν, nempe Ariſtot. ὁ ποιητικὸς νοῦς. Et ridet eos, qui dixerunt, Ariſtotelem nomine intellectus facientis intellexiſſe Deū. Apertè enim nos eſſe ipſum intellectum facientem; quatenus ſcilicet vi animæ

efficimus, vt res potentia intelligibiles, actu intelligantur. Itaque ex hoc Ariſtotelis loco, & ex ſuperiori in cap. 4. euicimus, totam animam hominis, eſſe immortalem: hoc modo: Si qua pars animæ in homine immortalis eſt, tota immortalis ſit oportet. Eſt enim vna tantum & impartibilis. Eſt autem intellectus poſſibilis & agens, immortalis, &c.

11. Vndecimus eſt in eodem cap. 5. Quatuor de intellectu poſſibili, quo res percipimus, tradit.

Vnum: cùm actu res percipit, cum eſſe idem, id eſt, ſimul cum re percepta. Τὸ αὐτὸ δ' ἐστὶν ἡ κατ' ἐνέργειαν ἐπιστήμη (pro ὁ ἐπιστήμων νοῦς) τῷ πράγματι.

Alterum eſt: eundem, cùm nondum res intelligit actu, ſed ſolùm ad illas eſt in potentia: priorem in eodem homine eſſe rebus ipſis cognitis, ſimpliciter verò non item. In puero enim prior eſt potentia ad intelligendum, quàm res intellecta. Sed reſpectu diuerſorum hominum, vt Præceptoris & diſcipuli: ſæpe res cognita, prior eſt intellectu poſſibili, puta in Præceptore, intellectu diſcipuli. Ideo ait: ἡ δὲ κατὰ δύναμιν, χρόνῳ προτέρα ἐν τῷ ἑνί, ὅλως δὲ οὐδὲ χρόνῳ.

Tertio docet, hunc intellectum, cùm actu eſt intelligens, dici non poſſe, aliquando intelligere, aliquando non intelligere. Semper enim eſſe intelligentem. Ideo ait, ἀλλ' οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ, ὁτὲ δ' οὐ νοεῖ.

Quarto, hunc intellectum, licèt quo ad operationem intelligendi, non poſſit in hoc corpore ſeparari à phantaſia, quæ phantaſmata ſuppeditat intelligenda: tamen quoad ſuam ſubſtantiam, ſeparabilem eſſe à corpore, eóque hunc ſolum eſſe ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. Ideo ait χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί: id eſt, ipſius ſubſtantia: καὶ τοῦτο μόνον ἀΐδιον: καὶ ἀθάνατον. Hinc innuit quæſtionem, cur (poſt mortem ſcilicet) *non recordemur eorum, quæ in hac vita nouerams, in morte autem obliti fuimus.* Et reſpondet: Non. Rationem addit: quoniam licet intellectus, ſubſtantia ſit impaſſibilis, eo que per ipſum non ſtet, quin recordetur omnium: tamen phantaſia, ſine qua hìc nihil mens intelligit, paſſibilis & corruptibilis eſt, eóque etiam phantaſmata, cum illa pereunt. Ideo ait: ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, οὐ μνημονεύομεν δέ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθὲς ἐστι παθητικὸς νοῦς (id eſt, phantaſia) φθαρτὸς καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ. Vbi notandum, Ariſtotelem non adimere ſimpliciter menti noſtræ à corpore ſeparatæ cognitionem: ſed ea tantùm, quæ fit per phantaſiam. Hæc enim non poteſt fieri, niſi per phantaſmata: quæ cum nulla ibi ſint, corrupto iam organo: efficitur, aliam ibi eſſe cognoſcendi rationem, nempe per ſimplicem & apertum intuitum, non autem per phantaſiam.

Cæterum ex hoc loco ſatis aperte colligere poſſumus, Ariſtotelem ſenſiſſe, animam eſſe immortalem. Primo, Quorſum proponit hanc quæſtionem, ſicut & alibi, *An anima poſt mortem recordetur: ſi anima omnino eſt mortalis?* Certè de anima brutorum hoc nunquam propoſuit. Deinde cur non reſpondit, minime recordamur: quia nulla ſupereſt mens, quæ recordetur? Certè ſic erat reſpondendum: ſi ſenſiſſet, animam eſſe morti obnoxiam. Non hoc autem reſpondit: ſed ideo nos non recordari, quia phantaſia corrumpitur: ſine hac autem nulla fieri recordatio poteſt: quippe quæ non ſine phantaſmatibus fit. Interim animæ ſeparatæ corporibus ſuam habet cognitionem, charitatem, vel odium: ſed alterius generis, quàm hic: Cognitio enim illorum eſt, vt Theologi docent, ſimplex viſio.

12. Sed locus inſignis eſt in lib. de generatione animalium 2. cap. 3. *Quæris verum animus ſit in ſemine, & in conceptu, & vnde ſit.* De primo concludit: Animam vegetatiuam & ſenſitiuam, eſſe in ſemine, non actu, ſed δυνάμει. Etſi verò anima νοητική, in ſemine non eſt vllo modo: tamen in fœtu concepto ineſt τῇ δυνάμει. Fœtus enim primò viuit, vt planta; deinde vt animal, demum vt homo. Erat igitur antea τῇ δυνάμει homo. Cæterùm de ſecundo, vnde veniant animæ: an omnes præextiterint, quærit, & poſtea acceſſerint ad corpus, an verò aliquæ generentur ſimul cum corpore: & reſpondet fieri non poſſe, vt omnes præextiterint, & foris veniant. Itaque concludit de vegetatiua & ſenſitiua, eas ingenerari: minimè verò foris venire: hac ratione, quoniam quorum principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt. Verbi cauſſa: ambulare ſine pedibus. Quia enim ambulare, actio eſt corporalis, & quidem talium membrorum, nempe pedum: idcirco vis greſſiua extrinſecus venire non poteſt. Actiones enim vegetatiuæ & ſenſitiuæ animæ, corporales ſunt omnes. Atqui actiones mentis humanæ, corporales non ſunt: Idcirco concludit hanc ſolam, extrinſecus venire: quippe quę diuinum quiddam eſt. Ideo ait λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Ratio: οὐθὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ. Nihil eſt hoc loco clarius. Humanam enim mentem, qua homo eſt homo, (nā de hac ibi apertè loquitur) affirmat & probat ratione, originē habere nō poſſe à corpore, corporeóve ſemine;

ſed illius ortum eſſe diuinum, id eſt à Deo immediatè Hoc enim ſignificat hac phraſi, θύραθεν ἐπεισιέναι, quaſi dicat, à foribus ingredi & accedere. Sic enim alij quoque ante Ariſtotelem Philoſophi celeberrimi docuerunt; Mercurius Triſmegiſtus, Pythagoras, Chaldæi, Plato, eius præceptor. Vnde & Pſellus, ἐκεῖθεν οὖν δεῖ ἀναγκαίως ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν λαβοῦσα, ἐν σωματικοῖς ὀφθεῖσα γέγονεν· ἀλλ' οὖν αὐτὴ δεῖ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει αὐτὸς ἐκεῖνος καὶ ἐπεισφρεῖ. Id quod Cicero vocauit, *decerptos ex mente diuina animos.* Proinde quicunque hæc verba Ariſtotelis interpretantur, aut de mente Dei, aut de intellectu agente, qui non ſit pars animæ, aut de doctrina & intellectione, quæ paulatim extrinſecus aduenit, vt facit Portius; ij ſuam produnt & impietatem, & ignorantiam malitiámque; vt qui volentes & ſcientes deprauant verba Ariſtotelis. Certo enim certius eſt, Ariſtotelem loqui de mente humana, qua homo eſt homo; Inquit Portius nomine τοῦ νοῦ ſignificari non ſubſtantiam mentis, ſed intelligentiam in actu, ſeu ipſam intelligere. Hæc autem intelligentia ſola extrinſecus aduenit, nempe ab obiectis intelligibilibus, cùm videlicet ea intelligit & percipit mens. Sed an non etiam ſenſus, hoc eſt, ſenſationes omnes veniunt extrinſecus, hoc eſt, ab obiectis, quæ foris ſunt, non autem in ſenſu? Quomodo igitur ait, ſolam mentem venire à foribus, & extrinſecus? Eſt igitur merum effugium Portij Nihil enim facit eius interpretatio, cum quæſtione, quam proponit Ariſtoteles eo in loco, de origine animorum, tam quibus animalia ſunt animalia; quam quibus homines ſunt homines. Concluſit igitur Ariſtoteles, mentem venire extrinſecus; quia nouit, eam rem eſſe incorpoream, & a materia potentiæ non pendere, eóque immortalem eſſe.

13 De partibus animalium lib. 1. c. 1. interrogat, an diſſerere de omni anima, naturalis ſit Philoſophiæ, an vero tantum de aliqua vna. Nam ſi dicas de omni; efficietur, vt nulla præter naturalem Philoſophiam relinquatur ſcientia; ὁ γὰρ νοῦς τῶν νοητῶν ἐστί. Quare ſi naturalis, non ſolum ſenſibilia, ſed etiam τὰ νοητὰ tractabit, de rebus omnibus fuerit ipſa φυσικὴ γνῶσις. Proinde librum tertium de anima, vbi tractat de mente humana, id eſt, de intellectu: Interpretes aiunt, medium quiddam eſſe inter Phyſicam & Metaphyſicam. Hic verò apertè Ariſtoteles collocat mentem, ſeu animam noſtram, qua homines ſumus, inter res a materia abſtractas materiæque expertes, ſicut & eius obiecta ſunt τὰ νοητὰ: cum doceat, hanc eſſe alterius generis, quam ſit vegetatiua & ſenſitiua, de quibus propriè naturalis eſt Philoſophi diſſerere: De mente autem propriè ad altiorem Philoſophiam pertinet. Excipit etiam ad hunc locum Portius cap. 14 Sed meræ ſunt nugæ.

14. Denique in Metaphyſ. lib. 12. cap. 7. Græcè lib. 2. cap. 3. diſcrimen præter alia facit, inter incipientem cauſſam & formalem. Efficiens ſemper eſt ante rem effectam, id eſt, ante ſuum effectum naturaliter, & naturâ. ſed forma ſimul eſt cum eo, quod fit. Cùm enim ſanus fit homo: tunc etiam ſanitas eſt, non citius neque poſterius. Et forma æneæ ſphæræ, ſimul atque ænea ſphæra. Vtitur enim his exemplis. Sed quia etiam anima noſtra, forma eſt, & de ſententia Philoſophorum, non ſemper ſimul eſt cum homine, ſed poſt deſtructum hominem manet adhuc anima. Ideo ſubiecit hæc verba: εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον. ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐθὲν κωλύει. Οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον· μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς. Πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως. *Si autem aliquid poſterius permanet* (id eſt, ſi autem aliqua forma, deſtructo ſubiecto, poſterior permaneat & ſubſiſtat) *conſiderandum eſt. In quibuſdam enim nihil prohibet. veluti ſi anima tale quippiam ſit. Non omnis, ſed ὁ νοῦς. Omnem nam que* (ſcilicet animam) *talem eſſe* (id eſt, ſuperſtitem manere, poſt deſtructum ſubiectum) *impoſſibile eſt forſitan.* Vbi notandum, Non quoties Ariſtoteles vtitur particula ἴσως vel ἴσως, *forſitan*, dubitatiuè ea vti illum particula. Certo enim ſciebat, animam vegetatiuam & ſenſitiuam in animali, deſtructo ſubiecto, non ſupereſſe deinceps, & tamen dixit, ἀδύνατον ἴσως. Sed de mente primò proponit quæſtionem, an ſuperſtes maneat. Quorſum autem hæc quæſtio, ſi omnino credebat, vnà cum corpore extingui animam? Deinde reſpondet, nihil prohibere, quin mens noſtra, mortuo corpore, ſuperſtes maneat. Sed ſi anima noſtra, talis naturæ eſt, vt ſuperſtes eſſe non poſſit, quomodo ait, nihil prohibet? An non hoc pugnaret cum eius natura? Inſignis igitur ſit iniuria Ariſtoteli, ab illis eius diſcipulis, qui aiunt, cum omnino ſenſiſſe, animum eſſe mortalem. Falluntur itaque, qui hunc contextum interpretantur aut de intellectu diuino, id eſt, Dei, aut de intellectu agente, qui non ſit pars animæ. Nam apertè loquitur Ariſtoteles de anima, quæ eſt forma hominis, vt liquet. Portius hoc vidit: idcirco aliud excogitauit effugium. Dicit enim Ariſtotelem loqui ex aliorum ſententia: ſed verba ipſa reclamant.

Conclu-

Concludamus igitur ex libris Ariſtotelis, colligi nō poſſe, illum aliter de animorum immortalitate ſenſiſſe, quàm reliqui ante illum ſenſerunt Philoſophi ſed contrarium potius poſſe demonſtrari. Duabus de cauſſis volui hæc Ariſtotelis loca in medium proferre: quarum vna eſt, vt habeant pij Lectores, quod reſpondeant aduerſus eos, qui dum contendunt, animam ex Ariſtotelis ſententia eſſe mortalem: hoc vnum habent propoſitum, vt ſcilicet perſuadeant, cum corpore, animam etiam extingui.

Altera fuit, vt non ſolùm quid ſenſerit Ariſtoteles, oſtēderem, eúmque à communi omnium Philoſophorum ea de re iudicio non receſſiſſe: verùm etiam rationes, quibus hanc eandem ſententiam confirmat, explicarem. Diximus de Ariſtotele.

Vſque adeo verò reliqui etiam omnes Peripatetici perſuaſum habuerunt, nō totum quod eſt in homine, interire, vt omnes quoque faſſi ſint, partem aliquam in homine eſſe immortalem. Sed quænam hæc ſit: diuerſæ fuerunt ſententiæ: aliis contendentibus eſſe intellectum agentem, qui vnicus ſit in omnibus vel numero, vt Auerroës, vel ſpecie, vt alij: aliis dicentibus hunc eſſe neſcio quem intellectum in actu, aliis docentibus, non totam animam, ſed partem rationalem, eſſe immortalem: aliis verò demonſtrantibus eſſe totam animam; quia vnica eſt, eáque indiuiſibilis. Ita ſectam quoque Peripateticam conſenſiſſe cum aliis in ſententia de animorum immortalitate, manifeſtum eſt. Atque hæc de Græcis Philoſophorum ſectis ſatis ſuperque.

Quid de Latinis? Vnus *Cicero* pro omnibus ſatisfaciat. Neq; enim ipſe ſcriptū reliquit de anima: niſi quod reliqui etiam inter Latinos eruditi viri, de animorum immortalitate ſentiebant. Quæ verò fuerit Ciceronis ſententia, liquidò apparet, cum ex aliis multis locis: tum maximè ex Tuſc. 1. ex libro de Senectute ad finē: & ex Somnio Scipionis. Argumenta Ciceronis non refero, quia quiſque videre illa poteſt: cum in omnium ſit manibus. Collegit autem ea ex Platone & Ariſtotele. Seneca multis in libris eandē tutatus eſt ſententiam: ad Gallionem, ad Lucillum: in Quæſtionibus naturalibus: in libro de Conſolatione: variiſque aliis in locis. Denique Latini omnes idem ſenſerunt.

Quid de Turcis, Tartaris, Moſchis, Indis, Perſis, aliiſque omnibus nunc temporis barbaris nationibus dicam? Nemo tam barbarus, aut impius eſt, qui non ſentiat, poſt mortem ſupereſſe loca, in quibus animæ aut pro malefactis puniantur, aut coronentur, deliciiſque perfruantur pro benefactis. Ita ſatis demonſtratum eſſe credo: hanc à condito orbe fuiſſe & eſſe omnium gentium ac populorum conſenſionem: humanas mentes, hoc eſt, animas noſtras, extincto corpore, non extingui, ſed ſuperſtites manere. Quanta verò ſit temeritas & audacia, quantáque in Deum impietas, cōmuni omnium gentium conſenſui, ei præſertim, qui conſentaneus eſt cum verbo Dei, ſeſe ſuperbè opponere: manifeſtum eſt ex fundamento priùs iacto, quo demonſtrauimus, non tam ex Cicerone, quàm è S. Literis, omni in re, conſenſionem omnium populorum: pro lege naturæ habendam eſſe. Hoc vnicum ſolum argumentum, ſatis eſſe debere cuique viro bono, mihi omnino videtur. Quare qui negant animorum immortalitatem: ij non homines, ſed beſtiæ vel peſſimi homines ſunt.

V. Demonſtrauimus, à communi omnium iam inde à condito orbe gentium ac populorum, præſertim bonorum & literatorum conſenſione: animam humanam, incorruptibilem & immortalem eſſe: eóque corrupto corpore, ipſam manere ſuperſtitem, vt in ſempiternum aut pro benefactis à Deo coronetur, aut pro malefactis puniatur; atque hoc aduerſus profanos homines. Optimus enim quiſque mente ac ſenſu, in hanc venit ſententiam Omnes enim exhorrent animæ extinctionem. Reſtat vt idem confirmemus aduerſus eoſdem rationibus Phyſicis. Ergo hoc etiam perficiamus, neceſſe eſt.

1. Prima eáque certa atque perſpicua ratio ducitur à prouidentia & iuſtitia Dei, de qua & antè ex Platone & aliis, Deus rerum omnium, atque imprimis hominum gerit curam, & iuſtiſſimus eſt. Ergo & bonos amat, próque benefactis illos præmiis afficit: & malos odit, eóſque pro malefactis punit: idque aut in hoc mundo, dum viuunt; aut alibi poſt mortem. At in hoc Mundo non id ſemper fieri manifeſtum eſt. Nam boni, ferè premuntur à malis impunè; ita vt hominum vita nil aliud videatur eſſe, quàm latrocinium: eóque nulla Deo cura eſſe de nobis. Sunt hæc manifeſtiſſima. Ergo ſi Deus curam gerit omnium, & iuſtus eſt: alibi poſt hanc vitam, & de improbis debitas pœnas ſumat neceſſe eſt; & bonis promiſſa reddat præmia. Quomodo verò hoc fieri poteſt; ſi vnà cum corporibus animæ etiam extinguantur?

2. Confirmat hoc ipſa etiam religio: quia nulla gens nullàve quantūuis barbara natio carere vult aut poteſt, cū ad eam naturaliter feramur omnes. Quorſum autem colimus Deum, ſi perinde atque beſtiæ, mortales habeamus animos: & veris Dei cultoribus, nihil poſt hanc vitam eſt melius, quàm impiis, Deique contemptoribus? Pietatem enim in hoc mundo remunerari non ſemper videmus: ſed omnia potius eſſe permixta atque confuſa. Certè niſi animæ ſint immortales, nil aliud fuerit religio, quàm vana & ſtulta perſuaſio, & nulla erit Dei prouidentia. Proinde hoc diligenter retinendum eſt, tria hæc, prouidentiam Dei, religionem, & animorum immortalitatem, ita eſſe coniuncta, vt diuidi ac diſſociari à ſe inuicem non poſſint. Cùm itaque ad religionem ferantur omnes homines naturaliter: quæ autem à natura ſunt, vana non ſint: vana verò omnino ſit religio, ſi animæ cū corpore extinguantur: efficitur neceſſario animas corporibus extinctis, ſuperſtites manere. Pertinet huc illud, quod ſcriptura ſæpe citat, ex impiorum hominum perſona: *Edamus & bibamus, Cras enim moriemur.* Docet enim, ſi animæ non ſint immortales: non eſſe, cur debeamus eſſe ſoliciti de Deo colendo, ſcientiis acquirendis, deque virtutibus perſequendis, ſed tantùm de hac vita ſuſtentanda. Quare? *Quia cras moriemur* nempe & anima & corpore: Perit ergo religio & ſtudium virtutum, ſi animæ pereant cum corporibus.

3. Cum his duobus, coniungo tertium argumentum à ſapientia Dei ductum. Sapientiæ Dei non conuenit, vt idem ſit exitus & finis creati hominis, & beſtiarum. Sunt enim hæ, propter hominem, & naturæ ſunt diuerſiſſimæ. Foret autem idem omnium exitus, ſi tam hominum, quàm beſtiarum animæ, extincto corpore, extinguerentur. Quid enim haberet amplius homo, quàm beſtiæ? Egregiam verò Dei imaginem, quæ non aliter, quàm beſtiæ, creata ſit ad præſentem duntaxat hanc vitam tranſigendam. Sapientia igitur Dei poſtulat, vt perſuaſum habeamus, aliam eſſe vitam quæ homini ſuperſit, præter hanc, & poſt hanc. Nam vt alius eſt ortus & progreſſus animorum noſtrorum & beſtiarum: ſic etiam alicuius ſit exitus oportet. Illorum animæ, à parentibus ingenerantur: progrediuntur autem edendo, bibendo, dormiendo, & alia id genus animalis vitæ officia faciendo, & nihil præterea. Animæ verò humanæ, diuerſum habent ortum: quia à Deo creantur: diuerſum etiam habent progreſſum: quia tum in ſcientiis, tum in virtutibus, tum in cultu Dei occupantur. Diuerſus igitur etiam ſit exitus neceſſe eſt. Quare non extinguuntur cum corporibus, ſicut brutorum animæ. Conuenit enim hoc diuinæ ſapientiæ, vt tale fecerit diſcrimen inter brutorum animalium, & hominum animas. Confirmatur hæc ratio; quia ſi idem eſſet exitus hominis & beſtiarum, foret homo omnium animalium natura ſua infeliciſſimus. Nam homo, ab ipſa infantia, ad vltimam vſque ſenectam, miſerabiliorem vitam agit, quàm bruta animalia: cùm & corpore ſit imbecilliore, & pluribus morbis magis obnoxius, & pluribus externis rebus egeat, ad vitam traducendam, quàm illa; & præterea animi moleſtiis, curis, ſolicitudinibúſque variis, miſerè crucietur, quibus certè carent beſtiæ. Quid verò, ſi accedat etiam hoc malum, vt perinde extinguatur cum corpore hominis ſpiritus, atque etiam beſtiarum animæ; annon omnium foret infeliciſſimus homo? Adde & alium infelicitatis gradum. Non ſolùm enim moreretur totus, ſicut & bruta; ſed etiam ſciret, ſe hoc modo moriturum, id quod ignorant beſtiæ. An non verò maior eſt infelicitas eius, qui mortem miſeriámque ſuam quotidie habet ante oculos; quàm qui de improuiſo tollitur è medio? At, inquies; Nónne lege naturæ nouimus, nobis eſſe moriendum, id quod beſtias latet? Verum; ſed hoc habemus ſolatij, quod nouimus extinctis corporibus, ſupereſſe animos, qui maiore ſunt fruituri luce, quàm ſit hæc præſentis vitæ. Quia igitur fieri nequit, vt homo, qui ad imaginem Dei creatus, Dei etiam cultu propiùs accedit ad Deum beatitudinis autorem, omnino ſit omnium infeliciſſimus, ſolùm autem poſt mortem, beatior eſſe aliis mortalibus poteſt; neceſſarium eſſe omnino videtur, vt animis noſtris, ex hac vita decedentibus, alia ſuperſit lux & vita, felicior iſtâ. Pugnat itaque cum diuina ſapientia, quæ omnia condidit ſapientiſſimè, vt idem ſit exitus hominis, qui & belluarum; nec ad aliam vitam, quàm ad præſentem, ſicut beſtiæ, creatus ſit. Quorſum enim totus mundus propter hominem; ſi is perit perinde atque reliqua?

Nunc argumenta proferam alia, & præſertim quæ ab ipſa humana mente eiúſque natura, potentiis, origine, operibus deducuntur.

4. Quartum igitur argumentum hoc eſto, ex prima quæſtione, quam de anima tractauimus, collectum.

Anima nihil eſt eorum, quæ corrumpuntur & pereunt. Non enim eſt accidens, ſed ſubſtantia. Non eſt corpus ex materia & forma compoſitum, ſed ſubſtantia ſimplex. Neque eſt materia, ſed forma. Neque eſt forma materialis, educta è materiæ potentia, materiæque & corpori immerſa atque affixa, vt ſunt animæ brutorum: ſed forma eſt ſpiritualis: & omnino immaterialis. Totum hoc abundè demonſtratum eſt in prima Quæſtione. Quicquid autem corrumpitur & perit: aut eſt accidens, aut corpus, aut materia, aut forma materialis. Cum igitur anima humana nihil ſit horum: efficitur eam corruptioni & morti minime obnoxiam eſſe.

Eſſe verò mentem humanam immaterialem & ἀμιγῆ, hoc eſt, corpori minimè mixtam: etiam Ariſtoteles dixit & probauit in 3. de Anima, cum de illa animæ parte, qua intelligimus, dixit illam ideo eſſe ἀμιγῆ, quoniam omnia intelligit & percipit, naturalia etiam & corporalia. Oportet enim recipientem, ab iis quæ recipit, eorúmque natura eſſe denudatum & vacuum.

5. In ſecunda Quæſtione de partibus animæ θρεπτικῇ, αἰσθητικῇ, & νοητικῇ, deque ſingularũ partium & viribus & proprietatibus diſſeruimus. Præter alias autem differẽtias, quę ſunt inter αἰσθητικὴν & νοητικὴν, hęc etiam vna eſt, quod ſenſus à vehementi ſenſibili corrumpitur. Intellectus autem à vehementi intelligibili minimè, ſed magis perficitur, vt ſuprà ex Ariſtotele explicatum eſt. Hinc autem Ariſtoteles euicit, intellectum eſſe ἀπαθῆ & immortalem. Quinta igitur ratio, qua cõfirmatur, humanam mentem eſſe incorruptibilem & immortalem, eſt, quia à vehementi intelligibili non corrumpitur, ſicut ſenſus à vehementi ſenſibili. Eſt enim id argumento, eam non eſſe affixam organis, neque per ea illam operari. Si autem ſit operatio propria mentis ſine corpore, eam ſeparari poſſe, docuit Ariſtoteles.

6. Aliud etiam argumentũ ex hac quæſtione colligimus, vbi differentiæ inter ſenſum & mentem explicatæ ſunt.

Sextum igitur argumentum inde deducitur: Quod Deus menti humanæ facultatem indidit naturalem, qua omniũ intelligibilium ſit capax: atque hoc eſt proprium intellectus. Dedit inſuper naturale deſiderium, quo ſcire cupit omnia, atque inprimis Deum perfectè cognoſcere. Hinc illa vulgata Ariſtotelis propoſitio, *Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.* Deus autem & natura, nihil agunt fruſtra: ac proinde neque talis facultas omnia cognoſcendi, neque tale deſiderium, datum eſt homini fruſtra. Fruſtra autem vtrumque eſſet homini traditum: ſi nunquam fieret ſui voti compos. Non fit autem in hac vita compos: vt manifeſtum eſt, & à Philoſophis etiam conceſſum. Infinities enim plura ſunt quæ neſcimus, quàm quæ ſcimus. Vnde & Ariſtoteles dixit: *Sicut ſe habet oculus noctuæ ad lumen Solis: ſic mens noſtra ad Deum intelligendum & cognoſcendum.* Ideo vel nulla, vel admodum exigua homini contingit ſapientia in hoc mundo. Vnde & Apoſtolus: *Nunc nouimus ex parte.*

Aliud igitur ſeculum ſit, & vita alia, in qua id aſſequantur homines: illi inquam qui Deum amant & quærunt, neceſſe eſt: alioqui fruſtraneum & vanum eſſet hoc, quo pij præſertim afficiuntur, videndi Dei deſiderio: ſic etiam fruſtra fuiſſent oculi animantibus dati, deſideriúmque videndi, ſi perpetuò illis viuendum eſſet in tenebris. Quia igitur nihil Deus fecit fruſtra: Nos verò, mente in hoc carcere corporis poſita, & tenebris oppreſſa, fulgorem diuinæ ſapientię percipere non poſſumus, niſi quatenus & noctuę oculus ſolis ſplendorem: efficitur neceſſariò, vt extincto corpore, ſuperſtes adhuc maneat anima, quę in alia luce Deum perfectè cognoſcat. Atque hoc fuit Socratis in carcere, ad diſcipulos ſuos, vnum ex pręcipuis argumentis, quibus animæ immortalitatem probauit. Ita ceſſat querela Theophraſti, qui accuſabat naturam (id eſt, Deum) quòd longiſſimam multis animantibus vitam conceſſiſſet, quorum nihil intereſſet viuere, homini autem breuiſſimam, cui valdè expediret, longam vitam degere, aſſequendæ ſapientiæ, quæ ſummum eſt eius bonum, cauſa: Nunc verò cum incipimus ſapere, morimur: Ceſſat inquam hæc querela: quia licèt in hac vita, aſſequi illam non poſſimus, licèt perſequamur: tamen alia vitaupereſt poſt mortem, in qua abundè, largiſſiméque donabimur lumine diuino, quo ſummam ſapientiam poſſimus conſequi. Satis longam accepimus ætatem, vt hic quantum neceſſe eſt, Deum cognoſcamus. In altero æuo, copia & ſatietas ſapientiæ nobis continget: quam, etiamſi ad quingentos & mille annos propagaretur hæc nobis vita, aſſequi tamen non poſſemus.

7. Ab alio etiam diſcrimine inter affectus mentis & ſenſuum corporis, manifeſtè colligitur, contra naturam mentis eſſe, vt moriatur ipſa: ſi cogites, mentem tuam, extincto corpore, penitus extingui, vt nihil deinceps vel boni ſentiat, vel mali patiatur: tum mens [illegible] & exhorreſcet. Quid ita? Quia cont[illegible] eſt, mentem extingui. Si verò de morte tantum corporis cogitatur, nõ ita fiet. Etſi enim ſenſus reformidant: Mens tamen non item. Videmus enim permultos, lætis animis mortem oppetiiſſe, vt Martyres, Apoſtoli; & vero etiam multi gentiles, qui maluerunt mori, quàm vel patriam prodere, vel fidem datam violare, vel aliquid aliud turpe, quod [illegible] animæ naturam [illegible]rere poſſit, admittere. Quid hoc ſibi vult [illegible] quod anima ſentit, corporis mortem ſibi non eſſe fraudi, & ad ſe non pertinere? Tunc enim mens ſponte eligit mori: quod certè non faceret, ſi ſciret extincto corpore, ſe quoque ſimul extinctum iri. Sóli ſenſus, tam interni, vt phantaſia, quàm externi, commemoratione & apprehenſione mortis corporis, perturbantur. Quid ita? quia ad corpus tantùm, ſenſuſque corporeos hæc pertinet. Contra verò, ſi cogites de extinctione animæ, modò longam vitam promittas corpori: ſenſus vel nihil vel parum curabũt. Quid ſibi hoc? Quia illius tandem extinctionem, quæ non fiat, niſi extincto corpore, ſentiunt nihil ad ſe pertinere: imo hoc vellent homines improbi: cùm contra boni ferre non poſſint, vt etiam id cogitent. Si quis hæc penitus conſideret & perpendat, in ſe ipſum deſcendens, ſentiet ſe rem ita habere: ſed firmo argumentum. Si anima ſimul cum corporis extinctione, extingueretur. Primum nunquam mortem hanc corporis eligeret, præferrétque aut ſaluti patriæ, aut ſuo honori, aut vlli alij extra ſe rei. Omnia enim naturaliter ſui appetunt conſeruationem, & propter hanc nihil non agunt. Deinde etiam vel ſola mortis cogitatione ſupra modum turbaretur, vt ferre non poſſet. Quæcunque enim ſaluti repugnant, triſtitia afficiunt.

Atqui contrarium videmus in multis, hoc eſt, illis, qui vel propter Chriſtum nullius ſibi ſceleris conſcij ſunt, ſanique ſunt mente, vt Martyres, Apoſtoli: vel qui humano etiam iudicio, ſentiunt præferendam eſſe ſempiternam famam, ſalutémque patriæ, præſenti ſui corporis vitæ. Ergo, &c.

Cogit etiam anima corpus vél frigere, vel inediam aut lõgam vigiliam pati potiùs, quàm vt ipſa velit inchoatum aliquod honeſtum opus, veluti eſt ſtudium literarum, deſerere atque intermittere. Ergo non eſt ipſa corporea, neque cum corpore interit.

8. In tertia Quæſtione de vnitate animæ, in vnoquoque homine. Hinc ergo ſic argumentor: Si aliqua pars animæ, immortalis eſt: tota immortalis ſit oportet. Eſt enim vna duntaxat anima cuiuſque hominis, eáque indiuiſibilis. Eſt autem de ſententia etiam Ariſtotelis intellectus faciens in homine immortalis, vt apertè tradit in 3. de anima, cap. 5. Idémque pars eſt animæ, vt antè docuimus. Imo intellectus etiam poſſibilis ſeu potentia, immortalis eſt [illegible] eſſentia: vt idem Ariſtoteles docet lib. 3. c. 4. Tota igitur anima immortalis eſt. Proinde licet dicamus ſenſus extingui cum corpore & corrumpi: non de animæ ipſius ſubſtantia intelligendum eſt, ſed tantùm de viribus corpori communicatis, deque earum actionibus.

Quarta quæſtio fuit de origine animæ, eam ſcilicet non propagari à parentibus per generationem ſeméne vllam, vel corporale, vel ſpirituale: ſed immediatè à Deo creari.

9. Ex hac cõcluſione initum in modu confirmatur animæ immortalitas. Quicquid ſubſtantiæ à ſolo Deo immediatè eſt: in illud nulla res creata ius aut vim vllam habet, perdere vt poſſit, eóque æternum eſt. Etiam Portius c 7 pag 40. ſcribit, opus Dei, quod ab ipſo ſine medio proficiſcitur, æternum eſſe: & hanc ob cauſſam Ariſtotelem dixiſſe 1. Cœli, *Æternitatem effectum eſſe Dei.* Vnuſquiſque enim & non alius iam habet in eam rem, quo ab ipſo eſt, & ipſius eſt propria Anima à ſolo Deo eſt ſine medio: vt in quæſtione demonſtratum eſt, de origine animæ, multis rationibus. In eam igitur nulla res ius habet & poteſtatẽ, vt perdere poſſit, niſi Deus. Quare immortalis eſt. Hæc concluſio conſentanea eſt dicto illi, quod Chriſtus pronuntiauit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Quænam huius rei cauſa eſt? Quia cùm corpora ſint ab hominibus per generationem: in ea etiam habent poteſtatem. At animæ non ſunt ab hominibus, ſed à ſolo Deo. Solus igitur Deus ius habet in illas, perdendi & ſeruandi. Hoc eſt, quod vulgò dicitur, & omnibus etiam probatur: *in animas & conſcientias noſtras, nec parentes, nec principes, nec vllum hominem habere poteſtatem, ſed ſolum Deum.* Quid ita? Quia à ſolo Deo eſt: non ab hominibus anima. Et contrà, eodem dicto Chriſti; *Nolite, &c.* confirmari poteſt, originem animæ à ſolo Deo eſſe. Nam ſi animas noſtras nemo hominum occidere poteſt, ſed ſolus Deus: Eius igitur ortus nõ eſt ab hominibus, ſed à ſolo Deo. Quod & Salomon Eccleſiaſtæ 12.

con-

confirmat, dicendo: *ſpiritum redire ad eum qui dedit illum.* Si enim dicas, dedit, ſed per parentes, in propagatione & generatione: excipiam, dedit corpus per parentes: ita nullum faceret ibi diſcrimen Salomon, inter exitum animæ & corporis. Facit autem. Dici igitur aliter non poteſt, quàm ideo animam non corrumpi, ſicut corpus, redire que ad Deum, ſicut etiam corpus in terram: quia à ſolo Deo eſt anima, & is ſolus eam dedit ſine parentum opera & medio: id quod de corpore dici non poteſt. Hæc cauſſa eſt, cur homo ſoli debeat animam, cùm corpus & bona externa debeat etiam cum parentibus, cum ſuis principibus & benefactoribus. Proinde meritò ſolum Deum, ex doctrina Chriſti, parentem omnium hominum dicimus. Quid ita? Quia præcipuæ hominis partis, nempe animæ, procreator eſt ipſe ſolus. Vnde & *Pater ſpirituum ſolus* appellatur. Hebr. 12. verſ 9. Notandus eſt ille locus pro origine animorum. Apertè enim corporum noſtrorum auctores facit, patréſque vocat, noſtros parentes: quanquam horum etiam corporum primarius auctor eſt Deus: ſed animorum ſolum Deum, Patrem appellat: dicendo, *Deinde corporum noſtrorum patres habuimus caſtigatores, & eos veriti ſumus.* An non multò magis ſubiiciemur Patri ſpirituum, & viuemus? Cur Deum vocat Patrem ſpirituum noſtrorum, id eſt, animorum? An non etiam Pater eſt corporum? Omnino. Sed per homines parentes, Dei inſtrumenta. Ideo non vocat hîc illum *Patrem corporum.* Ergo cùm vocat eundem *Patrem ſpirituum*: luculenter docet, animas à ſolo Deo eſſe immediatè. Si vero ita eſt, nullum igitur ius & poteſtatem in animam habent parentes, aut vllus homo, vlláve creatura, ſed ſolus Deus. Quare nemo hominum nulláve creatura poteſt occidere animam, vt Chriſtus docuit. Ratio hæc Phyſica eſt: quanquam auctoritatibus ſcripturarum confirmata. Ideo etiam valet aduerſus profanos Philoſophaſtros.

Sed excipies fortaſſe, te dare, animam à nulla re creata occidi, extinguíve poſſe, ſed ab eo ſolo, qui eam creauit: verum inde non conſequi, non igitur illam extingui. Quid enim ſi id faciat & velit Deus?

Reſp. Sed hoc non eſt aut verum, aut vero ſimile. Non verum, quia ſcriptura contrarium docet. Non vero ſimile, quia pugnat cum Dei ſapientia, Deum voluiſſe & velle per ſeſe creare ſingulorum animas: quas tamen etiam velit vnà cum corporibus extingui. Quorſum enim hoc? Cur non efficit, vt ſimul etiam cum corporibus, à parentibus, propagentur animi: ſi vnà etiam cum corporibus extingui vult? Probabilius eſt, voluiſſe & primam animam ſuo flatu & reliquas in vteris maternis ſuo Spiritu per ſeſe procreare, & non ſicut corpora à parentibus generari: vt ſignificaret, ſicut diuerſi ſunt ortus corporum & animorum; ſic etiam diuerſos eſſe vtrorumque exitus. Corpora enim redire in terram, vnde ſunt; animos autem ad Deum, à quo ſunt: ſicut & Salomon docet Eccleſiaſtæ 12. Imò neceſſariò à iuſtitia Dei euincitur, vt ſupra oſtenſum eſt, Deum voluiſſe ac velle, animas eſſe immortales: vt ſcilicet & piorum, æternis præmiis, & impiorum, ſempiternis ſuppliciis propterea ſcelera in ſempiternum Deum admiſſa, afficiantur. Itaque ex eo quòd animæ noſtræ originem habent à ſolo Deo: manifeſtiſſimum fit, eas omnino immortales eſſe. Hoc vnicum argumentum ab origine animæ ductum, diligenter eſt retinendum.

10. Argumentum ex quæſtione quinta colligitur, quæ fuit de vnitione animæ cum corpore, ibi præter alia cóclusimus, Animam vniri corpori, vt formam, eámq; indiuiduã, & à corpore minimè pendentem, aut etiam contentam, ſed corpus potiùs ſuſtentantem: ipſam verò per ſeſe ſubſiſtentem, & vnitam fuiſſe immediatè, vniríque à Deo. Quod autem tale eſt, incorruptibile & immortale eſt, eóque ſemper eſt. Anima igitur ſemper manet, & nunquam eſſe deſinit. Ratio: Nam quod eſſe deſinit, tribus de cauſis deſinit. Ideò enim deſinit, quia aut in partes diſſoluitur. Sic domus, deſinit eſſe domus, cùm in partes diſſoluitur. Sic omne conſtans ex partibus, in quas diuidi poſſit. At quod indiuiduũ eſt, & ſimplex: vt anima, in partes diſſolui non poteſt. Aut ideo deſinit eſſe: quia à ſua forma, per quam habet Eſſe, derelinquitur. Sicut homo deſinit eſſe homo, cũ corpus à ſua forma, hoc eſt, ab anima deſeritur. At quod per aliam formã eſſe non habet, ſed per ſe forma eſt ſimplex, pérq; ſe ſubſiſtit, ſicut anima humana: deſeri à forma non poteſt, eóque non deſinit eſſe. Aut deniq; quod deſinit eſſe, ideo deſinit: quia non ſuſtinetur ampliùs à fundamento, cui innitebatur. Sic accidentia deſtructo ſubiecto, cui innitebantur, deſinunt eſſe. Sicut etiam animæ brutorum, quæ corpus habẽt quodam modo tanquam ſui fundamentum, cùm formæ ſint materiales: extincto corpore extinguuntur. At humana anima, cùm non ſit forma materialis, neq; à corpore pendeat, corpori etiam tanquam fundamento nõ innititur, ſed contrà potiùs, corpus animæ, à qua ſuſtentatur. Ex eo igitur, quòd anima vt talis forma, qualem deſcripſimus, vnita eſt corpori: colligere promtum eſt, eam ſemper deſtructo etiã corpore, ſuperſtitem manere. Ac ſimile, quo declarauimus modum, quo anima vnita eſt corpori, nempe ſicut lux aeri: facilè id confirmat. Neque enim corrupto aere, corrumpi lux poteſt: & ab illo ſeparata, non perit.

11. Ex alia eiuſdem Quæſtionis Theſi hauritur. Præter alias cauſſas finales, cur Deus voluerit animam talem, vniri corpori, hanc etiam retulimus: quòd ſcilicet ad perfectionem vniuerſi hoc pertinebat. Primò enim creauerat Deus ſubſtantias merè ſpirituales, & ab omni materia abſtractas. Hi ſunt angeli. Secundo loco ſubſtantias merè corporales & materiales, vt Elementa, Elementata, omniáque animalia. Reſtabat tertium genus ſubſtantiarum, quod ſcilicet conſtaret ex vtroque. Hic eſt homo, qui corpore quidem affinitatem habet cum rebus omnibus corporeis: anima autem cum Angelis. Vt igitur corpore mortalis & corruptibilis eſt homo, ſicut etiam reliqua corporata, ſic anima immortalis eſt, ſicut & Angeli.

Platonicorum etiam hoc eſt argumentum, atque illud ductum ab ordine ſpirituum congruente ſapientiæ Dei. Eſt enim hæc perfectiſſima ſpirituum partitio, nempe, ſpiritus quidam extra corpus ſunt, & perpetui vt Angeli. Alij contrà intra corpus ſunt & mortales; vt animæ brutorum. Quidam igitur medij ſint oportet, qui ſcilicet aut extra corpus ſint & mortales: ſed ij non reperiuntur, neque decebat eſſe: aut intra corpus ſint, & immortales, & hi ſunt humani ſpiritus, ſeu animi noſtri. Quòd ſi immortales in corpore ſunt; igitur etiam ſeparati à corpore eſſe nõ deſinunt. Argumentum hoc attulit etiam Iohannes Grammaticus, ſed Portius ridet. Ait enim, dari quidem formas à materia penitus abſtractas, vt ſunt Angeli: & formas materiæ penitus concretas, vt ſunt animæ brutorum: ſed negat dari poſſe formas, quæ interdum ſint ſeparatæ à materia, & interdum materiæ concretæ. Quid ita? Quia (inquit) *nulla eſt natura media inter concretam & abſtractam.* Verùm nos non dicimus animam propriè, materiæ eſſe concretam. Ratio eſt, quoniam materiæ non ita eſt mixta, vt ab ea ſeparari nequeat, ſicut animæ brutorum: ſed in materia eſt corporea, non vt ei inhærens, ſed vt eam ſuſtentans: alioqui neget mihi neceſſe eſt diuinam τοῦ λόγου naturã, hypoſtaticῶς vnitam eſſe corpori, animæque humanæ. An non hanc mediã naturam videmus in Chriſto? Sed, inquiet, vt Philoſophus loquor. Quaſi verò Philoſophi non ſit tueri veritatem à quocunque dicatur. Meliores ergo in hac parte Philoſophi fuerunt Platonici. Imò Ariſtoteles ipſe docuit in homine eſſe aliquid diuinum cum corpore coniunctum, illúdque ἀμιγὲς, ἀπαθὲς, ἀΐδιον, ἀθάνατον. Quid igitur garrit Portius malus Philoſophus in hac parte, & peſſimus Chriſtianus? Meliùs Anaxagoras. Huius hæc fuit partitio rerum omniũ, quatuor conſtans membris. 1. Quædam res, eſt æternitas immortalis, hæc eſt Deus: qui per ſe verè & omni ex parte æternus, per ſe etiam immortalis eſt: quia non poteſt non eſſe. 2. Quædam res, eſt tempus immortale. Hæc eſt cœlum: quod in tempore factum nunquam deſinit. Ideo æternum eſt. 3. Quædam res, ſunt æternitas mortalis. Hanc dicebat eſſe hominem, qui animo æternus ſit, hoc eſt, nunquam moriturus: corpore autem mortalis. Sic Chaldæi dicebant, homines eſſe in confinio æternitatis & temporis. 4. Quædam res, tempus mortale: vt animalia reliquáq; omnia, quæ in tempore facta, interitura etiam ſunt. Quare non tam Chriſtiana, quàm etiam Philoſophica eſt partitio antè à nobis poſita, de ſpiritibus à materia abſtractis & immortalibus: aliis in materia poſitis & mortalibus: aliis verò qui in materia poſiti, immortales tamen ſint: ac proinde, qui modò in materia ſint, modò extra materiam ſubſiſtant. Atque hæc ex Quæſtione quinta.

Venio iam ad ſextam, in qua plurima ſunt argumenta. Ea enim fuit de actionibus animæ, mentíſque humanæ. Sunt autem duo potiſſimùm actionum mentis humanæ genera: quædam ſunt intellectûs, aliæ voluntatis. Dicamus de vtriſque. Sunt autem hæc argumenta verè Phyſica: quia certa regula eſt Philoſophorum: *Vnaquæque res, ſicut ſe habet ad operari: ſic ſe habet ad Eſſe.* Et nos oſtendimus, ab ἐνεργείας, cognoſci δυνάμεις: à δυνάμει, τὴν οὐσίαν.

12. Igitur argumentum eſt, à rebus, quas intellectus noſter intelligit ac percipit. Mens noſtra percipit non ſolũ res corporatas, temporales, quantas & corruptibiles: ſed etiam res immateriales, incorporeas, æternas, incorruptibiles, & quantitatis expertes, vt angelos, Deũ ipſum. Sunt hæc manifeſta etiã Philoſophis. Ergo ipſa quoq; incorporea, immaterialis, quantitatis expers, particeps æternitatis, incorru-

ptibilis & immortalis eſt. Sequelam hanc ſic probamus.

1. Cum cognitio nil aliud ſit, quàm rerum cognitarum imago, in animo cognoſcente expreſſa atque percepta, fieri nequit, vt animus noſter aliquid cognoſcat ſpirituale, immateriale, incorruptibile, niſi & ipſe ſpiritualis ſit, immaterialis, & incorruptibilis. Eſt enim neceſſe, vt ſpeculum, in quo alicuius rei imago relucet, proportionem habeat aliquam cum ea re. Alioqui exprimi in eo imago rei non poterit. Exemplis declaro. Qui fit, quod in ſpeculo corporeo rerum tantùm corporalium imagines reſplendent, non autem ſpiritualium? Neque enim imago animi tui, in tali ſpeculo recipi poterit, ſicut tui corporis & faciei. Quid ita? Quia proportio nulla eſt aut ſimilitudo animi immaterialis, cum ſpeculo corporali. Qui fit etiam, quòd oculus percipit ſpecies corporum, naturas autem & virtutes illorum non percipit? Quia oculus corporeus tantùm eſt, ideo corporalia percipit, non autem ſpiritualia. Profectò ſi oculus percipere poſſet res ſpirituales & immateriales, eum quoq; eſſe ſpiritualem & immaterialem euinceret. Idem de aliis externis ſenſibus dico. Percipiunt tantùm corporea: quia & ipſi corporei ſunt: & qui quantitate præditi ſunt, percipiunt quanta: expertia autem quantitatis nequaquam. Ingredere penitus in animam tuam: Idem videbis in ſenſibus internis. Percipiunt illi ſpecies rerum corporearum: à ſenſibus exterioribus ad ipſos perlatas: quia & ipſi interni ſenſus, corporei ſunt, & ſine organo corporeo nil percipiunt. Hinc apparet, quid cauſſæ ſit, cur interni ſenſus, non percipiant res mere ſpirituales, vt Angelos & Deum: nimirum quia eiuſdem non ſunt naturæ, cuius Angeli & Deus, neque vllam cum eis habent ſimilitudinem. Cùm igitur mens illa ſit vnica in homine, quæ has ſpirituales ſubſtantias percipiat, cognoſcat: an non ſatis apertè docet ſua hac operatione, ſe non eſſe corpoream, materialem, quantam, corruptibilem? Vide etiam diſcrimen in ipſa mente. Qui fit, quòd ſi cogites de illa æternitate, quæ ante mundum immenſa duratione præceſſit, eam nullo modo potes cogitatione comprehendere, ſed mens obruitur illa immenſitate? Quia ab ea parte, æterna non eſt anima noſtra: nec vllam cum ea habet proportionem. Si verò cogites de altera æternitatis parte, quæ poſt finita hæc ſecula ſubſequetur: eam facilè capies & intelliges: nempe quòd ſit ſine fine proceſſura. Certè hic non obruitur mens. Quid ita? Quia ab hac parte, ipſa etiam mens æterna eſt. Ergo ex eo, quòd mens noſtra percipit res ſpirituales, incorporeas, diuinas, immortales, æternas, id quod non faciunt ſenſus: & neceſſe ſit inter percipientem, & rem perceptam, aliquam eſſe proportionem, manifeſtè cognoſcere quiſque poteſt, mentem noſtram incorpoream, immaterialem, immortalem, ęternam eſſe. At, inquies, eadem ratione erit corporea: quia percipit corpora. Reſp. Sed modo ſpirituali, vt dicemus.

2. Confirmatur ratio: quia nulla res ſua actione & viribus aſſurgit ſupra id, à quo accipit eſſentiam & vires. Nullus enim affectus potior eſt ſua cauſſa. Animæ brutorum, nihil cognoſcunt aliud, quàm quæ ſunt corporea, huiuſque naturæ, quam cernimus: ſuperiùs autem non aſcendunt. Quamobrem? Quia à rebus corporeis, ſeu ab hac natura viſibili, & per corpoream generationem, eſſentiam & vires acceperunt. At mens noſtra non contenta rerum, quæ infra ſe, aut earum, quæ intra ſe ſunt, cognitione, imò neque cœlis & Angelis: vſque ad Deum ipſum peruenit, inque eius cognitione acquieſcit. An non hoc liquidò demonſtrat, animam noſtram eſſentiam ſuam & vires non accepiſſe à rebus, quæ infra ſe ſunt: neque ab iis, quæ intra ſe ſunt, ſeu ab hominibus, ſuiſque ſimilibus: imò neque à cœlis, neque ab Angelis, ſed ab ipſo immediatè Deo: eóque eſſentiam ipſius, eſſe non corpoream, non materialem, ſed diuinam?

3. Confirmatur hoc idem argumentum pulcherrimo ſimili.

Aqua fontana, quantum aſſurgit, tantum declarat ſe deſcendiſſe. Non enim altiùs aſſurgere poteſt, quàm deſcenderit. Ergo qui idem de anima concluſerit: nihil abſurdi cōcluſerit, præſertim quòd etiam Chriſtus ipſe, hoc eodem ſimili vſus eſt, cùm dixit, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei* (ſcilicet cæleſtem, & ex vita illa æterna) *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, &c. Illud quoque certum eſt, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt. & quod eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Si igitur anima noſtra, ex natura eſſet carnali, hoc eſt, corporea, materiali, corruptibili, mortali, elementari: talis & ipſa eſſet, taléſque haberet vires, & nihil ſuprà. Atqui ab eius actionibus, contrarium paret, quippe quæ vſque ad Deum aſcendit. Non eſt igitur ex natura elementari, corporea, corruptibili, mortali, &c.

4. Adde, quòd à loco, ad quem vnaquæque res mouetur, & in quo conquieſcit: cuius illa res ſit naturæ, cognoſcitur. Sic ignis à motu ſurſum, agnoſcitur naturæ eſſe le[illegible] atque ætherę: quia penetrat [illegible] Contrà terram grauioris eſſe naturæ, [illegible], quam ſit aer & aqua, à motu deorſum. Cum igitur videamus, a[illegible] noſtras cognoſcendo & contemplando, nunquam quieſcere, donec ad Deum perueniant; & perfectam huius vnius cognitionem conſequantur: quis dubitet, animam noſtram naturæ eſſe diuinę, eóque immortalis & [illegible]? Per gradus enim ſemper aſcendit, neque vnquam conquieſcit, donec ad cœleſtia & diuina peruenerit. Hæc certe in nullo animante reperiri poteſt proprietas & natura, niſi in homine. Neque dubito quin Deus voluerit hoc nobis ſignificare, cum creauit hominem, facie in cœlum erecta: cætera vero animalia, facie ſemper in terram depreſſa. Nihil enim fruſtra agit Deus. Quid igitur hac corporis noſtri figura ſignificare aliud voluit, quàm ipſam animam, rem eſſe cœleſtē, eiúſque vltimum bonum eſſe in cœlis, ibi eius eſſe patriam, ibíque illi eſſe in ſempiternum viuendum? Nempe ſi ſuo creatori fuerit obſequens, eiúſq; amans. Ex hac itaque mētis noſtræ actione & motu, quo cogitando & contemplando, ſemper in altum tendit, & nunquam conquieſcit, in veri Dei cognitione, luculentiſſimum nobis ſuppeditat argumentum: quo ipſius natura diuina, immortalis & incorruptibilis demonſtratur.

5. Alia accedit ratio, qua idem confirmatur; ea vero hæc eſt.

Quorum ſimiles omnino ſunt operationes, eorum etiam ſimiles omnino ſunt potentiæ & naturæ. Quæq; enim natura, proprias habet operationes. Sic Chriſtus ab operibus ſuis, quæ eadem eſſe demonſtrabat cum Patris operibus, verum ſe Deum euincebat. Certè qui operatur, quæ hominis ſunt propria, is homo eſſe conuincetur: qui quæ animalis, is fuerit animal. Omnes oculi eiuſdem eſſe naturæ conuincuntur. Vnde? Ab actione: quia nimirum omnium oculi coloratorum corporum imagines recipiunt: quanquam alij aliis acutiùs, alij obtuſius videant. Idem de aliis ſenſibus tam internis, quàm externis dico omnium animalium. Idem igitur valebit & in mentibus.

Atqui mens humana intelligendo & cognoſcendo rerū omnium naturas, ſeipſam & Angelos & Deum, operatur ea quæ communia ſunt cum Angelis: ſicut ſentiendo, quæ communia ſunt, cum beſtiis. Similis igitur eſt mētis humanæ vis naturaque, naturæ angelicæ. Quare cum illa ſit incorruptibilis & immortalis: noſtra quoque talis fuerit. Habet enim idem obiectum, circa quod verſatur, ſimilemque actionem: neque intelligentiam, cognitionemque rerum omnium tum diuinarum, tum humanarum: ergo & ſimilem potētiam atque eſſentiam. Adde, quod ſicut Angeli, in[illegible] habent in ſuis mentibus rerum ſpecies, quibus cognoſcunt res creatas: ſic & mētes humanę ſuas *ἐννοίας κοινάς*, vt ſuo demonſtrauimus loco. Et, vt illi diuini luminis ſunt participes quo Deum videant: ita mentes noſtræ, in eundem finem illuſtrantur radiis diuini ſpiritus, vt Philoſophi quoque cōcedunt. Hæc certè nulli mortalium animalium conceduntur, quæ angelicis & humanis mētibus: quanquam vnis copioſiùs & largiùs, quàm aliis. ſicut etiam plus luminis in ſole accipiunt quædam ſtellæ, quàm aliæ. Sicut ergo ex eo quòd omnes ſtellæ lucent, quanquam aliæ lucidius, quàm aliæ, optimè colligitur, omnes eiuſdem eſſe naturæ, cur non rectè inferemus & nos, mentes noſtras, ſimilis eſſe naturæ, cum mentibus angelicis, eóque tam noſtras, quàm illas eſſe immortales: ex eo, quòd tam noſtræ, quàm illorum, diuini luminis participes, non ſolùm res creatas, verum etiā Deum ipſum cognoſcunt? Mortalibus certe beſtiis datum non eſt, vt rerum ſubſtantias cognoſcant, ſed tantum externa accidētia percipiant: neque ſeipſas norunt, multo minùs humanas mentes, angelicas ſubſtantias, & Deum. Hæc vero omnia norunt mentes humanæ & angelicæ ſubſtantiæ. Non ſunt igitur mentes noſtræ, naturæ mortalis, ſicut beſtiæ: ſed immortalis, ſicut Angeli. Satis itaque mihi videtur firmata eſſe noſtra ſequela: & ab iis, quæ nouit mens noſtra, demonſtrata ipſius immortalitas.

Idem demonſtratur à modo, quo intelligit & cognoſcit. Ex quo tria argumenta colliguntur: quia omnia cognoſcit immaterialiter: quia primùm vniuerſalia, quàm ſingularia, & quia ſine organo corporeo.

13. Argumentum ergo decimumtertium eſt. Mens noſtra quicquid intelligit, etiamſi illud ſit materiale & corporatum, nonniſi tamen immaterialiter intelligit, & ab omni prorſus materia materialibúſque conditionibus defæcatum percipit, vt omnes concedunt Philoſophi. Materialis igitur non eſt, eóque nec corruptibilis, moraliſque naturæ quales ſunt beatorum animæ. Quicquid enim ab aliquo

percipitur,

percipitur, illud per modum, & ſecundùm naturam recipiẽtis recipitur: vt omnes etiam docent Philoſophi. Si igitur omnia in humana mente immaterialiter, & ideo etiam incorruptibiliter recipiuntur & hærent: ipſa quoque ſit immaterialis & incorruptibilis oportet. Nam qualis eſt cuiuſque operatio: talis eſt etiam & eius eſſentia atque natura, vt ſuprà quoque oſtenſum eſt. Quæ autem verè & ſine vlla falſitate recipiuntur ab intellectu, in eo etiam incorruptibiliter illa permanere: veluti ſunt habitus ſcientiarum, vera tradit Philoſophia. Hanc ſequitur 14. argumentum ab ordine: quo intelligit.

14. Mens longè diuerſo ordine res percipit, quàm ſenſus. Primum enim & directè percipit ſeu intelligit vniuerſale, vt proprium obiectum: ſecundario autem reflexè, ſeu indirectè, ipſum etiam particulare. Senſus autem particularia tantùm percipit: huius enim obiecta ſunt ſingularia. Cùm igitur tãta ſit diuerſitas inter ſenſum & intellectum, in ordine cognoſcendi: manifeſtum ſit, mentem non eſſe eius naturæ, cuius eſt ſenſus: ac proinde corruptibilem non eſſe. Vniuerſale enim, quatenus vniuerſale, incorruptibile eſt, quia à materia abſtractum. Si igitur vniuerſale verum, proprium eſt humani intellectus obiectum: oporteat autem obiectum proportionem habere cum potentia, cuius eſt obiectum: efficitur humanum intellectum incorruptibilem eſſe.

15. Ab effectu, quem res à mente perceptæ, in ipſa mente pariunt.

Mens noſtra, à ſuo obiecto, quod eſt vniuerſale verũ perficitur. Alitur enim & nutritur veritate. Perfici autem ab illo, & ali non poſſet, niſi proportio & ſimilitudo inter ipſam mentem, & vniuerſale obiectum eſſet. A re enim diſſimili nihil nutritur aut perficitur, & omne ſimile, delectatur ſuo ſimili, non autem diſſimili. Ergo cùm vniuerſale verum ſit, incorruptibile, & veritas æterna; ipſa quoque mens incorruptibilis & æterna ſit oportet.

16 Denique mens non operatur per organum corporeum, ſicut ſenſus, vt alias demonſtratum eſt. Sicut enim per viſum, videri non poſſunt inuiſibilia: ſic nec per corporeum organum, res incorporeæ: vt Deus, Angeli, natura, animæ. Et hoc etiam confirmatur exemplis eorum, qui in ἔκστασιν rapiuntur. Tunc enim multo altiora & diuiniora intelligunt ac vident, quam cùm mens deprimitur ſenſibus corporis. Sic Petrus Actor. 10. Sic Paulus. Vnde & ad Cor. ait. *ſe neſcire, an fuerit in corpore, an extra corpus, cùm ſuit raptus in cœlum tertium, & vidit arcana Dei, &c.* Et Ioan. in Apoc. ait, *ſe fuiſſe in ſpiritu*, id eſt, raptum in ἔκστασιν: cùm fuerunt ſibi reuelata illa myſteria. Eſt enim certum ipſa experientia, quò magis mens eleuatur, & abſtrahitur à ſenſibus corporis: eo meliùs illam intelligere. Quæ res aperto eſt argumento, illam ad intelligendum non opus habere organo corporeo, cum potius impediat intellectionem. Eſt autem Ariſtotelis propoſitio, eaque veriſſima: *Si anima propriam habeat operationem, quam ſine organo corporeo efficiat: ſeparabilem eam eſſe à corpore; quia ſi operari poteſt ſine corpore, poteſt etiam ſubſiſtere ſine corpore.* Eſt igitur natura per ſe ſubſiſtens, & immortalis anima.

17. Adde huic & illam Ariſtotelis rationem, vt 17. argumentum.

A vehementi intelligibili tantum abeſt, vt corrumpatur intellectus, ſicut ſenſus à vehementi ſenſibili: vt magis perficiatur. Ergo corruptibilis non eſt vt ſenſus. His argumentis à natura intellectus humani, qui eſt prima ac præcipua pars humanæ mentis, deductis: perſpicuum efficitur animas noſtras immortales eſſe. Idem ab actionibus alterius partis, quæ eſt voluntas, ſeu appetitus rationalis, abunde confirmatur.

Porro eodem modo, & ex iiſdem capitibus argumentari licet hic, quo etiam ſuprà de intellectu: nempe ab iis, quæ vult, appetitque voluntas, & à modo quo vult. Ergo.

18. Argumentum, ab iis quæ vult, ſeu à proprio voluntatis obiecto.

Proprium rationalis appetitus, ſeu voluntatis humanæ obiectum, eſt bonum vniuerſale, & inprimis Deus, qui eſt ſummum bonum, ſupremuſque noſter finis. Hunc enim cumptimis appetit conſequi, huic adhærere, & cum eo æternum viuere. Certiſſima eſt hæc propoſitio. Vnde hic idẽ etiam Deus, quatenus eſt ſumma & ſuprema veritas: obiectũ eſt intellectus, in quo acquieſcit. Ergo ſicut ex eo, quod intellectus noſter pro obiecto habet vniuerſale verum, & Deum inprimis: oſtendimus, eum eſſe immortalem: ſic ex eo, quod voluntatis obiectum eſt vniuerſale bonum, & inprimis Deus: euincitur, eam eóque totam animam eſſe immortalem.

Prima ratio huius conſequentiæ eſt, quia oportet inter appetentem, & rem appetitam eſſe proportionem, ſimilitudinem & conuenientiam. Eſt enim res certiſſima, inter hæc quatuor: eſſentiam, virtutẽ, actionem, & obiectũ hunc eſſe ordinem à Deo conſtitutum, vt ab eſſentia fluat virtus ſeu δύναμις, à virtute actio: actio, obiectum petat: & vt οὐσία, per ſuam δύναμιν circa obiectum ſibi conueniens, modo ſibi proprio operetur. Ita, qualis eſt οὐσία, talis fluat ab ea δύναμις: & qualis δύναμις, talis ſit eius operatio: & operationi reſpondeat obiectum oportet. Ac proinde ab obiecto cuiuſque facultatis, optimè licet ad facultatem & eſſentiam argumentari, vt quale illud eſt, tales ſint & illæ. Neque enim putandum eſt, ab eſſentia, aliam virtutem fluere, quàm ſibi familiarem: neque à virtute, aliam edi operationem, quàm naturalem: neque operationem verſari circa obiectum aliquod, niſi ſibi, virtuti & eſſentiæ ſimile, commodum, conueniens. Niſi enim conueniret, & ſimile eſſet, non appeteretur, quia nemo appetit aut amat, niſi ſibi ſimile: neq; delectatur, niſi ſibi ſimili. Ergo cùm mens humana ſua rationali appetitu, hoc eſt, voluntate, æternum, ſummúmq; bonum appetat, cum eo eſſe in ſempiternum percupiat: fieri nequit, quin ipſa quoque ſit ei ſimilis, id quod ſcriptura teſtatur, & antiqui Philoſophi: eóque ſit, ſicut & ipſius obiectum, immortalis.

Secunda ratio eſt, quia mens humana hoc ſuo appetitu, ſicut & intellectu, ſimilis eſt Angelis; cum nulla autem re corruptibili hac in parte quicquam commune habet. Nam ſoli Angeli, & ſolæ humanæ mentes, ſummum bonum, Deum ſcilicet appetunt, & volunt: ſicut etiam hi ſoli cum cognoſcunt, & creatura præterea nulla. Quorum autem ſimiles ſunt, eadémque obiecta: eorum etiam naturæ & eſſentiæ ſimiles ſint oportet. Sicut igitur Angeli immortales ſunt: ſic & mentes noſtræ; id quod etiam à natura liberæ voluntatis, facilè confirmatur. Sumus enim hac parte non ſolùm Angelis: ſed etiam Deo ſimiles, vt nihil hanc poſſit cogere.

Tertia ratio: quia licèt alia etiam bona velit noſtra voluntas, præter Deum, ſummum bonum; omnia tamen illa vult & appetit propter Deum, vt ſummum ſcilicet bonum aſſequatur. Proinde in aliis bonis nunquam quieſcit: ſed vlteriùs appetendo progreditur, donec vltimum bonum inueniat. Hoc igitur argumento eſt, proprium voluntatis humanæ locum, vbi conquieſcere poſſit, eſſe Deum ipſum æternum & immortalem. Eſt autem certiſſimum, à loco, in quo quæque res conquieſcit naturaliter; qualis ſit naturæ cognoſci, vt antè explicatum eſt. Non poteſt igitur humana mens eſſe, niſi naturæ diuinæ omnino ſimilis; eóque immortalis.

19. Argumentum à modo, quo voluntas vult & appetit.

In vltimum finem, in ſummum ſcilicet bonum, fertur naturaliter; vt aliàs oſtenſum eſt. Fieri autem nequit, vt naturale deſiderium, ſit omnino fruſtraneum & vanum; præſertim verò, ſi accedat etiam facultas naturalis, qua res deſiderans capax ſit ſua natura, rei deſideratæ Deus enim & natura, nihil agunt fruſtra; vt ſuprà etiam declaratum eſt & confirmatum. Eſt igitur neceſſe, vt mens humana, randem Deum, finem ſuum conſequatur, eoque fruatur in æternum; ac proinde naturæ ſit immortalis. Loquor autem de mentibus noſtris, per ſe, quatenus creatæ à Deo fuerunt ipſi ſimiles; & qualis fuit in Adamo, ante peccatum. Nam quòd iam non omnes Deum conſequantur; id fit ex accidenti propter peccatum. Sed ſi de natura animæ loquamur, integra & per ſe, argumentum hoc infirmum non eſt.

20. Quicquid enim vult voluntas noſtra, liberè id vult; taliſque eſt naturæ, vt à nulla creatura cogi poſſit; Nulla igitur res creata, vim in eam habet, vt perdere poſſit.

21. Certum verò eſt, voluntatem noſtram ad volendum, appetendum, eligendum, nullo vti aut agere organo corporeo; & quidem multò minus, quàm intellectus. Intellectus enim, dum hoc ſumus in corpore, opus ferè habet phãtaſiæ organo, vnde phantaſmata ſuppeditentur. At voluntati, bonum quod appetat, ab intellectu proponitur. Ipſa verò aut in illud naturaliter fertur, ſine organo, aut liberè eligit. Quis per organum corporeum capiet incorporea? Fuerit perinde, atque ſi per viſum, velis videre inuiſibilia, & Deum capere manibus. Ergo tam à modo, quo vult & eligit: quàm ab obiecto, quod vult, liquidò apparet, voluntatem non eſſe naturæ corporeæ & mortalis, ſicut ſunt appetitus brutorum: ſed omnino immortalis: eùm hac in parte maximè ſit Angelis & Deo ſimilis.

22. Adde iam & hoc, quod ab actione voluntatis nunquam deficiente deducitur, & ratio eſt non contemnenda. Quorum animorum actiones non infirmantur nec deficiunt, ægrotante aut deficiente corpore: hi animi non pe-

dent à corpore, eóque nec deficiunt cum corpore. Atqui actiones, humanæ mẽtis præcipuæ & propriæ: vt velle, nolle, deſiderare, nunquam vel infirmantur, vel deficiunt: etiamſi corpus ſumma affectum ſit imbecillitate, vehementíque morbo. Quin imò magis creſcunt hæ actiones. Tum enim vehementer animus cupit, corpus doloribus & imbecillitate liberari. Hoc reipſa quiſque experitur in ſeipſo. Ac videmus in his, qui agunt animam, ſemper ſupereſſe actionẽ voluntatis, qua vel nollẽt mori, vel libenter moriuntur: & huiuſce actionis aliquã etiam externam dant ſignificationem, vel nutu, vel manus ſtrictione. Nemo vero eſt qui vel in ipſo mortis agone non deſideret æternitatem, & in æternum viuere & feliciter habere: ídque tum magis, quàm vnquam, cùm peſſimè habet corpus. Iſta videmus, iſta experimur quotidie in nobis & aliis. Si autem nunquam deficiunt hæ voluntatis actiones: ſequitur ibi quoque ſupereſſe actionẽ intellectus, qua nouit immortalitatem, æternitatem & felicitatem, meliorem eſſe infelicitate & æterna morte. Cùm igitur præcipuæ mentis actiones nunquam deficiant, neq; in ipſo mortis agone: an nõ ſatis apertè euincitur, animam, cuius iſtæ ſunt actiones, non deficere, ſed immortalem eſſe, & cum ſuis actionibus propriis ſuperſtitem manere, corpore etiam extincto? Optarim hoc argumentum ab omnibus diligenter perpendi. Nunc etia addo generalia, à totius animæ natura deducta.

23. Argumentum: Mens noſtra, quò magis abſtrahitur à corpore, in ſuis actionibus, tam intellectus, quàm voluntatis, & virtutum moralium: eò feliciùs ipſa operatur, perfectiórque efficitur. Apparet in ſcientiis, quæ ad intellectum pertinent: vt antè demonſtratum eſt. Et quiſque hoc experitur: quò minus negotij habet cum corpore, rebúſque corporeis: eò feliciùs ſe contemplari & intelligere. Et voluntas, quò minùs à ſenſibus turbatur, carniſque affectibus: eò liberiùs fertur in Deum, & in vera bona. Virtus etiam moralis in hoc ſita eſt, vt paſſiones corporis non ſequamur: ſed eas ratione (vt Philoſophi loquuntur) vel potius (vt Chriſtianè loquamur) Spiritu Dei refrænemus & temperemus, corpúſque menti ſubiiciamus.

Eſt autem manifeſtum, quòd cuiuſque operatio, naturam etiam operantis, qualis ſit demonſtret: quia propria cuiuſque rei operatio, ſequitur propriam ipſius rei operantis naturam. Si igitur operatio mentis, eò perfectior fit, quò magis à corpore ſeparatur: fieri profectò non poteſt, vt ex ſeparatione à corpore, anima intereat: cùm quò magis ab illo ſeparatur, eò fiat perfectior, ſicut & ipſius operatio, vt dictum eſt.

24. A comparatione oblectamentorum, quæ anima generatim percipit, tam à ſenſibus, quàm ab intellectu & voluntate. Nam etiam ex iis, eſſentia animæ noſtræ non obſcurè, qualis ſit, deprehenditur. Ex iis enim quibus quiſque maximè delectatur: qualis etiam ſit ipſe cognoſcitur. Ratio eſt, quia nemo delectatur, niſi rebus ſibi ſimilibus: ac proinde, quibus maximè omnium quiſque oblectatur: iis etiam ſimillimus eſſe ipſe deprehenditur.

Atqui animæ noſtræ (loquor autem de animis verè humanis, eóque generoſis: non autem de iis, qui in brutorum ingenia degenerarunt: vt animæ ſunt Epicuræorum, qui nil curant, niſi ventrem, & ſenſuales voluptates:) Animæ itaque noſtræ, etſi rebus etiam, quæ ſenſus externos ſuauiter afficiunt, & ſecundùm naturam oblectentur: tamen quò ſunt magis generoſæ, & nobiles, eò etiam maiorem percipiunt delectationẽ ab iis rebus, quę ad ſenſus internos pertinẽt: quàm ab iis, quæ ad externos. Exemplum: vt ſunt artes illæ, in quibus occupatur phantaſia. Et hac etiam maiorem accipiunt à rebus, quæ ad mentem ſpectant: vti eſt tam moralis, quàm naturalis & ſupernaturalis Philoſophia. Item ex rebus, quas contemplamur mente & animo: illæ maximam omnium adferunt animo voluptatem, quæ ſunt ſupremæ, cœleſtes, diuinæ, incorporeæ incorruptibiles, æternæ. Veluti ſunt ſpiritus angelici, pleni ſapientiæ, & vitæ æternæ: inprimis verò Deus ſumma bonitas, æterna vita, lux immenſa, ipſa clementia, ipſa charitas, ipſa φιλανθρωπία. Has enim res mens noſtra, & auidiùs expetit, & libentiùs cupit, & diutiùs retinet, & maiori cum voluptate, in iis contemplandis, appetendis, animóque verſandis immoratur: quã ab aliis rebus inferioribus, terrenis & corruptibilibus. Annon hoc quiſque noſtrũ experitur? Oblectant certè me elegantes ſoni, & muſica, ſed multò magis ſtudia literarum, hiſtoriarum: magis etiã naturalis Philoſophia, vbi naturæ opera, id eſt, Dei explicantur: ſed maximè omnium Theologiæ pars illa, quæ quis ſit, & qualis ſit verus Deus, deſcribit. Neque dubito, quin cuique pio idem contingat. Quid ergo hinc conſequitur: niſi plus ſimilitudinis habere animos noſtros cum Deo, quàm cum vlla creatura: & res ſpirituales atque æternas, conformiores eſſe mentibus noſtris, quàm corporales: & denique animorum noſtrorum naturam atque ſubſtantiam, ad rerum diuinarum atque æternarum naturam, proximè accedere? Quemadmodum enim ſenſus externi internique rebus corporatis, & corruptibilibus capiuntur: ſic animi noſtri, in rebus ſpiritualibus & æternis, propter naturarum ſimilitudinem, mirificè acquieſcunt.

Quòd ſi mentes noſtræ tam eſſent mortales, quàm ſenſus: certè mentes, vtut excellentes ſint, & diuinis proximæ: non minus caducis rebus ad veram voluptatem & felicitatẽ tenerentur, quàm ſenſus ipſi. At videmus contrarium in animis vel mediocriter bonorum virorum. Quid enim quòd nonnulli reperiantur brutali ingenio magis, quàm humano præditi, qui nullam norunt voluptatem, niſi corporis exteriorúmque ſenſuum? Hi nihil præiudicant naturæ animorum noſtrorum, quæ in bonis, minus corrupta cùm ſit, clariùs eluceſcit.

25. A remotione cauſarum, vnde interitus cuiuſq; rei proficiſcitur. Attigi hoc aliquo modo ſuperiùs, ſed imperfectè: Nunc meliùs explico. Cuiuſvis formæ corruptio, fit aut ex actione contrarij, aut ex ſubiectione ſui ſubiecti, aut ex defectu ſuæ cauſæ à qua pendet. Exempla. Ex actione quidem contrarij: vt calor, per actionem frigidi extinguitur. Ex corruptione autem ſui ſubiecti: vt omnia accidentia, deſtructis ſuis ſubiectis, quibus inſunt, & quibus nituntur. Ex defectu verò cauſſæ, à qua res pendet: vt lumen in aëre deficit ex Solis abſentia, ſicut & corpus diſcedente anima. Vnde verò mens ſeu anima noſtra corrumpi poteſt? Num ex actione contrarij in ipſam agentis animam? At nihil eſt ei contrarium, vnde corrumpi poſſit, & perdi: cum non ſit neque frigida, neque calida, neque humida, neque ſicca, neque dura, neq; tenera, neque aliquid tale, quod habeat contrarium ſui deſtructiuum: cùm forma ſit ſimplex & immaterialis. Imò ipſa recipit in ſe omnia contraria, dum omnia intelligit: quæ tamen in ipſa anima contraria non ſunt, neque inter ſe pugnant. A contrariis igitur corrumpi non poteſt: vt etiam Philoſophi aduerſarij fatentur.

Numquid fortè ex defectu ſuæ cauſſæ, vel formalis, vel efficientis ac conſeruantis, vnde ipſius Eſſe dependet? At aliam formam non habet anima; per quam ipſa ſuam habeat Eſſe. Eſt enim forma ſimplex & per ſe ſubſiſtens, non per aliam formam. Cauſſa verò eius efficiens & conſeruans, non eſt, niſi Deus æternus, ſicut ſuprà oſtenſum eſt, de origine animæ. Eſt enim ſolus Deus, Pater ſpirituum. Deus verò ipſe certè non poteſt deficere: poteſt tamen ſi velit animam extinguere, & in nihilum, vnde eſt, redigere. Sed quis dicat, Deum hoc velle, cùm ipſe contrarium in ſacris literis doceat?

Supereſt tertia cauſſa corruptionis, cùm aliquid corrumpitur & deficit, propter ſubiecti in quo eſt, & cui nititur corruptionem. Hoc cõtendunt Aduerſarij: nempe ita animam affixam eſſe corpori, vt eo corrupto, ipſa quoque extinguatur, ſicut & in brutis contingit. At corpus, non poteſt eſſe ſubiectum animæ cui ipſa nitatur: & à cuius Eſſe vel non Eſſe, ipſius etiam animæ Eſſe vel non Eſſe dependeat, cùm contrà potiùs, Eſſe corporis, ab Eſſe animæ, & à præſentia animæ dependeat, vt manifeſtum eſt, quia illa recedente, corpus concidit & perit. Neque etiam eam eſſe talem formã corporis, quales ſunt animæ brutorum, ſatis apertè demonſtratum eſt, ex differentiis multis operationum animæ humanæ, & brutorum. Item ex diuerſo ortu, cùm noſtra à ſolo Deo ſit immediatè; quia ſolus Pater eſt ſpirituũ. Brutorum autem à ſuis parentibus, per corporalem generationem. Quibus omnibus rationibus ipſa quoque tum omnium gentium & Philoſophorum conſenſio, tum etiam Ariſtotelis ipſius teſtimonia, ſicut ſuprà à nobis pluribus demonſtratum eſt, accedunt.

Itaque cùm nulla afferri poſſit cauſſa, vnde anima humana corrumpi & extingui poſſit, efficitur neceſſariò, eam eſſe omnino incorruptibilem & immortalem. Nam neque in partes diſſolui poteſt: cùm ſit forma ſimplex, eóque indiuiſibilis. Quæ cùm ita ſe habeant, quis eſt, qui de animorum noſtrorum immortalitate dubitare poſſit ampliùs? Cùm & ſcripturæ abundè id doceant, & omnes à condito orbe ſapientes, omnéſque populi ac nationes idem conſtanter teſtificati ſint & teſtificentur, & euidentiſſimis rationibus demonſtretur? Sed hoc magis etiam atque magis perſpicuum fiet, ſi argumenta aduerſariorum præcipua, diſſoluerimus.

Ac primùm quidem, quæ aduerſus immortalitatem afferuntur: Deinde, quæ pro dormitione. Videamus prioris generis argumenta, vel potiùs commenta.

Reſu-

VI.

Refutatio argumentorum contra immortalitatem animorum.

VNum adfert Cicero, ad quod etiam ſapientiſſimè reſpondet: Tuſcul.1.p.158. *Sed plurimi (inquit) contra nituntur, animoſq; quaſi capite damnatos, morte mulctant. Neq; aliud eſt quicquam, cur incredibilis his, animorum videatur æternitas: niſi quod nequeunt, qualis animus ſit vacans corpore, intelligere, & cogitatione comprehendere.* Sic ille. Ac certum eſt, hanc eſſe præcipuã cauſſam, cur homines de animorum immortalitate dubitent: id quod ſepenumero piis quoq; contingit. Concutitur enim fides perſæpè variis dubitationibus. Cauſa inquam hæc eſt: quoniã partim cùm quis moritur, nihil videmus è corpore exire, niſi euaneſcẽtem halitum: partim, quia non poſſumus percipere, qualis ſit animus à corpore vacuus, cuius figuræ, cuius magnitudinis, quomodo ſubſiſtat & vbi.

Ad hoc optimè reſpondet Cicero his verbis: *Quaſi verò intelligant, qualis ſit in ipſo corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus: vt ſi iam poſſent in homine vno cerni omnia, quæ nũc tecta ſunt: caſurus ne in conſpectum videatur animus: an tanta ſit eius tenuitas, vt fugiat aciem.* Hæc ille. Egregiam ſanè reſponſionem Ergo, quod nihil niſi ſpiritum quendam aereum (qui certè non eſt anima ipſa) videamus egredi ab homine animam agente quid mirum, cum animus ſubſtantia ſit incorporea & inuiſibilis? Nunquid inuiſibilia, per viſum videri poſſunt? Quod vero non poſſimus percipere, quomodo ſe habeat, ſubſiſtatve à corpore ſeparatus: quid itidem mirum, cum neq; quomodo ſe habeat in corpore, capere queamus? Adde ego, quis etiam capere poteſt, quomodo ſe habeant dæmones, tam boni, quàm mali? Nam propterea negandũ eſt, hos etiam exiſtere: quorum tamen operationes ſunt maniſeſtiſſimæ? Ergo negandus etiam erit Deus: quia neq; videtur: neq; quomodo ſemper extiterit, exiſtátq;, animo concipere quiſquam poteſt. Idem de animo ſentiendum eſt.

2. Eſt aliud quoque Epicuræorum hominum commentum: quo vulgus ad Epicuræiſmum adducunt.

Non eſt quidem verum (inquiunt) animam à corpore ſeparatam, ſubſiſtere: ſicut neque eſt aliud ſeculum præter hoc: id eſt e re humanæ vitæ, credi & animam eſſe immortalem, & eſſe aliud ſeculum, in quo vnicuique reddatur ſecundum opera ſua: alioqui enim homines, nec quicquam recte facerent, nec ſanctam colerent ſocietatem, nec retineri poſſent in officio: niſi vtrumque haberent perſuaſum.

Reſpond. Nihil eſt hoc commento abſurdius, nihil pernicioſius, nihil magis Diabolicum. Quid enim magis abſurdum eſſe poteſt: quàm opus eſſe mendacio, vt virtus perſuadeatur? Fatentur enim vna ex parte, virtutem eſſe bene viuere, & hanc eſſe vitæ humanæ neceſſariam: altera ex parte, contendunt eſſe mendacium; quod de animæ immortalitate, deque altero ſeculo, imo & de Deo prædicatur. Quid hoc (inquam) abſurdius: quàm vt perſuadeatur virtus, opus eſſe mendacio? Cum tamen nullæ aliæ res ſint magis inter ſe amicæ, concordes, & conſentientes, quàm virtus & veritas? Nihil eſt etiam hac doctrina pernicioſius humano generi, tantum abeſt, vt vtilis ſit. Si enim quis perſuaſum habeat, ita ſe rem habere, vt iſti Epicuræi dicunt: quid non perpetrabit mali? Et interim hypocrita, vt alios in officio contineat, id conabitur perſuadere, quod ipſe putat eſſe falſiſſimum. Ita malitiæ & impietati accedet hypocriſis. Quod ſi omnes hoc commentum amplectantur: de omni religione, pietate, iuſtitia, honeſtate: denique de toto humano genere actum eſt. Nihil ergo eſt, quod cum ſalute humani generis pugnet magis. Ad extremum, commentum eſt iſtud verè diabolicum. Eo enim ſpectat: vt dum negatur animorum immortalitas: & interim docetur, è re eſſe vitæ humanæ, vt immortalitas credatur: eo inquam hoc ſpectat, vt primùm quidem tollatur Dei prouidentia atque iuſtitia, eoque Deus ipſe, & cum eo omnis religio. Dixi enim hæc eſſe inſeparabilia. Dei prouidentiam: Religionem; Animorum immortalitatem. Deinde eo tendit, vt quicquid locutus eſt Deus in ſcripturis: totum apertum eſſe mendacium credatur. Neque poſſe perſuaderi ſtudium virtutis, niſi per mendacium. Hoc vero ſtudium, fuit ſemper ſtudium Satanæ, à condito orbe. Non poteſt igitur eſſe, niſi Diabolus, [illegible] hoc excogitauit commentum. At, inquies, quinam [illegible] ita docent? Reſpond. Præterquam, quod non [illegible] hoc ſcriptum reliquerunt, nec deſunt, qui [illegible] mo; Annon eo ſpectant, quæcunq; [illegible] tius hac de re ſcripſerunt: & con[illegible] probari poſſe animorum immorta[illegible] eam credi: quod ſic fides Chriſtiana doceat? Huc huc, mihi crede, hæc ſpectant. Audiui & ego olim ſimiles voces: ſed Deus mirabiliter vltus eſt tales blaſphemias atque iniurias ſuo verbo illatas. Ego vero credo, doctrinam de immortalitate animorum, inter articulos fidei non eſſe collocatam atque expreſſam: quoniam non ſolum ſcripturis, ſed naturalibus etiam rationibus, poſt communem omnium gentium conſenſum, demonſtrari poteſt: ſicut & demonſtratum à nobis fuiſſe confido.

Aiunt iſti, in lumine quidem naturæ, animam eſſe mortalem: interim tamen in fundamento pietatis, eam eſſe immortalem. Quo quid dici poteſt imperitius? Quaſi verò lumen naturæ, & fides pietatis pugnent: & vna eadémque res, poſſit vera eſſe, & non vera, eodem reſpectu. Imò in lumine naturæ, nihil eſt clarius hoc dogmate de immortalitate animorum: vt ſupra firmis argumentis demonſtrauimus. Quid illi habẽt contrà, niſi verba? Nõ eſt ita, inquiũt: Nihil videmus: Ariſtoteles hoc apertè noluit docere, quia non ita ſenſit, & alia id genus. Sciamus igitur alium fuiſſe neminem, quàm Diabolum, illum ſpiritum, qui per Pomponatium, & Portiũ, & alios his ſimiles, de hoc argumento ſcripſerit. Atque hoc ſatis ad ſecundum commentum.

Sed præter hæc inuenta Diabolica, rationes etiam nonnullæ afferuntur, quæ opus habent explicatione, quanquam illæ & paucæ ſunt numero, & pondere leues. Tertio itaque loco obiiciunt.

3. Quicquid habet ortum; illud & finem accipit. Aut igitur anima non eſt facta, nec habuit ortum, aut finem acceptura eſt.

Reſp. Bifariam intelligi poteſt antecedens. Nempe, quod ortum habet, id eſt, quod non eſt æternum, ſed factum: illud etiam accipere poteſt ſua natura finem. Aut, quod ortum habet: omne illud re ipſa finem accepturum eſt. Priori ſenſu damus. Cùm enim omnia à Deo ſint ex nihilo; poſſunt etiam omnia ab eodem Deo, in nihilum redigi. Ita ſolus Deus verè æternus eſt, quia initium non habet; hoc eſt, nunquam non fuit: & per ſe eſt. Sed altero ſenſu falſiſſimũ eſt, quod ortum habet; etiam finem accipiet. Annon etiam Angeli, ortum habent, & interim finem nullum accepturi ſunt? Et cælum ad ſubſtantiam quod attinet, licet initium habuerit, finem tamen accepturum non eſt.

4. Fieri nullo modo poteſt, vt aliqua ſit ſubſtantia, quæ non aliquam habeat operationem. Sed omnis operatio animæ, finitur cum corpore. Id quod probatur inductione. Nam primò quidem vegetatiua pars, non ampliùs ſuas exercet actiones, cùm illæ perfici non poſſint ſine corpore: & ſine qualitatibus corporeis. Ergo hæc pars non remanet poſt mortem. Ac de ſenſitiua idem liquet; quando ipſius quoque actiones, non niſi per organa corporalia perficiuntur, & in corpore ipſo. Operatio autem intellectus, etſi detur ſine organo corporeo perfici; non tamen ſine phantaſmatibus vlla fit intellectio, ſicut nec viſio ſine coloribus. Phantaſmata autem eſſe non poſſunt, niſi in organo corporeo. Ita extra corpus operari non poteſt intellectus; eoque nec voluntas. Voluntas enim nihil vult, niſi ab intellectu oblatum. Ita concludunt nullam remanere actionem in anima ſeparata; eoque impoſſibile eſſe, hanc ſuperſtitem remanere.

Reſpond. Vegetatiuam & ſenſitiuam facultates, ſuis extra corpus carere actionibus, libenter damus. Sed inde inferri non poteſt, facultates ipſas extingui, & poſt mortem non ſupereſſe. Cùm enim ſint animæ partes eſſentiales; ſi anima ipſa ſuperſtes maneat, cùm ea tota ſit indiuiſibilis; fieri nequit, vt ſuperſtite parte intellectiua, ipſæ intereant. Et Ariſtoteles docet, τὸ διανοητικὸν, continere in ſe αἰσθητικὸν, & θρεπτικόν; ſicut quaternarius continet in ſe ternarium & binarium neceſſario. Poteſt quidem eſſe vegetatiuum per ſe, ſine ſenſitiuo, (vt in plantis) & ſenſitiuum ſine intellectiuo, vt in brutis; ſed hominis διανοητικὸν, ſine ſenſitiuo & vegetatiuo eſſe non poteſt. At nullas habent illæ operationes. Reſpond. Sed habuerunt, & quaſdam etiam habituræ ſunt, reſumtis corporibus. Annon his oculis, facultas ſenſitiua vtetur, & videbimus Chriſtum? Quod verò quædam operationes deſituræ ſint, hoc non efficit, vt propterea deſituræ ſint ipſæ animæ facultates. Annon reſurgent corpora cum omnibus ſuis membris, ſicut & Chriſtus reſurrexit? Omnino. Ibi tamen nulla erit generatio, nulla comeſtio, nulla concoctio, nulla excrementorum electio, ſequitúrne, ergo corpus noſtrum carebit his membris, quibus hæ operationes fieri ſolent? Minimè verò. Satis ergo apertè demonſtratum eſt, licèt vegetatiua & ſenſitiua ſeparatæ à corpore, nullas habituræ ſint actiones, quia ſine corpore operari non poſſunt; inde tamen non conſequi, ipſas facultates nullas futuras. Satis enim eſt, ſi intellectiua ſuis non careat operationibus. Sicut etiã ſatis

uerit, ſi poſt reſurrectionem corpus viuet, & non penitus omnibus deſtituetur actionib. licet multa membra caritura ſint ſuis, quas hîc exercent, operationibus: vt antè dictũ eſt: & ſicut in Chriſto ipſo à mortuis reſuſcitato, manifeſtum faciunt Euangeliſtę. Quòd verò actiones intellectiuę facultatis, non deficiant ipſam animam à corpore ſeparatam, vti eſt intelligere & velle: manifeſtum eſt. Quia has efficit anima, ſine corporis organo: vt ſuprà demonſtratum eſt etiam in hoc ſeculo. At, inquies, non intelligis ſine phantaſmatibus. Phantaſmata autem non poſſunt eſſe, niſi in organo corporeo.

Reſpon. Primùm oſtendimus: animis noſtris à natura inſitas eſſe communes quaſdam *ἐννοίας*, quas à ſenſibus nõ accipiunt, eóque ſine phantaſmatibus illas habent. Deinde etiamſi ferè opus habet anima phantaſmatibus, dum in hac ſumus carne, non ſequitur tamen, opus his habituram, etiam à corpore ſeparatam, ſi debeat intelligere, cognoſcere, eóque & velle. Nam alius modus eſt animæ quo intelligit, ſeparatæ, ab eo, quo ordinariè in corpore, ad intelligendum vtitur. Annon etiam Angeli intelligunt ſine phantaſmatibus? Eſt autem eiuſdem naturę, etiam anima noſtra. Quare quod hîc opus habeat phantaſmatibus: non efficit, vt etiam poſt corpus, iiſdem opus habeat. Quibus omnibus accedit, quòd de Hieronymi & aliorum multorum ſententia: habitus ſcientiarum hîc acquiſiti, ibi animam ipſam non deficiunt: Propterea quòd ſpecies intelligibiles (vt Philoſophi loquuntur) in intellectu poſſibili, nunquam delendæ recipiantur: vt etiam Aquinas docet. Proinde nihil planè valet hæc ſequela; *Anima à corpore ſeparata, caret phantaſmatibus: Ergo non poteſt intelligere.* Quare nec ſupereſſe, cùm nulla ſubſtantia omni prorſus carens operatione, eſſe ſubſiſteréve poſſit: intelligit enim & cognoſcit anima, ſed alio modo, quàm hîc ſolita ſit.

Sed obiiciunt Ariſtotelis dictum ex 1. de anima: Quòd intelligere hominis corrumpitur, quodam interius corrupto, nempe phantaſiæ organo. Et id quod ſcribit in 3. libr. *Nos non reminiſci poſt mortem eorum quæ ſciuimus in vita, neque amare.*

Reſp. Primùm Ariſtotelis dictum intelligitur de operatione illa intellectus, quæ fieri non poteſt ſine phantaſmatibus: vt ferè fit in hoc corpore: ſed alius eſt, vt dixi, modus intelligendi animæ à corpore ſeparatæ, quàm ſit in corpore. Deſtructo igitur phantaſiæ organo, deſtruitur intelligere, non quodlibet: ſed quoddam: illud nimirum quod fieri non poteſt, illo deſtructo organo.

Ad alterum: primùm reminiſci bifariam accipi poteſt: Aut propriè, pro in memoriam reuocare, hoc non fit, niſi per organum corporeum: vt Ariſtoteles docet in libr. de memor. & reminiſc. Et de hoc loquitur Ariſt. in 3. de Anima. Aut impropriè, pro cognita ſemel, etiamnum in intellectu retinere. Hoc, ſeu hæc memoria, manet in anima etiã à corpore ſeparata. Exemplum habes in anima Epulonis, quæ in inferno cruciabatur. Et in die iudicij dicent quidam hypocritæ, Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? Meminerint ergo eorum, quæ hic geſſerunt. Si autem anima à corpore ſeparata, omnium obliuiſceretur: certè, neque reuerſa in corpus memoriam reſumeret. Idem de amore, gaudio, & his ſimilibus dicendum eſt. Quatenus ſunt paſſiones animæ in corpore iraſcibili & concupiſcibili profectæ, ceſſabunt. Et talis amor, & lætitia, & odium, nulla erunt in animis à corpore ſeparatis. Et de his loquitur Ariſtoteles, loco ſuprà citato. Proinde tunc non erit maior noſtra charitas & amor erga liberos noſtros aut cõiuges, quàm erga reliquos fratres. Caro enim & ſanguis, horúmque affectus & paſſiones, non poſſidebunt regnum Dei. Sed capiuntur etiam pro actionibus mentis ac voluntatis: in ipſa parte intellectiua, abſque carnis affectu exiſtentibus. Ita animæ ſeparatæ non carent ſuo amore, gaudio, lætitia: imò maiores ibi erunt hæ actiones, quàm hic. Ipſe etiam Ariſtoteles ſcribit in Ethicis, *Deum vna ſimplici operatione gaudere, & in contemplatione ſapientiæ admirabilem eſſe delectationem ſcribit.* Nullo igitur modo probari poteſt, animam à corpore ſeparatam: omnino carere actione, eóque mortalem eſſe.

5. Quò propiùs imminet mors, corpore iam per morbum confecto: eò etiam magis vires animi deficere videntur. Non ſolùm enim ſenſus externi pereunt, & interni langueſcũt: ſed etiam intellectus videtur nihil ampliùs, vel admodum parum intelligere. Ergo pereunte corpore, animus etiam perit & extinguitur. Reſpon. Negandum eſt antecedẽs, ſeu aſſumtum. Cõtrarium potiùs verum eſſe contendimus. Vt verò ſolutio huius argumenti perſpicua ſit, notandũ eſt: Sicut vita corporis in humoris & caloris temperamento conſiſtit: ſic tunc mori corpus dicitur, quando vel calor reſoluit humorem: vel calorem humor extinguit. Quia verò humor caloris pabulum eſt, ſicut etiam in lucernis candeliſque accenſis videmus: calor verò, vehiculum eſt ſpiritus vitalis, vt & in iiſdem candelis perſpicimus: ſpiritus autẽ vitalis, conciliator eſt animæ ad corpus, (eſt enim hic tãquam partim corporeus, partim incorporeus, medius inter corpus & animam:) idcirco fit, vt quando humor paulatim in mẽbris conſumitur: anima etiam paulatim membra deſerat ſua viuificatione. Ceſſante enim humore, ceſſat & calor, cuius ille erat pabulum: ceſſante autem & remittente calore, ſpiritus etiam vitales, quorum vehiculum erat calor, langueſcunt, & paulatim extinguuntur. Cùm autem iſti extinguuntur: Anima deſinit corporis membra viuificare. Sed nõ propterea ipſa extinguitur. Imò tunc, quo magis deſerit membra, tanquam ſuburbia: eo fortius ſeſe colligit, ad cor & in mentem, tanquam in arcem: & quo minus occupatur in regendis membris corporis: & in officio viuificandi: ac ſentiendi faciendo, eo robuſtior fit in ſuo proprio officio exequendo, quod eſt diuinas & arcanas veritates videre & contemplari.

Huius rei euidens illud ſignum eſt: quod tunc ſoliti ſunt moribundi cernere arcana, & futura prædicere, quod ante non poterant. Quid ita? Quoniam mens occupata in regẽdo corpore, & in officiis inferiorum facultatum ſenſitiuæ ſcilicet & vegetatiuæ faciendis: minus vacare poteſt ſuo proprio officio, hoc eſt, rerum diuinarum contemplationi: ſed quo minùs ſenſibus occupatur, eò magis incumbit officiis mentis anima noſtra. Vnde & regula eſt generalis, eáque certiſſima, nempe *facultatum animæ, quo vna fit remiſſior, altera magis intenditur.* Quo minùs occupatis in ſenſibus, eò mens fit aptior ad intelligendum & contemplandum. Hinc apparet, falſum eſſe aſſumtum ſuperioris enthymematis: nempe deficientibus viribus corporis, & cum illis, ipſis etiam ſenſibus: Mentis quoque vires deficere. Cùm contrarium potius res ipſa demõſtret: quia cum vires corporis deficiunt: tunc aptior fit mens ad intelligenda arcana futuráque præuidenda: collectis nimirũ ſuis viribus quæ diſperſæ erant in toto corpore ſuſtentando & regendo. Quare neq; ſequitur moriente corpore, animam ſimul mori: ſed contrarium potiùs: Moriente corpore, animam fieri viuidiorem: quia etiam illo debilitato, hæc magis roboratur. Atque huc facit, quod Sap. 9. verſ. 15. legitur: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrenum domicilium, plenam curarum mentem deprimit.* Ergo quò magis anima à corpore illam grauante liberatur, eò ipſa fit expeditior & altius ſurgit in arcem, ad ſua diuina officia intelligendi & contemplandi perficiẽda. Hæc ſunt manifeſta, in iis præſertim, qui moriuntur per reſolutionem, vt in ſenibus, & qui diu morbo laborarunt & confecti iam ſunt. Quòd ſi hæc non in omnibus perſpiciantur: ſciamus id contingere, quia vis animæ vegetatiuæ, humoribus curandis intenta eſt, ſenſitiua autem tum doloribus iudicandis, tum ſimulachris ſpectandis, quæ ab humoribus concitantur. Ita fit, vt mens ad tempus remittat officium, ſicut in ſomno ſolet facere. ſed ſicut poſt ſomnum ſolet vigilare, & ſuum reſumere officium intelligendi, ſic poſt mortem corporis, quæ à magnis fit doloribus grauibúſque morbis, in quibus fuerat occupata, recolligit ſe, & ſuum reſumit officium.

Quòd verò in eo ipſo tempore, quo tales morituri videntur, animas ſuas vires & dotes non admittat: illud euidentiſſimo eſt argumento, quòd multi, qui diligentia Medicorum, ab imminẽte morte reuocantur in vitam, corporis quidem vires, vel nunquam, vel ſerò recipiunt: Animi verò, ſimulac humor fuerit purgatus. Quid hoc ſibi vult: niſi quòd corporis quidem vires quaſi extinctæ fuerant: Animi autem lumen latuerat potiùs quaſi ſub cineribus, quàm euanuerat? Cùm igitur, tam diuerſa ſit conditio animi & corporis, vt ille, curato morbo totus cum ſuis habitibus, virtutibus, ſcientiis, viribus, mox redeat, corpus autem vel nunquam, vel tardè ſuas recipiat vires, cùm, inquam, tanta ſit diuerſitas, quomodo dici poteſt, animas cum corpore & debilitari & interire? Si tam diuerſus eſt vtriuſque poſt morbum reditus: quomodo poterit eſſe vnus & idem per morbum à corpore exitus?

Hoc itaque firmiè retinendum eſt; falſum eſſe quod aiũt, infirmato corpore etiam animum infirmari; eóque moriente corpore, etiam animum mori, cùm contra ſe res habeat, vt demonſtrauimus. Quò pertinet illud Ariſtotelis: *Si des oculum iuuenis ſeni, videbit vt iuuenis.* Quo verbo docet, infirmato oculo; non infirmari tamen videndi facultatem. Quantò minus igitur mens ipſa, facultaſque intelligendi, & volendi extinguetur? Vnde apparet, neque ſenſitiuam partem perire peremto corpore, ſi ipſam ſpectes ſubſtantiam animæ, & facultatem ſentiendi; ſed tantum eius actum ceſſare; quia ſine corpore exerceri non poteſt. Alij dicunt

tunt, ſenſum non corrumpi ſecundùm originem: ſed tantùm ſecundùm formam, hoc eſt, ſolummodo ſecundum actum informandi.

6. Sed hinc excipiet aliquis: ſi pereunte corpore, anima ſit fortior & felicior: cur igitur ægrè diſcedit à corpore? Nemo eſt enim, qui naturaliter moriatur libenter. Et affectum hunc naturalem in ſeipſo oſtendit Chriſtus. Signum igitur, quod anima ſentiat ſe morituram cum corpore.

Reſp. Fallacia eſt non cauſſæ, vt cauſſæ. Non enim ideò anima illibenter ſeparatur à corpore: quòd ſentiat ſe cum corpore ſimul interituram: ſed aliæ ſunt cauſæ. Vna eſt, quòd tanta eſt coniunctio inter animam & corpus, tantúſque amor: vt non libenter à ſe inuicem ſeparentur. Hæc eſt naturalis affectio. Deinde non parum vtilitatis ſentit anima ſe accepiſſe à corpore. Per ſenſus enim corporeos multa didicit. Ideo amat corpus: & vt grata cum eo libenter manet, nec deſerit illud lubenti animo. Ac certè nihil reperies coniunctum, quod diſſolui poſſit ſine partium coniunctarũ dolore: ni fortè careant ſenſu. Denique alia accedit cauſſa, cur non à corpore diſcedat libenter, nempe, quia dum eſt in corpore, nouit vbi ſit. Egreſſa autem, naturaliter ignorat, quò ventura ſit. Hæc verò ignorantia, affligit & cruciat mẽtem, vt omnibus notum eſt. Sed ſi ſciret, ſe melius habiturã: libenter à corpore liberaretur. Exemplum cape in infante, in vtero matris adhuc exiſtente. Quæ res obſecro manet libentius in ſuo loco, quàm infans in vtero? Ibi deliciatur, ibi exilit, ibi putat ſe eſſe feliciſſimum: quanquam caret omni luce, omni diuerſarum rerum voluptate, omni rerum huius ampliſſimi Mundi cognitione: omni denique tot artium, tot ſcientiarum, tot virtutum, quæ extra vterum matris comparantur, peritia. Vnde hoc? Quia ignorat, quæ, quot quantæque ſint deliciæ, quæ habiturus ſit, ſi ad hanc venıat lucem. Atque hoc naturaliter. Confirmatur hoc, exemplo piorum & impiorum hominum. Qui fit, quod impij nunquam vellent mori, & cùm moriuntur, fremant, tingantur, pij autem cupiant hinc ſoluere, & eſſe cum Chriſto, mortémque excipiant læto animo? Ratio eſt: quia illi neſciunt, quo eant; imò metuunt pœnas & tenebras: hi autem perſuaſum habent propter Chriſtum à morte tranſituros ad veram vitam, & à tenebris ad lucem cœleſtem.

Ergo primo falſum apparet aſſumtum, Neminem libenter mori, cùm multi cupiant hinc liberari. Secundo, Etiamſi naturaliter nemo moriatur libenter: falſam tamẽ eſſe conſequentiam, liquet, nempe hinc igitur confici, animam eſſe mortalem: & ideo timeri mortem ab anima: quòd ſentiat ſe cum corpore interituram. cùm aliæ ſint cauſſæ, cur mortem metuat. Quid? Quòd hinc potiùs colligitur animę immortalitas? Qui enim fit, quòd homines tantopere oderunt mortem? Duæ præter alias, ſunt præcipuæ cauſæ. Vna cauſa eſt omnibus communis, eáque naturalis: quia ſcilicet metuunt, ne in quaſdam ſempiternas rapiantur tenebras. Alia eſt propria impiorum: quia timent ne à Deo propter ſua ſcelera æternis plectantur pœnis. Quomodo autem vel illud, vel illud metuere poſſunt, niſi ſentirent, ſe eſſe immortales? Si enim penitus extingui ſe ſcirent cum corpore: profecto neque tenebras illas, neque pœnas metuerent. Quis enim ea metuat mala, à quibus ſe, vtpote penitus extinctum nihil poſſe affici putet? Huc pertinet dictum Hieroclis, ideo impios nolle immortalitatem animorum, quia pœnas iudicis Dei metuunt. Ergo cùm hanc ob cauſſam nolint animas ſuas eſſe immortales: apertam dant ſignificationem, ſe quoque ſentire, animas cum corporibus non extingui. Cùm autem omnes boni (vt ſuprà vidimus) ſentiant, animas non mori: apparet, omnium tam bonorum, quàm malorum conſenſu, animas eſſe immortales. Quid, quòd nemo metuit mortem, quin ſimul ſperet, ſe etiam poſt mortem victurum? Quiſque ſe examinet, & ſentiet in ſe naturalem hanc ſpem, cum deſiderio æternitatis coniunctam. Quæ autem indita nobis ſunt à natura: ea non ſunt vana. Viuemus igitur poſt mortem.

Addamus & hoc: Fieri non poſſe, vt res æternæ, à potentia temporali percipiantur. Hæc cauſſa eſt, cur bruta nil percipiant æternum: quia æterna non ſunt. Cùm itaque impij ideo metuant mori, quia æternas tum tenebras, tum pœnas metuunt, hoc mortis æternarúmque pœnarum metu declarant, ipſorum animos naturæ eſſe immortalis. Et qui æternitatem vel vitæ, vel mortis percipere poteſt, is ſe vita præditum eſſe infinita & æterna docet. Item dum quiſque metuit & horret, oditque mortem æternam, annon exoptat vitam ęternam, & hanc potentiorem eſſę temporali cognoſcit? Quidni? Quomodo autem id iudicare poteſt & certo cognoſcere, niſi talis æternæ vitæ in ſeipſo prius aliquem habeat guſtum: quo poſſit diſcernere præſtantiam vnius ab altera? Tantum igitur abeſt, vt quia homines metuunt mortem, ideo animam ſentiant eſſe mortalem: vt contrà potius inde apertum colligatur argumentum, animas nunquam morituras: atque ita omnes homines velint nolint, apertum dare immortalitatis teſtimonium, ſuis ipſorum animis.

7. Illud quoque nonnullis videtur cum immortalitate animorum pugnare, quòd variis moleſtiis & perturbationibus affliguntur. Quod enim expers mortis eſt, & naturæ eſt diuinæ, illud ab omni perturbatione & dolore alienum eſſe debere, ſua natura videtur. Quis autem neſciat, quot turbationum generibus obnoxij ſint animi noſtri? Non ſunt igitur diuini & immortales.

Reſp. Neq; hæc propria eſt, veráq; cauſſa turbationum animi, quia animus ſit immortalis: imò cõtrà, quia immortalis eſt, & diuinus: idcirco in hoc tam diuerſæ naturæ, mortalíq; & variis malis obnoxio corpore, ipſe quoq; variis afficitur moleſtiis. Docet hoc Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrenum domicilium, plenam curarum mentem deprimit.* Opus eſt enim animæ noſtræ, maxima & impenſiſſima cura & attentione, ad hoc corpus, tam graue, tam fragile, tam corruptibile, tam ſibi diuerſum, ſuſtentandum, viuificandum, in officio retinendum. Si ipſi etiam Angeli talibus coniuncti eſſent corporibus, & eo modo, quo noſtri animi, non minùs credo: ne dicam amplius, quàm noſtri ſpiritus, variis turbarentur moleſtiis atque curis. Videmus quid perpeſſus ſit Filius Dei, in hac carne ſimilis per omnia nobis factus, abſque peccato. Alia accedit cauſa tot tantarúmque turbationum, nimirum peccatum. Nam prætterquam quòd in Adamo, nos vt Chriſtiani fatemur, peccarunt omnes, de Philoſophorum etiam ſententia, animæ corporibus coniunctæ vſque adeo ſui quæque corporis amore capitur, vt in illius obſequium ſeſe dedat; ac proinde ſeſe corporis contagione inficiat, voluptatibúſque & deliciis corporis ſeſe inuoluat atque includat: non ſecus, quàm bombyx vermiculus, fila ſerica ducendo & texendo, ſeipſe in theca ſerica includit, tanquam in ſepulchro. In pœnam itaque peccati, ſubiecta eſt facta anima infinitis perturbationibus, à quibus alioqui fuiſſet libera atque vacua. Interim de eius ſubſtantia nihil propterea illi decedit: neque efficitur, vt ſit mortalis: cùm ab aliis (vt vidimus) cauſis illæ proficiſcantur, quàm à natura mortali. Quid? Quòd ab iis potiùs moleſtiis euincitur eam eſſe immortalem? Duo enim ſunt ſubſtantiarum intellectualium, vt vocant, & abſtractarum officia: Vnum, quo regnant inferiora hæc ex Dei mandato: (ſunt enim Angeli miniſtri Dei in Mundo etiam regendo:) Alterum, quo in Deum ſint intenti, contemplandum, amandum, colendum. Duo itidem ſunt in animis noſtris, curarum & ſtudiorum genera, ſtudiis Angelorum ſimilia. Vnum eſt, quo corpus regant & colant, atque etiam quæ ad corpus pertinent, procurent. Alterum, quo in omni ætate, omne verum, eóq; æternam veritatem, Deum nimirum cognoſcere ſtudeant: & omne bonum, eóq; inprimis Deum ament; & quærant ac deniq; etiam eundem colant. Hoc certè alterum ſtudium in brutis animantibus nullum eſt: ſed tantum in Angelis & hominibus. Quorum autem ſtudia & opera ſimilia ſunt, ſimilis quoq; ſunt naturæ. Cũ igitur animi noſtri ſicut & Angeli tum in Deum cognoſcẽdum, amandum, colendum, ſuas intellectus & voluntatis vires intendant; tum etiam in curando corpore, & in his, quæ ad ſalutem pertinent, procurandis occupentur: ſe omnino immortales eſſe demonſtrant. Adde, quod ſicut inſtar bombycis animalis, vt ſuprà diximus, ſeſe initio, nimio amore includit, ac quaſi ſepelit in corpore animus: ſic portò etiam amore Dei rerúmq; cœleſtium affectus per Spiritũ S. inde ſeſe paulatim eripit, ita vt tandem è corpore velut è ſepulchro euolet in cœlum. Quò magis enim ferueſcit in animis noſtris amor Dei: eò magis deferuet corporis amor, per quem vitiatus fuerat animus, atque ita etiam vitij maculæ ſenſim abolentur. Animus enim, vt amore vno ſe mergit in corpus, ita amore altero emergit è corpore. Atque hæc eſt beata mors, cui ſtudendum eſt; vt ſcilicet moriamur corpori, Mundo, & concupiſcentiis eius; contrà verò viuamus Deo. Et hic finis eſt verè Philoſophiæ, ſicut ille dicebat; *Philoſophiam nil aliud eſſe, quàm perpetuam mortis meditationem.* Quò enim ſpectat Philoſophiæ θεωρητικὴ, niſi eò vt mentem à ſenſibus, ſenſibilibúſque rebus abducamus ad ſpiritualia? Et quò moralis Philoſophia; niſi vt animam ab affectibus corporeis, ad amorem cœleſtium & virtutis ſeiungamus? Si autem anima noſtra eſſet mortalis, vt etiam animæ brutorum, profecto in ſtudium huiuſce mortis, non incumberet, nec incumbere vellet; ſicut neque beſtiæ faciunt. *Nemo enim vnquam carnem ſuam odit, ſed nutrit & fouet eam*: vt etiam Apoſtolus teſtatur. Manifeſtum igitur eſt, à multis curis, ſtudiis, conatibus & moleſtiis

animæ: Animam humanam non eſſe eius generis, cuius animæ brutorum, hoc eſt, mortalem: Tantum abeſt, vt ab his euinci poſſit, eam immortalem non eſſe.

Hæc ſunt argumenta popularia, quibus plerique turbantur, etiam pij viri: vt licet propter auctoritatem verbi diuini credant animum eſſe immortalem, attamen propter hæc argumenta, à ſenſibus pleraque omnia ducta, nonnihil illorum fides exagitetur & concutiatur. Ergo ad confirmandam hanc fidem de immortalitate animorum: operæ pretium fuit, hæc diſſoluere argumenta: atque ex illis contrarium potiùs, ſicut fecimus, demonſtrare. Etiam Apoſtolus reſurrectionem mortuorum non ſolis ſcripturis probauit: ſed rationibus quoque & ſimilibus à natura ductis confirmauit. Nemo itaque mirari debet, quòd nos idem fecerimus: vt doctrina de immortalitate animorum illuſtrior fieret. Nunc itaque ad extremum, ſimile quoddam addam, quo nihil accommodatius ad hanc rem afferri poſſe crediderim. Eſt enim ſumtum à nobis ipſis. Cùm ex vteris maternis in lucem hanc prodimus: & infanti in vtero, comparatur animus in corpore: & exitui illius ex vtero, migratio huius è corpore. Ergo.

1. Ita in vtero materno formatur homo: vt ante, aut extra vterum matris nihil fuerit. Sic anima ita creatur in corpore, vt ante corpus & extra corpus, nulla extiterit, contra Platonem & Origenem.

2. Finis, cur homo formetur in vtero materno, non eſt, vt ibi ſemper viuat, & ſimul etiam cum vtero matris moriatur: ſed vt tandem ſuo tempore, prodeat hanc in lucem, & hîc ea videat, ſentiat, cognoſcat, agat: quæ in illis maternis viſceribus exiſtens, nunquam potuiſſet videre, ſentire, cognoſcere, agere: ſic animus non ideo creatur in hoc corpore à Deo: vt cum hoc ſemper & viuat & moriatur: ſed vt ſuo tempore egreſſus ex corpore, & ex tenebris corporis, veniat ad lucem, in qua habitat Deus & Angeli, ibíque videat & intelligat, quæ in hoc corpore percipere non potuerat: vitámque longè diuerſam ab ea, quam tranſigebat in corpore, viuat.

3. Neque enim conuenit diuinæ prouidentiæ, vt tam excellens creatura, qualis eſt homo, ita formetur in vtero matris, vt ordinariè & viuat & moriatur, nunquam hanc lucem vſurus: ſic multò minùs congruit, vt mens humana, infinities ferè præſtantior corpore, in corpore tantùm maneat, ac cum eo viuat & moriatur: æterna luce nunquam fruitura.

4. Etſi verò hæc ita ſe habent, infans tamen in vtero, propter naturæ imperfectionem, hæc ignorat: ac proinde neque etiam vellet inde egredi: exiſtimans nullam aliam ſibi ſupereſſe vitam, ab ea, quam in tenebris viſcerum maternorum viuit: Eodem modo animus in corpore ferè ſe habet, niſi lumine diuino illuſtratus, ſe in alium finem eſſe creatum videat, quàm vt brutalem vitam degat in carcere huiuſce corporis.

5. Ergo vt ſtultus foret infans, ſi cùm tempus naſcendi appetit, nollet egredi, vel grauaretur egredi, iudicans ſe ex vtero egreſſum, viuere non poſſe amplius. Quantò obſecro maior eſt noſtra ſtultitia, cum aduentante corporis morte, per quam migrandum nobis eſt ad aliud vitæ genus longe feliciſſimum, propterea dolemus: quòd putamus, extincto corpore, animam etiam ſimul extingui?

6. Verum eſt, cùm tempus naſcendi acceſſit, tunc vitam, quam in vtero degebat infans flaceſcere: & ideo illo vitæ genere infantem quaſi emori: ſed hoc etiam certiſſimum eſt, non in alium finem conceptum, enutritum, auctúmque fuiſſe infantem in vtero materno: neque aliam ob cauſſam ad nonem menſes, eum, ibi fuiſſe conſeruatum: niſi vt porrò egreſſus, meliori vitæ generi operam daret, & non amplius in tenebris, ſed in luce viueret. Sic etiam fateor, cum ex hac vita migrandum eſt, hominem mori hoc vitæ genere: ſed cur non etiam concedas, ideo hac vita mori, vt alia longè præſtantiori viuat, & tantò præſtantiore, quantò eſt etiam melior vita huius lucis, quàm ſit illa vteri? Sicut enim in vtero, paramur vitæ corporis meliori, quàm quæ in vtero eſt: ſic in corpore paramur vitæ animæ præſtantiori, quàm quæ degatur in corpore.

7. Interim hoc etiam verum eſt: ſi infanti detur aliquis ſenſus noſcendi, cognoſcendi & cogitandi: eum ægrè laturum egreſſum ex vtero. Quamobrem verò? Quia ignorat, quò ſibi ſit veniendum: imò, quia perſuaſum habet, ſe aut extinctum iri, aut peſſimè habiturum. Falleretur tamen. Sic iiſdem de cauſis, horret animus egreſſum è corpore. Fallitur tamen, ſi putet aut ſe extinctum iri, aut malè habiturum, ſi credit in Chriſtum: qui *vitam æternam in ſe credentibus pollicitus eſt*.

8. Denique notanda eſt cauſſa, propter quam neque infans permittitur in vtero materno ſemper viuere, neque animus noſter ſemper in corpore. Ea eſt, quia vterque iis in locis, ita imperfectus eſt, vt finem ſuæ generationis ac creationis, conſequi non poſſit. Quis iſte ſit vtrinſque finis: antea dictum eſt. Vt igitur neceſſarius eſt infanti ſuæ humanæ felicitatis conſequendæ cauſſa, exitus ab vtero matris: ſic animo ſuæ diuinæ beatitudinis gratia, è corpore migratio pernecceſſaria eſt.

9. Sicut enim fruſtra data fuiſſe homini facultas ſentiendi, ſi non naſceretur, cùm eam in vtero materno exercere non queat: ſic mens fuiſſet data incaſſum & in vanum homini: ſi non liberatus corpore, in aliud renaſceretur ſeculum: quando mens in hoc corpore aut nihil, aut non quantum ſatis eſt, ſeſe exercere poteſt in iis intelligendis & amandis, in quibus ſita eſt eius beatitudo.

10. Ergo prima totius hominis in vtero matris procreatio atque promotio, & eiuſdem ex vtero, in hanc lucem productio ac generatio: euidens eſt & ſymbolum & argumentum ſtatus animæ in corpore, & eiuſdem exitus à corpore: quis, qualis, & in quem fiat finem.

Hæc aduerſus illos (vt Cicero vocat) *minutos Philoſophos*, Epicurum ſcilicet, & eius diſcipulos, qui animorum immortalitatem negarunt, ſatis ſunto. Reſtat vt quædam etiam ſcripturarum loca, quæ cum noſtra theſi pugnare videntur, explicemus.

VII.

Obiecta è ſacris literis, contra immortalitatem animorum.

EAndem phraſim vſurpat ſcriptura, cùm de anima hominis, & brutorum loquitur: Nam tam illam, quam hanc vocat *animam viuentem*, & vero etiam *ſpiritum*. Vt igitur vna, ſic altera mortalis eſt.

Reſp. Quidam volunt, cùm dicitur homo factus in animam viuentem, intelligi ſenſitiuam cum vegetatiua: & hanc concedunt corrumpi. Cùm vero ad imaginem Dei: animam intellectiuam, & hanc eſſe incorruptibilem. Sed oſtendimus, vnam tantum animam in homine eſſe poſſe: & eam totam eſſe indiuiſibilem & immortalem: eóque & locum Gen. 2. *Inſpiravit in illud ſpiraculum vitæ*, de tota anima intelligendum eſſe. Aliter igitur reſpondemus nos. Etſi idem nomen vtrumque ſignificet: non conſequitur tamen vtramque eiuſdem eſſe naturæ. Viuit enim brutum, anima ſua ſenſitiua. Viuit & homo ſua intellectiua, quæ à vegetatiua & ſenſitiua eſſentialibus partibus ſeparari non poteſt. Diſcrimen vtriuſque non ex nominibus ſumitur: ſed cùm aliis ex locis, tum maxime ex origine, tum ex operationibus; vt antè viſum eſt.

2. Pœna peccati eſt mors, vt Geneſ. 2. *Quacunque hora comederis, moriendo morieris*: Et Rom. 6. *Stipendium peccati mors*. Ideo tam de anima, quàm de corpore dicitur, *Anima quæ peccauerit ipſa morietur*. Et Roman. 5. *Per peccatum, mors intravit in mundum*. Licet igitur anima talis fuerit creata, quæ potuiſſet non mori, ſicut & corpus, ſi non peccaſſet: tamen propter peccatum, ſicut corpus, ſic etiam anima, morti obnoxia eſt facta; Et quidem eidem, cui & corpus. Neque enim vero ſimile eſt, eodem verbo, *moriendo moriemini*, diuerſas mortes ſignificatas fuiſſe. Sed ſicut per Chriſtum, corpus, ſic etiam anima, per eundem, ad vitam reſuſcitabitur æternam. Reſp. Tametſi tam anima, quàm corpus, propter peccatum rea facta ſit mortis, & mortem iam incurrerit: aliam tamen eſſe mortem corporis, & aliam animæ, apertiſſimè docent ſacræ literæ: vbicunque animam tradunt eſſe immortalem, etiam poſt peccatum; corpus verò morti obnoxium. Vt illud Matth. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autẽ non poſſunt occidere*. Eccleſ. 2. *Donec corpus redeat in puluerem, unde ſumtum eſt: ſpiritus autem ad Deum, qui dedit illum*. Et alia id genus infinita extant teſtimonia. Alia igitur eſt animæ mors, quàm corporis: ſeparatio ſcilicet à gratia & vita Dei. Quare argumentum à ſtipendio peccati ductum, nil contra immortalitatem animorum concludit.

Eccleſ. 3. *Vnus eſt interitus hominis & iumentorum: & æqua vtriuſq; conditio: ſicut moritur homo ſic & illa moriuntur*.

Reſp. Docet ibi Salomon, quid animalis homo ex iis, quę cadunt in ſenſum, iudicet de animis, nihil certè aliud, quàm æquam eſſe conditionẽ hominis & beſtiarum, cùm tam hic, quàm illæ moriantur, ita vt nullum diſcrimen facere poſſit ſenſus inter vnius & alterius mortem. Cæterũ hoc iudiciũ non probatum fuiſſe Salomoni, liquet ex vltimo capite eiuſdem libri, vbi ex ſpiritu Dei ſic pronuntiat: *in morte hominis, corpus redire in puluerem, ſpiritum autem ad Deum*.

Hactenus argumenta, quæ contra immortalitatem

animorum

animorum adferri etiam ſolent è ſacris literis præcipua reſutata ſunt. Reſtat vt breuiter videamus, quænam pro dormitione eorundem à quibuſdam Catabaptiſtis adferri ſolita ſint.

Hi enim, quia non audent apertè animorum immortalitatem negare, quòd nimis aperta ſit in ſacris literis, idcirco ſpoliant eos ſaltem omni ſenſu, cognitione, affectu, operatione: contendentes, animas dormire vſque ad diem reſurrectionis omnium corporum. Tunc enim & corpora à morte, & animas è ſomno excitatum iri. Si quis vero diligenter perpendat ipſorum dogma: agnoſcet, hunc ſomnum nihil aliud eſſe, quàm mortem. Eſſe enim deſtitutum omni motu, ſenſu, operatione, quid aliud eſt, quàm planè mortuum eſſe: cùm vita nil aliud ſit, quàm continua perenniſque animæ motio & actio?

1. Proferunt autem ad hoc ſuum ſomnium probandum, aliquot ſcripturæ loca, ſed contorta: quorum primus eſt, quod de toto homine legimus, cùm mortuus eſt, eum dormire. Vt Iohan. 11. *Lazarus noſter dormit.* Et Actor. 7. de Stephano, *obdormiuit in Domino.*

Reſpond. Vt frequentiſſima eſt hæc loquutio in ſacris literis, de iis, qui mortui ſunt: ſic nihil eſt certius, quàm de ſolo cadauere, quod more dormientium iacet humi, aut in ſepulchro: hanc intelligendam eſſe: idque vſitatiſſima ſacris literis figura, quæ *Synecdoche* appellatur. Rem ita ſe habere, hinc liquet. Primo, quòd ſæpè additur particula, quæ apertè docet dormitionem hanc, ad cadauera eſſe reſtringendam. Quænam ea eſt particula? *In puluere: in ſepulchro.* Vt Iob. 7. *Ecce nunc in puluere dormio: & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.* Et 21. *In puluere dormient, & vermes operient eos.* Pſal. 78. *ficut vulnerati dormientes in ſepulchris.* Eſt autem certum, hoc non competere in animas ipſas.

Chriſtus quoque dicitur dormiuiſſe, cùm mortuus eſt. De ipſo enim hoc citatur, ex Pſal. 40. *Ego dormiui, & ſomnum cepi: & exſurrexi: quia, &c.* Quis tamen animam eius dormiuiſſe dicat: quæ eo die, quo mortuus eſt, fuit cum latrone in Paradiſo? Et Stephanus, quem Lucas ait obdormiuiſſe in Domino: priùs dixerat, *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum:* nec dubium eſt, quin fuerit in cœlum receptus.

Conſtat, vt ſuprà demonſtratum eſt, animas piorum omnium, migrare in cœlum, ibique frui conſpectu Domini: impiorum autem tradi in infernum, & ibi cruciari. Hoc autem longe aliud eſt, quàm dormire. Ex locis igitur, vbi mortui leguntur dormire; minimè colligi poteſt animorum dormitio. Quare de ſolis intelligantur corporibus oportet.

2. Alterum argumentum, ſumtum ex locis, in quibus promittitur dies nouiſſimus, quo & pij in regnum cœlorum recipientur: & impij in æternum ignem tradentur. Matth. 13. 24. 25. & alibi millies. *Ergo*, inquiunt, *non citiùs animæ participes erunt vel gloriæ æternæ, vel ſempiterni ignis.* Quare alicubi dormiant, ſi non moriuntur, neceſſe eſt.

Reſp. Duplex eſt æternæ vitæ ac gloriæ participatio: inchoata, & conſummata atque plena. De plena, fatemur eam non priùs poſſideri à ſanctis, quàm veniat dies vltimus: in quo vnà cum corporibus, plenam percipient hæreditatem: cùm ſcilicet Deus erit omnia in omnibus. Ac de hac loquuntur ſcripturæ, quæ ab ipſis ſomnolentis citantur. Sed de inchoata illius æternæ beatitudinis participatione, aliæ ſunt innumerabiles ſcripturæ: vt omnibus piis notum eſt: & nos de principio huius quæſtionis oſtendimus. Non ſequitur ergo, animas interim dormire, donec in plenam hæreditatis poſſeſſionem recipiantur. Iam enim ex parte illa fruuntur. Idem de animis piorum dicimus, deque ipſorum pœnis.

Deinde etiamſi ante illum vltimum diem, daremus animas nullius eſſe vel gloriæ, vel pœnæ participes (quod certè non damus) interim tamen non ſequeretur, eas dormire. Poſſent enim (vt nonnulli voluerunt, quibus non ſubſcribo) in certis contineri & ſeruari receptaculis: in quibus vigilantes quieſcerent, vſque ad diem iudicij. Sed prior vera eſt ac genuina reſponſio. Ac de ſtatu animorum poſt ſeparationem à corpore: aliàs fuſiùs, pleniùs & exactiùs dicemus. Neque enim illa tractatio pertinet ad opera creationis: ſed potius redemtionis, & diuini iudicij in eos, qui redemtionem amplecti noluerunt.

3. *Miſerabiliores*, inquit Apoſtolus; *eſſemus omnibus hominibus: ſi mortui non reſurgant.* Atqui hoc eſt falſum, ſi animi piorum non ſolum ſint immortales, verum etiam ſeparati à corpore, vitam in cœlo degunt beatam & æternam. Eſt igitur neceſſe piorum animas, ſi non moriuntur, ſaltem fruitione illius beatitudinis priuari: eóque in pace quadam alicubi dormire.

Reſpond. Animorum noſtrorum immortalitas, & corporum noſtrorum reſurrectio, ita inter ſe coniunctæ ſunt: vt vna ſine altera in ſempiternum eſſe non poſſit. Eſt enim nimis abſurdum, & cum immenſa Dei ſapientia pugnans: formam alicuius corporis, poſſe in ſempiternum ab illo corpore ſeparatam ſubſiſtere, cuius eſt forma. Hinc fit, vt qui vnam negarunt, alteram quoque inficiari cogerentur: vt de Sadducæis patet. Dicebantur negare reſurrectionem mortuorum; ſed interim etiam ſpiritus ſuperſtites eſſe ſine corporibus, pernegabant. Contrà, qui vnam probabant, alteram etiam neceſſariò confirmabant: vt Chriſtus, qui aduerſus Sadducæos probando reſurrectionem corporum, immortalitatem etiam animorum, eodem argumento confirmauit. Non alio modo ſe geſſit Apoſtolus 1. Corinth. 15. in tractatione de reſurrectione corporum demortuorum. Ibi enim nõ ſolùm refutauit ſententiam eorum qui corporum reſurrectionem negabant: ſed etiam eorum, qui ex conſequenti, animorum immortalitatem non admittebant: quemadmodum ex argumentis, quibus ſuam confirmat ſententiam Apoſtolus, colligi haud obſcurè poteſt. Et certius nihil eſt, quàm ſi corpora reſurgunt: Animas etiam eſſe immortales. Et contrà contendo: ſi animæ ſint immortales; tandem futuram corporum reſurrectionem. Quæ cùm ita ſe habeant, optimè ſequitur, ſi reſurrectio mortuorum nõ ſit: fore nos pios, omnibus hominibus ſimpliciter miſerabiliores, quod ad vtramque hominis partem attinet. Nam ſi non reſurgant corpora: neque etiam animi ſunt immortales. Si enim ſint immortales: oportet, vt tandem ſuis denuo vniantur corporibus: quia hæc ſeparatio violenta eſt. Nullum autem violentum eſt perpetuum. Si autem neque animæ ſuperſtites manent, neque corpora reſurgunt: quid miſerabilius ſtatu & conditione Chriſtianorum hominum? Ita ex his Apoſtolis verbis, nil poteſt pro animorum dormitione concludi.

Sed eſto etiam, vt de ſola corporum agat reſurrectione Paulus: adhuc tamen verum eſt Apoſtoli dictum: quanquam animos concedamus in æterna eſſe beatitudine, nos tamen omnium eſſe miſerabiliores. Cum enim ait, *miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus*: non ſimpliciter de toto homine loquitur, ſed de ea parte, de qua eſt quæſtio, hoc eſt, de corpore, vt ſynedochικῶς loquatur Apoſtolus. An non vero hoc certum eſt: nihil eſſe miſerabilius, inter omnia hominum corpora, corpore pij hominis, ſi non reſurgat ad meliorem vitam? Nullo igitur modo fauet hic Apoſtoli locus ſomnij animorum defenſoribus.

4. Pſal. 146. *Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eorum, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Loquitur Propheta de fiducia non collocanda in homine vllo. Rationem ſubdit, *quoniam ita pereunt homines, vt nullum præſtare deinceps auxilium poſſint. Spiritus enim eorum*, id eſt animæ, *reuertuntur in terram: & ſimul pereunt omnes cogitationes eorum:* hoc eſt, nihil ampliùs ſentiunt, cogitant, cognoſcunt. Ergo ſi animæ non penitus moriuntur: ſaltem omnibus priuantur cogitationibus & cognitionibus. Quid hoc autem eſt aliud, quàm dormire?

Reſpond. Torquetur hic locus Dauidis: Primùm in eo, quòd aiunt *reuerti ſpiritum*, id eſt, animam in terram: deinde in eo, quòd *cogitationes hominum* accipiunt pro *operationibus intellectus*. Primus igitur locus ſic legendus eſt: *Exibit ſpiritus eius*, id eſt, anima à corpore: *& (ita) reuertetur* (nempe homo priuatus ſpiritu) *in terram ſuam* (vnde ſcilicet ſumtus eſt. Quid autem ſumtum eſt è terra? Corpus duntaxat. Ergo, filium hominis ſynecdochικῶς, accipit pro cadauere. Quare nihil hic locus ad animam.

Alter locus ſic eſt explicandus: *In illo die* (mortis ſcilicet) *peribunt omnes cogitationes eius:* id eſt, fient irrita omnia ante inita & ante coacta conſilia: ſicut alibi ait, *Diſſipat Dominus conſilia gentium.* Non eſt igitur fiducia collocanda in homine mortali; quoniam licèt ſtatuat tibi opem ferre, tamen ipſius ſæpè conſilia & decreta fiunt irrita per mortem: ſed fidendum eſt Deo æterno. Nihil minus igitur hîc loquitur Propheta, quàm de animi vel interitu vel dormitione.

5. Aliud argumentum colligunt ex locis illis, vbi legimus *hominem eſſe ſpiritum, qui tranſeat, & non redeat.* Item, *ſpiritum hominis exire, & non reuerti.* Nam legimus in hunc modum Pſalm. 78. verſ. 39. *Et recordatus eſt Dominus, quòd caro ſunt: ſpiritus tranſiens: & non rediens.* Et Sap. 15. *Exit ſpiritus eius, & non reuertitur.*

Reſp. Ego non video, quomodo iſta loca ad aſſerendam animorum dormitionem trahi poſſint: niſi dormitionē pro *extinctione capiant.* Torqueri potiùs poſſunt ad reſurrectionē demortuorum pernegandam: vt dicatur *ſpiritus*, id eſt, anima, *exire*, (à corpore ſcilicet) *& ad illud non reuerti*: hoc eſt, non reuniri corporibus animas: eóque nullam

eſſe mortuorum reſurrectionem, ſed iſti dormientes, reſurrectionem non inficiantur.

Cæterùm ſi ſenſum horum locorum intelligamus genuinum: apparebit luculentiſſimè, hinc neque animorum mortalitatem, neque dormitionem probari, neque etiam corporum reſurrectionem impugnari poſſe. Prioris itaque loci ex Pſal. 78. ſenſus eſt: Idcirco Deum noluiſſe funditus perdere ſuum populum: quanquam id ſuis ſceleribus promeritus fuerit, ſed voluiſſe miſereri & parcere: quia recordatus eſt, hominem nil aliud eſſe, quàm carnem & ſpiritum euaneſcentem: hoc eſt, rem miſerabilem, corruptionique obnoxiam: & eius vitam ſimilem eſſe vento, qui citò perit. Nomine enim *ſpiritus euntis, & non redeuntis*: non intellexit animæ ſubſtantiam: Eſt enim hæc reditura ad ſuum corpus, in reſurrectionis die: ſed intellexit vitam hanc præſentem, quæ fluit inſtar venti: ſicut alibi quoque accipitur: vt Iob. 7. *Memento mei, quia ventus eſt vita mea* Eſt autem certum, hominem demortuum, non rediturum amplius ad hanc, id eſt, ſimilem vitam, ſua præſertim natura. Nam quòd reſurrecturus ſit: ad aliud vitæ genus reſurget, & viuet non in terra hac, ſed in cœlo: & id non ſua natura, ſed beneficio Dei, propter Chriſtum; vt ad Corinth. docet Apoſtolus. Rectè itaque vita noſtra vento comparatur: qui proprio ſuo motu concidit, peritque. Idem ſenſus eſt in Pſalm. 103. verſ. 14. vbi Propheta ait, *Deum miſericordem eſſe erga timentes ſe: quia ipſe cognouit figmentum noſtrum. recordatus eſt, quòd puluis ſumus: homo, quaſi herba: dies eius quaſi flos agri ſic florens. Vbi ventus tranſierit ſuper eum, tunc non erit.*

Loquitur autem Propheta de terreno tantùm hominis ſtatu: ac proinde illis locis, futuram reſurrectionem non negat.

Alter etiam locus, nempe ex Sapientia, facilis eſt ad intelligendum: nihil eum facere pro ſomno animarum, manifeſtum eſt, ſi integer citetur. Sic ait, *Tu, Domine, vitæ & mortis poteſtatem habes, ad portáſque inferorum deducis & reducis. Homo quidem ſua malitia mortem infert, ſed efficere non poteſt, vt ſpiritus è corpore egreſſus, reuertatur, & vt anima aſſumta, in corpus redeat. Tuam verò manum vti aliquis effugiat: fieri non poteſt.* Hæc ibi.

Similis eſt hic locus illi Chriſti, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere: ſed timete eum, qui poteſt vtrumque mittere in gehennam.*

Docet igitur Salomon, ſolum eſſe Dominum, qui poſſit & penitus perdere hominem, & ſaluare, atque efficere, vt animæ noſtræ à corporibus egreſſæ, ad ſua redeant corpora. Imo cum dicat, *ſpiritus & animas noſtras egredi è corporibus: homines autem efficere non poſſe, vt redeant ſpiritus, ſed tantùm Deum*: Locus iſte docet, animas noſtras à corporibus ſeparari, non autem cum illis extingui: & ſeparatas per ſe ſubſiſtere, & redire poſſe ad ſua corpora, ſi Deus velit. Tantum abeſt, vt hic locus fauere poſſit vel extinctioni, vel dormitioni animorum.

6. Ab illis locis ſumunt, in quibus videtur deſcribi homo poſt mortem talis eſſe conditionis, vt non amplius Deum laudare poſſit, & celebrare nomen eius: vt in Pſal. 87. *Nunquid mortuis facies mirabilia. aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, aut iuſtitiam tuam in terra obliuionis?* Et Pſal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum: Sed nos qui viuimus, benedicemus Domino.* Item alibi Pſalm. 30. *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?* Similis locus eſt Ieſa. 38. in cantico Ezechiæ. Et in libro Ieſu filij Syrach, qui *Eccleſiaſticus* dicitur, cap. 17. verſ. 25 26. *A mortuo, quaſi nihil perit confeſſio.* Videntur hi loci fauere ſententiæ de ſomno animorum. Si enim animi piorum poſt mortem non laudant Deum: quid igitur agunt, immortales cùm ſint: Dormiunt igitur, hoc eſt, omni deſtituti ſunt ſenſu, cognitione, actione.

Reſpond. Animas piorum in cœlo, Deum ſuo modo laudare & celebrare notum eſt, cum aliis ex locis multis, tum maximè ex Apocal. per aliquot capita. Legimus enim cap. 5. *Sed & omnem creaturam*, inquit, *quæ in cœlo eſt, &c. audiui dicentes, Seſſori throni & Agno: Benedictio, claritas, & honor & gloria, &c.* Sic cap. 14. *de illis qui empti de terra, canticum nouum canebant in cœlo, &c.* Et cap. 19. *Poſt hæc audiui vocem magnam, turbæ multæ in cœlo dicentis, Alleluia.* Manifeſtum autem eſt, ſcripturas inter ſe non pugnare. Neceſſe igitur eſt, vt loca antè è Pſalmis citata, & ex Ieſ. & ex Eccleſiaſtico, alium habeant ſenſum, quam quod piorum animi poſt mortem non laudent Dominum ſimpliciter: eóque dormiant. Nonnulla intelliguntur de iis, qui cum diabolo damnantur in infernum. Ibi certè non laudatur Deus: ſed contrarium potiùs fit ab impiis & diabolis. Alia de piis omnino intelligenda ſunt. Tum verò notandum eſt, duplicem eſſe laudem: vnam, quam in hoc ſeculo apud alios prædicamus Dei erga nos bonitatem, vt alij quoque ad Deum fide amplectendum & colendum excitentur. Et de hoc laudis genere præcipuè loquitur Dauid in Pſal. 30. *Quæ vtilitas in ſanguine meo, cùm deſcendero in foueam? Nunquid confitebitur tibi puluis; aut annunciabit veritatem tuam?* Senſus enim eſt: Quorſum me creaſti ò Deus? Annon vt toto vitæ meæ curriculo, te tuámque benignitatem prædicem, & illuſtrem nomen tuum? Quomodo verò præſtare hoc potero, ſi me iam è vita tollas? Cadauer certè in ſepulchro celebrare te non poterit. Vitam igitur mihi prolonges quæſo: quò nomen tuum in Eccleſia, & apud omnes homines celebrare queam. De hoc laudis genere, quòd fit in Eccleſia, & apud homines in hoc Mundo, loqui Dauidem manifeſtum eſt. Hoc autem, locum habere non poſſe apud mortuos quis dubitet? Proinde ex hoc & aliis ſimilibus locis euinci non poteſt, piorum animos à corpore ſeiunctos, ab omnibus Dei laudibus ceſſare. Eſt enim alterum laudandi genus, quod animis piorum, in alterum ſeculum ſeruatur: ſicut ſuprà oſtendimus ex Apoc. Quare neque hoc argumentum ſextum aliquid habet momenti, ad ſomnum animis demortuorum conciliandum. Ex his verò locis, apertè colligitur, poſt mortem nullum pœnitentiæ locum relinqui hominibus. Atque hoc inprimis voluit Siracides, Eccleſiaſtici 17 *Reuocare* (inquit) *ad altiſſimum, & ab iniuſtitia recede. Quis apud inferos laudabit altiſſimum? Mortuum laudatio deficit: Viuus autem & corde ſanus laudabit Dominum.* Senſus eſt: *Dum viuis, reſipiſce, & conuertere ad Dominum. Nam poſt mortem, nullus datur reſipiſcentiæ locus.*

7. Ex Iobi cap. 17. Vbi preſſus Iobus, maxima animi perturbatione propter immenſas calamitates, maledicit diei, in qua natus fuerat: & in magno lucro ſe habiturum fuiſſe docet, ſi fuiſſet mortuus in vtero matris, propterea quod foret iam expers omnis doloris. Ac præter alia inquit: *Ibi* (id eſt, in ſtatu mortuorum) *impij deſinunt metum* (ſcilicet incutere;) *& ibi quieſcunt feſſi robore: ſimul vincti conquieſcunt, nec audiunt vocem exactoris.*

Si ibi (inquiunt ſomniatores) omnes quieſcunt, tam impij, quam pij: Ergo impiorum animæ non patiuntur vllas pœnas poſt mortem. Horum igitur ſaltem animæ, ſi non moriuntur, dormiunt: vſque ad finem Mundi.

Reſp. Loquitur ibi Iobus, vt homo, ſupra modum preſſus dolore, hoc eſt, ex ſenſu & iudicio carnis. Solent enim huiuſcemodi homines, idcirco expetere mortem: quod ſciant, eam eſſe finem omnium præſentium, quibus premuntur, malorum & calamitatum: neque vlterius protendunt oculos, quid porrò ſibi euenturum ſit. Sic faciunt illi, qui vel ob æs alienum, quod non poſſunt diſſoluere, vel quia metuunt publicum ſupplicium atque ignominiam: ſeſe ſponte aut ſuſpendunt, aut gladio interficiunt, ſibique ipſis manus inferunt. Cur hoc faciunt, ſibique ipſis mortem conſciſcunt? Quia ſperant hac ratione, ſe omnibus præſentibus malis liberari. Interim non cogitant, talem mortem, initium ſibi eſſe æternorum malorum. Tantus eſt enim mali, quod ſentiunt, dolor: vt non ſinat eos præuidere grauiora & diuturniora mala, in quæ ſe ſponte præcipitant. Idem contigit Iobo, cùm dixit: *Quare non à vulua mortuus ſum?* Cum igitur verba fuerint hominis, præ magnitudine doloris excæcati, deſperabundi, ſanáque mente non præditi; colligi ex iſtis verbis minimè poteſt aut debet, Iobum ſeriò ſenſiſſe, poſt mortem nullum ſupereſſe, vel dolorem impiorum animis: vel gaudium piorum ſpiritibus. Quare quàm etiam futile ſit hoc argumentum ex verbis Iobi violenter petitum, manifeſtum eſt.

Hæc verò ſunt præcipua, quæ pro dormitione animorum reperi argumenta. Cùm verò hæc ſint, vt vidimus, infirmiora, quàm vt etiam reſponſionem mereantur: & præterea oppugnent doctrinam, qua nihil eſt in ſacris literis certius: neceſſariò concluditur, animos noſtros ita eſſe immortales, vt ſeparati à corpore non ſolùm ſuperſtites maneant: verùm etiam omnia vitæ officia, quæ illi conditioni conueniunt, præſtent.

Ex his verò omnibus, quæ de anima diximus: nunc plena eius definitio, vel deſcriptio potiùs, componenda eſt. Sic autem definio: Anima humana, ſubſtantia eſt incorporea, immaterialis, immortalis: à Deo immediatè è nihilo in corpore cuiuſque hominis creata: eáque vnica, & indiuiſibilis, licèt pluribus partibus atque viribus conſtans: corporique humano indita, tanquam vera illius forma, ſed à corpore ſeparabilis, & ſuo tempore ſeparanda, & denuo corpori copulanda, qua homo & viuit & ſentit, & intelligit ac vult, & loco etiam mouetur: in hunc potiſſimum finem nobis tradita, vt hac in gloriam Dei primùm, deinde in

de in ſalutem proximi, ex voluntate Dei viuamus in hoc ſeculo: in altero verò perfectam Dei cognitionem atque amorem adepti, feliciſſimi in ſempiternum cum Chriſto Angelis & fratribus viuamus, Deumq; æternis laudibus celebremus, per Ieſum Chriſtum verum Deum, veríſque hominem, & Dominum ac Seruatorem noſtrum. Amen.

Singulæ huiuſce deſcriptionis particulæ in præcedentibus quæſtionibus, & explicatæ, & confirmatæ fuerunt. Non eſt igitur opus pluribus verbis. Quare finem his impono huic tractationi de *Anima*, Deo ſit laus.

HIERONYMI ZANCHII

DE OPERIBVS DEI, PARTIS TERTIÆ,

LIBER TERTIVS.

DE STATV PRIMI HOMINIS ANTE LAPSVM.

CAPVT PRIMVM.

De imagine Dei, ad quam creatus fuit homo.

DISSERVIMVS huc vſque de humani tum corporis, tum animi ſubſtantia, déq; vtriuſque vſu, facultatibus & viribus. Nune de totius hominis ante lapſum ſtatu, diſſerendum eſt. Atq; inprimis de imagine Dei, ad quã creatus fuiſſe dicitur. Eſt enim quadruplex hominis ſtatus. Primus, ante peccatum, felix: in hoc fuerunt Adam tantùm & Eua. Alter poſt peccatum, ſine gratia Chriſti, miſer & infelix. Ab hoc excludi nemo poteſt eorũ, qui per cõmunem propagationem ex Adamo naſcuntur. Tertius, poſt peccatum, ſub gratia Chriſti, iſq; partim felix, propter ſpiritum, partim infelix propter carnẽ. Ad hunc electi duntaxat referuntur. Quartus electos ſequitur poſt hanc vitã, in gloria æterna, feliciſſimus ac beatiſſimus: Reprobos vero in ſempiterna ignominia, atq; pœnis, miſerrimus. Nunc verſamur in prioris ſtatus explicatione: cuius præcipua, & principalis pars, eſt imago illa Dei in qua creatus fuiſſe legitur homo. Tres autẽ de hac imagine proponuntur quæſtiones.

I. *An ſolus homo imago Dei ſit, & ad imaginem Dei factus.* Nam ad imaginem Dei factum eſſe conſtat, & in ſacris literis, & apud Philoſophos.

II. *An totus homo factus fuerit ad imaginem Dei, tam corpore, quàm anima: an verò ſola anima.*

III. *Quid ſit hæc imago, quibúſve in rebus conſiſtat.*

IV. *In quem finem voluerit Deus hominem ad ſui imaginẽ creare.*

1. Primæ quæſtioni occaſionem dedit Moſes, qui de ſolo homine refert, quòd *fuerit ad imaginem Dei creatus*: ſed facilis eſt reſponſio: Moſem non expreſſiſſe niſi creationem rerum corporatarum, & viſibilium, vt manifeſtum eſt. Dico *expreſſiſſe*, quoniam creationem etiam Angelorum, inter opera creationis complexum fuiſſe, quum dixit, *In principio creatum fuiſſe cœlum*: abundè à nobis demonſtratum fuit. Inter res autem corporatas & viſibiles, nullam præter hominem reperiri, quæ imago Dei appellari rectè & verè poſſit: nemini dubium eſt. Nulla quidem res eſt, quæ non aliquã cum Deo ſimilitudinem habeat: quia omnis effectus, ſimilitudinẽ aliquam habeat cum ſua cauſa neceſſe eſt: Et illarũ aliæ magis, aliæ minùs ſimiles ſunt Deo: cũ aliæ tantũ habeant Eſſe: aliæ etiam vitã, aliæ præterea, cognitionẽ quoq; aliquã: Et cùm omnes ſint bonæ, aliæ ſunt aliis meliores & præſtantiores. Ita fit, vt nihil in mundo ſit, in quo non aliquod Dei, diuinæq; bonitatis veſtigium impreſſum conſpiciatur. Quæ cauſſa eſt, cur in ſacris literis, Deus ſubinde variis rebus à ſe conditis, ſeſe comparet, Elementis, vt igni & vento: Stellis, vt Soli: Lapidibus, plantis, variiſque animantibus. Totum hoc verum eſt; ſed interim harum nulla præter hominem reperiri poteſt: quæ aut imago Dei eſſe, aut etiam ad imaginem eius facta fuiſſe, vel legatur vnquam, vel rectè dici poſſit. Vt enim aliquid verè dici queat eſſe alterius rei imago: neceſſe eſt primò, vt ſit aut ex ea re expreſſum, aut exemplar illius rei efformatum: alioqui etiamſi ſimile ſit, illius tamen rei imago dici non poterit. Quid enim magis ſimile eſt ouo, quàm ouum? Ouum tamen vnum alterius oui imago nunquam dicetur: neq; quilibet homo, alterius hominis eſt imago. Sed filius imago eſt patris, quia ex patre expreſſus, & genitus eſt: & figura ſigilli, in cera expreſſa, illius eſt imago. Et Cæſar pictus eſt imago viuentis Cæſaris, quia ad huius effigiem, & formã, ille pictus, efformatus eſt, & effictus. Et ſimilis tui vultus in ſpeculo relucens, tui vultus imago eſt: quia ex tuo vultu in ſpeculo eſt expreſſa. Secundo requiritur, vt referat, ac repræſentet, vel eſſentialem formam, vel accidentalem: hoc eſt, ſpecificam illius rei vel eſſentiam vel figuram: aliáve qualitatẽ vel vtramque ſimul: alioqui ſi generalem tantùm, & eſſentiã & qualitatem referat, imago dici nõ debet. Sicilicet ouum e gallina exprimatur, & vermis naſcatur ex homine quis tamen illud imaginem gallinæ, aut hunc imaginem hominis appellet? Sed filius quilibet, imago patris eſt: quia & eſſentiam illius ſpecificam, & effigiem formámque repræſentat. Item ſimiliter hominis picti, hominis imago eſt: quia licet eſſentiam non repræſentet, figuram tamen & effigiem refert.

Imago igitur propriè & naturaliter loquendo, ſimilitudo eſt, nõ quælibet, ſed illa demũ, quæ ex aliqua re, vel ad exẽplar alicuius rei expreſſa: aut propriam illius eſſentiã atque naturam, aut propriam aliquam qualitatem, vel figuram repræſentat, aut vtramq;. Eſt autem manifeſtum, per nullam creaturam merè corporatam, propriam Dei eſſentiam atq; naturam, quæ ſpiritualis eſt, & incorporea, intelligentia, liberáque voluntate prædita, repræſentari poſſe. Ac proinde licèt ſimilitudo aliqua eſſentiæ, vitæ, & bonitatis diuinæ in rebus merè corporatis reluceat: in illarum tamen nulla imago Dei expreſſa eſt. Quæ cauſſa eſt, cur neq; humanum corpus per ſe conſideratum, dici poſſit ad imaginem Dei factũ fuiſſe: cùm Deus, & eſſentiæ ſit incorporeæ, & ideò omnis etiam figuræ expers. Eatenus verò tantùm ad imaginẽ Dei, illud quoque pertinet, quatenus in ipſum ex parte deriuatur, & multò magis deriuanda eſt poſt hanc vitam, imago illa Dei, quæ in anima eſt: Rectitudinis, ſanctitatis, dominationis, immortalitatis, &c. vt poſtea dicemus.

Hinc apparet inter ſimilitudinem & imaginem non paruam eſſe differentiam: quanquam ſæpè, cùm de homine ſermo eſt, in ſacris literis, vna pro altera accipiatur. Similitudo enim latiùs patet, quàm imago: vt etiam Auguſt. Tomo 4. lib. 83. quæſtionum, quæſtione 73. prudenter adnotauit, dicendo: *Vbi eſt imago, ibi ſtatim etiam eſſe ſimilitudinem: ſed non contra. Inter ouum enim & ouum, ſimilitudo eſt: at non imago.*

Meritò itaq; Moſes in operum Dei viſibilium narratione, de ſolo homine dixit, *hunc ad imaginem Dei factum eſſe*. Cæterum an ſimpliciter ſolus ſit Dei imago, aut ad imaginem Dei factus, hac Theſi reſpondemus.

THESIS.

Homo neque ſolus imago eſt Dei, neque ſolus factus eſt ad imaginem Dei.

PRimo quidem Chriſtus, vera eſt, eáq; perfectiſſima Dei Patris imago: tum quia Filius eſt æternus. Eſt enim è Patris ſubſtantia genitus: ideò *character ſubſtantiæ eius* vocatur: tum etiam quia manifeſtatus in carne. In eo enim, viſibili per carnem effecto, tota Patris perfectio, & quaſi facies conſpicitur. Ideò, *Qui videt me* (dicebat) *videt & Patrem meum.* Hæc eſt prima & ſubſtantialis Dei Patris imago. Et ſic ab Apoſtolo vocatur. Neque vnquam legitur *factus eſſe ad imaginem*, ſed ſemper *imago* appellatur ſimpliciter. Quid ita? Nimirum, quia perfectiſſimò totam Patris ſubſtantiam atque naturam in ſe habens, eam etiam in ſua carne quaſi viſendam exhibet, ac repræſentat: perque ipſa effecta etiam patefacit. Eſt enim Chriſtus, quatenus Filius eſt æternus, talis imago Patris, qualis eſt quiſque filius ſui parentis imago, ſubſtantialis ſcilicet & perfecta: imò etiam longè perfectior: quia non eadem ſpecie natura eſt in filio, quę & in patre, vt apud nos fit, ſed eadẽ numero

Quatenus autem Filius eſt in carne manifeſtatus: imago Patris eſt, imagini ſigilli in cera, materia ſcilicet aliena, expreſſæ, vtcunque ſimilis; quanquam longe etiam excellentiór infinitis propè modis. Plenitudo enim deitatis quæ in Filio eſt, carni σωματικῶς vnita, & ceu impreſſa: ipſam ſuam & Patris naturam, atque ingenium, per varia opera, variáſq; rationes, perfectè fidelibus referebat. Et vſque adeo prima perfectiſſimáque Dei Patris imago eſt Chriſtus: vt Philon, quem alij multi ſecuti ſunt, dixerit: *Hunc eſſe illam imaginem, ad cuius exemplar creatus eſt homo ſimiliſq; Deo effectus: quia homo, imago eſt Christi. Chriſtus autem Dei patris, εἰκὼν,* inquit, τοῦ Θεοῦ ὁ θεῖος λόγος· εἰκὼν δὲ εἰκόνος, ἀνθρώπινος νοῦς. Huic ſententiæ fauere videtur, quod Apoſtolus ad Corinthios ait, *Sicut portauimus imaginem terreni* (id eſt, Adami primi,) *portemus & imaginem cæleſtis*, id eſt, Chriſti.

Porrò Angelos quoque ad imaginem Dei conditos eſſe, dubitandum non eſt: tum quia & ipſi filij Dei in ſacris literis vocantur: tum quia ſpirituales ſunt ſubſtantiæ, illæque immortales: adeo quòd creati fuerunt iuſti & ſancti, plenique ſapientia, & perfectionibus illis omnibus, & longè etiam pluribus & præſtantioribus, quibus & homo ornatus fuerat: in quibus maxima pars imaginis Dei conſiſtit: tum denique, quia Chriſtus apertè docet, tunc futuros nos verè beatos, eóque verè ſimiles Deo: tùm effecti fuerimus in Cælo, ſicut Angeli Dei. Non igitur ſolus homo eſt, aut imago Dei, aut ad imaginem Dei factus. *Imago* vocatur 1. Corinth. *ad imaginem Dei autem factus*, in Geneſi & alibi. Cur imago? Propter veram ſimilitudinem, quam habet cum Deo. Cur ad imaginem? Propter imperfectionem huius ſimilitudinis, quia perfectè non repræſentat Deum, ſicut Chriſtus Patrem ſuum repræſentare poteſt. Sic Auguſt. Tom. 3. de Trin. lib. 7. cap. 6. Hæc de prima quæſtione, cuius ſumma hæc eſt: Reſpectu Chriſti & Angelorum, hominem non eſſe ſolum imaginem Dei: Reſpectu autem reliquorum, ſolum eſſe Dei imaginem.

II. Ad alteram quæſtionem quod attinet, diuerſæ fuerunt Theologorum ſententiæ, & etiam nunc ſunt. Quidam corporis tantùm mentionem fecere, alij tantùm Animæ: Alij neque corpus, neque animam ad imaginem eſſe Dei: Alij denique & anima & corpore, totum hominem imaginem Dei geſtare. Dicam de ſingulis.

Quidam igitur putarunt, hominem ad imaginem Dei, propriè creatum fuiſſe, reſpectu corporis; ſed non eodem omnes modo id explicarunt: Alij enim ſenſerunt Deum verè eſſe corporeum; & ſimili corporis figura præditum ſemper fuiſſe, qua & nos ſumus: ita Deum ad ſuæ formæ exemplar, noſtrum corpus formaſſe. Huius ſententiæ autor fuiſſe dicitur Melito quidam, quem Manichæi ſecuti ſunt: & omnes Anthropomorphitæ. Et Rabbi Moſes Ægyptius lib. 5. cap. 1. refert, multos in hac fuiſſe ſententia. Sed tam manifeſta eſt hæc inſania, vt illam refutare velle, nihil aliud ſit, quàm cum inſanis velle inſanire: quando non ſolùm pugnat cum ſcripturis ſanctis, quæ prædicant Deum eſſe ſpiritum: ſed etiam cum omni Philoſophia: & ab omnibus doctis fuerit ſemper exploſa. Homerus ipſe pater fabularum, de ſuis quoque Diis ita ſcribit:

> Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.
> Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Conſentaneè certè cum verbis Dei, qui ait in Pſalmo 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Et Plinius licet profanus, ait, *Quapropter effigiem Dei, formamq; quærere, imbecillitatis humanæ reor.*

Quidam putarunt, Deum corpus quidem tale, quale noſtrum eſt, non habere: ſed tamen ſpirituali eum non carere, illóque talis formæ, qualis & noſtrum. Sed contrà eſt, quòd ipſe negat ſe vllam habere ſpeciem, quæ depingi poſſit. Et Chriſtus ait: *Deum eſſe ſpiritum*, nempe ſimpliciſſimum. In corporis igitur figura, imago Dei eſſe non poteſt.

Qui ſenſerunt Deum verè ſpiritum eſſe, & tamen hominem ratione corporis, imaginem eſſe Dei: Horum alij ſic ſuam explicant ſententiam: Deum, quum decreuiſſet, vt Filius noſtram tandem ſumeret carnem, & verus fieret homo; reſpexiſſe in ideam huiuſce corporis Chriſti; & ad huius exemplar, atque archetypum, hominis corpus formaſſe. Placuit aliquando hæc ſententia; ſed nullum habet fundamentum in ſacris literis, imò potiùs cum illis pugnat. Chriſtus enim quum factus eſt homo, dicitur *factus eſſe nobis ſimilis per omnia, dempto peccato.* Illius igitur corpus, ad imaginem noſtri factum formatúmque potiùs fuit, quàm noſtrum ad illius. Deinde Moſes ait, *hominem creatum fuiſſe ad imaginem Dei*, non, *ad imaginem corporis Chriſti*, neque ipſius ideæ. Eſt itaque merum ſomnium.

Alij aiunt, Filium Dei Deum, antequam creaſſet hominem, formam humani corporis ſumpſiſſe, & ita lutum manibus ſuis accepiſſe: & ex eo Adami corpus formaſſe ad exemplar eius, quod primus ſumſerat. Quod aiunt, de forma corporis humani, quam aſſumere ſibi ſolitus erat Filius Dei: certum eſt ex ſacris literis. Quod etiam addunt, eum tali forma præditum, è luto feciſſe hominem manibus ſuis, ſimilémque feciſſe illi formæ, quam aſſumſerat ipſe; deinde in faciem eius inſufflaſſe: non pugnat cum ſcripturis, & probabile eſt: & ideo mihi non diſplicet. Sed an hoc intellexerit Moſes, quum dixit, *hominem factum fuiſſe ad imaginem Dei*: Ego non video, quomodo probari poſſit. Quid enim illi humani corporis figuræ cum Deo incorporeo commune? Non eſt autem homo factus ad imaginem illius corporeæ figuræ: ſed ad imaginem incorporei. Itaque prima hæc opinio, quæ Imaginem Dei in humani corporis forma collocat: quàm erronea ſit, nemo non videt: cùm Deus, cuius imago eſt homo, incorporeus ſit. Non inficiamur quidem quin hæc recta noſtri corporis forma, ſit omnium excellentiſſima, ac verè diuina, ſymbolúmque ſit atque imago quædam rectitudinis animæ, imò totius hominis, qua corpus ſubiectum erat animæ, & anima ſpiritui, & ſpiritus Deo: de qua Eccleſiaſt. 7. *Deus creauit hominem rectum*: in qua rectitudine maxima pars imaginis Dei conſiſtit: ſed in figura hac, imago Dei eſſe non poteſt.

Altera igitur ſententia eſt eorum, qui in anima duntaxat imaginem Dei collocant: ſed id etiam diuerſa planè ratione explicant. Sunt qui in ſubſtantia animæ & eius potentiis, imaginem hanc collocent. Sunt qui in ſolis qualitatibus, hoc eſt, in iuſtitia & ſanctitate: ſunt qui in vtroque.

In ſubſtantia quidem: vt quòd ſicut Deus ſpiritus eſt, ſic animam fecit ſpiritum, corporis expertem: eúmque immortalem, ſicut Deus eſt. Ac ſicut in Deo tres ſunt perſonæ & vna duntaxat eſſentia: ſic in animo tres diſtinctæ, ſed non diuiſæ potentiæ: *Intellectus, voluntas, memoria*, vt Auguſtinus: Vel vt alij, *Facultas vegetans, ſentiens, intelligens*: & omnium tamen vna eſt, eadémque eſſentia. Hanc fusè & multis in locis explicauit Auguſtinus, Tom. 3. de Trinit. lib. 10. cap. 10. & 11. Item lib. 14. cap. 3. 4. & 8. Auguſtinum ſecuti ſunt alij permulti, & inprimis Scholaſtici. Non pauci tamen ſunt, neque indocti, qui hanc oppugnant contemplationem.

Sunt igitur alij, qui in ſola iuſtitia, & ſanctitate, rectitudine neque animi in qua creata fuit, imaginem hanc conſiſtere contendunt: propterea quòd illa ſit imago Dei: quæ amiſſa per Adamum, per Chriſtum porrò inſtauratur. Amiſſa autem fuit iuſtitia, ſanctitas, rectitudo, & hæc ſola per Chriſtum recuperatur: Neque aliarum rerum facit mentionem Apoſtolus, quum de imagine Dei, quæ per Chriſtum inſtauratur, verba facit, vt liquet ex Epiſtola 2. Corinth. 3. & Epheſ. 4. Coloſſ. 3. Atque huius ſententiæ videtur Origenes cumprimis fuiſſe autor: quemadmodum illi obiicit Epiphanius, in Epiſtola ad Iohannem Epiſcopum Hieroſolymitanum. Verùm ſi in his duntaxat qualitatibus conſiſteret imago Dei: ſequeretur totam imaginem Dei fuiſſe amiſſam in Adamo, eoque nullum amplius hominem, niſi per Chriſtum & eius Spiritum regeneretur, eſſe ad imaginem Dei. Hoc autem perabſurdum eſt, & pugnat cum ſacris literis. Nam Geneſeos nono apertus eſt locus contra hanc ſententiam: *Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis eius effundetur: quia ad imaginem Dei fecit hominem.* Lata eſt hæc lex poſt peccatum, eoque poſteaquam homines amiſiſſent iuſtitiam & ſanctitatem. Si itaque imago Dei, in ſola iuſtitia & ſanctitate animæ poſita eſſet: ſequeretur, eos non peccaturos fuiſſe in hanc legem, qui occidiſſent hominem impium. Quamobrem? Quoniam talis homo occiſus: ad imaginem Dei non fuiſſet. Ratio enim cur minetur homicidis mortem: eſt, quia hominem ad imaginem Dei factum occidunt. Aliud verò eſt, ſi occidatur per Magiſtratum; Tunc enim non homo hominem occidit, ſed Deus. In ſola igitur iuſtitia & ſanctitate, imago Dei eſſe non poteſt. Eſt enim neceſſe ex hac Dei lege, vt in ſingulis hominibus, amiſſa etiam iuſtitia, & ſanctitate, aliquid imaginis Dei reliquum maneat; cuius imaginis cauſa, qui occidit hominem, reus ſit ſanguinis. Præterea etiam ipſe Apoſtolus de omni homine ait: *vir non debet comam nutrire, quia imago & gloria Dei eſt.* Imago igitur Dei non eſt in ſola ſanctitate.

Epiphanius quoque in Epiſtola antè citata ad Iohannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, inter alias hæreſes quas attribuit Origeni, hanc etiam commemorat, & multis refellit, quòd dixerit, *Adamum imaginem Dei perdidiſſe*: intellige totam imaginem. Non enim negabat Epiphanius, amiſſam eſſe illam iuſtitiam, in qua creatus fuit Adamus & Eua. Legatur idem Pater in Panario Tomi primi, li. 3 hæreſi 70.

Eſt au-

Eſt autem certiſſimum, in multis quoque aliis rebus poſitam eſſe hanc ſimilitudinẽ Dei, præter iuſtitiam & ſanctitatem: vt paulo poſt demonſtrabimus è ſacris literis. Ad loca Apoſtoli, quibus videtur probari, in ſola iuſtitia & ſanctitate poſitam eſſe imaginem Dei, reſpondemus: Eſſe quidem hanc non minimam imaginis partem: ſed totam in hac eſſe poſitam negamus: neque ex hoc Apoſtolo euinci poteſt. Vrgebat enim eam tantum imaginis partem: in cuius ſtudium Chriſtianis incumbendum eſt. Meritò igitur hæc altera ſententia fuit à multis refutata: & ſtatuerunt hominem ad imaginem Dei creatum eſſe, non ſolum his animæ qualitatibus; ſed & aliis rebus multis, & ipſa etiam animæ eſſentia, vt mox explicabitur. Cum hac altera ſententia coniungitur & alterius cuiuſdam error: qui ſtatuit imaginem quidẽ Dei in hac iuſtitia Adami, quam *Originalem* vocant, poſitam fuiſſe: ſed hanc iuſtitiam, eóque imaginem Dei vult eſſe ſubſtantiam animæ: vt poſtmodum inde etiam probet, peccatum Originale, ſubſtantiam eſſe, non accidens: Qua de re poſtea.

Hactenus refutata ſunt duo hominum, qui de imagine Dei ſcripſerunt genera; *Primum* eorum, qui de ſola corporis figura ſcribunt, & in hac eſſe imaginem Dei volunt. *Alterum* eorum, qui in ſola anima, eam poſitam eſſe contendunt.

Sequitur *tertium*. Hi ſunt, qui neque corpus, neque animam, ad imaginem Dei eſſe dixerunt. Hic videtur eſſe Epiphanius, in Panario lib. 3. Tomi primi, hæreſi 70. vbi argumentis contendit, neque animã eſſe imaginem Dei, neque corpus. Sed intelligito, perfectam imaginem. Ex argumentis enim ipſius id colligitur. Imò contendit totum hominem eſſe, ad imaginem Dei factum. Quomodo igitur neque corpus, neque anima, ad imaginem Dei facta ſunt? Nõ fuit tam impius Epiphanius, aut tam imperitus, vt voluerit negare hominem ad imaginem Dei eſſe factum; cum hoc prædicet ſacra Scriptura: imò damnat Origenem, quòd dixerit, *Adamum amiſiſſe imaginem Dei.* Tria itaque vult concludere Epiphanius; in tota iſta diſputatione. Vnum, etſi homo ad imaginem Dei factus eſt, eum tamen non eſſe perfectam imaginem, neque ſecundùm corpus, neque ſecundùm animam. Alterum eſt, hanc imaginem ita eſſe ſubſtantialẽ homini, vt non tota fuerit perdita aut perdi potuerit. Tertium verò: quidnam potiſſimùm ſit illud, in quo hæc imago poſita eſt, ſoli Deo eſſe notum.

Quartum itaque genus eorum, qui de imagine Dei ſcriptum aliquid reliquerunt: illi ſunt qui totum hominem & anima & corpore ad imaginem Dei factum eſſe docuerunt. Quam ſententiam, quia conſentaneam eſſe video cum ſacris literis, amplector etiam: modò dextrè explicetur, quomodo corpore etiam ad imaginem Dei factus ſit homo. Faciemus autem hoc, Deo volente, perſpicuè & dilucidè. Proinde ad hanc alteram de imagine Dei quæſtionem, à nobis propoſitam, hæc noſtra eſto Theſis.

THESIS.

Homo fuit totus, tum corpore, tum anima, ad imaginem Dei factus.

QVum dico, *hominem*, non ſolum Adamum, ſed etiam Euam complector. Nam etiam Moſes, quum dixiſſet, *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam*: ne quis putaret ſolum Adamum nomine hominis intelligendum eſſe: ſubiecit explicationem, dicens: *Maſculum & fœminam, creauit eos*, nempe ad imaginem Dei. Et hoc cõfirmat Apoſtolus 1. Corinth. 13 & 2. Corinth. 3. Epheſ. 4. Coloſſ. 3. quum tam mulieres quàm viros hortatur ad imaginem, in qua creatus fuerat homo, vitæ ſanctitate exprimendam. Errauit ergo Pater ille (Ambroſius) qui in Epiſtolam ad Coloſſ. cap. 3. in illa verba: *Induite nouum hominem, qui renouatur in agnitionem, ſecundùm imaginem eius, qui condidit illum*: ita ſcriptum reliquit: *Alia tamen eſt* (inquit) *imago hæc quam de agnitione Saluatoris dicit creari: & alia imago, ad quam factus eſt primus homo. Iſta enim* (de qua Coloſſ. 3.) *Imago eſt etiam in fœmina, quum agnoſcit eum qui ſe creauit, & obtemperans voluntati eius abſtinet à vita turpi, & actu peruerſo: Illa autem imago* (de qua Geneſeos 1.) *in ſolo viro eſt.* Et paulo pòſt. *Nam* (inquit) *& in Geneſi primo capite ſic notandum: Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum: Vt ſicut Deus vnus eſt, vnus ab eo fieret homo: vt quemodo ex Deo vna omnia, ita ex vno homine, omne genus eſſet ſuper faciem totius terræ. Vnus igitur vnum fecit: qui vnitatis eius haberet imaginem.* Hæc ille. Sed ratio cur ſic ſenſerit iſte Pater, hæc fuit; quia imaginem illam primam non alia in re conſiſtere putauit, quàm in dominio. Et quia etiam mulier ideò ſubiecta eſſe debet viro, quia vir imago eſt Dei, vt eſt in 1. Cor. Ideirco illam primam imaginem in ſolo viro eſſe voluit, non autem in muliere. Sed bifariam errauit: primo in interpretatione imaginis: Deinde quòd eam in ſolo viro eſſe voluit. Nam etiamſi de imperio imaginẽ interpreteris, vt Chryſoſtomus multiq; alij interpretantur; tamen adhuc hallucinaretur. Imperium enim illud de quo Geneſ. commune fuit fœminæ cum viro. Quia dixit Deus tam mulieri quàm viro: *Dominamini.* Aliud autem eſt illud dominium, de quo 1. Cor. 11. & diuerſum ab ipſo. Ita apparet, præter ſacras literas: omnium doctorum libros, cum iudicij ſuſpenſione eſſe legendos.

Nunc tenemus, quid nomine *hominis* intelligendum ſit, quum legimus, *hominem ad imaginem Dei eſſe factum.* Quum vero dico, *totum hominem in imagine Dei creatum fuiſſe*: Intelligo nullam in homine partem fuiſſe, quæ non fuerit huiuſce imaginis particeps. Partes autem hominis ſunt, anima & caro. De anima, nemo dubitat. De corpore igitur probandum eſt: vt intelligatur, totum hominem, imaginem eſſe Dei.

Moſes de toto homine loquitur, quum ait, *Creauit hominem ad imaginem*: neque enim anima ſola, homo eſt. Adde quod Deus, poſt formatum corpus, creaturus animam, non dixit, *Faciamus hominem*: ſed ante creationem tam corporis, quam animæ illud dixit. Ad vtrumque igitur pertinet imago. Scio quid excipiatur, nempe eſſe ἀνθρωποπαθῶς dici etiam hominem eſſe mortalem: nec tamen animam intelligi, quæ immortalis eſt: Sed reſponſio in promptu eſt: nunquam in ſacris literis, apertè de ſola anima, excluſo corpore, prædicare imaginem Dei: ſicut ſæpè docemus, animam eſſe immortalem. Hinc fit, vt cùm audimus hominem eſſe mortalem: neceſſario cogamur interpretari hoc de ſolo corpore. At cùm corpus nunquam excludatur per ſacram ſcripturam, ab imagine Dei: quid cauſſæ eſt, cur tu illud excludere debeas? Deinde contrariorum eadem eſt ratio: & nihil poterit dici corruptum, quod antea non fuerit priùs integrum. Quid autem, obſecro, in homine corruptũ eſt per inobedientiam Adæ? Num anima ſola? An non potiùs totus homo? Totus certè homo, vt omnes fatentur. Et peccatum non in anima ſolùm eſt: ſed & in corpore. Vnde Apoſtolus ait: Rom. 6. *Non regnet ergo peccatum in veſtro mortali corpore.* Item, *Video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Si igitur totus homo corruptus eſt: totus etiam certè integer fuit: vt Salom. confirmat dicẽs, *Deus creauit hominem* (ſcilicet totum) *rectum.* Quid autem fuit hæc integritas & rectitudo? Ipſa Dei imago. Idem liquet à redemptione per Chriſtum, & regeneratione per eius Spiritum. Certè ſi à regeneratione, & redemtione intelligitur, quæ fuerit vera imago Dei: euincetur, hominem totum tam corpore quàm animo, ad imaginem fuiſſe Dei creatum. Vtrumque enim per Chriſtum redemptum eſt: & per Spiritum ſanctum corpus etiam ipſum ſanctificatur, renouatur de die in diem à concupiſcentiis. Quo ſpectat illud 1 Cor. 6. *An ignoratis quòd corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti?*

Totus Chriſtus, etiam quà homo, vera erat, & eſt imago Patris. Patris enim natura, ingenium, perfectio, impreſſa erat; & eſt in carne Chriſti, non ſolùm autem in anima. Vnde nec Chriſtus dixit: *Qui videt animam meam*: ſed *qui videt me, is videt & Patrem meum.* Neque Apoſtolus ſcripſit, *in ipſius anima inhabitat plenitudo Deitatis*: ſed, *in ipſo* (toto Chriſto, in tota ſcilicet humanitate Chriſti) *inhabitat plenitudo Deitatis*, & quidem σωματικῶς: ne putes excipi corpus. Si igitur totus Chriſtus, vera & perfecta eſt imago Patris: etiã totus homo ad imaginem fuit Dei factus. Chriſtus enim reſumpſit in ſe, quod in Adamo prius erat, & poſtea fuit amiſſum: Et illud idem in membris quoque ſuis quotidie inſtaurat. Quid ſibi etiam vult, quod Deus cauens, ne homo hominem occidat, hanc affert rationem, dicens, *Quia imago Dei eſt*, Geneſ. 9. *Animáne occiditur an corpus?* Significare igitur voluit, totum hominem, anima & corpore ſimul coniunctis, imaginem eſſe Dei: ac proinde non eſſe corpus ab anima diſiungendum violenta morte: quòd ſic imago Dei violetur, & diſſoluatur. Nec deſunt Patres qui idem confirmant: totum ſcilicet hominem, ad imaginem Dei factum eſſe: ſicut etiam omnes teſtificantur, totum eſſe corruptum: Et diſertè Epiphanius ſic loquitur: *Totum hominem ad imaginem Dei factum eſſe*: In Epiſtola ad Iohannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, per Hieronymum in Latinam linguam conuerſa: qua conuerſione declarauit, ſe in eâdem fuiſſe ſententiâ. Sic Nyſſenus de hominis opificio, cap. 17. pag. 85.

Eſt igitur manifeſtum, hominem totum ad imaginem Dei creatum fuiſſe: quare non in ſola anima imago Dei poſita fuit: ſed etiã in corpore. Verùm quomodo id ſit intelligendum, nunc ab explicatione imaginis, & partium eius

perſpicuum fiet:& magis ac magis Theſis confirmabitur. Ac quanquam totum hoc quod dicitur de explicatione huiuſce imaginis & partium eius, eò ſpectet, vt confirmetur ſuperior Theſis, vt liquidò appareat, totum hominem ad imaginem Dei factum fuiſſe. Quæ etiam cauſſa fuit, cur noluerim hanc explicationem à ſuperiori quæſtione ſeiungere: tamen nunc mihi videtur vtilius fore, ſi noua quæſtione propoſita, totum hoc explicem. Res enim erit magis perſpicua.

III. Ergo perſpicuitatis maioris gratia, hæc tertia proponitur quæſtio: Quidnam fuerit illa Dei imago, & quæ eius partes præcipuæ. Neque enim mihi in hac parte placet Epiphanij ſententia: qui multorum quidem aliorum, qui quid fuerit hæc imago, definire conati ſunt, ſententias damnat: ſed interim quidnam illa fuerit: & in quibus conſiſteret rebus, non explicat: imò ait, *hoc ſoli Deo notum eſſe.* Contrà ego ſentio: Nam variæ huius imaginis partes in ſacris literis apertè explicantur, vt mox videbimus. Hac igitur Theſi reſpondemus.

THESIS.

Imago Dei in homine, partim in hominis ſubſtantia, atque inprimis anima, & in partibus eius eſſentialibus, potentiis, viribus: partim in certis qualitatibus, certáque dignitate, honore, & gloria: quibus ornatus fuit homo, conſiſtebat.

EXplico, confirmóque: & primùm de animæ ſubſtantia. Si enim totus homo ad imaginem Dei factus eſt, vt antè oſtenſum eſt: Ergo tam ſua ſubſtantia Deum repræſentat, quàm qualitatibus & accidentibus, hoc eſt, inditis virtutibus & dotibus eximiis. Neque diſplicet diſcrimen à Rabbi Moſe Ægyptio allatum, lib. 1. cap. 1. & à multis doctis receptum, inter imaginem & ſimilitudinem: ſeu inter צלם & דמות, vt prior vox ad formam ſubſtantialem, quæ eſt anima in homine: altera autem vox ad accidentia, & ad varias qualitates referatur. Sic itaque ſentio: Deum inprimis hominibus ſeipſum expreſſiſſe, quàm eum in creatura exprimi potuit, & debuit. Ac proinde in homine reſplenduiſſe, & iam adhuc (in homine præſertim renato) reſplendere, tum ipſius Dei eſſentiam, tum perfectiones. Nam ad ſubiectum animæ quod attinet, res ita habet; Sicut Deus, eſſentia eſt ſpiritualiſſima, & ſimpliciſſima, ſic animam dedit homini ſubſtantiæ incorporeæ, ſpiritualis, & ſimplicis, qua referatur Dei natura: Proinde vt hoc ſignificaret, eam dicitur inſufflaſſe in homine: qua actione & ſymbolo, licet anima non ſit de eſſentia Dei, nec eſſe poſſit: tamen facilè iudicatum fuit, animam ſubſtantiæ eſſe diuinæ & ſpiritualis, ſubſtantiæ Dei non diſſimilis. Vnde illud: *Ipſius & genus ſumus.* At ſicut Deus indiuiſibilis eſt, ſic animam fecit inuiſibilem. Et ſicut Deus eſt immortalis & incorporalis, talem etiam fecit animam. Et ſicut Deus eſſentia eſt intelligens, omniáque cognoſcens, liberéque omnia volens: ſic animam noſtram fecit ſubſtantiam facultate intelligendi omnia, & liberè volendi præditam. Deus etiam vnus tãtùm eſt in mũdo, mundum totum ſuo nutu ſuſtentans, viuificans, regens: Sic anima vna in corpore, totum corpus viuificat, ſuſtentat, regit, & pro ſuo arbitrio, ſimplici iuſſu mouet: pérque ipſum, quicquid vult, operatur. Atque hæc omnia ad ſubſtantiam animæ. An non igitur ſua etiam ſubſtantia, animæ ſcilicet, homo Deum refert in hoc mundo: eóque illius eſt imago? Nam hæc ad imaginem pertinere, docent ſacræ literæ. In libro Sapient. cap. 2. ſic legimus: *Deus creauit hominem ad immortalitatem: eúmque ad imaginem ſuæ ſimilitudinis fecit:* τῆς ἰδιότητος, habet Græcus. Quaſi dicat, propriæ ſuæ naturæ. Quæ eſt hæc natura? Explicat ex parte dicens: *Creauit eum ad immortalitatem:* hoc eſt, ſicut ipſe Deus eſſentiæ eſt, naturæque immortalis (ſic enim & Paulus ei hoc tanquam proprium attribuit, 1. Tim. 1. Regi ſeculorum immortali) talem etiam fecit hominem: Immortalitas igitur animæ, ad imaginem Dei pertinet. Norunt hoc & aliquot Philoſophi, qui ideò hominem imaginem eſſe Dei docuerunt, quia immortalem habet animam: vt aliâs oſtendimus abundè. Imò etiam corpus humanum, licèt ſua natura immortale non ſit, ad immortalitatem tamen creatum fuit. Id quidem apparet, partim quia mors non intrauit in mundum, niſi per peccatum, & inuidiam Diaboli, vt rectè ſubdit liber Sapientiæ: partim etiam liquet, quia Chriſtus corpora etiam noſtra redemit à morte, ad immortalem vitam. Ita totus homo, immortalitate animæ quidem eſſentiali, corporis autem accidentali, imago Dei fuit & eſt.

Atque hoc mirabile eſt; quod Autor libri Sapientiæ ſcripſit περὶ τῆς ἰδίας ἰδιότητος Dei, idem planè ſcriptum reliquit & Pſellus: ὁ ποιητὴς, inquit, καὶ πατὴρ τοῦ κόσμου σύμβολα ἐγκατέσπειρε ταῖς ψυχαῖς τῆς ἑαυτοῦ ἰδιότητος. *Conditor, & pater mundi, ſymbola ſeu indicia ſuæ proprietatis,* hoc eſt, propriæ naturæ & deitatis, *ſparſit in animas,* nempe noſtras. Ac notandum eſt, non dicere σύμβολον, ſed σύμβολα. Non ſolùm igitur immortalitas pars eſt imaginis Dei; ſed aliæ quoque animæ eſſentiales proprietates. Nam ſcriptura Synecdochis delectatur breuitatis cauſſa: vt modò partem pro toto, modò totum pro parte ponat. Quare immortalitate, qua ſimilis eſt anima Deo, totam animæ eſſentiam, omnéſque eſſentiales eius proprietates intelligere debemus, in libr. Sapient. cap. 2. Quantum ad potentias etiam, ſeu facultates animæ, attinet: his quoque Deum refert, & illius eſt imago. Sicut enim vna tantùm eſt eſſentia diuina, & plures perſonæ inter ſe diſtinctæ, quæ tamen omnes reipſa nil aliud ſunt, quàm ipſa vnica eſſentia: ita anima hominis vna pluribus conſtans eſſentialibus partibus ac facultatibus, quæ tamen nil aliud ſunt reipſa, quàm anima. Similitudo hæc mihi non poteſt improbari: quia licet argumentum non ſit firmum, ad probandam vnitatem eſſentiæ in Deo, & pluralitatem perſonarum: Eſt tamen apertum ſymbolum imaginis Dei in homine, vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem perſonarum oſtendens. Iſtas vires & facultates hominis omnes, ad imaginem Dei pertinere, docet Siracides, ſeu liber Eccleſiaſticus cap. 17. Ibi enim explicans hominis creationem, & breuiter recenſens quę Deus primis hominib. dederit ad hoc, vt eſſent vera ſui imago: præter alia ſic ſcribit: *Dedit eis in terreſtria poteſtatem: induit eos virtute ſua, ſecundùm ſeipſum.* Hoc eſt, virtute, viribúſque homini propriis, eique conuenientibus: atque ad imaginem ſui creauit eos. Propriæ igitur, & naturales hominis facultates & vires, ad imaginem Dei, in qua creatus eſt, pertinent. Ibidem Eccleſiaſtici 17. legimus, præter alia, quæ ad imaginem Dei, in homine eſſentialẽ pertinent: *Deũ dediſſe homini iudicium & mentem ad cogitandum.* Et notandum quod ait: mentem donauit diſpertiens μερίσας. Vis igitur mentis eſt varia & multiplex: διανοητικὴ, βουλευτικὴ, ἐπιστημονική. Cor itidem dedit, hoc eſt, volendi, eligendi, amandi facultatẽ, & omnium bonorum affectuum ſedem. Dubium igitur non eſt, quin homo, eſſentiâ, & facultatibus animæ incorporeæ, ſpiritualis, inuiſibilis, immortalis, omniáque intelligendi, liberéque volendi facultatibus præditæ, tanquam vera Dei imago in terris, Deum ipſum quaſi ad viuum retulerit, & adhuc referat.

Venio nunc ad dotes, ſeu qualitates illi, in creatione inditas: & dignitatem, gloriam, & honorem, quibus homines ornauit Deus; vt hinc magis ac magis appareat, quibus in rebus conſiſtat imago, ad quam creatus eſt homo. Sic enim de illis cumprimis cecinit Dauid, Pſalm. 8. *Quid eſt homo, quòd memor es eius? Aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, &c.* Et Eccleſiaſt. 17. narratur: Deum homini dediſſe, non ſolùm animæ talis, immortalis ſcilicet & inuiſibilis ſubſtantiam: nec ſolùm tam multas præclaráſque facultates, nempe intelligendi, iudicandi, liberè volendi, eligendi, bonum animandi, corpus viuificandi, loco mouendi: verùm etiam communes κοινὰς naturaléſque ſcientiarum habitus, quibus Deũ, & reliqua omnia actu cognoſcere, bonáque à malis diſcernere poſſet. Sic enim ſubiecit verſu 6. *Scientia intelligendi inſtruxit eos: eiſque bona ſimul & mala demonſtrauit.* Vnde conſtans eſt, receptáque ſententia apud pleroſque Patres omnéſque Scholaſticos: Adamum, omnium rerum, quæ vel naturaliter ſciri poſſunt, vel ad vitæ ſuæ, & aliorum gubernationem pertinebant, ſcientiam à Deo in creatione accepiſſe; vt meritò dixerit Siracides: *ſcientia intelligendi* ἐπιστήμην συνέσεως, *inſtruxit eos.* Ergo præter ſubſtantiam animæ diuinam, & cæleſtes eius facultates: has etiam dotes, præter alias inſignes, quibus Deum referret in terris, adiecit homini Deus.

Primùm, facem cæleſtis ſapientiæ, in hominis natura luculenter fulgentem, accendit, qua Deum, eius voluntatem, & opera omnia, naturáſque rerum omnium, rectè cognoſcebat. Apparet hoc ab effectis, quæ Moſes narrat. Adamus enim expergefactus à ſomno, mox nouit Euam, vnde fuiſſet educta, & myſterium coniugij inter Chriſtum & Eccleſiam: interprete Apoſtolo ad Epheſios, intellexit. Hoc exemplo notitiam rerum diuinarum, quæ in Adamo fuit, indicauit Moſes. Nouit & rerum conditarum naturas. Huiuſce rei apertam dedit ſignificationem Adamus, quum omnibus animalibus nomina, iuxta ipſorum naturas, impoſuit. Hoc exemplo, ſcientia rerum naturalium indicatur. Theologus igitur fuit, & Philoſophus inſignis Adamus,

mus. Ex eo etiam, quòd Deus dedit noſtris parentibus dominatum & imperium in omnia animalia, & in vniuerſam terram, apparet ornatos illos fuiſſe ſcientia rerum gerendarum, & ſumma prudentia, qua ſcirent, & ſe & alios regere, & quomodo quidque eſſet adminiſtrandum. Itaque ornatus fuit Ethica, Oeconomica, & Politica ſcientia. Quid verò ad cognitionem & ſcientias deſiderari amplius in illis poterat? Sed ſi tanta diuinarum, humanarúmque rerum ſcientia ornati fuerunt primi homines: Vnde igitur illa ſeductio, de qua 1. Timoth. 2? Non fuit ſimplex ſeductio, ſed voluntaria: alioqui non fuiſſet tam graue peccatum, quale fuit. Complacuit ſibi Eua, vbi audiuit, ſe fore vt Deum, ſi edat: ita & Adamus. Ideò ſeductori acquieſcere voluerunt. Sic & Auguſtinus ait: præceſſiſſe in eo ſuperbam quandam de ſe præſumptionem, vt poſtea dicetur ſuo loco. Atque hæc quod ad intellectum attinet.

Secundo loco ornauit eos perfecta iuſtitia, & ſanctitate qua cor inprimis mundum, & omni contagio vacuum, rectum item & purum habebant: & qua deinde toti, quanti quanti erant, & animo, & corpore, iuſti ac ſancti erant coram Deo & Angelis eius: ac proinde qua facilè voluntati Dei obtemperare, & opera iuſta facere poterant. Has etiam vires complexus eſt Siracides cap. 17. verſu 2. dicens, *Induit eos virtute ſua*, ἰσχὺν καθ' ἑαυτοὺς, hoc eſt, viribus conuenientibus, illorúmque proprijs, & ad omne bonum faciendum idoneis. Totam verò hanc iuſtitiam, ſanctitatem, & bonitatem, quam illis Deus, vt eſſet naturalis omnibus hominibus, dederat: ſignificauit Moſes dicendo: *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce erant omnia valdè bona*. *Omnia valdè bona*, ſecundùm ſcilicet cuiuſque rei & naturæ conditionem. Ergo etiam hominis natura, fuit iuxta ſuam conditionem bona valdè: ac proinde talis, quæ Deo ſummopere placeret. Homo autem placere, & probari Deo non poteſt: niſi iuſtus ſit prorſus & ſanctus; ſicut etiam ipſe ſanctus eſt atque innocens. Eiuſdem iuſtitiæ & innocentiæ ſymbolum fuit nuditas, qua Adamus & Eua inter ſe verſabantur, *nec erubeſcebant*, vt ait Moſes. Externa inquam nuditas, ſymbolum fuit internæ: qua omni vitio, & omni re quæ erubeſcentiam parere poſſet, vacui erant, & nudi. Eandem, vno nomine Salomon Eccleſiaſtæ ſeptimo expreſſit, dicens: *Creauit Deus hominem rectum: rectum*, nempe ad Deum: non diſtortum, neque curuum ad creaturas. Hæc rectitudo, ipſa eſt iuſtitia, & ſanctitas, ſicut ſæpè in ſacris literis ſignificatur. *Benefac Domine bonis, & rectis corde*, dicebat Dauid. Fecit ergo rectum: nempe & animo, & corpore: totum ſcilicet hominem iuſtum & ſanctum fecit. Si autem in hac iuſtitia, & ſanctitate, imago Dei cōſiſtit: totus igitur homo & animo & corpore, ad imaginem Dei factus fuit. Refellitur his Moſis, & Salomonis dictis, error cuiuſdam Doctoris, cuius nomini parco, honeſtis de cauſſis. Scriptum huius legi: vbi primò diſcrimen facit inter imaginem primorum hominum, & noſtram: vocans illam, *creationis*: noſtram *redemptionis*. Ac contendit loca Apoſtoli ad Corinthios, Epheſios, Coloſſenſes de imagine Dei, nouóque homine, qui ſecundùm Deum creatus dicitur in iuſtitia, & ſanctitate vera: minimè de imagine in qua creatus fuit Adam, intelligi poſſe: neque ad illam accommodari. Deinde docet imaginem Dei, in qua creatus fuit Adamus, in ſolo imperio illo, *Dominamini piſcibus maris*, conſiſtere: quod hæc ſit perpetua. Poſtremò receptam ſententiam refutare conatur: contendens Adamum neque iuſtum, neque iniuſtum fuiſſe creatum: quaſi dicat, neque bonum, neque malum. Rationes eius futiles ſunt: quas etiam in loco de originali iuſtitia refutabo: In præſentia ſatis eſt, retuliſſe impiam huiuſce Doctoris, de imagine, quam vocat creationis, ſententiam. Sed præter Apoſtoli teſtimonia, quæ torqueri ita non poſſunt, quin inde qualiſnam fuerit in imagine creatus homo, apertè doceatur: præter, inquam, hæc teſtimonia: quid ad loca à nobis allata reſpondebit? Vt taceam neminem vnquam fuiſſe (quod ſciam) qui negarit Adamum creatum fuiſſe iuſtum & bonum. Nos pergamus: quia de iuſtitia Adæ plura aliàs.

Hactenus tenemus expreſſam fuiſſe à Deo, in mente hominis ſuæ ſapientiæ imaginem: in corde autem indéque in tota anima, totóque homine, imaginem ſuæ ſanctitatis atque iuſtitiæ: virtutum denique omnium.

Tertia accedit gratia atque honos, quo primus homo maximè, deinde ex parte etiam reliqui ornati ſunt à Deo, & quo Deum, omnium Dominum repræſentant in terris. Hæc eſt dominatio in omnia animantia, reliquáſque huiuſce terræ creaturas. Hanc exprimit Moſes, cùm ait, Deum dixiſſe; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram: Et dominentur piſcibus maris*: & denique toti terræ. Huius imperij ſymbolum fuit, quum Deus adduxit omnia animantia ad Adamum, vt ſuum cuique imponeret nomen, tanquam illorum dominus. Hanc etiam inprimis expreſſit Dauid Pſalm. 8. vbi poſtquam dixiſſet: *Gloria & honore coronaſti eum*; ſtatim quis ſit iſte honor; declarauit ex parte, dicendo: *Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*. Sic Siracides cap. 17. *Et dedit eis in terreſtria poteſtatem, omni animanti terrorem eius* (hominis) *impoſuit: vt beſtiis ac volucribus dominaretur*. Hac de cauſſa inprimis Deus ait Magiſtratibus, *Ego dixi, Dij eſtis*: Quid ita? Propter imperium, & auctoritatem in alios. Sic vir ab Apoſtolo, propter auctoritatem & imperium in vxorem, totámque familiam, aut in rempublicam vocatur *imago Dei*. Nouit hanc dignitatem etiam Plato in Phædone, & ait hæc, mentem humanam verè ſimilem eſſe Deo: cuius proprium eſt imperare & dominari. Sed hoc mihi in Platone perplacet, quòd comparat inter ſe animam immortalem & corpus mortale: & demonſtrat animæ eſſe, vt corpori dominetur: corporis autem vt animæ obtemperet: Ac proinde veram Dei imaginem, & ſimilitudinem in anima eſſe. ὅτι ἐπειδὰν ἐν τῷ αὐτῷ (nempe ἀνθρώπῳ) ὦσι ψυχὴ καὶ σῶμα, τῷ μὲν (σώματι) δουλεύειν καὶ ἄρχεσθαι, ἡ φύσις προστάττει· τῇ δὲ (ψυχῇ) ἄρχειν καὶ δεσπόζειν. καὶ κατὰ ταῦτα αὖ πότερόν σοι δοκεῖ ὅμοιον τῷ θείῳ εἶναι, καὶ πότερον τῷ θνητῷ. Concludit in ſumma quod dixi: animam verè ſimilem eſſe Deo, propter hoc imperium, quod in corpus etiam ſuum habet. Hæc enim vera demum eſt dominatio, hoc verum imperium: quum anima ſapiens, corpori dominatur: vt Apoſtolus de ſe dicebat, *caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*. Nec dubito, quin præter alias cauſſas, cur dederit homini hoc in omnia imperium, hæc vna ſit non poſtrema: nempe, vt hac re moneretur ſemper homo ſui officij: quod eſt, non permittere vt res ſe inferiores, ſibi dominentur: Caro ſcilicet, Mundus, Sathan: cùm ſit omnium Dominus. Hæc ſunt tres præcipuæ qualitates, partéſque illius gloriæ, qua coronauit Deus hominem: & in quibus non minima pars imaginis Dei conſiſtit: nempe in mente expreſſa effigies diuinæ ſapientiæ, qua omnia intelligit: in corde rectitudo, inſculptáque ſanctitas, ac iuſtitia diuina: qua omnia ageret iuſtè & ſanctè. His duabus poſitis, meritò acceſſit imperium in omnia animantia, & in vniuerſam terram, vt loquitur inde ab initio, in ipſa creatione, eóque facta ſunt naturalia: idcirco fit, vt omnes homines, naturaliter, & ſcire deſiderent, & dominari: & verò etiam amantes ſint in genere æqui & iuſti. Horum enim omnium reliquiæ quædam, Deo ſic miſerante, in natura hominis remanſerunt.

Hactenus de imagine Dei, in anima hominis: Satis enim abundè tenemus, quibúſnam rebus anima noſtra fuerit creata ſimilis Deo, & eius imaginem geſſerit: ſua ſcilicet οὐσίᾳ incorporea, ſimplici, inuiſibili, immortali: ſuis deinde facultatibus, & viribus, corpus ſcilicet viuificandi, omnia ſingularia percipiendi, vniuerſalia intelligendi, liberéque omnia volendi; Denique ſuis excellentibus additis qualitatibus, ac dotibus, ſapientia, ſanctitate, dominatione. Hæc fuit imago Dei, in qua creata fuit anima hominis. Nunc de corpore dicendum eſt: quomodo intelligendum ſit, ipſum quoque ad imaginem Dei conditum fuiſſe.

1. Principio illud notandum eſt, quum de corpore hominis, quod imaginis Dei expers non fuiſſe contendimus, verba facimus: à nobis non intelligi cadauer ſine anima, (hoc enim teſte etiam Ariſtotele, non eſt hominis corpus niſi æquiuocè) ſed corpus anima præditum humana. Ratio eſt: quia ſi anima per ſe non eſt homo: multò minùs corpus animæ expers. Atque in hoc differt anima à corpore, quòd ſicut ipſa, etiam ſine corpore, viuit per ſeſe, & operatur, & iuſta, & ſancta eſt: corpus autem nequaquam ſine anima: ſic imaginem quoque Dei, illa geſtat per ſe; corpus autem per ſe ſolum, nihil minus habet, quàm imaginem Dei. Sed ſi coniunctum cum anima accipias: tunc illud ſuam partem habere imaginis Dei apertè videbis. Ergo de hoc tali corpore, præſertim quale habuit Adamus, quantum ſcilicet attinet ad hanc imaginem, nunc paucis diſſerendum eſt. Eodem autem ordine dicam de corpore: quo etiam de anima diximus.

Ad ſubſtantiam igitur quod attinet corporis, quatenus illud conſtat ex quatuor Elementis, & figura tali, quali præditum eſſe videmus: extra controuerſiam eſt, nullam in eo eſſe imaginem Dei: quia neque corpus eſt, neque vlla præditus figura Deus. Atque hoc eſt: quod intelligere voluerunt omnes docti, qui contenderunt hominem corpore ſuo non eſſe ad imaginem Dei factum.

Cæterùm quatenus in hoc corpore, anima rationali prædito totus Mundus ſuo quodam modo continetur, vnde &

μικρόκοσμος iure optimo appellatur homo: eatenus dico in hoc corpore, maximè verò in corpore Adami, ceu in ſuo ſpeculo imaginem Dei emicuiſſe, atque etiamnum in noſtris emicare, eóque merirò ad imaginem Dei factum fuiſſe dico. Hoc iam mihi explicandum eſt. Quæcunque ſunt in Mundo bona: ſunt etiam in Deo eadem, ſed non eodem modo: verùm perfectiſſimè, & vnitè, tanquam in ſuo principio: quia rerum omnium perfectio, in Deo eſt, quatenus etiam ab ipſo eſt. Nemo enim dat quod non habet. Adde, quòd Deus omnia videt & intelligit: Sunt autem res intellectæ, in intellectu perfectiori modo, quàm in ſeipſis (de materialibus loquor) imò vnum fiunt cum intellectu. Quantò magis omnia in Deo ſunt perfectiſſima ratione? Hinc ideæ Platonis: ſi quis eas dextere velit interpretari. Vnde & archetypus Mundi Deus eſſe dicitur. Eſt autem manifeſtum, rerum omnium à Deo ante hominem conditarum naturas, ad extremum in homine, hoc eſt, in corpore Adæ, tali anima prædito, fuiſſe ſummatim collectas: & ceu in breui tabella depictas, imò inſculptas: ita vt homo, quia cum rebus omnibus mundi communionem habet, meritò *paruus mundus* appellari ſolitus ſit: & nomine omnis creaturæ ſæpenumerò veniat. Ideò & Proclus Philoſophus in Timæum Platonis, ἔτι καὶ ἐν τούτῳ (ἀνθρώπῳ) πάντα μερικῶς ὅσα ἐν τῷ κόσμῳ θείως τε καὶ ὁλικῶς. Sine corpore autem, ſola anima parui mundi nomine digna non eſt, cùm in ea non inſint Elementorum naturæ, aliorúmve corporum: ſicut & ſolum corpus ſine anima, tali nomine appellari nequit. Quia itaque totius mundi exemplar, prius in Deo fuit ab æterno: deinde in homine, anima & corpore conſtante: ſummatim expreſſum eſt à Deo, perinde ferè atque imago è ſigillo in cera exprimi ſolet: idcirco homo, ſuo etiam corpore, ſicut ſpeculum eſt, in quo totus mundus relucet: ſic imago eſt, in qua conditor, & archetypus totius mundi reſplendet. Adde iam his, quòd ſi anima ideo imago Dei eſt, quia immortalis eſt: Corpus etiam ad imaginem Dei factum eſſe dicetur, quia ad immortalitatem conditum & ordinatum fuit de principio. Cuius rei duplex eſt argumentum: vnum, quia morti obnoxium factum non eſt, niſi propter peccatum: alterum, quia Chriſtus illud à morte, ad immortalitatem veram redemit. *Venit autem Chriſtus, vt diſſolueret opera diaboli* (vt ait Ioh.) *& contrà inſtauraret opera Dei*. Opus igitur Dei non eſt, quod corpus noſtrum ſit mortale, ſed contra. Ac de eſſentia corporis humani ſatis. Venio nunc ad eius partes, atque membra.

2. Nulla ferè in noſtris corporibus membra ſunt, quæ in ſacris literis non attribuantur etiam Deo: non dico in nouo tantùm Teſtamento, reſpectu Chriſti: qui verus etiam eſt homo, ſicut & verus Deus: ſed in veteri, reſpectu ipſius Dei per ſe: ſicut omnibus notum eſt: oculi, aures, nares, facies, manus, brachia, pedes, &c.

Certum verò eſt, hæc Deo non attribui propriè, ſed Metaphorikῶs: quòd his nominibus membrorum corporis humani, non ſignificentur, niſi Dei perfectiones, vel potiùs (vt meliùs loquar) multiplex vnius ſimplicis eſſentiæ perfectio, variæque Dei operationes: quibus de rebus extant libelli, & tractatus non pauci, apud Patres, de ſignificationibus membrorum Dei contra Anthropomorphitas. Oculis enim Dei, ſignificatur infinita & multiplex eius ſapientia, qua omnia videt, & nouit. Lingua Dei, indicatur illa eius vis & ratio, qua ſe, ſuámque voluntatem, hominibus patefacit. Manibus, potentia, qua omnia fabricatus eſt, & quotidie operatur. Atque ita de reliquis membris. Et quia hæc multiplex virtus in Deo, vnica eſt, & infinita, ideo Hieronymus ait: *Deum totum eſſe oculum, totum aurem.*

Eſt etiam hoc extra controuerſiam, Deum homini, ſicut eſſentiam ſuæ ſimilem communicauit, quæ eſt animæ eſſentia: ſic etiam perfectiones, ſuis ſimiles dediſſe. Voluiſſe etiam vt harum pleraſque omnes, per corpus exerceremus: Ac proinde dediſſe organa corporea, ad eas animæ vires exerendas, & exercendas, idonea & accommodata: nempe oculos, vt per eos colorata omnia videremus; aures, vt his ſonos omnes audiremus. Et ita de reliquis.

Ita manifeſtum eſt duplicem eſſe membrorum noſtri corporis vſum; Vnum quidem vt animæ, tanquam inſtrumenta & organa ad ſuas actiones perficiendas inſeruiant. Alterum, vt ceu typi ſint & exemplaria viſibilia, quibus multiplices illæ, infinitæ perfectiones diuinæ, de quibus diximus, nobis indicentur, repræſententur, & ſub oculos ponantur. Quæ cùm ita ſint, quis non videat hominem, ſui etiam, eiúſque vnici corporis, multiplicibus variiſque membris, imaginem quandam eſſe Dei, hoc eſt, infinitarum Dei perfectionum, in vnica illa, & ſimpliciſſima eſſentia exemplar? Noſtris enim oculis, repræſentamus oculos Dei, hoc eſt, virtutem Dei, qua omnia videt: *Omnia enim* (inquit Apoſtolus) *nuda & aperta ſunt oculis eius.* Noſtris auribus, aures Dei, id eſt, vim qua omnia audit: Lingua, vim qua ſeſe & ſua conſilia patefecit. Manibus, vim qua omnia operatur. Itaque in oculis noſtris relucet eius infinita ſapientia: in manibus, infinita eius potentia, &c. Eſt igitur noſtrum etiam corpus ad imaginem Dei factum, hoc eſt, ad multiplices, & infinitas Dei perfectiones: ſuis variis membris repræſentandas: ac ſub oculos hominum ponendas, formatum. Ac ne quis miretur, quòd dicimus, quaſi rerum ſpiritualium imagines eſſe non poſſint res corporales: Legatur Apoſtolus ad Hebræos cap. 8. 9. & 10. vbi res corporeas veteris Teſtamenti, nimirum tabernaculum, librum, vaſa, victimas, & alia id genus; vocat typos, exemplaria, & σκιάς, ac quaſi ἀντιχαρίας, figuras & imagines rerum cœleſtium, & ſpiritualium. Non deflectimus igitur à verbo Dei, ſi nos quoque vocemus corpus noſtrum ſinguláque eius membra, figuras & imagines ſpiritualium, quæ in Deo ſunt perfectionum. Proinde non immeritò Siracides, in explicatione imaginis Dei, ad quam creatus fuit homo: recenſet etiam præcipua quædam corporis noſtri membra, dicendo, *Linguam, oculos, aures, & cor dedit eis ad cogitandum, &c.*

Sunt porrò præter alia membra, duo in homine, quæ in nulla alia re creata reperiri poſſunt: & quibus duas excellentiſſimas Dei virtutes, luculentiſſimè referimus.

Primum, manus minutiſſimis ſuis digitis diſtinctæ, quibus nihil non agit homo, eáque præſtat, quæ nullum animal præſtare poteſt: eſtque magna, excellentiſſima, ſubtiliſſima, vtiliſſima, maximéque neceſſaria, & planè diuina. His ædificauit homo vrbes, regna, totámque terram ædificiis, arboribus frugiferis, & quæcunque humanæ vitæ ſeruiunt, impleuit: His ſerit, metit, &c. His ferociſſimas quaſque beſtias domat, capit, excoriat: veſtes ſibi ex illarum coriis parat: His ſubtiliſſima, & artificioſiſſima horologia: quibus tempus ſibi metiatur, conficit. His concutit terram, diruit vrbes, euertit regna: Denique his ſcribit, & pingit: eáque ratione, omnium etiam rerum geſtarum memoriam, modò libris, modò imaginibus, toti poſteritati reliquit: & ad ſummam, his manibus quicquid vult, agit. Quamnam mihi dabis aliam creaturam, quæ hæc præſtare queat? An non igitur his membris, admirabilem & infinitam Dei omnipotentiam, in ſeipſo tanquam in lucidiſſimo ſpeculo repræſentat: qua quicquid voluit Deus, fecit & facit, in cœlo & in terra? Proinde iure Dauid omnium rerum creationem, manibus & digitis Dei attribuit: dicendo Pſalm. 8. *Conſtituiſti eum,* (hominem) *ſuper opera manuum tuarum.* Item Pſalm. 101. *Opera manuum tuarum, & digitorum tuorum ſunt cœli.* Manus igitur noſtri corporis imago ſunt manuum Dei, hoc eſt, omnipotentiæ diuinæ.

Alterum membrum in homine excellentiſſimum, quo nullum animal præditum eſt, ac proinde quo ſolus, aliam admirabilem Dei virtutem, nobis quaſi conſpiciendam præbet: eſt noſtra lingua cum ore, omnibúſque aliis inſtrumentis, quibus ad loquendum, ad formandas voces, omniaque noſtræ mentis ſenſa, conſilia, deſideria, ſumma cum facilitate exprimenda, vtimur. Quis vim, & effecta linguæ, exprimere verbis, aut mente etiam aſſequi poſſit? Hac primò, homo & ſua, & aliorum humana & diuina conſilia, atque ſecreta facit, explicat, probat, & confirmat: voluntatem Dei promouet, theſauros cœleſtes diſpenſat, hæreſes à Sathana ſatas euellit: flectit hominum corda ad ea quæ vult facienda: Denique tolle linguam & loquelam ab hominibus: tota mox euertetur religio, profligabitur à Mundo omnis pietas; omnis politica & domeſtica ſocietas diſſoluetur, & ad extremum, totus Mundus concidat neceſſum fuerit. Quid enim agas in Mundo, mutis omnibus hominibus exiſtentibus? Eſt igitur hoc membrum, quo anima, ad ſua ſenſa exprimenda vtitur, inſtrumentum omnium excellentiſſimum, & verè diuinum. Cùm autem vna ex parte, Deus ille ſit qui prior omnibus loquutus eſt, ſuámque voluntatem, ſua conſilia, imò totum ſeipſum, quis ſit, cuius eſſentiæ, & qualis ſit explicarit, idque ſuo verbo, ſua lingua, ſono etiam in aere formato: vt quum ad Adamum loqueretur, ad Moſen, & ad Prophetas: quo beneficio nihil in Mundo præſtantius reperiri poteſt. Et cùm ex altera parte, ſolus homo, inter omnia animalia: idem facere poſſit ſua lingua, quòd & Deus: Quis hac in parte audebit negare, hominem imaginem eſſe Dei viuã, ſua ſcilicet lingua, ſuóq; ſermone? Proinde rectè Siracides, in explicatione imaginis Dei, hoc etiam poſuit, dicens: *Linguam eis dedit, & ſermonem, interpretem operum ſuorum.* Et vſque adeò hoc membro, homo imago eſt Dei: vt quum Apoſtolus loqueretur, Euangeliúmque prædicaret:

dicere

dicere ſolitus eſſet: *Deum eſſe ſolum: qui per ſe hortaretur: ſe non eſſe qui loqueretur, ſed Chriſtum in ſe loqui*: ſicut Chriſtus docuerat idem omnes Apoſtolos, dicens: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri.* Idem fecerant antea Prophetæ. Non video igitur quomodo reprehendi poſſit, ſi quis dicat, hominem ſuo etiam corpote, ſuiſque membris, imaginem eſſe Dei: modò dexterè & piè, vt nos fecimus, iſtud interpretetur. Nam ad ſummum, noſtra corporis membra; lingua, manus, pedes, &c. imagines ſunt ſpiritualium (vt ita loquamur) Dei membrorum: *Lingua Dei, manuum Dei, &c.* quæ ſibi in ſacris literis attribuit. Ac proinde notandum eſt: Deum non dixiſſe, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, poſtquam formaſſet corpus, quaſi de ſola anima loqueretur, eam futuram hanc imaginem: ſed hæc verba fecit, antequam creaſſet etiam corpus: ſignificans ſe formaturum hominem, qui & corpore & animo, ſui eſſet in terris imago: quando non ſolùm anima, verùm etiam corpore cum anima coniuncto, homo repræſentat, tum perfectiſſimam Dei eſſentiam: tum infinitas eius perfectiones, ſicut explicatum eſt. Id quod excellentiſſimè fecit Chriſtus in ſua perſona: vt dixerit, *Qui vidit me, videt etiam Patrem.* Tranſeo nunc à membris corporis, ad eius honorem & gloriam, quibus Deus coronauit hominem, & quas in anima ipſa paulò ante demonſtrauimus.

Ad lucem ſapientiæ diuinæ quod attinet, in anima hominis accenſam: manifeſtum eſt, eam ita propriam quidem eſſe mentis, vt in corpore locum habere, propriè nō poſſit. Neque enim corpus intelligit aut ſapit, ſed anima, & homo ipſe, animæ reſpectu. Cæterùm effecta illius ſapientiæ, tanquam radij alicuius lucis, per ipſum corpus quodam modo emicant: dum per hoc illa operatur, non ſecus atque lux laternæ per ſubtilem cuticulam, vel chartam, vel vitrum, quo obducta eſt laterna, foras emicat. Quis enim tum negat chartam, aut corium laternæ, luce candelæ illuſtratum? lucis illius eſſe ſuo modo particeps? Hoc eſt quod Chriſtus dicebat, quum prædicabat ſapientiam Patris, operáque Dei vi ſuæ Deitatis operabatur: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quum enim quis verba ſummæ ſapientiæ loquitur, idq; efficaciter, vt Chriſtus, qui loquebatur tāquam habens autoritatem, corda hominum percellens, an non lux iſta ſapientiæ, in ore & vultu hominis relucet, dum per linguam ſeſe foras exerit? Cape exemplum à Paulo: Hunc cùm audiuiſſent Lyſtrenſes & Berroenſes, verba ſapientiæ diuinæ plena facientem: & ſimul etiam cum Barnaba, vi miraculorum doctrinam confirmantem: exclamarunt, dicentes: *Dij aſſimilati hominibus deſcenderunt ad nos, illúmque vocabant Mercurium, & Barnabam Iouem.* Quis hic inficias ire poſſit linguam Apoſtoli non participem diuinæ ſapientiæ, quę in anima accenſa erat: cum ſuos, per linguam Apoſtoli foras mittebat? Ergo etiam lux ſapientiæ, quæ in anima latebat, in corpus redundabat. Sed quod de ſanctitate, & iuſtitia ſequitur: illud facilius eſt ad demonſtrandum. Quis enim tam perfrictæ frontis fuerit, qui neget, totum hominem, & corpore, & anima, creatum fuiſſe iuſtum, rectum, & ſanctū? Hoc antea demonſtratum fuit: & omnes fatentur libenter: quanquam propria iuſtitiæ, & ſanctitatis ſedes, in anima eſt: ſed ab anima, in corpus redundat. Ideo corpora noſtra *habitaculum* vocantur, & *templum ſunt Spiritus S.* Neque cùm Deus iubet vt ſimus ſancti, ſicut & ipſe: de ſola noſtra anima loquitur: neq; Chriſtus ſanctificat ſolā animā, ſed & corpus: Ergo & corpus hac parte imago Dei erat.

3. Sequitur tertia, quæ eſt de dominatu, & imperio in omnia animalia, totámq; terram: ſeu (vt loquitur Siracides) *in omnia terreſtria.* Hoc certè imperium & hanc poteſtatem, exercere non poteſt homo, niſi per corpus: loquendo, iubendo, ducendo, agendo, vtendo, edendo, & alia id genus opera præſtando, in ea in quæ habet imperium animalia, aliáque terrena. Anima enim ſine corpore, exercere dominium hoc nullo modo poteſt, quod Deus tradidit hominibus, dicens: *Dominamini piſcibus maris.* Alia itaq; voce agit, alia manu ducit, aliis pro ſuo arbitratu vtitur, qui illorū Dominus eſt. Ac ſcimus ſpeciem huius dominatus & imperij eſſe, etiam illud imperium, quod vir habet in vxorem. Differentia autem ſexus, ab anima non petitur, ſed à corpore. Quomodo igitur corpus, huiuſce partis imaginis Dei particeps non eſt? Eſt enim vſque adeo hæc dominatio magna pars imaginis Dei: vt multi voluerint totam imaginē in hac conſiſtere. Et quia hæc pars, penitus ſublata non eſt: ideo etiam imaginem Dei, prorſus in homine obliteratam, & deletam non eſſe manifeſtum eſt. Etſi enim propter ſuam in Deum inobedientiam, homini quoque ſuam denegarunt pleraque omnia animalia, tamen experientia docet, ex Dei benignitate, multum adhuc in ea imperij, relictum eſſe homini: ita vt verè naturaliter illis dominari videatur: ſicut etiam Philoſophi docuerunt. Vnde Ariſtoteles in Politicis lib. 1. ſcriptum reliquit: venationem ſylueſtrium animalium, eſſe homini iuſtam & naturalem: quia per eam homo ſibi vēdicat, quod naturaliter ſuum eſt. Per quid autem fit venatio? Per animámne ſolam, an verò etiam per corpus? Obiter verò hîc notandum eſt, ad hanc partem imaginis quod attinet: licèt imperium in animalia ex æquo traditum fuerit, tam fœminæ, quàm viro: vt ex verbis Moſis demonſtratum eſt: tamen ſimpliciter plus imperij traditum eſt viro, quàm mulieri. Vir enim autoritatem & imperium in mulierem accepit: non autem mulier in virum. Qua de cauſſa Apoſtolus etiam plus imaginis Dei dat viro in hac parte, quàm mulieri: cùm Cor. ait: *Virum imaginem eſſe & gloriam Dei, non mulierem.* Sed (inquies) hoc contigit poſt peccatum, & propter peccatum. In pœnam enim peccati dixit Deus mulieri. Geneſ. 3. *Sub poteſtate viri eris.* Verùm diuerſum eſt hoc dominij genus, quod viro in mulierem, poſt peccatum datū eſt, ab illo quod ante peccatum in illam habebat, & ſemper etiamſi non peccaſſent, habiturus fuiſſet. Ante peccatū, dominium competebat viro in mulierem, tanquam in perſonam ſimpliciter ſibi ſubiectam, vtpote etiam quæ de viro ſumta erat, & quæ poſt virum fuerat facta. Et hanc rationē affert Apoſt. 1. Tim. 2. *Mulieri authoritatem vſurpare in viros non permitto.* Quid ita? *Quia*, inquit, *Adam prior formatus eſt, deindè Eua.* Imò hanc etiam ob cauſſam, parentibus naturaliter, etiāſi peccatū nullum contigiſſet, fuiſſet poteſtas & dominatio in liberos: & omnibus magiſtratibus & gubernatoribus in eos quos ſuæ gubernationi habuiſſent ſubiectos. Oportuiſſet enim aliquem eſſe ordinē inter homines: quia quæ à Deo ſunt, omnia ordinata ſunt. Neq; hoc pugnat cū libertate vera, quā fuiſſent omnes homines cōſecuti, ſi nō interueniſſet peccatū. Etſi enim alij aliis fuiſſent ſubditi, ſicut & mulier viro, & liberi parentibus: multi tamen fuiſſent ſerui, vt etiam Auguſtinus fusè docet; in lib. de Ciuit. Dei. Atque hoc eſt dominium, quod vir in mulierē ante peccatum habuit. Sed poſt peccatum aliud acceſſit, in pœnam peccati Euæ, nempe dominium, cui ſpecies quædam ſeruitutis opponitur. Voluit enim Deus, vt mulieris appetitus, deinceps penderet ex arbitrio viri: & eius mandatis (modò non ſint contra Dominum) illa obtemperaret, ei inſeruiret, dominúmque ſuum appellaret, & pro tali agnoſceret. Idque propterea, quòd prior permiſerit ſe à Diabolo ſeduci: & auctor fuerit viro peccati. Et hanc rationem adfert Apoſtolus loco ſuprà citato, dicens: *Et Adam non fuit ſeductus, ſed Eua ſeducta, rea tranſgreſſionis facta eſt.*

Ex his magis etiam ac magis confirmatur, quod diximus de imagine Dei ad corpus pertinente. Si enim imago Dei erat etiam in hac poteſtate, & dominatione, & vir plus habebat ſimpliciter poteſtatis, quàm mulier: quia in mulierē etiam extendebatur: non autem mulieris in virum: Sexus verò differentia, non in anima fit, ſed in corpore: manifeſtè efficitur, corpus etiam hac Dei imagine fuiſſe donatum, ac proinde totum hominem ad imaginem Dei factum fuiſſe, eo, quo explicatum eſt, modo. Ita tenemus explicationem, tertiæ quæſtionis, quibúſnam in rebus conſiſteret hæc imago Dei: & confirmationem ſecundæ, totum hominem ad imaginem Dei factum fuiſſe.

Eſt autem vtiliſſima hæc doctrina; multóſque ſalutares habet *vſus*, vt modò explicabimus: quorum vnus non poſtremus eſt: vt quotieſcunque videmus aliquem hominem, quiſquis ille ſit: ſciamus non vidiſſe imaginē Dei viuā (non videmus autem animam, ſed corpus) eóque debitum ei honorem, reuerentiam, amorem, & obſequium exhibeamus. Hæc enim eſt vera in terris, eóque viſibilis Dei imago homo, anima & corpore præditus, non à pictore vel ſculptore aliquo facta: ſed à Deo ipſo, ſuis manibus fabricata, & ſuo flatu viuificata: quàm & idcirco viſibilem in medio Mundi eſſe voluit, vt ab omnibus conſpici poſſet. At cùm ipſe ſit natura, inuiſibilis: ſaltem in hac ſua viſibili imagine, qualis ipſe eſſet, vtcunque cōſpiceretur, & cognoſceretur. Sic ſolent etiam magni principes poſt conditam magnificam aliquam vrbem, ſui imaginem in medio eius collocare, in perpetuam conditoris memoriam: vt omnes poſteri, ex effigie & lineamentis figuræ animo colligant, qualis fuerit vrbis illius cōditor, eúmque animo complectantur. Sic Deus poſt conditum orbem, viſibilem ſuam imaginem, in eo collocauit: vt & ipſe homo, tanquam Dei vicarius, dominaretur: & Deus in eo, tanquam in ſua imagine, quodam modo conſpiceretur, & amaretur.

IV. Sequitur ergo quæſtio quarta. Qui ſint præcipui fines, propter quos Deus totus hominem, ad ſui imaginem fecerit. Nam ſi Deus & Natura, nihil agunt fruſtrà, certè multò minùs fruſtra factus fuit totus homo ad imaginem Dei. Sed cùm hoc fuerit opus omnium præſtantiſſimum Dei in

creatione, optimos quoque habuerit fines neceſſe eſt. Ad quæſtionem igitur breuiter reſpondemus.

THESIS.

Multi quidem ſunt fines, cur totus homo talis factus ſit imago Dei: ſed omnes tendunt, tum ad gloriam Dei, tum ad electorum ſalutem: tum etiam ad omnem reprobis tollendam excuſationem.

VOluit Deus, inuiſibilis cùm ſit, in homine, tanquam in ſpeculo omnium excellentiſſimo, ſuam tum eſſentiam, tum naturam, quantum in pura aliqua creatura cognoſci poterat, ab hominibus ipſis cognoſci. In hunc itaque finem dedit nobis animam, ſubſtantiam veram, inuiſibilem, viuentē, per ſe ſubſiſtentem, immortalem: vt ſicut certò nouimus ab ipſius effectis, eam in corpore eſſe, eámque corpus viuificare, licèt oculis perſpici nō poſſit: ſic licet Deū nemo viderit vnquam, aut videre poſſit: ex iis tamen quæ operatur in Mundo, illum verè eſſe in Mundo intelligeremus. Ac ſicut anima, ſpiritus eſt incorporeus & immortalis: ſic multò magis Deum eſſe incorporeum & immortalē: Et vt anima vna eſt ſimplex eſſentia, pluribus tamen conſtans potētiis, imò eſſentialibus partibus: ſic Deum vnā eſſe eſſentiam, in qua tamen plures ſubſiſtant perſonæ. Hoc eſt primū, quod de Deo cognoſci oportuit. Sunt item in Deo innumerabiles perfectiones, quę realiter nihil aliud ſūt, quàm ipſa Dei eſſentia. Vt has igitur nobis indicaret, non ſolùm varias in anima potentias effecit: verùm etiam corpus ipſum & ex omnibus Elementorum qualitatibus conſtare, & variis membris ad varia officia deſtinatis, diſtinctum eſſe voluit. Singula enim craſſa membra noſtri corporis: imagines ſunt ſingulorum membrorum Dei ſpiritualium: hoc eſt, perfectionum, noſtris membris vtcunque reſpondentium.

Eſt item Deus ſapientiſſimus, iuſtiſſimus, & omniū Dominus: Vt ergo hoc nobis demonſtraret; fecit hominem ſapientem, iuſtum, rectum, omnium rerum Dominum. Voluit etiam cognoſci, ſe minimè auctorē eſſe peccati: in hunc igitur finem quæcunq; fecit, fecit valde bona: & hominem inprimis, fecit iuſtum & ſanctum: & quidem totū ſanctum, quia etiam Deus totus ſanctus eſt. Atque hoc eſt alterum, quod de Deo cognoſcendum eſt: eius ſcilicet perfectio, atq; natura & voluntas. Hæc autem vera Dei cognitio, his duabus conſtans partibus, primus ac princeps finis eſt, cur homo, & quidem totus factus ſit imago Dei. Proprius enim finis, & vſus, imaginis cuiuſque eſt, vt per eam cognoſcatur ille, cuius eſt imago.

2. Cæterùm hic finis ad alium referebatur, nempe, vt agnitus Deus, amaretur & coleretur. Dei enim cognitio, ad ipſius amorem, cultum, glorificationem ordinata eſt. Ideò datam legem, ad ſui notitiam donauit populo, dicens: *Ego ſum Iehoua, qui eduxi te, &c.* Poſtea ſubiecit præcepta de cultu dicens: *Non habebis Deos alienos coram me.* In hunc itaque finem Deus hominem non ſolùm fecit intellectu & voluntate præditum: verùm etiam ſapientia cœleſti illuſtratum, rectitudine cordis, iuſtitiáque, & ſanctitate totum ornatum eſſe voluit: vt ſcilicet non ſolùm ſciret, ſed etiam poſſet Deum amare, colere, & glorificare. Niſi enim quis iuſtus ſit & ſanctus: Deum iuſtum & ſanctum neque amare, neque colere, aut glorificarē, verè & ex animo poteſt. Hoc eſt enim certum axioma: Omne ſimile, amat ſuum ſimile: diſſimile verò, amare nemo poteſt. Hæc itaque cauſa eſt, cur Deus hominem fecerit ſibi ſimilem, iuſtum, bonum, ſanctum, & cur etiam nunc prior nos ſua gratia præueniat, amet, iuſtificet, regeneret: vt ſcilicet, facti ei ſimiles, ipſum amare, & colere, ipſiúſque conſortio delectari poſſimus. Et quidem vt in æternum id facere poſſimus: idcirco voluit & animam in primis eſſe æternam, & deinde etiam corpus immortalitate donari. Hic eſt ſecundus finis. Cæterùm, Deus non opus habebat, ad ſuam beatitudinem, noſtra cognitione, amore, cultu, obedientia.

3. Alius igitur finis ex his ſurgit, cur homo ad imaginem Dei totus creatus ſit: id eſt, vt totus homo ſaluus fieret, hoc eſt, vt non ſolùm homo Deum ſibi ſimilem amare: ſed vt viciſſim etiam Deus ipſe hominem tanquam ſibi ſimilem, ſibi vnire, & ſecum in ſempiternum conſortium, & in perpetuam beatitudinem, gaudiáque æterna, iuſtè recipere poſſet. Etſi enim Deus poteſt quæcunque vult, quia omnipotens eſt: & quicquid vult iuſtum ſit, quia ipſius voluntas, omni iuſtitiæ regula eſt: tamen quia ſapientiſſimus etiam eſt, idcirco noluit, nec vult, creaturam vllam ſibi prorſus diſſimilem, in cœlo ſecum eſſe. Proinde, vt homo in cœlo cum Deo viuere in æternum poſſet: Deus voluit eum ſibi ſimilem creare: & nunc denuò per Chriſtum, eandem in Adamo corruptam imaginem reparare, vt quicunque eſſe volunt in cœlo: ſimiles prius ſibi reddat in terris. Alioqui enim diſſimiles Deo, iniqui, ſcortatores, immundi, &c. regnum Dei non conſequuntur, neque in illa ſancta ciuitate locum habere poſſunt, canes, & porci. Ideo & Chriſtus ad hanc cum Deo ſimilitudinem hortatur dicendo. *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter perfectus eſt.* Ergo tertius finis, cur homo totus ad imaginem Dei factus fuerit, ipſius fuit ſalus æterna cum Deo in cœlo.

4. Accedit huic quartus: is fuit, vt homines non ſolùm amare Deum, verumetiam ſe mutuo amplecti ex animo, ſincerόque more proſequi poſſent, cum in hac vita, tum in altera. Nam neque inter bonos & malos, iuſtos & iniuſtos, verus amor eſſe poteſt, propter morū diſſimilitudinē: neq; impij atq; iniuſti, ex animo ſeſe mutuo amare queūt, propter φιλαυτίαν, qua omnes laborant. Sed quicquid amoris, & amicitiæ ſimulent, illud totum φιλαυτία eſt, & hypocriſis. Vt igitur vera charitas inter homines coleretur; fecit eos imagine Dei, bonitate, iuſtitia, & rectitudine cordis omnino ſimiles. Idem nunc facit Chriſtus in ſuis electis; corda ipſorum renouando, & charitate inflammando. Totum verò hoc ad Eccleſiaſticæ & Politicæ vnitatis conſeruationem, cóque ad retinendam in Mundo veri Dei prædicationem, ſacramentorum adminiſtrationem, nominis Dei celebrationem, omnem deniquè pietatem & honeſtatem, perneceſſarium erat. Niſi enim homines ſeſe ex animo amaſſent, quomodo potuiſſent, diu ſimul habitare? Quomodo Eccleſia cogi & conſeruari? Quomodo nomen Domini in eo inuocari, adorari, coli? Proinde Apoſtolus charitatem vinculum perfectionis vocat. Niſi autem homines, ſimiles inter ſe fuiſſent iuſtitia, & ſanctitate, aliiſque imaginis Dei partibus, nunquam, vt dictum eſt, ſeſe mutuo amore complecti potuiſſent, id quod nunc etiam vſu venire videmus.

5. Adde iam quintum finem; Opus fuiſſe vt & reprobis, quòd damnentur, obturaretur os, iuſtitiaque Dei in illis illuſtraretur; & electi quod ſeruentur, ſe per gratiam ſeruari intelligerent. Factum eſt hoc, dum omnes ad imaginem Dei facti ſunt, quanti quanti fuerunt. Quod igitur omnes lapſi in peccatum fuerint, culpa in Deo nulla hæret, ſed in hominibus. Quare quòd etiā ex toto humano genere, permulti ſeruentur per Chriſtum, debent hoc ſoli Dei miſericordiæ, & gratiæ. Quòd autem reliqui damnentur: non habent cur hoc niſi ſibi ipſis acceptum ferant. Ita Deus manet glorioſus. Proinde verè dicit ſcriptura: *Deum omnia feciſſe, propter ſemetipſum, etiam impium ad diem malum:* hoc eſt, etiam illos, quos ſua ipſorum culpa futuros impios præuidebat. Deus enim impietatis ipſorum auctor non fuit, qui eos ad ſuam creauit imaginem, quia bonus. Proinde nullibi legitur feciſſe iniquitatem, ſed impios ipſos ad diem malum ordinaſſe. Quid ita? Quia iuſtus. Hoc verò in maiorem electorum ſalutem cedit, (vt Apoſt. ad Rom. demonſtrat;) & ad illuſtriorem in ipſis miſericordiæ vaſis, gratiæ Dei commendationem. Nam quod non in omnes deriuata ſit perfecta Dei imago, quæ in Adamo fuit & Eua: factū eſt hoc primi parentis culpa, in quo omnes peccauerunt. Transferenda enim alioqui in omnes fuerat. Quod autem in aliquibus inſtaurata fuerit, & adhuc inſtauretur per Chriſtum, in aliis verò non inſtauretur: vnum venit de miſericordia Dei, alterum de eius iudicio: nobis quidem occulto, in ſe autem iuſtiſſimo; ita ab ipſo & per ipſum, & in ipſo omnia: cui laus & gloria.

Summa totius huius doctrinæ de imagine Dei, hæc eſt.

1. Deum, cùm in omnes viſibiles res a ſe conditas ſuę bonitatis, ſapientiæ, & potentiæ veſtigia multa impreſſiſſet: ad extremum in ſolum hominem, ſui quaſi totius imaginem & ſimilitudinem expreſſiſſe, ſui inquam totius, hoc eſt, ſuæ quodammodo eſſentiæ, ſuæque naturæ & maieſtatis, veluti etiam ſigillum, in ceram impreſſum, ſui in ea imaginem expreſſam relinquit.

2. In totum quidem hominem imaginem hanc fuiſſe impreſſam, quia præterquam quòd totam animæ ſubſtantiam, fecit ſimplicem, incorpoream, inuiſibilem, ſpiritualem, per ſe ſubſiſtentem, ſemper viuentem, immortalem, intelligentem, liberáque voluntate præditam, ſapiētiæ plenam, iuſtam, ſanctam, & rectam: ipſum quoque corpus tale fecit, & cum anima ita copulauit: vt & omnium aliorum corporum perfectio, in ipſo contineatur, & omnia eius membra, ſpiritualem Dei membrorum, hoc eſt, perfectionum; typi ſint, atque imagines: & ad immortalitatem ordinatū, & iuſtitiæ & ſanctitatis particeps effectum fuerit: cóque totus homo gloria & honore coronatus fuit, & conſtitutus ſupra omnia opera manuum Dei: Vt in homine,

tanquam

tanquam in conſpicuo & viſibili ſpeculo Deus ipſe, eiúſque natura & maieſtas reſplendens, quodam modo perſpici poſſit.

3 Finem autem totius huius fabricæ fuiſſe: vt in hac imagine, quanta ſit bonitas & φιλανθρωπία, conſpiceretur: omniſque boni & iuſtitiæ omnino: peccati autem & mali, nequaquam Deus auctor eſſe cognoſceretur: eóque ab homine amaretur, coleretur, celebraretur: ac proinde & electi hac ratione ſeruarentur, & reprobi inexcuſabiles redderentur: Et Deus ipſe ad extremum, tum à miſericordia in vnos, tum à iuſtitia in alios, in ſempiternum, glorificaretur. Hæc de imagine Dei.

Ex his autem quæ diximus, liquidò apparet, quid de iuſtitia (vt vocant) Originali ſentiendum ſit. Huius enim cognitio, ex cognitione imaginis Dei dependet: cum ſit illius pars. Latiùs enim patet imago, quàm iuſtitia. Breuiter igitur de hac dicemus.

CAPVT II.

DE IVSTITIA ORIGINALI.

TRes perbreues quæſtiones explicãdæ ſunt: Prima, *an homo creatus fuerit in iuſtitia originali, necne.* Secunda, *quid fuerit illa iuſtitia.* Tertia, *an in omnes homines fuiſſet transferenda, ſi Adamus non peccaſſet.* Sunt autem hæc neceſſaria ad cognitionem peccati Originalis: eóque ad cognitionem beneficiorum Chriſti.

I. Ad primam quod attinet, neminem adhuc legi, qui negauerit, Adamum creatum fuiſſe iuſtum: niſi cuiuſdam Doctoris ſcriptum. In quo cùm contendat imaginem Dei, ad quam creatus fuiſſe homo dicitur, nihil aliud fuiſſe quam imperium illud & dominium, quod in omnia acceperat animalia. Omnia, quæ ex Apoſtolo afferuntur de imagine Dei in ſanctitate, & iuſtitia vera, eludit teſtimonia, dicendo: Ea nihil ad eam imaginem primam pertinere, quam vocat *creationis*: ſed tantum ad alteram, quam appellat *regenerationis*: apertè ſcribens: Adamum neque iuſtum, neque iniuſtum creatum fuiſſe. Totam enim piorum, doctorúmque virorũ, de imagine Dei, originalique iuſtitia doctrinam: in quinq; reſoluit propoſitiones: quas partim oppugnat, partim corrumpit. Referam eius partitionem & verba.

1. *Adam ex creatione originali iuſtitia coram Deo iuſtus & ſanctus fuit.*
2. *Adam habuit liberum arbitrium.*
3. *Adam ex creatione coram Deo fuit innocens.*
4. *Adam accepit immortalitatem ex creatione.*
5. *Adam cum libertate hæc prædicta amiſit.*

De prima & tertia, quia pertinent ad præſentem tractationem, paulo poſt quomodo eas refutet, & quantum roboris habeant illius rationes, breuiter dicam: reliquas nunc perſtringo. Ergo ad ſecundam ita reſpondet: vt aperte neget, ante peccatum, Adamum fuiſſe liberum: quod & ſubiectus eſſet diuinæ prouidentiæ: & quod eſſet ſub lege, qua vetita illi fuerat arbor ſcientiæ boni & mali. Quaſi verò hæc cum libertate arbitrij pugnarint, aut pugnare poſſint. De iis dicemus in loco de libero arbitrio Adami. Ad quartam de immortalitate Adami ita reſpondet, vt dicat immortalem fuiſſe ex prædeſtinatione, non ex creatione. Quaſi vnum cum altero pugnet, & non omnia cadant ſub prædeſtinationem, quæ etiam dicuntur eſſe à natura, vel à libero arbitrio, vel à gratia. Deinde quum noſtri dicant, immortalitatem accepiſſe ex creatione, non intelligunt, tale creatum fuiſſe corpus, quod mori non poſſet ſua natura. Sed in ipſa creatione accepiſſe à Deo per gratiam, vt poſſet non mori. In hunc enim finem data ei fuit arbor vitæ: vt ex illius eſu, corpus & ab omni morbo, & à ſenio, & ab omni imbecillitate immune ſeruaretur. Itaque damus quod iſte Doctor ſcribit, nempe corpus Adæ, etiam ante lapſum fuiſſe mobile, hoc eſt, mutabile & morti obnoxium; ſua ſcilicet natura: ex gratia autem habuiſſe, vt poſſet non mori: ſed hanc ei gratiam dicimus fuiſſe datam, iam inde ab initio ſuæ creationis. Neque inficiamur ſi non peccaſſet, & recipiendus fuiſſet in regnum cœleſte, quin opus habiturum fuiſſet Adami corpus aliqua immutatione: de qua & ad Corinth. Apoſtolus: ſed immutatio illa in primis hominibus non fuiſſet, quemadmodum nec in aliis, futura eſt vera mors. Vnde Apoſtolus ait: *Non omnes quidem moriemur, ſed omnes immutabimur:* & ratio eſt, quia [illegible] *Dei non poſſidebunt.* Verum hæc muta[illegible] quia anima non ſeparabitur à corpore: & ſub[illegible] non peri-metur, ſed qualitas tantum mutabitur.

Ad quintam propoſitionem, de amiſſione Imaginis Dei: Negat ſimpliciter, imaginem, in qua creatus fuit Adam, amiſſam fuiſſe: ratio eſt: quia imaginem illam, nil aliud fuiſſe vult, quàm dominium in animalia, aliáſque res terreſtres. Et nititur auctoritate Ambroſij: de qua ſuprà diximus, & Epiphanij, quæ quomodo intelligenda ſit, declarauimus.

Redeo nunc ad primam & tertiam, quæ ad hanc præſentem quæſtionem pertinent: nam ad id, quod dicitur de innocentia Adami ante lapſum: iſte bonus Doctor negat illum alia ratione fuiſſe innocentem, quàm hac: quia ſcilicet nihil ei imputabatur ad peccatum. Quaſi verò aliquid admitteret non bonum, ſed non imputaretur ad peccatum: & ea tantùm de cauſſa eſſet innocens. Subdit ſuam probationem, dicendo: *Nam vbi nulla lex, ibi nulla tranſgreſſio.* Atqui Adamo lex nulla erat, quæ illum accuſaret. Probat hanc minorem duplici medio: Primò, Adam adhuc ignorabat bonum & malum. Ergo à lege naturæ non accuſabatur. Secundo, non erat lex Dei quam violaret: igitur inquit, nihil ad peccatum ei imputabatur. Quare hac (hoc eſt, quia nihil imputabatur) & non alia ratione, erat innocens. Sic ille.

Reſp. In hoc ſyllogiſmo ad minorem reſpondendum eſt, Nulla lex (inquit) erat Adamo, quæ illum accuſaret. Vndè hoc probat?

Primò, quia adhuc ignorabat bonum & malum. Sed vnde hoc didicit? Ex Diabolo fortè qui dixerat Euæ: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Sed nos dicimus Diabolum mentitum fuiſſe in tota illa promiſſione: & noſtræ reſponſionis teſtem habemus Chriſtum. Ioh. 8. Dicimus inſuper Adamum & Euam, ante lapſum nouiſſe bonum, & malum; hoc eſt, quid & Deo gratum eſſet, aut ingratum: & quid ſibi eſſet vtile, aut pernicioſum. ídque tum ex luce ſapientiæ in ipſorum mentibus accenſa, legéque in cordibus inſcripta, tum ex lege lata de non edendo fructu arboris illius: & an non Eua ſua reſponſione ad Diabolum oſtendit manifeſtè, ſe noſſe, quæ eſſet Dei voluntas? & mortem ſibi eſſe malam, vitam vero bonam? Stultè igitur iſte bonus Doctor ait: Adam ignorabat adhuc bonum & malum.

Secundo probat nullam fuiſſe legem, quæ accuſaret Adamum: quia (inquit) non erat lex Dei, quam violaret. Reſpond. Lex Dei æterna eſt, quæ eſt eius voluntas. Ergo iam erat lex. At non erat nota. Imo, tum ex luce ſapientiæ, in eo accenſa, à ſuæ creationis initio, qua Deum, eiúſque voluntatem nouerat: tum ex verbis: *Ne comedas.* Imperitè ergo & impudenter dicitur, tum non fuiſſe Adamo legem Dei quã violaret. Quare propoſitio etiam principalis, falſa eſt: Adamum non alia ratione innocentem fuiſſe: niſi quatenus nihil ei imputabatur ad peccatum. Scriptura enim dicit, *hominem creatum fuiſſe rectum*, nempe erga Deum inprimis: item, *valde bonum*, id eſt, qui placeret Deo: Item, *ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Item, *in iuſtitia & ſanctitate vera*, ait Apoſtolus. Erat igitur innocens, tum quia nihil in eo vitij aut culpabile erat: tum quia nihil ante lapſum egit, quod vlla eſſet reprehenſione in eo dignum: non autem, quia nihil ei ad peccatum imputaretur. Illud enim dicitur non imputari ad peccatum, quod per ſe malum quidem eſt, & peccatum: ſed pro tali non putatur, ſed condonatur, ſed regitur, ſed diſſimulatur: ſicut Dauid in Pſalm. 31. docet: quum omnia hæc pro eodem accipit: remittere iniquitates, tegere peccatum, & non imputare peccatum.

Porro tertiam rationem, qua probat, Adamum non alia ratione fuiſſe innocentem, niſi quia nihil ei imputabatur ad peccatum, hanc ſubdit: *Nam quis creaturarum* (inquit) *etiam perfectiſſimarum coram Deo eſt innocens?* Reſpond. Ex Iob. 4. hæc deſumpſit, ſed mutatis verbis. De Angelis loquitur Iobus: & ait, *in ipſis quoque deprehenſam eſſe à Deo inſtabilitatem.* Vulgò habent, *perniciem.* Duplex eſt ſenſus, aut de Diabolis, qui lapſi ſunt, hæc dici. Si hanc recipis: quid tum ad Rhombum? Aut (quod magis placet) dicuntur hæc de Angelis omnibus bonis, non ſimpliciter: ſed comparatiuè ad Deum. Solus enim Deus ſtabilis eſt ſua natura, in ſua bonitate. Si hanc ſequimur: nihil etiam ad rem facit. Quis enim noſtrûm vnquam ſcripſit: Adamũ ita fuiſſe innocentem, vt peccare non poſſet; & qui comparatus cum ſumma Dei puritate, immundus non fuerit, etiam ante lapſum? Sed dicimus, Adamum fuiſſe innocentem in ſe conſideratum: quòd natura eſſet pura ac ſancta: & nihil ante lapſum egerit, quod culpari poſſet, aut vlla noxa & pœna dignum foret. An non hoc verum eſt? Potuítne ante lapſum primum, fuiſſe alius prior lapſus? Si nullus lapſus ante primum: ergo ante primum lapſum innocens. An non ira Dei primum lapſum duntaxat inſe-

eura, ſatis luculétèr docuit, ante primum lapſum, Adamum fuiſſe innocentem. Hoc eſt quod ait Aug. Tom. 7. de Correct. & gratia, cap. 10. Adamus cœpit habere vitium, ex quo cecidit: Et ſi cœpit, antequam cœpiſſet, vtique ſine vitio fuit. Temerè igitur, & ſtultè dicitur, Adamum non alia ratione fuiſſe innocentem, quàm quia nihil ei ad peccatum imputabatur. Nam certè hinc obliquè perſtringitur Deus: quaſi qui aliquid mali in Adamo poſuerit: quod tamē nollet imputare ad peccatum. Atque hęc ſatis ad refutationem eorum, quæ contra tertiam propoſitionem, de innocentia Adæ protulit iſte bonus vir. Nunc ea, quæ aduerſus primam, de iuſtitia originali in Adamo, ſcripta reliquit, breuiter examinemus.

11. Contendit Adamum non fuiſſe à creatione iuſtum. Ratio prima: Iuſtitia & peccatum, inquit, non poſſunt creari, quia non ſunt creaturæ, ſed relationes. Adam igitur ex creatione, neque iuſtus fuit, neque iniuſtus. Quid obſecro imperitius, & ineptius dici potuit? Omnes Philoſophi & docti docent, iuſtitiam eſſe qualitatem: Iſte ait, eſſe relationem. Etſi verò res quæ creatæ fuiſſe à Moſe dicuntur, propriè ſunt ſubſtantiæ: nullæ tamen ſine ſuis accidentibus, qualitatibus, proprietatibus, creatæ fuerunt. Omnia autem, à Deo. Quid etiam obſtat, quò minùs aliquid, à ſua prima origine, aliquam habeat relationem, vt æternus Filius, ad Patrem: & vt omnis creatura, ad creatorem? Ergo etſi quis ineptus concederet, iuſtitiam eſſe relationem: non efficeretur tamen, quin homo potuerit, à principio ſuæ creationis, hanc habere, quam vocat relationem, hoc eſt, iuſtitiam, & eſſe iuſtus. Secunda ratio: Adamus (vt creditur) fuit electus ad æternam vitam in Chriſto ex gratia: & non ex operibus. Quomodo igitur, inquit, conſtare poterit, quod dicitur, Adamum ante lapſum, ex operibus ſuis perfectis & ſanctiſſimis, coram Deo fuiſſe iuſtum. Nam ſi iuſtus fuiſſet ex viribus naturalibus: omnino exemtus fuiſſet ex numero electorum. Gratia enim & miſericordia Dei per Chriſtum, non opus habuiſſet. Sic ille. Quaſi verò Deus quempiam gratis in Chriſto elegerit, quem non præuiderit à iuſtitia in peccatum lapſurum, & ita gratia in Chriſto opus habiturum. Et quaſi iuſtitia Adæ, & eius peccatum, & eius à peccato per Chriſtum redemtio: ſub prædeſtinatione non contineatur. *Prædeſtinatio* (inquit Auguſtinus) *eſt preparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Vnde liberantur? A peccato, & morte. Vbi verò peccatum, niſi vbi prius fuerat iuſtitia? De alicuius prædeſtinatione, iudicandum nobis eſt à poſteriori, hoc eſt, ab effectis ipſius in homine: non autem de effectis, à prædeſtinatione: vt facit iſte Doctor: qui vult euincere, Adamum non fuiſſe creatum iuſtum: quia fuit gratis electus ad vitam in Chriſto. Nos contrà, hoc modo: Deus creauit hominem rectum & iuſtum, qua iuſtitia, ſi voluiſſet, potuiſſet æternum viuere; is verò liberè peccauit, & excidit à vita: Deus autem pro ſua miſericordia eum à peccato & morte, ad vitam æternam redemit per Filium ſuum: Ergo Deus decreuerat hominem creare iuſtū: ſed quia præuiderat eum in ea iuſtitia non permanſurum; decreuit eum redimere per Filium, & æterna vita donare. Neque vnum effectum redemtionis, cum altero pugnat: Ineptè ergo ratiocinatur ipſe Doctor. Eiuſdem farinæ eſt tertia ratio, quam ſubdit in hæc verba. Si verum eſt (inquit) quod dicunt, totum genus humanum victurum fuiſſe coram Deo, in ſumma iuſtitia, & ſanctitate, & propria iuſtitia conſequuturum vitam æternam, ſi Adam non fuiſſet lapſus: ſine contradictione oportet falſum eſſe, quod Scriptura tradit, Deum ante Mūdi iacta fundamenta, aliquos elegiſſe, & aliquos reprobaſſe. Nam iuxta priorem ſententiam, omnes homines eſſent conditi ad æternam ſalutem, & nemo reiectus eſſet ab æterno. Vide num hæc doctrina pugnet, cum potiore parte doctrinæ Chriſtianæ. Quare videtur mihi (inquit) conficta eſſe, ab iis, qui & electionē & gratiam Dei, aut non verè intellexerunt: aut non ſatis in hoc loco circumſpecti fuerūt. Hæc ille. Sed mihi ignoſcat dominus Doctor: is potiùs ſe doctrinam de prædeſtinatione & gratia non rectè percepiſſe: neque quod ſit diſcrimen inter hypotheticas, & categoricas propoſitiones, rectè didiciſſe declarat. Certum eſt, ſi Adam non peccaſſet, eius originalem iuſtitiam in poſteros propagandam fuiſſe, vt poſtea oſtendemus: Et, ſi illi quoque non peccaſſent, ipſos omnes victuros in iuſtitia, Solo enim peccato, amittitur iuſtitia. Sed totum hoc hypotheticum eſt. Deus autem præuidit omnes peccaturos: Quibuſdam igitur ſuccurrit alia ratione, nempe redemtione per Chriſtum, & ſui Spiritus gratia. Alios pro ſuo iuſto iudicio, in peccatis & damnatione relinquere voluit. Cū electione igitur & reprobatione non pugnat doctrina de creatione Adami in iuſtitia, deq; eadē iuſtitia in poſteros, ſi non peccaſſet ille, & in eo omnes propaganda. Quamobrem refutatis ineptis huius Doctoris rationibus, de iuſtitia originali, hanc Theſin defendimus.

THESIS.

Adamus creatus fuit in iuſtitia, & ſanctitate vera, quam non immeritò originalem appellant: Et cum hac donatus fuit gratia Dei, & Spiritu ſancto.

DVo ſunt huius propoſitionis membra: vnum de creatione hominis in iuſtitia & ſanctitate: alterum de dono gratiæ ac Spiritus ſancti ſuperaddito. Vtrumque è ſacris literis demonſtrabo, & ex Auguſtino: ſicut etiam vtrumque habet confeſſio Proteſtantium, Carolo exhibita: ſed prius explicanda ſunt nonnulla.

Primùm, diſcrimen facio cum Auguſtino, inter iuſtitiam illam in qua fuit creatus homo: & inter gratiam qua fuit in creatione donatus. Iuſtitiæ nomine intelligimus illam totius naturæ Adami integritatem (& vt ſcriptura loquitur) rectitudinem: qua fiebat ſpiritus, hoc eſt, pars animæ ſuperior, ſeu ratio, ſubderetur Deo, & eius voluntati: Spiritui autem, anima, hoc eſt, pars ſenſitiua, omnéſque affectus: Animæ verò, ipſum corpus: Ita vt verè totus homo, eſſet rectus, nempe in Deum, ſuum vltimum finem: Rectus inquam, ſpiritu, anima, corpore, vt dictum eſt. Hæc eſt enim iuxta Apoſtolum, hominis partitio, in ſpiritum, animam & corpus. Illa itaque totius hominis rectitudo, integra atque perfecta, qua omnes corporis partes parebant animæ, & animæ ſpiritui, & ſpiritus parère poterat Deo: ad nullum malum, ad omne autem bonum, ſua natura propēſus, erat id quod iuſtitiam vocant originalem. Omne enim rectum & integrum miniméque corruptum, ſed ſua natura perfectum: *iuſtum* vocare ſolemus. Iuſtitia quoque appellabatur: quia hac fiebat, vt eſſet iuſtus coram Deo, hoc eſt, gratus, innocens, ſanctus, quæ cauſſa eſt, cur Apoſtolus cum ipſa iuſtitia coniungat ſanctitatem; dicens: Qui creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate vera. Originalis autem appellatur, quia in hac conditus fuit primus homo, non vt priuata perſona, ſed vt origo, radix & ſcaturigo totius humani generis: nempe in hunc finem, vt eadem iuſtitia, in omnes poſteros per Adamum propagaretur: ſicut etiam contra; peccatum illud primum Adæ, originale vocatur; quia non peccauit vt priuatus homo, ſed vt origo & fons totius humani generis: qua de cauſſa Apoſtolus ait, *omnes homines in Adamo peccaſſe.*

Nunc tenemus, quid nomine iuſtitiæ originalis intelligamus.

Gratiæ autem Dei ſuperadditæ nomine, intelligimus tum fauorem, quo Deus Adamum complectebatur, & charum habebat, præ cæteris rebus omnibus: tum ſupernaturalem quendam Spiritus ſancti quaſi ſplendorem, Adamum inſtar ſolis deſuper irradiantem; cuius auxilio in ſua integra natura, ſanctitate & innocentia perſeuerare, Deiq; voluntati in ſempiternum obtemperare potuiſſet, ſi voluiſſet, vt autem vellet, in ipſius relictum erat poteſtate, liberóque arbitrio, de quo poſtea. Atque hoc eſt quod piiſſimè & ſcitiſſimè tradit Auguſtin. de Correct. & gratia, cap. 10. & aliis cap. 2. inſequentibus; vbi explicat, qualis fuerit creatus Adam. Ibi docet duplicem eſſe Dei gratiam, vnam, qua poſſimus, ſi velimus, non peccare, ſed in bono perſeuerare: alteram; qua non ſolùm poſſimus, ſed etiam velimus non peccare, ſed conſtanter in bono perſeuerare, eóque perſeueramus. Primam datam fuiſſe Adæ, ab ipſius creatore, in ipſa creatione, ſed non alteram, vnde non perſeuerauit; quod cur ita factum ſit, rationem adfert Auguſt. cap. 10. dicens: quia ſcilicet voluit Deus priùs oſtendere in Angelis & hominibus quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium. Hoc enim magis ad omnipotentiſſimam eius bonitatem pertinuiſſe, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere. Primam itaque gratiam datam eſſe primo homini, à creatore, qua poſſet non peccare, ſi vellet; ſed alteram dari nobis à redemptore, qua velimus non peccare: confirmandam magis in cœlo, vbi nō poterimus velle peccare. Quanquam etiam in hac vita; eam quodammodo recipiunt ſancti; ſicut ait Iohann. *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, & non poteſt peccare.* nempe ex animo, & in finem vſque. Semen Dei enim in illo eſt.

Sed nunquid præter iuſtitiam originalem, alia opus habebat gratia Adam? Quidni? Hoc inde liquet, quia paulò pòſt lapſus eſt, & excidit à gratia, ſuámq; amiſit naturæ integritatē. Opus igitur habebat gratia, tū qua poſſet nō peccare

tate, tum etiam, qua vellet. Vnum acceperat in creatione, alterum non habuit. Liquet & inde, quia in cœlo hanc conſequemur gratiam, qua ſimpliciter non poterimus peccare, aut velle peccare. Ergo hac egebat Adamus. Huius ſpecialis gratiæ & auxilij neceſſitatem in Adamo optimè demonſtrat Auguſt. de Cor. & gratia. Nunc etiam nouimus, quid nomine gratiæ intelligendum ſit, qua præter iuſtitiam originalem donatum fuiſſe dicimus Adamum & Euam ipſam. Illud ad extremum notandum eſt, quod diximus, vnà cum iuſtitia originali, hac gratia quoque donatum fuiſſe Adamum: ſignificamus ante lapſum, ita indiuulſas fuiſſe has duas res, vt licèt iuſtitia, res eſſet naturæ, gratia autem, res ſpiritualis: hæc tamen ab illa nunquam fuerit ſeparata, ſed ſemper Adamo, vti Sol huic mundo, quo omnia viuifica & virentia conſeruantur, affulſerit, libertate tamen ſemper Adamo relicta. Hinc verò fit. vt apud Doctores, nomine iuſtitiæ originalis non tantùm naturæ illius integritas, & perfectio intelligatur; ſed etiam gratia Dei, quæ cum illa integritate ſemper fuit ab hominis creatione coniuncta.

III. Nunc teſtimoniis aliquot ſcripturarum, & Auguſtini, omnia hæc nobis confirmanda ſunt.

Primùm, Gen. 1. *Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Huius imaginis præcipuam partem diximus fuiſſe expreſſionem naturæ Dei, hoc eſt, iuſtitiæ & ſanctitatis diuinæ, in hominem ipſum factam: Huius ſignum fuit, quod nudi incedentes, non erubeſcebant. Apertum certè teſtimonium internæ ſimplicitatis ac ſanctitatis: puritatis ac innocentiæ.

Secundò, Gen. 1. Facto homine dicitur: *Et erant omnia valde bona.* Ergo etiam homo, natura ſua perfectus, ita vt placeret, gratuſque eſſet Deo, ac iuſtus. Huius ſymbolum fuit, quòd in Paradiſo fuit collocatus. Significauit enim Deus ea actione, Adamum dignum eſſe Paradiſo cœleſti: vſque adeò erat iuſtus, ſanctus, & Deo ſimilis. Et hoc ſymbolum inde confirmatur, quia ſimul ac peccaſſet, mox eiectus è Paradiſo fuit, tanquam indignus illa habitatione. Significauit enim Deus, priuatum eum fuiſſe, cum tota poſteritate, iure, quod habebat in cœlum, cœleſtémque Paradiſum.

Tertiò, Geneſ. 2. Dato præcepto. adiecit comminationem Deus, dicens: *Quacunque enim die comederis, morte morieris.* Comminatus eſt autem nomine mortis præter alia, priuationem ſuæ gratiæ, quæ eſt vera animæ vita: & totius naturæ, quæ poſtea inſecuta eſt, corruptionem. Indicauit igitur hominem fuiſſe in gratia Dei, naturæque perfectæ, atque iuſtæ: ſicut nunc poſt peccatum aliter ſe res habet.

Quartò, Eccl. 7 *Fecit Deus hominem rectum.* Auguſt. T. 5. de Ciuit. Dei, lib. 14. cap. 11. rectitudinem hanc ad ipſam voluntatem inprimis refert, dicens: *Fecit Deus hominem rectum, ac per hoc, voluntatis bonæ*: Non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem. Idem habet de Cor. & gratia, cap. 11. ſed interim ad ſolam voluntatem non reſtringit, vt manifeſtum eſt. Proinde idem Auguſt. T. 7. de Corr. & gratia, cap. 10. ad totam primi hominis naturam extendit, dicens de Adamo: *Certè ſine vllo vitio factus eſt rectus.* Hæc ille. Quid autem eſt, eſſe ſine vllo vitio: niſi totum eſſe innocentem, iuſtum, ſanctum? Erat igitur ita iuſtus homo & rectus: vt in eo nulla eſſet obliquitas, à Deo, ad creaturas inclinans, ſicut nobis eſt caro pugnans aduerſus ſpiritum: Sed totus erat rectus: quia neque corpus reſiſtebat animæ, neque anima ſpiritui: neque ſpiritus ſua natura reſiſtebat Deo, ſicut in nobis. Nomine autem *ſpiritus*, intelligo hic cum Apoſtolo, ſuperiorem animæ partem, hoc eſt, rationem. Neque eludi poſſunt teſtimonia Apoſtoli.

Quintum ergo teſtimonium eſt ex Epiſt. ad Epheſ. 4. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate vera.* Nullum adhuc vidi interpretem, qui diffiteatur, verbum hoc, *Qui creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate*: τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, tam ad primam creationem Adami, quàm ad ſecundam, hoc eſt, ad recreationem, ſeu regenerationem, referri poſſe. Si igitur de prima creatione accipias, locus eſt perſpicuus, Adamum in iuſtitia & ſanctitate fuiſſe creatum: ſi de recreatione, ſeu regeneratione, idem nihilominus, neceſſaria conſecutione, ex nomine recreationis, ſeu regenerationis euincitur. Illud enim dicitur recreari in ſanctitate, quod priùs fuerat in ea creatum, ſed poſtea illam amiſerat. Sic renouari, quod priùs fuerat nouum, ſed poſtea vetus effectum, ad primam nouitatem reuocatur. Sic Dauid dicendo: *Cor mundum crea* (id eſt, recrea) *in me Deus*: indicat illud priùs fuiſſe mundum, idcircò poſtea factum immundum per peccatum, petit renouari ſeu recreari mundum. Ergo vbicunque Apoſtolus docet recreari, renouari, regenerari, per Chriſtum, hominem nouum in iuſtitia & ſanctitate: inde & naturæ corruptio per peccatum, & eiuſdem prima creatio in iuſtitia ac ſanctitate, neceſſariò concluduntur. Sic Col. 3. *Induiſtis nouum hominem, qui renouatur in agnitionem, ſecundùm imaginem eius, qui creauit eum.* Quid enim eſt renouari, niſi quod vetuſtate labefactatum fuerat, in priſtinam integritatem & ſinceritatem reſtitui? Proinde non dixit ſimpliciter: *Induiſtis nouum hominem, qui creatus eſt in imagine Dei*: ſed adiecit, *qui renouatur*: τὸν ἀνακαινούμενον. Quomodo enim nouus renouatur? Significare voluit, ſe non loqui de aliquo nouo, qualis nunquam fuerit: ſed de illo, qui cùm priùs eſſet ad imaginem Dei creatus, poſtea labefactata imagine per peccatum, denuò per Chriſtum priſtinæ ſinceritati reſtituitur, vetuſtate peccati depoſita. Eſt igitur (vt dicam quod res eſt) impudentia: hæc Apoſtoli loca ita interpretari: vt ex eis contendas, colligi non poſſe, primum hominem, in iuſtitia & ſanctitate creatum non fuiſſe. Audiamus nunc Auguſtinum T. 7. de Correct. & gratia, cap. 10.

Quæſtionem proponit de Adamo, *an, cùm creatus ſit rectus*, hoc eſt, ſine vllo vitio: *donum etiam perſeuerantiæ acceperit nec ne?* Reſpondet in ſumma, accepiſſe, & non accepiſſe. Non accepiſſe ſimpliciter: quia ſi perſeuerantiæ gratiam accepiſſet, vtique perſeueraſſet. Accepiſſe etiam, quia donum ſeu gratiam, qua poſſet perſeuerare, ſi vellet in illa rectitudine, in qua ſine vitio factus fuerat, accepit. Cæterùm gratiam qua vellet perſeuerare etiam, non accepiſſe: quia ſi accepiſſet, perſeuerare voluiſſet: & ſi voluiſſet, perſeueraſſet; eóque non peccaſſet. Sed interrogat: Cur verò Deus, qui naturam creauerat rectam, & ſine vitio, & qui dederat donum quo homo poſſet, ſi vellet, perſeuerare: non etiam dedit donum quo vellet perſeuerare: ſed liberam ei reliquit voluntatem? Reſpondet, ideò hoc feciſſe Deum, quia voluit priùs in vita hominum, ſicut & Angelorum oſtendere, quid poſſet eorum liberum arbitrium: deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium. Hoc verò ideò priùs voluiſſe, quia ſciuit, magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere; etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere. In illo itaque cap. primùm teſtatur, *hominem creatum fuiſſe rectum*, ac ſine vitio: deinde diſcrimen facit, inter naturæ rectitudinem, & inter donum ſeu gratiam, qua potuiſſet, ſi voluiſſet, in ſua rectitudine perſeuerare. Item cap. 11. collationem facit inter Adamum ante lapſum: & inter ſanctos, qui gratia Chriſti à peccato liberantur. Et ad ſummam docet, Adamum magnam gratiam accepiſſe, ſed gratiæ, quam iſti accipiunt, diſparem: quia Adam primò acceperat, vt totus eſſet rectus, nihilque haberet mali, nihil vitij in ſe, ſicut Sanctis quorum quiſque clamat, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Secundò, non deerat illi adiutorium, ſed gratia Dei, qua reipſa poſſet, ſi vellet, in ſua bona, integráque natura perſeuerare, vt nunquam eſſet malus; Sed non habuit gratiam, qua nunquam vellet eſſe malus. Contrà in Sanctis multa ſunt mala; nempe inhabitans peccatum, & eius effecta, quæ ſancti deplorant, & à quibus petunt liberari. Sed gratiam habent, qua nolint malum, neque ipſi mali eſſe. Summa; Adamus poterat quicquid volebat; ſed nō habuit gratiam volendi quicquid poterat. Sancti non poſſunt, quicquid volunt, ſed gratiam habent, qua velint, quod non poſſunt, Rom. 7. *Velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio*, Galat. 5. *Caro pugnat contra Spiritum: vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Ideò ait Auguſt. Quid ergo? Adā non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam; ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat; ſancti verò in hac vita in malis ſunt; ex quibus clamant ad Deum; *libera nos à malo.* Ille in illis bonis, Chriſti morte non eguit; iſtos à reatu & hæreditario, & proprio, illius agni ſanguis abſoluit. Poſtea ſubdit aliud diſcrimen, dicens; *Per hunc Mediatorem* (Chriſtum) *Deus oſtendit eos, quos eius ſanguine redemit, facere ſe ex malis, deinceps in æternum bonos: quem* (Chriſtum) *ſic ſuſcepit, vt nunquam eſſet malus. Iſtam gratiam non habuit primus homo: qua nunquam vellet eſſe malus: ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet: & ſine qua etiam, cum libero arbitrio, bonus eſſe nō poſſet: ſed tamen per liberum arbitrium, deſerere poſſet*: Hæc ille. Hic præter naturæ integritatem, dat Auguſtinus Adamo quoque gratiam, qua poſſet reuera, ſi vellet, ſemper bonus eſſe; & ſine qua in bono perſeuerare non poterat, per ſolum liberum arbitrium. Huius gratię neceſſitatem explicat, ſubdens, *Nec ipſum* (Adamum) *Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotente bono. Quod adiutorium* (en illam gratiam) *ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus. Sed deſeruit, & deſertus eſt: hoc eſt, deſeruit illud adiutorium, & amiſit integritatem naturæ.* Subdit: *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret, quum vellet: & in quo permaneret, ſi vellet: non quod fieret, vt vellet.* Declarat quouſque ſeſe

extenderet hoc adiutorium, eo ſcilicet vſque, vt poſſet, quod vellet: ſed non vt vellet quod poſſet. Hoc etiam elariùs explicat, ſubdēs: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hac eſt potentior in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam ſi velit: Secunda ergo plus poteſt: qua etiam fit, vt velit: & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat* Hęc ille. Neque tamen parua erat illa gratia, Adæ tradita: licèt per ea non fieret, vt vellet: ſed tantùm vt poſſet, quod vellet. Ideò ſubdit: *Nec illa quidem parua erat, qua demonſtrata eſt potentia liberi arbitrij: quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret: ſed hoc adiutorium ſi vellet, deſereret.* Nota, quod ait: *adiuuabatur hoc adiutorio.* Porrò hæc omnia eò ſpectant, & in hunc finem adducuntur: non vt in præſentia diſſeram de viribus liberi arbitrij in Adamo, ſed tantùm vt ex Auguſtino oſtendam, Adamum non ſolùm creatum fuiſſe rectum, & in ipſa originali iuſtitia: verùm etiam præter hanc, gratia Dei donatum, idque in ipſa creatione, qua & Deo charus eſſet, & poſſet, ſi vellet ſeſe in illa iuſtitia conſeruare. Vtrumque hoc disertè, paulò poſt in eodem cap. 11. concludendo exprimit. *Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum.* En primam iuſtitię originalis partem: rectitudinem ſcilicet, ſeu bonitatem voluntatis. Si enim totum hominem Deus fecerat rectum: ergo inprimis voluntatem. Hæc rectitudo, eſt ipſa originalis iuſtitia: mox de gratia, naturæ addita, ſubdit: *Dederat & adiutorium, ſine quo in ea* (nempe voluntatis rectitudine, & bonitate) *non poſſet permanere, ſi vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia non deerat adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere, quod vellet.* Hęc Auguſtini verba perſpicua ſunt, multáque alia ſubdit, de hoc adiutorio, ſeu gratia, naturæ integræ addita. Quibus abundè ſatis confirmatur noſtra Theſis.

Duo adhuc ſubdo teſtimonia ex eodem loco. Conferre pergens gratiam, quam nos accepimus, cum illa, quæ data fuit Adæ, ſic ait: cap. 11. *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam, in bono recipiendo & perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus; quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo non fuit. Namque vt reciperet bonum, gratia non egebat; quia nondum perdiderat. Vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet; & acceperat poſſe, ſi vellet, ſed non habuit velle quod poſſet. Nam ſi habuiſſet, perſeueraſſet.* Poſtea in cap. 12. Primò diſtinguit adiutoria, & ait: *Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adiutorium quo aliquid fit. Alimenta ſunt adiutorium ſine quo viuere non poſſumus. Sed non ſunt tale, quo fiat, vt ſtatim aliquis viuat, ſi mori velit. Beatitudo verò eſt tale adiutorium, quo aliquis fiat beatus; vt ea poſita, ſtatim quis beatus ſit.* Poſtea concludit de primo homine, quęſtionem initio capitis 10. propoſitam, dicens: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat, poſſe non peccare, poſſe non mori; poſſe ipſum bonum non deſerere; datum eſt adiutorium perſeuerantiæ: non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet.*

Ex his omnibus manifeſtum eſt: Adamum non ſolùm in iuſtitia, & ſanctitate originali creatum fuiſſe, ita vt tota eius natura eſſet integra, caſta, ſancta, innocens, ſine vllo prorſus vitio, ac valde bona: verùm etiam donatum fuiſſe deſuper gratia Dei, ſine cuius adiutorio conſeruare ſe in illo ſtatu non potuiſſet, etiamſi voluiſſet: Et cuius auxilio pręſtare potuiſſet, quicquid boni voluiſſet. Simile adfero perſpicuum. Oculus noſter vt videat, duabus rebus opus habet: primò quidem, vt ipſe ſit perfectus, & facultate videndi præditus: deinde opus eſt lumine externo, putà Solis. Nam ſine ipſius adiutorio, tametſi oculus perfecta videndi acie præditus ſit, videre tamen non poterit. Vt igitur poſſemus videre, Deus nobis non ſolùm dedit oculos ſanos, ſed etiam adiecit & ſuppeditauit lumen externum. Illud tamen verum eſt, ſi nolis oculos aperire, te nondum viſurum quippiam. Vnde & tua voluntas neceſſaria eſt. Sic igitur hominem etiam creauit rectum & iuſtum, vt tamen ſine adiutorio gratiæ Chriſti, non poſſit aliquid boni præſtare, aut diu ſe in illo ſtatu conſeruare. Atque hoc eſt quod nos docemus, etiam in ſtatu ante lapſum, opus habuiſſe Chriſto Mediatore, non per quem reconciliaretur Patri, & ſanaretur à peccato, quod nondum fecerat: ſed per quem præſeruaretur à peccato, & conſeruaretur in gratia apud Patrem: nempe ſi Adamus vellet. Vt enim Medici officium eſt, non ſolùm curare morbos: verùm etiam præſeruare à morbo, & in bona valetudine conſeruare: ſic Chriſti Mediatoris officium eſt: non tantùm tollere peccata, & reconciliare Patri: ſed etiam à peccatis præſeruare & in gratia Patris conſeruare. Atque hoc modo opus habebat Adamus gratia Chriſti. Illa enim ſententia Chriſti ad Apoſtolos, *ſine me nihil poteſtis facere* ad omnes homines, ad Adamum vſque in primo etiam ſtatu extenditur. Quia ſicut per Chriſtum omnia ſunt facta, ſic etiam non niſi per Chriſtum conſiſtere poſſunt: nempe in ſuo quodque ſtatu. Vt enim tota terreſtris creatura, deficiente Sole, deficit, flaceeſcit, corrumpitur, perit, ſicut in arboribus maximè videmus: ſic ſine Chriſti gratia ne Adamus quidem conſiſtere poterat. Erat igitur Adamus vt arbor perfecta, ſed opus habebat ſole Chriſto: is illi illuceſcebat ſplendore talis gratiæ, qua poſſet Adamus, ſi vellet, perſeuerare in bono: ſed nondum ita pro eo tempore ei affulgebat, vt omnino vellet. Nunc tenemus, Adamum, præter iuſtitiam donatum etiam fuiſſe gratia Chriſti, & quanam gratia.

Cæterùm notandum eſt, quòd poſtremò diximus in Theſi: nempe, cum iuſtitia originali, donatum etiam ſimul fuiſſe gratia Dei. Etſi enim iuſtitiam originalem, in ipſa Adami natura conſtituimus: ab ipſa tamen non ſeparamus gratiam, quamuis addita fuerit naturæ: ſicut neque Solem ſeparamus ab orbe Elementari, quamuis ad orbis huius eſſentiam non pertineat. Adamo enim in illo primo ſtatu, nunquam defuit hæc gratia. Docet hoc expreſsè Auguſt. cùm in locis antè allegatis de Correct. & gratia: tum in libro de Ciuit. Dei, lib. 12. cap. 9. vbi ait, de Angelis loquens. Et iſtam (bonam ſcilicet voluntatem Angelorum) quis fecerat, niſi ille qui eós cum bona voluntate, hoc eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creauit: ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? Quod autem de Angelis dicit, idem de primis hominibus intelligi vult Auguſtinus: vt ex multis locis demonſtrari poteſt: inter quos ſunt & capita illa tria, quæ citauimus de Correct. & gratia. Comparat enim beatitudinem hominis, cum beatitudine Angelorum: iuxta illud Chriſti: *Eritis ſicut Angeli Dei.* Nunquam igitur fuit Adamus in iuſtitia originali, quin etiam fuerit in gratia Dei. Hinc fit, vt ab Aquinate dicatur, tam creatus in gratia, quàm in iuſtitia originali Adamus, cùm tamen idem diſcrimen faciat, idem Thomas, inter vtrumque quod nos ex Auguſtino oſtendimus. Hinc etiam fit, vt apud multos doctores idem ſit in iuſtitia originali, & in gratia Dei, creatum fuiſſe: propter ea quòd gratia hac, iam inde ab initio ſuæ creationis, donatus erat Adamus: ita vt nunquam deſtitutus fuerit ante lapſum hac gratia. Interim tamen differebat hęc gratia, ab originali iuſtitia: quemadmodum ex Auguſtino vidimus. Deus enim condidit naturam rectam, & largitus eſt gratiam: vt optimè ſcribit Auguſtinus. Atque hanc doctrinam eò libentiùs amplector: quòd cedit in gloriam Chriſti, cùm videamus ipſum etiam Adamum, licèt in iuſtitia originali creatum: opus tamen habuiſſe gratia Chriſti, ad ea præſtanda, ad quæ ſua natura propenſus erat, vtpote creatus iuſtus. Atque hæc de prima quæſtione: *An Adamus creatus fuerit iuſtus, & in gratia Dei, nec ne; & quomodo hoc intelligendum ſit, aduerſus eos qui negarunt; Adamum creatum fuiſſe iuſtum;* qualis eſt ille Doctor, cuius rationes initio refutauimus.

Nunc alius quidam efficit, vt cogamur alteram explicare quæſtionem, nempe quid fuerit illa originalis iuſtitia: ſubſtantiáne an accidens.

Quidam enim editis libris contendit multis rationibus, iuſtitiam illam quam originalem vocant, fuiſſe non accidens additum naturæ, ſed veram ſubſtantiam: hoc eſt, ipſum hominem, & in primis animam rationalem, quatenus fuit in optima forma condita, & (vt ipſe loquitur) effigiata, Deóque conformata: libello cui titulus eſt Demonſtrationes, pag. 18. Inde poſtea demonſtrare nititur, peccatum itidem originale, ſubſtantiam eſſe. Rationes, quibus ſuam confirmare conatur ſententiam de iuſtitia originali, ſubiicit ibidem. Verùm, nihil aliud mihi concludere videtur: niſi totam hominis naturam creatam fuiſſe rectam, integrámque. Hanc verò naturam integram & rectam, vocat iuſtitiam originalem. Cùm verò natura hominis, hoc eſt, anima inprimis ſit ſubſtantia; concludit iuſtitiam originalem eſſe ſubſtantiam. Hanc fuiſſe eius ſententiam, in omnibus iſtis tam multis rationibus apparet ex ſyllogiſmo quem habet pag. 21. & quo maximè in ſua opinione tuenda, nititur: Principio enim illud aſſumit. Habere iuſtitiam originalem, & habere opus legis ſcriptum in cordibus, ſibique eſſe legem, & natura quæ legis ſunt, facere: idem planè eſſe. Deinde ita ſyllogiſmum format: *Natura recta integráque hominis, eſt ſubſtantia. Imago Dei, ſeu iuſtitia originalis, eſt idem quod natura recta, integráque. Igitur imago Dei, iuſtitiaque originalis, eſt ſubſtantia.* Sed quis non videt minoris propoſitionis falſitatem? Iuſtitia enim originalis, non eſt idem quod natura recta & integra: ſed eſt ipſa naturæ rectitudo, & integritas. Quis enim dicat hanc rectitudinem, eſſe ipſam

lineam

lineam rectam? Linea enim ſubiectum eſt rectitudinis & obliquitatis capax & ſuſceptiuum: quia poteſt eſſe recta & curua. Idem de iuſtitia, & re iuſta tradunt Philoſophi, & docti omnes. Homo iuſtus ſubſtantia eſt, ſed iuſtitiam, qua iuſtus eſt, quis vnquam appellauit ſubſtantiam, & non potiùs qualitatem? Eiuſdem farinę ſunt & reliquæ omnes rationes: neque aliud concludunt, quàm totum hominem creatum fuiſſe iuſtum & rectum: & hanc rectitudinem, integritatémque naturæ fuiſſe ei naturalem: & naturaliter etiam fuiſſe propagandam in poſteros, ſi non peccaſſent primi illi parentes. Quæ omnia facilè & libenter damus. Atque hoc eſt quod ipſe voluit aduerſus quoſdam Sophiſtas euincere; iuſtitiam originalem, non fuiſſe accidens quoddam, naturæ humanæ iam creatæ additum: quod auferri potuerit integra & incorrupta manente hominis natura: ſed fuiſſe rē homini naturalem: ſicut naturale eſt oculo præditum eſſe facultate videndi. Hoc autem verum eſt: Deus enim creauit hominem rectum: non autem primò fecit hominem, deinde adiecta rectitudine fecit rectum. Rectitudo igitur fuit illi naturalis. Proinde ea amiſſa, rectè dicimus, totam hominis naturam eſſe corruptam: nempe, quod ad hanc rectitudinem iuſtitiamque originalem attinet: manente interim tota animæ ſubſtantia integra. Non ſecus atque ſi lineam ex recta, totam facias curuam: ibi certè ſubſtantia lineę manet: ſed rectitudo tollitur: ita vt verè dicere poſſis, totam lineam eſſe corruptam, nempe à naturali rectitudine quam habebat.

Cæterùm licet naturalis fuerit homini hæc iuſtitia: inde tamen non efficitur, fuiſſe hominis formam ſubſtantialem: Potuit enim eſſe naturalis qualitas, vt reuera fuit. Hæc igitur noſtra eſto Theſis de hac quæſtione.

THESIS.

Iuſtitia originalis non fuit ipſa hominis ſubſtantia, ſed naturalis qualitas: ab ipſo tamen ſeparabilis: qua totus conditus fuit rectus, atque iuſtus.

CONfirmant hanc theſin, præter ea quæ diximus, hæ rationes quoq; & teſtimonia, 1. Si originalis iuſtitia, fuiſſet ipſa hominis ſubſtantia, ſeu eſſentia: fuiſſet igitur ſua eſſentia iuſtus, rectus, & bonus. At hoc ſolius Dei eſt, propter ſummam ſimplicitatem, vt ſit ſua eſſentia iuſtus, bonus, potens, ſapiens. Non fuit igitur ſubſtantia, ſed naturalis totius hominis qualitas.

2. Si fuit ſubſtantia: fuit igitur materia, aut ſubſtantialis forma, aut compoſitum ipſum. Non fuit ipſum compoſitum, hoc eſt, ipſe homo: Is enim fuit iuſtus & rectus, non autem iuſtitia ipſa. Et iuſtitia illa per peccatum fuit amiſſa: homo autem manſit ſua ſubſtantia: Neque fuit materia, vt ipſi etiam docent: Hæc enim fuit ipſum corpus, quod & ipſum poſt peccatum, non fuit cum iuſtitia deletum: Neque fuit forma ſubſtantialis, hoc eſt, anima ipſa: Manſit enim hæc ſua ſubſtantia, licèt iuſtitia originali ſpoliata: & contrà facta fuit iniuſta poſt peccatum. Plures autem eſſentiales formæ, vnius ſubſtantiæ eſſe non poſſunt. Forma igitur accidentalis fuit, hoc eſt, qualitas, ſed homini naturalis.

3. Si fuit ipſa animæ ſubſtantia: anima fuit corruptibilis. Iuſtitia enim illa peccato corrupta & perdita fuit, omninóque extincta.

4. Accidens etiam definitur illud eſſe, quod poteſt adeſſe, vel abeſſe, citra ſubiecti corruptionem. Certè iuſtitia originalis, poſt peccatum abfuit ab anima Adæ, citra animę corruptionem. Subſtantia enim animæ manſit incorrupta & immortalis.

5. Locutiones etiam Apoſtolicæ, quibus nos ad exuendum veterem hominem, & induendum nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate, hortatur, idem docent. Docet enim Apoſtolus, magnum diſcrimen eſſe inter nos, qui exuimus vnum, & induimus alterum: & inter ipſum hominem, quem aut exuimus, aut induimus. Anima noſtra ea in primis eſt, quæ induit nouum hominem, exuto veteri: Docet reuera Apoſtolus animam ſua ſubſtantia, eandem ſemper manere: ſicut qui vnum ponit veſtimentum, & alterum induit: mutari verò veteris hominis poſitione, & noui hominis inditione. Quid igitur docet eſſe ipſum veterem hominem, niſi Adæ terreni naturam, ingeniū, mores: nouum autem hominem, niſi cœleſtis Adæ naturam, ingenium, mores, ſpiritum: & vt ad Cor. explicat, imaginem terreni, & imaginem cœleſtis? Annon manifeſtum etiam diſcrimen facit inter eum qui creatus eſt, & inter iuſtitiam, ac ſanctitatē in qua creatus eſt? Typus huius renouationis & imaginis Dei reſumptionis fuit Moſes; cùm ex colloquio cum Deo, rediit ad populum, facie illuſtrata atque ſplendente ex Dei gloria. Hinc enim Apoſt. 2. Cor. 3. arguit, *Nos retecta facie ex intuitu, in gloriam Dei in Euangelio reſplendentem in eandem imaginē transformati, à gloria in gloriā: tanquam à Dei Spiritu.* Certè ſplendor qui in facie Moſis relucebat, ſubſtantia non fuit; Multò minùs igitur illa animę reformatio, atque illuſtratio quæ in ea gignitur, ex intuitu in gloriā Dei, in Euangelio refulgentem. Eſt enim hæc tota ſpiritualis. Et quid clarius, quàm quum Apoſtolus inſtaurationē huius imaginis Dei, & iuſtitiæ docet in nobis fieri eo modo, quo quis ex intuitu in Solem, propter reuerberationem radiorum Solis, fiat & ipſe lucidus, & ceu altera Solis lux, ex eius vultu in alios reflexa? Comparat enim Chriſtū limpidiſſimo ſpeculo, in quo gloria, hoc eſt, bonitas, iuſtitia, ſanctitas, perfectio Patris reſplendeat. Eſt enim Chriſtus perfecta Patris imago. Nos verò, retecta facie, in ipſum Chriſtum in Euangelio oblatum intuentes, fieri participes illius gloriæ, lucis & bonitatis, ſanctitatiſque diuinæ; quòd radij illius lucis in eos reflectantur; ita vt abſorpti, ab ea gloria & luce, fiamus ceu ſecundariæ imagines illius lucis; idque à gloria in gloriam; quia ſcilicet, lucis illius participes effecti, ſimus & nos, in dies magis ac magis glorioſi, iuſti, ſancti, boni, tanquam à Domini ſpiritu, hoc eſt, vi Spiritus Chriſti in nobis operantis. In ſumma; Totus ille locus ad Cor. docet, iuſtitiam ad quam reformamur, per fidem in Chriſtum, vi Spiritus ſancti, nihil minùs eſſe quam ſubſtantiam, cùm eam vocet gloriam & lucem, atque ſplendorem Dei, in nobis radiantem, atque refulgentem. Sic alibi iuſtitiam hanc, imaginiſque Dei inſtaurationem, lucem vocat: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: id eſt, iuſti, & ſancti. Conſummatam item hanc reformationem in iuſtitia, & ſanctitate, quam habituri ſumus in cœlo, lucis & ſplendoris nomine ſignificat ſæpenumero Spiritus ſanctus in ſacris literis. Dan. 12. Poſtquam dixiſſet de reſurrectione omnium, mox de piis ſubdit: *fulgebunt vt ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Matt. 13. Chriſtus ait: *Tunc iuſti fulgebunt tanquam Sol, in regno Patris mei.*

6. Et quid obſecro, erat iuſtitia originalis? lux in mente, qua Deum eiúſque voluntatem cognoſcebat; Inſcriptio legis diuinæ in corde, qua in eius obedientiam inclinabat; & denique totius hominis rectitudo, qua & ſpiritus Deo, & anima ſpiritui, & corpus animæ ſubiectum erat, atque obtemperabat. Lux autem, aut legis inſcriptio, vel rectitudo, ſubſtantia non eſt, ſed id, quo ſubſtantia lucida eſt, & recta atque bona. Neque apud Patres vnquam, vel vllum virum doctum noſtri temporis, legi, vel iuſtitiam originalem, vel peccatum originale ſubſtantiam appellari. Imò D. Bernardus de verbis Ieremiæ Prophetæ, Sermone 9. colum. 369. & 370. de iuſtitia primi hominis, Angelorum, & Dei loquēs, ait; *Adami iuſtitiam fuiſſe rectam & puram, ſed non firmam: Angelorum bonorum, rectam, puram & firmam, ſed donatam à Deo: Naturam enim Angelorum, quod in ſe eſt, fuiſſe capacem iuſtitiæ & iniuſtitiæ. Solius Dei iuſtitiam, qua iuſtus eſt, eſſe ipſam Dei ſubſtantiam. Ipſe enim Deus ſibi iuſtitia eſt, cuius voluntas non tam æqua, quàm ipſa æquitas, & vtraque non aliud quàm ipſa ſubſtantia eſt.* Hæc Bernardus. Cùm ſolam Dei iuſtitiam, dicat eſſe ſubſtantiam, apertè docet, neque Angelorum, neque Adami iuſtitiam fuiſſe ſubſtantiam. Addo Damaſceni explicationem, qui libr. 2. cap. 12. de homine, explicans, quomodo homo creatus fuerit rectus, ſic ait; ἐποίησεν οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἄκακον, εὐθῆ, ἐνάρετον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κεκοσμημένον. Hæc iuſtitię originalis explicatio, apertè docet, eam non fuiſſe ſubſtantiam. Interim, vt antè dictum eſt, damus hanc iuſtitiam, ſeu naturæ integritatem, fuiſſe Adamo & Euæ naturalem; quia tales creati fuerunt. Quod autem ad creationem hominis pertinet, id ei fuit naturale. Huc illud Auguſtini de Angelis, quod & de primis hominibus intellegi vult, vt ſuprà oſtendimus, Condens in eis Deus naturam, & largiens gratiam. Naturam autem condidit bonam, & rectam, vt docet Salomon. Rectitudo igitur & integritas naturæ, qua in ſe & coram Deo rectus erat & iuſtus, & qua propenſus erat ad bonum, minimè autem ad malum, & qua denique totus, erat ſanctum Dei templum; fuit Adamo ante lapſum naturalis: ſed ita tamen naturalis, vt ab eo ſeparari poſſet, ſicut poſtea euentus docuit. *Non enim fuit* (vt ait Bernardus) *firma illa iuſtitia, ſed in arbitrio hominis poſita, An vellet in ea perſeuerare, nec ne vellet.* Fuiſſe autem naturalem homini, iuſtitiam originalem; ex ipſo etiam nomine originalis, manifeſtum fit. Erat enim ab Adamo, tanquam ab origine, ſi non peccaſſet, in omnes poſteros deriuanda.

Atq; hæc eſt quęſtio tertia, Vtrum, ſi Adamus non peccaſſet, iuſtitia originalis fuiſſet in poſteros transfuſa, & an eos

ipſa gratiæ communicatio inſecuta fuiſſet: & an propterea potuiſſent peccare ampliùs, nec potuiſſent.

THESIS I.

Si Adamus non peccaſſet, iuſtitia originalis traducta in poſteros fuiſſet.

PRimò ab ipſa voce id liquidò apparet: ideo enim *originalis* vocatur: quia data fuit Adæ, non vt priuato homini, ſed vt origini totius humani generis, vt ex illo in omnes propagaretur. Fuit enim iuſtitia naturæ, non autem priuatæ perſonæ. Confirmat hoc ipſius oppoſitum: peccatum ſcilicet originale. Cur originale vocatur? Quia peccatum fuit non perſonale, ſed naturæ totius, quod etiam in omnes erat hæreditario iure deriuandum ab Adamo, tanquam omnium origine. Secundò. Ac ſi naturalis fuit illa iuſtitia, hoc eſt, naturæ integritas; profectò omnes homines, ſicut alias res omnes naturales ab Adamo accipiunt, ſic etiam hanc, iure naturæ accepiſſent. Tertiò, omne item ſimile, generat ſibi ſimile, in natura atque ſpecie. Sicut igitur Adamus poſt peccatum genuit liberos, ſibi ſimiles, hoc eſt, peccatores, & iniuſtos: vt Gen. 5. expreſſè legimus: ſic niſi peccaſſet, genuiſſet liberos iuſtos, naturæque integræ & rectæ, cuius erat & ipſe. Annon enim animalia omnia, in vnaquaque ſpecie, cum iis qualitatibus propagata ſunt, quibus primum cuiuſque ſpeciei animal creatum præditumque fuerat? Ergo omnes etiam homines, in ea iuſtitia, in qua & Adamus creatus fuit, concepti & geniti fuiſſent. Adde quòd Adamus & Eua ſeminaria fuerunt totius humani generis. Vnumquodq; autem ſemen, quale ipſum eſt, tales etiam gignit fructus. Quartò Chriſtus non reparat in nobis, niſi quod per peccatum Adæ amiſſum eſt. Inſtaurat autem in nobis naturæ integritatem ac rectitudinem. Hæc igitur amiſſa per peccatum. Quare niſi peccatū interceſſiſſet: nati omnes fuiſſemus in iuſtitia, & ſanctitate, integritateq; naturæ. Auguſt. Tom. 1. Retractat. lib. 1. c. 13. docet: ſi Adamus non peccaſſet, generaturum illum fuiſſe filios immortales, qualis & ipſe erat. Ergo & iuſtos. Nam mors nō eſt ingreſſa in mundum, niſi per peccatum. Subſcribunt omnes huic ſententiæ: ideo plura non addo. Dubitatio tantùm quæ hinc oritur, explicanda eſt. Cùm anima non traducatur à parentibus in liberos, ſed à Deo creetur: Iuſtitia autem originalis, in anima potiſſimum ſita ſit: quomodo potuit per propagationem, in filios deriuari? Cur homo dicitur generare hominem: cùm tamen rationalem animam non generet? Quia ſic à Deo conſtitutū eſt, in natura, vt formato corpori & ſenſitiua anima prædito, illa extincta, anima rationalis à Deo infundatur: imò in ipſa etiam corporis generatione, Homo inſtrumentum duntaxat eſt Dei: hunc tamen honorem illi tribuit, vt dicatur homines generare. Eadem ratione dicimus iuſtitiam originalem propagandam fuiſſe ab Adamo in poſteros, ſi non peccaſſet: quia ſic cōſtituerat Deus, vt totus homo in integritate naturæ naſceretur. Propagata igitur fuiſſet iuſtitia originalis ab Adamo in liberos: quia licèt anima per parentes non generetur, eóque nec iuſtitia quę in anima eſt, per eoſdem propagetur: ex Dei tamen ordinatione, omnes naturaliter tales nati fuiſſent ex Adamo: Sicut contra etiam ex Dei ordinatione fit, vt, quia omnes in Adamo peccaueramus, tanquam in radice generis humani omnium animæ, ex coniunctione cum corpore, contagione peccati inficiantur.

THESIS II.

Ipſa etiam Chriſti gratia, iuſtitiæ originalis propagationem inſecuta fuiſſet.

ETſi enim hęc naturalis non erat, eóque multò minùs per vim ſeminalem transfundi potuiſſet: quàm iuſtitia originalis: quia tamen collata fuerat hæc Adamo, non vt priuatæ perſonę, ſed vt totius humani generis origini: idcirco niſi peccaſſet, homines nati in iuſtitia originali, mox etiam fuiſſent hac ſupernaturali gratia donati. 2. Si enim ſuam gratiam promittit Deus in lege, piorum parentum liberis: quantò magis, ſi in pietate permanſiſſet Adamus, eius poſteros illa gratia ornaſſet, qua & parentem ornauit? 3. Annon etiam anima rationali, licèt ea per traducem non propagetur, donat Deus ſingulos homines, ſimulac formatum eſt corpus, & ad animæ rationalis receptionem diſpoſitum? Ex gratia igitur gratiam hanc in poſteris continuaſſet. 4. Multis in vteris maternis largitur Deus gratiā, vt de Ieremia & Io. Baptiſta legimus in ſacris literis: deq; multis aliis creditur. Quidni igitur, ſi nō peccaſſet Adamus, eandē poſteris largitus fuiſſet: cùm ſtatus ante lapſum, longè perfectior fuerit, quàm ſtatus poſt lapſum?

THESIS III.

Neque propterea fuiſſent ita in gratia confirmati, vt peccare amplius non poſſent.

PErfectiores enim non fuiſſent liberi primis parentibus, qui manu Dei creati fuerant. Fuerunt autem illi ita in iuſtitia originali creati, & gratia ſupernaturali donati, vt tamen poſſent peccare. Ergo etiam ipſorum liberi, licèt nati in iuſtitia originali, & gratia illa, qua & Adamus, donati, peccare potuiſſent.

2. Ac ſi vnumquodque generat ſibi ſimile: diſſimiles certè ſibi liberos non genuiſſet Adamus. Cùm itaq; ipſe liberi eſſet arbitrij, quo poſſet peccare, & non peccare: tales etiam fuiſſent omnes eius poſteri. Sic docuit etiam Auguſt. Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 14. c. 10 quem Thomas Aquinas & alij Scholaſtici, ſequuti ſunt. Et res eſt perſpicua. Nam quod in contrariam ſententiam affertur ex Anſelmo lib. 1. *cur Deus homo*, cap. 18. illud neque vlla fulcitur ratione, neque affirmat Anſelmus, ſed ait, *videtur*.

3. Denique hoc in patria tantùm cœleſti ſeruatur, vt quis ſit extra teli iactum: hoc eſt, extra diſcrimen & periculum peccandi. Proinde Angeli, quia in cœlo erant, poſteaquam adhæſerunt ſemel veritati: in ea ita fuerunt confirmati, vt ab ea excidere, & peccare ampliùs non poſſint. Sicut ergo Adamus, licèt creatus iuſtus, & gratia Dei, Spirituque ſancto donatus, peccare tamen potuit, & peccauit: ita eius liberi, licèt nati fuiſſent iuſti, & ſancti, & gratia Dei donati, peccare tamen potuiſſent. Atque hæc de iuſtitia originali ſatis.

CAPVT III.

DE LIBERO PRIMORVM PARENtum ante lapſum arbitrio.

SICVT quatuor ſunt hominis ſtatus: ante lapſum: poſt lapſum: ſub gratia: & in gloria: ſic de libero eius arbitrio quadrifariam diſputari ſolet: nēpe, quale erat ante lapſum: quale poſt lapſum: quale ſub gratia: & quale in gloria cœleſti. Nobis hic de ſolo ante lapſum libero arbitrio, quale fuit in Adamo & Eua, dicendum eſt: de reliquis ſtatibus dicemus porrò ſimiliter: propriúſque ille erit locus de libero arbitrio.

Duas autem quæſtiones longè inter ſe diuerſas, proponere ſolitus ſum, quarum vna eſt, de natura liberi arbitrij in ſe: altera de eiuſdem viribus, quo vſque ſe extendant. Ergo & de libero arbitrio primorum parentum, ante lapſum duas explicabimus quæſtiones: Prima, an homo ante lapſum verè fuerit libero arbitrio præditus: Altera, quales fuerint naturales eius vires; & an opus habuerit gratia Chriſti, & ad quáſnam res opus habuerit. Ad quæſtionem primam quod attinet, ſic breuiter reſpondemus hac Theſi.

THESIS.

Homo ante lapſum verè liberi fuit arbitrij tam ad bonum, quàm ad malum.

EXplicanda quædam nobis hic ſunt, quò meliùs, quod dicimus, intelligatur, & quæ etiam ad tractationem, in genere, de libero arbitrio pertinent.

Principio videndum eſt, quid nomine *liberi arbitrij* intelligatur in Eccleſia, & vnde hæc vox deducta ſit. Nomen liberi arbitrij in ſacris quidem literis non reperitur, ſicut neque vox Græca αὐτεξούσιον, qua idem ſignificatur. Interim tamen res, quæ his vocibus ſignificantur, in ſacris literis continentur; Et voces etiam ipſæ apud Patres frequentiſſimæ ſunt, & receptæ ſunt in Eccleſia. Ergo neque nos abhorrere debemus ab iis vocibus, ſed quærenda potiùs eſt ipſarum notatio, veraque ſignificatio.

Sunt qui nomine liberi arbitrij intelligant liberam, quiduis tam bonum quàm malum agendi facultatem, ſeu poteſtatem; idque propterea, quòd arbitrium ſæpè ſignificet poteſtatem; vt liquet apud probatos auctores. Liuius belli Macedon. lib. 4. *Scilicet ſi legem Oppiam abrogaueritis: non veſtri erit arbitrij* (id eſt, poteſtatis) *ſi quid eius vetare volueritis quod nunc lex vetat.* Sic Ouidius:

" *Te penes arbitrium noſtræ vitæque neciſque.*

Quia itaque vident primò quidem, impios Deum non poſſe, aut cognoſcere, aut amare, eiúſque præcepta ſeruare; idcirco negant iis eſſe liberum arbitrium. Deinde quia vident pios etiam, licet cognoſcant Deum, & velint eius legem ſeruare, non poſſe tamen quod volunt. Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum; vt non quodcunque volunt,

ſunt, illi faciant; idcirco iis etiam negant liberum arbitrium. Quia verò ſciunt Adamum potuiſſe præſtare quicquid voluiſſet; idcirco illum ſolum aiunt verè liberi fuiſſe arbitrij. Sed iſti falluntur, vt ſuo loco oſtendemus. Omnis enim homo liberum ſemper habet arbitrium; licèt non ſemper bonum, & ad bonum valens. Aliud enim ſignificatur Patribus & Eccleſiæ, quum dicimus hominem eſſe liberi arbitrij; quàm cum liberæ quiduis agendi poteſtatis eſſe, vt mox dicemus. Alij fœdiùs etiam errant, dum hanc quiduis agendi facultatem extendunt, ad omnium rerum quas cupias, aut inſtituas, efficientiam. Illum enim aiunt eſſe liberi arbitrij, qui facultatem habet, quicquid velit, aut inſtituat, perficiendi. Et quia nemo eſt, qui non ſæpe fruſtretur ſuo propoſito, rebus aliter euenientibus, quàm ipſe inſtituerat; idcirco neminem præter Deum, volunt eſſe liberi arbitrij. Solus enim Deus quæcunque vult, efficit. Sed aliud eſt, pro tuo arbitratu, liberè velle, & eligere, aliud verò pro arbitratu, quicquid velis, efficere. Illud pertinet ad naturam liberi arbitrij; hoc ad vires illius, qui vult, quæ certè non niſi in Deo, locum propriè habet. Idcirco hæc ſententia nihil ad rem facit. Sunt & qui ideo negent, vllum hominem vnquam aut fuiſſe, aut eſſe liberi arbitrij; quia legunt Deum operari omnia in omnibus, omnéſque pro ſuo arbitrio agere: cordáque hominum flectere quocunque vult. Sed ij quoque turpiſſimè hallucinantur. Cauſſa enim prima, non excludit cauſſas ſecundas. Imò Deus vnumquodque agit, ſecundùm ſuam naturam, atque ingenium: mouet naturas, voluntates; non cogendo, ſed flectendo: & ex nolentibus ſæpe facit volentes. Vnde actæ agunt: idque liberè, ſine vlla coactione. Quare omnes hi malè interpretati ſunt nomen *liberi arbitrij*, peſſiméque illud definierunt: cùm non conſiſtat in facultate quiduis agendi, aut efficiendi, ſed in facultate liberè volendi, aut nolendi. Deinde ſunt, qui nomen *arbitrij* referant ad intellectum, vt ſignificet iudicium: nomen autem *liberi*, ad voluntatē: vt *liberum arbitrium* nihil aliud ſit, quàm iudicium, quod ab intellectu factum, voluntas liberè eligat, vel reſpuat. Sed licèt, ad rem ipſam quod attinet, voluntas nihil eligat, aut reſpuat, niſi quod intellectus iudicauerit eſſe eligendum, vel reſpuendum: probare tamen non poſſum hanc interpretationem liberi arbitrij, vt nihil aliud ſit quàm iudicium, quod voluntas liberè ſequatur & eligat: ita vt *arbitrium* ad intellectum; *liberum* autem, ad voluntatem referatur. Adiectiuum enim *liberum*, cum ſubſtantiuo *arbitrium* coniungitur: ac proinde ad quam potentiam refertur *arbitrium*; ad eandem etiam *liberum* referatur oportet, vt ſit arbitrium liberum. Quid igitur ſignificat nomen *liberi arbitrij*? Significat liberum voluntatis placitum: quum ſcilicet voluntas, alicui rei, ab intellectu ſibi propoſitę, liberè aſſentitur, & quaſi dicit, placet: eóque iuxta ſuum liberum placitum, vult, aut non vult: eligit, aut reſpuit. Hæc eſt vera ſignificatio & etymologia liberi arbitrij. *Arbitrium* enim ſignificat placitum, ex conſultatione & delectu exiſtens: quum ſcilicet duabus rebus ab intellectu propoſitis vna omiſſa, alteram & potiorem eligis, pro libero voluntatis tuæ placito. Illud placitum vocatur arbitrium: vnde & verbum eſt forenſe, *Arbitrari*, quum decernitur vera pars iure nitatur. Sic Cicero ſæpe aliquid pro ſuo arbitrio facere, vſurpat: pro facere ex ſuo placito. Ariſtoteles in Ethicis vocat *προαίρεσιν*. Ergo liberum arbitrium nihil aliud ſignificat, quàm liberum voluntatis placitum: quod rationis ſeu mentis deliberationem ſequitur. Ad ſummam, nihil aliud ſignificamus in Eccleſia hac voce, quàm liberam voluntatem. Latini enim Patres hac voce nihil aliud exprimere voluerunt, quàm quod Græci ſuo *αὐτεξούσιον*. Quid enim aliud hæc vox ſignificat quàm liberam voluntatem? Hæc enim ſola in homine verè *αὐτεξούσιος* eſt, id eſt, ſui iuris, propriæq́; poteſtatis, quod à nemine cogi poſſit. Intellectus non poteſt eſſe *αὐτεξούσιος*; Cogitur enim etiam inuitus ſępe cogitare, & ſuum facere officium. Latini igitur, non ſolùm ſacri, ſed etiam profani ſcriptores, nomine *liberi arbitrij*, liberam voluntatem ſignificare voluerunt. Cicero pro Sexto Roſcio: *Nutu*, inquit, *& arbitrio Dei, omnia aguntur*: id eſt, libera Dei voluntate. Et in Bruto: *Ad nutum & arbitrium alicuius totum ſe fingere, & accommodare*: id eſt, ad voluntatem alicuius.

Nunc tenemus quid intelligendum ſit, apud Patres, & in Eccleſia, nomine *liberi arbitrij*: nimirum libera voluntas. Proinde cùm dicimus *Adamum liberi fuiſſe arbitrij*, intelligimus eum fuiſſe libera voluntate præditum.

II. Cæterùm hîc ſecundo loco notandum eſt: duplicem eſſe voluntatis actionem: Vnam, circa fines per ſe notos, vel bonos, vel malos. Alteram, circa media, vel ad fines bonos conſequendos, vel ad malos euitandos, ſuſcipienda. Philoſophi igitur & multi etiam Theologi, primum actionum genus, nolunt propriè à libero eſſe arbitrio. Ratio: quia de finibus per ſe notis, nulla fit à nobis conſultatio: ſed illos ſtatim per ſe cognitos, naturaliter citra vllam mentis deliberationem, aut conſultationem, vel amplectimur neceſſariò ſi ſint boni, & in illos naturaliter fertur voluntas: vel reiicimus, ſi ſint mali, nobiſque incommodi.

Liberum autem arbitrium propriè eſt liberum voluntatis placitum, quod rationis ſeu mentis deliberationem ſequitur, & conſultationem. Sed alterum actionis voluntatis genus, à libero arbitrio propriè eſſe contendunt, & in his liberum arbitrium propriè verſari. Ratio, quoniam ſicut circa fines per ſe notos, nulli poſſunt contingere errores: eóque nulla in his opus eſt mentis deliberatione, quam voluntas ſequatur: ſic circa media hallucinari facilè poſſumus, eóque opus eſt deliberatione, & diligenti conſultatione. Cùm igitur liberum arbitrium, propriè verſetur in his, de quibus fit conſultatio & deliberatio: quia in eorum delectione, error incidere poteſt: idcirco actionē voluntatis circa media contendunt, actionem eſſe liberi arbitrij propriè dicti: ſicut contrà actio circa fines per ſe notos, actio eſt propria ſimplicis voluntatis, non autem liberi arbitrij: Cùm liberum arbitrium, ſit liberum voluntatis placitum, mentis deliberationem ſequens. Exemplo vno aut altero rem declaro. Sanitatem eſſe rem bonam, ideóque appetendam & perſequendam, intellectus ſtatim intelligit; ac proinde etiam voluntas, naturaliter eam appetit & vult, citra vllam mentis conſultationem. Quæ autem ſit via, vel recuperādæ, vel conſeruandæ valetudinis, cùm non ſit ita perſpicuum, idcirco multa hîc opus eſt deliberatione & conſultatione. Illius igitur, tanquam finis, propriè eſſe ſimplicem voluntatem aiunt. Hieronymus autem tanquam mediator, eſſe liberum voluntatis placitum contendit: quam Ariſtot. vocat *προαίρεσιν*. Sic eſſe felicem, & Deo frui, æternúmque viuere per ſe quiſque appetit, ſine deliberatione. Ideo in hunc finem naturaliter fertur voluntas. At media ad hunc finem, eſſe pœnitentiam in Deum, & fidem in Ieſum Chriſtum, vt Paulus loquitur: quia non per ſe notum eſt omnibus; ideo de his eſt deliberatio, ac proinde & liberum arbitrium. Atque hoc eſt, quod Ariſt. tradit Ethic. li. 3. *Voluntas*, inquit, *finem potius ſpectat: conſilium & προαίρεσις, ea quæ ad finem pertinent.* Vocat autem Ariſtot. (vt ſuprà dixi) *προαίρεσιν*, quod nos *liberum arbitrium*. Sic etiam Thomas Aquin. definit, 1. part. quæſt. 83. Atque ex hac definitione ſequitur, liberum arbitrium verſari duntaxat in rebus mediis, vt ſuprà diximus. Nam circa media de quibus conſultatur propriè, verſari liberum voluntatis placitum videtur. Ac de his propriè intelliguntur verba Siracidis Eccleſiaſt. cap. 15. *Ipſe hominem creauit ab initio, eúmque arbitrio cōſilij ſui permiſit: ſi volueris, mandata ſeruabis.* Item, *Ignem & aquam tibi propoſuit: ad vtrum voles, manum tuam porrige.* Etſi verò hæc omnia vera ſint: interim latiùs extendi nomen *liberi arbitrij* in Theologia ſentio: nempe vt abſolutè pro libera voluntate, qua volumus tam fines, quàm media, accipiatur. His autem adducor rationibus. 1. Quoniam ſæpe etiam apud profanos auctores, *liberum arbitrium*, pro ipſa ſimpliciter voluntate accipitur, vt manifeſtum eſt hominibus non imperitis: apud Patres verò, præſertim apud Auguſtin. nihil eſt hac re certius. 2. Deinde in Scripturis apertè videmus, voluntatem eſſe non ſolùm finium, ſed etiam mediorum, vt illud: Si volueritis (legem ſcil. audire & ſeruare) bona terræ comedetis. Scriptura enim non vtitur nomine liberi arbitrij: ſed huius loco, ſemper nomine voluntatis. 3. Græci etiam Patres nomine *αὐτεξούσιον* ſignificare voluerunt, totam appetitus rationalis facultatem, hoc eſt, voluntatem, quæ tam mediorū ſit, quàm finium. 4. Adde, quòd etiam Beatis in Cœlo, & Angelis hominibus datur liberum arbitrium, cùm tamen ibi, nulla ampliùs opus ſit deliberatione & conſultatione. Imò illi veriùs habent liberum arbitrium, quàm Adamus habuit: vt Auguſt. & Bernardus oſtendunt. Neque tamen, vt dixi, actionem voluntatis ipſorum, ampliùs præcedit deliberatio. Quid? Quòd nemo perfectioris eſt liberi arbitrij, quàm Deus? Omnia tamen vult, quæ vult, ſua ſimplici voluntate: cui conſultatione opus non eſt: ſed ſua infinita ſapientia, omnia nouit, tam fines, quàm media perfectiſſimè. Non ſine cauſa igitur nos, nomine *liberi arbitrij* in Theologia, totam appetitus intellectiui facultatem, quæ *voluntas* vocatur, & qua volumus, quicquid volumus: tam media, quàm fines, & tam fines, quàm media, intelligimus: & intelligendum eſſe docemus. Itaque cùm quæſtio proponitur, An Adamus fuerit libero arbitrio præditus: de tota eius voluntate quærimus: an verè libera fuerit, necne fuerit.

III. Nunc tertio loco videndum eſt: quomodo libera fuerit Adami voluntas, & quænam propria ſit humanæ voluntatis libertas. Reuocanda eſt autem in memoriam,

illa triplex libertas, quam tradit diuus Bernardus, in tractatione de gratia & libero arbitrio. Triplicem oſtendit in ſacris literis libertatem: Vnam à peccato: alteram à miſeria: tertiam à neceſſitate: ſed neceſſitatis nomine, *coactionem* intelligit: vt liquidò apparet ex toto eius contextu: præſertim quum de nobis omnibus diſſerit. Nam Adamus etiam à neceſſitate liber erat, vt oſtendimus. Sed ad rem, De prima, eſt illud Chriſti: *Verè liberi eritis, ſi vos Filius hominis liberauerit.* Et illud Apoſtoli: *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Huic libertati opponitur ſeruitus peccati: de qua Chriſtus: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* De ſecūda, déq; ſeruitute illi oppoſita: eſt illud Apoſtoli Rom. 8. *Omnis creatura Dei, vanitati ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eū, qui ſubiecit eam in ſpe: quòd & ipſa liberanda ſit à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* De tertia ſunt propè infinita ſcripturarum teſtimonia: vt illud Deut. 30. *Teſtes inuoco cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem. Elige vitam, vt & tu viuas.* Et illud Petri ad Ananiam Act. 5. *Nonne ſi ſeruaſſes, manebat tibi? Et venundatū in tua erat poteſtate?* Denique omnia loca, in quibus peccatum homini attribuitur, quod non coactus voluntariè peccauerit, eandem confirmant libertatem. Eſt autem hæc tertia voluntatis humanæ libertas, in hoc poſita: quòd voluntas quicquid vult, ſiue bonum, ſiue malum: illud vult liberè & ſine vlla alicuius coactione. Atque hæc eſt natiua & propria, & naturalis, cóque & æterna humanæ voluntatis libertas: quæ nunquam etiam poſt peccatum amiſſa fuit: neque vnquam amittetur. Proinde licèt omnes hæ libertates, fuerint Adamo naturales, quia in his creatus: noſtra tamen cauſſa *libertatem primam*, vocat diuus Bernardus *libertatem gratiæ*: quia per gratiam liberamur à ſeruitute peccati. Secundam vocat *libertatem gloriæ*: quia tum demum ab omni miſeria liberabimur: quum fuerimus in gloria cœleſti. Tertiam appellat *libertatem naturæ*: quia hæc in totam naturam ita tranſlata eſt, aliis duabus in Adamo amiſſis, vt nunquam deſerat naturam humanam. Cùm ergo de libertate voluntatis Adæ quæritur, de his omnibus libertatibus quæritur. Contendimus autem eum fuiſſe omnibus iis modis liberum, idque ſua natura: quia talis fuit creatus: vnde & omnes hæ libertates fuerunt ei naturales.

IV. Poſtremò illud obſeruandum eſt, quod ad extremum diximus: *Adamum verè liberi fuiſſe arbitrij ad bonum, & ad malum.* Aliqui enim ſunt liberi tantùm ad malum, vt qui ſerui ſint peccati, homines impij, & diaboli omnes. Sed hæc ſeruitus potiùs eſt, quàm libertas: nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Alij liberi ſunt tantùm ad bonum: vt Beati in cœlo, & Deus ipſe. Hæc eſt vera libertas: quò ſpectat illud Apoſtoli: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ergo vbi perfectè Spiritus Domini obtinet, ibi perfecta libertas, & nulla ſeruitus eſt. Alij ita liberi ſunt ex parte ad bonum, vt tamen etiam ex parte non ſint liberi; liberi propter ſpiritum: non liberi propter carnem, quæ efficit, vt non quæcunque volumus, ea faciamus: imò etiam efficit, vt faciamus quæ nolimus. Hi ſunt homines renati, in hac carne mortali adhuc degentes: de quibus Apoſt. Roman. 7. & Galat. 5. In his enim nondum perfecta eſt voluntatis libertas; ſed ex parte volunt bonum, & ex parte nolunt. Nam cui eſt plena, vera & perfecta voluntas, is nihil non perficit, quod ſuis viribus perficere queat. Quare quòd quis non efficiat quod poteſt: argumento id eſt, eum nondum perfectè velle, quod velle videtur. In nullo horum trium generum erat Adamus: non in primo, quia non erat confirmatus in gratia, vt Beati in cœlo. Non in ſecundo, quia peccatum nondum fecerat, cóque peccati ſeruus non erat. Non in tertio, quia non conſtabat, partim carne peccatrice, partim ſpiritu: vt nos, qui renati ſumus in Chriſto: ſed erat proſus omnis peccati & concupiſcentiæ expers. Quartum igitur quoddam libertatis genus in eo erat: quia tam ad bonum quàm ad malum liber erat, atque hæc fuit propria Adami libertas, vt ſcriptura oſtendit, & Patres confirmant. Proinde vt diſcrimen faceremus, inter Adamum ante lapſum, & inter reliquos omnes poſt lapſum, tam ſine gratia, quàm ſub gratia, & in gloria: adiecimus hanc particulam: verè liberi erant arbitrij, tam ad bonum, quàm ad malum. Non ſimpliciter verè liberi erat arbitrij; nam magis liberum eſt quod ad bonum tantùm eſt liberum, vt liberum arbitrium Dei & beatorum: ſed verè liberi diximus, ad bonum & ad malum, id quod proprium fuit & Angelorum initio, & Adæ ante lapſum. Nunc reſtat, vt Theſin iam explicatam confirmemus.

V. Fuiſſe itaque Adamum (cum hoc complector & Euam) ante lapſum verè libero præditum, ad bonum & ad malum, à tribus conſtat libertatibus, de quibus ſuprà diximus. Primò enim voluntas ipſius, ab omni coactione libera erat. Si enim omnium hominum, etiam impiorum, hæc eſt natura, eáque perpetua, vt eorum voluntas cogi non poſſit, ſed quicquid volunt, ſiue bonum, ſiue malum, illud liberè, citra omnem voluntatis coactionem velint, id quod quiſque in ſeipſo experitur: quantò magis hac libertate prædita erat voluntas Adæ? Verè igitur libera erat ipſius voluntas, tam ad bonum, quàm ad malum, qui ad neutrum cogi poterat, ſicut neque noſtra. Atque hæc voluntatis libertas, eſt illud propriè, cuius cauſſa peccatum dicitur, & verè eſt voluntarium: quia licèt impij aliter facere non poſſint, quàm velle peccatum, & ſi poſſint etiam perpetrare: tamen quòd volunt peccatum, illud ſumma cum voluntatis delectatione, placito, aſſenſúque libero volunt. Sed adde hic, quòd Adamus non ſolùm liberam ab omni coactione, habebat voluntatem; verùm etiam ab omni neceſſitate. Nihil enim illi erat, vel externè, vel internè, à quo aut ad malum, aut ad bonum, volendum vel faciendum conſtringeretur. De externis manifeſtum eſt; quia neque Deus volebat, neque Angeli, vel boni vel mali, neque cœli poterant illum, aut ad bonum, aut ad malum, vlla neceſſitate adigere. Quòd Deus hoc nollet, apertè docet Scriptura, vt mox oſtendemus, quòd neque Angeli, aut Cœli id poſſent, manifeſtum eſt: quia cùm talem in nos vim poteſtatémque non habeant, quemadmodum tum è ſcripturis, tum efficaciſſimis rationibus demonſtrari ſolet, & nos alibi demonſtrauimus: quomodo in Adamum primum hominem, tam perfectè à Deo creatum, habere illam potuiſſent? Itaque à rebus extra ſe poſitis, nulla eum neceſſitas, vel ad malum, vel ad bonum impellebat. Intra ſe verò, nihil itidem eum habuiſſe, quod ſibi neceſſitatem vllam, aut ad bonum, aut ad malum inferret, manifeſtum eſt. Nam (vt poſt dicam de neceſſitate ad malum) creatus fuerat totus rectus, iuſtus & bonus: cóque liber erat ab omni peccato, nulláque in eo erat concupiſcentia, à qua ad peccandum, vel impelleretur, vel etiam allicaretur: quemadmodum in nobis eſt, tam in ſanctis, quàm in impiis. Hæc concupiſcentia, quam Apoſtolus vocat *legem membrorum, repugnantem legi mentis, & conſtituentem nos in legem peccati & mortis*. hæc inquam concupiſcentia, non erat in Adamo ante lapſum: ac proinde intra ſe non habebat hunc hoſtem: à quo ad malum vel alliceretur vel premeretur: quæ eſt illa altera, de qua ſuprà diximus, libertas à peccato. Neque etiam obnoxius erat corruptioni præſentíque vanitati ac miſeriæ: qua fit, vt occupari cogamur in iis, quæ ad corporis valetudinem, aut etiam voluptatem pertinent. Ac dum ita in his occupamur, fit vt & minùs vacare poſſimus ſpiritui, & ſubinde plus quàm par ſit, indulgeamus corpori. Ita vt etiam hæc miſeria corporis, vitæque præſentis conditio, non parum ad peccandum faciat. Certè propter imbecillitatem virium, & propter hanc miſeriam: non poſſumus ſæpe præſtare, quod cupimus bonum. Huc illud: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Ab hac autem miſeria liber erat Adamus: quæ erat tertia libertas. Corpus enim tenebat firmum; atque incolume, nulli morbo, nullíque imbecillitati obnoxium: imò animæ in omnibus ſubditum: & ad omnia iuſſa paratum atque expeditum & promptum: ita vt propter corpus, minimè à bono perficiendo impediri poſſet. Cùm hæc ita ſe habeant, apparet Adamum à neceſſitate ad malum vel eligendum, vel faciendum, alienum, liberúmque omnino fuiſſe. Quod verò etiam ad bonum non conſtringeretur, licèt ſua natura bonus eſſet, & ad bonum maximè, minimè autem ad malum propenſus: non poteſt meliùs, quā è ſacris literis demonſtrari: quæ prædicant, Adamum ea voluntatis libertate fuiſſe præditum, vt tam bonum, quàm malum, & tam malum, quàm bonum, poſſet, ſi vellet, liberè eligere aut reſpuere. Idque merito docet, & inculcat ſcriptura: vt inde appareat, Deum auctorem peccati minimè fuiſſe: ſed quòd peccauerit Adamus, hoc ex libero ipſius profectum eſſe arbitrio. Audiamus ergo ſacrarum literarum teſtimonia, & rationes inde deductas.

Primò euincitur hoc, ex forma præcepti, qua Deus vetuit Adæ, *ne ederet de arboris illius fructu*. Argumentum quidem à lege deductum, ad probandum in nobis liberum arbitrium: hoc eſt, liberam (vt nonnulli interpretantur) ſeruandi aut non ſeruandi mandata Dei facultatem, nullum eſt: quia cùm ſimus noſtra natura arbores malæ: non poſſumus non malos fructus facere, hoc eſt, peccare, cóque liberi non ſumus à neceſſitate peccandi, niſi per Chriſtum liberemur: ſed præceptis Dei tantùm ſignificatur, quid facere, quidve non facere teneamur. Verùm in Adamo alia fuit ratio: Cùm enim creatus eſſet rectus, & ad malum minimè propenſus, lex illa tradita euincit, eum fuiſſe ad eam ſeruandam, & non ſeruandam liberum. Neque enim æquiſſimus

Dominus

Dominus dediſſet illi legem, ſi ad eius obſeruationem vel tranſgreſſionem, non fuiſſet liber à ſe factus. Ex primo igitur mandato, quo Deus cauit, ne Adamus ex fructu arboris ſcientiæ boni & mali ederet, manifeſtè euincitur, Adamum ita liberum fuiſſe: vt neque ad malum, neque ad bonum faciendum, vlla neceſſitate conſtringeretur. Secundò: Pœna addita peccato, idem magis confirmat: Alioquin (inquit Deus) *quacunque hora comederis, moriendo morieris.* Quorſum enim hæc comminatio, ſi liberum non erat Adamo præceptum ſeruare, vel non ſeruare? At nobis quoque minatur æternam mortem, ni ſeruemus legem: Et interim tamen, niſi ipſe efficiat ſua gratia, vt eam impleamus, implere non poſſumus. Alia eſt, vt dixi, ratio noſtri & Adami. Quòd nos non poſſimus legem ſeruare, ſed contrà, quòd non poſſimus non illam tranſgredi: culpa in nobis hæret: quia in Adamo amiſimus libertatem à neceſſitate. Idcirco, ſiue poſſimus, ſiue non poſſimus obedire; ſemper nos iuſta manet pœna: & ea re iuſtè Deus ſuas addit comminationes. Sed Adamus rectus erat & iuſtus, vt poſſet, ſi vellet, legi Dei obtemperare: ac proinde ſi non obtemperaret, iuſta pœna denunciabatur: Ergo etiam pœna legi addita, conuincit Adamum à neceſſitate faciendi, vel non faciendi, bonum aut malum, liberum omnino fuiſſe. Tertiò Eccleſiaſtæ 7. hoc inueni, quòd Deus fecerit *hominem rectum*: ipſi autem quæſiuerunt cogitationes, ſeu quæſtiones multas. Intelligit has vitæ omnes cogitationes, curas & ſtudia, à rectitudine illa declinantia: & ad res huius Mundi vanas deflexa. Duo autem ſunt in his verbis: Primum eſt, quòd Deus ipſe fecerit hominem rectum, hoc eſt, iuſtum, bonum, ſine vllo vitio, ſine vlla ad malum, & ad vanitates Mundi propenſione. Alterum eſt, quòd ipſi inquam homines Adamus & Eua, ſua ſponte declinantes à rectitudine in Deum, & deflectentes, tum ad aurem præbendam Satanæ: tum ad vanitates Mundi amandas, ſeſe variis quæſtionibus, curis, ſolicitudinibus, ſtudiis implicuerunt. Ex iſta antitheſi inter Deum qui fecit hominem rectum, & inter homines, qui ſponte ipſi per ſeſe declinarunt à rectitudine, & variis ſe implicuerunt quæſtionibus: apertè euincitur, vera Adami libertas ad bonum & ad malum. Quartò: Sed Siracides cap. 15. hunc etiam locum Eccleſiaſtæ interpretans rem planam facit. *Ipſe*, Deus, *creauit hominem ab initio cùmque arbitrio conſilij ſui permiſit.* Seu vt Græcus habet, *reliquit eum in manu conſilij ſui, ἐν χειρὶ διαβουλίου αὐτοῦ.* Hoc verò explicat libertatem arbitrij Adæ. Significat enim primò quidem ei datam fuiſſe facultatem cognoſcendi quid bonum, quidve malum, quid ſequendum, quidve fugiendum, ac ſecum deliberandi & conſultandi, quid facto opus eſſet, & hoc quum nominat *διαβούλιον αὐτοῦ*, conſilium ipſius: & hoc pertinet ad intellectum, qui voluntati proponit quid ſibi videatur eſſe vitandum, quidve faciendum. Deinde docet Siracides, voluntati fuiſſe liberam voluntatem aſſentiendi, vel non aſſentiendi, eligendi vel reſpuendi, volendi vel nolendi conceſſam. Et hoc quum nominat *manum*, dicens, *in manu conſilij ſui reliquit eum.* Hæc eſt libera voluntatis facultas. Quæ etiam ſequuntur, idem magis & magis confirmant: ait enim, *Si volueris, mandata ſeruabis, καὶ πίστιν ποιῆσαι* ſcilicet poteris, *εὐδοκίας*: Obſeruatio ergo mandatorum Dei in poteſtate erat Adæ, quia in eius voluntate hoc poſitum erat. ait enim, *Si volueris, mandata ſeruabis.* Introducit autem Deum loquentem. *Et poteris*, inquit, *fidem facere εὐδοκίας*, hoc eſt, tui liberi beneplaciti, tuæque liberæ voluntatis ſignificationem dare. Quomodo poterat Adamus facere fidem ſuæ liberæ voluntatis, ſuique liberi placiti? Eligendo, vel reſpuendo. Docent certè hæc, Adamum à nulla re, ad volendum aut faciendum bonum vel malum, fuiſſe vel coactum, vel neceſſitate conſtrictum. Subdit etiam mutata perſona: *Ignem & aquam tibi propoſuit*, nempe Deus; *ad vtrum voles, manum tuam porrige.* Nomine *ignis* & *aquæ* intelligit contraria: *æquum* & *iniquum*, *bonum* & *malum*: *vitam* & *mortem.* Docet hoc Moſes, qui ait, Deut. 30. verſ. 19. *Conteſtor aduerſus vos hodie cœlum & terram, quod propoſuit vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Deligas ergo vitam.* Imò ipſe Siracides explicat verſu ſubſequenti, dicens: *Vita ſimul & mors propoſita ſunt homini: ad vtrum voles*, inquit Siracides, *manum tuam porrige*, id eſt, autoritate tua vtere. In arbitrio igitur erat Adæ, eligere & facere bonum vel malum. *Vita ſimul*, inquit, *& mors propoſita ſunt homini, vtrum placuerit, dabitur illi.* Qui hæc verba Siracidis ad omnem hominem extendunt, falluntur: Non enim cuique homini poteſtas hæc, de qua loquitur Siracides, conceſſa eſt: ſed ſoli Adæ & Euæ, ante lapſum. Docent autem omnia hæc, primos parentes ante lapſum, liberæ fuiſſe voluntatis, liberæ, inquam, non ſolùm à coactione, ſicut & noſtræ ſunt: verùm etiam ab omni neceſſitate: quia liberi erant, & à peccato, & à miſeria, quod certè de nobis dici non poteſt. Ita è ſacris literis tenemus noſtræ Theſeos confirmationem: Hominem ante lapſum fuiſſe verè liberi arbitrij, tam ad malum quàm ad bonum: propterea quòd voluntatem habebat, tum ab omni coactione, tum etiam ab omni neceſſitate, vel peccandi, vel legem implendi, liberam: cùm liber eſſet à peccato, & à miſeria, vt dictum eſt: non enim habebat vel peccatum in ſe habitans, & ad peccandum alliciens; vel corpus corruptioni obnoxium, quod aggrauaret animam: aut quod deprimeret mentem, vt Sapientiæ 9. legitur. Ac de natura liberi arbitrij ſatis.

QVÆSTIO II.

De vi liberi arbitrij in Adamo: vel potiùs de viribus ipſius Adæ naturalibus: quouſque ſeſe extenderint: & an opus habuerit gratia Dei.

DE viribus primorum parentum ante lapſum, quantæ fuerint & quouſque ſe ſe extenderint, multa diſputantur à Scholaſticis, pauca ſcribuntur à Patribus, nihil ferè expreſſè habetur in ſcripturis. Lombardus Sentent. lib. 2. Diſt. 24. quærit, *quantum poterat Adamus per gratiam creationis:* hoc eſt, per vires acceptas in creatione, & reſpondet in ſumma: Collatam quidem fuiſſe potentiam homini, per quam poterat ſtare, hoc eſt, non declinare ab eo quod acceperat: ſed per eam illum non potuiſſe ita proficere, vt ſine alia gratia, conſequi æternam ſalutem poſſet. Seu (vt ipſe explicat) potuiſſe quidem Adamum, per auxilium gratiæ, acceptum in creatione, reſiſtere malo, & viuere ſine peccato: ſed non potuiſſe, ſine alio gratiæ adiutorio, perficere bonum, & ita ſpiritualiter viuere, quo poſſet vitam mereri æternam. Atque ad hoc probandum, è Scripturis nihil adducit: ſed tantùm quædam Auguſtini dicta, partim ex Enchiridio, partim ex libro de Correctione & gratia: quæ nos quoque ſuprà retulimus. Summa autem doctrinæ Auguſtini, hæc fuit: Adamum primùm accepiſſe rectitudinem, totiúſque naturæ integritatem, ſine vllo vitio, aut vlla ad vitium propenſione, atque in primis bonam voluntatem. Deinde præter hoc, accepiſſe adiutorium gratiæ, quo poſſet continere ſe à malo, & in eo ſtatu in quo creatus fuerat, ſanctè viuendo perſeuerâre, ſi vellet: Cæterùm tertio loco, vt hoc vellet, habuiſſe opus alia gratia, qua fieret, vt vellet, quod poterat. Hæc eſt ſumma doctrinæ Auguſtini, quam tradit in libris de Correctione & gratia, vt vidimus: Quanquam eam confundit Lombardus; confundens adiutorium gratiæ, cum integritate naturæ. Sed his poſtea obiicit Lombardus, & ait: *Quomodo rectam & bonam voluntatem habuit homo, ſi per eam nec mereri vitam valuit: id eſt, illa operari, per quæ vitam conſequeretur æternam: nec ea ſtare voluit?* Reſpondet, *Quia* (inquit) *nec aliquid mali tunc volebat, & ad tempus ſtare voluit: ſed non perſeueranter. Et ideo recta, & bona fuit tunc voluntas hominis.* Addit & hæc diſtinctione 25. *Ante peccatum ad bonum nihil impediebat: ad malum impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum: & habuit adiutorium ad bonum. Tunc ſine errore, ratio iudicabat: & voluntas ſine difficultate bonum appetere poterat.* Hæc Lombardus, de viribus hominis ante lapſum: atque ea quidem ſatis ſobriè. Sed qui in hunc ſcripſerunt Scholaſtici doctores, multò plura diſputant. Referam breuiter tantum de Thoma. Quærit Thomas *an ſine gratia potuerit Adamus omne verum cognoſcere.* Reſpondet: *ad ea, quæ naturam Adami non ſuperabant, cognoſcenda: etſi quod ad vires, & lumen ſui intellectus attinebat, ea poterat cognoſcere: vt tamen reipſa illa cognoſceret, opus illum habuiſſe Dei auxilio, intellectum ad ſuam perficiendam operationem mouentis: Ad ea verò quæ naturam & lumen naturale intellectus Adami excedebant, opus fuiſſe præter auxilium, ad actionem mouens, gratia etiam alia ſpeciali, intellectum magis ac magis illuſtrante: Deum autem neq; hac, neque illa defuiſſe Adamo. Vnde reuera Adamus, præter aliarum rerum cognitionem, Deum quoque & eius voluntatem perfectè cognoſcebat: quantum ſcilicet cognoſci ab illo homine in hac vita poteſt.* Proinde ſuprà diximus, diuinam ſapientiam, hoc eſt Filium Dei, τὸν λόγον, inſtar Solis Adamo affulſiſſe: quo Deum diuináque myſteria perfectè cognoſceret. Ac reipſa Spiritum Chriſti habitaſſe in Adamo, & per eum etiam locutum fuiſſe, doctus quidam inde euincit, quòd cùm Adamus dixerit illa verba: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, eruntque duo in carnem vnam*, Chriſtus ait, *Deum hæc pronuntiaſſe*: indicare voluit Chriſtus, Adamum locutum fuiſſe per Spiritum ſanctum in ſe inhabitantem: Sicut & Paulus dicebat de ſe: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſti?* Totum hoc eſt verum.

Quærit præterea Thomas, de vi voluntatis, aliiſque viribus Adami: *An Adamus potuerit velle & facere bonum abſque*

gratia, ſuis tantùm naturalibus viribus. Reſpondet: duplex eſſe bonum: Vnum naturale, hoc eſt, quod naturam Adami non ſuperabat: ſed cum illa habebat proportionem: aliud verò eſſe bonum ſupernaturale. Ad primum genus boni quòd attinet, ſic ait, *Licèt ſua natura poſſet illud velle & efficere Adamus: vt tamen reipſa vellet & efficeret, opus illum habuiſſe gratia Dei mouente & agente*: ſicut & de cognitione veri antè dictum eſt. Quantum verò attinet ad bonum ſupernaturale, præter hanc gratiam mouentem, opus etiam habuiſſe alia ſupernaturali & ſpeciali gratia, quæ nouas adderet vires homini, ad bonum ſupernaturale volendùm & perficiendum. Idẽ reſpondet ad quæſtionem: an potuerit Deum amare ſupra omnia. Ad amandũ Deum quocunq; velis modo, ſemper opus habuiſſe gratia Dei mouente: ad amandum verò, ex vera & perfecta charitate, neceſſariam præterea illi fuiſſe aliam maiorem gratiam. Quærit præterea: an ſine gratia potuerit omnia Dei præcepta implere: Reſpondet Bifariam impleri poſſe legem: aut quo ad ſubſtantiam operum, aut quo ad modum agendi, qui eſt, vt præcepta ſeruentur ex ſincera & vera charitate. Ad primam obſeruationem, neceſſariam ei fuiſſe gratiam mouentem: ad ſecundam, alia præterea altera gratia, eum opus habuiſſe. Hæc in ſumma Thomas. Hoc mihi in his omnibus reſponſionibus placet: quòd inter integritatem naturæ, quam in creatione acceperat Adamus, gratia quoque aliqua quæ naturæ adderetur, opus eum habuiſſe docet: tum ad verum intelligendum, tum ad bonum volendũ, amandum, perficiendum. Hæc enim conſentanea ſunt cum his, quæ & Auguſtinus ſcribit, cùm aliis in locis, tum ſpeciatim in libro de Correct. & gratia. Faciunt præterea hæc ad gloriam Chriſti illuſtrandam. Chriſtus enim ille eſt, qui vt caput Eccleſiæ, omniũmque electorum, aderat Adamo: eique præter integritatem naturæ, quam à ſe acceperat, ſuam etiam gratiam & Spiritum communicabat, pro ſuo Patris beneplacito. Nam Chriſtus ſemper ille fuit, per quem omnia condidit Pater, ſic etiam omnia ſeruauit, mouit, viuificauit. *In ipſo vita erat: & vita erat lux hominum.* Dixi, quæ mihi probentur in iis, quæ etiam Scholaſtici, inter tam multas de viribus Adæ quæſtiones, ſcripta reliquerunt. Cæterùm, licèt de his viribus pauca è ſacris literis apertè colligi poſſint, ex iis tamen, quæ tum Patres tradunt, & inprimis Auguſtinus: tum vox Dei in natura docet, quæ certè, vbi ſcripturæ deſunt, audienda eſt: piam colligere poſſumus reſponſionem: Prima igitur Theſis hæc eſt:

THESIS I.

Adami vires ante lapſum, ad omnia ea præſtanda, quæ ipſius naturæ congruebant, idoneæ erant, reipſa tamen nihil eorum præſtare ipſe poterat, ſine auxilio gratiæ Chriſti mouentis, confortantis, & ad opus promouentis.

VT hoc meliùs intelligatur; notandum eſt, primùm de operibus: ſicut homo trifariam conſiderari poteſt: vt animal viuens: vt homo politicus: & vt filius Dei, ad regnum Dei pertinens: ſic etiam tria ſunt humanorum operum genera: opera naturæ, vt eſt, edere, bibere, dormire, generare: & alia id genus opera politica, & verè humana, vt colere pacem, ſeruare æquitatem, regere familiam, & alia quæ ad politicum pertinent. Et denique opera religioſa ac pietatis, tam interna, vt eſt amare Deum, fidere Deo: quàm externa, vt ſunt externa religionis exercitia. Contendo autem omnia hæc operum genera, congruentia fuiſſe, cum natura Adæ ante lapſum. De duobus prioribus generibus, nemo dubitat: quia & animal erat, & verus homo, politicus & æquus. De tertio apud me eſt extra controuerſiam. Sentio enim fuiſſe ei naturale, vt antè etiam diximus, cognoſcere Deum, amare, colere, idque propterea quòd creatus fuit ad imaginem Dei, ſapiens, rectus, iuſtus, ſanctus, propenſus ad omne bonum. Fuit igitur ei naturale, cognoſcere Deum, in eum inclinare, eum amare, colere, ſanctificare, & eius voluntati obedire. Hinc ſequitur, fuiſſe ei vires naturales, ad omnia hæc opera præſtanda. Neque enim congruum fuiſſet diuinæ ſapientiæ, hominem ad certa opera præſtanda naturaliter formaſſe, & deſtinaſſe, & non ei naturales etiam ad hæc vires præbuiſſe. Nam in omnibus rebus à Deo conditis, hoc videmus, quod quoſcunque ad aliquod opus deſtinauit & creauit, illis etiam ad tale opus vires naturales dederit. Patet hoc in cœlis, & præſertim in Sole. Creauit hunc Deus, vt præeſſet diei ad illuminandum, & ad viuificandum hæc inferiora, dedit igitur illi, ad hoc officium faciendum, vires idoneas, eáſque naturales. Idem in Elementis omnibus, & in rebus (vt vocant) elementariis. Vitem ordinauit ad vinum proferendum: dedit ei naturalem ad hoc virtutem: inde illud: *Vnumquodque operari per ſuam formam*. & in Geneſi; *vt vnumquodque gigneret & operaretur ſecundùm ſpeciem ſuam, & ſemen ſuum.* Cùm itaque hominem etiam creauerit, non ſolùm ad animália, & ad politica: verùm etiam ad religioſa opera præſtanda: dubium non eſt, quin etiam naturales ad hoc vires illi præbuerit.

Cæterùm, ſecundo loco notandum eſt, pro explicatione poſtremæ particulæ noſtræ Theſeos, Ad quoduis opus naturale præſtandum, duo ſunt neceſſaria; naturales internæque vniuſcuiuſque rei vires, quæ à forma cuiuſque rei ſumuntur: & auxilium externum ſuperioris cauſæ mouentis, & præſertim primæ cauſæ. Videmus hoc in omni rerum naturalium genere. Exemplum vnum adferam pro omnibus. Vt vitis vinum proferat, ad quod deſtinata eſt, primò opus habet, vera vitis forma, eóque naturalibus viribus, ad vinum proferendum: nempe vt ſit & vera vitis, & viua: id quod certè non habet pomus, aut lapis, aut quercus. Sed hoc non ſufficit: opus igitur habet, ſecundo loco, auxilio externo, tum pluuiæ, tum Solis, naturales vires & conſeruante, & mouente, & ad effectionem operis naturalis promouente. Alioqui citra hoc auxilium, licèt vitis prædita ſit viribus naturalibus, ad hoc idoneis: nunquam tamen opus ad quod ordinata eſt, reipſa perficiet. Eundem ad modum dicimus de homine ante lapſum. Naturales habuit vires, ad Deum cognoſcendum, amandum, colendum, eiúſque legem implendam: quia vt dixi, creatus fuit bonus, rectus, iuſtus: ſed niſi acceſſiſſet externum Dei auxilium, Adami naturam conſeruantis, mouentis, confortantis, & ad opera, ad quæ ordinatus erat promouentis: nunquam homo potuiſſet, ad quæ naturaliter erat idoneus, reipſa perficere. Ipſe enim erat vt planta; & arbor bona: Sed Chriſtus erat illi, vt Sol, ei effulgens, eum mouens, conſeruans, & ad ſuum faciendum officium, vires excitans. Si itaque defuiſſet ei Chriſtus ſua gratia: nihil reipſa boni perficere potuiſſet. Nunc & intelligimus Theſim, & quantum etiam ſatis eſt, à natura probauimus: nempe Adamum, licèt vires haberet naturales, ad opera etiam religioſa (vt de animalibus & politicis taceam) idoneas: reipſa tamen illa præſtare etiam non potuiſſe; ſine gratia Chriſti, eum mouentis, confortantis, ac promouentis.

II. E Scripturis etiam confirmari poteſt iis teſtimoniis. Iohan.1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum:* Ergo & Adamum illuminabat. Item: *In ipſo vita erat, & vita illa erat lux hominum*: Ergo etiam Adamum viuificabat Chriſtus, & vita eius erat. Item, *Sine me nihil poteſtis facere.* Æterna enim eſt propoſitio, ad omnes homines pertinens, inque omnia tempora ſeſe extendens. Act.17. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Ad hoc igitur vt viueret, & moueretur tam internè, quàm externè, ad opera ſua Adamus: opus habebat auxilio Dei, præter naturæ integritatem. Ac ne à Deo iſto excludas Chriſtum, audi Apoſtolum eundem, Coloſſ.1. *Ipſe eſt ante omnia, & omnia per ipſum conſiſtunt*: Ergo etiam Adamus opus habebat Chriſto, per quem conſeruaretur in ſua natura integra, & ad actiones ſuas promoueretur. Eſt etiam hæc doctrina Auguſtini, &, vt vidimus, Aquinatis.

THESIS II.

Gratia verò hæc, qua poſſet quicquid boni vellet: Adamo non defuit a ſui creatione, vſque ad lapſum. Vnde & inexcuſabilis factus eſt, quod peccauerit.

COnfirmari hæc Theſis poteſt: teſtimoniis illis fermè omnibus. quæ etiam ad prioris confirmationem retulimus. Non enim ſolùm docent, gratiam Chriſti, fuiſſe Adamo neceſſariam: verùm etiam illi non defuiſſe. Deinde id euincit ratio. Cur enim vitio vertitur Adamo, quòd contra mandatum Chriſti, ederit de fructu? Quia cùm poſſet ab inobedientia ſe abſtinere, & obedire Deo, noluit: ſed ſciens ac volens peccauit. Quomodo verò potuiſſet, ſine hac gratia, cohibere ſe à malo, & mandatum Dei ſeruare? Antea enim demonſtratum eſt, hanc illi gratiam, & ad vitandum malum, & ad faciendum bonum, neceſſariam fuiſſe: gratia igitur Dei non defuit Adamo, qua poſſet, quicquid boni vellet. Denique Auguſt. id apertè docet, & cum eo omnes alij docti, de Corr. & gratia, cap.11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Hæc eſt rectitudo naturæ.* Deinde de gratia ſubdit: *Dederat & adiutorium ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio.*

Poſſet

Poſſet (pro potuiſſet) *ergo permanere ſi vellet* (id eſt ſi voluiſſet:) *quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, &c.* Deinde ſubdit rationem antea à nobis allatam. *Si autem*, inquit, *hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quam primum facti ſunt, defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere ſi vellet: non vtique ſua culpa cecidiſſet: Adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſet.* Hæc ille. Quibus nihil clarius, pro confirmatione noſtræ Theſeos, dici potuit.

Confirmant, & quæ ſtatim ſubdit: *Nunc autem*, inquit, *quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt.* Sic ille. Ratio eſt efficaciſſima. Qui fit enim, quòd nunc non adeſt omnibus hoc gratiæ Dei adiutorium? Quia ſcilicet, peccauerunt in Adamo. Pœna enim peccati eſt, inquit. Ergo Adamo ante lapſum non defuit: quia nondum peccarat. Idem concludit in cap. 12. dicens: *Primò itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere datum eſt adiutorium perſeuerantiæ: non quo fieret vt perſeueraret: ſed ſine quo, per liberum arbitriũ, perſeuerare non poſſet.* Adde & illud pro confirmatione poſtremi membri Theſeos, quod ait in cap. 11. *Poſſet igitur permanere, ſi vellet: quia non deerat adiutorium, per quod poſſet. Sed quia noluit permanere, procul dubio eius culpa eſt.* Subſcribunt Auguſtino in hac parte: non ſolùm Scholaſtici, ſed docti & pij omnes. Nihil igitur addo. Sequitur

THESIS III.

Etſi verò gratia Dei, qua poſſet ſi vellet, ſanctè viuendo, in bono perſeuerare, Adamo non defuit ante lapſum: aliam tamen gratiam, qua ſcilicet vellet perſeuerare, & Deo in finem vſque perſeueranter obedire, omnino non habuit.

Nihil eſt hac Theſi certius: ſi enim hanc gratiam accepiſſet, omnino perſeueraſſet: quia voluiſſet in finem vſque perſeuerare. Quomodo enim hoc noluiſſet; ſi habuiſſet gratiam, qua omnino vellet? Noluit perſeuerare, & non perſeuerauit. Gratia igitur hæc illi omnino defuit. Multis hoc explicat Auguſtinus iiſdem capitibus, præſertim cap. 10. vbi proponit quæſtionem: & in 12. vbi quæſtionem ſoluit. In cap. etiam 11. ſic ſcribit: *Acceperat poſſe, ſi vellet: ſed non habuit velle, quod poſſet. Nam ſi habuiſſet, perſeueraſſet.* Hoc enim in libero hominis arbitrio reliquerat Deus. Ideo Auguſtinus loco iam citato, ſubiicit: *poſſet enim* (pro potuiſſet) *perſeuerare etiam, ſi vellet* (id eſt, ſi voluiſſet) *quod vt nollet, de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat: vt bene velle poſſet: & malè.* Hæc ille. Notentur verba Aug. quòd (liberum arbitrium ſcilicet) tunc ita liberum erat, vt bene velle poſſet & malè. Ergo nunc non ita eſt liberum: vt per ſe poſſit benè velle & malè. Etſi enim per ſe poteſt malè velle: bene tamen per ſe non poteſt: niſi adſit Spiritus Chriſti. Nam vbi ſpiritus, ibi libertas. Hinc verò efficitur, Deo non poſſe peccatum Adæ vlla ratione adſcribi, quod non dederit ei gratiam, qua vellet in bono perſeuerare. Nam dederat ei bonam voluntatem & rectam, qua poſſet bene velle, ſed liberã, qua poſſet etiam malè velle, ſi nollet bene. Quis autem Adami voluntatem vel coëgit, vel vlla neceſſitate conſtrinxit, vt malè vellet? Nemo ſane: ſed ipſe ſponte ſic voluit. Oſtenſum eſt enim, eam fuiſſe liberam tum ab omni coactione, tum ab omni neceſſitate. Vere itaque voluntarium fuit Adæ peccatum, eóque meritò illi fuit imputatum, ante pœnitentiam.

Verùm, inquies, cùm ſciret Deus, Adamum ſua abuſurum libertate; cur non eum talem fecit, qui non poſſet malè velle? Reſpondeo hac alia Theſi.

THESIS IV.

Neque verò ſine cauſſa, noluit Deus initiò facere hominem, qui peccare non poſſet: ſed talem, qui non peccare, & peccare poſſet.

Ratio prima: quia vt peccare non poſſet, ſeruabatur in cœlis. Eſt enim duplex libertas, vna, qua quis poteſt & bene & malè velle. Altera, qua quis ita poteſt bene velle; vt non poſſit malè velle. Debebatur illa in hoc Mundo, altera ſeruabatur in altero. Æquum enim erat, vt homo priùs vteretur illa priore libertate, quàm poſteriorem conſequeretur, id quod bifariam futurum erat: aut ex æquitate, poſt & propter bonum prioris libertatis vſum, aut ex miſericordia Dei, propter Chriſti redemptoris meritum. Ideo Auguſt. de Correct. & gratia, cap. 11. vtramque inter ſe conferens libertatem, in hunc ſcribit modum: *Quid autem erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato: quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti?* Hic eſt primus modus. Vocare autem ſolitus eſt Auguſtinus mercedem meriti, id quod Deus noſtris rependit operibus, ex ſua liberalitate. Poſteà ſubdit: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito: in his qui liberantur, factũ eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hic eſt alter modus acquirendæ illius excellentiſſimæ libertatis quæ in cœlis ſeruabatur, nempe per meritũ gratiámq; Chriſti. Mox verò has duas libertates explicat, dicendo: *Quapropter*, inquit, *bina iſta, quid inter ſe differant, diligenter & vigilanter intuendum eſt: poſſe non peccare, & non poſſe peccare: poſſe non mori, & non poſſe mori: bonum poſſe nõ deſerere, & bonũ nõ poſſe deſerere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deſerere: nunquid dicturi ſumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum eſt:* Si peccaueris, morte morieris: *Aut non potuit bonum deſerere, cũ hoc peccãdo deſeruerit, & ideo mortuus ſit? Prima ergo libertas voluntatis, erat poſſe non peccare: nouiſſima erit multò maior, non poſſe peccare. Prima immortalitas erat, poſſe nõ mori: nouiſſima, erit multò maior non poſſe mori. Prima erat perſeuerantiæ poteſtas, bonum poſſe non deſerere, nouiſſima erit felicitas perſeuerantiæ, bonum non poſſe deſerere.* Hæc ille.

Ita apparet, duplicem fuiſſe homini ordinatam libertatem, vnam in terris, quæ erat, poſſe non peccare: alteram in cœlis, quæ erit, non poſſe peccare. Vtrumque verò magnũ Dei beneficium: quanquã vnum altero maius. Vnde Auguſtinus ſubdit, cap. 12. *Nunquid quia erunt bona nouiſſima, potiora atque meliora: ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parua?* Oportuit autem, vt prior libertas præcederet, & poſterior ſubſequeretur: ſicut & de corpore ait Apoſtolus, prius quod eſt animale: deinde quod ſpirituale.

Atque hæc vna cauſa eſt, cur noluerit initio creare hominem Deus, qui non poſſet peccare: ſed tantùm qui peccare poſſet, & non peccare.

Altera fuit, quia priùs voluit oſtendere, quid poſſet liberum hominis arbitrium: deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium. Si enim talem creaſſet hominem, qui peccare non poſſet: nemo certè peccaſſet. Itaque & nemo opus habuiſſet gratia Chriſti, per quem liberaretur: & nemo fuiſſet propter peccatum punitus, quod non admiſiſſet. Ac proinde neque agnitum fuiſſet: aut quãtum excellat gratia Dei, viribus liberi arbitrij noſtri, aut quàm iuſtus ſit Deus in vlciſcendis peccatis. Nullo autem modo decebat, vt nos lateret, & quanta ſit gratia Dei in Chriſto: & quàm iuſtus ſit iudex Deus in Mundo. Voluit igitur Deus talem creare hominem, talíque libertate præditum, qua poſſet tam peccare, quàm non peccare: non ſolùm, vt ſi peccaret, peccatum non ex Deo, ſed ab homine eſſe intelligeretur: quippe qui potuiſſet non peccare, ſi voluiſſet: verùm etiam, vt poſtquam peccaſſet ipſe, & in eo omnes, quoſdam inde per Chriſtum ex gratia & miſericordia ſeruare poſſet, & alios iuſtè iudicare atque damnare. Atque ita vnis quidem, quantum excelleret gratia Dei, libero hominis arbitrio: in alteris verò, quantum Deus odiſſet peccatum, & quàm iuſta ſint contra illud ſua iudicia, oſtenderet: in vtriſque autem gloria Dei ſplenderet. Hoc eſt quod Auguſtinus cap. 10. de Correct. & gratia ſcriptum reliquit de cauſis, cur Deus non dederit Adamo gratiam, quã vellet perſeuerare in bono, ſed eam duntaxat, qua poſſet, ſi vellet, perſeuerare: *Quapropter*, inquit, *ſaluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſciuit:* & (qui) *ſciuit, magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quã mala eſſe non ſinere:* (confitemur inquit) *ſic ordinaſſe Angelorum hominúmq; vitam, vt in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium.* Hęc ibi. Magnę igitur fuerunt vires hominis ante lapſum, ad omnia bona ſuæ naturæ congruentia: ſed tamen tales, quibus ſine Dei gratia, nihil re ipſa boni efficere poterat. Et vna quidem gratia, qua poſſet, quicquid vellet boni, ei nunquam defuit: ſed tamen alteram, qua etiam vellet quicquid poſſet, non accepit. Neque ob id tamen excuſari à peccato poteſt Adamus, & accuſari Deus: quia Adamus liberè peccauit, cùm poſſet non peccare. Ac quòd non dederit illi Deus gratiam alteram: hoc factum eſt in maius bonum electorum, & gloriam Dei illuſtriorem.

Nunc tenemus, quales fuerint vires hominis ante lapſum: & cauſas etiam, cur Deus tali eum donarit arbitrio, quo poſſet, ſi vellet, peccare, & non peccare, perſeuerare in bono, & non perſeuerare: non autem tali, quo aut non poſſet velle peccare: aut quo vellet omnino non peccare, ſed in bono perſeuerare.

CAPVT IV.

DE VARIIS AD STATVM PRIMI HOminis ante lapſum pertinentibus.

VIDIMVS præcipua capita, quæ ad naturam ſtatúmque hominis ante lapſum pertinebant: nempe de imagine Dei, ad quam creatus eſt: de originali iuſtitia: denique de libero eius arbitrio, ac viribus. Nunc reliqua, quæ de eodem ſtatu quæri poſſunt ac ſolent: percurrendo perſtringam. Ac primò, quæ reſtant dicenda *de corpore iam anima prædito.* Deinde, *quæ de anima.* Tertiò, *quæ de propagatione humani generis per filiorum generationem, déque illorum conditionibus ſi peccatum non interceſſiſſet,* explicabo. De corporis humani qualitatibus ante lapſum multę proponi ſolent quæſtiones, quę à nobis ex profeſſo explicatæ non ſunt, ne ordo in hoc corpore conſtitutus interturbaretur. Nunc ergo ad ſingulas ſeorſum breuiter reſpondendum nobis eſt.

QVAESTIO I.

An fuerit Adamus corpore mortali, an immortali donatus.

RESpond. Partim mortali, partim immortali: mortali quidem, quia poterat mori, ſicut euentus docuit: immortali verò, quia potuit non mori: nempe ſi mandato Dei obtemperaſſet. Liquet hoc, tum ex comminatione Dei, *Quacunque hora comederis ex eo, morte morieris*: tū ex Apoſtoli verbis ad Romanos, *per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors.* Item, *ſtipendium peccati mors.* Potuiſſet ergo non mori. Ita κατά τι mortale fuit: & κατά τι immortale, vt dictum eſt: non autem ſimpliciter vel mortale, vel immortale. Simpliciter mortale fuit, & eſt poſt peccatum: quia non potuit mori: ſimpliciter autem immortale erit, poſt hāc vitam: quia non poterit vllo modo mori. Liquet etiam hoc, ex iis quæ ſuprà retulimus ex Auguſtino de Correctione & gratia. Item quæſtionem hanc, ex profeſſo tractat Auguſtinus Tomo tertio, de Geneſ. ad lit. lib. 6. per aliquot capita, ſed pręcipuè cap. 25. vbi & eam, quam attulimus, dat reſponſionem. Idem exponens illud Apoſtoli: *Corpus autem propter peccatum mortuum eſt*: diſcrimen facit inter corpus mortale & mortuum, vt dicat corpus Adami ante peccatum fuiſſe mortale, quia poterat mori, ſed mori non cogebatur: mortuum autem poſt peccatum, quia morti ita obnoxium eſt, vt non poſſit non mori. Eandem Auguſtini reſponſionem ſequutus eſt Magiſter ſententiarum lib. 2. diſtinct. 19. & Tomas, 1. part. quæſt. 97. art. 1.

QVAESTIO II.

Quæritur etiam, cùm homo primus, mortale, & immortale corpus habuerit, vt declaratum eſt: Vnde habuerit, vt eſſet mortale, & vnde, vt eſſet immortale.

RESpond. Vt poſſet mori, habuit ex conditione naturæ. Erat enim ſumptum ex terra, & ex 4. Elementis qualitatibúſque conſtabat. Vnde illius naturæ non repugnabat, imò congruebat, vt poſſet corrumpi & mori. Vt autem poſſet non mori, habebat non ex conſtitutione naturæ, ſed ex beneficio gratiæ. Deus enim pro ſua gratia conceſſerat homini, vt poſſet non mori, ſi vellet: hoc eſt, ſi vellet verbo ſuo obſequi. Hæc etiam Auguſtini eſt reſponſio, de Geneſ. ad literam, libro ſexto, cap. 25. vbi ait, *Mortalis ergo erat.* (Adamus) *conditione corporis animalis: immortalis autem beneficio conditoris.* Hanc reſponſionem ſequuntur omnes Scholaſtici.

Aquinas 1. part. quæſt. 97. art. 1. ſic reſponſionem explicat, vt ſignificet, ex parte materiæ fuiſſe corruptibile, & mortale: Ex parte etiam animæ corpori coniunctæ, non fuiſſe immortale: quia anima naturaliter conſeruare corpus à corruptione non poterat nec poteſt. Cæterùm ex parte cuiuſdam virtutis ſupernaturalis, animo ſupra corpus inditæ, qua illud poſſet à corruptione præſeruare, fuiſſe incorruptibile & immortale: vim autem hanc ſupernaturalem, tam diu fuiſſe duraturam, quàm diu anima ipſa Deo ſubiecta manſiſſet. Manſiſſet autem tantiſper dum ipſa voluiſſet. Itaque in hominis poteſtate fuiſſe, vt aut per naturam moreretur: aut per gratiam incorruptibilis permaneret & immortalis. Hæc eſt ſumma, quæ ad explicationem reſponſionis Auguſtini pertinet. Vnde & Auguſt. Tom. 4. de quæſtionibus noui & veteris Teſtamenti, quæſt. 19. *Deus*, inquit, *hominem fecit, qui quàm diu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi auctor eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.* Sicut & in Eccleſiaſtico cap. 15. legimus. Ex natura igitur erat tale corpus, vt poſſet mori: ex gratia autem habebat, vt poſſet non mori.

THESIS III.

Huic ſecundæ addunt 3. Quæſt. An ad immortalitatem, quam ex gratia habebat, retinendam, aliquid prodeſſet arbor vitæ, necne prodeſſet.

RESpond. Valebat proculdubio. In hunc enim finem fuit plantata, & vocata etiam *arbor vitæ.* Non enim nomina Deus poſuit rebus in caſſum & vanè. Sed quomodo prodeſſet; diuerſæ ſunt ſententiæ. Sunt qui ſentiant, inditam fuiſſe arbori illi vim, aduerſus omnes morbos, imbecillitates, ſenectámque. Sicut enim reliqui fructus in Paradiſo valebant ad conſeruandum humidum radicale, vt vocant, ex cuius defectu oritur mors: ſic aiunt arborem vitæ vim accepiſſe à Deo, ad conſeruandum in homine vires, bonamque valetudinem, & ad arcendum omne ſenium: eóque ad hominem in vita immortali retinendum: nimirum tamen ſi non ſemel, ſed ſtatis temporibus ſumeretur. Et ſic verba Domini ſonare videntur: quum Geneſ. 3. poſt peccatum dixit, de Adamo: *Nune ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam* (id eſt, denuò) *de arbore vitæ: & comedat, viuatque in ſeculum:* (ſcil. eiiciamus eum) At (inquies) Deus decreuerat, vt moreretur: & iam homo obnoxius factus erat morti. Ergo etiamſi millies ex eo fructu comediſſet; non potuiſſet viuere in æternum. Reſpondent, non ſequitur: ergo non habebat vim conſeruandi in vita. Imò ideo cauiſſe Deum, ne homo ederet: quia nolebat eum ampliùs frui illo beneficio, & viuere ſemper in hac carne: ſed dare pœnas quas ei comminatus fuerat; profuiſſe ergo fructum illius arboris, ad vitam immortalem; non tamen per ſe, & ſua natura, ſed ex Dei ordinatione: Et hoc fuiſſe ſingulare Dei beneficium, in primos illos homines collatum, quod haberet arborem tantę virtutis: quo beneficio etiam deſtituti fuerunt propter inobedientiam. Ad hanc ſententiam confirmandam, citantur quædam Patrum dicta: Vt illud Auguſt. Tom. 3. de Gen. ad literam, lib. 6. cap. 25. *quodammodo creatus eſt homo immortalis: quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ.* Item illud Bedæ & Strabi, quod & Magiſter ſententiarum adfert, libro ſecundo, diſtinct. 17. lit. F. *Lignum autem vitæ dictum eſt, quia diuinitus accepit hanc vim, vt qui ex eius fructu comederet: corpus eius ſtabili ſanitate, & perpetua ſoliditate firmaretur: nec vlla infirmitate, nec ætatu imbecillitate, in deterius, vel in occaſum laberetur.* Item illud Auguſt. ex Tom. 4 de quæſtionibus veteris & noui Teſtamenti, quæſt. 19. *Guſtus arboris vitæ, corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi modò permiſſum eſſet* (id eſt, fuiſſet) *illi edere de arbore vitæ.* Et paulò poſt: *Cibus* (aliarum arborum) *vires præſtabat: vitæ autem arbor, medicinæ modo, corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat, quaſi inexpugnabilis murus.* Hæc ibi. Sententiam hanc ſequitur Magiſter ſententiarum, Thomas Aquinas, & alij Scholaſtici, neque meritò damnari poteſt. Potuit enim vim hanc Deus præbere illi fructui. Sunt tamen qui putent, nullam vim aduerſus mortem, aut corruptionem inditam arbori fuiſſe, ſed eam fuiſſe duntaxat ſacramentum gratiæ, per quam homo viuere in ſempiternum potuiſſet, ſi in obedientia legis Dei perſiſtere voluiſſet. Eatenus igitur arborem illam profuiſſe ad immortalitatem, quatenus etiam ſacramenta omnia ad id, cuius ſunt ſacramenta, percipiendum prodeſſe ſolent. Quod autem eiectus fuit Adamus è Paradiſo, ne fortè ederet de fructu arboris, & viueret, hoc ideo fuiſſe dictum & factum, non quòd potuiſſet ampliùs eſu arboris, fieri immortalis, cùm iam morti eſſet factus ex ſententia Dei, obnoxius; ſed vt ſignificaretur indignā rem eſſe, vt homo vteretur ampliùs illo ſacramento, cuius vim, hoc eſt, Dei gratiam, per peccatum amiſiſſet.

Summa eſt, nullam vim in arbore vitæ fuiſſe ad immortalitatem, ſed ſacramentum duntaxat fuiſſe gratiæ Dei, per quam conſequi poterat immortalitatem; hoc eſt, vt nunquam moreretur. Huic ſententiæ fauere videntur Auguſtini verba, Tomo 5. de Ciuitate Dei, lib. 13 cap. 20. vbi de corporibus Adami & Euæ loquens, ait; *Quæ* (corpora) *licet ſenio non veteraſcerent, vt neceſſitate perducerentur ad mortem: qui ſtatus eis de ligno vitæ, quod erat in medio Paradiſi, mirabili Dei gratia præſtabantur; tamen & alios ſumebant cibos, &c.* Docet è ligno vitæ, non per ſe, & ſua vi, ſed mirabili

Dei

Dei gratia præſtitum fuiſſe corporibus Adæ & Euæ : vt poſſent non mori. Poſtea concludens caput, ait: *Alebantur ergo alijs, quæ ſumebant, ne animalia corpora, moleſtia aliquid eſuriendo & ſitiendo ſentirent: De ligno autem vitæ: propterea guſtabatur, ne mors eius vndecunque ſubreperet : vel ſenectute confecti, decurſis temporum ſpatiis interirent, tanquam cætera* (ligna Paradiſi) *eſſent alimento : illud ſacramento ſic fuiſſe percipiatur lignum vitæ in Paradiſo corporali: ſicut in ſpirituali, hoc eſt, intelligibili Paradiſo ſapientia Dei : de qua ſcriptum eſt.* Lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eam. Hæc Auguſtini omnia. Hic apertè arborem vitæ *Sacramentum* appellat : nempe gratiæ Dei, per quam (vt ſuprà dixerat) præſtabatur Adæ, vt poſſet non mori. Hæc eſt doctiſſimorum noſtri temporis virorum ſententia. Ad quæſtionem igitur propoſitam, ex hac ſententia reſpondetur, arborem vitæ ad immortalitatem profuiſſe, tanquam ſacramentum gratiæ, à qua immediatè pendebat æternitas vitæ. Hinc facilè patet reſponſio ad quæſtionem quartam, quam proponunt : *An ſcilicet primi homines ante lapſum, opus habuerint cibis ad vitæ ſuſtentationem.* Omnino.

1. Deus enim in hunc finem plantauit tot arbores in Paradiſo, & dixit illis : *De omni arbore, quæ eſt in Paradiſo, edite:* quæ verba multi interpretantur, tanquam fuerint præceptum Dei, non autem conceſſio, ſed ſiue præceptum fuerit, ſiue permiſſio, manifeſtum eſt, & arbores, & herbam omnẽ, fuiſſe illis datas in eſcam. Erat igitur illis edendum , ſed Deus dedit quod ederent.

2. Poſt peccatum , nulla noua apparet neceſſitas edendi, ſed tantùm mutata ratio victus: Antè enim veſcebantur ſine labore: At poſt, *In ſudore*, inquit, *vultus tui veſceris.* Erat igitur etiam ante peccatum , eadem edendi neceſſitas

3. Ac ratio eſt in promtu: quia homo factus fuerat in animam viuentem : ſicut & cætera animalia. Vt igitur reliqua opus habebant cibis, ad inſtaurationem conſumti humoris naturalis: ſic etiam homo. Nam θρεπτική, prima pars animę debebat ſuum facere officium.

4. Excipias tantùm illa, quæ Deus homini propter peccatum inflixit : cætera, tale erat Adæ corpus, qualia & noſtra. Quid inflixit? Corruptionem naturæ & neceſſitatem moriendi, cum ſuis appendicibus: vt ſunt dolores, morbi, &c. De neceſſitate edendi nil legimus peculiare poſt peccatum: ſicut de ſudore in quærendo pane. & de moriendi neceſſitate, &c. Erat igitur etiam ante peccatum opus cibis Adamo.

5. Huc adde teſtimonia Auguſtini ex Tom. 4. de quæſt. vet. & noui Teſtamenti , quæſt.19. Tom.5. de Ciuitate Dei, libr.13. cap.20. Quæ ſuprà recitata fuerunt : ſic Scholaſtici omnes & noſtri etiam Doctores.

QVAESTIO V.

Hinc ſolutio facilis eſt , ad quæſtionem 5. An corpus Adæ, ante lapſum fuerit animale, quale habemus: An ſpirituale, quale habituri ſumus.

RESpond. Animale fuit, ſua natura. 1. Quia indigebat cibis, quibus ſpirituali non opus fuerat. 2. Quia poterat generare, in reſurrectione autem neque nubent, &c. 3. Quia licèt per gratiam poſſet non mori , quod certè noſtra non habent corpora: ſuapte tamen natura mori poterat. 4. Apoſtolus apertè pronunciat fuiſſe animale 1.Cor.15. qui verba Moſis de corpore Adæ interpretans, *Et factus eſt in animam viuentem:* ſic ait, *Si eſt corpus animale. eſt & ſpirituale :* ſic enim ſcriptum eſt : *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem nouiſſimus Adam , in ſpiritum viuificantem.* Sed non primum quod ſpirituale eſt : ſed , quod animale , poſtea quod ſpirituale, &c. Animalia igitur corpora omnia , ex Adam, qui primus omnium habuit mortale corpus: ſpiritualia autem omnia à Chriſto, qui etiam primus cum corpore ad immortalitatem reſurrexit.

Sed hinc oritur dubitatio.

1. Quomodo igitur corpus Adæ , erat immortale : ſi erat animale? Animale enim eſt , quod cibis opus habet & morti obnoxium eſt: Spirituale autem , quod non ampliùs corruptioni carnis, ſed ſoli immortali ſpiritui ſubiectum eſt, & immortale. Reſp. ex dictis patet : non erat ſimpliciter immortale, quia poterat mori. Erat autem animale ſua natura : quia opus habebat cibis & poterat mori. Sed neque tamen ita animale erat , ſicut noſtra ſunt corpora , quæ non poſſunt non mori. Hæc eſt Aug. reſponſio in ſumma: de Gẽ. ad lit. lib 6. cap.26. *Animale eſt*, inquit. *& hoc noſtrum corpus, ſicut & primi hominis fuit. Sed hoc iam in ipſo animalis genere multò eſt deterius. Habet enim neceſſitatem moriendi: quod illud non habuit. Quamuis enim reſtabat adhuc, vt immutaretur, & ſpirituale factum , plenam immortalitatem perciperet, vbi cibo corruptibili non egeret , tamen ſi iuſtè viueret* (id eſt, vixiſſet) *homo, & in ſpiritualem habitudinem corpus eius mutaretur* (id eſt, mutatum fuiſſet) *non iret* (id eſt, non fuiſſet) *ad mortem.* Hæc Auguſtinus. Fuit ergo in hoc, corpus Adæ tam animale, quàm noſtra iam ſunt: quia iam illud opus habebat cibis ad vitam ſuſtentandam, quàm noſtra quia poterat illud non mori: noſtra autem neceſſitatem habent moriendi.

2. Sed alia etiam dubitatio ſeſe hìc offert. Quî fieri poteſt vt corpus Adæ non fuerit ſpirituale , ſed animale : ſi per Chriſtum renouamur , etiam ad hoc , vt recipiamus corpora ſpiritualia , vt eſt ad Corinthios? Renouatio autem in hoc fiat vt recipiamus per Chriſtum , quod in Adamo perdidimus ? Si ergo per Chriſtum recipimus corpora ſpiritualia: corpus etiam Adæ, ſpirituale fuerit ante peccatum, neceſſarium eſſe videtur.

Reſpon. Non renouamur per Chriſtum ad hoc ſimpliciter vt id tantùm recuperemus, quod in Adamo perdidimus: ſed in meliorem etiam conditionem , quàm habuerit Adamus. An non maiorem per Chriſtum gratiam accipimus, quàm amiſerimus in Adamo? Omnino, vt Aug. optimè explicat in li. de Correct. & gratia: quia tunc in Adamo habuimus talem gratiam qua poſſemus, ſi vellemus, bonum: non autem gratiam, qua vellemus. At per Chriſtum recipimus, non ſolùm vt poſſimus, ſed etiam vt velimus: quia operatur in nobis velle & perficere. Maiorem etiam libertatem arbitrij recipiemus per Chriſtum in cœlo, quàm habuerimus in Adam. Illa enim libertate poterat homo peccare & non peccare : ſed in cœlo , per Chriſtum illa donabimur, qua non poſſimus peccare: imò etiam hîc incipit dare ex parte, iuxta illud, *Qui natus eſt ex Deo, non peccat , & non poteſt peccare.* Idem de corpore dicimus: tale erat corpus Adæ, quod poſſet mori, & non mori, ſed per Chriſtum tale habebimus , quod non poterit mori. Renouatio igitur , quæ fit per Chriſtum, non in hoc tantùm fit, vt recuperemus, quæ in Adamo amiſimus : ſed in melius fit , & vt maiora , melioráque recipiamus. Ideò Auguſtinus de Gen. ad literam, lib.6. cap.24. vbi quæſtionem propoſitam in ca.20. diſſoluit: ita ſcribit : *Quomodo ergo*, inquiunt , *renouari dicimur , ſi non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recipimus ſecundùm quendam modum. Non itaque immortalitatem ſpiritualis corporis recipimus , quam nondum habuit homo : ſed recipimus iuſtitiam , ex qua per peccatum lapſus eſt homo. Renouabimur ergo à vetuſtate peccati non in priſtinum corpus animale, in quo fuit Adam: ſed in melius : id eſt, in corpus ſpirituale: quum efficiemur æquales Angelis Dei, apti cœleſti habitudini: vbi eſca, quæ corrumpitur , non egebimus.* Stat igitur ſententia: corpus Adæ ante peccatum fuiſſe corpus animale: quanquam non ita animale, hoc eſt, imperfectum, ſicut ſunt noſtra : quæ non poſſunt non corrumpi, & mori. Ac proinde corpus Adæ , non fuiſſe ſimpliciter immortale; cùm poſſet mori: Quòd verò per Chriſtum renouamur: non renouari in hoc tantùm, vt recuperemus quæ amiſimus: ſed renouari in melius : cùm ſimus accepturi corpora ſpiritualia: qualia primi homines non habuerunt. Ac proinde quòd habeamus corpora animalia; hoc eſſe ab Adamo, vnde nati ſumus : quòd verò habituri ſimus ſpiritualia : hoc deberi Chriſto, ex quo & per quem renaſcimur.

QVAESTIO VI.

Additur his ſexta & poſtrema quæſtiuncula , an fuerint ante lapſum corpora primorum hominum obnoxia paſſionibus , necne.

RESpond. Duplex paſſionum genus; vnum erat, quæ ad perfectionem potiùs pertinẽt corporis & animæ, quàm ad corruptionem , vti eſt ſentire , percipere colores , audire ſonos , percipere & diſcernere calidum à frigido. Nam ſenſus omnes, dum aliquid percipimus , dicuntur pati , ſicut & intellectus, vnde mens noſtra quatenus percipit ſpecies intelligibiles , *intellectus paſſibilis* nominatur à nonnullis Philoſophis. Ad hoc genus paſſionum quod attinet : corpus Adæ non erat his vacuum. Erat enim præditus ſenſibus; certè non in vanum. Faciebant enim hæ paſſiones , ad perfectionem naturæ.

Aliæ ſunt quæ corrumpunt naturam , & à naturali diſpoſitione ac conſtitutione alterant atque amouent ; vti ſunt paſſiones dolorificæ; & quæ ad corruptionem naturæ , adeóque & ad mortem diſponunt : Talibus paſſionibus, ſicut & de morte dictum eſt ; ſuapte natura obnoxium non erat, quia ex contrariis conſtabat. Quum autem contrarium agit in contrarium, paſſionem efficit: ſed ex gratia Dei, ab iis

alienum erat, & alienum ſemper fuiſſet, niſi peccaſſet: ſicut & de morte dictum eſt. Liquet hoc ex iis, quæ poſt peccatum dixit Adæ & Euæ in pœnam peccati. Illi, *in ſudore vultus tui*, &c. Ergo antea à tali labore & paſſione liber erat. Euæ autem: *In dolore paries*, &c. Ergo antea expers doloris erat, & ſine dolore peperiſſet, omniáque egiſſet, ſi non peccaſſet. Ac de qualitatibus corporis Adæ ante lapſum, præter illa, quæ ſuprà in genere de corpore dicta ſunt, ſatis.

11 Nunc aliquot aliæ quæſtiunculæ, ad animam Adæ ante lapſum pertinentes, explicandæ ſunt.

Qvaestio I.

Cùm extra controuerſiam ſit, Adamum donatum fuiſſe, ſi quiſquam vnquam mortalium in hoc Mundo, perfectiſſima Dei cognitione: quærunt doctores, an etiam viderit vnquam Deum in ſua eſſentia, ſeu facie ad faciem, (vt loquitur ſcriptura) necne viderit.

Reſpond. Primò conſtat, oculis corporis nunquam viſam ab Adamo fuiſſe Dei eſſentiam: cùm videri à nemine poſſit, ne in altero quidem ſeculo, nedum in hac carne mortali. Apoſtolus enim ſic docet, 1. ad Timoth. 6. *Quem* inquit, *nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Si enim anima videri oculis corporeis non poteſt: quantò minùs Deus? Vidit quidem imaginem illam corpoream, quam aſſumebat Filius Dei, & in qua cum Adamo loquebatur: quemadmodum & de Abrahamo, Iacobo, Moſe, & aliis legimus, ſed ipſam Dei eſſentiam nemo vnquam vidit, aut videre poteſt: Sicut & Auguſt. optimè & abundè docet, in Epiſtola 111. & 112. de videndo Deo. Eſt igitur hoc extra controuerſiam. Quare quæſtio reſtat, num oculis mentis Dei eſſentiam viderit; ſicut manifeſtum eſt, viſum iri à nobis in cœlo, iuxta illud, *Videbimus enim ſicuti eſt: &, facie ad faciem.* Verùm hic etiam illud eſt in confeſſo: Dei eſſentiam, hoc eſt, Deum ipſum à nemine, ne ab Angelis quidem mente comprehendi poſſe. Ratio eſt, quoniam res infinita & immenſa à creatura finita comprehendi nequit: cùm vnumquodque recipiatur pro captu, modóque percipientis. Quæ cauſſa eſt, cur ne ab anima quidem Chriſti, quæ finita eſt, comprehendi potuerit, aut poſſit diuina eſſentia. Et eadem ratione vtuntur Scholaſtici, quum probant, animam Chriſti neque eſſe in ſe omnipotentem, neque omniſcientem, ſicuti Deus eſt; propterea quòd rei infinitæ capax non eſt, nec eſſe poteſt res finita. Stultum igitur eſt diſputare, an Adamus mente ſua Deum vnquam intelligendo comprehenderit, cùm fieri hoc à nemine poſſit. Itaque præſens quæſtio, ad hos fines reſtringitur; *An ſicut in cœlo, à beatis, ſic ab Adamo in terris, ante peccatum Deus viſus vnquam fuerit.* Quidam putarunt tum viſum fuiſſe Deum, quum Adamus captus in ἐκστάσει dormiuit: & mox euigilans, nouit Euam, vndénam fuerit educta, &c.

Sed hoc non euincit viſam fuiſſe Dei eſſentiam, ſicut à Beatis videtur: ſed fieri tantùm potuiſſe, vt tunc multa & magna Dei myſteria viderit: ſicut etiam Paulus de ſe narrat ad Corint. *ſe raptum in tertium cœlum, audiuiſſe arcana Dei, quæ non liceat homini loqui.* Cùm itaque nulla ſcriptura doceat, Deum ab Adamo in ſua viſum fuiſſe eſſentia, ſeu facie, ad faciem, temerarium eſt, & impium, hoc velle aſſerere: contrarium potiùs aſſerere meliori conſcientia poſſumus: duplici de cauſa.

1. Propter verba Apoſt. 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Generalis enim eſt ſententia de omnibus piis: à condito orbe: (quia neminem excipit) cognitionem Dei facie ad faciem, illis reſeruari in cœlo. & nunc contentos eſſe debere cognitione, quæ habetur per creaturas, & per verbum. Hæc enim ſunt ſpecula: in quibus Deus ſeſe nobis viſendum exhibet.

2. Ratio adfertur non contemnenda, à peccato & miſeria Adæ. Qui Deum videt in ſua eſſentia ſicut fit in cœlo: ille verè beatus eſt, ſicut de Angelis ait Chriſtus: *Quia vident faciem Patris.* Qui autem beatus eſt, is certè miſer ampliùs eſſe non poteſt: eóque nec voluntate à Deo, in cuius viſione illius eſt beatitudo, auerti ſe ſinet. Hoc manifeſtum eſt in omnibus beatis. Cùm itaque Adamus auerterit ſe à Deo, peccando, & factus ſit miſer: manifeſtum eſt, non fuiſſe eum verè plenéque beatum ac proinde illa caruiſſe Dei cognitione, qua fruuntur Angeli, & alij beati ſpiritus in cœlo. Non vidit igitur Deum in ſua eſſentia, facieque ad faciem. Interim in Adamo fuiſſe præſtantiſſimam Dei cognitionem, qualis in hoc Mundo haberi poſſit: dubitandum non eſt, vt aliàs oſtendimus: imò volunt nonnulli, cognitionem Dei, qua donatus erat Adamus ante lapſum; mediam fuiſſe inter cognitionem quam habent beati in cœlo, & ſancti in terra: Ac proinde ſemibeatum fuiſſe, licèt non perfectè beatum: ſicut & Auguſtinus docet, in lib. de Geneſ. ad literam.

Qvaestio II.

Quærunt etiam, an Adamus habuerit rerum omnium ſcientiam.

Reſp. Earum rerum omnium tam diuinarum, quàm humanarum ſcientia, ornatum eum fuiſſe: quæ tum ad hanc præſentem vitam, bene beateque viuendam, tum ad alteram conſequendam, & ad Deum rectè colendum pertinuerunt: minimè dubitant. Quæ ad neutrum horum fecerunt, neceſſarium non eſſe docent, vt harum rerum ſcientia primis parentibus attribuatur: Veluti eſt cognitio rerum futurarum, quas contingentes vocant, & vti eſt cognitio cogitationum cuiuſque, quot item numero ſtellæ, quot piſces, vel lapides eſſent in mari, & id genus ſimilia. Probant hoc primùm inde, quia *factus eſt ad imaginem Dei.* Vt igitur Deus eſt ipſe ſapientia: ſic in Adamum & Euam, maximam ſuæ ſapientiæ ſimilitudinem impreſſiſſe. Item, inde, quia *Deus fecerit hominem rectum*: ipſe autem, ſe multis implicuit quæſtionibus: nullæ igitur antea quæſtiones verſabantur in illius animo: ſed omnia quæ vtilia ſibi eſſent, nouerat, ſine vlla dubitatione. Item inde confirmant, quod ait Siracides cap. 17. *Scientia intelligendi inſtruxit omnes, eiſque oſtendit bona ſimul & mala. Scientia intelligendi*, ſci. ἐπιστήμη συνέσεως, complecti videtur omnes diſciplinas θεωρητικάς. oſtenſione autem bonorum & malorum ipſas πρακτικὰς moralémque Philoſophiam. Quò etiam ſpectat, quod nomina cuique animali iuxta ipſorum naturas impoſuit. Vt igitur animalia ſingulorum, ſic etiam aliarum rerum omnium à Deo conditarum, ſcientiam ac cognitionem habuit. Addunt & Phyſicam rationem, quòd ordine naturæ, perfectum præcedit imperfectum, ſicut actus potentiam. Cùm igitur primi homines præceſſerint alios omnes, oportuit illos eſſe omnium perfectiſſimos: præſertim cùm deberent reliquos inſtituere: Sicut igitur perfecti fuerunt creati, corpore, ita vt nemo alius fuerit corpore perfectiore, & præſtantiore præditus: ſic etiam contendunt, eorum animas fuiſſe omnium aliorum perfectiſſimas, eóque omni ſcientiarū & virtutum, quæ vnquam in aliis hominibus porrò fuerūt, genere ornatiſſimas. Cognitio verò futurorum contingentium, cogitationum, item cordis cuiuſque, & numerorum ſtellarum & arenę maris, quia ſolius Dei ſunt: primis hominibus non attribuuntur.

Qvaestio III.

Ceterùm hinc oritur alia difficilis quæſtio: *An potuerint primi homines in ſtatu ante lapſū decipi ac falli: in his præſertim quæ ad ſuam ſalutem pertinebant.* Deceptā enim fuiſſe Euam, extra controuerſiam eſt. Nam & ipſa hoc fatetur, dicendo, Gen. 3. *Serpens decepit me:* & ne quis excipiat illam hoc dixiſſe, non quod ita reuera fuerit: ſed tantùm, vt culpam in ſerpentem transferret: Apoſtolus id euincit, affirmans, *mulierem fuiſſe ſeductam.* De Adamo, hoc eſt, de viro, non ita conſtat. Sunt inter Patres, qui ſenſerint Adamum etiam fuiſſe ſeductum, non quidem à ſerpente, quo cum loquutus non eſt: ſed ab vxore, quæ verba ad eum retulit ſerpentis: & quæ etiam ſuas adhibuerit rationes, & illecebras, & obſecrationes.

Hos ſequuti ſunt non vulgares noſtri ſeculi doctores: qui etiam inde probare conantur, Adamum per vxorem ſeductum, aſſenſum fuiſſe verbis ſerpentis, quia Deus deridendo Adami ſtultitiam, qui putarit ſe futurum talem, qualem ſerpens promiſerat: dixit Gen. 3. *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt: ſciens bonum & malum.* Verùm alij ſunt, neque pauci, neque paruæ auctoritatis doctores; vt Auguſt. & alij: qui cenſent Adamum non fuiſſe ſeductum, ita vt crederet, ſicut Eua, ſe futurum, vt Elohim, qui ſciret bonum & malum. Verba enim Apoſtoli eſſe perſpicua: qui negat Adamum fuiſſe ſeductum. Et hoc etiam confirmari ex verbis Moſis: qui de fœmina refert, quòd *videns arborem bonam ad veſcendum, & pulchram ad videndum: acceperit de ea, & comederit.* De viro autem hoc non refertur: ſed tantùm *quòd acceperit à muliere, & ederit.* Item quòd illa faſſa fuerit, ſe fuiſſe à ſerpente ſeductam. De viro autem nihil tale; ſed tantùm dixiſſe: *Mulier, quam dediſti mihi, ipſa dedit mihi, & comedi.* Virum itaque non fuiſſe deceptum: ſed ideò comediſſe de fructu, vt gratificaretur vxori; à qua fuerat multis, vt probabile eſt, rationibus & precibus, vt ederet, exoratus. Ceterùm quid de hac quæſtione, *an Adamus fuerit ſeductus necne, & quomodo*: dicendum ſit; ſuo loco explicabo. In

præſen-

præſentia tantùm hoc dico. Adamum non peccaſſe eo modo quo Angeli malitia ex mera malitia, & ſimplici voluntate, ſed aliqua ex parte fuiſſe deceptum, non dico à ſerpente ſicut Eua, ſed externè ab Eua, internè à Diabolo, & à ſe ipſo. Ad principalem autem quæſtionem redeo, qua quæritur, *an ante lapſum potuerint ſeduci*

Reſp. Aquinas, non potuiſſe, quòd hoc pugnet cum integritate naturæ, in qua creati fuerant primi homines, nempe, vt falſum tā quam verum approbarent. Quàm diu enim ſpiritus hominis manebat Deo ſubditus tam diu ipſius intellectum non potuiſſe circa ſuum obiectum, quod eſt verum, decipi: quia omnis deceptio (inquit ipſe) accidit in intellectu, ex aliquo inferiori, puta phantaſia, vel aliquo huiuſmodi, integritas autem & rectitudo naturæ hæc erat, vt inferiora ſuperioribus ſubderentur: & ſuperiora, per inferiora non impedirentur. Adde quòd intellectus plenus erat rerum humanarū & diuinarum, vt dictum eſt, cognitione. Citat & dictum Aug. qui ait: *approbare falſa veris: non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna peccati.*

Ad locum Apoſtoli 1. Tim. 2. de ſeductione Euæ: reſpondet ex Auguſt. ſuper Gen. ad lit. mulierem non credituram fuiſſe verbis ſerpentis, niſi iam fuiſſet in eius mente, amor poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio. Itaque cōtigiſſe illi ſeductionem, poſt interiorem mentis peccatum, tanquam illius pœnam. Sic ille ſentit cum Aug. Sed ego nō video, quomodo pugnet, aut cum integritate naturæ: aut cum plenitudine ſapientiæ & ſcientiæ, qua primi hominis intellectus præditus erat, potuiſſe ſeduci. Nam ad integritatem naturæ quod attinet, quomodo potuit voluntas, quæ creata fuerat bona, velle malum? Potuit, dum à ſuo defecit officio quod erat velle conſtanter bonum. Omnis autem defectio, à proprio officio, receſſio eſt ad oppoſitum officium. Itaque dum aut ſimpliciter noluit, aut frigidè voluit bonum: omnino, malum voluit. Proinde Aug. de Ciuitate Dei, ait, *primum voluntatis Adæ peccatum fuiſſe defectum voluntatis.* Idem de intellectu dico. Quomodo potuit ſeduci? Quia defecit à ſuo officio: quod erat acquieſcere in cognita veritate. Dum ergo non intenta cogitatione, in veritate hæſit, ſed aut nihil, aut parum, & frigidè de veritate verbi Dei cogitauit: Viam atque aditum fecit ſeductioni. Integra igitur erat natura: ſed non ſemper intenta erat cogitatio, ſtabiliſque voluntas.

Porrò quid prohibet quin homo plenus ſcientia hallucinetur: nempe, dum non eſt attentus ad ea, quæ certò nouit eſſe vera: & contrà attentiſſimas præbet aures iis, quæ recens proponuntur, ſub titulo præſertim maximæ dignitatis & vtilitatis, licèt falſa ſint? quotidie in nobis hæc experimur. Quòd quis igitur plenus ſit ſcientia atque ſapientia, minimè impedit, quin ſeduci queat, vt etiam Salomoni contigit. Ac de 3. quæſtione plus ſatis.

QVÆSTIO IV.

De altera animæ parte, hoc eſt, de appetitiua, ac corde, vbi ſunt affectus, quærunt, an qui in nobis ſunt appetitus, paſſiones atque affectus, iidem fuerint in Adamo.

RESpon. Triplicem docent in nobis eſſe appetitum: Naturalem animalem ſeu ſenſitiuum, & rationalem ſeu intellectiuum. Naturalem vocant: quo animus appetit, omnia, quæ ad vitæ ſuſtentationem faciunt: vt eſt cibus, potus, ſomnus, & id genus, & quo refugit contraria. Hunc fuiſſe in Adamo etiam ante lapſum: ſed moderatiorem, quàm in nobis ſit, & cum natura congruentem, nemini dubium eſt. Fuit enim verus homo, corpúſque habebat animale, & ideo fami ac ſiti obnoxium.

Huc ſpectant cibi, illis præſcripti. De voluntario ac rationali, qui nil aliud eſt, quàm libera voluntas, dictum eſt antè: quum diſſeruimus, de libero Adæ arbitrio. Animalis verò appetitus, qui & ſenſitiuus dicitur, eſt ille qui ſenſum ſequitur, non ſolùm externum: verùm etiam internum & qui non ſolùm ab externo contactu oritur, aut rei ſuauis, vnde delectatio, aut inſuauis, & dolorificæ, vnde dolor. Verum etiam qui ex interna ſenſuum & animi apprehenſione proficiſcitur: vt metus ex apprehenſione imminentis mali: & ſpes cum lætitia, ex apprehēſione futuri boni percipiendi. Omnes enim animi affectiones atque (vt vocāt) *paſſiones*, gignuntur aūt ex boni vel præſentis fruitione, vel futuri apprehenſione, aut ex mali itidem vel præſentis ſenſu, vel abſentis ac imminentis perceptione. Nam ex illo primo fonte ſunt delectatio, gaudium, amor, ſpes: ex altero, dolor, triſtitia, odium, metus, pudor, ira, & alij id genus.

Ad quæſtionem igitur de his affectibus, qui omnes ſub appetitu ſenſitiuo continentur, ſic reſpondent: illos affectus, qui ex malo vel præſenti, vel imminentē oriuntur, nō fuiſſe in primis parentibus ante peccatum. Ratio, quòd nullum malum vel præſens haberent, vel ſibi imminens viderēt. Neque etiam illos quos gignit, perceptio alicuius boni abſentis, ſed nunquam habendi, veluti ſunt æſtuans deſiderium, & deſperatio illi coniuncta diffidentiave. Quæ enim nondum habebunt bona, illa certò à Deo exſpectabant. Illos verò affectus, qui ex boni vel præſentis vel futuri, ſed certò habendi perceptione naſcuntur, in illis fuiſſe contendunt: Verùm moderatos & ſine vllo vitio, aut perturbatione. Proinde in primis hominibus non habuerunt locum odia, inuidentiæ, diffidentiæ, metus, deſperationes, dolores, triſtitia, æmulationes, iræ, ſed tantùm amores honeſti, lætitiæ moderatæ, delectationes, naturales & ſpirituales, ſancta deſideria, certæ ſpes in Deo poſitæ: & id genus alia. Confirmant hoc Auguſt. autoritate ex lib. de Ciuitate Dei 14. cap. 10. vbi quæſtionem hanc pertractat, ac quoniam felices & vtcunque beati fuiſſe prædicantur primi homines in Paradiſo ante peccatum: ideo inde euincit Auguſt. nullos in eis fuiſſe malos, turbantéſque affectus, ſed tantùm bonos. Ac præter alia ſic ſcribit. *Quis tandem abſolutè dixerit beatum eſſe qui timore afficitur vel dolore? Quid autem timere vel dolere poterant illi homines, in tanto tantorum affluentia bonorum? vbi nec mors metuebatur nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam quod bona voluntas adipiſceretur: nec inerat, quod carnem animúmve hominis feliciter viuentis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum atque inter ſe coniugum fida & ſincera ſocietas viuentium: & ex hoc amore grande gaudium, non deſiſtente, quod amabatur ad fruendum. Erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contriſtaret, irruebat.* Tantùm ille.

In cap. autem præcedenti, nempe 9. vbi de affectibus ſanctorum diſſerit: dixerat, *Et quia recta eſt amor eorum, iſtas* (reliquas ſcilicet) *omnes affectiones rectas habent.* Et denuo ad finem fermè capitis: *Quæ cum ita ſint* (inquit) *quoniā recta vita ducenda eſt qua perueniendum ſit ad beatam: omnes affectus iſtos vita recta, rectos habet: peruerſa peruerſos.* Hinc itaque colligimus, in primis hominibus ante lapſum, quum vitam ducerent ſanctam & rectam: fuiſſe affectus omnes ſanctos atque rectos & omnino imperturbatos. Doctrinam hanc Auguſtini planè ſecutus eſt Thomas, 1. parte, quæſtione 95. art. 2.

QVÆSTIO. V.

Contrà, illud quoque in quæſtionem venit: An in primis hominibus, omnes fuerint virtutes.

RESpon. Primò in genere: Omnino. Ratio: quoniā virtutes (inquiunt) quid aliud ſunt, quàm perfectiones, quibus ratio, ſeu mens humana ordinatur in Deum, & inferiores animæ vires, ex regula rationis diſponuntur ad obediendum Deo. Talis autem fuit primorum hominum rectitudo: vt & ratio ſubiecta eſſet Deo, & inferiores vires rationi. Quodam igitur modo, omnes virtutes in illa iuſtitia originali contentas fuiſſe: ac proinde primos homines propter iuſtitiā originalē virtutibus omnibus fuiſſe præditos. Cæterùm ſecundo loco aiunt. Non omnes virtutes eodē planè modo fuiſſe in primis hominibus, ſed quaſdā habitu tantùm & non actu, alias verò & habitu & actu. Quęnā habitu vel potius affectu tantùm? Illæ quarū actus eſſe nō poterat, ſine imperfectione aliqua, perfectæ primorum parētum cōſtitutioni ac conditioni repugnante. Veluti eſt pœnitentiæ, & miſericordiæ, virtus. Pœnitētia enim actualis: dolor eſt de peccato admiſſo: & actualis miſericordia, dolor eſt de aliena miſeria. Dolor aūt in primos illos homines ante lapſū nō cadebat, vt ſuprà dictū eſt: alioquì felices non fuiſſent. Erat igitur in primis hominibus, virtus pœnitentiæ & miſericordiæ eatenus tantùm, quatenus ita affecti erāt, vt ſi peccaſſent, omnino illos non pœnitere nō potuiſſet, & ſi quempiam aliqua miſeria affectum vidiſſent illius miſeriam, omnino non dolere nequiuiſſent, eúmque inde pro ſua virili parte liberare. Idem de pudore & verecundia, & aliis harum ſimilibus virtutibus dicendum eſt. Quænam verò & habitu & actu in illis erant virtutes? Illę, quarum actus, aut nullam prorſus in ſe habēt imperfectionem: vt eſt iuſtitia charitas aut ſi habent, imperfectio illa non pugnabat cum perfecto Adami ſtatu: vt eſt fides & ſpes. Actus enim fidei, quia eſt de iis, quæ non videntur, & actus ſpei, quia eſt de aliis, quæ nondum habentur, imperfectionem quandam in ſe habent. Perfectus enim virtutis actus, in re præſenti verſatur. Cæterùm imperfectio hæc

cum ſtatu Adami minimè pugnabat. Neque enim Adamus ita erat perfectus, vt aut Deum in ſua videret eſſentia, aut vltima frueretur beatitudine. Hanc igitur ob cauſſam, poterat Adamus actu & credere quæ non videbat. & ſperare, quæ nondum habebat, citra vllam ſui perfecti ſtatus imminutionem. Ac proinde & habitu & actu ſimul in eo erãt fides & ſpes. Ita verum eſt: virtutibus omnibus primos homines, ante lapſum, quodam modo præditos fuiſſe cùm eſſent creati iuſti, recti & ſancti. Pertinent huc quædam Patrum teſtimonia, ſed non eſt operæ precium ei recitare. cùm res ſit perſpicua: in re autem perſpicua atque certa immorari, ſit turpe. Ergo de hac etiam quæſtione ſatis.

III. Reſtant quædam aliæ, de procreatione liberorum, déque illorum conditione: ſi neque parentes, neque ipſi peccaſſent.

QVÆSTIO I.

Quæſtiuncula prima eſt, an in ſtatu ante lapſum, vel genuerint liberos, vel ſaltem ex Adamo eos conceperit Eua.

RESpon. Ex ſcripturis conſtat. in Paradiſo, eóque ante lapſum multos fuiſſe Adamo genitos liberos. Primus enim fuit Cain, quem conſtat ex 4. Gen. natum fuiſſe, poſtquã fuiſſent eiecti è Paradiſo. At verò, an in Paradiſo conceperit eum Eua, nec ne diſputatum olim fuit. Rabi Selomoh omnino ſentit in Paradiſo fuiſſe conceptum. Lyranus verò, in genere ait, Hebræos ſenſiſſe, Cainum & Abelũ fuiſſe in Paradiſo non ſolùm cõceptos, ſed etiam genitos. Et ſic verba Moſis Geneſ. 4. *Adam cognouit vxorem ſuam, &c.* interpretantur *cognouit* pro *cognouerat*, ſicut & illud. *Et plantauit Deus Paradiſum* pro *plantauerat*. Et addunt rationes, quia Deus præceperat eis vt generarent, dicendo, *Creſcite & multiplicamini*, &c. Non eſt autem veriſimile, Adamum & Euam voluiſſe hoc mandatum tranſgredi in ipſo Paradiſo. Auguſtinus Tom. 3 de Gen. ad literam lib. 9. c. 4. recitat quorundam Chriſtianorum etiam, doctorum ſcilicet ſententiam, qui dixerũt, antequam benedictæ fuiſſent nuptiæ, congreſſos fuiſſe Adamum & Euam, & primos concepiſſe filios: quanquam eam refutat ſententiam. Non defuerunt igitur, qui ſenſerint, in Paradiſo conceptum fuiſſe Cainum. Cæterùm Patres omnes contrarium omnino ſcriptum reliquerunt: quia ſimpliciter interpretati ſunt verba Moſis, dicentis: *Et cognouit Adam vxorem ſuam, & concepit &c.* Nempe poſtquam eiecti fuerũt e Paradiſo. Ac ratione etiam non contemnenda confirmari poteſt Patrũ ſententia: ſi Adam genuiſſet ante peccatum: non geniturum eum fuiſſe filium, eúmque primogenitum, reprobum, impium, homicidam, hypocritam. Cum igitur talis fuerit Cainus: probabilius eſt, eum poſt peccatum fuiſſe conceptum quàm ante peccatum, vt fuerit merces peccati Cainus. Ad rationem Hebræorum reſpondet Auguſtinus, primos homines ante peccatum non impleuiſſe præceptum de generandis liberis: tum quia parum ibi fuerunt: tũ quia expectanda erat Dei autoritas, ordinatióque de tempore congrediendi. Etſi enim eos cõiunxerat vinculo matrimonij, & præceptum dederat de procreandis filiis non tamen mandarat, vt tunc ſtatim generarent. Vtut ſit, non diſplicet Patrum ſententia. Verùm quòd inde Hier. colligit, virginitate impleri Paradiſum, connubio autem Mundum: & quòd alij quoque cum ipſo Hier. hinc captant occaſionem improbãdi coniugij, quia Adamus non cognouit vxorem, niſi eiectus à conſpectu Domini, quaſi propterea execrandum ſit coniugium, vehementer improbo: quia nuptiæ in Paradiſo inſtitutæ ſunt, inter Adamum & Euam, iam ſanctos & iuſtos: & mandatum datum, de propagando humano genere. *Sanctum igitur eſt in omnibus*, vt docet Apoſt. *coniugium, & thorus immaculatus.* Nunquid enim ſi non peccaſſent, etiam non dediſſent operam liberis? Imò. Altera igitur quæſtio proponitur.

QVÆSTIO II.

An ſi non peccaſſent genuiſſent in Paradiſo: necne.

REſpond. Omnino: quia in hunc finem inſtitutum fuerat coniugium cum præcepto: *Creſcite & replete terrã*: alioqui, vt optimè ſcribit Aug. & poſt eum Thomas, peccatum hominis fuiſſet valde neceſſarium, ad tantum bonum: hoc eſt, ad electorum humaníque generis propagationem. At (inquiunt nonnulli ex Patribus) multiplicati fuiſſent homines, alia ratione, quàm per coniugium: nempe ſicut etiam Angeli Dei. Sed quorſum iſtæ ſtultitiæ ſine verbo Dei: imò contra verbum Dei? Tantùm, vt perſuadeant in connubio eſſe, & ſemper fuiſſe neſcio quid immundi, & peccati: contra ſententiam Apoſtoli ad Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Tertia igitur quæſtio.

QVÆSTIO III.

Proponitur, An ſi non peccaſſent geniti ex ipſis fuiſſent liberi ea ratione, qua & nunc hoc eſt ex coniunctione viri & vxoris.

REſpon. Maximè, nam in hunc finem creato maſculo: dixit Deus: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum faciamus ei adiutorium &c.* Et ita formauit fœminã In cuius quæſo rei adiutorium? Certè ad procreandos liberos, ex coniunctione viri & fœminæ Nam ad quoduis aliud opus: plus adiutorij potuiſſet afferre vir viro, quàm mulier. Et cur dixit *adhærebit vxori: & erunt duo in carnem vnam?* Sed (inquiunt) hæc omnino fuerunt facta & ordinata, ad procreationem liberorum, non quòd ita futurum fuiſſet, ſi nõ peccaſſent: ſed quia Deus præuiderat peccatum. Quaſi verò Deus inſtituerit ante peccatum, rationem propagandi humanum genus, immundam, fœdam, & quę non poſſet exerceri ſine peccato, propter futurum pręuiſum peccatum. An non eandem rationem procreandi animalia, inſtituit inter omnia animalium genera? Si illa non erat immunda, cur hanc ipſi immundam damnatis in hominibus? Annon dixit Moſes *Quæcunque fecerat Deus, erant bona valde.*

At non poteſt proles gigni ab hominibus ſine libidinis morbo, ſine inordinata voluptate Reſpondet Aug. de Ciuit. Dei lib. 14. c. 21. hoc eſſe falſum. Poſt peccatum enim ortam eſſe hanc libidinem: quæ ante peccatum nulla erat *Abſit*, inquit, *vt credamus illos coniuges in Paradiſo cõſtitutos per hanc libidinem, de qua erubeſcendo ea membra texerunt: impleturos fuiſſe, quòd in ſua benedictione Deus dixit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, &c.* Nõ caruiſſent quidem ſua voluptate: maiorem etiã, quàm poſt peccatum ſenſerunt: ſed ſine vitio, ſine peccato, quia moderata: vt optimè docet Auguſtinus etiam contra Iul. Pelagianum, & in libro de Ciuitate Dei. Exemplũ cedo mihi: putáſne hominem ſobrium, qui in cibum moderatè ſumit, & potum, minus habere voluptatis & delectationis, quàm habeat aliquis Sardanapalus, helluo, guloſus, ebrioſus? Imò maiorem. ſed honeſtam, & ſine vitio. Proinde rectè cõcludit Auguſtinus de Ciuitate Dei, libr. 14. cap. 23 *Et nec* (inquit) *eſſet nuptiis digna felicitate Paradiſi, ſi peccatum non fuiſſet. & diligendam prolem gignerent* (id eſt genuiſſent) *& pudendam libidinem non haberent.* Legantur reliqua in eodem capite, vbi ex profeſſo hanc tractat quęſtionem: & caput etiam trigeſimum quartum. Vbi multis exemplis demonſtrat mirandum non eſſe, quod ita concludit: nempe humana membra voluntati ad propagandum prolem, ſine vlla libidine ſeruire potuiſſe: ante inobedientię peccatum corruptioni quę ſupplicium. Legatur & cap. 26. eiuſdem libri, vbi huius quæſtionis explicationem eleganter abſoluit. Primò perſpicuè, certè & breuiter, totum ſtatum hominis ante peccatum deſcribit: & poſtmodum, ad hanc quæſtionem quod attinet, ſic ait: In tanta felicitate rerum, & felicitate hominum, abſit vt ſuſpicemur, non potuiſſe prolem ſeri ſine libidinis morbo, &c. Legatur idem Auguſt. Tom. 3. de Geneſ. ad literam, lib. 9. c. 10. vbi ſic concludit: *Quæ cùm ita ſint cur non credamus, primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuiſſe: ſicut cætera in quolibet opere, ſine voluptatis pruritu vtimur?* Et de hac re, plus ſatis.

QVÆSTIO IV.

Illud quoque in quæſtionem venit, quali corpore procreaſſent liberos, ſi non peccaſſent: num perfecto, perfectiſque membris prædito, & ad perfectam ſtaturam perducto, quali & ipſi Adamus & Eua formati fuerant: ita vt ſingula membra, ſuum perfectum vſum habere, vt loqui, ambulare, &c. poſſent? Mouet hanc quæſtionem Auguſt. Tom. 7. de Peccat. mer. & remiſſ. lib. 1. cap. Et ex ipſo etiam ſumpſit Magiſt. ſententiarum, lib. 2. diſt. 20.

REſpon. Omnino naſcituros fuiſſe paruulos, propter vteri materni, in quo erant cõcipiendi, anguſtiã. Nam ſic etiam reliqua animãtia, licèt omnia à Deo creata fuerint perfecta: ſuos tamẽ pullos paruulos genuiſſent, ad iſtam

ſtam quantitatem paulatim producendos. Quòd enim naſcuntur filij noſtri paruuli: hoc à peccato non eſt, cùm idem contingat aliis etiam animalibus, à condito orbe: ſed à natura eſt, quæ in rerum generatione ſemper ab imperfecto ad perfectum progreditur. Proinde primæ rerum ſubſtantiæ, ideo fuerunt omnes ſtatim perfectæ: quia non à natura productæ, ſed ab auctore naturæ Deo creatæ fuerunt. Hinc etiam patet reſponſio, ad alterum quæſtionis membrum, de vſu membrorum. Pueri mox nati, non habuiſſent vſum membrorum ad quoſlibet actus accommodatum: ſed tantùm ad actus pueritiæ congruentes: Et ſic paulatim, (vt etiam nunc fieri videmus in tota natura) ad alios actus, vſum recepiſſent. Sic definiunt Scholaſtici: additis etiam Phyſicis rationibus. Et exemplo nobis debet eſſe Chriſtus; qui licèt ſine peccato, paruulus tamen natus eſt imbecillus. Atque hæc de differentia corporum primorum parentum & liberorum, quia vt diximus, à natura eſt. Cæterùm quod attinet ad impaſſibilitatem & immortalitatem: Omnes corpora habuiſſent impaſſibilia & immortalia: quia hoc erat illis ex gratia, ſi non peccaſſent. Et nunc mors per peccatum venit in Mundum: Eſt enim ſtipendium peccati. Vnde etiam refellitur error illorum Philoſophorum, qui corpus carcerem animæ, eùmque ſimpliciter grauem eſſe voluerunt, in quo inuitus permaneat animus: quòd caro per ſe, & ſua natura, vitiorum cauſſa ſit. Sed ij facilè refelluntur ab Auguſtino de Ciuitate Dei, lib.13.cap.16.& 19. Et lib.14.cap.5. Scriptura non ait ſimpliciter, *corpus aggrauat animam*, ſed *corpus quod corrumpitur*: corrumpitur autem propter peccatum. A peccato itaque eſt, non à natura corporis, quòd aggrauat animum & cauſa ſit vitiorum: Si ſua natura corpus eſſet animę moleſtum & graue, & inſtar carceris: cur in reſurrectione, animæ ſua reſument, & quidem lubentiſſimè corpora? Legatur Auguſtinus de Ciuit. Dei, lib.13.cap.17. & 18. Si igitur homines non peccaſſent, liberos genuiſſent, corporibus à morte liberis, qualia etiam ipſi habebant: quia mors pœna tantùm peccati eſt. Cur autem qui liberantur à peccato: non etiam liberentur à morte: Legatur Aug. de Ciuit. Dei, libr. 13.cap.4.

QVÆSTIO V.

Sed quæritur etiam de qualitatibus animæ: quales animas recepiſſent infantes. De iuſtitia originali, in qua nati fuiſſent: ſuprà dictum eſt. Erat enim ea propaganda in liberos, per Dei gratiam, Quæritur ergo tum de vſu rationis, tum de ſcientia, tum de virtutibus.

Vtrum pueri nati fuiſſent tales, vt mox poſſent omnia intelligere, & ratiocinari, ſcientia ornati & omni virtutum genere præditi: ſicut fuerunt etiam parentes, ſimul ac creati fuiſſent: An verò ſicut ſtatura corporis imperfecti fuiſſent nati, vt ſuprà dictum eſt, ſic etiam paruuli ſenſu ac mente, &c.

RESpon. De vſu rationis: Non ſtatim illos habituros fuiſſe perfectum rationis vſum: ſicut habuit Adamus. Ratio: quoniam imbecilla habuiſſent corporis organa, & imbecillas partis ſenſitiuæ vires: vt dictum eſt. Perfectus autem rationis vſus in homine locum non habet, vbi illa deſunt, vel ſunt imbecilla. Illis enim organis & viribus vtitur humana mens. Prout ergo creuiſſent organa & vires ſenſitiuæ: ſic & vſus rationis, perfectior fuiſſet factus: ſicut & de Chriſto legimus, *Creſcebat ætate & ſapientia*. De ſcientia rerumque cognitione idem reſpondent. Sic enim natura comparatum eſt & inſtitutum: vt per ſenſus, rerum cognitio & ſcientia in animo acquiratur. Neque eadem erat ratio Adami & liberorum. Nam quia ille perfecto corpore creatus fuerat, & vt præter omnium, qui omnes poſſet & ſciret docere, & inſtituere: ideirco Deus eum, & omni rerum cognitione donauit: & cum perfecto rationis vſu creauit. Illud tamen fatendum eſt, illos pueros longè faciliùs, & certiùs, & perfectiùs, tum omnium rerum cognitionem comparaturos fuiſſe: tum vſum rationis habituros: quàm noſtri pueri. Multa enim caligo, & tarditas, & ſtupiditas, propter peccatum noſtros occupant animos. Nam vt optimè ſcripſit Dauid, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis, &c.* De virtutibus moralibus, idem reſponderi poteſt. Quia cum iuſtitia originali fuiſſent pueri geniti. Ideircò propenſiſſimè ad omnes virtutes nati fuiſſent. Vel (vt clariùs & meliùs loquar) radicem habuiſſent in ſe omnium virtutum, quæ erat iuſtitia originalis: ſed fructus, hoc eſt, virtutes ipſas non protuliſſent, niſi temporis ſucceſſu: vt ſicut creuiſſent ætate, ſic etiam in dies pluribus & maioribus augerentur ornarentúrque virtutibus. Eſt enim hic ordo naturæ, vt ſæpe dictum eſt: vt in omnibus, quæ gignit, progrediatur ab imperfecto ad perfectum: id quod Dominus Ieſus in ſeipſo oſtendere voluit, qui ſicut creſcebat ætate, ſic etiam creſcebat ſcientia & ſapientia coram Deo & hominibus. Neque eſt cur hic quiſpiam obganniat, nos hæc ita definire: cùm de iis nil certi tradat ſcriptura. Nam vbi deeſt vox Dei in ſcripturis: tunc audienda eſt eiuſdem vox in natura. Cùm itaque hæc non dicantur: neque contra ſcripturas, neque ſine rationibus Phyſicis, & Theologicis: reprehendi non poſſunt. Pergamus igitur.

QVÆSTIO VI.

Quærunt, ſi non peccaſſent primi homines neque eorum liberi: Vtrum omnes fuiſſent æquales corpore & animo, corporiſque & animi dotibus?

RESpon. Non: *Primò*, quoad corpus, in ſexu diſparitas fuiſſet, quia alij maſculi, alię fœminę. *Secundò*, in ętate: *Tertiò*, in forma, viribus & aliis corporis qualitatibus. Nulla eſt enim ratio, cur dici poſſit, futuros omnes æquales: ſed potiùs inæquales futuros fuiſſe. Ratio ducta à legibus naturæ comprobat. Corpus enim humanum à legibus naturæ non eximebatur, quin poſſet ab exterioribus agentibus, à cœlis, ab aëre, à cibis, commodum accipere, aut maius, aut minus: Ac proinde potuiſſent alij eſſe corpore craſſiore, alij graciliore, alij pulchriore, alij minùs pulchro. Ad animam etiam quod attinet: Homo non operabatur omnia ex neceſſitate naturæ; ſed pleraque omnia ex libero arbitrio. Potuiſſet igitur vnus magis ad ſtudia literarum, aliarúmque rerum applicare animos, quàm alius: Atque ita vnus eſſe altero doctior. Idem de aliis rebus dicendum.

QVÆSTIO VII.

Si repletus fuiſſet Mundus hominibus, fuiſſétne inter alios, aliquis dominatus: an verò alius alij non fuiſſet dominus: ſed omnes liberi?

RESpon. Dominatus bifariam accipitur: Primò, vt opponitur ſeruituti. Hoc ſanè pacto aiunt, nullum futurum fuiſſe inter homines dominatum: quia omnes fuiſſent liberi: cùm ſeruitus à peccato profecta ſit. Eſſe enim ſeruum alicuius: miſeria eſt, & pugnat cum felicitate. *Secundò*, accipitur dominium, quatenus ei opponitur ſubiectio aliqua, etſi ſit hominum liberorum. Pater enim dominium habet in liberos: non tamen vt in ſeruos: & vir in vxorem: & præceptor in diſcipulos: & denique quiſquis regit, in eos, qui reguntur. Hoc ſenſu, non pugnaſſet cùm ſtatu primorum hominum felici, quin alij futuri fuiſſent domini, alij ſubditi: imò fuiſſet talis dominatus, h.e. ordo inter homines: ad omnem euitandam ἀταξίαν & ἀναρχίαν neceſſarius. *Quæ enim ſunt, à Deo ordinata ſunt*, ait Apoſt. ad Rom.13.1. Et ſic etiam concludit Auguſt. de Ciuitate Dei, lib.19. *Iuſti* (inquit) *non dominandi cupiditate, imperant: ſed officio conſulendi.* Hoc naturalis ordo præſcribit: ita Deus homines condidit.

QVÆSTIO VIII.

Reſtat vltima: Si homines non peccaſſent, certè non fuiſſent mortui. Quid igitur de illis ad extremum factum fuiſſet? Manſiſſent-ne ſemper viui in terris: an verò migraſſent in cœlum?

RESpond. Migraſſent in cœlum ſine morte quidem: ſed non ſine aliqua immutatione, tali nimirum, quali etiam pij, qui in fine mundi ſupererunt, in aduentum Domini, hinc migrabunt in cœlum: vt Apoſtolus 1.Corinth 15.docet. Fuiſſet enim neceſſe mutare corpus animale in corpus ſpirituale, vt id Apoſt. docet 1.Corinth.15.

Hæc habui, quæ dicerem de variis rebus, ad ſtatum primi hominis ante lapſum pertinentibus, præter ea, quæ priùs, tum de corpore, tum de animo fusè diſſerueramus.

* * *

HIERONYMI ZANCHII
DE OPERIBVS DEI, PARTIS TERTIÆ, LIBER QVARTVS.

De coniugio Adami & Euæ, & deinceps.

PRÆFATIVNCVLA.

INTER opera, quę Deus intra ſex dies, ad bonum ſalutémque hominis perfecit: non poſtremum locum tenet inſtitutio ſancti coniugij: quod in Adamo & Eua inchoatum, continuatum porrò fuit, & in finem vſq; Mundi, donec tandem omnes, qui ad æternam vitam regnúmque Dei poſſidendum prędeſtinati fuerunt, per generationem creentur, & recreentur per regenerationem, ſingulari Dei beneficio, continuandum eſt. Fuit enim opus verè Deo Opt. Max. dignum, in quo, ſi in vllo alio, immenſa eius potentia, ſapientia, bonitáſque luculentiſſimè reſplendet.

De hoc itaque dicturi, illud inprimis, tanquam ſapientiſſimè dictum probamus, quod nonnulli etiam profani ſcriptū reliquerunt: *Coniugium, rem eſſe diuinam ſimul & humanam: religioſam & politicam: iuris diuini & humani.* Quæ enim Deus hac de re inſtituit: ea, omnium hominum rectè iudicantium conſenſu comprobata, & illorum etiam legibus cōfirmata fuerunt. Eſt igitur res verè diuina, & humana. Diuina quidem; tum quia inſtituta à Deo immediatè in Paradiſo inter innocentes & ſanctos, veráſque Dei imagines: tum quia typus fuit coniugij verè diuini, quod inter Chriſtum & Eccleſiam futurum erat: *Epheſ.5.* tum denique, quia inſtitutum eſt ad propagandam Eccleſiam ſanctam, & ad ſalutem cuiuſque promouendam. Nam de principio tradita fuit Eua Adæ in matrimonium, vt eſſet illi adiutorium, non ſolùm ad procreandos liberos: verùm etiam, vt eſſet ei fida ſocia, ad colendum Deum. Ac deinde ad vitandas ſcortationes, caſtitatémq; tum corporis, tum animi conſeruandam, ordinatum fuit connubium, quemadmodum Apoſtolus docet, 1.*Cor.7.* Et de muliere ait: *Seruabitur per filiorum generationem, ſi manſerit in fide, &c.* 1.*Tim.2.* Eſt enim hic ſtatus, mulieri fideli, & in fide Chriſti ac dilectione conſtanti, ad ſalutem ſuam promouendam accommodatiſſimus: dū gignit liberos, ex ſancto coniugio, dumq; eos educat in timore Domini, & in obedientia mandatorum Dei. Nam ſic etiam hunc locum interpretari poſſumus, cum Patribus & aliis doctis viris. Eſt igitur matrimonium res diuina: & ad regnum Dei, in hac vita pertinens. Eſt etiā humana & politica: partim quia maximè propter hanc præſentem vitam, humaniq; generis conſeruationem & politiam inſtitutum eſt: ac proinde in Cœlo neq; nubent, neq; ducent vxores, ſed erimus ſicut Angeli Dei: partim etiā, quia ab humanis legibus, ſed cum verbo Dei nō pugnantibus, magna ex parte dependet: prout cuiq; ſcilicet Genti magis commodū & vtile eſt, atq; honeſtum iudicatur.

Hinc fit, vt quomodo contrahendum ſit coniugium, quale eſſe debeat & quomodo conſeruandum: diſcendum hoc ſit nobis, primò quidem ex verbo Dei: & deinde etiam ex Iure Ciuili. Eſt enim de iure naturæ: quo fit, vt tam multæ, hæq; honeſtiſſimæ apud Gentes etiam, de coniugio leges reperiātur: ſicut in iure Ciuili videre eſt. Doctrina itaque de Coniugio, poſt ſacras literas, eruenda etiā eſt ex iure Ciuili: quatenus ſcilicet non pugnat cum lege diuina. De Iure Canonico nihil dico: licèt multa ibi bona tradantur, præſertim quæ ſunt ex Patribus collecta: Ibidem tamen etiam non pauca ſummam continent impietatem. Verùm ego quicquid inde boni colligi poterit, ad confirmandam ſanam doctrinam, illud non prætermittam.

Tractatum eſt de hoc argumento, in Decretis: tum in Diſtinctionibus, tum in Cauſſis.

Item in Decretalibus, lib.4. per 21. Titulos, vt vocant.

Item in ſexto, vt appellant, lib.4. Titulis tribus. Et de Clericis coniugatis lib.3. Tit.2.

Item Sent. lib.4. à diſt.26. vſque ad diſtinctionem 43.

II. Cæterùm, vt ad ſacras literas, vnde maximè petenda eſt hæc doctrina, redeam: notandum eſt diſcrimen quoddam inter ea, quæ habemus de coniugio in veteri: & quæ in nouo Teſtamento. Quæ in nouo, omnia æterna ſunt, & immutabilia ad finem vſq; ſeculi. Proinde regula nobis eſſe debent omnis veritatis: & ad ea etiam, quæ in veteri habemus, rectè intelligenda, debent nobis, quæ in nouo traduntur, certa eſſe norma & interpretatio. Sicut Chriſtus docet, cum Matt. 19. legem de repudio interpretatur: reuocans doctrinam de coniugio, ad primam Inſtitutionem. Quæ verò in veteri traduntur Teſtamento: ea ſecantur in *leges*, & in *exempla*. Ab exemplis certam doctrinam colligere non poſſumus: quia multa à Patribus illis, & poſt, & maximè ante Moſen geſta ſunt: quæ aut ad tempus tantùm conceſſa fuerunt à Deo: vt quod primi fratres ducerent ſorores vxores: (hoc enim fuerat neceſſe, cùm nullæ aliæ mulieres eſſent in Mundo.) aut probari nullo modo poſſunt: vt quòd Iacob duas acceperit vxores, & eas quidem ſorores: vt quòd ſoliti eſſent multi præter coniuges habere etiam concubinas: vt quòd nonnulli cum idololatris connubia contraxerint: vt quòd aliqui, inconſultis parentibus, vxores duxerint: & id genus alia. Itaque ad doctrinam de coniugio confirmandam, vtendum non eſt exemplis, niſi quatenus conſentanea ſunt cum prima inſtitutione, & cum lege Dei perpetua, atque naturæ.

Legum verò aliæ ſunt naturæ, eoq; omnibus gentibus communes: vti ſunt leges quas tradit Leuit.18. de non retegenda turpitudine patris aut matris. Hęc enim de principio Mundi fuit tradita, quum dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* Non licuit ergo vnquam coniugium inter parentes & liberos. Item de non ducenda ſorore, vxore fratris: & aliis prohibitis ibi conſanguinitatis & affinitatis gradibus: Damnantur enim gentes, quæ hæc fecerant; eóque ibi docet Deus, leges illas naturales eſſe, ſuaſit, natura honeſtas.

Aliæ fuerunt politicæ, & illius populi propriæ. Inter quas etiam diſcrimen faciendū eſt. Quia aliæ datæ ſunt, non quòd per ſe probari poſſent, ſed alterius rei reſpectu: nimirum, aut conſeruandarum familiarum in populo Iſraëlitico; aut alicuius maioris mali vitandi gratia. Exemplum primi, eſt lex Deut.25. de ducenda demortui fratris abſque liberis vxore, vt ex illa ſuſcitaretur defuncto ſemen. Fuit enim ſpeciale priuilegium illis in hoc caſu conceſſum, cuius tamen rei exemplum etiam eſt Geneſ.38. Exemplum ſecundi, eſt lex de dando repudij libello: quavis de cauſſa. Ad duritiem enim cordis populi Iſraëlitici, factum hoc fuiſſe affirmat Chriſtus: non quòd cum iuſtitia Dei conſentaneum eſſet. Hę certè leges in Eccleſia Dei locum habere non debent.

Aliæ ſunt per ſe honeſtæ, & quæ vtiles eſſe poſſunt aliis, etiam præter Iudæos, Gentibus: vt lex, qua cauebatur, ne vir priori anno, quo vxorem duxiſſet, ad bellum iret, ſed domi cū ſua noua vxore maneret. Honeſtiſſima erat hęc lex & reipub. vtilis. Proinde licèt peculiaris fuerit illius populi: tamen ſi Princeps aliquis eam vellet ſancire ſuo populo, quis eum reprehendere poſſet? Idem de aliis ſimilibus legibus dicendū eſt. Quæ enim reſpub. fuit vnquam melioribus, honeſtioribus, vtilioribúſque legibus conſtituta, atque fuit Iſraëlitica?

Nunc tenemus primum fontem, vnde doctrina de coniugio, ſicut & de aliis rebus, petenda eſt: & quomodo id fieri debeat.

2. Alter fons eſt Ius Ciuile, & cuiuſq; populi leges, receptæque conſuetudines: Verùm neq; hoc ſimpliciter; ſed quatenus non pugnant cum prima inſtitutione, lege naturæ, & cum doctrina Apoſtolica. Chriſtus enim, ſicut nos ex gentibus, non obſtrinxit legibus Iſraëlitarum politicis: ſic neque abrogauit leges gentium, quæ cum lege naturæ non pugnant. Itaq; poſt verbum Dei, ſequendæ ſunt cuiuſque gentis ac populi leges ac conſtitutiones, quæ (vt dictum eſt,) non ſunt diſſentaneæ à verbo Dei, doctrinaque Apoſtolica.

Ac certum eſt, multa præclarè tradita fuiſſe de coniugiis in Iure Ciuili, tam in Pandectis, quàm in Codice, Authenticis &

ticis & Inſtitutionibus: eáque multò honeſtiora, quàm ferè, quæ in Iure Canonico habentur.

Cæterùm inficiari etiam non poſſumus, quin in iure Ciuili, non pauca ſint, quę cum naturali honeſtate, & cum doctrina Chriſti non conſentiunt: vt quod concedunt concubinas: vt quod præter adulterium, & deſertionem, multis etiam aliis de cauſſis, iiſque leuibus, diuortia concedunt: & id genus alia. Quare hæ quoq; leges non ſimpliciter admittendę ſunt in Eccleſia: ſed eatenus tantùm, quatenus examinatæ ad lapidem Lydium doctrinæ Chriſtianæ ac Apoſtolicæ, nullam cum ea habere pugnantiam deprehenſæ fuerint.

3. Rurſus tertio loco, licèt quàm plurima impia & iniqua legamus in Iure Pontificio, tam in Decretis, quàm in Decretalibus; tamen nonnulla etiam honeſtiora, & cum verbo Dei magis conſentanea habemus in his, quàm in Iure Ciuili, vt manifeſtum eſt. Concubinatum certè (vt pleriq; omnes docti viri ſentiunt) damnant, & ſimplicem fornicationem: cùm Ius Ciuile, vt liquet tum aliàs, tum in D.l.3.§.1. vnum concedat: alterum non damnet. Non me tamen latet, quid de concubinatu diuerſum è Iuſtiniano peculiariter ſcriptum reliquerit Leo. Nouel 91. Proinde videmus opus nobis eſſe illa Apoſtolica regula: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Omnia autem probanda ſunt, & examinanda ad certum ac perpetuum Dei verbum.

III. Porrò locus iſte de matrimonio, non minùs cognitu neceſſarius eſt, quàm ad explicandum difficilis. Neceſſitas inde patet: quòd quotidie in Eccleſia celebrantur nuptiæ, de quibus multi occurrunt caſus, & variæ proponuntur quæſtiones, quas certè ignorare docti Theologi non eſt, nec boni paſtoris.

Difficultas autem inde ſequitur, quòd tam multa, támque diuerſa videmus hac de re ſcripta fuiſſe, tum à Theologis, tũ à Iuriſperitis, tum denique à Canonum profeſſoribus, quos barbarè *Canoniſtas* vulgò appellant: vt vix quid ſibi ipſi velint, intelligas. Ergo quia neceſſaria eſt huius loci cognitio: Idcirco reprehendere me iure poteſt nemo, quòd hunc locum explicandum ſuſceperim. Quia verò difficilis, dabo operam, vt tum multarum ſuperuacanearum quæſtionum reſectione, tum perſpicua neceſſariarum explicatione, tum denique accommodata methodo; omnia reddam facilia. Ac quæ extra controuerſiam ſunt, ea quàm breuiſſimè perſtringam. Quæ verò controuerſia non carent: ea non tam explicabo ipſe, quàm vbi, & à quibus fuſiùs declarentur, indicabo: vt hac etiam ratione breuitati conſulamus.

Diſtinguo autem & ſeco hunc locum in tres tractatus, quibus omnia, quæ ad coniugium pertinent, initia, media, & fines continentur.

Primus tractatus erit *de ſponſalibus*, quòd hæc ſint initia matrimonij.

Alter *de nuptiis*, ſeu de ipſo matrimonio, eiúſque conſeruatione ac fructibus annexis.

Poſtremus erit *de matrimonij diſſolutione, eòque de diuortiis*. Horum quiſq; ſuas habebit proprias quęſtiones. Nunc ad rē.

CAPVT PRIMVM,

DE SPONSALIBVS.

DIcturo de ſponſalibus, primò explicandum eſt nomē, & quid ſint, ac quotuplicia. Deinde cauſę propter quas inſtituta ſunt, & quā ob rem certū temporis interuallum, inter ipſa & nuptias poſitū eſt. Ad hæc, de ipſorum etiam ſponſalium celebratione ac benedictione dicendum aliquid fuerit. Ac tum deniq; explicandæ erunt quæſtiones nonnullæ, ad ſponſalia pertinentes.

Ad primum quod attinet: Verbum *ſpondendi, & deſpondendi*, vnde *ſponſalia* dicta ſunt: tam in ſacris literis habemus, quàm in Iure Ciuili, & Canonico: Proinde ſponſalium etiam nomen receptum eſt in Eccleſia. Sic autem definiuntur ab omnibus.

THESIS I.

Sponſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarū.

EXPLICATIO.

SIc ad verbū definiūtur. Pand. ſeu Dig. Tom.1.lib.23 tit.1. De ſponſalibus L.1. *Mentionis nomen ponitur propter eum, qui ſtipulatur. Repromiſſio propter alteram partem, quæ ſpondet.* Ideo ſubditur L.2. & 3. *Sponſalia autem dicta ſunt à ſpondendo. Nam mos fuit veteribus ſtipulari & ſpondere ſibi vxores futuras. Vnde & ſponſi ſponſæque appellatio nata eſt.* Hæc ibi.

Sic etiam definiuntur in Decr.C.30.q.5.C.Noſtrates. *Sponſalia fœdera, futurarum ſunt nuptiarum promiſſio.*

Summa hæc eſt: Qui vxorem ducturus erat, is ab eo, vnde ducenda erat, illam ſibi in matrimonium datum iri ſtipulabatur: & qui nuptum daturus erat, id ſpondebat. Is contractus ſtipulationum & ſponſionum appellabatur, *Sponſalia*. Gell.4. c.4. Varro lib.5. de ling. Lat. Plaut. in Trinummo.

THESIS II.

Duo autem ſunt ſponſalium genera: vnum, per verba de futuro: alterum per verba de præſenti, vt loquuntur, conceptum.

EXPLICATIO.

SIc noſtri diſtinguunt: quia aliud eſt promittere & dicere, *Ego te accipiam in matrimonium, & ſic ſpondeo:* ſiue id purè promittas, ſiue addita conditione: Et aliud eſt, dicere: *Ego te mihi deſpondeo, aut accipio vxorem.* Primum genus non contrahit matrimonium, ſed ibi, futurum duntaxat promittitur: Ac proinde libertas quædam relinquitur ſponſo & ſponſæ, recedendi à contractu & promiſſione, ſi ita vtrique placeat. Et talia erāt propriè *ſponſalia* apud veteres, de quibus in Pandectis & veteri iure. Simplices enim erant ſponſiones, adhibita ſtipulatione de accipienda vxore: quibus non ita obſtringebantur, quin ex communi conſenſu recedere poſſent à promiſſione & contractu: vt ex *Co.lib.5.tit.1.de ſponſalibus* liquet. Sed inuita altera parte, non ſine graui pœna id fiebat: vt patet *L.Mulier, ff.de ſponſalibus.*

Et huius etiam generis ſponſalia ſunt illa, quibus nonnunquam per parentes promittuntur liberi impuberes in matrimonium. Si enim tales pueri, adultiores effecti, non conſentiant, ſponſalia illa nulla ſunt. Vnde etiā fit, vt ſi quis promiſerit vni coniugium per verba de futuro, & nihil aliud acceſſerit. Et poſtea alij promittat per verba de præſenti: *Ego te accipio vxorem*, priori non teneatur, ſed alteri. Nā in ſpōſalibus, quæ verba de præſenti fiunt, inchoatur coniugium, ſi id legitimè contrahi poſſit. Tunc enim præſens & actualis conſenſus partium, efficit matrimonium. Proinde qui ita contraxerunt, *coniuges vxores & mariti* iam appellantur, etiamſi nondū ſint celebratæ nuptię. Liquet hoc in ſacris literis. Deut.22. v.24. *Cùm fuerit puella virgo deſponſata viro, & inuenerit eam aliquis in vrbe, &c. Iubet ibi Deus compreſſorem virginis illius deſponſatæ interfici.* Quamobrem? *Quia* (inquit) *afflixit vxorem proximi ſui.* En quo pacto deſponſam, vocet vxorem eius, cui deſponſa eſt. Sic Matt.1. Angelus ait Ioſepho de Maria, quæ tantùm illi fuerat deſponſa: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Sic Gen.19. Sponſi filiarum Loth, quæ virgines erant, & tantùm deſponſæ *generi* vocantur. Obſeruantur hæc etiam in *Dec.C.22.q.2.cap.omne ex deſponſatum: c.priuſquam.*

Proinde talia ſponſalia, quæ fiunt per verba de præſenti, non poſſunt ita reſcindi, ſicut prioris generis ſponſiones. ſed tantùm cùm apparuerit, ipſo iure fuiſſe nulla. Atque vt quod ſentio, dicam, non obſeruaui in ſacris literis aliud genus ſponſalium, quàm illud, quod fit per verbum de præſenti, & quo inchoatur coniugium: ac proinde fit, vt ſponſi & ſponſæ, coniuges iam, mariti, & vxores appellentur: ſicut ex exemplo Ioſephi & Mariæ conſtat: & ex loco Deuteron.22. apertè liquet. Sic locus quoque docet, qui eſt in 2.Sam.c.3. collatus cum cap.18.lib.1. Quòd ſi aliquando fortè reperiatur vox iſta pro ſponſalibus de futuro: illud perraro fuerit. Atque hæc de nomine ſponſalium; déque duplici eorum genere.

THESIS III.

Porrò cauſſæ inſtitutorum ſponſalium, & cur inter ipſa & nuptiarum celebrationem interuallum ſit certum temporis ſpatium: puta menſis aut amplius, tres potiſſimum fuerunt.

EXPLICATIO.

VNa, vt coniunctio animorum priùs inter ipſos ſponſos confirmetur & ſtabiliatur, quam corpore coniungantur: Et ad ſuum quiſque officium diligenter in timore Dei faciendum, ſeſe priùs præparet, quàm ad celebrationem nuptiarum, à quibus recedere amplius fas non ſit, veniat. Solet enim Deus in ſuis electis, à ſe ad ſacrum coniugium vocatis, intra tempus ſponſalium, & nuptiarum, mirabiliter operari, & ſuo Spiritu, illorum animos ad mutuum amorem accendere: & vt obfirmatis animis in ſacro

propoſito, ſanctiùs & firmiùs inter ipſos coniugium deinceps conſeruetur. Proinde dicitur Deus ipſos coniungere. Matt.19. adde quòd & ipſi ea occaſione ad preces excitantur, quibus orant Deum, efficiat pro ſua benignitate, vt fauſtum & felix ſit ipſorum coniugium, eique benedicat.

Atque hanc credo fuiſſe cauſſam, cur etiam voluerit Adamum & Euam, iam coniuges effectos, ſpatio tamen aliquo temporis in paradiſo permanere, antequam carnali copula coniungerentur. Erant enim priùs confirmandi ipſorum animi, & ſancto amore inter ſe coniungendi: Erat agnoſcendum hoc beneficium, & gratiæ agendæ: Erant inſtituendi in religione, in vero Dei cultu, in obedientia, & denique in ſuo quiſque officio: Ac tum demum ad procreationem liberorum accedendum. Hæc eſt prima cauſa.

Altera eſt, vt per iſtud temporis interuallum, ſi quid fortaſſe iuſtæ cauſſæ, propter quam inchoatum coniugium conſummari perficique non poſſit, illud retegatur & tempeſtiuè cognoſcatur: Ac quod ipſo iure nullum eſſe coniugium iudicabitur, illud vlterius non promoueatur, dum adhuc res ſunt integræ. Nam conſummato matrimonio, res porrò in integrum reſtitui non poteſt. Hanc ob cauſſam pernecesſaria fuit ſponſalium ante nuptias, per aliquod temporis interuallum, inſtitutio. In re enim tanti momenti, nihil temerè & præcipitanter agendum eſt, cuius paulò pòſt te oporteat pœnitere.

Tertia, eſt honeſtas naturalis. Laude enim & honore dignum non eſt, quòd, ſimul ac ſponſiones factæ ſunt, ſtatim homines more beſtiarum, quò ſenſus propellunt, eò procurrant, & furenter agantur. Optima igitur & laudabilis eſt conſuetudo, quæ in Eccleſia, Dei beneficio, durat, nempe vt primò celebrentur ſponſalia, & ea per tres aut plures ſeptimanas publicentur toti Eccleſiæ, cum denunciatione, vt ſi quis quid habeat aduerſus factas ſponſiones, illud in tempore ſignificet. Semper autem, etiam in populo Dei aliquod temporis interuallum inter ſponſalia & celebrationem nuptiarum interceſſiſſe, nihil eſt certius. Omitto multa exempla, quæ recitare poſſem. Certè Loth deſponderat filias certis viris, qui apud ipſum erant, quum venerunt ad ipſum Angeli: eóſque vocabat *generos*, cùm tamen nondum cognouiſſent ſuas ſpõſas. Tempus ergo interceſſit inter ſponſalia & nuptias. Sed quid clariùs eſt exemplo Ioſephi & Mariæ? Quo tempore deſponſa erat Ioſepho, & Ioſephus eam non cognouerat: per illud temporis ſpatium, illa fuit per Angelum ſalutata, concepit è Spiritu ſancto & geſtauit vterum. Ita, vt Ioſephus euidenter iſtud obſeruauerit. Septimanas ergo aliquot perdurarunt ſponſalia inter illos.

Cæterùm quantum ſoliti fuerint temporis ſpatium interponere, nihil certi habemus. Proinde in arbitrio cuiuſqi gentis poſitum eſt. Dicerem hac de re meam ſententiam, quam ex ſponſalibus Mariæ & Ioſephi ſumo; ſed nolo conſuetudines immutari.

THESIS IV.

Celebranda porrò ſunt & benedicenda ſponſalia, ex verbo Dei & Eccleſiarum conſuetudine.

Est hoc non ſolùm honeſtum, verùm etiam neceſſarium: tum quia res tanti momenti fieri non debet, niſi maxima cum honeſtate & grauitate, in nomine Domini, qui ſancto inſtituto benedicat, & coram Eccleſia, quæ iſtarum ſponſalium, pactionum & promiſſionum ſit teſtis: tum vt hac ratione omnis calumniandi occaſio tollatur, cùm celebratæ ſint in Domino: Et ſimul etiam firmiores ſint pactiones, omni tergiuerſandi & altercandi occaſione ſublata: Et omnia clandeſtina tam ſponſalia, quàm matrimonia, apud omnes improbentur.

Ritus autem celebrandi ſponſalia, ſicut & nuptias, cùm in verbo Dei apertè non præſcribantur; petendi ſunt ex conſuetudinibus & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quæ nihil cũ verbo Dei pugnans contineant. Ac de nominis ſignificatione & notatione, déque duplici ſponſalium genere, cauſis interiecti temporis; & eorum celebratione, ſatis: quantum ſcilicet ad ſimplicem & ſummariam harum rerum cognitionem attinet. Quæ maiorem requirunt cognitionem; ea in quæſtionibus explicabuntur.

II. Venio itaque ad quæſtiones: quarum aliæ ſumuntur à perſona, quæ contrahit; aliæ à perſona cum qua contrahitur; aliæ denique ab ipſo matrimonij contractu, ſeu ab ipſis ſponſalibus.

Prima itaque quæſtio eſt. Quibúſnam liceat matrimonium contrahere: vtrum nemini, vtrum omnibus: An vtrum aliis liceat, aliis non liceat.

Principio non defuerunt, qui coniugium, tanquam rem immundam, & per ſe illicitam, ſimpliciter in omnibus improbarint: & omnes eos peccare docuerint, qui nuptiarum fœdera inter ſe iungunt. Huius nimis craſſæ hæreſeos primus autor de Hieronymi ſententia fuiſſe videtur Marcion. Sic enim Tom.2. in initio Apologiæ ad Pammachiũ, pro lib. aduerſus Iouinianum, in hæc ſcribit verba: *Neque verò nos Marcionis & Manichæi dogma ſectantes, nuptiis detrahimus: neque Tatiani errore decepti, omnem coitum, ſpurcum putamus, &c.* Alij tamen Tatianum hunc, qui diſcipulus fuiſſe legitur Iuſtini Martyris, & à quo *Encratitæ* originem ſumpſerũt, primum auctorem huius erroris eſſe voluerunt. Manichæi porrò, Adamiani, Aeriani, & (vt nonnulli volunt) Priſcillianiſtæ, errorem hunc tutati ſunt. Sed annon & Syricius Papa in eodem errore fuiſſe videtur, quum de coniugatis loquens, & Apoſtoli verbis abutens, dixit, *Eos qui ſunt in carne*, id eſt, in matrimonio, *Deo placere non poſſe?* Sed hic error facilè olim fuit refutatus, & ex Eccleſia profligatus. Chriſtus enim ſua præſentia in Cana Galileæ, *Iohan.2.* Imò & diſertis verbis, citans & adducens coniugij inſtitutionem, & dicens: *Quod Deus coniungit, homo non ſeparet*, *Matth.19.* illas manifeſtè comprobauit: Si Deus coniungit, quomodo propter iſtam coniunctionem peccant, qui à Deo coniunguntur? Et Apoſtolus 1.*Cor 7* ait: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere:* Et iterum: *Si acceperis vxorem, non peccaſti:* Et, *ſi nupſerit virgo, non peccat* Et ad Hebr.13. ait: *Connubium inter quoſuis honorabile erit, & torus immaculatus.* Imò in priore ad Tim.4 qui prohibent nuptias, eos vocat mendaces, ait defeciſſe à fide, eſſe hypocritas, attendere ſpiritibus erroris, & eorum doctrinam, doctrinam eſſe dæmoniorum.

Multa aduerſus hanc hæreſin ſcripta fuerunt à Patribus: Et in primis ab Auguſtino libr. de bono coniugali. Item ex profeſſo. T.7. libris duobus de nuptiis & concupiſcentia. In ipſo etiam Decreto, multa ex Patribus & Conciliis aduerſus hunc errorem citantur, præſertim *diſt.30. & 31 c.7.*

Decretum Cõcilij Gangrenſis citatur & probatur, quod ſic habet: *Si quis vituperet nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem & religioſam deteſtatur, aut culpabilem æſtimat, velut quæ regnum Dei introire non poſſit: anathema ſit.* Itaque non eſt, vt in huius erroris refutatione immoremur.

2. Alij itaque ſenſerunt, fideles quidem non peccare, ſi matrimonio iungantur: ſed infideles omnino: Imò nullum inter ipſos eſſe coniugium.

Rationes afferunt. Primã: Quia Apoſtolus ait: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. coniunctio cum infideli, non eſt ex fide.

Auguſtinus Tom.6. de adulterinis coniugiis, lib.1.c.18. *Non poteſt* (inquit) *vera pudicitia eſſe hominis infidelis cum coniuge ſua.* Quia Apoſtolus ait: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Hæc Auguſt. Vbi autem vera pudicitia non eſt, ibi nec verum coniugium. *Coniugium enim verum, honorabile eſt inter omnes, ac torus immaculatus.*

Accedit: Quòd connubium inter ſanctos Adamum & Euam in Paradiſo fuit inſtitutum. Ad infideles igitur non pertinet, ſed tantùm ad ſanctos.

Reſp. Sed facilè refellitur hic error. *Primò*: Quod inſtituit Deus in Paradiſo, pro toto humano genere inſtituit: Et præceptum illud: *Creſcite & multiplicamini*, non ad ſolos Adamum & Euam, ſed ad poſteros quoque pertinebat. Tum etiam quod dixit Deus ad Adamum: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* non de ſolis piis, ſed de quouis homine dictum eſt. Non enim ait, *Propter hoc relinquet homo pius*, quaſi impios excludat: ſed ſimpliciter, *Homo*. Quicunque igitur homo eſt, vxorem ducere poteſt. Ideo tam verum connubium fuit poſt factum, quàm antè inter Adamum & Euam. Et tam inter Cain impium, vxorémque eius, quàm inter Seth ſanctum, vxorémque eius, ſicut Scriptura manifeſtè docet, quum de illis loquitur.

Deinde, ſi verum & legitimum connubium inter infideles non eſſet, Apoſtolus in 1. ad Corinth. 7. de duobus loquens, qui in ſtatu infidelitatis iuncti fuerunt matrimonio, quorum alter poſtea fidelis ſit factus, alter verò manſerit infidelis: Apoſtolus, inquam, de his non dixiſſet: *Si infidelis mulier vult habitare cum viro fideli, eam non dimittat.* ſed iuſſiſſet diſſoluere coniugium, tanquam non legitimum. Nouerat ergo Apoſtolus etiam inter infideles verum & legitimum conſiſtere coniugium.

Sed quid iſto Apoſtoli dicto clariùs ad Hebr.13. *Honorabile connubium in omnibus* ſeu inter quoſuis. *& torus immaculatus?* Inter quoſuis inquit: *Ergo etiam inter infideles.*

Sic etiam concludunt Patres, Auguſtinus & alij, ſicut multis autoribus allatis demonſtrat Gratianus *in Decreto, C.28.q.1.* Vide etiam diſtinct. 26. can.3. Deinde. Ibi optimè

Innocen-

Innocentius. Idem concluſum fuit à Magiſt. Sent. *lib. 4. diſtinction. 39.* cui omnes Scholaſtici ſubſcribunt.

Ad id quod obiiciunt ex Apoſtolo ad Roman. *Omne quod non eſt ex fide, &c.* facilis eſt reſponſio. Omitto quòd immediatè loquitur de eo, quod fit contra conſcientiam: quia tamen vera eſt generalis illa propoſitio, diſtinguendum eſt inter opera à Deo inſtituta, quæ infideles faciunt: & inter modum atque animum: quo illa faciunt. Opera per ſe, & quatenus à Deo inſtituta ſunt, bona & laudabilia ſunt: Animus verò, & cor, vnde illa proficiſcuntur, quia fide purificatum non eſt, omnia infidelium inficit opera. Sic Apoſtolus alibi ad Tit. docet, dicens: *Omnia munda mundis. Infidelibus autem nihil eſt mundum, ſed inquinata eſt illorum mens & conſcientia.* Hæc cauſſa eſt, cur dicat: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Connubium igitur inter infideles: ſi legitimè fiat, hoc eſt, ex Domini inſtitutione, & legibus naturæ, verum eſt connubium per ſe, & ſua natura honorabile & immaculatum. Sed ex accidenti, quia non eſt ex fide, neque ex animo contrahitur puro & ſancto, immundum fit: quemadmodum & reliqua opera impiorum omnia.

Proinde non peccant infideles, quòd matrimonia contrahant: ſed quia non ſanctè & in Domino (vt loquitur Apoſtolus) contrahunt: ſeu non ideo damnantur, quia, quod Dominus inſtituit, faciunt: ſed quia non eo modo, quo fieri vult, faciunt. Quare ipſorum connubia, vera & legitima ſunt connubia (modò, vt dixi, fiant ex legibus:) ſed non ſunt ſancta, quia non ſanctè, nec in Domino fiunt: idque quia perſonæ ſanctæ non ſunt. Ideo Apoſtolus, *Si poſtea alter coniugum fiat fidelis, & ſanctus*, ait, *etiam infidelem partem ſanctificari per fidelem*, 1. Cor. 7.

Ita reſponſum etiam eſt ad dictum Auguſtini ex libr. de adulterinis coniugiis. Ideo enim in infidelibus, neque pudicitia, neq; vlla alia virtus, vera virtus eſt, quia fide carent, & omnia ipſis ſunt immunda, propter animum immundum. Sed hoc eſt ex accidenti: non autem, quòd illorum facta, conſentanea cum lege naturæ, puta reddere vnicuique quod ſuum eſt, abſtinere ab alieno toro, & id genus alia, per ſe non ſint actiones virtutum, & laudabiles.

Quòd verò coniugium de principio inſtitutũ fuerit inter ſanctum Adamum & Euam, id non efficit, quin etiam infideles legitimè poſſint coniugio copulari. Annon etiam iiſdem ſanctis dictum fuit: *Ecce do vobis omnem herbam ad veſcendum.* Item: *Dominamini piſcibus maris?* Num igitur non licet infidelibus, veſci herbis, capere piſces? Sicut ergo hæc infidelibus licent: ſic etiam iungi matrimonio illis non eſt prohibitum. Quanquam in omnibus ſuis actionibus ſemper peccent, quatenus ſcilicet eas non eo modo, & animo præſtant, quo præſtare deberent. Ac de coniugio infidelium ſatis.

3. Sunt itaque alij qui concedunt, connubium ex legibus contractum, verum & legitimum eſſe inter quoſuis, tam infideles, quàm fideles, ac neutris illud prohiberi: ſed tamẽ volunt, illud eſſe quoddam malum, quod maioris mali euitandi, nempe fornicationis gratia, ſit à Domino conceſſum: eſſe itaque peccatum quoddam, tam in fidelibus, quàm in infidelibus: Verùm hoc diſcrimine admiſſo, quòd peccatum hoc fidelibus remittitur, propter fidem ex qua contrahitur & conſummatur: infidelibus autem non remittatur.

Hoc verò ideo ſentiunt, quòd perſuaſi ſunt, beneuolentiam coniugalem, (vt vocat Apoſtolus) non carere labe peccati propter voluptatem.

Huius ſententiæ videtur fuiſſe Tertullianus in lib. de Monogamia. In ipſo enim initio libri ex dicto Apoſtoli ad Corinthios: *Bonum eſt homini matrimonium non contrahere:* Infert, Malum ergo eſt contrahere. Et nomine mali, non intelligit incommodum, ſed peccatum, & rem inhoneſtam.

Eundem ſecutus Hieronymus tom. 2. aduerſus Iouinianum libro 1. eodem vſus eſt argumento, ad idem probandum.

Gregorius quoque primus, tom. 1. in Paſtorali, parte 3. Admonitione 28. idem docuit, ex Apoſtolo perperam intellecto. Sic enim ſcribit in illa verba Apoſtoli: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium. Culpa* (inquit Gregorius) *eſſe innuitur, quod indulgeri prohibetur: ſed quæ tantò citiùs relaxetur, quantò non per hanc illicitum quid agitur: ſed hoc quod eſt licitum ſub moderamine non tenetur.* (*continetur*, legendum puto) Et in Decr. diſtinct. 13. can. 4. citatur alius locus, eiuſdem Gregorij, vbi eundem Apoſtoli locum interpretans, ait: *Non enim ſine vitio eſt, quod ignoſcitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit: ſed quòd poſſit indulgeri, prævidit.*

Clariùs etiam explicat ſuam ſententiam idem Gregorius alio in loco, vt citatur C. 33. q. 4. *can. 7. Vir, &c.*

Ad ſummam; ſententia fuit multorum Patrum, coniugium, quanquam omnibus ſit licitum, & à Domino conceſſum, non carere tamen culpa, & peccato, propter vſum, carniſque voluptatem: ſed tale eſſe peccatum, quod ſtatim fidelibus condonetur.

In primis autem Hieronymus, hac in parte vehementiſſimus fuit, qui, vt virginitatem & cœlibatum commendaret, matrimonio, quantum poterat, reipſa detrahebat, licèt verbis negaret, ſicut videre eſt in *lib. aduerſus Iouinianum primo:* Et ſicut etiam indicarunt, imò perſpexerunt fratres, qui tum Romæ erant lecto Hieronymi libro: vt ipſe docet in *Apologia ad Pammachium*.

Ad omnia Hieronymi argumenta, quæ numero fuerunt 56. vt Th. B. obſeruauit; reſpondit idem vir clariſſimus & piè & doctè: in altera ſuorum opuſculorum parte, in *libro de Polygamia, à pag. 14. vſque ad* 27. Et ſimul etiam refutauit exceptiones, quas attulerat Hieronymus ad argumenta Iouiniani pro coniugio. Eò itaque Lectorem remitto. Neque enim volo actum agere, præſertim cùm multa etiam ex illis argumentis affectantur aduerſus coniugium miniſtrorum, ad quorum aliquot breuiter mihi erit reſpondendum. In præſentia quo breuis explicatio habeatur huius quæſtionis, hoc duntaxat dico.

Diſtinguendum eſſe coniugium, legitimúmque eius vſum & abuſum. Si de coniugio in ſe ſermo eſt, déque legitimo illius vſu: Ego non video vllam rationem, cur dici debeat vel peccatum ſeu malum eſſe, vel culpa non carere: ac proinde minùs malum, permiſſum fuiſſe; maioris mali, fornicationis ſcilicet & aliorum ſcelerum euitandorum cauſſa. Quomodo iſta poſſunt ſine contumelia in eius auctorem Deum? Quomodo peccatum eſt vllo modo vxorem ducere vel nubere? Cùm Apoſtolus apertè in eodem c. ad Cor dicat: *Quòd ſi duxeris vxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit?* Et infrà, *Itaque*, inquit, *qui dat nuptum, rectè facit: qui verò non dat, meliùs* (id eſt commodiùs & vtiliùs) *facit.* Quomodo malum eſt, cùm hoc præcipiat illis, qui ſe continere non poſſunt? Neque enim præcipitur peccatum vllum, quamuis minimum, vt maius vitetur.

Etſi honorabile eſt coniugium, vt ait Apoſtolus, nihil igitur in eo eſt, quod improbari queat.

Ac ſi vſus coniugij per ſe aliquo modo immundus eſt, & culpa non caret: quomodo ergo Apoſtolus ait ad Hebr. torum eſſe immaculatum? De vſu certè loquitur. Quomodo etiam præcipit, vt vxori vir debitam reddat εὔνοιαν, & ſimiliter vxor viro? Debitam, inquit, beneuolentiam reddat. Itáne illi peccare dicetur, qui Deo obtemperat, & animo obtemperandi, quod iubetur, efficit? Nam neque omnis carnis voluptas peccatum eſt, nempe quam Deus concedit, ac naturalis eſt. Sicut etiam de Adamo & Eua, déque eius liberis, etiamſi non peccaſſent, ſuprà ex Auguſtino demonſtrauimus: vt reuera falſi fuerint illi Patres, qui hanc ob cauſſam iudicarunt, coniugalem vſum non carere fœditate, & culpa. Contrà certè pronunciauit Paphnutius in *Concil. Niceno:* cui tandem omnes aſſenſi fuerunt. Nam de hac re, de vſu ſcilicet coniugis, quæſtio fuerat propoſita.

Itaque neque vſus coniugij legitimus, neque huius cauſa, coniugium ipſum culpari vllo modo poteſt.

Quòd ſi de abuſu aliquo ſermo habeatur, coniugium ipſum extra culpam eſt: illáque hæret tota in abutente. Ac fatemur etiam, tantam eſſe naturæ noſtræ corruptionem, vt cùm etiam mandatum Dei obſeruare ſtudemus, ibi ſemper aliquo modo delinquamus. Ac proinde in vſu etiam matrimonij, aliquam ferè inueniri ἀταξίαν, atque abuſum. Sed hoc eſt ex accidenti. Quare ſi hoc ſpectarunt Patres, & hanc ob cauſſam illa ſcripſerunt aduerſus matrimonium, quæ ſuprà vidimus, iniuriam fecerunt coniugio, quod extra omnem eſt culpam: Sicut etiam lex, cauſſa peccati non eſt, quanquam noſtro vitio per illam peccatum augeatur, vt ait Apoſtolus: ſed ipſa iuſta eſt & ſancta, & vſus eius ſalutaris. Idem de coniugio dicendum eſt.

Hæc omnia eò ſpectant, vt ab omni culpa & fœditate vendicem ſacrum coniugium, eiúſque legitimum vſum per ſe, & quatenus à Deo ipſis coniugatis præcipitur: cùm ait per Apoſtolum: *Vxori vir debitam reddat beneuolentiam: ſimiliter vxor viro:* eóque neminem, quantumuis ſanctiſſimum, dedecere coniugium. Si quid enim vitij, ἀταξίας, culpæ in coniugij vſu inueniatur, in nobis, noſtræque corruptæ naturæ, & effreni concupiſcentiæ tribuendum: Non autem in coniugium vel directè vel indirectè transferendum eſſe contendo: quia ſtat ſententia Apoſtoli: *Honorabile eſſe connubium inter omnes, & torum immaculatum.* Atque hæc ſententia retinenda eſt aduerſus hypocritas, qui ſolici ſunt excolare culices & deglutire camelos.

4. Quarto itaque loco ſunt, qui à coniugio ſolos exclu-

dunt *Clericos*, vt vocant, *Monachos* & *Nonnas*, ſeu *Monials*, quòd hos non deceat coniugium. Proinde cauerunt legibus, vt quicunque fieri Clericus, Monachus aut Nonna vult, ſolenni voto promittat, cœlibem vitam, hoc eſt, ſe nunquam ducturum vxorem, aut nupturam.

Hi ſunt Pontificij. Contendunt autem hoc conſentaneum eſſe cum ſacris literis, & cum Apoſtolicis traditionibus. Horum argumenta, ad extremum huius quæſtionis, breuiter examinabimus, & refellemus. Prius enim vera, quam nos ſequimus, ſententia explicanda eſt & confirmanda.

Hæc igitur eſto Theſis totius huiuſce primæ quæſtionis: *Quibuſnam liceat ſpondere & contrahere matrimonium.*

THESIS I.

Matrimonium vſque adeò per ſe honorabile eſt inter omnes, & torus eius ſua natura immaculatus: vt cuius hominum generi, atque ordini per legem Dei liceat matrimonium contrahere: & vſque adeo ad ſalutem promouendam vtile eſt, vt multis etiam, illis nimirum, qui non poſſunt ſe continere, ſit omnino neceſſarium. Ac proinde impia & ſacrilega eſt lex, quæ de cœlibatu aut virginitate, ſolenni voto promittenda, atque in perpetuum omnino ſeruanda, Clero (vt vocant) impoſita eſt.

EXPLICATIO.

Theſis eſt perſpicua, & non opus habet maiore expoſitione. Eam verò demonſtrabo luculentiſſimè è ſacris literis, ex celeberrimis Conciliis, variiſque Synodis: & ex piis ac doctiſſimis Patribus: Adde etiam ex iure Canonico eiúſque interpretibus, & ex melioribus Scholaſticis. Nolo autem rhetoricari, quia hoc argumentum fuit noſtro hoc tempore fuſiſſimè ab omnibus ferè doctis pertractatum: ſed breuiter, quas ego per multos annos collegi, tum ex ipſis fontibus, tum ex noſtrorum libris probationes, eas in medium proferam, vt pij homines habeant in promptu arma, quibus ſanam de hoc argumento doctrinam aduerſus hoſtes veritatis tueantur. Neque enim cuique ſuppetunt libri, quos ego legi: & quibus ſuppetunt, fortaſſis nondum perlegere potuerunt. Itaque vtile fuerit, ſi in manum dem, quæ obſeruaui & collegi è ſacris literis.

1\. Geneſ. 2. Matrimonium inſtituit Deus, inter homines, atque omnino immaculatos homines, idque in loco ſancto, in terreſtri ſcilicet Paradiſo. Conuenit ergo etiam ſanctis, & ſancta tractantibus, inque loco ſancto, in templo ſcilicet Domini verſantibus; neque illos contaminare, commaculaté ve poteſt, ſed impij potiùs ſuis ſceleribus, contaminant ſacrum coniugium. Adde quòd fuit à Deo benedictum: neque illa benedictio fuit vnquam ablata: ſed eſt ei perpetua. Deus enim in carne manifeſtatus, eam ſua præſentia confirmauit. Nemini ergo metuenda eſt à ſacro coniugio ſiue matrimonio labes, aut maledictio.

Dixit etiam Deus per Adamum: *Propter hoc relinquet homo*, (nempe, quiſquis ille ſit, qui vxorem volet) *patrem & matrem, &c.* Neminem ergo hominum, cuiuſcunque ordinis ſit, excipit à coniugio: neque vnquam deinceps excepiſſe, vel in veteri, vel in nouo Teſtamento legitur. Quare contra Dei voluntatem eſt, aliquem, qui velit & poſſit eſſe maritus, à coniugio arcere.

Et, ſi ſacrilegium eſt, quos coniunxit Deus, eos ſeparari ab homine: ſacrilegij etiam crimine non caret, quòd, quos Deus vult poſſe coniungi, ij ne coniungantur, ab hominibus prohibeantur. Quid enim hoc aliud eſt, quàm quaſi manu iniecta arcere Deum, ne coniungat, quos videt opus habere coniunctione, ac proinde, quos ipſe velit coniungere? Hoc eſt primum argumentum ab inſtitutione prima deductum, eóque firmiſſimum. Ac ne quis excipiat, in Paradiſo quidem & ante peccatum, ſic fuiſſe inſtitutum coniugium, vt dictum eſt: Verùm poſt peccatum, cùm iam homines eſſent corrupti mente & corpore, mutatum aliquid fuiſſe & priori benedictioni aliquid detractum: Occurret Moſes, qui docet, poſt diluuium, totam illam priorem inſtitutionem, & benedictionem fuiſſe à Deo confirmatam, cùm ait Geneſ. 9. *Et benedixit Deus Noha, & filiis eius dicens: Creſcite & multiplicamini, ac replete terram, Geneſ. 9.* Confirmatio hæc fuit certiſſima totius primæ inſtitutionis de coniugio inter quoſuis homines. Nam ſi quis neget, hanc benedictionem ad omnes homines extendi: is facilè reuincetur ab ipſis Patribus omnibus, ſummæ imperitiæ: Quid verò Chriſtus, Deus ſcilicet in carne manifeſtatus, coniugij auctor? Idem planè docuit: Nihil ſcilicet de prima inſtitutione fuiſſe aut eſſe detractum, quum totam doctrinam de coniugio ad primam inſtitutionem reuocauit, dicens: *Ab initio non fuit ſic*, quaſi dicat, Ergo erratis. Certè neque ab initio fuit ſic, ſicut Pontificij inſtituerunt. Ergo errant, dum prohibent coniugium certis hominum generibus. Summa itaque primi argumenti ex veteri Teſtemento, eſt: Coniugium fuiſſe à Deo inſtitutum de principio pro omnibus hominibus: neque hanc libertatem fuiſſe vnquam vel reuocatam vel reſtrictam: Per legem ergo Dei, cuique licere matrimonio iungi, neque vllam inde metuendam eſſe labem.

2\. *Secundum* argumentum ab exemplis ducitur ſanctorum Patrum, quæ cum prima inſtitutione ſunt conſentanea. Videmus pleroſque omnes pios atque ſanctos viros, tam poſt, quàm ante Moſem, Patriarchas, Prophetas, Pontifices, Leuitas, vſque ad Zachariam, Iohannis Baptiſtæ parentem, & deinceps (vt poſtea de Apoſtolis dicemus) coniugium amplexos fuiſſe. Quis tamen audeat dicere illos propterea, aut vlla à coniugio labe infectos, aut ne poſſent ſanctè Deum inuocare, in templo miniſtrare, aut rebus diuinis vacare, impeditos fuiſſe? Hæc enim de ipſis non legimus. Quæ ergo eſt iſthæc audacia, qua Pontifices Romani auſi ſunt lege lata prohibere Sacerdotibus coniugium, quaſi cum vxoribus ſeruire Deo ſanctè non poſſint?

Adde iam huic argumento, quod habemus Leuit. 21 de lege qua præſcribitur Sacerdoti, qualem vxorem ducere debeat: mulierem non fornicariam, non profanam, non meretricem, non repudiatam à marito ſuo: ſed virginem, déque ſuo populo, aut viduam (vt Ezechiel. 44. legitur,) quæ relicta à Sacerdote fuiſſet. Tantum abeſt, vt prohibuerit Sacerdotibus coniugium, vt potius docuerit, quibuscum iungi deberent.

Quòd ſi dicat quis, vt excipiunt impuri cœlibatus Patroni, diuerſam fuiſſe rationem illorum, & noſtrorum Sacerdotum: quòd illos oportebat eſſe ex tribu Leui, & ea de cauſſa coactos fuiſſe vxorem ducere, ex qua liberos ad conſeruandam tribum ſuſciperent: Nunc autem huic cauſſæ nullum eſſe locum: facilè reſpondetur: Primùm quidem, hanc fuiſſe vnam cauſſam, cur iungerentur matrimonio, ſed non ſolam. Nam cùm eſſent & illi homines, dubitandum non eſt, quin vitandæ etiam fornicationis cauſſa, vxores duxerint. Deinde ſi ſuſcipiendæ prolis cauſſa, iuſtiſſima fuit illis connubij ineundi ratio, cur non etiam æquiſſima fuerit hæc altera noſtris, nempe vt vitetur fornicatio, ſicut Apoſtolus iubet? Satis nobis eſt, coniugium impedimento eſſe non poſſe miniſtris Chriſti, quin ſuum officium mundè & ſanctè perficere queant, in templo Domini. Imò vt ſanctè & purè hoc poſſint præſtare, neceſſaria eſt illis vxor, nempe ſi non poſſint ſe continere. Illud certè conſtat (vt omnes fateri coguntur) nullum in toto veteri Teſtamento (vt iam de nouo taceam) præceptum reperiri, quo Deus cuipiam præceperit virginitatem ſeu vitam cœlibem, prohibueritque coniugium. Confirmat hoc etiam Apoſtolus, cùm ait 1. Cor. 7. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo*: nempe, quo iubeantur vel virgines permanere, vel nubere: quaſi dicat, nullum hac de re extat Dei præceptum, ſed omnibus liberum relinquit Dominus. Quid clarius dici poterat? Proinde neque ipſe Apoſtolus præceptum tradere voluit, ſed tantùm dedit quoddam conſilium, illudque liberum: nempe, vt propter inſtantem neceſſitatem, *qui poteſt ſe continere, vt maneat innuptus.* At noſtri pontifices ſapientiores (ſi Deo placet) Apoſtolo, & Deo ipſo, præceptum ac legem ſtatuerunt, qua omnes Clericos ad cœlibatum conſtringunt. Sed ex nouo plura ſuppetunt argumenta.

3\. *Tertium* ergo argumentum ex Matth. 19.

Primùm ibi Chriſtus, dum ad primam coniugij inſtitutionem corrigit abuſum vnum coniugij inter Iudæos receptum, dicens: *Ab initio non fuit ſic*: docet in coniugio nihil eſſe immutandum è prima inſtitutione. Sicut ergo liberum fecit initio Deus omni hominum ordini coniugium, vt ſuprà vidimus: ſic docet Chriſtus, ſe etiam velle, vt ſit, maneátque liberum: ſicut & antè.

Deinde cùm Petrus propter moleſtias, quæ accidunt ex coniugio, dixiſſet: *Non expedit contrahere matrimonium*: Chriſtus reſpondit: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* hoc eſt, Non omnibus expedit carere vxoribus, ſed illis tantùm, quibus datum eſt vt poſſint capere. Quibuſnam verò datum eſt, vt carere poſſint, & liberi eſſe à moleſtiis coniugij? Explicat hoc Chriſtus, ſubdens: *Sunt Eunuchi*, quaſi dicat: Sunt enim nonnulli ebon, hoc eſt, eorum,

rum,

rum, qui poſſint carere moleſtiis coniugij, tria tantùm genera.

Vnùm eſt eorum, qui à matris vtero ſic nati ſunt, hoc eſt, qui ſuapte natura & à natiuitate inepti ſunt ad matrimoniū.

Alterum eſt eorum, qui ſunt facti ab hominibus eunuchi, hoc eſt, qui inepti itidem ſunt ad matrimonium, non quia tales ſint nati: ſed quia tales effecti ſunt ab hominibus, hoc eſt, propter impotentiam extrinſecus illatam, ex aliquo accidenti.

Tertium eſt eorum, qui ſeipſos caſtrarunt propter regnum Cœlorum: hoc eſt, qui, quò meliùs vacare rebus cœleſtibus & regni cœlorū miniſterio inſeruire poſſint, ſponte à coniugij moleſtiis abſtinent: & ideo abſtinent, quia datum illis eſt continentię donum, quo poſſint à coniugio abſtinere ſeſe. Hic eſt ſenſus. Primò enim dixerat: *Non omnes capiunt verbum hoc, niſi quibus datum eſt.*

Ergo in hoc etiam tertio eunuchorum genere, ſubintelligenda eſt hęc ratio: Nempe, ideo quoſdam ſe caſtrare, id eſt ſponte abſtinere à coniugio, idque propter regnum cœlorum, id eſt, vt liberiùs poſſint vacare miniſterio regni cœlorum, & prædicare Euangelium: (in quorum numero erat Chriſtus ipſe, qua homo) quia vt hoc poſſint facere, ipſis datum eſt, nempe à Deo, continentiæ donum. Nunc aſſumo: Atqui non omnes ſunt, aut ſua natura impotentes ad coniugium, aut impotentes effecti per homines, & ex accidenti aut ornati à Deo continentiæ dono: Ergo non omnibus datum eſt, vt poſſint carere moleſtiis coniugij. Ideo ſubiecit Chriſtus, *Qui poteſt capere, capiat*: hoc eſt, Quiſquis ergo poteſt abſtinere à nuptiarum moleſtiis, is abſtineat: ac proinde qui non poteſt, nempe, qui non ſit ex aliquo iſtorum trium eunuchorum genere, is ducat vxorem. Pulcherrimus eſt Chriſti ſyllogiſmus, qui talis eſt. Eſt enim propter imperitiores componendus: Quicunque talis eſt, vt non ſit aut natus, aut ex accidenti factus ad coniugium impotens, aut datum ei non ſit continentiæ donum quo ſponte poſſit abſtinere à coniugio, ſalua conſcientia: huic non expedit (ad ſalutem æternam) carere coniugio: ſed contrà, expedit matrimonium contrahere. Sunt enim hæc tria tantùm genera hominum, qui poſſint commodè carere coniugio: Atqui non omnibus datum eſt, vt tales ſint: Ergo non omnibus expedit carere coniugio. Si non expedit carere: expedit ergo habere. Quare, ſi velint ſalui fieri, vxores ducant oportet.

Siquis non videt, hunc eſſe ſyllogiſmum, is imperitiſſimus eſt & nihil videt. Ex hoc autem ſyllogiſmo euincitur, non ſolùm liberum eſſe omnibus, etiam Sacerdotibus, coniugium, ſed etiam ad ſalutem neceſſarium, ſi non ſint aut ad connubium impotentes, vel natura & per ſe, vel ex accidenti aliquo: aut dono continentiæ ornati. Et hęc eſt Chriſti concluſio: *Qui poteſt capere, capiat*: Et per conſequens, *qui non poteſt capere, non capiat*: quorum verborum ſenſus eſt: Qui ergo poteſt ſalua conſcientia abſtinere à coniugio, abſtineat: qui non poteſt, vxorem ducat: quia carere vxore, huic non expedit ad ſalutem æternam. Atque hanc eſſe Chriſti doctrinam, docet Apoſtolus, in quo Chriſtus idem loquebatur, quum ait: *Dico autem innuptis & viduis: bonum eſt eis, ſi manſerint, vt & ego. Quod ſi ſe non continent: contrahant matrimonium: melius eſt enim matrimonium contrahere, quàm vri.* En interpretē Chriſti. Quod enim Chriſtus dixerat: *Qui poteſt capere, capiat*: Et contrà: *Qui non poteſt capere, non capiat*: Apoſtolus interpretatus eſt. *Qui poteſt ſe continere, contineat, nec nubat: ſed maneat ſicut & ego. Erit enim illi bonum. Qui verò non poteſt ſe continere, non contineat, ſed nubat.* Quod verò Chriſtus docuerat: *Non expedit omnibus* (nempe ad ſalutem) *abſtinere à matrimonio*, vt putabat Petrus, *ſed multis expedire, ſi nubant*: Apoſtolus iſtud expreſſit, dicens: *Melius eſt nubere, quàm vri.* En ergo veram verborum Chriſti interpretationem. Quare, qui ſimpliciter omnibus Sacerdotibus & Clericis, vt vocant, interdixerunt matrimonium: illi ex diametro ſeſe opponunt Chriſti doctrinæ, & Apoſtolorum. Chriſtus enim & Apoſtoli, laudant quidem virginitatem & cœlibem vitam, eámque etiam præferunt coniugio propter regnum cœlorum, hoc eſt, quia ad officia regni cœlorum in hoc Mundo facienda, cœlibatus commodior eſt, quàm coniugium: Sed interim neminem arcent à coniugio, neque ab illo dehortantur. Iſti autem non ſolùm ab eo arcent, verùm etiam ad perpetuum cœlibatum.

4. *Quartum* argumentum: Ab exemplis Petri aliorúmque ſanctorum Apoſtolorum in nouo Teſtamento, qui & vxores habuerunt, & eas etiam in miniſterio obeundo ſecum circumduxerunt: Neque tamen propterea putandum eſt, eos ex connubij vſu fuiſſe aut contaminatos, aut à ſuo officio ſanctè faciendo impeditos.

Petrum habuiſſe vxorem & eam ſecum duxiſſe in miniſterio, teſtatur Paulus 1. Corinth. 9. *Annon habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, quemadmodum & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini & Cephas?* Neque eſt, cur quis nobis locum illum exponat de neſcio quibus matronis viduis, & diuitibus, quæ ſequerentur Apoſtolos, & eos alerent. Satis apertè ab omnibus doctis refutatum fuit hoc frigidum commentum: tum ex verbis Apoſtoli, tum auctoritatibus antiquiſſimorum Patrum. Legatur Martyr etiam vir doctus in hunc locum, vbi tribus rationibus è contextu deductis demonſtrat, de vxoribus Apoſtolorum intelligendum eſſe, nec poſſe de iſtis matronis commodè intelligi. Quibus rationibus addo quartam. Si illæ viduæ, ſenes erant, non potuiſſent ferre labores & incommoda peregrinationis. Si iuuenes, parum decuiſſet cœlibes Apoſtolos, eas ſecum habere. Adde, quòd Paulus iubebat eas nubere, 1. Timoth. 5. Scimus quid hic ſcribat Chryſoſtomus & Ambroſius & Græca ſcholia. Sed contrà legatur Ignatius in epiſtola ad Philadelpheos, quæ eſt numer. 6. Græcè & Latinè pag. 29. vbi apertè ſcribit Petrum, Paulum, cæteróſque Apoſtolos, vſos fuiſſe matrimonio. Locus eſt inſignis: & vera Ignatij Epiſtola eſt, vt teſtatur Hieronymus in catologo Script. Eccleſ. Legatur & Clemens Alexandrinus in Stromatis, Sermone 3. Græcè, pag. 179. vbi locum hunc etiam Pauli 1. Corinth. 9. de vxore Pauli interpretatur. Item in Strom. Sermone 7. pag. 314. Legatur & Euſeb. Cæſar. Hiſtor. Eccle. lib. 3. cap. 30. Neque valet exceptio: Quas habebant vxores, eas duxiſſe, antequam vocati eſſent ad Apoſtolatum. Satis enim mihi eſt, oſtendiſſe exemplo Apoſtolorum, coniugij vſum cohærere poſſe cum officio Apoſtolatus & Epiſcopatus, neque hoc ab illo contaminari. Nam vxores retinuiſſe, ſecúmque duxiſſe, neque tamen mutuam ſuo tempore beneuolentiam reddidiſſe, contra Apoſtoli mandatum fuiſſet. Per legem ergo Dei licuit ſemper miniſtris verbi & ſacramentorum, vxores habere.

5. *Quintum* argumentum ex 1. Cor. 7. Corinthi duo erant hominum genera, ad quos ſcribebat Apoſtolus: alij coniugati: alij inconiugati, nempe, vel virgines vel cœlibes. Coniugatis primùm præſcribit officia, quorum ſumma eſt, vt ſimul habitent, & mutuam ſibi beneuolentiam reddant, nec fraudet alius alium. Quòd ſi fortè ex communi conſenſu abſtinere velint ad tempus, vt liberiùs vacare poſſint precibus cum ieiunio: monere ſe illos, quanquam non præcipiat: vt denuò ſimul conueniant: idque ne fortè tententur à Satana ad incontinentiam. Hoc enim ſibi videri æquum & bonum. Docet præterea eoſdem coniugatos, quomodo ſe gerere debeant, ſi fortè alter ipſorum ſit infidelis, & aut habitare velit cum fideli, aut nolit, ſed diſcedat. Et alia quædam ſubdit ad coniugatos, quæ à cauſſa noſtra aliena non ſunt. Conſtat enim ex illis omnibus, coniugium rem eſſe ſanctiſſimam, eóque omnibus licitam.

Duo autem præcipua obſeruanda ſunt in his, quæ ad coniugatos ſcribit, quæ ad cauſſam noſtram maximè pertinent. *Vnum*, quod ait: *Quiſque ſuam vxorem habeat propter fornicationem*, ſcilicet euitandam. Docet ergo, hunc debere eſſe Chriſtiano cuique ſcopum, vt ſe Deo ſeruet mundum, & eius mandatum obſeruet, *Ne fornicaberis*. Hoc autem fieri duobus poteſt modis, vno, dono continentię accepto: aut ſacri coniugij vſu, præſentiſſimo, aduerſus omnem incontinentiæ morbum, medicamento. Hoc eſt vnum.

Alterum eſt, quòd tam aptitudinem vocationémque ad coniugium, quam ipſam continentiam vocat donum Dei, dicens verſu 7. *Velim omnes homines eſſe ſicut & ego ſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita*: hoc eſt, alius quidem ad cœlibatum, alius ad coniugium. Confirmatur hoc infrà: *Vnuſquiſque*, inquit, *in quo vocatus eſt, in hoc maneat apud Deum: Alligatus es vxori* (ſcilicet à Deo) *noli quærere diſſolutionem.* Si itaque vocatio etiam ad coniugium Dei donum eſt, non minùs quàm cœlibatus: & ſacerdos, (vt illorum vtar vocabulo) ſentiat ſe vocari ad coniugium: an iniuriam fecit Deo vocanti, & donum largienti, ſi dato ſibi dono non vtatur?

Addo iam *tertium*. Illud erat: Si alter coniugum infidelium ab infidelitate ad Chriſtum fuiſſet conuerſus, & alter, licèt infidelis, vellet habitare cum fideli, & frui coniugio fidelis, coniugem infidelémque abiiceret, iuſſit Apoſtolus: Generaliſque fuit hæc doctrina. Ergo ſi ille fidelis vir, fuiſſet etiam factus Epiſcopus, non potuiſſet bona conſcientia ſuam dimittere vxorem, licèt infidelem. Quare Apoſtolus omnino voluit, coniugium omnibus eſſe liberum. Hæc ad coniugatos.

Ad inconiugatos venio. Hos etiam duo docet. *Vnum* eſt: Inter duo dona cœlibatus & coniugij, donum cœliba-

ius præſtantius & commodius eſſe, quàm donum cõiugij. Siquis igitur illud habeat, debere illo vti, ſicut etiam ipſe faciebat. Sin minùs, vtatur altero, nempe coniugij. Melius enim eſſe contrahere matrimonium, quàm vri. Hoc verſu octauo & nono, λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις, &c.

Alterum eſt: Nullum extare Domini mandatum: Debeántne manere inconiugati, an verò matrimonio iungi, ac proinde neque ſe velle quidpiam hac de re præcipere. Facit hoc verſ.26. dicens: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Item 35. Hoc autem ad commodum veſtrum dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed vt decenter & aptè adhæreſcatis Domino abſque vlla diſtractione. Ex his duobus euincitur, quiſquis ἄγαμος, ſeu inconiugatus eſt, ſi donum habeat continentiæ, commodius illi fore, ſi viuat cœlebs, & hoc ei conſuli ab Apoſtolo: Si verò non habeat illud donum, illum poſſe vxorem ducere, cum quâ viuat caſtè. Liberum enim eſſe per legem Dei vnicuique coniugium: Imò & debere ducere, quia melius eſt contrahere matrimonium, quàm vri. Hæc ad inconiugatos Apoſtolus.

Nunc interrogo Pontificios: An ipſorum ſacerdotes ſint γεγαμηκότες coniugati, an verò ἄγαμοι inconiugati? Certè inconiugati. Ergo ad ipſos quoque pertinent, quæ hic ſcribit Apoſtolus de inconiugatis. Quare euincitur, non ſolùm per legem Dei in genere liberum illis eſſe coniugium: ſed etiam, ſi non poſſint ſe continere, ipſis præcipi, vt matrimonium contrahant. Liberum enim eſt illis, qui poſſunt eo carere propter donum continentiæ: Sed neceſſarium illis, qui non habent donum, vt ex Apoſtolo liquet.

6. *Sextum* Ex 1.Timot.3. Tit.1. Præter alias conditiones, quas requirit Apoſtolus in eo, qui ſit Epiſcopus eligendus, ea eſt non poſtrema: nimirum, ne ſit πολύγαμος, plures ſimul habens vxores: ſicut tunc temporis multi faciebant, idque impunè, quaſi mali nihil eſſet: Sed vnius duntaxat ſit vxoris vir. Ac expreſſè in præſenti tempore loquitur Apoſtolus vtroque in loco. Et ſic Chryſoſtomus exponit. Non pugnat ergo, eſſe Epiſcopum, & ſimul etiam vxorem habere.

Neque eſt, cur quis ineptus locum hunc exponat allegoriκῶς, vnius vxoris virum, id eſt, vnius tantùm Eccleſię Epiſcopum. Primò nihil ad rem facit. Requirit enim, qualis eſſe debeat ille, qui futurus eſt Epiſcopus; non autem ad quæſtionem reſpondet, *an poſſit eſſe plurium Eccleſiarum Epiſcopus, an verò vnius tantùm.*

Deinde ſubdit de liberis, quales habere debeat, dicens: *Qui liberos contineat in ſubiectione, cum omni honeſtate:* imò & de vxoribus tam Epiſcoporum, quàm Diaconorum idem ſubdit: *Vxores itidem honeſtas, &c.* Alludit enim ad præceptum Domini in Leuitico, de qualitatibus vxoris, quam ducturus ſit Sacerdos: ne ſcilicet ſit fornicaria, meretrix, non profana, non impudica, &c. Ac argumenti Apoſtolici ratio poſtulat, vt de vera vxore loci iſti intelligantur. Ait enim *Illum non poſſe bene præeſſe Eccleſiæ, qui non bene præſit domui ſuæ.* Nihil ergo ineptius, quàm nomine vnius vxoris, interpretari, vnam Eccleſiam. Itaque locus eſt perſpicuus; *Licere cuiuis Epiſcopo vxorem habere:* modò etiam non ſit neceſſe.

Nec quiſpiam mihi obiiciat: conceſſum fuiſſe coniugium Epiſcopis, quo priùs vſi fuerint: vt in Oriente factum eſt, & fit: ſed non concedi vt priore mortua, aliam illius loco ducat. Illud enim duntaxat hic contendo, non pugnare cum officio Epiſcopi, officium mariti: ac proinde licere etiam Epiſcopis ducere vxores: vt ex verbis Apoſtoli ita perſpicuum ſit, vt longiore explicatione non ſit opus. Sed quòd etiam poſt ſuſceptos ordines, vt vocant, mortua priore, alteram ducere poſſit, ſuo demonſtrabimus loco.

7. *Septimum* argumentum, 1.Timoth 4. *Spiritus autem,* inquit, *manifeſtè dicit, quòd in poſterioribus temporibus deficient quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium contrahere matrimonium.* Sunt qui velint locum hunc intelligi de Tatiano & aliis hæreticis, qui nuptias, vt immundas damnarunt: Minimè autem intelligendum eſſe de lege, qua cauetur apud Pontificios, ne ſacerdotes matrimonium contrahant. Non enim hac lege damnari nuptias. Sed non poſſunt argumenta ex verbis Apoſtoli colligi, quibus demonſtratur, Apoſtolum de hac tyrannide inprimis vaticinatum fuiſſe, qua prohibentur nuptiæ ſacerdotibus, aliiſque Eccleſiæ miniſtris. *Vnum* ex illa particula aduerſatiua δὲ, colligo, cùm ait: πνεῦμα δὲ &c. Spiritus autem manifeſtè dicit. Opponit enim hæc iis, quæ antè in præcedenti capite docuerat de ſana doctrina Eccleſiæ. Ibi enim præter cætera de coniugio, liberis, & vxoribus Epiſcoporum ac Diaconorum diſſeruerat, quales eſſe deberent. Ergo cùm hic dicit, fore, qui prohibeant nuptias, intelligit cumprimis de nuptiis Epiſcoporum.

Alterum, quod & firmius eſt, colligitur ex verbo *prohibentes.* Non enim ait ſimpliciter, *docentes*: ſed *prohibentes*: quæ vox autoritatem ſignificat. Non ergo loquitur de ſimpliciter hæreticis, qui tantùm damnant nuptias, ſed non habent autoritatem prohibendi: verùm verba facit de iis qui authoritatem habent in Eccleſia; & qua abutuntur, cauentes legibus, ne quis Epiſcopus aut Preſbyter, aut Diaconus matrimonium contrahat. Hanc vim habet illud verbum, *Prohibentes.* Quinam autem iſti fuerint, & ſunt, niſi Pontifices Romani? Tertiò adde, quòd ait: *in poſterioribus diebus, &c.* Suo tempore, & paulò poſt fuerunt hæretici, qui damnarunt nuptias: ſed quis vnquam lege lata vetuit, niſi Pontifex Romanus? Accedit quartò, quòd nemo vnquam prohibuit ſimpliciter nuptias; ſed tantùm ſacerdotum, monachorum & ſimilium. Non loquitur ergo hic Apoſtolus de prohibitione coniugij ſimpliciter, ſed ſacerdotum.

8. *Octauum* argumentum Hebr 13. *Honorabile coniugium inter omnes.* Neminem excipit, qui dicit, *Omnes.* Eſt ergo etiam inter Epiſcopos miniſtróſque verbi Dei. Et, ſi honore dignum eſt inter omnes, quomodo ergo improbari poteſt inter Epiſcopos? Et *ſi torus eſt immaculatus*, quomodo ergo ex legitimo vſu coniugij, ipſi commaculantur? Et notanda eſt ceu antitheſis, ſententia quę ſequitur: *Scortatores autem & adulteros iudicabit Dominus.* Qui ergo in connubio ſunt, & in eo ſanctè verſantur, quicunque illi ſint, iis iudicium Dei, quod manet ſcortatores, ex connubio timendum non eſt. Imò docet Apoſtolus hac antitheſi; Legitimum remedium ad ſcortationes vitandas, eóque & ad iudicium Dei effugiendum, eſſe ipſum honorabile coniugium & torum immaculatum.

Atque hæc è ſacris literis allata teſtimonia ſatis nobis eſſe deberent aduerſus Antichriſtos, qui legibus cauerunt, ne Miniſtri Eccleſiæ vxores ducant. Quibus enim magis credere, & obedire debemus, Deo; an hominibus? Chriſto, an Antichriſtis? Summa enim doctrinæ de coniugio in ſacris literis hæc eſt. *Primùm*, coniugium initio cuiuis hominum ordini liberum fuiſſe à Deo permiſſum. *Deinde*, nullum porrò vnquam præceptum fuiſſe datum de hoc miniſtris denegando. *Tertiò*, imò mandari omnibus, qui continere ſe non poſſunt, vt matrimonium contrahant. Denique, qui contrarium docent, & qui coniugia Sacerdotibus prohibent, eos defeciſſe à fide & doctrinam tradere Dæmoniorum. Quare è ſacris literis ſatis confirmatam eſſe noſtram theſim, exiſtimo.

Nunc quo clariùs appareat, impietas & tyrannis eorum, qui contrarium ſentiunt & ſtatuunt, afferam teſtimonia ex Patribus & Conciliis, ordine. Ac primùm ex illis, qui fuerunt ante concilium Nicenum, & circa idem tempus. Inde enim apparebit, qui fuerit conſenſus veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ.

D. *Ignatius* in Epiſtola ad Philadelpheos, quam D. Hieronymus veram Ignatij Epiſtolã fuiſſe tradit: in ea, inquam, Epiſtola, doctrinã noſtram confirmat pag.29. Fuit enim Epiſcopus Antiochenę Eccleſię. Sic autem de ſe ſcribit: *Neque ego vitupero reliquos homines ſanctiſſimos, quotquot ad nuptias eas acceſſerunt, de quibus antea feceramus mentionem: Imò verò in eiſdem me iſtorum hominum veſtigiis ingreſſum, ad tantámque in regno Dei dignitatem prouectum, reperiri percupio, ad quantam peruenerunt Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus, Eſaias, aliique Prophetæ: Petrus, Paulus, cæterique Apoſtoli, qui omnes vſi matrimonio fuerunt, &c.* Item pag.31. *Siquis autem legitimam coniugalem permixtionem, liberorúmque procreationem, à natura corruptione, contaminationéque profectam dixerit: is hoſpitem habet Draconem Apoſtatam, id eſt, dæmonem in ſe habet inhabitantem.*

D. *Dionyſius* Corinthiorum Epiſcopus in Epiſtola ad Gnoſios orat Pynitum eorum Epiſcopum, ne grauia onera diſcipulorum ceruicibus imponat, néve fratribus neceſſitatem compulſæ caſtitatis indicat, in quo nonnullorum periclitatur infirmitas. Habentur hæc *apud Euſeb. in Hiſt. Eccleſ. lib.4. cap.23.* Annon verò Epiſcopi & Clerici fratres ſunt? Non ergo cogendi ad cœlibatum de ſententia illius S. Epiſcopi.

Clemens Alexãdrinus diligentiſſimus vehementiſſimúſque fuit matrimonij aſſertor: iſtúdque paſſim docet, non minùs miniſtros verbi, Apoſtolos & Epiſcopos decere, quàm reliquos homines. Et in hunc finem recitat exempla Prophetarum & Apoſtolorum, qui vxores habuerunt. Legatur *Stroma. lib.3. pag.97. & lib. 7. pag 250.* Legatur item in *Pædagogo, lib.2. & ca.10.* Vbi ita commendat coniugium in omni hominum ordine, vt audeat dicere, *eos qui non vtuntur matrimonio ad procreandos liberos, iniuriam facere naturæ.*

Origenes

Origenes tom. 2 in Matth. cap. 23. Tract. 24. pag. 134. ita ſcribit: *Reprehendit ergo Dominus huiuſcemodi praeceptores, qui non ſolum quae dicunt, non faciunt: verùm etiam crudeliter & ſine miſericordia, & non ſecundum aſtimationem virium cuiuſque audientis ſed maiora virtute ipſorum iniungunt: vt pote qui prohibent nubere: & ab eo, quod expedit ad immoderatam mundiciam compellunt.* Mundiciã appellat coactũ cœlibatũ.

Cyprianus epiſtolarum lib. 2. epiſt. 11. ad Pomponium: cõſulens, quid faciendum eſſet de quibuſdam virginibus. quæ promiſerant ſe in virginitate victuras, & poſtea parum caſtè ſe geſſerunt: primò reſpondet in hęc verba *Circa quam rem quoniam conſilium noſtrum deſideraſti: ſcias, nos ab Euangelicis & Apoſtolicis traditionibus non recedere &c.* Poſtea ad rem veniens, ſic ait in genere de virginibus, quæ virginitatem promiſerunt: *Quod ſi ſe ex fide Chriſto dicauerunt: pudicè & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent: ita fortes & ſtabiles praemium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt: melius eſt, vt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant.* Hęc ille. Senſit ergo Cyprianus, ex doctrina Apoſtolica, cuivis hominum ordini liberum eſſe matrimonium contrahere, neque vlla alia promiſſione, vel (vt loquuntur,) voto, impediri poſſe, quin matrimonio iungantur: Imò non ſolùm, non poſſint, verùm etiam ſi nolint in illa promiſſione perſeuerare, conſulit, vt connubio vtantur, ſecutus verba Apoſtoli: *Satius eſt enim nubere, quàm vri.* Subſcripſerunt verò huic Epiſtolæ multi alij Epiſcopi & Presbyteri, qui cum Cypriano erant.

Fuerunt autem iſti Patres omnes ante concilium Nicenum Vnde colligitur Satanam quidem ſemper inſidiatum fuiſſe nuptiis, vt potè illis, quibus impediuntur fornicationes, & omnes vagæ libidines, ſed ſemper etiam, primò ab Apoſtolis, deinde etiam ab Apoſtolicis viris, obuiam itum iſtis Satanicis contra caſtitatem conatibus, coniugij omnibus liberi, defenſione Addo iam hi, & quædam alia, ante concilium Nicenum conſtituta, & ipſius concilij Niceni omnium celeberrimi & ſanctiſſimi definitionem.

Primo Conciliorum tomo præfixi ſunt Græcè & Latinè *Canones* 84. quos vocant *Apoſtolorum.* Scio quid de his ſcripſerit Gratianus ipſe in *Decr. diſt.* 16. ex ſententia Iſidori: Nempe, inter Apocrypha ſcripta connumerandos eſſe. Proinde non illos adduco, tanquam certò ab Apoſtolis conſcriptos: ſed vt vetuſtos: tamen & à multis probatos, præſertim primos. Cùm enim horum in genere mentionem faciat Iſidorus, & Zepherinus Pontifex Rom. non poſſunt eſſe, niſi vetuſti, ſi non omnes, ſaltem aliqui, vt primi. Is ergo Can. 5. ſic habet: *Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, vxorem ſuam praetextu religionis non abiicito. Si abiicit, ſegregator a communione. Si perſeuerat, deponitor.*

Hanc Canonem verè Apoſtolicum eſſe non dubito: quia conſentaneus eſt cum doctrina Apoſtolica. Adde, quòd & in *ſexta Synodo*, quæ fuit Oecumenica, & ſanctiſſima, ſimilis editus fuit Canon: & citatur eſſe quintus, de quo iam diximus 5. tanquam Apoſtolicus: Neque hic valet exceptio, ſermonem fieri de vxore, quam quis duxiſſet antequam fieret Presbyter, aut Epiſcopus. Mihi enim ſatis eſt, hinc euincere licuiſſe etiam Epiſcopis, ſuas habere vxores: ac proinde coniugium & miniſterium Eccleſiaſticum oportere inter ſe cohærere, neq. hoc ab illo poſſe contaminari.

Sed & in *Ancyrana Synodo*, quæ circa tempora Marcellini celebrata C. none 10. *Diaconis ſi, cum eſſent ordinandi, proteſtati fuiſſent, ſe velle habere vxores, ordinabantur, & interim ſimul etiam concedebatur coniugium Si non fuiſſent proteſtati & tamen vxorem porrò duxiſſent, nihilominus coniugium illud permittebatur: ſed à miniſterio tantùm ceſſare iubebantur.* Ergo per legem Dei, illis licebat etiam poſt ordinationem, vt vocant, vxores ducere? alioqui non fuiſſent permiſſi illas ducere.

Et Can. 18. *Quotquot virginitatem promittentes, ſponſionem faciunt irritam* (contrahendo ſcilicet matrimonium) *inter bigamos cenſeantur.* En quo pacto neque etiam voto (loquuntur) virginitatis aut cœlibatus, matrimonium impediri poſſe, ex lege Dei didicerunt illi ſancti Epiſcopi. Alioqui enim diſſoluiſſent talia coniugia. quod non faciebant ſed tantùm propter peccatum leuitatis, quòd non ſtetiſſent promiſſis, tales poſt votum coniugatos, cenſura aliqua Eccleſiæ caſtigabant.

Neocaſarienſi, C. 1. *Presbyter, ſi vxorem duxerit, ab ordine ſuo deponatur.* Neque hic diſſoluebant coniugium. Quid verò ita? Quia nouerunt ex verbo Domini, vnicuique hominum ordini licere per legem Domini, matrimonium contrahere. Sed cur deponebant eos ab ordine? Vt ſignificarent, ſibi non probari eos, qui aliquid promiſiſſent, & poſtea promiſſa non præſtitiſſent: Sicut neq. Apoſtolis illę viduæ, de quibus 1. Tim. 5.

Atq. hæc omnia ex illis Patribus, & Conciliis, quæ Nicenam OEcumenicam Synodum præceſſerunt. Quid verò Patres in *Niceno* illo ſacroſancto Concilio? Poſteaquam *Paphnutius*, vir ſanctiſſimus, demonſtraſſet è ſacris literis *honorabile eſſe connubium in omnibus & torum immaculatum*: ac proinde ipſum etiam cum legitima vxore congreſſum, honeſtiſſimam eſſe caſtitatem: Patres omnes, qui erant 318. in huius vnius ſententiam conſenſerunt: *Neminem ſane Epiſcopum ſiue Presbyterum, aut Diaconum ab vxorum ſuarum concubitu eſſe prohibendum.* Socrates lib. 1. cap. 11. Et Sozom. lib. 1. cap. 23. Breuem verò hiſtoriam Grecè ſcriptam, & ex Italia ad ſe miſſam D. Th. Beza fideliter retulit, in ſuo de Polygamia, & diuortiis lib. 1. pag. 40.

Cum his coniungo D. *Athanaſium*, qui Concilio Niceno ita interfuit, vt quaſi præfuerit Iſ. T. 2. in Epiſtola ad Dracontium monachum, ſed electum Epiſcopum Alexandrinæ Eccleſiæ, illúdque onus fugientem, quid putaret, ſe non poſſe caſtè & ſanctè viuere in Epiſcopatu: ad finem Epiſtolæ ita ſcribit: *Multi quoque ex Epiſcopis matrimonium non inierunt Monachi contrà parentes liberorum facti ſunt quemadmodum viciſſim. Epiſcopos filiorum patres: & monachos generis poſteritatem non quaſiuiſſe, animaduertas.* Sic enim licet: & ad eum modum non prohibebitur. Sed quiſque vbi volet, decertet. Licebat ergo Epiſcopis, & monachis matrimonium contrahere.

Venio nunc ad Patres, qui poſt Nicenum Concilium in Eccleſia Dei floruerunt.

Poſt mortem omnium Apoſtolorum, ſemper (vt fit) declinatum eſt paulatim à ſinceritate doctrinæ, & a ſimplicitate Apoſtolica, in cultu & in gubernationem Eccleſiæ vſque ad noſtra tempora, in quibus placuit Patri cœleſti, per aliquot fideles ſeruos ſuos, & heroicos viros, reuocare multa ad priſtinam ſimplicitatem & puritatem. Interim tamen prouidentia ſingulari, res Eccleſiæ tolerabili fuerunt loco, etiam poſt Nicenum Concilium vſque ad Gregorium Papam.

Chryſoſtomus in 1. ad Timoth. Homil. 10. col. 1480. A. B. De coniugio Epiſcoporũ verba faciens, ſcribit: *Licuiſſe eam rem* (id eſt cõiugium) *honeſte & licitè capere, ſi quis voluiſſet. Et ita aſſumi poſſe nuptias, vt perfectiori vita impedimento non ſint. Quãquam* (inquit) *id planè perquã rarò, atque difficile* Et in Epiſtolã ad Tit. hom. 2. col. 1607. D. interrogat, cur Apoſtolus dicat, de Epiſcopo: *Si quis eſt ſine crimine, vnius vxoris vir, filios habeat fideles, &c.* Et ait: *Obſtruere prorſus intendit haereticorum ora, qui nuptias damnant, oſtendens eam rẽ culpa carere imò ita eſſe pretioſam, vt cum ipſa etiam poſſit quiſpiam ad ſanctũ Epiſcopatus ſoliũ ſubuehi, &c.*

Epiphanius in Panario, Her. 61. quæ Apoſtolicorum vocabatur, apertè docet, eis, qui donum continentiæ non habent, etſi vouerint vel virginitatem vel cœlibatum, melius tamen eſſe, palàm ſibi vxorem ſumere ſecundùm legem (D. i.) quàm quotidie occultis iaculis ſauciari: Et ſic Eccleſiam docere. Quid clarius? At inquit tamen, eos & peccatum & [illegible] habere. Verum eſt: ſed quamobrem? Non quia vxorem duxerint, ſed quia virginitatem peccando reiecerunt. Sicut & locus Apoſtoli in 1. ad Timoth. 5. intelligitur: de quo poſtea in obiectionum ſolutiône. Et ait præterea, melius eſſe habere [illegible] quàm [illegible]. Volebat enim peccatum eſſe aliquod, poſt decretum promiſſamque virginitatem aut cœlibatum, ab ea diſcedere promiſſione, ac proinde dignum eſſe aliquo iudicio & [illegible], nempe caſtigatione Eccleſiaſtica. Sed grauius peccatum eſſe, malle viuere in ſcortatione, quàm vxorem ducere. Ac proinde hos habere κατάκριμα, id eſt, condemnationem, nempe, apud Deum. Habet ibi hoc ſimile. *Athleta* (inquit) *qui certamẽ corrupit, flagris caſus ex certamine eiicitur: & qui virginitatẽ corrupit, ex tali curſu reiicitur & corona & praemio priuatus. Sed melius eſt* [illegible] *quàm* κατάκριμα. Totus iſte locus facit ad confirmandam ſententiam noſtram. Per legem Dei licere cuique, etiam poſt votum cœlibatus aut virginitatis nuncupatum, matrimonium contrahere, ac hoc eſſe longè melius. quàm vri. Hoc enim eſſe ex verbo Dei.

Hieronymus ipſe docet, ſuo tempore multos fuiſſe ſacerdotes, qui vxores haberent, illiſque fruerentur. Legatur Epiſtola ad Demetriadem tom. 1. pag. 54. ad calcem. Narrat de Presbytero, qui filias virgines eſſe noluit. Et contra Iouinianum lib 1. *Quaſi* (inquit) *non hodie quoque plurimi ſacerdotes habeant matrimonia.* Neque hoc improbat: imò confirmat dicto Apoſtoli: *Oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum, &c.*

Ambroſij locus inſignis citatur in Decr. C. 32. 9. 1. Can. 13. *Integritas corporis expectanda eſt à nobis quã ego pro conſilio ſuadeo, non pro imperio praecipio. Sola eſt enim virginis.*

tas, quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt, res magis voti quàm præcepti eſt. Doctrina hæc Apoſtolica eſt, vt eſt 1. Corinth. 7. & è pugnans ex diametro cum legibus de cœlibatu.

Auguſtinus etiam tom.3. de Agone Chriſtiano cap.31. damnat quoſdam hæreticos, qui viduas ſi nuberent, damnabant adulterij. Ratio verò, cur eos dicat non eſſe audiendos, eſt: *Quia (inquit) contradicunt Apoſtolo qui ait, ſe velle iuniores nubere, quam vri.* Annon eadem ratione damnat etiam eos, qui prohibendo matrimonium ſeu coniugium ſacerdotibus, cogunt illos vri, vt nil deterius dicam.

Item tom.4. de bono viduitatis, cap.9. & 10. Et citatur in Decr. C.27.q.1. Can.41. Nuptias. Et ſi non probat, vt poſt votum virginitatis vel cœlibatus, matrimonium quis contrahat: quòd hoc ſit contra fidem datam (eccleſiæ:) tamen, quæ poſt votum contrahuntur matrimonia minime eſſe adulteria vt quidam volebant, ſed vera eſſe matrimonia, eáque indiſſolubilia eſſe docuit. Nouit ergo per legem Dei, nulli hominum ordini prohiberi coniugia, alioqui talia matrimonia ipſo iure nulla eſſent, eóque diſſolui deberent. Eadem planè Gelaſius Papa in Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam & Brutios & Siciliam, cap.23. Et citatur etiam in Decr. C.27.q.1. Can.42. de viduis, quæ poſt promiſſam caſtitatem, nubunt, ſcripſit.

Sed ne ſingulos Patres commemorem, claudam hoc argumentum à Patrum, qui poſt Nicenum concilium floruerunt in Eccleſia, conſenſu ductum, decreto tertiæ Conſtantinopolitanæ Synodi, quæ *ſexta Synodus* hac de cauſa appellatur quia ſexta eſt vniuerſalis, cui interfuerunt Epiſcopi 289. Coacta verò fuit, Anno Domini 677. Ea habetur in Concil. tom. 2. ibi primùm Can.12. ſtatuunt quidem de Epiſcopis, vt poſtquam ordinati ſunt, à proprijs vxoribus ſecedant: Sed interim fatentur, aliter conſtituiſſe olim Apoſtolos. Fatentur ergo, & ita nouerunt, per legem Dei, & per Apoſtolicas conſtitutiones licere etiam Epiſcopis ſuis frui & vti vxoribus. Cæterùm Can.13. de Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis, Chriſtianiſſimè definiunt. Cùm enim intellexiſſent illi Patres, Romæ ſacerdotes, Presbyteros & Diaconos ad cœlibatum induci, & à ſuis abſtinere vxoribus, atque vt lege id conſtitueretur tentari: Canone totius Synodi cauerunt, ne vllo modo Presbyteri aut Diaconi à ſuis ſepararentur vxoribus, neque ab earum vſu prohiberentur. Et apertè damnant nominatim Canonem Rom. qui contrà ſtatuerat. Ac cur ſic ſtatuant, aſſerunt è ſacris literis rationes. Quòd ſcilicet ſint à Deo conſtitutæ ac confirmatæ præſentia Chriſti, nuptiæ. Quòd, *quos Deus coniunxit, homo non debeat ſeparare:* Quòd *denique, honorabile ſit connubium in omnibus.* Proinde aduerſus huius Canonis violatores ita ſcribunt: *Si quis ergo præſumſerit contra Apoſtolicos Canones aliquos Presbyterorum & Diaconorum priuare à contactu & communione legalis vxoris ſuæ, deponatur. Similiter & Presbyter, qui religionis cauſa, vxorem ſuam expellit, excommunicetur: ſi verò in hoc permanſerit, deponatur.* Et citantur hæc in Decr. diſt.31. Can. 11. *Quoniam in Romana,* &c. Si quis verò argumentari velit ab exemplis eorum Epiſcoporum ac Presbyterorum, qui poſt obitum etiam Apoſtolorum habuerunt vxores & liberos: ingens occurret copia Exemplorum, præter ea, quæ etiam inter adducenda Patrum teſtimonia, attulimus. Loca tantùm quædam indicabo, vbi exempla miniſtrorum, Epiſcoporum ſcilicet & Presbyterorum, qui in coniugio vixerunt, legi poſſunt.

Euſebius Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 6. cap.42. de Chæremone Epiſcopo. Item lib.7. cap.30. de Demetriano Epiſcopo lib. 10. cap.5. de Spiridone Epiſcopo, & cap.9. de Gregorio Nazianzeno, nato ex patre Epiſcopo, vt & ipſemet fatetur in oratione funebri pro ſuo patre.

Tripartita Hiſtor. lib.5. cap.14. de Eupſychio Presbytero, qui Presbyter exiſtens, vxorem duxerat. Item libr. 9. cap. 38. Id quod etiam apud Socratem habetur lib.5. cap.22. Deſcribitur ibi conſuetudo veteris Eccleſiæ in Oriente. Erat autem hæc. Cuncti qui abſtinebant ab vxoribus, ſpontanea & libera voluntate, nulla legis neceſſitate, abſtinebant. Plurimi verò Epiſcoporum etiam Epiſcopatus tempore, ex legitimis vxoribus, filios ſuſceperunt. De beato Philogonio refert Chryſoſtomus, cum ex patrono cauſarum factum fuiſſe Epiſcopum, & in tempore Epiſcopatus, vxorem habuiſſe & filiam ex illa. Ad ſummam, extra controuerſiam eſt, in Orientalibus Eccleſijs licuiſſe Epiſcopis & Presbyteris primam ducere vxorem: Et etiam nunc multi ducunt.

Sed in Occidente noſtro, permulti fuerunt coniugati, idque tum in Gallijs, & alijs regionibus, tum etiam Romæ. Nonnulli id affirmant de Hilario Pictauienſi Epiſcopo.

Extat Epiſtola *Damaſi* Papæ ad D. Hieronymum. Citatur etiam in Dec. diſt. 56 in qua multa narrat exempla, tum Presbyterorum & Diaconorum, tum etiam Epiſcoporum in Occidente, & quidem Romæ, qui habuerunt vxores. Et in eadem diſt. 56 Can.12. ſubijcit Gratianus, *Ante prohibitionem licita fuiſſe omnibus Epiſcopis ſicut & Presbyteris, coniugia, etiam in Occidente.* Et ſuo etiam tempore adhuc fuiſſe licita in Oriente.

Per legem ergo Dei ſemper fuerunt omnibus Epiſcopis libera coniugia: Prohibitio enim non fuit facta, niſi humanis legibus.

De multis Epiſcopis etiam Romanis, qui vxores habuerunt, teſtimonia multa extant apud Platinam in vitis Pontificum: vt Thalaro Epiſcopo in vita Adriani 21. De Sergio Papa, deque alijs nonnullis. Quòd ſi quiſpiam excipiat, illas non vxores, ſed ſcorta: non concedent omnes Pontifices, ne labes aſpergatur illi Eccleſiæ. Multi enim filij talium Epiſcoporum fuerunt poſtrò & ipſi creati Pontifices, qui certè ſi fuiſſent ſpurij, non potuiſſent per ipſorum leges ad Pontificatum aſſumi. Neque enim probari poteſt hoſce liberos fuiſſe ab illis Epiſcopis antequam crearentur Epiſcopi, è ſuis legitimis vxoribus ſuſceptos. Hoc enim non exprimitur in vitis ipſorum, aliiſve hiſtorijs. Itaque ſentiunt multi, per multa ſecula etiam in Occidente licuiſſe Sacerdotibus vxores habere.

Quid? Quòd in *Concilio Florentino* ſub Eugenio quarto, annos abhinc circiter 130. celebrato cautum fuit, vt Græcis Sacerdotibus relinquerentur libera coniugia? Quomodo potuiſſent hoc permittere, niſi ſciuiſſent per legem Dei ea non prohiberi?

Venio nunc ad confirmationem ex *iure Canonico*, & ex eius interpretibus. Etſi enim referium ſit innumerabilibus erroribus & impietatibus: multa tamē inde colligi poſſunt bona tanquam aurum de ſtercore, vt dicebat ille. Ac quod attinet ad connubia miniſtrorum Eccleſiæ, quos *Clericos, Epiſcopos, Sacerdotes* vocant, atque *Presbyteros:* ne fruſtra illorum Canones percurramus, quatuor obſeruandæ ſunt vtilitates non paruæ, quas nobis ſuppeditant.

Prima ex decretis de cœlibatu, quæ ab vrbe Roma ad varias prouincias, varijs temporibus, à varijs Pontificibus miſſa, repetita, & magna cum importunitate obtruſa fuiſſe legimus, cùm modò duriora, modò leniora colligere promptum eſt, his decretis ac legibus tanquam iniquis, & intolerabilibus repugnatum ſemper fuiſſe ab Eccleſijs, ſicut etiā ex hiſtorijs apparet: idque propterea, quòd viderent Eccleſiæ, ſe ea libertate priuari, quam à Chriſto acceperūt; quòd item cernerent laqueos iniici conſcientijs: quòd denique obſeruarēt, occaſionem dari, imò neceſſitatem afferri multis, propter traditionem hominum tranſgrediendi mandata Dei. Sic enim reipſa videbant quotidie, ſicut & nos videmus. Ita apparet, leges has non fuiſſe honeſtas & æquas, ſed tyrannicas, quando tantam paſſæ ſunt vbiq; repulſam. Hæc eſt prima ac præcipua vtilitas, quæ ex lectione Canonum de cœlibatu colligi poteſt ac debet.

Altera eſt: Quòd quæcunq; in iure Canonico de cœlibatu Sacerdotum neceſſario, leguntur decreta, ea nunquam fuerunt ab aliqua vniuerſali vel verè Oecumenica Synodo vel facta vel approbata, imò contrarium potiùs vt vidimus de Concilio Niceno, & ſexta Synodo. Sed illa omnia fuerunt prouincialium & Epiſcopalium Synodorū decreta, facta certis tēporibus, perſonis, locis, certiſq. de cauſis pro vt ipſi iudicabant fore vtilius. Colligimus hinc, illis ergo decretis nō teneri omnes Eccleſias, neq. ſemper, neq. ea eſſe per ſe bona, ſed ex accidenti fortaſſe, & aliquibus fuiſſe, & pro aliquo tempore: vt demus, quantum poſſumus dare. Proinde videmus, ea ſæpe fuiſſe mutata & alterata.

Tertia vtilitas colligitur ex rationibus, quas confirmandorum ſuorum decretorum cauſſa afferunt. Cùm enim confirmant bona decreta, firma etiam afferunt argumenta ex ſacris literis: Cum impia, nihil ineptius illis rationibus, quibus ea conantur probare. Exempla videbimus ſuo loco. Firmæ illæ rationes retinendæ ſunt, & vrgendæ contra Pontificios, ex ipſorum libris, quum contraria ſacris literis obtrudunt.

Quarta ac vltima eſt. Quòd ſicut in alijs rebus Chriſtianis, ſic etiam in hoc argumento de matrimonio miniſtrorum non pauca bona inter tot mala repetire licet. Si hæc quatuor retineamus & obſeruemus, fructuoſe percurremus ius Canonicum. Videamus ergo breuiter ea loca quæ ſunt de hoc argumento.

Nunc ergo percurrendū nobis eſt ius Canonicū cū ſuis interpretibus, & loca vnde coniugiū ſacerdotū confirmari poſſit, indicanda: nēpe illud ſemper licere iſſe per leg. Dei: multis etiā ſeculis per ipſa Synodorū & Pontificū decreta. Et ſi aliquando aut alicubi prohibitū fuit, alio tempore &

alibi

alibi, aut etiam ibidem, ſed per alios Pontifices, fuiſſe conceſſum. Ius autem Canonicum conſtitutiones ſeu Canones Eccleſiaſticos continet, vt definitur diſt 3.

Eſt porrò illud in primis fundamentum retinendum, quod in Decreto diſt. 5. 8. 9. ſtatuitur: *Iuri naturali, legique diuinæ cedere debere, omnes tam Eccleſiaſticas, quàm ciuiles conſtitutiones.*

Nunc demonſtrabo ex ipſo etiam iure Canonico, coniugium ſacerdotibus ſemper licuiſſe per legem diuinam, iúſque naturale.

In Decreto diſt. 23. Can. 2. Vbi ex Concilio Carth. quarto deſcribitur, quomodo examinandus ſit ille, qui in Epiſcopatum eligitur, (eſt pulcherrimus certè Canon) præter alia interrogandus erat: *An nuptias prohiberet, id eſt, an ſentires prohibendas eſſe nuptias.* Nouerunt enim locum Apoſtoli 1. Timoth. 4. *Nemini ergo prohibendas nuptias docebant.*

Ibidem Can. 3. Vbi ex Iſidoro deſcribitur, qualis eſſe debeat Clericorum conuerſatio: (Eſt pulcherrimus etiam iſte Canon) inter alia ſcribitur in hæc verba: *Caſtimoniam etiam non violati corporis perpetuò obſeruare ſtudeant, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderentur.* Malebant ergo, vt Clerici iuxta Apoſtolum matrimonium contraherent, quàm vt vrerentur, & ſcortarentur.

Diſt. 26. Can. 3. Ibi optimè Innocentius Papa aduerſus eos argumentatur, qui volebant matrimonium, inter infideles non eſſe legitimum matrimonium, ſed peccatum: Et ideò Baptiſmo illud tolli coniugium quod in ſtatu infidelitatis quis contraxiſſet: *Si*, inquit, *vxorem ducere crimen eſt: ergo* (vt cum præfata veſtra venia dixerim) *erit autor* (ſancti coniugij) *in culpa, qui vt crimina committerentur in Paradiſo, præcepit, cùm ipſe eis benedixit. Si verò non eſt crimen, quia quod Deus inſtituit, nefas eſt crimen appellari: Et Salomon addidit. Etenim à Deo præparatur viro vxor: quomodo creditur inter crimina eſſe demiſſum, quod Deo autore legitur cõſummatum?*

Totum hoc argumentum in Pontifices Romanos retorquendum eſt pro coniugio Sacerdotum: Eos ſcilicet non peccare, ſi matrimonium contrahunt. Nam ſi excipiunt, Hoc eſſe matrimonium, quia prohibitum eſt illis: Primùm, hoc etiam potuiſſet excipi aduerſus Innocentium de infidelibus. Deinde ex ſuis ipſorum decretis euincuntur, quibus cauetur, ne connubia ſacerdotum dirimantur, ſed ipſi tantùm puniantur. Denique interrogandi ſunt, à quo ſit ſacerdotibus interdictum coniugium? Non certè à Deo, ſicut neque infidelibus. In Deum ergo non peccant. Quare apud Deum licet eis connubia contrahere. Hoc eſt vnum exemplum illius tertij vſus, quem ex iure Canonico colligendum eſſe diximus.

Diſt. 27. Can. 1. Si Diaconus poſt ordinationem matrimonium contraxiſſet, etſi promiſiſſet ſe vitam cœlibem ducturum, contracto tamen matrimonio licebat vti, ſed à miniſterio deponebatur. Ideò Gratianus illi Canoni ſubiicit: *Si Diaconus à miniſterio ceſſare voluerit: contracto matrimonio licitè poteſt vti.* Nam etſi in ordinatione ſua caſtitatis votum obtulerit; tamen tanta eſt vis in ſacramento coniugij, quòd nec ex violatione voti poteſt diſſolui ipſum coniugium.

Et Can. 2. citatur Auguſtinus qui dicat eos grauiter peccare, qui eos, à quibus poſt votum matrimonia contrahuntur, vocant *adulteros*, & qui tales coniuges ſeparare conantur. Ergo quòd poſtea Can. 7. eiuſdem diſtinctionis citauit Caliſtus, qui iuſſerit connubia ſubdiaconorum monachorúmque diſſolui; primùm nego illud fuiſſe inſtitutum à Caliſto, qui fuit tempore Tertulliani. Nam inter decreta Caliſti, Canon ille non reperitur; nec Platina, qui omnia decreta diligenter recenſet, vllam facit huius mentionem. Facit etiam mentionem ille Canon aliorum Canonum de eadem re: cùm tamen nulli ante eius ætatem legantur ſimiles. Meminit & monachorum, cùm nondum ferè innotuiſſent, præſertim in Occidente, vt liquet ex hiſtoria Tripart. lib. 1. c. 11. Innoteſcere enim cœperunt imperante Conſtantino. Deinde etſi fuiſſet Caliſti illud decretum, quid tum, cùm pugnet cum prædicto loco Auguſtini? Concilient Pontificij ſuos Patres, quibus nituntur. Neque valet conciliatio Gratiani, quam ſubdit, de voto ſimplici & ſolenni. Simplex enim eſt ſententia Auguſtini & aliorum, talium connubia diſſolui non poſſe.

Diſt. 28. *Diaconus, ſi, quum ordinatur, proteſtetur, ſe velle vxorem ducere, quòd non poſſit ſe continere: permittitur hoc facere: nec propterea à miniſterio volebant eum remoueri.* Can. 8. & 15.

Item: *Presbyter vxorem ſi ducat: iubetur tantùm deponi ab ordine, non autem ſeparari ab vxore: Si autem fornicetur, extra Eccleſiam eyci.* Can. 9.

Item Can. 13. Syracuſanæ vrbis Epiſcopus, vxorem & liberos habere permittitur: ibidem apparet, cauſſam præcipuam, cur non facilè vxorari ad Epiſcopatum admitterentur, fuiſſe, ne bona in liberos diſtraherentur. Proinde cautum fuit, ne iſte Epiſcopus Syracuſanus aliquid liberis ſuis relinquere poſſet ex bonis Eccleſiaſticis. Id quod etiam cautum fuit in Concilio Agatenſi: Et citatur (12. quæſt. 2. Can. 32.) Non fuit ergo quòd coniugium contaminet miniſterium, Imò ibidem diſt. 28. Can. 7. ex Concilio Gangrenſi, in quo Euſtachius quidam damnatus fuerat, quia docere auſus fuerat, Sacerdotes, qui contraherent, eſſe immundos, eóque indignos, qui ſacra tractarent: ex illo inquam Gangrenſi Concilio citatur Canon, quo illa cauſa tanquam hæretica damnatur: *Si quis diſcernit*, inquit, *Presbyterum coniugatum; tanquam qui occaſione nuptiarum offerre non debeat, & ab eius oblatione etiam ſe abſtinet., anathema ſit.* Sunt ergo excommunicati illi, qui ſacerdotes coniugatos impuros eſſe aiunt, & etiam indignos qui ſacra contrectent.

At, inquies, aliæ Synodi aliud ſtatuerunt. Videmus ergo, quanta ſit fides adhibenda Conciliis, cùm inter ſe pugnent ſæpenumero.

Pertinet huc & Canon 16. qui ex Canonibus eſſe Apoſtolorũ dicitur: qui talis eſt: *Si quis docuerit ſacerdotem ſub obtentu religionis propriam vxorem contemnere, anathema ſit.*

In Can. 19 videmus, Nicolaum Papam, ad annum Domini 866. noluiſſe Bulgarorum ſacerdotibus eſſe moleſtum, neque illorum coniugia perturbare, licèt Bulgari id, vt fieret, peterent.

Neque valet aduerſus nos Gratiani conciliatio; quam habet in diſt. 29. ex Iſidoro, nempe horum Canonum alios ex cauſa, propter quam ſunt facti, alios ex loco, vbi traditi, alios ex tempore, alios ex perſona eſſe conſiderandos. Hoc eſt veriſſimum. Sed nobis ſatis eſt ex his demonſtraſſe, ab ipſis etiam Pontificibus Romanis, & ab aliis Patribus agnitum fuiſſe coniugium iure diuino non prohiberi ſacerdotibus, alioqui peccaſſent illi grauiter, qui illud aliquando, & certis in locis, certíſque ſacerdotum perſonis ob quam velis cauſam, permiſerunt. Imò ex illa Iſidori regula, colligimus, quid de Synodorum prouincialium, déque Pontificum Romanorũ decretis ſentiendum ſit: nempe non omnes populos & Eccleſias illis obſtringi: Ac proinde magnam eſſe tyrannidem, quòd, quæ priuatim conſtituta ſunt in Eccleſia Romana, illa velint vbique & ab omnibus, & omni tempore ſeruari.

Diſt. 31. *Principium Canonis primi* [ſunt autem verba Gregorij primi] *pium eſt ex parte, & conſentaneum cum ſcripturis: quæ poſtea ſubijcit, pugnant cum præcedentibus. Ante triennium*, inquit, *omnium Eccleſiarum Subdiaconi Siciliæ, prohibiti fuerunt* [nempe à Pelagio Papa] *vt more Romanæ Eccleſiæ ſuis vxoribus nullatenus miſceantur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt qui vſum continentiæ non inuenit, neque caſtitatem promiſit*, [has promiſſiones non probo] *compellatur à ſua vxore ſeparari, atque per hoc* [quod abſit] *in deterius cadat.*

Duo hinc colligimus. Primùm: Præceptum de cœlibatu Clericorum non fuiſſe in Sicilia receptum, multò ante Gregorium primum; quia triennio tantùm ante, edictum Pelagij ad eos penetrauerat. Deinde talia decreta eſſe impia, vt quis ſcilicet, qui continentiæ donum non habet, cogi debeat ad cœlibatum. Quòd ergo poſtea Gregorius ipſe iuſſerit, vt omnes promitterent caſtitatem, & coegerit illos manere in cœlibatu, viderit ipſe, qui ſecum pugnantia ſcripſit & fecit. Imò etiam ex voto cœlibatus, quod Gregorius ab omnibus ordinandis requiſiuit, confirmatur Theſis noſtra, per legem Dei omnibus licuiſſe & licere matrimonium, eóque cœlibatum ſacerdotum ex iure eſſe poſitiuo. Quæ enim Deus iubet, horum nullum ſit votum. Quàm verò inepta & ridicula ſint, non tantùm impia, quæ (vt de aliis taceam) habentur Canon. 9. ex Leone 9. quis non videt? Volebat ille, vt qui vxores duxiſſent ante ordinationem, eas etiam poſt ordinationem retinerent & alerent; hoc fuit bonum. Sed nolebat vſum coniugij. Licere enim retinere vxorem; ſed non licere cum ea dormire. Atque vt hoc ſuum impium decretum confirmaret, adduxit exempla Apoſtolorum, & verba Pauli: *Nunquid non habemus poteſtatem circumducendi mulierem ſororem, ſicut & frater Domini, & Cephas?* Vides (inquit) inſipiens, quia non dixit, *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem amplectendi, ſed circumducendi?* O acutum aſinum! Illud verò probatur, quòd verba Apoſtoli de vxoribus interpretatur Apoſtolorum; non autem neſcio de quibus viduis diuitibus.

Canone 10. & 11. Subiicit decretum Concilij Niceni & ſextæ Synodi, de quibus ſuprà diximus: Quæ decreta pugnant cum iis, quæ præmiſerat, Gregorij, Leonis noni, &c. Vt verò conciliet ea Gratianus, ait, *Decreta illa Niceni Con-*

cilij & ſextæ Synodi, facta fuiſſe propter Orientales, qui votum caſtitatis non admittebant. Et hoc confirmat verbis Stephani Papæ in Can.12. Verùm cùm Romana Eccleſia admiſerit,& amplexa fuerit Concilium Nicenum,vt ſacroſanctum: quomodo poſtea Rom. Pontifices Canones Concilij Niceni decretis contrarios edebant? Conciliatio ergo Gratiani nulla eſt. Sic ex illis tribus Canonibus 10. 11. & 12. noſtra confirmatur ſententia de libero ſacro coniugio. Notandum verò, Synodum ſextam habitam fuiſſe poſt Gregorium primum annis quinquaginta. Abrogauit autem, quicquid hac de re fuerat concluſum Romæ. Per poſteriores enim & vniuerſales abrogantur priores & particulares leges. Interfuerunt autem multi ex Occidente,& ſubſcripſerunt. Cæterùm verba Stephani Papæ ſunt perſpicua de Orientalibus Sacerdotibus,ideò etiam diligenter notanda ſunt. Can.12. *Aliter* (inquit) *ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi matrimonio copulantur: iſtius autem Eccleſiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdos à Subdiacono vſque ad Epiſcopum licentiam habet coniugium ſortiendi.* Ex hoc verbo, licentiam habet; annon ſatis apparet, prohibitam hanc ex iure fuiſſe humano, cùm poſſent Pontifices poteſtatem facere Sacerdotibus vxorem ducendi? Qui enim fit, quòd Romæ & in Occidentalibus Eccleſiis non liceat Sacerdotibus matrimonia contrahere? Num quòd prohibeantur verbo Dei? At neque liceret Orientalibus, cùm verbum Dei omnes obſtringat. Cauſſa igitur eſt, quia Pontifices cum ſuis ſic conſtituerunt ſine verbo Dei, imò contra Apoſtolum, dicentem: *Qui non poteſt ſe continere, matrimonium contrahat.* Ex iure igitur impoſitiuo. Imò hinc etiam patet, non ſolùm in Græcia licuiſſe, ſed etiam in Occidente, iis ſcilicet quibus Romanus Pontifex licentiam (vt loquuntur) concedebat, id quod etiam à tempore & autore probatur. Quando enim cœptum prohiberi, quiſve fuit primus autor huius prohibitionis? Qui volunt primum autorem fuiſſe Caliſtum primum, qui floruit in Eccleſia tempore Seueri circiter annum Domini 216. quo & Tertullianus; falluntur, vt ſatis oſtenſum eſt, aliquot rationibus. Quibus etiam accedit hæc, quòd apertè tribuitur hoc Syricio Papæ diſt. 82. Can.2. Innocentius enim primus ſcribens ad Exuberium Toloſanum Archiepiſcopum, inter alia ait: Ab Epiſcopo Syricio formam Eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, (de cœlibatu autem Sacerdotum loquitur) ad omnes prouincias commeaſſe. Præfuit autem Syricius Eccleſiæ Rom. circiter annum Domini 400. Innocentius autem primus anno 416. Cæterùm ea lex de cœlibatu non recipiebatur ab omnibus. Semper enim habuit diuerſis in locis Epiſcopos, & alios pios doctóſque viros, qui contrà vrgebant verbum Dei, *Honorabile eſſe connubium in omnibus* &, *Qui non ſe continent, nubant.* Et, *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Idcircò Pelagius ſecundus, qui præfuit anno Domini 578. conatus fuit renouare legem hanc, vt liquet ex Can. 27. quæſt.2. Canon.6. Sed neque is fuit admodum felix. Ideò Gregorius primus, qui ſedit Romæ, anno 619. cauſſam hanc denuò vrſit.

Cæterùm etiam Gregorius coactus fuit decretum de cœlibatu renouare: ſi vera ſunt, quæ Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus ſcripta reliquit. Cùm enim vellet piſcari in ſuo viuario, quod Romæ erat ampliſſimum, inuenta fuiſſe in eo leguntur aliquot millia capitum infantium. Intellexit inde Gregorius, quantum malorum attulerit, & adhuc allaturus eſſet, niſi in tempore proſpiceretur, coactus Sacerdotum cœlibatus *Itaque reuocans decretum, Paulus* (inquit) *melius eſſe ait, contrahere matrimonium, quàm vri. Ego vero addo, melius eſſe contrahere, quàm homicidij ſubminiſtrare occaſionem.* Sic ille Vdalricus. An non apertè tunc etiam Deus illo mirabili iudicio declarauit Mundo, quantum probaret coactum illum cœlibatum? Et nunc per tot ſecula tot tantíſque permiſſis ex cœlibatu ſceleribus in toto Clero, annon idem teſtificatur de cœlo? Neque interim tamen reſipiſcere volunt; quidpiamve mutare? Quid ita? Ne videantur erraſſe. Et ne bona Eccleſiæ diſpenſentur in liberos. &c. Malunt diſſipari in res non dicendas. Itaque ex his etiam luculenter apparet, cœlibatum Sacerdotibus à Deo mandatum non fuiſſe, quando primi huius autores facilè inueniri poſſunt, qui tamen neque ſemper, neque vbique potuerunt illum Eccleſiis vel imperare vel perſuadere.

Sed illud cumprimis obſeruandum eſt in hac diſt. 31. ex Can.11. qui fuit Synodi ſextæ, quo damnatum fuit, quicquid Romæ de cœlibatu Sacerdotibus iniungendo ſtatutum & factum fuerat, tam à Gregorio primo, quàm ab aliis qui ante illum fuerant, Epiſcopis Romanis. Fuit enim ſexta ſynodus vniuerſalis, coacta, annis poſt Gregorium primum circiter 50. vt antè dictum eſt. Per Synodos autem vniuerſales abrogantur & corriguntur, quæ per prouinciales fuerunt conſtituta. Quid ergo nos accuſant, quòd damnemus eorum de cœlibatu leges, cum olim damnatæ fuerint in Œcumenica Synodo?

In 32.& 33. in quibus de eadem re agitur, nihil inuenio boni, niſi tyrannica, quæ vnà cum aliis vno reſponſo paulò pòſt refutaturi ſumus.

In 34. Eſt quiddam mirabile in Can.2. deſumptum ex Concilio Toletano primo, ſed conciſum, vt ſæpe fit a Gratiano. Canon concilij eſt 17. Sic autem habet: *Si quis habens vxorem fidelem, concubinam* [etiam] *habeat: non communicet.* Hoc eſt bonum. Sequitur: *Cæterùm is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet: à communione non repellatur tantùm, vt vnius mulieris aut vxoris, aut concubinæ* [vt ei placuerat] *ſit coniunctione contentus. Aliàs verò vitiens abijciatur.*

Et ſcio hunc Canonem à multis Sacrificis concubinariis vſurpari, quo ſe tueantur, quòd teneant concubinam. In Concilio non exprimitur, an de Clericis intelligatur vel de Laicis, vt vocant. Si de Clericis intelligatur (id quòd non credo) habemus, illis licuiſſe habere vel vxorem, vel concubinam. Sed ſiue de his, ſiue de Laicis intelligatur: vnde didicerunt illi boni Epiſcopi, licere Chriſtiano habere concubinam? Si ab exemplis Patrum in veteri Teſtamento, licebit etiam plures habere ſimul vxores. Certè Deus damnat omnem coniunctionem, præter eam quæ eſt inter virum & vxorem: *Adhærebit*, inquit, *vxori ſuæ* [non ait concubinæ] *& erunt duo in carne vna.* Eas ergo, & ſimpliciter ſine delectu amplectere Concilia.

Canon. 16. ex Agatenſi Concilio ſic habet, *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia modo non eſt: etiam alterarum nuptiarum caueant conuiuia.* Illud, quibus modò non eſt licentia ducendi vxores, indicant, antea igitur licuiſſe. Paulò enim antè fuerat Syricius, qui legem de cœlibatu miſerat in Hiſpaniam, ſed non ſine Eccleſiarum repugnantia fuit admiſſa. Hæc vſque in prima decreti parte de Sacerdotum connubio.

In altera parte, quæ diſtinguitur in Cauſſas, quàm plurimæ quidem de matrimonio quæſtiones tractantur, a Can. 27. vſque ad 36. Sed ad coniugium miniſtrorum & monachorum quòd attinet, nihil ex profeſſo diſputatur, niſi in C. 27. Vbi quæſtio prima hæc agitatur; *An qui vouerint cœlibatum, poſſint matrimonium contrahere.* Initio probare nititur multis auctoritatibus, non id licere, vſque adeò, vt talia matrimonia, nonnulli appellarint adulteria & inceſtus, & ideò eſſe diſſoluenda: idque facit Gratianus vſque ad Canonem quadrageſimum. Sed poſtea ſibi obijcit tria trium Patrum teſtimonia, Auguſtini, Gelaſij Papæ, & Theodori, qui ſenſerunt, eos quidem, qui id faciunt, peccare, non quia vxorem duxerint; ſed quia primam fidem irritam fecerunt: Verùm eorum connubia docent non eſſe diſſoluenda, nec tales coniuges eſſe ſeparandos, nullúmve laqueum illorum conſcientiis iniiciendum. Et expreſſè ibi Auguſtinus ait, *Talium coniugia non poſſe damnari.* Etſi verò tam Gratianus, quàm alij Pontificij conantur hæc conciliare, diſtinctione voti ſimplicis & ſolennis; frigida tamen eſt conciliatio. Tam enim promiſſio facta Deo ſine ſolennitate, quàm cum ſolennitate, obligat apud Deum (nempe ſi legitima & iuſta ſit promiſſio) ipſum promiſſorem. Sic etiam Cæleſtinus tertius in Decretalium lib.4. Tit.6. cap. 6. pag.867. *Votum ſimplex non minùs obligat apud Deum, quàm ſolenne.* Quare alia ſit cauſſa neceſſe eſt; cur Auguſtinus & Gelaſius, connubia poſt votum contracta, minimè eſſe diſſoluenda cenſuerint. *Ea eſt, quia* (vt inquit ibidem Auguſtinus) *nuptiarum bonum ſemper eſt bonum.* Item, *quia Deus ita fecit omnibus liberum, & datum eſt cuique hominum ordini infirmitatis remedium*, vt ait Auguſtinus. Et, *Satius eſt matrimonium contrahere, quàm vri, nedum fornicari.* Sicut etiam Epiphanius hanc cauſſam ex Apoſtolo attulit, vt ſuprà diximus. Ergo ex illo Can.27. habemus non parum, quo noſtram tueamur cauſam.

Tranſeo ad Decretales libr. 3. de vita & honeſtate Clericorum, Tit.1. cap.13. *Vt clericorum.* Innocentius tertius Papa, poſteaquam de Clericis omnibus tam presbyteris, quàm aliis, qui ſcilicet vxores non habebant, ſtatuiſſet, vt caſtè viuerent, & ab omni libidinis vitio abſtinerent, alioqui caſtigarentur: ſubiecit de aliis, qui vxores habebant: hæc verba. *Qui autem ſecundum regionis ſuæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, ſi lapſi fuerint, grauius puniantur, cùm legitimo matrimonio vti poſſint.* Duo ex his apertè colligimus. Vnum tempore etiam huius Innocentij, non vbique, neque omnes Sacerdotes, vt vocant, fuiſſe cœlibes, ſed multos & in variis regionibus coniugatos, quòd noluerint omnes regiones iugum iſtud ſubire. Alterum eſt, horum coniugia fuiſſe legitima. Ideò enim voluit hos

grauius

grauiùs puniri ſi ſcortarentur, propterea quòd, cùm haberent vxores, potuiſſent in remedium ſcortationis legitimo (inquit) vti matrimonio. Fuit autem iſte Innocentius Pontifex creatus circiter annum Domini 1199. Neque eſt, cur quis hæc de ſolis Græcis interpretetur. Neque enim Græci admittebant mandata & leges Pontificum Romanorum vt neque nunc. Itaque illis hæc non præſcribebat. Deinde aperte ait in genere: *Qui autem ſecundum regionis ſuæ morem, &c.* Neque dixit, gentes, ſed regionis. Ergo in Occidente erant etiam tunc tēporis, nempe annis ab hinc circiter 374. regiones in quibus Sacerdotes, aliiſque Clerici, coniuges habebāt, & ita legitima etiā cōiugia. Ac proinde liquet cœlibatum Sacerdotum, iuris eſſe nō diuini, ſed humani: neque ſe iniunctum fuiſſe Sacerdotibus, ab vniuerſali aliqua Synodo, ſed à Pontificibus Romanis, & à Synodis prouincialibus receptum & confirmatum. Hæc autem non omnia ſolùm ſunt de ipſorum etiam Pontificiorum ſententia. Quid? Quod ipſi etiam iuris Canonici interpretes, quos Canoniſtas vocant, idem docent: nempe cœlibatum Clericorum iuris eſſe humani, non diuini, eóque ſicut fuit iniunctus, ſic etiam poſſe tolli?

Præpoſitus in Textum libri quarti Decretalium: *Qui Clerici vel vouentes contrahere poſſint matrimonium, c. 6.* ubi Cœleſtinus tertius decreuit: *Si quis poſt votum ſimplex, vxorem duxerit, peccaſſe illum quidem, ſed eius coniugium dirimi non poſſe.* Ibi præpoſitus, magnus inter Canoniſtas, concludit ex multis Canonibus, continentiam ſeu cœlibatum in ſacro ordine, non eſſe voti, nec taciti, nec expreſſi, nec ex iure diuino, ſed tantùm ex confirmatione Eccleſiæ. Ideo etiam ab Eccleſia permutari poſſe.

In idem caput eandem ſententiam tuetur Franciſcus de Zabarellis Cardinalis & addit: *Præceptum de cœlibatu materiam dare plures animas illaqueandi. Et ideirco Eccleſiam, ſicut induxit præceptum continentiæ, ſic etiam illud poſſe reuocare: quæ reuocatio foret conueniens dicto Apoſtoli, De virginibus autem præceptum Domini non habeo.*

Hoſtienſis Cardinalis, interpres itidem iuris Canonici inſignis in ſua ſumma lib. 4. in eundem titulum Decretalium: *Qui Clerici vel vouentes contrahere poſſint matrimonium,* poſteaquam multum diſputauit, tandem cōcludit in hæc verba: *Fateor tamen, quòd hæc ſtatuta verè poſitiua ſunt circa hanc materiam &c.* Et idcirco ſentit, eam poſſe ab Eccleſia dirimi: *quia quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Denique omnes Canoniſtæ in eadem ſunt ſententia, poſſe Eccleſiam & Pōtificem Roman. totius Eccleſiæ nomine, præceptum de cœlibatu diſpenſare. Et hoc neceſſariò coguntur fateri, ſi velint eam, quā Romano Pōtifici attribuunt, auctoritatem tueri, & articulum illum defendere, Eccleſiam Romanam nunquam erraſſe. Conſtat enim multis exemplis, permultis Sacerdotibus, Monachis & Epiſcopis permiſſum fuiſſe vxores ducere, etiam poſt votum cœlibatus ſolenne.

Adde iam etiam confirmationem vnius Papæ, Æneæ ſcilicet Syluij, qui poſtea vocatus fuit *Pius ſecundus*: Is, vt, Platina refert, conſulebat vt ſicut grauibus de cauſſis (ſic enim ille ſentiebat) interdictum olim fuerat Sacerdotibus coniugium, ita nunc multò grauioribus de cauſſis id iiſdem permitteretur. Omitto alios Canoniſtas.

Ex iure ergo Canonico ſic argumentandum eſt: *Quicquid ius diuinum permittit, & multò magis quod iubet, illud per ius humanum prohiberi non poteſt* per ipſorum regulam diſtinct. 5. 8. 9. *Quod ius humanum cedere debeat diuino, &c.*

Atqui ius diuinum permittit omnibus, imo quibuſdam præcipit, ſcilicet, qui ſe non poſſunt continere: Et connubij prohibitio, acta Sacerdotibus, eſt iuris humani vt ex ipſo etiam iure Canonico demonſtratum eſt. Ergo, &c.

Cæterùm eandem theſin noſtram confirmare licet ex *Theologis Scholaſticis.*

In 4. ſent. diſt. 38. diſputatur. *an, qui votum continentiæ nuncupauerint,* (vt faciunt omnes Sacerdotes, Presbyteri & Monachi) *poſſint matrimonium contrahere.* Diſtinctione allata votis ſimplicis ſeu priuati & ſolennis, concludunt cōſentienter. *Qui poſt votum ſimplex vxorem duxerit, peccare quidem, ſed tamen matrimonium eius non eſſe diſſoluendum.* Verùm an contractum poſt votum ſolenne diſſoluendum ſit, nec ne, diuerſæ ſunt ſententiæ. Summa eò tendit: Si Papa poſſit votum ſolenne diſpenſare, id eſt, relaxare & irritum facere, & diſpenſet: tale coniugium non eſſe dirimendum. Sed an poſſit hoc efficere Papa, diſputatur. Et ſunt qui affirment, ſunt qui negent. Ita apparet, eos, qui affirmant, ſenſiſſe, hanc de cœlibatu legem, meri iuris eſſe poſitiui. Ius enim diuinum, non poſſe ab vllo homine, neque à tota Eccleſia diſpenſari, extra controuerſiam eſt. Interim notandæ ſunt quædam rationes, quibus Thomas vtitur, vt probet votum ſimplex relaxari poſſe, & quando non ceſſet obligatio voti.

Ex cauſſa inquit, *legitima diſpenſari poteſt in voto.* Quænam verò ea eſt, & quotuplex? *Prima,* cùm votum eſt de eo, quod tui iuris non eſt promittere: & id præſtare non potes, quin detrahas alteri, quod illius eſt, illique quod debes, deneges.

Secunda, cùm obſeruatio voti, vergit in peiorem exitum, maiúſque damnum tum vouenti, tum alijs.

Tertia, cùm is, qui in re habet auctoritatem, aliud magis neceſſarium iudicat eſſe faciēdum, & id, vt facias, iubet. Hæ ſummatim ſunt rationes Thomæ, in ſcripto ſuo, in diſtinct. 38. Quæ ſi veræ ſunt, & legitimæ rationes diſſoluendi voti ſimplicis: & hæ eædem in voto ſolenni reperiuntur perfectò tam ad hoc, quàm ad illud relaxandum valebunt. Eſt autem facilè iam videre, omnes iſtas rationes in eum conuenire, qui licet votum voluerit cœlibatus: ſeruare tamen non poteſt, propter incontinentiam. Indè neceſſariò efficietur, obligationem voti per ſe ceſſare ipſo iure.

Primò omnium *nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det,* inquit Salomon: Non poteſt igitur ab vllo homine votum de cœlibatu perpetuo nuncupari: cùm de ea re ſit, quā iuris noſtri non eſt promittere: neque ſeruare illam poſſit homo incontinens, quin detrahat Deo, quod ille debet. Debet enim Deo connubij caſtitatem, aduerſus ſuam incontinentiam ordinatū, & mandati per Apoſtolum dicentem: *Qui non ſe continet, matrimonium contrahat.* Et votum cœlibatus in homine pugnat cum promiſſione facta Deo in Baptiſmo, de vitandis omnibus immunditiis, honeſtáque vita traducenda.

Deinde (vt ad ſecundam rationem veniam) non poteſt homo incontinens ſeruare votum cœlibatus, quin cedat hoc illi in grauius malum & damnum: in animæ ſcilicet perniciem, propter incontinentiam.

Poſtremo, nihil valet tale votum, ac prorſus irritum eſt: quia Deus, qui ſummum in nos imperium habet, mandat ei, qui non ſe continet, vt matrimonium contrahat: & pronuntiat, hoc eſſe illi melius, quàm vri in cœlibatu. Ergo tale votum, ipſo iure nullum eſt: & omnis ceſſat obligatio per ſe.

Reſponſio ad argumenta aduerſariorum.

Reſtat, vt argumenta quædam aduerſariorum refutentur. Pontifices enim Romani, tum qui primi auctores, tum qui confirmatores cœlibatus fuerunt rem iniquā atque inutilem, & à verbo Dei alienam iniungere Eccleſiis viderentur, rationibus aliquot eam comprobare conati ſunt: quibus aliæ acceſſerunt, quas noſtri Pōtificij excogitarunt, quò cœlibatum hunc Sacerdotum, tueantur mordicúſque retineant. Si quis velit videre Pontificum inſignes rationes legat in Decr. diſtin 82. cap. 3. Plurimos. Item C. 2. Propoſuiſti. Item, diſt. 31 c. 4. tenere debet. Imò & Can. 1. & 2 & 6. Eſt ſer. pluris itaque afferebant illi Pontifices, & nunc quoque repetuntur à Pontificiis hæc argumenta.

1. Ex Leuit. 21. & alibi; *Sancti eſtote, quoniam & Ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter.*

Reſpon. Quaſi verò aut ſoli Sacerdotes & non omnes Iſraelitæ iuberentur eſſe ſancti: aut quaſi nemo ſanctus eſſe poſſit, niſi abſtineat à coniugio. Negamus coniugium, vſúmve illius, rem eſſe immundam, vt ſuprà demonſtratum eſt, cùm Apoſtolus dicat, *Honorabile coniugium in omnibus, & torus immaculatum.* Et Paphnutius demonſtrauit idem in Concilio Niceno, nec cuiuſquam ſanctitatem vſu matrimonij per ſe contaminari poſſe. Quinetiam quòd ipſe Hieronymus, cœlibatus alioqui prædicator magnus, fatetur aduerſus Iouin. lib. 1. Abrahamū in coniugio æquè placuiſſe Deo: atque nunc virgines in ſua caſtitate. Et citatur à Pontificiis, in iure Canonico. C. 12. q. 4. Can. 6. Quin & Innocentius ſecundus Papa (vt ſuprà vidimus diſtin. 26. c. 3.) Deinde docuit, in cōiugio nullum eſſe peccatum per ſe. Propterea ſi valeret hoc Pontificiorū argumentum: efficeretur neminem hominū Chriſtianorum, debere vxorem ducere: quoniam tam ipſi, quàm miniſtri Eccleſiarum, iubentur ſancti eſſe, ſicut & Deus ſanctus eſt, qui tam Laicorum Deus eſt, quàm Sacerdotum. Sanctitatem igitur mandat Dominus, quæ omnibus communis eſſe queat: nempe eam, quæ in corde puro, conſcientia bona, fide non ficta, totiúſque vitæ innocentia, & in charitate erga proximum poſita eſt: non autem his verbis coniugium cuipiam vetuit. Quare nihil ineptius ad probandum hunc cœlibatum afferri poterat, quàm locus iſte, *Sancti eſtote.* &c.

2. Sed confirmant argumētum Leuitarum & Sacerdotum exemplo: qui cùm ſuæ erant vices miniſtrādi in tēplo

Domini: purificabant ſeſe ex mandato Dei: imò & abeſſ. à ſuis ædibus, habitareque in templo iubebantur. Quam ob cauſſam? *Quia* (inquiebat Syricius & alij) *volebat Dominus, vt poſſent commercium exercere carnale: ſed mundi atque ab ſcientia integritate fulgentes, munus acceptabile Deo offerrêt.*

Reſp. *Primò*, tota hæc, ab exemplo Leuitarum confirmatio, ex eodem pendet errore, ex quo & primum argumentũ nempe, quòd perſuaſum habeant, vſum coniugij per ſe, immũdum eſſe. Quod quàm falſum ſit, ſuprà eſt oſtenſum. Deinde, ſi ab illorum Sacerdotum exemplo licet argumẽtari ad noſtros: Ergo vt licebat vxores habere, idem licet & noſtris. Et vt illi ad tempus abſtinebant: ſic quin faciant idem & noſtri, iuxta Apoſtoli conſiliũ, non diſſuadẽtur. *Tertiò*, illorũ purificationes legales erant, typi autem ſpiritualis ſanctitatis Chriſti quę & à nobis omnibus requiruntur. Leges igitur illæ nihil ad nos, ſed tantùm res ſignificata: vera ſcilicet mũdities & purificatio, quæ in puritate conſciẽtiæ cõſiſtit, de qua 1. Ioh. 3. *Purificet ſe ipſum, ſicut & ille purus eſt.* Hæc verò (vt dictum eſt) optimè cum ſãcto coniugio cohærere poteſt: quia torus immaculatus eſt. *Quarto* falsũ eſt, hanc fuiſſe cauſam, cur Leuitæ iuberentur, tempore ſuę quiſque vicis, abeſſe ab ædibus proprijs: ne ſcilicet ab vxoribus contaminati, contaminarent ipſi ſacrificia, quæ erãt oblaturi: ſed hæc erat, vt commodiùs vacare poſſent rebus diuinis faciendis. Nam millies dictum eſt, à ſancto connubio per ſe maculam nullam accedere cuipiam poſſe. Imò illud inter ipſos etiam Pontificios receptum eſt, maculam miniſtri, nihil ſacramentorum dignitati derogare poſſe: quia horum ſanctitas non pendet à ſanctitate miniſtri, ſed ab auctoritate & benedictione inſtitutoris.

3. Afferunt & illud ex Ieſa. quod propriè ad Sacerdotes ſeu miniſtros Eccleſiæ pertinet. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*: Ergo abſtinendum à coniugio.

Reſp. Primò, ex eodem emanat fonte hoc, ex quo & alia duo ſuperiora: quòd ſentiunt vſum coniugij immũdũ eſſe. Secundò, ſi valet collatio: Ergo neque Leuitis & Sacerdotibus veteris Teſtamenti licuiſſet coniugium contrahere, Præterea, vera mundities præcipitur per Prophetam à Domino: quæ ſcilicet in fide, & vitæ ſanctitate ſita eſt.

4. Ex 1. Corinth 7. *Ab inuicem ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi* Præcipit (inquiunt) Apoſtolus plebeis hominibus, vt ad tempus abſtineant ab vſu coniugij, qui poſſunt vacare orationi, & ieiunijs. Atqui Sacerdotes debent perpetuò orare, & vacare miniſterio Eccleſiæ: Ergo ipſis præcipitur, vt perpetuò abſtineant ab vſu coniugij, eóque à coniugio ipſo.

Reſpon. Ad maiorem. Negò Apoſtolum præcepiſſe aut præcipere, vt quiſpiam abſtineat ab vſu cõiugij. Mox enim ſubiecit. Hoc autem dico κατὰ συγγνώμην, non autem κατ᾽ ἐπιταγήν: non ex imperio. Quid eſt autem κατὰ συγγνώμην? Aſſentior illis, qui aiunt nullam inueniri Latinam vocem, qua id propriè explicari queat. Vertunt tamen docti, ex conſenſione, ſecundùm quod alicui bono viro, videtur eſſe æquum & bonum. Sic enim Ariſt. in Ethic lib. 6 cap. 11. definit, [illegible] (γνώμη nempe) [illegible], hoc eſt. hominis veri & boni. Quorum verborum hic eſt ſenſus: συγγνώμην eſſe ſententiam, ad iudicandum ex æquo & bono accommodatam & rectam: quales eſſe ſolent virorum bonorũ, & æqui ac boni amantium. Senſus itaque Apoſtoli eſt: ſe quidem præcipere, ne alter alterum defraudet: ſed non præcipere, vt abſtineant. Verùm, ſi velint ex communi conſenſu, & poſſint abſtinere: idque quò diligentiùs vacare poſſit orationi: ſe hoc illis permittere liberum κατὰ συγγνώμην. hoc eſt, ſi hoc faciant, ſe non ſolùm non improbare tanquam malum: ſed potiùs, vt rem bonam & vtilem indulgere: hoc eſt, concedere, hac tamen lege, vt redeant ad idem, ne Sathan illos tentet. Hic eſt verus ſenſus. Ita apparet Apoſtolum, nullam ea de re ſtatuiſſe legem, ſed reliquiſſe liberũ cuique. Deinde Apoſtolus minimè hic loquebatur de quavis precatione, ſed tantùm de ſerijs, ſiue publicis, ſiue etiam priuatis precibus, quæ ipſum etiam ieiunium exigant: vt cùm ingruit aliqua calamitas. Hæ autem preces, non ſunt quotidianæ, ſed raræ: quod inde apparet, quòd coniungit Apoſtolus ieiunia cum precationibus. Ita nil habet commune hic locus cum precibus quotidianis miniſtrorum: ac proinde nil hinc concludi poteſt, pro perpetuo eorum cœlibatu. Tertiò, ſed ſi volunt Pontificij ex hoc loco aliquid concludi, de quibuſvis precibus quotidianis, quibus vacare debeant Sacerdotes, eóque neceſſarium illis eſſe, ex Apoſtoli ſententia, vt ſemper abſtineant à coniugio: profectò euincetur etiam illis perpetuò fore ieiunandum. Tam enim dicit, vt vacetis ieiunio, quàm etiam precibus: docens vtrũque coniunctim, cauſſam eſſe, cur concedat & conſulat, vt conſulat, vt ſi velint & poſſint ex communi conſenſu abſtinere, id faciant. Si ergo volunt ex loco Apoſtoli aliquid pro cœlibatu perpetuo concludi: neceſſe eſt, vtramque ſimul cauſſam aſſumant hoc modo: Perpetuò orãdum & ieiunandum eſt Sacerdotibus: Ergo perpetuò abſtinendum à coniugio. Sed alterum membrum non admittent Sacerdotes. Si nolint: paralogiſmum igitur admittunt non cauſſæ, vt cauſſæ. Quartò, falſum etiam eſt, quod aſſumunt, Sacerdotibus ſemper eſſe orandum, & vacandum exercitijs templi. Annon etiam edunt, & dormiunt, & alia vitæ præſentis negotia perficiunt? Cur non & ſuo tempore & loco vacare poſſint coniugio?

5. Afferũt & illud ex 1. Corint. 7. *Qui cœlebs eſt, curat ea, quæ ſunt Dei: qui autem duxit vxorem ſolicitus eſt de ijs, quæ ſunt Mundi: quo modo placeat vxori.* Ergo (inquiunt) debet Sacerdos abſtinere: cũ Deo ſit cõſecratus vt placeat Deo.

Reſp. Fallacia eſt accidentis. Verba enim Apoſtoli non ſunt de omnibus in vniuerſum cõiugatis intelligenda: ſed tantùm de carnalibus quorũ maior eſt, (fateor) copia. Vxor enim verè pia adiutrix eſt viro incontinenti, ad piè honeſtè, caſtéque viuendum: eóque ad ſeruandum Dei mandatum. *Non fornicaberis*: ad liberos item non ſolùm gignendos ſed & in pietate, ad vitámque æternã inſtituendos & ad multa alia opera. Et ſic intelligendũ eſt dictũ [illegible] Dei, Geneſ. 2. *Faciam ei adiutorium*. Certè niſi vxor ſit tale adiutorium, quod poſſit etiã ad ſalutem, diuinam [illegible] que vitam inſeruire, ea non adiutorium fuerit verum ſimpliciterque, ſed [illegible] appellaretur. Quia quicquid non conducit ad ſalutem: Dominus non *adiutorium* ſed *impedimentum* potiùs vocabit. Ita Eua, quæ data fuerat Adamo, vt eſſet ei verum adiutorium: poſtea ipſius culpa, facta ei fuit maximum detrimentum & obſtaculum. Ita quæ cùm multæ vxores ſint ſuis viris adiutorium ad ſalutem: & viciſſim viri vxoribus, vnde & Apoſtolus docet, *aliquando ſeruari virum infidelem per vxorem fidelem*. & contrà: ideò ergo dictum Apoſtoli aduerſus nos adductum, intelligi vniuerſaliter de omnibus coniugibus nullo modo poteſt. Cedo mihi: Annon hanc ſententiam Apoſtoli, quum ait, *Qui cœlebs eſt, curat ea quæ ſunt Domini* videmus non poſſe vniuerſaliter de omnibus cœlibus accipi? Certum enim eſt, nõ omnes cœlibes curare quæ ſunt Dei. Ergo neque alterum membrum eiuſdem ſententiæ, quo contra ait: *Qui duxit vxorem ſolicitus eſt de ijs quæ ſunt Mundi* (nempe tantùm) vniuerſaliter intelligendum eſt: quia certè multi coniugati quærunt magis quomodo placeant Deo, quàm quo modo placeant alteri coniugi: vt exemplum Zachariæ Sacerdotis & Elizabethæ in nouo Teſtamento apertè docet. Et Nazianzenus in oratione funebri pro patre ſuo, ait, ſuam matrem, fuiſſe patri ſuo non ſolum adiutricem in pietate, ſed etiam doctricem & gubernatricem. Itaque ex hoc Apoſtoli loco, nil pro perpetuo cœlibatu colligi poteſt, cum generales quidem & communes ſint ſententiæ, ſed tamen non in omnibus, & per omnia veræ, ſed in plurimis & vt plurimum.

6. Sextum deducunt ex verbis Apoſtoli 1. Timoth. de viduis, quæ quia poſt promiſſionem factam, ſeu (vt illi volunt) poſt votum cœlibatus nuncupatum, nubere voluerunt: dicuntur habuiſſe damnationem, & abijſſe poſt Sathanam, violata fide, ſeu voto ſui cœlibatus. Cùm igitur omnes etiam Sacerdotes, Presbyteri ac Diaconi, voueant cœlibatum, antequam ordinarentur: fieri non poteſt, quin ſi matrimonia contrahant grauiſſimè peccent, & damnationem ſibi acquirant. Etenim id facere, nil aliud eſt, quàm ire poſt Sathanam: vnde & talia connubia Sathanica ſunt, & Diabolica à Patribus multis appellata, nedum adulteria & inceſtus.

Reſpond. Primùm omnium explicandus eſt locus Apoſtoli, videndũque, an ex huius verbis colligi poſſit, quod Pontificij contendunt de voto cœlibatus. Deinde breuiter de voto cœlibatus in ſe, fierine poſſit annon: & quantum valeat factum, diſſeremus. Nam hoc eſt præcipuum argumentum, quod in hac materia de coniugio Sacerdotum habeant aduerſarij.

Tota difficultas huius loci pẽdet ex ambiguitate illarum duarum locutionum. nempe, quid fuerit Apoſtolo, primam fidem irritã facere: deinde, quid ſibi voluerit, pro [illegible] habere [illegible].

Multíque magni viri, nomine primæ fidei intelligunt fidem datam Chriſto in Baptiſmate. Ibi enim quiſque promiſit præter alia, obedientiam in mandatorum Dei, inter quæ etiam eſt illud, *Non fornicaberis &c.* Primam igitur fidem feciſſe irritam dicuntur illæ viduæ: non quia nubere voluerunt, ſed quia contra promiſſionem factam in Baptiſmate, [illegible] *luxuriatæ fuerunt contra*

tra Chriſtum, hoc eſt, in contumeliam & infamiam Chriſti. Et hac de cauſſa etiam dicuntur habuiſſe τὸ κρίμα pro κατάκριμα, hoc eſt, condemnationem, æternam ſcilicet: quia qui tranſgreditur legem Dei, & obedientiam, quam promiſit, non præſtat: is mortem ſibi æternam conſciſcit. Iuxta hanc interpretationem, nihil hic locus pro cœlibatu Pontificios iuuat.

Alij primam fidem interpretantur priorem fidem, qua ſcilicet, cùm reciperentur illæ viduæ ad miniſterium Eccleſiæ, promiſerant ſe cœlibes & caſtè victuras, atque in illa vocatione conſtanter permanſuras. Ita nullum ibi nuncupatur Deo votum: ſed ſimplex fiebat pollicitatio Eccleſiæ, de ſua vocatione fideliter & conſtanter tuenda: quemadmodum & Studioſi, cùm recipiuntur in aliquod Collegium, citra omne votum promittunt, ſe leges Collegij ſeruaturos, &c. Cùm ergo potuerint tales promiſſiones fieri à viduis citra votum: non eſt cur Pontificij locum hunc Apoſtoli pro ſtabiliendo voto cœlibatus nobis obiiciant.

Imò locus iſte aduerſatur cœlibatus voto, de quo eſt controuerſia. Nam propter ſcandalum quarundam illarum iuniorum viduarum, quæ κατεστρηνίασαν τοῦ Χριστοῦ, & effecerant, vt malè audiret Eccleſia, & verò etiam ſeipſas perdiderant, abeundo poſt Satanam, hoc eſt, illius tentationibus obſequendo, aut fortè etiam à Chriſto, ad Gentiliſmum deficiendo: Apoſtolus propter hanc cauſſam, non ſolùm vetuit poſthac recipi viduas iuniores, & quæ non eſſent minùs quam 60. annos natæ: verùm etiam iuſſit omnes, quæ iam receptæ erant, & de quibus conſtaret, quòd cuperent nubere: has inquam iuſſit nubere, & filios procreare: antequam ſcilicet & ipſæ, ſicut priores καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ. Atque hoc manifeſtum eſt ex contextu Apoſtoli. Poſtquam enim dixiſſet, βούλομαι οὖν νεωτέρας γαμεῖν: mox ſubiecit rationes. Iam enim nonnullæ deflexerunt, ſecutæ Satanam. Quæ ſunt iſtę nonnullæ? Nonnullæ ſcilicet earum, de quibus dixerat, βούλομαι νεωτέρας γαμεῖν. Aliter enim non poteſt intelligi hæc ἀπόδοσις, niſi de iiſdem, hoc eſt, eiuſdem ordinis loquatur in propoſitione, de quibus & in redditione cauſſæ loquitur. Ex quibus autem erant illæ, quæ deflexerant, ſecutæ Satanam: ex receptis, an ex non receptis? Vtique ex receptis. Ergo cùm etiam ait, *volo iuniores nubere*, de receptis loquebatur: Nam de recipiendis iam antea dederat regulam: dicendo: *Porrò iuniores viduas reiice.* Itaque ſenſus Apoſtoli perſpicuus eſt. Quia iam nonnullæ earum, quæ receptæ ab Eccleſia fuerant, iuniores viduæ, defecerunt à propoſito, & à fide data, ſecutæ Satanam ſuis laſciuiis, in Chriſti contumeliam: & periculum eſt, ne reliquę etiam propter lubricam iuuentutem, idem faciant: idcircò ne id contingat ampliùs, βούλομαι reliquas iuniores viduas nubere, quæ ſcilicet, vt antè dixi, dabant aliquam ſignificationem ſui deſiderij, nempe nubendi. Confirmatur hæc interpretatio ex quadam tacita antitheſi, inter eas, quæ deflexerant, & reliquas quæ nondum deflexerant. Dixerat de illis Apoſtolus, *poſteaquam laſciuierunt in Chriſtum, nubere volunt:* nunc addit: *Ego verò volo reliquas* (antequam ſcilicet laſciuiant) *nubere.* Quid igitur magis, cœlibatus perpetui votum expugnat, quàm hic præſens Apoſtoli locus? Ac de iis, vt dixi, loquitur, quæ optarent nubere, quia iuxta ipſius regulam, *ſatius eſt nubere, quàm vri.* Vt enim neminem volebat cogi ad cœlibatum ſeruandum: ſic neque etiam ad contrahendum matrimonium. Et doctrina hęc conſentiens eſt cum illa, quam tradidit ad *Corinth. cap. 7.* Nemini enim volebat laqueum inijci. Et ſic etiam videtur Cyprianus intellexiſſe hunc Apoſtoli locum, cùm de ſui temporis virginibus Chriſto dicatis dixit, ad Pomponium, Epiſt. 11. lib. 2. *Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt, vt nubant, quàm in ignem ſuis delictis cadant.* Vnde enim hæc didicit? ab Apoſtolo in hoc loco: *Volo &c.*

Sed iam eſto, Apoſtolum de voto locutum fuiſſe perpetui cœlibatus, vt non pauci ex Patribus voluerunt: nihil tamen hinc euincetur aduerſus connubium eorum, qui tale votum vouerunt: quin ſi vxores ducant, illorum matrimonia ſint coram Deo rata & firma. Quòd enim ait Apoſtolus, hoſce homines habere hanc ob cauſſam κρίμα: inde concludi non poteſt, eos eſſe coram Deo condemnatos, eóque eorum coniugia eſſe tanquam adulterina vel inceſta, diſſoluenda. Nam Epiphanius imprimis fecit diſcrimen inter κρίμα, & κατάκριμα, idque facit, hunc Apoſtoli locum aduerſus hæreſim Apoſtolicorum explicans: ſicut ſuprà etiam demonſtrauimus, quo ſenſu ſic interpretatus ſit. Idem obſeruauit & noſtro tempore doctiſſimus Bucerus, & poſt hunc Martyr. Accedunt teſtimonia Auguſtini & Gelaſij, quæ ſuprà recitauimus ex *Decr. C. 27. q. 1. Can. 41. & 42.* Senſerunt enim ij duo Patres, connubia Sacerdotum, & quicunque votum cœlibatus vouerunt, vera eſſe matrimonia, eóque non diſſoluenda. Et diſertè ait Auguſtinus, illos qui poſt votum, vxorem ducant, non ideò peccare, quia matrimonium contrahant: ſed quia peccando, primam fidem irritam faciunt. Et ſic ante illum Epiphanius aduerſus Apoſtolicos, de his ſpeciatim loquens viduis, de quibus & Apoſtolus ait, eas non ideò peccaſſe, quòd nubere voluerint: ſed quòd primam fidem laſciuiendo in Chriſtum, irritam fecerunt: & eſt conſentanea cum verbis Apoſtoli hæc interpretatio.

Adde iam his Cypriani dictum in *Epiſt. 11 lib. 2. ad Pomponium*: Vero ſimile eſt, illas virgines, votum virginitatis nuncupauiſſe Domino Deo: Ait enim: *Quòd ſi ex fide, Chriſto ſe dicauerunt: pudicè & caſtè, ſine vlla fabula perſeuerent.* Addit verò, *Si autem perſeuerare nolunt, aut non poſſunt: melius eſt, vt nubant.* Docuit igitur Cyprianus, coniugia etiam poſt votum cœlibatus contracta, non damnari lege Dei. Alioqui qua conſcientia potuiſſet de illis virginibus dicere: *Si nolunt ſatius eſt, vt nubant.* Ita apparet locum hunc Apoſtoli minimè fauere Pontificiis, aut ad votum cœlibatus defendendum: aut ad coniugia, poſt tale votum contracta, adulterij vel inceſtus damnanda, aut diſſoluenda: cùm nihil minus cogitarit Apoſtolus, quàm iſtud ſacrilegum, tyrannicúmque commentum. Ac de primo, hoc eſt, de vera huius Apoſtolici loci intelligentia ſatis.

7. Cæterùm (vt veniam ad alterum caput) noſtri Aduerſarij vrgent hoc votum. Etſi enim è S. Literis, vt ex præſenti Apoſtoli loco, votum iſtud probari non poſſit: interim tamen iam olim à temporibus Apoſtolorum, vel ſaltem non ita multò pòſt, in Eccleſia omnium conſenſu fuiſſe receptum: vt omnes Eccleſiarum Miniſtri & Monachi perpetuum foueant cœlibatum. Vota autem, quia promiſſiones ſunt factæ Deo, præſtanda ſunt. *Vnde vota* (inquiunt) *ſine ſacrilegio, & magna Dei iniuria, violari non poſſunt, propter Dei mandatum, de illis reddendis. Per legem itaque Dei non licet illis, qui cœlibatum vouerunt, vti ſunt Sacerdotes omnes, Canonici & Monachi, matrimonium contrahere.*

Reſp. *Primùm* omnium nego hoc fuiſſe omnium conſenſu in Eccleſia olim receptum. Conſtat enim ex hiſtoriis, & ex Iure Canonico, à Syricio Papa primùm, qui annis fermè centum poſt Concilium Nicenum præfuit Eccleſiæ Romanæ, tentatum fuiſſe, vt lex à ſe concepta de cœlibatu, omnibus Eccleſiarum miniſtris imponendo, vbique reciperetur: ſed reclamatum itidem fuiſſe per omnes Eccleſias. Id quod poſtea etiam factum eſt, quum eandem legem renouaret Innocentius, & alij porrò Pontifices Romani, vſque ad Gregorium primum. Conſtat deinde Gregorium primum, primum etiam fuiſſe, qui ab omnibus, qui vellent ad miniſteria Eccleſiaſtica recipi, & ordinari, exigi voluerit promiſſionem: qua ſanctè Deo Eccleſiæ promitterent, ſe nunquam matrimonia contracturos, ſed in cœlibatu ſemper victuros: vt ſuprà ex diſtinct. 28. oſtendimus. Sed neque hic fuit ab omnibus auditus: vt manifeſtum eſt. Certè Orientales Eccleſiæ, nunquam tale iugum ſubire voluerunt: neque etiam Occidentales omnes, vt ſuprà etiam oſtendimus. Itaque primum, quod in præcedenti argumento aſſumptum eſt, receptā iam inde à temporibus Apoſtolorum, cœlibatum fouendi conſuetudine, apud omnes Eccleſias falſum eſſe conſtat. Sed per tyrannidem Antichriſtorum fuit tandem, annis ab hinc plus minus 300. in Eccleſiam Romanam primùm, deinde in alias Occidentales, intruſa. Hoc eſt primum.

Deinde, licèt conſuetudo hæc multis ab hinc annis recepta fuerit, & in Eccleſiam inducta: tamen contra verbum Dei fuiſſe receptam aio. Omnis enim vouendi ratio, per Chriſtum abrogata eſt, cùm ad ceremoniales leges pertinerent: vt doctiſſimus Martyr, poſt alios, euidentiſſimè demonſtrat, in libello de votis. Non licet autem, quæ abrogata ſunt, ea reuocare. Proinde in nouo Teſtamento, nullum de votis verbum legimus: niſi de eo, quòd Apoſtolus in gratiam Iudæorum perſoluit. Actor. 18. Multo verò minùs de voto perpetui cœlibatus. Imò contra hoc votum fortiter pugnat Apoſtolus: cùm iubet, *vt quiſque ſuam vxorem habeat propter fornicationem*: Et, *qui non ſe continet: matrimonium contrahat.* Et, *Non autem hoc dico ex imperio: ſed* κατὰ συγγνώμην: Et, *Si nupſerit virgo: non peccauit.* Et, *Non vt vobis laqueum iniiciam.* Denique noluit, vt quiſquam ſeſe ad cœlibatum vel lege vel voto obſtringeret: ſed qui poſſet, & quando quis poſſet ſe abſtinere, id faceret: Quando non poſſet, matrimonium contraheret: quòd ſatius ſit contrahere, quàm vri. E quibus omnibus colligitur, Spiritum Sanctum voluiſſe, vt coniugium eſſet omnibus liberum: neceſſarium autem aduerſus ſcortationem

remedium iis, qui non ſe continent. An non igitur contra voluntatem Dei inducta eſt in Eccleſiam conſuetudo, qua homines ſeſe ad perpetuum cœlibatum voto obſtringunt? Hinc ſequitur præceptum de perſoluendis Deo votis, ac præſertim de hoc, de quo diſputatur ad nos nihil pertinere. Præceptum enim fuit ceremoniale, de reddendis votis legalibus, quæ cùm abrogata ſint, & nullum nobis ſuperſit votum, niſi quod in Baptiſmo ex mandato Chriſti nuncupauimus de fide in ipſum, deque vita ad normam verbi ipſius inſtituenda (ſi tamen hæc promiſſio, quam à nobis ſtipulatus eſt Chriſtus in ſuo fœdere, voti nomine appellari poſſit) idcircò ad nullum ſeruandum votum lege Dei tenemur, niſi ad promiſſionem in Baptiſmo, ex fœdere factam.

Quare fruſtrà nobis obtrudunt mandata de votis reddendis. Hoc eſt alterum.

Tertiò, Etiamſi darem, in nouo quoque Teſtamento, nuncupari poſſe vota, & ea nobis eſſe perſoluenda: contendo tamen votum hoc de cœlibatu perpetuo, quod vouent Monachi & Sacrifici, legitimum non eſſe votum, eóque nec perſoluendum. Ad hoc enim, vt votum ſit legitimum, eóque verum & gratum Deo, tria hæc imprimis requiruntur.

Primùm, vt quod Deo voues, ex libera, ſpontaneáque voluntate, conſcientia minimè reluctante, & citra omnem coactionis ſpeciem, voueas. Docent hoc etiam ipſi Scholaſtici & Magiſter Sentent. *libr. 4. diſt. 38* Et id conſtat ex lege Domini, de votis. Sed quotus quiſque eſt in Eccleſia Romana Sacerdos, aut Monachus, vel Monialis, qui non niſi retinente animo, & reluctante conſcientia, perpetuum voueat cœlibatum? Eſt certè hoc manifeſtum in omnibus illis, qui minimè ad cœlibatum ſe idoneos eſſe intelligunt, ſed contrà vri ſe ſentiunt. Verùm, quia per legem Pontificum non licet vel in Monaſterio eſſe, vel in miniſterio Eccleſiaſtico, eóque nec illorum bonis frui, niſi voueatur cœlibatus: idcircò, licèt inuiti, lege illa coacti vouent votum caſtitatis. Manifeſtum hoc itidem eſt in illis, qui per ætatem non intelligunt, quid ſit, quod vouent, vt innumerabiles puellæ & adoleſcentuli. Certum verò eſt, niſi legibus Pontificum cogerentur, neminem ſponte ad talem cœlibatum, perpetuum ſcilicet, ſeſe voto obſtrictum eſſe. Ergo ex ſolo huius primæ circumſtantiæ defectu, euincitur, vota Sacerdotum & Monachorum de cœlibatu, minimè eſſe legitima, eóque nec firma ac rata: & nihil aliud ea eſſe, quàm laqueos, quos ſibi à Pontificibus iniici in collum, tam libenter permiſerunt, ad ſuas ſtrangulandas conſcientias, atque fures capti à Magiſtratu, libenter ſinunt ſe à carnifice, reſte in furcam adigi, atque ſuſpendi.

Deinde exigitur, vt quod voues, illud certò noueris Deo eſſe gratum, & ad eius gloriam pertinere. De hac etiam circumſtantia nemo dubitat. Quis enim Deo, aut etiam vlli homini id offerat, aut promittat, quod ei non ſit gratum? At quomodo certior fieri queas, iſtud votum, quo te ad perpetuum cœlibatum obſtringis, Deo gratum fore, cùm ipſe apertè docuerit, ſe nolle, vt cuiquam laqueus iniiciatur: ſed vt coniugium omnibus ſit liberum? Imò cùm contrà mandet omnibus, qui non ſe continent, matrimonium contrahant? Et vt quiſque propter fornicationem, ſuam habeat vxorem: quod ſatius ſit matrimonium contrahere, quàm vri? Ac proinde, vt quiſque ſeruare queat præceptum de non ſcortando, ordinarit matrimonium? Túne igitur tali voto obſtringes, quo impediaris, ne poſſis Dei mandata ſeruare? Certum eſt, infinitos propter obſeruationem huius humanæ traditionis, neceſſariò transgredi mandatum Dei. Itáne verò dicemus hoc placere Chriſto: quod ipſemet acriter reprehendit in Phariſæis? Eſt etiam regula generalis Apoſtoli: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſſe.* Nemo autem dicere poteſt ſe ex fide vouere cœlibatum in ſempiternum: cùm hac de re nullum habeat in ſacris literis verbum cui fides nitatur. Quomodo igitur nuncupari poſſunt hæc vota, ſine magna in Deum contumelia atque iniuria? Quare nec legitima nec rata eſſe poſſunt. Adde & hoc, quòd neque illud gratum eſſe poteſt Deo, quod in tuam cedit damnationem. An non verò in perniciem animæ tuæ cedit iſtud votum: cùm propter huius obſeruationem, in multa horrendaque ſcelera ſubinde ruere quaſi cogaris?

Tertiò, legitimum ratúmque votum eſſe non poteſt, cùm illud voues, quod vt præſtes, in tua poteſtate ſitum non eſt. Proinde in lege, *Num. 30.* Si filius, ſub patria poteſtate conſtitutus, aliquid vouiſſet Deo, in quod non conſentiret pater: votum illud, ratum eſſe Deus nolebat: propterea quòd promiſerat id filius, quod ſibi liberum non erat perficere ſeu perſoluere. Idem de vxore & ſeruo: ſi quid vouiſſent ſine conſenſu mariti & domini. At verò dic mihi, in tuáne eſt poteſtate, vt quam vouiſti caſtitatem, præſtes? Scriptura certè aliter docet. *Noui* (inquit Sapiens, in libr. Sapien. 8.) *quod non aliter poſſim eſſe continens, niſi Deus det.* Et hoc ipſum eſt prudentia, ſcire cuius hoc donum ſit. Sed quid opus eſt multis probationibus? Vnus Chriſtus diſerte hoc docet, cùm ait: *Non omnes capiunt verbum hoc: Nec omnibus datum eſt, vt ſe caſtrent propter regnum Cœlorum, eóque non omnibus expedire, vt careant vxore.* Concludit:

At orationibus impetrari poteſt: Verum, ſi Deus velit exaudire. Sed qui ſcis, Deum iſtas tuas preces pro dono cœlibatus exauditurum: cùm nullam habeas hac de re promiſſionem? Certè Apoſtolus ardenti voto ter rogauit Dominum: vt auferretur à ſe ſtimulus carnis, & tamen repulſam paſſus eſt. Non denegat Deus, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt. At cœlibatus non eſt neceſſarius: cùm etiam coniugati, ſalui eſſe poſſint: imò cùm etiam matrimonium ordinatum ſit ad ſalutem eorum, qui non ſe poſſunt continere. Sed fac, vt exaudiaris, qui ſcis, quàm diu velit te Deus dono iſto cœlibatus frui? Metuendum ſemper eſt, ne qui hodie ſtas, cras labaris. Non potes igitur te ad perpetuum cœlibatum voto obſtringere: cùm vt illud præſtes, in tua non ſit poſitum facultate. Excipiunt etiam hypocritæ ieiuniis & vigiliis ita poſſe carnem domari, vt non ſentiat vſtionem. Proſunt procul dubio: ſed quantum & quàm diu? Interroga Hieronymum, & lege, quæ de ſe ſcripſit ad Euſtachium de ſeruanda virginitate. Deinde, vt ieiuniis carnis petulantia frenetur: quis tamen purgabit corda, & extinguet flammas, quæ in animis ipſis carnalium hominum ardent, niſi Deus ſuo Spiritu? Ideo oratio eſt perpulchra: *Vre igne ſancti Spiritus, renes noſtros, & cor noſtrum Domine, vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.* Mirabile verò eſt, quòd impij hypocritæ, varia excogitent remedia aduerſus vſtionem: & remedium præſentiſſimum, quod Deus illis offert & mandat, negligunt. Nihil igitur certius eſt, quàm vota cœlibatus in perpetuum ſeruandi, impia, vana, temeraria, eóque planè illegitima eſſe, Deóque ingratiſſima.

Quid verò hinc efficitur, niſi talia vota, eſſe reuocanda? Regula eſt Iſidori, approbata etiam à Pontificiis: *In malè promiſſis reſcinde fidem: in turpi voto, muta decretum. Quod incautè vouiſti, ne feceris. Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur, &c.* Proinde damnatur Herodes, quòd propter iuſiurandum, ſed iniquum, occidi iuſſerit Ioannem Baptiſtam, & eius caput dari ſaltatrici.

Eſt contra officium (inquit Ambroſius) *aliquando promiſſum ſoluere iuramentum.* Contrà laudatur Dauid: qui licèt iurauerit per Deum, hoc eſt, promiſerit Deo, ſe occiſurum Nabal, virum ſtultum, tamen ad primam Abigail vxoris Nabalis prudentiſſimæ interceſſionem, recondidit enſem in vaginam, nec aliquid culpæ ſe tali periurio contraxiſſe docuit. Vnde Auguſtinus: *Iurauit* (inquit) *Dauid temerè; ſed non impleuit iuramentum maiori pietate.* Itaque qui impia & iniqua promittit ac iurat, peccat: ſed qui talia mutat iuramenta, benè facit. Qui verò non mutat, dupliciter peccat, & quia iniuſtè iurauit: & quia facit, quod non debet. Quare vota de cœlibatu perpetuo, impia cùm ſint & illegitima: eos, qui illa nuncuparunt, minimè obſtringunt: Ac proinde impedire non poſſunt, quin tam miniſtris Eccleſiarum & Monachis, quàm aliis hominibus liceat, per legem Dei, matrimonia contrahere. *Vide & diſt. 13. Can. 1. & eſt Concilij Toletani cùm noxia promiſſa complemus, & Dei iuga contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipſos crudeliori mortis gladio trucidamus. Tale autem votum cœlibatus.*

Quid? Quòd hac de re diſputarunt etiam Canoniſtæ, & concluſerunt, vota hæc diſpenſari poſſe à Pontifice Romano: quibus etiam multi Scholaſtici Theologi ſubſcripſerunt, vt ſuprà oſtenſum eſt. Quid? Quòd ipſe Pontifex re ipſa ſæpe declarauit, vota hæc de cœlibatu, iuris eſſe poſitiui, non autem diuini: ac proinde conſcientias, non obſtringi apud Deum? Sæpe enim hæc vota diſpenſauit: vt loquuntur: vt ex multis hiſtoriis demonſtrari poteſt.

8. Ex Apocalypſ. 14. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, &c.*

Reſpond. Cùm ait, *Cum mulieribus*: Intelligendum eſt: *non ſuis.* Cum vxore enim ſua ex legitimo vſu nemo coinquinari poteſt: quia *honorabile connubium, & torus immaculatus.* Probat autem non fuiſſe coinquinatos, argumento firmiſſimo: quia ſcilicet virgines ſunt. Nil ergo ad rem iſte locus.

Hactenus è ſacris literis argumenta Aduerſariorum.

Reſtant duo: vnum ex Iure Canonico: ſiue ex Patribus: alterum ex iure Ciuili.

9. Patres non pauci & multæ Synodi probant cœlibatum Sacerdotum: húncque ab illis exigunt.

Reſpondeo, *Primò*: Eſt hoc verum: ſed an bene, vel malè hoc faciant, diſputatur. Nos contendimus, iniquè fuiſſe hãc legem impoſitam Sacerdotibus: quòd pugnet cum libertate, quam Chriſtus reliquit omnibus: & cum præcepto, quo iubentur omnes incontinentes matrimonium contrahere: quia *ſatius eſt nubere, quàm vri*.

Neque eſt, cur quiſpiam dicat, excipi Sacerdotes, & qui votum vouerunt caſtitatis. Verbum enim Domini neminem excipit: Imò finis cur matrimonium præcipiatur, docet etiam Sacerdotibus præcipi, vt ſcilicet vitent fornicationem, & ne vrantur.

Præterea, quæ ſunt naturalia, prohiberi non poſſunt iuſtè. Qua enim æquitate quis vetet, ne quis, etiamſi fame prematur, vnquam edat? Et, ſi fortè hac re quis prohibeatur: non tenetur tali legi obtemperare. Quid ita? Quia contra naturam eſt. Certè non minùs naturale eſt deſiderium viri ad fœminam & viciſſim huius ad illum, quàm cuiuſuis animalis, ad cibum & potum. Fuerunt igitur iniquiſſimæ leges de cœlibatu perpetuo.

Secundo: Videnda cauſſa, propter quam Patres cœlibatum requirebant à Sacerdotibus Si qua fuit bona cauſſa, hæc fuit: nempe, vt liberiùs & expeditiùs poſſent vacare rebus diuinis: iuxta Apoſtoli verba, priori Corinth. ſeptimo. Tolle hanc cauſam, non exegiſſent ſancti Patres. Nam de illis Pontificibus qui tum oſtentandæ ſanctitatis, & ita conciliandæ ſibi auctoritatis cauſſa: tum vt bona Eccleſiaſtica ſeruarentur, cœlibatum vrgebant: indignum eſt etiam loqui. Deinde oſtendimus, cœlibatum non omnibus prodeſſe, multis autem coniugium, ad res etiam ſpirituales. Et ſicut multi cœlibes curant magis, quæ ſunt Mundi: ſic multos coniugatos curare magis quæ Dei, quàm quæ Mundi ſunt.

Tertiò: Quanquam multi exegerunt cœlibatum à Sacerdotibus: tamen contrà non pauci etiam cenſuerunt, non eſſe hunc laqueum conſcientiis iniiciendum: imò in Conciliis vniuerſalibus fuit hoc prohibitum, ne fieret: vt in Nicæno: & in ſexta Synodo.

Quartò, etſi Patres ſenſerunt cœlibatum imponendum eſſe Sacerdotibus: tamen ſi quis coniugium iniiſſet etiam poſt ordinationem, tale coniugium non ſoluebant tanquam illegitimum: neque tales coniuges hæreticos vocabant. Senſerunt igitur, ſecundùm verbum Dei, poſſe Sacerdotes contrahere matrimonia.

10. Ex Iure Ciuili. Iuſtinianus in Nouellis, conſtitutione 6. & 123. 137. leges hac de re tulit. Eſt autem parendum Magiſtratui ciuili: non ſolùm propter timorem, ſed etiam propter conſcientiam.

Reſpond. Verum, ſed in iis, quæ cum verbo Dei non pugnant. Oportet enim obedire Deo magis, quam hominibus. Atqui pugnant conſtitutiones illæ cum verbo Dei, quod ait: *Qui non ſe continet, matrimonium contrahat, &c.* imò & cum ipſa natura: vt ſuprà oſtenſum eſt.

THESIS II.

Omnibus priore coniuge deſtitutis, tam miniſtris verbi, quàm (vt vocant) Laicis: nouum contrahere connubium licet.

FVerunt, qui non ſolùm miniſtris, verùm etiam reliquis omnibus, poſt primas nuptias, ſecundas non licere contenderunt: multò minùs tertias & quartas. Horum principes fuerunt primùm Montanus omnéſque Cataphryges: Deinde Tertullianus: qui cùm primùm aduerſus hæreticos illos pugnauiſſet: poſtea tamen in eorum caſtra tranſiens, librum de Monogamia reliquit. Græci verò, etſi reliquis non denegabant ſecundas nuptias: Sacerdotibus tamen ſeu miniſtris Eccleſiarum omnino prohibebant: idem poſtea confirmarunt Pontifices Romani. Nos ſi demonſtremus, miniſtris licere ſecundas contrahere nuptias: idem de reliquis concluſum fuerit: Et, ſi reſponſum fuerit ad argumenta contra ſecundas nuptias miniſtrorum, non erit opus alia argumentorum aduerſus ſecundas Laicorum nuptias, refutatione. Age igitur confirmemus Theſim.

1. *Principio*, Geneſ. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* Homini, quicunque ille ſit, dat vt poſſit vxorem ducere. Ergo etiam Sacerdotibus. Neque præſcribit, vt ſemel tantùm ducat: modò vni duntaxat adhæreat. Non prohibet igitur, quin poſt vnam, alteram ducere poſſit: Patres verò ante legem, hanc prim[illegible] interpretationem ſuo confirmarunt exemplo: cùm vna mortua, aliam ducebant. Ergo ex prima Dei ordinatione, eóque à natura eſt, vt liceat etiam Sacerdotibus, qui viri ſunt, vna priuati, alterius coniugio copulari.

2. *Secundum* argumentum. Deut. 25. Generatim Dominus præcepit, vt ſi frater moriatur ſine liberis: vxorem eius viduam, alter frater vel propinquus acciperet, & ex ea ſuſcitaret ſemen fratri ſuo. Potuit hoc contingere etiam inter Leuitas & Sacerdotes. Licuiſſet igitur Sacerdoti, qui habuiſſet vxorem, fratris ſui defuncti vxorem accipere, & ſemen illi ſuſcitare ex Dei mandato. Sed ne quis quid excipiat, nempe diſputationem hîc non eſſe de Sacerdotibus veteris Teſtamenti, ſed de noui: proferam ex nouo Teſtamento teſtimonia.

3. Argumentum igitur *tertium* Roman. 7. *Mulier, viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir eius: liberata eſt à lege viri: vt non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.* Quod autem de muliere ſcribit: idem & de viro ſenſiſſe Apoſtolum, dubium non eſt; nempe vt tam viro poſt mortem vxoris: quàm vxori poſt mortem viri, nouum liceat contrahere matrimonium. Nam 1. *Corinth.* 7. tam facit obligatum vxori virum, quàm viro vxorem. Eſt porrò doctrina hæc Apoſtoli generalis, ſine vlla exceptione alicuius viri, vel mulieris. Sacerdotes ergo non excipiuntur.

4. *Quartum*. Apoſtolus, 1. *Corinth.* 7. Viduis omnibus concedit, vt nubant, modò in Domino. Licet igitur etiam Sacerdoti, hoc eſt, miniſtro Chriſti viduo, nouas celebrare nuptias. Nullum enim viduorum genus hominum excepit Apoſtolus.

5. *Quintum*. Præceptum item illud: *Qui non ſe continet, nubat*, & generale eſt, & perpetuum. Non ſolùm igitur licet miniſtro, verùm etiam præcipitur: vt ſi poſt primas nuptias non poteſt ſe continere, cõtrahat ſecundum matrimonium, & tertium, & quartum. Et ſic docuit Auguſtinus in genere, ex hoc loco Apoſtoli, Tom. 3. de fide in Petrum, cap. 3. *Si cui primo contigerit priuari coniugio: is ſecundum vel tertium inient, nullum peccatum habet.* Ibidem cap. 42. *Nuptiæ non tantùm primæ, diuinitus inſtitutæ ſunt, & benedictæ: ſed & ſecundæ & tertiæ, pro eorum, qui ſe continere non poſſunt, infirmitate. Quid igitur, ſi etiam miniſter continere non poſſit?* Atque hoc pio & Apoſtolico Auguſtini dicto refellitur, quod Ambroſius habet, inquiens: *Nemo cum ſecunda benedicitur.* Item: *Scimus coniugium ſemel benedici.* Conſuetudo illa probari non poteſt. Cur enim cui benedicit Deus: non benedicant etiam homines?

6. *Sextum*. Sunt & Patres non pauci, qui defendant ſecundas & tertias nuptias: idque partim in genere, vſi rationibus etiam Apoſtolicis, quæ tam miniſtris, quàm Laicis fauent: partim ſpeciatim de Epiſcopis. Hieron. *Tom.* 1. *Epiſtola ad Oceanum*, *pag.* 329. in qua Epiſtola explicat quæſtionem, Num repetens matrimonium à Baptiſmo, poſſit fieri Sacerdos, enarrans locum Pauli 1. Tim. 3. *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*: ſic ait: *Ex Iudæis erat Apoſtolus. Prima Chriſti Eccleſia de Iſraël reliquiis congregabatur. Sciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum ac Moſi familiari, populo in multis vxoribus liberos ſpargere Cuius etiam licentia, Sacerdotibus patebat arbitrium. Præcepit ergo* (ne eandem licentiam Eccleſiæ ſibi vindicent Sacerdotes) *ne bina pariter, & trina ſortiantur coniugia: ſed vt ſingulas vno tempore vxores habeant.* Quid hoc teſtimonio, & hac explicatione Hieronymi clarius? Docet enim, Apoſtolum, cùm ait: *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*, non vetare, quin vna mortua, aliam ducat: ſed ne exemplo Iudæorum, quibus permiſſum erat multas ſimul habere vxores: ipſe quoque Chriſtianus Epiſcopus, vno eodémque tempore, plurium vxorum eſſet maritus. Locus iſte inſignis eſt. Ergo etiamſi alibi Hieronymus diuerſum doceat: obiiciendus eſt illi hic præſens locus, & hæc vera ac genuina Apoſtolici loci interpretatio.

Bernhardus in Cant. Serm. 66. refutat eos, qui docebant, inter virgines tantùm matrimonium contrahi poſſe: non autem inter viduos & viduas. Ac præter alia vrget locum Apoſtoli ex 1. Corinth. 7. *Mulier, quanto tempore vir eius viuit, alligata eſt viro: Si autem dormierit vir eius ſoluta eſt à lege viri, cui vult, nubat: tantùm in Domino.* Tum ſubdit: *Paulus eſt, qui concedit vidua, vt cui vult, nubat: & tu econtrà præcipis, nulla præter virginem nubat: & hoc non niſi virgini, vt non cui vult nubat vel ipſa? Quid manum Dei abbreuias? Quid largam benedictionem nuptiarum reſtringis? Quid proprium vendicas virginis, quod indultum eſt ſexui? Non concederet hoc Paulus, ſi non liceret. At parum dico, concedit, vult quoque: Volo, inquit, adoleſcentiores nubere: nec dubium, quin viduis dicat. Quid manifeſtius? Ergo quod concedit, quia licet,*

etiam vult, quia expedit. Quod licet, & expedit, hæreticus prohibet? Nihil ex hac prohibitione perſuadebit: niſi quod hæreticus eſt. Hæc Bernhardus. Quæ quàm bellè in Aduerſarios quadrent, qui Sacerdotibus, quod Apoſtolus concedit, quia licet: imò & quod vult ac mandat, quia expedit, illi prohibent: nemo eſt, qui non videat. Si autem inde euincit Bernhardus, eum eſſe hæreticum, qui prohibet quod Apoſtolus concedit & vult, an non hæretici ſunt Bernhardo Pontifices Romani: qui non tam in coniugio, quàm in multis aliis rebus prohibent, quod permittit, imò & præcipit, non Apoſtolus tantùm, ſed etiam Chriſtus ipſe? Satis confirmata eſt Theſis: Licere cuiuis homini & miniſtro verbi, priori defuncto vxore, aliam ducere. Reſpondendum eſt paucis ad quædam Aduerſariorum obiecta.

1. Obiiciunt loca ex veteri & nouo Teſtamento, vbi vnius vxoris tantùm fit mentio, vt *Geneſ. 2. Et adhærebit vxori*, &c. Non multas igitur licet ducere. Sic illud 1. *Tim.* 3. Vnius vxoris virum.

Reſp. Damnat Spiritus ſanctus multas ſimul duci, non alteram poſt primam vel demortuam, vel iuſta de cauſſa repudiatam. Et pro huius reſponſionis confirmatione, adducimus locum Hieronymi, antea ex Epiſtola ad Oceanum citatum.

2. Afferunt & illud ex Leuit. 21. *Sacerdos vxorem in virginitate ſua accipiet, viduam non accipiet*, &c. Multò minùs ergo vult ipſum Sacerdotem viduum ſecundis vti nuptiis.

Reſp. Nihil ad rem facit. Primùm: Ad Sacerdotem duntaxat hæc lex pertinebat, non ad reliquos, nec ad Leuitas. Secundò: Imò etiam Sacerdoti ſummo licebat accipere viduam, modo eſſet vidua alterius Sacerdotis, vt docet Ezech. 44. verſ. 22. Tertiò, vetat, ne ducat viduam: Ergo vetat, ne poſt vnam, alteram ducat vxorem. Negatur illatio. Adde, quòd lex illa abrogata eſt. Quare nil ad Rhombum hic locus.

3. Item 1. Tim. 5. *Vidua deligatur, quæ fuerit vnius viri vxor.* Improbabat igitur illas, quæ plures habuiſſent maritos. Quare idem de viris ſentiendum, qui plures vxores habuiſſent. Eſt autem certum, nunquam vnam mulierem, habuiſſe plures maritos ſimul. Ergo de illis loquitur Apoſtolus, quæ poſt vnum, alteri nupſerant.

Reſp. Apoſtolus loquitur de illis, de quibus 1. Corinth. 7. *Si diſceſſerit mulier à viro, aut viro: reconcilietur, aut maneat innupta. Si qua igitur hoc modo diſceſſiſſet à viro, & alteri* [vt tum fiebat, præſertim inter Iudæos] *nupſiſſet: duos certè ſimul habuiſſet viros, vnum legitimum, alterum non.* Has vetat recipi Apoſtolus, quæ ſcilicet habuiſſent duos tales viros, à quorum altero diſceſſiſſent, & cum altero habitaſſent.

4. Sed Canones Apoſtolorum & Conciliorum vrgent, & Patres aliquot, qui ſi non in omnibus, ſaltem in Sacerdotibus & aliis Clericis, vt Presbyteris, Diaconis, damnarunt ſecundas nuptias. Exemplum. Inter Canones Apoſtolorum eſt can. 17. qui ſic habet: *ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα ἢ παλλακὴν κτησάμενος· οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος*, &c.

Reſp. Non contendam ego hîc de iis Canonibus, an ſint Apoſtolorum, necne. Scio horum pleroſque & antiquos eſſe, & Apoſtolicæ doctrinæ conſentaneos. Ad Canonem igitur dico, ſi Apoſtolicus eſt, non poteſt aliter intelligi, quàm doctrina Apoſtolica, vbi prohibet multas vni Epiſcopo vxores, 1. *Tim.* 3. *Tit.* 1. Ibi autem Apoſtolus non vetat, quin poſt vnam, alteram, priore priuatus, accipiat, ſed tantùm ne duas ſimul habeat, vt ex verbis Apoſtoli, & Hieronymi etiam interpretatione ad Oceanum, manifeſtè liquet. Et hoc etiam confirmatur ex verbis Canonis, cùm ſubdit, *ἢ παλλακὴν κτησάμενος*. Pellex autem eſt illa, quæ viuenti vxori ſuperinducitur. Canon igitur vetuit, ne Epiſcopus aut duas ſimul haberet vxores, aut vxorem & pellicem. Atque hoc modo reſpondendum eſt ad omnes alios, quotquot adduci poſſunt Canones: nempe niſi apertè impij ſint, ita vt bonum ſenſum percipere nequeant. Tunc enim vt impij reiiciendi ſunt ſimpliciter.

Ad argumenta verò, & Patrum, ſi qui ſint, auctoritates, vt Tertulliani & quorundam fortè aliorum: quibus ſimpliciter ſecundæ nuptiæ damnari videntur, obiiciatur Canon Concilij Florentini, qui ſic habet: *Quoniam nonnullos aſſeritur, quartas nuptias tanquam condemnatas reſpuere, ne peccatum, vbi non eſt, eſſe putetur, cùm ſecundùm Apoſtolum, mortuo viro, mulier ſit ab eius lege ſoluta, vt nubendi cui vult, in Domino habeat facultatem, nec diſtinguat mortuo ſecundo vel tertio, declaramus non ſolùm ſecundas, ſed tertias & quartas atque vlteriores, ſi aliquod Canonicum impedimentum non obſtet, licitè contrahi poſſe.* Ac de hac re ſatis.

THESIS III.

Qui ſine cauſſa legitima vel repudiarunt coniugem, vel repudiati ſunt à coniuge: his non licet nouum contrahere matrimonium: ac ſi contrahunt, adulterium committunt.

MAtth. 19. locus eſt apertiſſimus. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, is mœchatur*, ſeu, *adulterium committit*. Idem Marci 10. & Luc. 16. Conſentaneè Apoſtolus 1. *Cor. 7. ver. 10. Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, denuntio non ego, ſed Dominus, vxor à viro ne diſcedito*, (nempe ſine cauſſa legitima, quæ eſt adulterium.) *Quòd ſi etiam diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconcilietur.*

THESIS IV.

Qui verò, vel quæ, iuſta de cauſſa, nempe propter adulterium, legitimum à ſuo coniuge fecit diuortium: huic nouum contrahere matrimonium licet: parti autem nocenti non ita.

THeſis hæc contra Pontificios eſt, qui propter adulterium volunt quidem licere viro facere tale diuortium ab vxore adultera, vt ab eius ſeparetur toro: ſed non tale, vt ei liceat nouam ducere vxorem. Sed verbis Chriſti refelluntur, quæ habemus *Matth.* 19. Id quod aliquot argumentis demonſtro.

1. Principio conſtat, Chriſtum non de alio diuortij genere locutum eſſe, quàm de eo, quod vſitatum erat apud Iudæos: ſed cauſſam diuortij duntaxat correxiſſe. Sicut enim antea quauis de cauſa faciebant diuortium, nunc ait, non licere, niſi propter adulterium. Non mutat ergo diuortij rationem aut ſpeciem, ſed tantùm cauſſam. Sic ergo argumentor. Propter adulterium, tale diuortium fieri poteſt per legem Chriſti, quale antè fiebat quauis de cauſſa per legem de libello repudij. Atqui tum ita licebat diuortium facere ab vxore, etiam non adultera, vt liceret alteram ducere. Hoc eſt manifeſtum ex veteri Teſtamento, & ex verbis Chriſti. Imò in hunc finem dabatur libellus repudij vxori, quo dabatur ei teſtimonium honeſtatis, vt denuò poſſet alteri nubere. Neque certè aliud diuortium nouit ſcriptura, quàm illud, quo ita ſoluitur innocens à nocente, vt innocenti liceat aliud contrahere coniugium. Proinde Chriſtus, cùm legem illam corrigit, quæ propter duritiem cordis Iudæorum tradita fuerat: vtrumque ſimul coniungit, nempe, neque quauis de cauſſa licere vxorem dimittere: neque ea dimiſſa, aliam ducere. Quibus verbis ſatis apertè indicat, non aliud fuiſſe apud Iudæos, & in Eccleſia Dei, diuortij genus, quàm quo perfecto, aliam ducere permittebatur. Ergo ſi propter adulterium [cauſſam ſcilicet legitimam] licet cuique facere tale diuortium à coniuge adultera, quale faciebant Iudæi: illi verò tale faciebant diuortium, vt per legem de repudij libello, liceret viro aliam ducere: efficitur, idem licere per legem Chriſti, propter cauſam adulterij.

2. Quæ damnat Chriſtus in diuortio, quod fiebat quauis de cauſſa, ea probat in diuortio, quod fit propter adulterium. Hoc enim tanquam iuſtum, illi tanquam iniuſto opponit, vt cauſſam cauſæ, effectum effecto. Atqui duo in illo damnat: vnum, quod quauis de cauſſa fieret: alterum, quòd vxore propter quamuis cauſſam dimiſſa, alteram ducerent. Probat igitur, & licere vtrumque docet in hoc altero: nempe & propter adulterium diuortium facere ab vxore adultera, & poſt tale diuortium, alteram ducere. Et quale obſecro diſcrimen eſſet inter diuortium, quod fit quauis de cauſa, & inter illud, quod fit propter adulterium, ſi poſt diuortium & ſeparationem, adulterij cauſſa factam, non liceret alteram ducere: ſed innocens cogeretur manere inconiugatus?

3. Quem Deus à ſuo coniuge diſiungit: ita ſolutus eſt prioris coniugij vinculo, vt ei liceat nouum cõtrahere cum alia matrimonium, alioqui non eſſet diſiunctus: nec verè ſolutus. De iis enim etiam loquitur Paulus, cùm ait, 1. Cor. 7. *Alligatus es vxori, ne quære ſolutionem: Solutus es ab vxore, ne quære vxorem. Quòd ſi etiam duxeris vxorem: non peccaſti.* De verè enim ſolutis loquitur Paulus, qui ſcilicet per Deum, ſeu per legem Dei ſoluti ſunt. Atqui Deus eſt ille, qui diſiungit innocentem à nocenti coniuge, cùm adulterium intercedit. Liquet hoc ex verbis Chriſti, qui ideo improbauit diuortia, quæ fiebant alia de cauſa, quam propter adulterium: quia tunc non Deus, ſed homo ſeparat, quod Deus coniunxerat. Cùm igitur probet ſeparationem,

quæ fit propter adulterium, manifeſtè docet, hanc fieri à Deo, non ab hominibus, & ita etiam habetur in *Dec.C.32. q.1. Can.18. Quos Deus*. Quare ſic: poſt illam ſeparationem, quæ fit ab hominibus, & non à Deo, non licet nouum fieri connubium, ſic poſt illam, quæ fit à Deo, licet nouas celebrare nuptias. His tribus firmis rationibus ex verbis Chriſti deductis, ſatis apertè refellitur commentum Pontificiorum, de diſcrimine inter ſeparationem à toro, & diſſolutionem coniugalis vinculi, nempe propter adulterium, illam licere: Hanc autem non fieri, omninóque impium eſſe, ſi fiat. Si enim Deus diſſoluit, quomodo non eſt diſſolutum?

4. Quibus accedit etiam Ambroſij teſtimonium, qui in 1 Cor. 7. in ea verba: *His autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus*, ſic ſcribit: *Viro licet ducere vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantē* (peccato ſcilicet adulterij, vt antè expreſſit). Et citatur etiā *C.32.q.7.Can.17. vxor.*

Quanquam verò idem ger Ambroſius concedi vxori, quę à viro adultero diuortium fecerit, tamen Chriſtus æqualē facit vtriuſque conditionem, vt ex *Marc.10 & Luc.16*. colligere licet: Ibi enim de eadem re dicit qua & *Matth.19*. differt. Proinde ibi quoque particula, *excepta fornicationis cauſſa* ſubintelligenda eſt. Itaque licet parti innocenti nouum contrahere matrimonium.

5. Idem concedunt leges ſanctorum Imperatorum *C. lib. 5. Tit. 17. de repudiis Lib. 10. c. ſi a. par. igr. Si verò*. Et loquitur de vxore ipſa: *verò mulier cauſſam probaueris intentata* (Multis enim de cauſis permittebatur diuortium, inter quas etiam eſt adulterium) *tunc eam* (vxorem ſcil. innocentem) *& ſuam rec. pere, & ante nuptias, donationem lucro habere aut vindicare cenſemus: & nubēdi poſt annum ei* ne quis de prole dubitet *permittimus facultatē. Cur ſolì annum ius ca. iam nubendi, non et ante facultatem mulier? Ne quis inquit, dubitet de prole*. Hæc erat cauſa, cur nunquam licebat viro vxori, vel vid. æ, vel repudiatæ, denuò nubere, niſi poſt annum. Idem poſtea concedunt viro: ſed vt ſtatim repudiata adultera, aliam ducere poſſit.

Idem confirmatur in *Authent. collatione octaua Tit.13. vt liceat matri & auiæ: parag. Quia vero plurimas*. Vera enim repudia concedunt leges Ciuiles, quibus fit, vt innocens pars verè ſit libera, & alio coniugij vinculo iungi poſſit.

6. Deinde ſi Apoſtolus nullum conſcientiis laqueum iniicere volebat: multò minùs id facit Chriſtus. An non verò laqueum iniiceret, & ad ſcortandum cogeret, ſi poſt legitimum diuortium, innocenti parti, quæ non poteſt ſe continere facultatem adimeret (vt Antichriſti faciunt) nouum contrahendi matrimonium?

7. Omnes etiam leges tam diuinæ, quàm humanæ, in ſalutē hominum, eum animæ imprimis tum corporis, tum bonorum etiam externorum, conſtitutæ ſunt. Vnde & *Digeſt. lib. 1 Tit. 3 de legibus. leg. 24. Nulla* pulcherrimè ſic definitur: *Nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur: vt quæ ſalubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeueritatem*. Annon verò lex illa in ſalutem hominis conſtituta eſt, quam Apoſtolus habet 1. *Corinth.7. Qui non poteſt ſe continere, nubat?* Qua igitur æquitate illa eſt, vt poſt diuortium innocens pars, quę non poteſt ſe continere, huius legis beneficio priuetur?

8. Quin etiam recepta eſt regula apud Canoniſtas, *Cauſſas matrimoniales eſſe cognoſcendas & iudicandas in Eccleſia, ſecundum diuinas regulas*. Nam ex iis ius Pontificium ſolent videri eſſe profectum. Vnde & *Extr. lib. 5. Tit. 1. de Accuſat. inibus cap.24. Qualiter & Quando*: Innocentius tertius ait, qualiter & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum ſubditorum exceſſus, ex autoritatibus veteris & noui Teſtamenti euidenter colligi. At vbi vnquam vel in nouo, vel in veteri Teſtamento vetitum eſt parti innocenti, quæ propter adulterium diuortium facit a parte nocente, ne nouum contrahat connubium? In veteri ne iota quidem vnum, neque etiam Chriſtus in nouo id cauit, neque Apoſtoli docuerunt, imò contrarium, vt ſuprà oſtenſum eſt. Id quod inde confirmatur: quia Deus voluit adulteros plecti capite, neque Chriſtus hanc legem abrogauit. Liberum igitur volebat eſſe innocentem, vt denuo poſſit contrahere.

Ad loca *Matth.5. & 19.* reſponſum eſt, Non damnari mœchiæ ſeu adulterij eum, qui poſt dimiſſam vxorem, aliam ducit: niſi qui id facit poſt dimiſſam alia de cauſſa, quàm propter adulterium. In locis Marci & Lucæ, licet particula hæc non exprimatur: eſſe tamen neceſſariò ſubintelligendam diximus: ne Chriſtus pugnantia docuiſſe videatur.

Ad loca Pauli, tam *Rom.7.* quàm *1. Cor. 7. Mulier obſtricta eſt viro, quam diu viuit vir eius*. Reſponſum eſt, quæ propter adulterium reiecta eſt, non eſſe amplius eius, à quo reiecta eſt, vxorem: neque illum, huius virum. Deus enim eo, diſiunxit.

4. Denique idem confirmari poteſt ex Decreto Alexandri III. Si quis illud velit dextre interpretari. *Extra libr. 4. Tit. de Sponſalib. & Matrimoniis, cap. 9. ex parte. Nemini*, inquit, *licet vxorem ſuam ſine manifeſta cauſſa fornicationis dimittere, & tunc eam ſibi reconciliare debet, aut ipſa viuente, continere*.

Hunc locum ſic interpretari licet & decet: vt ſit conſentaneus cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum. Apoſtolus optimus Chriſti interpres, ſic docet: *Non debere virum dimittere vxorē diſcedere à viro* (nempe, *niſi fornicationis cauſſa*, vt Chriſtus habet expreſſe. Quòd ſi diſceſſerit nempe alia de cauſſa, quàm propter fornicationē: tunc debet eam aut viro reconciliari, aut manere innupta. Ergo ſi volumus eſſe æqui interpretes, etiam Canonis Alexandri: ſic interpretari debemus ea verba: *Nemini*, inquit, *licet vxorem ſuā ſine manifeſta cauſſa fornicationis dimittere* (hoc bene habet) poſtea ſubdit. *Et tunc* nēpe ſi dimiſerit ſine manifeſta cauſſa fornicationis) *eam ſibi reconciliare debet aut ipſa viuente continere* Ita nulla vis fit verbis Alexandri: & conſentanea eſt interpretatio cum ſacris literis. Ergo etiā ex hoc decreto colligere licet non iubeti illum continere ſe, qui ob manifeſtam fornicationis cauſſam, vxorem dimiſit.

10. Ad extremum, iniuſtum eſt, & perniquum, vt innocens alieni ſceleris pœnas luat. Atqui hoc fieret, ſi propter adulterium vxoris, non liceret viro poſt diuortium nouas celebrare nuptias: ſed cogeretur cum damno animæ, corporis, & rerum ſuarum manere cœlebs. Atque hæc de parte innocenti.

Cæterùm parti nocenti, non licere nouum contrahere connubium, liquet ex lege Dei & imperatorum. Omnes enim voluerunt adulterum & adulteram capite plecti. Item cùm Paulus eam, quæ diſceſſit à viro leui de cauſſa, iubeat manere innuptam, ſi nolit reconciliari viro: quantò minùs concedit ei quæ propter adulterium repudiata eſt hunc honorem & gratiā, vt ſibi liceat alteri nubere? Et duplici quidem de cauſſa non expedit. Primum, ne maleficia maneant impunita vt eſt adulterium. Deinde, ne par honos tribuatur improbis & bonis: vt leges illius docent. Sunt tamen qui etiam nocenti parti, nuptias nouas concedant: ſed non niſi maximis de cauſſis. Illud quoque alij obiiciunt, nouiſſimo iure adulteram detrudi in monaſterium fuſtigatam, & nouo matrimonio priuari: Ego verò, quos Deus vult plecti capite, non video per quam legem eis liceat viuere, & denuo matrimonium contrahere.

11. Verùm, præter loca ſcripturarum, quæ ſuprà interpretati ſumus, alia nō nulla obiiciūt aduerſarij, ſed friuola: quę videntur aliquibus probabilia, illa referam. Sunt autē hæc.

1. Si poſt diuortium parti innocenti, concedantur nuptiæ (inquiunt) periculum eſt, ne multi, qui noua affectant connubia, falsò accuſent vxores adulterij.

Reſpon. Primo: Si contra non concedas: grauius & certius imminet periculum: nempe, vt innocens qui non poteſt ſe continere, vratur & fornicetur. Aduerſus hoc periculum, nullum eſt remedium, niſi nouum coniugium. Aduerſus alterum, facilè inuenitur remedium. Adſunt Magiſtratus, qui cauſſam cognoſcant. Si non fuerit probata intentata accuſatio, plectendus eſt accuſator. Et Deus ſemper innocentes tuetur. Ac profectò, ſi adulteria plecterentur capite: & accuſatores, qui non poſſunt probare intentatum crimen, pœna talionis punirentur: non facile auderet quis vxorem ſuam adulterij falsò accuſare.

Quod verbum Dei præcipit, non debet propter vllum periculum negligi. Iubet autem cuiuis, qui non poteſt ſe continere, matrimonium contrahere. Hoc eſt vnum.

2. Quòd verò obiiciunt, Matrimonium eſſe ſacramentum: cuius character maneat indelebilis: Totum hoc figmentum eſt humanum.

3. Alterum quod ſpeciem habet charitatis, eſt hoc: Si nō concedantur nouæ nuptiæ: faciliùs pars innocens flecti poſſet ad miſerandum vxori ſuæ adulteræ, eámque in gratiam recipiendam. Hoc autem eſt opus charitatis.

Reſp. Si hoc faceret ſponte charitas eſſet. Proinde antequam aliam ducat, hortandus eſt, ad priorem recipiendam. Verùm lege cœlibatus perpetui illum cogere, contra charitatem eſt contra pietatem, contra verbum Dei, cōtraque omnem æquitatem. Qu reſtat firma Theſis, poſt legitimū diuortium, adulterij cauſſa factum: licere parti innocenti nouum, contrahere connubium. Placuit autem pluribus hanc Theſim confirmare, vt luculentiùs appareat, quanta

ſit tyrannis Pontificia in homines innocentes: quia eos adulteros vocant, ſi poſt diuortium, contrahant matrimonium: & talia matrimonia dirimenda eſſe docent.

Certè Auguſtinus, qui alioqui improbat, quòd poſt diuortium, viuente adultera, aliam quis ducat: non ita tamen ſeuerè, vel tyrannicè potiùs pronunciat, vt Pontifices Romani *Tom. 4. in libr. de fide & operibus, cap.* 19 loquens de eo, qui propter adulterium dimittit vxorem ſuam, ſic ſcribit:

Et in ipſis diuinis ſententiis, ita obſcurum eſt, vtrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur ſi alteram duxerit. vt quantū exiſtimo, veniabiliter ibi quiſque fallatur. En Auguſtini modeſtiam: qui non audet adulterū eum appellare, qui poſt diuortium, alterā ducat, viuente priore adultera. Et cur non audet? *Quia incertum eſt*, inquit, *hoc in diuinis ſententiis.* Quæ igitur eſt audacia & impudentia pronunciare, eum eſſe adulterum?

Quin etiam Concilium Arelatenſe primum. Can. 10 *De iis* inquiunt, *qui coniuges ſuas in adulterio deprehendunt, & ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere: placuit, vt quantū poteſt conſilium eis detur, ne viuentibus vxoribus ſuis, licèt adulteris, alias accipiant.* En, quomodo neque patres illi in Concilio auſi fuerint definire, vt pars innocēs cogatur vel adulteram recipere, vel abſtinere à nouo coniugio: ſed tantùm voluerunt dari conſilium hoc, vt abſtineant.

Quin & in *Decret. C.* 32 *q.* 7. Vbi hæc quæſtio ex profeſſo tractatur, aliquot ſunt Patrum teſtimonia, quæ noſtræ potiùs fauent ſententiæ. Vt *Can.* 19. ex quodā Concilio: *Quadam cum fratre viri ſui dormiuit.* Decretum eſt, vt adulteri nunquam cōiugio copuletur: Illi verò, cuius vxor ſtuprata eſt: licita coniugia non negentur. En, quomodo innocenti nouum conceditur coniugium. Similis eſt & *Canon* 23.

THESIS V.

Qui propter iniquam deſertionem prioris coniugij vinculo legitimè ſolutus eſt: huic licet nouum contrahere matrimonium.

EST etiam hęc Theſis ex parte aduerſus Pontificios: ideo diligenter nobis eſt confirmanda quod tamen antequam faciam, omnino quædam notanda ſunt, quæ ad Theſeos explicationem pertinent.

1. Non hic inſtituitur diſputatio, *An quiſpiam propter iniquam deſertionem, prioris coniugij vinculo liberari poſſit, nec ne.* De hoc enim ſuo loco, cùm ſcil. agemus de Diuortiis, plenè diſputabitur. In præſentia hoc tantum ſuppono pro confeſſo: quanquam nonnihil iam etiam dicam in confirmatione.

2. Notandum prætereà, quid ſit *deſertor & deſertio.*

Deſertor ille dicitur, qui ſine iuſta cauſſa ita coniugem ſua præſentia deſerit, vt indiuiduam illam vitæ conſuetudinem, quæ inter virum & vxorem eſſe debet, penitus abrumpat. Seu, qui ita ſponte diſcedit à coniuge ſuo, vt diſcedat etiam à coniugio: idque pertinaci & obſtinata voluntate. Proinde deſertio non eſt, ſi quis à coniuge diſcedat, & diu abſit, vel ex conſenſu alterius coniugis ad tempus, officij alicuius cauſſa: vel neceſſitate coactus, vt qui captiuus detinetur. Cauſſa verò deſertionis multiplex eſſe poteſt: ſed ad duo capita referuntur omnes. Nam aut quis deſerit ſuum coniugem, odio religionis, & propter ſuam ipſius infidelitatem: aut citra odium religionis, alia aliqua iniuſta de cauſſa: puta ex leuitate vel ex impatientia freni coniugalis, odióve vxoris De prima cauſſa, apertum habemus apud Apoſtolum 1. *Corinth.* 7. teſtimonium. De aliis cauſis agunt Ciuiles leges. Cauſa etiam deſertionis, quæ ab odio religionis ſumitur, duplex eſſe poteſt. Aut enim ex duobus coniugibus infidelibus, vnus ad fidem conuertitur, & alter in infidelitate manet ita pertinax, vt oderit alterius coniugis religionem, eámque ob cauſſam, ab illo, & ab eius coniugio diſcedat. Et de hac cauſſa Apoſtolus propriè loquitur 1. *Corinth.* 7.

Aut è duobus coniugibus fidelibus, vnus fit Arianus, aut Turca, vel Iudæus, alter non. Ac proinde ille prior ita odit huius religionem, vt niſi ab ea deficiat, nolit cum illo habitare, & coniugij officia præſtare. Atque in his diuerſis, & propter diuerſas cauſſas factis deſertionibus: diuersè etiam ſe habent Canoniſtæ & Iuriſperiti. Imò & Canon ſic aliud ſentiunt de prima religionis cauſſa & de altera etiam aliud. vt videre eſt in *Decreta lib. Extra lib.* 4. *Tit.* 19 *de Diuortiis, cap.* 7. De deſertione verò, quæ non propter odium religionis fit: eſt etiam locus *Extra. lib.* 4. *Tit.* 1. *de Sponſalibus: Can.* 19 *in præſentia*

Noſtra Theſis propriè eſt de illa deſertione, de qua Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. quæ ſcilicet religionis odio fit, ſiue prima, ſiue ſecunda, vt ſuprà explicatum eſt. Hæc enim propriè Theologica eſt. De aliis deſertionibus, alij diſputent. Non damno politicas leges.

3. Notanda particula, quam adieci nempe, *qui legitimè ſolutus fuerit.* Neque enim dico ſtatim ſolutum eſſe prioris coniugij vinculo eū, qui iniquè deſertus eſt à coniuge ſuo: Sed opus eſt legitima cauſſæ cognitione, iudicio, ſententiaque Magiſtratus. & certo temporis ſpacio, quo deſertor expectetur, vt ſuo dicemus loco. Atque hæc pro explicatione Theſeos ſatis.

II. Confirmatur verò his rationibus & teſtimoniis. Primùm, Apoſtolus pronunciat, liberatum eſſe prioris matrimonij vinculo illum, qui ab altero coniuge, religionis odio prorſus deſeritur. Atque hoc facit illis verbis. *Si verò infidelis diſcedere, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi. Deus autem vocauit nos in pace.* Quæ verba breuiter explico.

Antea de pari coniugio, inter fideles ſcilicet, pronunciauerat Apoſtolus iuxta Chriſti ſententiam: *Non debere virū dimittere vxorem ſuam* (nempe, quauis de cauſſa, niſi fortè ob fornicationem, vt Chriſtus docuit:) *neque mulierem debere à viro diſcedere.* Ratio à Chriſto allata fuerat, quia ſcilicet, *quod Deus coniunxit, homo non debet ſeparare* Quòd ſi forte diſceſſerit, debet etiam aut viro reconciliari, aut manere innuptam. Hæc fuit regula de diſceſſu fidelium ab inuicem. Poſtea verò de iis, qui impari coniugio copulati ſunt, & de quibus Chriſtus nil expreſſè locutus fuerat, ſuam ſubiecit, quæ & Spiritus S. eſt, ſententiam. Fuit autem ea ad duplicem ſibi à Corinthiis propoſitam quæſtionem allata: quarum prima eſt: *ſi quis fidelis habeat coniugem infidelem: & infidelis nō abhorreat à cohabitatione, & honeſto coniugij officio cum fideli: quid faciendum eſt fideli?* Reſpondet: Fidelis ne dimittat infidelem rationibus etiam, cur non debeat dimittere, ſubiectis.

Secunda quæſtio. Quid verò, *ſi contrà infidelis, quia infidelis eſt & ideo religioni Chriſtianæ impatiens eſt, diſcedat à fideli, eóque à coniugio cum fideli quid tunc fideli agendum fuerit?* Reſpondet: εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω. Quaſi dicat: Si verò infidelis, odio Chriſtiani nominis, nolit aſſentiri ad cohabitandum honeſtéque viuendum cum fideli: ſed pertinaci voluntate malit vinculum coniugij ſoluere quàm cum fideli pacificè viuere: atque ita diſcedat à coniuge fideli, vt etiam à coniugio diſcedat, diſcedat ſane: hoc eſt, peccatum ipſius eſto: modò ne tu fidelis deſeras ipſe infidelem, neque illi iuſtam diſcedendi occaſionem dederis: ſatis tibi fuerit. Neque eſt, quòd hic aliud poſſis vel debeas: cùm tota culpa diſceſſus, in ipſo hęreat infideli. Conſcientia tua debet eſſe pacata.

Interim tamen notandum eſt, Apoſtolum non vetare, quin fidelis omnia tentet, quo poſſit infidelem in officio retinere. Sed docet, ſi ille pertinax ſit in ſua ſententia, & tantum in eo ſit odium religionis, vt nec poſſit nec velit tecū habitare: ne tu amplius ſis ſolicitus, neque angaris animo propter eius diſceſſum: tuam ne turbes conſcientiam: ſed ſinas illum abire ſuo vitio, ſuáque culpa. Docet autem hoc verbo *diſcedendi*, ſolutum eſſe coniugij vinculum. Significat enim infidelem ita diſcedere à fideli coniuge: vt etiam ab eius coniugio diſcedat. Hanc vim habet hic verbum χωρίζεται, quia ideo diſcedit infidelis, quia non vult ampliùs cum fideli viuere, & officium coniugis præſtare. Quid hoc autem aliud eſt, quàm coniugio renunciare? Hinc ſequitur, fidelem liberatum eſſe prioris coniugij vinculo: citra omnem ſuam culpam. Atque hoc eſt, quod explicat Apoſtolus ſubdens: οὐ δεδούλωται, *nō eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror* ἐν τοῖς τοιούτοις. Quid verò nomine *fratris* aut *ſororis* intelligit? Cōiugem ſeu partem fidelem. Quid nomine *ſeruitutis*? Seruitutem coniugij, qua alter alteri alligatus eſt, ita vt vir non habeat ius in ſuum corpus, ſed vxor: neque vxor in ſuum, ſed vir. De qua ſeruitute Apoſtolus ad *Rom.* 7. *Viro ſubiecta mulier, viuente viro deuincta eſt per legem.* Et ad *Cor.* 7. v. 39. *Vxor alligata eſt lege, quamdiu viuit vir ipſius.* Itaque hic de alia ſeruitute non loquitur Apoſtolus, quàm de ſeruitute coniugij, qua alter alteri alligatus per legem naturę & Dei. Quare cùm dicat Apoſtolus, non eſſe fidelem coniugem, ſi infidelis diſcedat, ſubiectum ſeruituti: omnino docet, liberatam eſſe partem fidelem, ſine vlla ſua culpa, prioris coniugij vinculo.

Quid verò intelligit illa particula ἐν τοῖς τοιούτοις? Photius in Scholiis Græcis refert ad homines infideles, qui diſcedūt: vt ſit ſenſus: Si infidelis diſcedit (excepta fornicationis cauſa) nō eſt frater fidelis cum huiuſcemodi infidelibus ita ſeruituti ſubiectus, ſicut ſi diſcederet fidelis à fideli, excepta ſcilicet fornicationis cauſſa. Nam hic, licèt fidelis, à fideli diſcedat, coniugium tamen non ſoluitur: ſed manet adhuc

ſeruitus

ſeruitus: proinde Apoſtolus iuſſit, vt aut reconcilientur, aut maneant innuptI. Ibi autem, cùm diſcedit infidelis, quia odio religionis diſcedit: fidelis ſolutus eſt ſeruitute coniugij quam habebat cum infideli. Verba Photij hæc ſunt. Οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις, καὶ ἔχει ἀνάγκην φησὶν, ὁ πιστὸς ἢ ἡ πιστὴ ἐν τοῖς ἀπίστοις τοιαύτην, εἶτα αὐτῷ ἐπίκειται ἐπὶ τῶν πιστῶν. Ἐκεῖ μὲν γὰρ παντὶ τρόπῳ χωρὶς λόγου πορνείας οὐκ ἔξεστιν, ἀπ' ἀλλήλων τοὺς συναχθέντας χωρισθῆναι. Ἐνταῦθα δὲ ἂν μὲν συνευδοκῇ τὸ ἄπιστον μέρος τῷ πιστῷ συνοικεῖν. Ἂν δὲ διαστασιάζῃ καὶ τὴν λύσιν ἐκεῖνος ποιῇ. Οὐ δεδούλωται ὁ πιστὸς εἰς τὸ μὴ χωρισθῆναι, ἀλλ' ἐλεύθερος ἐστὶν· ἐκείνου λύσαντος τὸν γάμον καὶ αὐτὸς διαστῆναι. Hæc doctiſſimus ille Interpres.

Sunt tamen, qui ἐν τοῖς τοιούτοις, referant non ad homines ipſos infideles diſcedentes, ſed ad diſceſſum: ſeu ad tales caſus, nempe ſi contingat, vt infidelis ſponte diſcedat: tunc fidelem non ampliùs eſſe ſeruituti prioris coniugij ſubiectum. Sed ſenſus eodem recidit. Concluditur ſanè apertiſſimè ex hoc Apoſtoli loco, ſi fidelis deſeratur ab infideli, tali deſertione, de qua dictum eſt: fidelem liberatum eſſe prioris coniugij vinculo.

Particula etiam ſequens, licèt variè exponatur, & alij ad ptimam quæſtionem in v. 12 alij ad ſequentia ſeferant. mihi tamen videtur optimè ad præſentem quæſtionem referri, hoc ſenſu: *Si infidelis diſcedit, diſcedat.* Neque enim vocatio, qua vocati ſumus nos ad Chriſtum, exigit, vt ſi coniux tuus infidelis diſcedat, tu fidelis cum illo rixeris, conetiſque illum vel vi, vel iure per Magiſtratum retinere in officio, ne diſcedat: quemadmodum etiam eadem vocatio non fert, vt coniugem infidelem iurgantem, & Chriſtum blaſphemantem ſuſtineas. Quare neutrum fert noſtra vocatio? Quia, inquit, in pace, ſeu ad pacem, nempe tam erga Deum, quàm erga proximum, vocauit nos Dominus. Proinde ſi non potes placidè bonâque conſcientia à tuo infideli coniuge obtinere, vt tecum habitet, & in pace tecum viuat, téque in pace conſcientiæ viuere ſinat: ſine tu illum diſcedere: Liberatus es illius ſeruitute. Ita etiam ex hoc verſu confirmari poteſt, fidelem, ab infideli deſertum, liberatum eſſe prioris coniugij vinculo. Itaque Martyris interpretatio mihi placet, qui ad pacem conſcientiæ hæc refert: & vult hunc eſſe ſenſum, ita fidelem ſolutum eſſe prioris coniugij ſeruitute, vt de retinendo illo coniugio non debeat eſſe ſolicitus: cùm illud non poſſit retinere, niſi cum impura perturbata conſcientia. Quomodo enim poſſis quieta conſcientia, cum illo perpetuò viuere, qui perpetuò Chriſtum blaſphemat, & te ad defectionem, & ad idololatriam aliáque ſcelera ſolicitat. Ferendum igitur potiùs diuortium: & ſinendus eſt maritus vel vxor infidelis abire: quàm deſerendus ſit Chriſtus, & amittenda pax conſcientiæ, ad quam vocati ſumus. Ita etiam iuxta hanc interpretationem idem euincitur ex hoc verſu.

Photius tamen aliter hanc particulam interpretatur: Ἐν τῇ εἰρήνῃ κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός. Πάλιν φησὶν, εἰ καὶ ἐλεύθερος ἐστὶ τὸ συνοικέσιον διὰ τὴν τοῦ ἀπίστου στάσιν λύειν ἀλλ' ἄμεινον πολλῷ ποιήσει, εἰ τὴν πρὸς εἰρήνην καὶ καλοκαγαθίᾳ λύσας, μὴ λύσῃ τὸν γάμον. Deus enim nos vocauit ad pacem, id eſt, Hoc eſt enim teſtimonium noſtræ vocationis à Deo factæ, ſi ſimus pacifici erga omnes, quantum in nobis eſt. Sed vtut ſit de ſenſu huius poſtremæ particulæ: manifeſtum eſt ex toto hoc contextu, de Pauli ſententia, fidelem ab infideli deſertum religionis odio: coniugij prioris ſeruitute liberatum eſſe. Nunc ergo ſic argumentamur:

1. *Qui ſolutus eſt ab vxore, aut quæ ſoluta eſt à viro: ſi nouum contrahant connubium, non peccant.* Hæc eſt Apoſtoli propoſ tio, 1. Cor. 7. verſ. 28. *Atqui fidelis deſertus ab infideli, ſolutus eſt.* Hæc etiam eſt Apoſtoli in hoc c. 7. v. 15. Quid hinc efficitur, niſi licere fideli, ab infideli deſerto, ſed cauſa priùs in Eccleſia legitimè cognita & definita, nouum contrahere matrimonium?

2. Deus vocauit nos in pace, ſeu ad pacem cumprimis conſcientiæ ſeruandam. Atqui hæc ſeruari ab illo non poteſt, qui carens vxore vtitur. Vt ergo pax, quam habemus per Deum, in conſcientia ſeruetur: ducenda eſt vxor illi, qui prioris coniugij vinculo ſolutus eſt.

3. A Patrum teſtimoniis. Ambroſius in 1. Cor. 7. in hunc Pauli locum, *Quòd ſi infidelis diſcedit,* &c. *Propoſitum,* inquit, *religionis cuſtodit, præcipiendo, ne Chriſtiani relinquant coniugia. Sed ſi infidelis odio religionis diſcedit, fidelis non erit reus diſſoluti matrimonij. Maior enim cauſſa Dei eſt, quàm matrimonij.* Et mox in illa verba Apoſtoli. *Non eſt frater aut ſoror ſeruituti ſubiectus: hoc eſt,* inquit, *non debetur reuerentia coniugij ei, qui horret auctorem coniugij. Non enim ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei deuotione eſt: Ac per hoc non eſt peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, ſi alij ſe iunxerit. Contumelia enim creatoris, ſoluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur: ne accuſetur alij copulatus. Infidelis autem diſcedens, & in Deum, & in matrimonium peccare dignoſcitur: quia noluit ſub Dei deuotione habere coniugium. Itaque non eſt ei fides ſeruanda coniugij, qui ideò receſſit, ne audiret auctorem eſſe Chriſtianorum Deum coniugij. Nam ſi Eſdra dimitti fecit vxores, aut viros infideles, vt propitius fieret Deus: nec iratus* (eſt) *ſi alias ex genere ſuo acciperent:* (Non enim ita præceptum his eſt, vt remiſſis iſtis, alias minimè ducerent:) *quantò magis ſi infidelis diſceſſerit, liberum habebit arbitrium, ſi voluerit nubere legis ſuæ viro?* Hæc omnia Ambroſij. Ex hoc autem Ambroſij loco apertè colligitur noſtræ Theſeos confirmatio, qui ait diſertè, *Non eſſe peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, ſi alij ſe iunxerit.*

Cæterùm, cauſſam huius ſapientiſſimæ ſententiæ non probamus. Cauſſam enim ſtatuit eſſe, quia alter coniunx ſine deuotione Dei eſt. Ait enim non eſſe ratum matrimonium, quod ſine deuotione Dei eſt: ac per hoc, non eſſe peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, ſi alij ſe coniunxerit. Apoſtolus autem non hanc aſſignat cauſſam, ſed quia infidelis ſua culpa diſcedit. Non ergo ipſius infidelitas, ſed eius diſceſſio ex odio religionis facta, efficit, vt peccatum non ſit fideli, ſi ita deſertus, aliud contrahat matrimonium. Alioqui ſi, quam adfert Ambroſius cauſſam, ea eſſet vera: ſequeretur neque etiam verum matrimonium eſſe inter infideles: quia ſunt cum contumelia Creatoris. Imò neque poſſet aut deberet fidelis retinere infidelem ſecum manere volentem, quia infidelis ſine deuotione Dei eſt.

Ex his porrò verbis Ambroſij profecta eſt illa apud Scholaſticos diſtinctio: inter *matrimonium legitimum*, & inter *matrimonium ratum.* Legitimum volunt eſſe inter ipſos etiam infideles, ſed non ratum, quia poteſt diſſolui extra cauſſam etiam fornicationis: vt in hoc caſu Apoſtoli. Inter fideles autem eſſe & legitimum & ratum: quia nunquam poſſit diſſolui, niſi fornicationis cauſſa.

Satis igitur eſt ex Ambroſio demonſtraſſe, licere coniugi fideli deſerto ab infideli nouum contrahere matrimonium.

4. Idem confirmo ex decreto Innocentij tertij, in *Decretalibus, lib. 4. Tit. 19. de Diuortiis, cap. 7. Quanto.*

Principio diſtinguit inter duos infideles coniuges, quorum alter conuertatur ad fidem, alter non: & inter duos fideles, quorum alter labatur in hæreſin, vel decidat in gentilitatis errorem. Ac de primo ſic ait: *Si enim alter infidelium coniugum, ad fidem Catholicam conuertatur: altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit·* (id eſt, ad connubium ſecundum.) Et in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus, *Si infidelis diſcedit, diſcedat. Frater enim vel ſoror, non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi.* Sic etiam dictum Ambroſij, quod Canonem vocat iſte Papa, quia pro Canone receptum fuerat, interpretabatur. Canon autem ille, ſic habet: *Contumelia creatoris, ſoluit ius matrimonij.* Innocentius tertius, non ſimpliciter interpretatur (nam etiam inter infideles eſt matrimonium) *ſed circa eum, qui relinquitur,* inquit, *intelligimus: nempe ſi infidelis contumelioſus in creatorem diſcedat fidelis liberatus eſt prioris coniugij vinculo, vt poſſit aliam ducere.* Hactenus bene Innocentius tertius.

Cæterùm, quod poſtea idem negat in ſecundo caſu: cùm ſcilicet fidelis deſeritur ab hæretico, vel ad errorem gentilitatis conuerſo, errat. Eadem enim ratio eſt vtriuſque: quia tam vnus, quàm alter diſcedit, quia fidelis religionem odit.

Idem habemus *Extra, de Diuortiis, cap. 8. Gaudemus. §. Qui autem.* Qui autem ſecundùm ritum ſuum (de Iudæis loquitur, qui quauis de cauſa ſoliti erant repudiare ſuas) legitimam repudiauit vxorem: cùm tale repudium veritas in Euangelio reprobauit: nunquam ea viuente, licitè poterit aliam, etiam ad fidem Chriſti conuerſus, habere: niſi poſt conuerſionem, illa renuat cohabitare cum ipſo. En quomodo confirmat, licitè poſſe fidelem, aliam ducere, viuente priore, ſi prior infidelis, nolit cum viro fideli habitare. Et eſt idem Innocentius tertius.

5. Addo & Canonem, qui Ambroſio ad Hilarium adſcribitur, C. 28. q. 1. C. q. 7. *Si infidelis* [dicit Apoſtolus] *diſcedit, diſcedat. Non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi:* id eſt, ſi infidelis eſſe noluerit cum coniuge ſua fideli. Hic cognoſcat fidelis ſuam libertatem, nec ita ſe ſubiectam putet ſeruituti, vt ipſam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem. Et ibi gloſſa ſic habet ad verbum: *Dico, quòd ipſo iure ſoluitur vinculum matrimonij: non per ſententiam Eccleſiæ, ſed ipſo iure: ſcilicet in tribus caſibus, in quibus contrahere poteſt. Nam contumelia creatoris: ſoluit ius matrimonij. Si tamen infidelis vult redire ad fidem, priuſquam cum reliqua contraxerit: cogetur recipere eam: vt Extra. de Diuortiis, cap. 8. Gaudemus, in fine, id eſt, §. Quod*

ſi conuerſum. Vtinam omnes gloſſæ tam bonæ eſſent,& piæ, atque hæc.

6. Quod porrò definiuit Innocentius tertius, idem prorſus ſequitur & docet Magiſter Sent. *l.4. diſt.36.§.F.& G.* De illis enim qui ambo infideles erant, quorum alter conuerſus ad Chriſtum deſeritur ab infideli: fatetur, fideli licere nouum contrahere connubium. *Diſcedentem*, inquit, *ſequi non oportet: & ea viuente, aliam ducere licet.* Verùm poſtea ſubdit exceptionem, *ſed hoc*, inquit, *non eſt intelligendum, niſi de his, qui in infidelitate ſibi copulati ſunt*. Sed fallitur Magiſter. Ratio quam ſubdit, nulla eſt. *Quia*, inquit, *inter eos ratum fuerat coniugium, quod non poteſt ſolui.* Sed petitio eſt principij, cùm pro ratione aſſumat, quod controuertitur. Illi diſtinguunt inter matrimonium legitimum,& ratum. Inter infideles eſt legitimum: ſed non ratum: quia non eſt in Chriſto confirmatum: ideò ſi alter illorum conuertitur ad Chriſtum,& alter nolit cum altero habitare, ſoluitur matrimonium. Inter fideles eſt ratum, quia in Chriſto. Ideò licèt alter fiat Turca, vel Iudæus; tamen non poteſt ſolui coniugium, niſi morte. Sic illi. Sed quis non videat hanc eſſe principij petitionem, ſeu negationem? Negamus talem diſtinctionem, & dicimus. illud eſſe ratum, quod eſt legitimum. Proinde quod Deus ſuo verbo, ſuáque lege ſoluit: ampliùs ratum non eſt.

Eſt autem certum ex doctrina Apoſtoli, ſi infidelis (quicunque ille ſit, ſiue ante connubium talis fuerit, ſiue poſt connubium ſit factus talis) diſcedat, vt infidelis, id eſt, odio religionis: fidelem eſſe liberatum prioris coniugij vinculo. Quomodo igitur ita poteſt eſſe ratum, vt non diſſoluatur? Itaque manifeſtum eſt, ſi infidelis. quicunque ille ſit, diſcedit à coniuge fideli: fidelem ita liberari, vt aliam ducere poſſit. Sed aliquid amplius addo. De deſertione, quæ fit inter fideles, citra cauſam adulterij: ſentiunt quidem plerique omnes in Papatu, non licere vnquam deſertæ parti aliud contrahere matrimonium, viuente deſertrice, vel deſertore. Vnde & Clemens tertius definiuit, *nunquam vxori licere ad nouum conuolare connubium, etiamſi quamplurimis annis abſens ignoretur vbi ſit, & an viuat: ſed ſemper expectandum, dum vel redeat, vel de eius conſtet morte: Extra.l.4.Tit.1.de Sponſalibus, cap.19. In præſentia.* Cæterùm ibi gloſſa ſic habet, & temperat ſic textum, dicendo: *Vbi tamen veriſimiliter præſumitur de morte: ſi mulier nubat, excuſatur.*

Nec diuerſa ſunt, quæ habentur à Leone Papa, & ab Innocentio tertio. C.34 q.1.C.1.2. Et Lucius tertius. *Si qua mulier nupſerit alteri, antequam de morte viri facta ſit certior: improbat quidem tale connubium: ſed tamen non vult dirimi.* Tantùm ei iniungit, vt debitum quidem reddere poſſit, ſed non exigere. *Ext.lib.4.Tit.21.de ſecundis nuptiis, cap.2. Dominus.* Quantò magis igitur licebit fideli deſerto ab infideli, aliud contrahere connubium: illúdque firmum eſſe debet.

In *Auth.coll.4.Tit.1.de Nuptiis, §.Sed etiam, &c.* de Coniugio pari ſermo ibi eſt. *Si autem vir captiuus ſit abductus, & incertum ſit eum viuere, poſt quinquennium licet vxori, alij viro nubere.* Non ergo ſemper expectanda eſt certa mors coniugis. *Ei verò, cuius vir in militiam profectus, ignoratur an fuerit mortuus necne; conceditur, vt poſt ſpatium 10. annorum, nubere alteri poſſit. Supra §. Nouimus autem.*

Imò anteà, in *Cod.de repudiis. L.7.Vxor.* Conceſſerat Conſtantinus, ſi vxor marito in militiam profecto, nullum ſoſpitatis illius indicium habere potuiſſet: intra quadriennium, vxor illa poſſet impunè alteri nubere, quanquam ſcio, poſtmodum fuiſſe legem illam, alia lege reſciſſam. Ibidem L 8.*Conſenſu*. Summa legis Theod.& Valent. eſt, ſi vir poſſit in iudicio probare, vxorem aut eſſe adulteram, aut ſe inuito, & ſine probabili cauſſa, foris pernoctaſſe; licere ei vxorem repudiare, ita nimirum, vt poſſit alteram ducere. Quantò magis igitur ſi viri ſit deſertrix? Ita ſatis ſupérque confirmaſſe mihi videor Theſim, cùm de fideli ab infideli religionis cauſſa deſerto, ſermo eſt; licere fideli, poſt cauſſam legitimè cognitam & definitam, aliud contrahere matrimonium. Quanquam [ſicut de principio dixi] idem ſentio cùm aliis quoque de cauſſis, præter religionis odium, ſed iniuſtis, diſcedit infidelis à fideli; imò etiam ſi fidelis à fideli diſcedat, & nolit ampliùs reuerti, vel det ſignificationem pertinacis voluntatis; & res à Magiſtratu legitimè cognoſcatur, & ex legibus ciuilibus atque Eccleſiaſticis definiatur. Quanquam enim Apoſtolus propriè de his non loquatur, 1.*Cor.7.* tamen quia & leges ciuiles de his ſtatuunt, & Euangelicæ Eccleſiæ hoc habent in vſu; idcircò quod illæ probant: Ego nullam habeo rationem, cur poſſim aut debeam improbare.

Argentinæ meo tempore hoc contigit. Cùm fidelis duxiſſet fidelem, & cum ea vixiſſet aliquot menſes, poſtea ita diſceſſit, vt vbinam eſſet, & an viueret nec ne, ignoraretur: quanquam diligenter fuerat inquiſitum per literas & nuncios, vbinam eſſet vir, & an in viuis eſſet. Elapſo igitur (ſi bene memini) quinquennio, cùm vxor nouum peteret ſibi concedi matrimonium: conceſſum illi fuit. Vir porrò prior tandem reuerſus, fuit vrbe pulſus. Et meritò. Qui enim ita ſuas deſerunt vxores: cùm fidem negarint [de Apoſtoli ſententia] & infideli ſint deteriores: digni ſunt, qui ſupplicio afficiantur; tantùm abeſt, vt debeat illis reddi vxor, iam alteri nupta.

Quid fieri ſolitum ſit in huiuſmodi caſibus Geneuæ, liquet per ſe, exemplis manifeſtis. Et D.Beza ita apertè ſcribit in libro de Diuortiis, vt dubitationi nullus relinquatur locus. *Præeunte*, inquit præter cætera, *legitima cognitione, nocente quoque ſi fieri poteſt, literis ſaltem & nunciis euocato, nec tamen ipſo iudicio Eccleſiæ ſiſtente: tandem trinundina præeunte, tum in Eccleſiæ cœtu, tum apud Magiſtratum denuntiatione, deſertione ſolutum matrimonium pronunciatur.*

Quid in Eccleſiis Saxonicis hac de re ſentiatur: ex ſententia Dn.Philippi, in Loco de Coniugio perſpicuum eſt, vbi de deſertione agit. Itaque non eſt opus alia confirmatione. Tantùm reſtat, vt quædam argumenta diluantur.

III. Ac primum quidem refutandum mihi eſt, ſcriptum cuiuſdam miniſtri, qui aliás aduerſus hanc, quam nos tuemur doctrinam ſcripſit. Quanquam enim ſcriptum illud, nunquam fuerit impreſſum: fuit tamen ſparſum. Breuiter id faciam.

Initio ait, ſe aliàs fuiſſe in hac ſententia, propter cauſſas illas omnes, quas habet *Codex de repudiis, L. Conſenſu*: licitum fuiſſe non ſolùm facere diuortium, ſed etiam ad nouas tranſire nuptias: ſed nunc ſententiam mutaſſe.

Reſp. Meritò: quatenus omnes ibi contentas cauſſas complectitur. Verùm nihil aduerſus nos: qui idem fatemur, excepta fornicationis cauſſa & deſertione.

Ait ſecundò, noſtra tempeſtate, omnes fermè ſapientiores affirmare, ob infidelitatem diuortium poſſe fieri. & ad ſecundas nuptias tranſitum concedere.

Reſp. Sed hoc falſum eſt quod ſcribit. Nemo enim, quòd ſciam, noſtrorum Doctorum ſcriptum reliquit propter infidelitatem, diuortium nouáſque nuptias licitas eſſe; ſed tantùm propter adulterium, & iniuſtam deſertionem, præſertim quæ fit propter infidelitatem ex religionis odio. Ac quòd citat Bucerum, quaſi huius ſententiæ comprobatorem: facit illi iniuriam. Etſi enim Bucerus in cauſſa diuortij, nimium tribuit legibus ciuilibus, nunquam tamen docuit, propter infidelitatem licere cuipiam diuortium facere, & nouas inire nuptias. Quomodo enim hoc potuit, cùm apertè Apoſtolus dicat, *Si infidelis velit tecum habitare, ne dimittas eum*? Sed docuit Bucerus, non ſolùm propter adulterium, ſed etiam propter alias cauſſas, inter quas ponit deſertionem, quæ præſertim fit religionis cauſa, fieri poſſe diuortium, & aliud contrahi matrimonium. Ita miſer iſte miniſter, non ſolùm profecit in peius, ſed etiam calumniator fuit.

Sed nunc videnda ſunt argumenta, quibus adductum ſe ait, vt mutaret ſententiam, damnarétque ſimpliciter nouas fidelis ab infideli deſerti nuptias, ſeu tale diuortium, quod nouæ nuptiæ conſequantur. Summam autem complectar, non ſingula perſequar verba, vtpote inepta.

1. Si diuortium, inquit, omnino fiat inter coniugem fidelem & infidelem, ita vt vir aut mulier fidelis ad ſecundas admittatur nuptias, grauiſſima ſequentur abſurda.

Primùm fieri poteſt, vt infidelis, quòd prius tanquam hæreticum damnabat, Dei beneficio agnoſcet ipſiſſimam eſſe veritatem: & ita conuerſus ad Chriſtum cupiat, & petat eſſe cum priori ſuo coniuge: id quod nullis, inquit, legibus denegari poteſt. Quomodo autem hoc poterit conſequi, ſi iam fidelis nouo ſit coniugio copulatus?

2. Hinc fiet vt Euangelium malè audiat: & nomen Dei blaſphemetur.

Reſp. Apoſtolus apertè docet licere tale facere diuortiū, & nouas contrahere nuptias. Quòd ergo hæc ſequantur abſurda; non per ſe & ex natura rei, quam docet Apoſtolus eſſe bonam & ſanctam, conſequuntur: ſed ex accidenti, & ex hominum infidelium vitio. Etiam Chriſtus fuit petra ſcandali & lapis offenſionis: Et Euangelium eſt aliis *odor mortis ad mortem*: ſed horum, non autem Euangelij vitio. Pij enim, ſi erudiantur ex Apoſtoli doctrina, nihil erit ſcandali: de impiis autem Chriſtus ait: *Sinite eos, cæci ſunt & duces cæcorum.*

Deinde, ſi fieri poteſt, vt infidelis conuertatur: fieri etiam poteſt, vt nunquam conuertatur. Num igitur interim pendebit fidelis: & propter alterius improbitatem atque infidelitatem, debet in manifeſto hærere periculo offendendi Dei? Certè iniquiſſimum eſt, vt nocenti infideli ſua proſit

culpa:

culpa : & innocenti fideli eadem obſit. Id autem fieret, ſi fidelis innocens cogeretur manere cœlebs, donec infidelis conuertatur.

In *Auth.col.4.tit.1 de nuptiis,§ Sed etiam:* Ei cuius coniux captus eſt ab hoſtibus, ſi intra quinquennium non intelligat eum eſſe viuum, conceditur, vt poſt illud quinquennium alij poſſit nubere: quanquam Leoni aliter viſum ſit N C.33. ſed peculiaris hæc fuit Leonis ſententia, quæ fuit Leonis ſententia, quæ generali & receptæ derogare non debet. Cur igitur tu velis innocentem fidelem, toto tempore vitæ ſuæ expectare infidelis coniugis conuerſionem vel mortem? Proinde quod ait *nullis legibus denegari poſſe parti infideli iam conuerſa & reuerſa, coniugem ſuam priorem*: falſum eſt. Si enim licuit huic fideli innocenti aliud contrahere matrimonium, ſoluto iam priore: lex Dei profectò non vult, vt nouum legitimè contractum diſſoluatur; quia *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Leges etiam ciuiles cauent, ne deſertor poſſit repetere deſertam, poſtquam alij legitimè fuerit nouo coniugio copulata.

Præterea parúmne eſt, quòd fidelis deſertus ab infideli, expectet infidelis ad ſe reditum per annos 8.10.& 12. At inquit, iſte bonus vir, non eſt præſcribendum tempus miſericordiæ Dei. Et huc adfert longam hiſtoriam ex *lib.Iudith.cap.8.* quę Oziam & alios Principes populi Bethulienſis reprehendit, propterea quod decreuiſſent poſt ſpatium quinque dierum, totam vrbem & ſeſe dedere hoſti, a quo premebantur: niſi intra illud tempus Deus è cœlo aquam largiretur. Aquæ enim ne in vrbem commearent, interclusæ fuerunt ab hoſtibus. Iuditha itaque illos his reprehendit verbis: *Minimè recta eſt oratio veſtra, quam habuiſtis ad populum, interpoſito inter Deum & vos iureiurando conſtituiſtis ac dixiſtis, vrbem vos hoſtibus noſtris eſſe dedituros ni intra dies heſce* (quinque ſcilicet) *Dominus ſe ad ferendam nobis opem conuerterit. At qui tandem eſtis vos, qui Deum hodierna die tentetis: Deique partes inter homines occupetis?* Et paulò poſt: *Vos autem, ne conſilium Domini obſtringatis: quoniam non eſt vt homo Deus, qui minas patiatur: neque vt filius hominis, qui in iudicium vocetur. Vos ne Domino tempus præſcribere miſerationis? Vos pro arbitrio veſtro diem ei conſtituere?* Hæc illa. Cùm igitur arguerit Principes, quia tempus præſcribebant Domino, intra quod opem ferret: non eſt præſcribendum tempus miſerationi diuinæ. Hoc autem faciunt, qui certos annos conſtituunt, intra quos infidelis coniux conuertatur: alioqui aliam ducturi vxorem.

Reſpon. Domino non eſſe præſcribendum tempus ab hominibus: quis neget? Proinde meritò reprehendit Iuditha Oziam & alios, qui id fecerant. Sed negamus fidelem idem facere, cùm poſt aliquot annos, quibus deſertricem partem expectauit, & rogauit, vt ad ſe rediret: denuò proteſtatur ſe aliam ducturum vxorem, niſi intra certum tempus, ad ſuum redeat officium. Non enim præſcribit tempus Deo, ſed coniugi deſertrici: idque pro ſua facit clementia & charitate, non autem ex lege. Cùm enim deſertus per verbum Dei pronuncietur liberatus prioris coniugij vinculo, dicente Apoſtolo, *Non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi*: quæ lex illum cogat, deſertricem partem expectare? Quos enim Deus fecit liberos, quis in ſeruitutem redigat? Qui igitur deſertus certum aliquod tempus præſcribit deſertrici neque Deum tentat, neque iniuriam facit deſertrici: ſed ex ſua id facit charitate atque clementia: quippe qui non vult ſuo vti ſummo iure, ſuáque libertate: ſed propter ſalutem proximi, non parum de ſuo detrahit interdum certos adhuc annos, deſertricem rogat, monet, expectat: Nihil igitur exemplum Iudithæ ad rem noſtram facit, cùm nulla ſit ſimilitudo inter factum Oziæ, populique Bethulienſis: & inter noſtram, quam tractamus cauſam. Illi enim lege Domini tenebantur, ſemper auxilium Domini expectare: & nullo modo ſe ſuámque vrbem dedere hoſtibus, niſi ſpeciali Dei mandato iuſſi id fuiſſent facere, ſicut contigit tempore Ieremiæ. Habebant enim certam Dei promiſſionem de conſeruando populo aduerſus hoſtes. At deſertus fidelis, nullum habet præceptum, quo iubeatur infidelem deſertricem expectare: cùm neque vllam habeat promiſſionem de certa eius conuerſione: Contrà verò liberatus cùm ſit à priori vxore, præceptum habeat nouam ducendi, ſi non poſſit ſe continere. Quare ſi aliam ducat, non tentat Deum, ſed obtemperat Deo. Verùm ad hoc excipit Miniſter iſte, fideli orandum eſſe Dominum, qui ſe donet continentia: Dominum proculdubio illam daturum, ſi conſtanter perſeueret in precibus ex fide ad Deum fundendis; ſicut & Iuditha ad idem faciendum hortabatur Bethulienſes. Sed, vt dixi, diſſimilis eſt conditio fidelis coniugis iniquè deſerti, & Bethulienſium. Habebant illi & mandatum expectandi auxilij à Domino: & de eo accipiendo promiſſioné. Proinde grauiſſimè peccabant: cùm cogitabant ſeſe dedere. At verò fidelis deſertus, neque mandatum habet diutius deſertricis conuerſionem exſpectandi: neque aut de huius conuerſione, aut de impetranda ſibi continentia, promiſſionem, ſed contrà mandatum habet aliam ducendi, ſi non queat ſe continere.

Quomodo igitur audet affirmare Miniſter iſte imperitus, deſertum fidelem, donum continentiæ à Domino impetraturum? At promiſſio eſt generalis, ſiquis oret ex fide, illud quod petit, tandem impetraturum. Verùm ſed fides nititur promiſſionibus certis. Vbi autem quæſo extat promiſſio, eum qui liber eſt, & vritur, ſi donum continentiæ petat, ſe illud impetraturum? Profectò ſi extaret: præceptum non dediſſet Spiritus S. per Apoſtolum dicendo: *Qui non poteſt ſe continere matrimonium contrahat.* Alia vero ratio eſt eius, qui alligatus eſt vxori: Etſi enim vti non poſſit vxore, vel quia ægrotat, vel quia abeſt: non ideo tamen alia ducenda eſt: ſed rogandus Dominus pro dono continentiæ, & certò confidendum, Deum ſibi affuturum: Ratio: quoniam à Domino alligatus eſt vxori. Qui autem ſeſe continent in ſua conditione, ad quam vocati ſunt à Domino: his Dominus promiſit, ſe non defuturum. At verò qui liberatus eſt ab vxore, & adhuc tamen vritur: Dominus eum à ſtatu cœlibatus, ad nouum coniugium vocat, dicendo: *Qui non ſe continet, nubat.* Quomodo autem, qui Domino vocanti non obtemperat: auxilium à Domino ſibi poteſt polliceri & exſpectare? Præſertim verò cùm multis annis donum continentiæ precatus ſit, nunquam verò fuerit exauditus: annon inde potuit intelligere, ſe ad coniugalem ſtatum vocari? Sed iſte Miniſter: præter multa inſulſa, quæ in confirmatione ſui primi argumenti congerit, hoc etiam addit, nos ſemper à Deo exaudiri, etiamſi aliter nobis videatur: quia licet non præſtet Deus, quod petimus, præſtat tamen, quod conducibilius nobis erit: id quod exemplo Apoſtoli & Chriſti confirmare conatur. Alteri enim conducibilius fuit habere gratiam Dei ſecum, quia reſiſteret angelo Satanæ ſe colaphizanti: quàm ſi liberatus fuiſſet ſtimulo illo carnis quem à ſe tolli precabatur. Chriſto etiam vtilius fuit mori & per mortem intrare in gloriam ſuam, quàm ſi calix ab ipſo tranſiiſſet, vt petebat, quà homo.

Reſpon. Sed quid tibi propterea vis aduerſus nos, iſtâ theſi, & his exemplis? Imò totum hoc maximopere ad ſententiam noſtram confirmandam facit. Nam quòd liberum fidelem donum continentiæ petentem non exaudit Deus: non exaudiendo, maximè exaudit: quia eum ad ſtatum ſibi vtiliorem, nempe ad nouum coniugium vocat. Ergo ſicut Apoſtolus, poſtquam vidiſſet ſe non exaudiri in eo, quod ſæpè petierat, ſed intellexiſſet, ſufficere ſibi gratiam Chriſti: deſiit petere ſtimulum carnis à ſe tolli, ſed acquieuit in voluntate Dei: & ſicut idem etiam fecit Dominus Ieſus, poſtquàm fruſtrà petiiſſet calicem à ſe auferri: inde euinco; idem eſſe faciendum fideli libero, poſteaquam ſenſit reipſa, ſe à cœlibatu ad ſtatum coniugalem vocari.

Subdit ad extremũ in primo argumento bellus iſte Miniſter dilemma, quod valde acutum exiſtimat: *Dic ſodes*, inquit, *num continens aut incontinens, eos totos quindecim annos fuerit tuus hic cõiux fidelis deſertus? Si contines, acri tamen cũ carnis pugna inficiari non vales, quin prout expediebat, exauditus à Deo fuerit. Qui ergo fieri poterit, vt non rurſus totidem annos exaudiatur: ſi eadem fide, humilitate atq; fiducia ſine intermiſſione Dominum, qui ſemper idem eſt bonus & miſericors, interpellauerit? Si autem incontinens fuerit eius infidelitatem prodit: Quia cùm Dominum vera fide non acceſſerit, neque conſtanti fiducia diuinis fuerit promiſſis innixus: ſuæ libidini magis, quàm Deo ipſi, aures præbere curauit.* Hæc illius miniſtri omnia.

Secundum argumentum Miniſter iſte impius colligere ſe ait ex verbis Apoſtoli. Eſt autem tale: Apoſtolus ait, non Dominum, ſed ſe hoc dicere, nempe ſi quis frater vxorem habebat infidelem, &c. & eſt, ac ſi dicat (inquit iſte nebulo) De hac re nullam prorſus habeo diuinam reuelationem: nullum denique Domini præceptum; ſed hæc mea ſententia eſt, ſicque mihi videtur. Ex hac bella verborum Pauli interpretatione infert: cũ ea verba non ſint Domini, ſed Pauli ipſius: neminem igitur vnquam conſtanter & perpetuò perſuadere ſibi poſſe, ſe rectè facere, ſi verbis illis Pauli fretus, alteram vxorem duxerit, deſertus nimirum à priori vxore. Rationem ſuæ conſequentiæ ſubdit: *Quoniam*, inquit, *nos tunc rectè facere aliquid credimus: cùm id ex Dei ore nobis præceptum eſt.* Concludit: *Perperam igitur facere illum fidelem coniugem; qui ab infideli coniuge deſertus alteram ducat.*

Reſpon. Miniſtrum hunc blaſphemum eſſe dico: cùm negat quę hîc tradidit Apoſtolus, eſſe ex Spiritus S. reuelatione, nec eſſe verbum & præceptum Dei, contendit. Quòd verò Apoſtolus dicat, *Reliquis dico ego, non Dominus*: diſcrimen voluit facere inter id quod Dominus Ieſus ſuo ipſius ore

docuerat Phariſæos de cauſſis dimittendæ vxoris in matrimonio pati: & inter ea, quæ ipſe Paulus ex ſpiritu Dei ſcribebat Corinthiis de impari coniugio. Sed non propterea negat Apoſtolus, quin & hæc perinde atque illa à ſpiritu Chriſti ſint.

Deinde ad conſequentiam reſpondeo: ſi perperam facit, qui deſertus ab vxore infideli, aliam ducit: ídque propterea, quòd verba hæc ſunt Pauli, non Dei: perperam igitur etiam faciet ille fidelis, qui vxorem infidelem, volentem habitare ſecum, retineat. Nam perinde Apoſtoli verba ſunt hęc, de retinenda infideli, atque illa, ſi diſcedit, diſcedat: non eſt frater aut ſoror ſubiectus ſeruituti. Pugnantia igitur ſcribit iſte impius: cùm & benefacere eos vult fideles, qui ſecuti Apoſtoli conſilium, vel mandatum potiùs Spiritus S. coniuges infideles retinent: & tamen perperam facere prædicat eos, qui nixi verbis Pauli, credunt ſe ita liberatos eſſe prioris coniugij vinculo, vt ſibi liceat nouum contrahere matrimonium. Ait apertè in quarto argumento, præcipi, ne fidelis abiiciat vxorem ſuam infidelem ſecum habitare cupientem; & poſtea audet dicere, non eſſe à Deo alteram Apoſtolicæ doctrinæ partem, qua docet ſeruituti (coniugij) non eſſe ſubiectum fratrem ab infideli deſertum. Nos contendimus, vtrumque eſſe à Spiritu S. profectum, eóq; verbum eſſe Dei. Vidit hoc ille ſeductor, ideo excipit dicendo: *Dices tu, quòd cùm Paulus alibi dixerit, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtiʔ Et, Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam: noſtri officij eſſe, vt & ibi quoque Paulum in perſona Chriſti locutum fuiſſe iudicemus. At ego* (inquit) *viciſſim: ſi tunc Paulus in perſona Domini locutus fuerit, quemadmodū & alibi: vel ipſe Paulus mentitus eſt, vel ignorabat, Dominum in ipſo* (pro in ſe) *loqui*, cùm diceret: *Dico ego, non Dominus.* Hæc omnia illius ſunt. Concludit: Cùm autem neutrum de ipſo Apoſtolo ſentiendum ſit, non igitur locutus eſt vnquam è Spiritu Chriſti: niſi cùm ea, quæ expreſſè in ſacris literis continebantur, docebat atque enarrabat. Id quod & de aliis omnibus Apoſtolis contendit. Quid hoc autem aliud eſt, quàm totam doctrinam Apoſtolorum, in dubium vocare: præſertim vbi teſtimonia è veteri Teſtamento non proferunt?

Nititur & illis verbis Apoſtoli, cùm ait, *Puto autem me etiam Spiritum* Dei *habere.* Non igitur certò, inquit, ſciebat ſe ea in re habuiſſe Spiritum Domini. Sed quis non videat *ἀσυνάρτητον* fuiſſe Apoſtolicum, quo omnes, qui de ſua doctrina dubitabant, eúmq; traducebant, grauiter condemnat?

Contendit præterea & ex verbis Apoſtoli: concludi non poſſe, licere fideli facere diuortium ab infideli, à qua ſit deſertus: neque eum ita eſſe liberum, vt poſſit aliam ducere vxorem.

Reſpon. Sed quis noſtrûm dicit, licere fideli facere diuortium? Diuortium dicimus eſſe factum ab infideli, qui diſceſſit à coniuge fideli, & ab eius coniugio. Quemadmodum neque innocens in adulterio propriè facit diuortium; ſed adultera, vel adulter cum ſuo adulterio vinculum coniugij ſoluit. Ex verbis autem Apoſtoli euinci, fidelem ita eſſe liberatum prioris coniugij vinculo, vt ei liceat, ſi velit, aliam ducere: abundè ſuprà demonſtratum eſt.

Verba porrò illa, *Deus nos vocauit in pace:* ita turpiter & imperitè torquet, vt pudeat illius interpretationem referre.

Sed illud eſt intolerabile, quòd Martyrem etiam noſtrum vult ſtare à ſua ſententia: cùm expreſſè contrarium docuerit in hunc Apoſtoli locum. Ait enim hac locutione; Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi: ait, inquam, apertè Martyr, hac locutione ſignificari ab Apoſtolo, deſertæ parti, alterius matrimonij fieri copiam. Item ex illis verbis: *In pace vocauit nos Dominus*, infert, non adigi Chriſtianos, vt matrimonium retineant, in quo neceſſariò vel impuram, vel perturbatam conſcientiam ſentiant. Quomodo igitur, iſte impudens auſus fuit ſcribere, D. Martyrem, ſuæ fauere ſententiæ?

Tertium argumentum, quo ait ſe adductum fuiſſe, vt mutaret ſententiam: inde ducit, quòd cùm Chriſtus ſolum adulterium docuerit cauſſam eſſe legitimi diuortij: non eſſe credendum, Apoſtolum Chriſti, voluiſſe aliam adferre cauſſam, qua fieret, vt Chriſtus videretur, falſum docuiſſe.

Reſpond. Quaſi verò non de alio atque alio coniugio locuti ſint Chriſtus & Apoſtolus: cùm vnus de impari, alter de pari diſſeruerit. Deinde calumniator eſt, dum ita noſtrorum interpretationes allegat, quaſi dicere voluerint ex Pauli ſententia, licere fidelibus diuortium facere ab infidelibus coniugibus, infidelitatis ergô.

Quartum argumentum fuit: quòd Paulus non dicit, *ſi fidelis diſcedit, diſcedat*, ſed, *ſi infidelis diſcedit, &c.* Non igitur licet fideli diuortium ab infideli facere.

Reſp. Quis verò noſtrûm dixit: aut docuit contrarium? Vtramque tenemus ſententiam Apoſtoli: nimirum, & retinendam eſſe infidelem, ſi velit cum fideli habitare: & ſinendum eſſe infidelem, ſi velit abire: fidelem autem tunc liberum eſſe factum: quia non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi. Peccatum verò eſſe infidelis deſerentis.

Poſteaquam Miniſter iſte, quatuor illa ſua argumenta propoſuit aduerſus noſtram doctrinam: rationes aliquot noſtras conatur diluere. Ac primùm recitat quæſtionem, quæ proponi ſolet: nempe, Si fidelis coniux tutò non poſſit habitare, vt habitat infidelis, quin cogatur aut in idololatriam incidere, aut comburi: quid huic faciendum eſt? Nos quidem reſpondemus huic eſſe diſcedendum, cedendumque furori Aduerſariorum, niſi ſentiat ſe donatum ſpiritu fortitudinis, vt poſſit mori: nec tamen eſſe deſertorem: quia ſi infidelis, fidelem ſequi vellet, vbi liberè Chriſti doctrinam profiteri liceat: nullo modo eam fidelis retrò relinqueret: multò verò minus ſecundas admitteret nuptias. Quid igitur iſte Miniſter? Antequam reſpondeat, quædam proponit axiomata, quaſi aliquid magni poſtea è ſuis theſauris ſit depromprurus. Sunt autem illa axiomata loco rationum: quibus ſuam probet reſponſionem. Tandem itaque ſic reſpondet ad quæſtionem pro ſeruando coniugio, omnia eſſe poſthabenda: & vitam etiam ipſam adiiciendam. Quare eligendum potius cum magno vitæ diſcrimine, vt vir fidelis, maneat apud vxorem infidelem, vbi ipſa voluerit: quàm cum vitæ ſecuritate, eam nolentem te ſequi, apud exteras nationes, repudiare, & alteri nubendo, facere id, quod Deo in ſacris literis nunquam probatum ſit.

Reſp. Principio, duplex eſt coniugium Chriſtiano homini. Vnum cum Chriſto, alterum cum vxore: atque illud ſicut prius eſt tempore (in Baptiſmo enim contrahitur & obſignatur) ſic etiam ſanctius & auguſtius eſt hoc altero: vſque adeò, vt hoc alterum potius ſit deſerendum, quàm illud primum: ſicut docuit Chriſtus ipſe, *relinquendum eſſe non ſolùm patrem & matrem, ſed etiam vxorem propter ſe. Qui ſecus faxit, non eſſe ſe dignum.* Eſt autem manifeſtum, ab illo pluris fieri vxorem, quàm Chriſtum: qui vt fruatur vxore, mauult ibi eſſe, vbi neque verbum Dei audire, neque ſacramentis participare, neque Chriſtum legitimè colere; nec denique ex eius lege & Euangelio, totam vitam traducere queat: ſed contrà, vbi in manifeſtum ſe conjicit diſcrimen abnegandi Chriſti & Euangelij, idoláque colendi, id quod certè damnat Spiritus S. cùm docet, *non eſſe Deum tentandum.* Item, *ab omni nō ſolùm malo: ſed etiam ſpecie mali abſtinendum eſſe.* At pereat (inquies) potius, & ſinat ſe comburi, quàm vt aſſentiatur idololatriæ: & abnegationi Chriſti. Reſp. Doces, quid faciendum ſit; ſed quid, ſi tam infirmus ſit, vt metuat, ne ſi maneat, tormentis coactus abneget Chriſtum? Annon præſtat vitare periculum hoc, fuga: non deſerta tamen, ſed tantùm ad tempus relicta domi vxore, donec ipſa, vt lege Dei & naturæ tenetur facere, eò ſe cōferat, vbi & vir eius ſit? Si negas: negas quod Chriſtus iuſſit, dicēdo: Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: & quæcunque de fuga ſcripta ſunt à Patribus. An fortè putas, illis duntaxat licere fugere: qui aut non habent vxores, aut quos vxores ſequi volunt; ac proinde, qui fugiendo, vxores domi non relinquunt? At fugit (inquies) potiùs, vt conſulat ſuæ vitæ, quàm ne Chriſtum abneget. Quis verò tu es, qui alienam iudicas conſcientiam? Quaſi verò etiā non liceat ſolius vitæ ſeruandæ cauſa, relicta, ſed non deſerta, domi vxore, & liberis, extra patriam, ac etiam nationem aufugere. Cùm autem hoc ſit, vtriuſque rei cauſa, nempe, & vt ne periculo nos exponamus abnegandi Chriſti: & vt ne in diſcrimen coniiciamus vitam noſtram; quis improbare audeat? Ille enim tantùm dicitur deſerere vxorem, qui recuſat cum illa viuere, & viri officium illi præſtare. Quid verò ſi conſcia etiam, & conſentiente vxore diſcedat, ſuæ ſalutis, tum animi, tum corporis gratia? Fuerítne deſertor vxoris? Minimè verò. Quid ſi etiam diu & multos annos abſens maneat, quia redire in patriam non poteſt ſalua conſcientia, & vita: ídque conſentiente vxore? Ne tum quidem dici meritò poterit vxoris deſertor. Rurſus, ſi ipſe, cùm non poſſit domum redire, ſine manifeſto diſcrimine & vitæ & conſcientiæ, roget vxorem, & pro ſuo iure mandet illi, vt ad ſe veniat in locum tutum, illa verò recuſet: vter accuſandus erit deſertionis? Certè mulier. Nam ipſa & Dei, & naturæ lege, iuréque ciuili tenetur marito in omnibus rebus honeſtis obtemperare; non autem ipſe vxori, nedum in re iniqua. Quid autem iniquius, quàm vt vir ad vxorem eò veniat, vbi non poteſt habitare ſine manifeſto diſcrimine vitæ & conſcientiæ: cùm ipſa mulier venire eò no-

eò nolit, vbi tuta eſſe poteſt ab vtroque periculo? Vtrum Eccleſia imperare debet Chriſto; an Chriſtus Eccleſiæ? Sic ſe habere rem inter virum & vxorem, docet Apoſtolus. Ideò ait, *Mulieres ſubiectæ eſtote viris veſtris: ſicut & Eccleſia Chriſto.* Ait idem Apoſtolus, *Eum qui ſuorum, & maximè domeſticorũ curam non habet, fidem negaſſe & infideli deteriorem eſſe.* Quam curam autem habet vxor viri ſui, quæ, niſi veniat ille ad ſe in locum diſcriminis: ipſa recuſat eò venire, vbi vterq; poſſit eſſe tutus ab omni periculo corporis & animæ. Ergo cùm hæc fiunt, primò vir non deſerit vxorem ſed deſeritur ab vxore. Deinde vir, etiamſi non veniat ad vxorem, dici tamen non poteſt eam repudiare: ſed potiùs repudiari. Inde tertiò efficitur, liberatum eſſe virum deſertum ac repudiatum, prioris coniugij vinculo, vt aliam ducere poſſit.

Quod verò, hoc dicit ille Miniſter, nunquam probatum fuiſſe Deo in ſacris literis: imperitè pronuntiat, vt ſuprà demonſtratum eſt. Ita apparet illius reſponſionem ad propoſitam quæſtionem, imperitam, iniquam & impiam eſſe. Nunc eius rationes examinentur.

1. Quiſque ſibi potiùs mortem deligere tenetur: quàm aliquid committere, quod cum expreſſo verbo Dei pugnare cognoſcatur. Damus. At verbum Dei expreſſum eſt, quod ob ſolum ſtuprum (voluit dicere adulterium) poſſit fieri diuortium: & nouum admitti connubium. Reſpon. Falſum hoc eſt, vt ſuo dicetur loco: quia Chriſtus de ſolo pari coniugio locutus eſt, non autem de impari, quanquam propriè loquendo, vir deſertus ab vxore, non facit diuortium ipſe, ſed patitur ab vxore diuortium. Apertiſſimè verò apparet, falſiſſimum eſſe, quod ait, ob ſolum ſtuprum, poſſe hominem nouum contrahere matrimonium, cùm propter deſertionem etiam id liceat, vt docet Apoſtolus.

2. Vocationi Dei poſthabenda ſunt omnia, etiam optimum, & vita ipſa. Atque coniugium, ſanctiſſima eſt Dei vocatio.

Reſpond. Duplex eſt cuiuſque Chriſtiani vocatio. Vna prima ac generalis, qua vocatus eſt ad Chriſtum colendum, & ad coniugium cum ipſo ſeruandum. Altera, ſecunda ac particularis, qua alius ad connubium vocatus, alius ad cœlibatum, alius ad dominandum, alius ad ſeruiendum. Eſt autem inter has talis ordo: vt propter primam, negligenda ſit ſecunda: nempe ſi aliter ſeruari illa prima non poſſit. Quò ſpectat illud Chriſti: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, matrem, vxorem, & animam ſuam, propter me, is non eſt me dignus.* Nam etiam pater & mater relinquendi ſunt, vt adhæreat quis vxori ſuæ, quantò magis etiam vxor deſerenda, vt adhæreat Chriſto? Eat ergo & diſcat homo imperitus pronuntiare ex cathedra.

3. Quiſque in ſua vocatione duo curare debet: vnum, vt omnibus modis diabolum, carnem & ſanguinem ſuperemus. Et id fieri ait mortificatione, abnegatione noſtræ voluntatis, & tandem lucta ſpiritali. Totum hoc bene dictum: niſi quòd luctam intelligit eam, qua quis cum vſtione, qua vritur, pugnat. Certè cùm quis in eo eſt ſtatu: huic aliud conſilium dat Apoſtolus, nempe, vt matrimonium contrahat: *quia melius eſt contrahere matrimonium, quàm vri.* Neque enim hæc vſtio vincitur luctando: ſed vel coniugio, ſi liber ſis: vel precibus & ieiuniis, ſi alligatus ſis vxori, qua vti frui nequeas. Ita concludo, eum qui vritur, & liber cùm ſit non ducit vxorem: contra Dei vocationem facere. Vocatur enim ad coniugium. Veniat igitur homo in eum ſtatum, ad quem vocatur à Domino: & tum concedam, ſi luctetur & auxilium à Deo petat, eum illud impetraturum.

Alterum, inquit, eſt: vt quocunque modo fratribus commodare, nobiſque minimè indulgere ſtudeamus. Sic ille. Vult inferre: Non igitur vt vitæ noſtræ conſulamus, diſcedendum eſſe ab vxore: ſed manendum ibi eſſe, vbi illa vult: etiam cum noſtræ vitæ diſcrimine. Sed illum in hac concluſione turpiter hallucinari, demonſtratum eſt. Ad regulam illam charitatis quod attinet: dico, charitatem eſſe ordinatam. Debemus ſupra omnia amare Deum. Ergo propter Chriſtum odio habendi ſunt potiùs pater & vxor, quàm vt horum cauſſa in apertum diſcrimen quis ſe ſponte coniiciat abnegandi illius, & legem eius tranſgrediendi. Sic enim ille docuit. Debemus deinde magis amare ſalutem animæ proximi noſtri, quàm noſtri corporis. Et tum ponere debemus animas pro fratribus; ſicut & Chriſtus vitam ſuam dedit pro ſalute noſtri æterna, animarúmque noſtrarum. Sed non debemus ſalutem animarum noſtrarum negligere, propter ſalutem corporis: multò minus propter commodum & voluptatem proximi noſtri: vti eſt vxor. Neſcit ergo quid garriat Miniſter iſte: cùm conſulit ex his regulis, viro, vt potiùs cum vitæ ſuæ diſcrimine (à quo certè periculum conſcientiæ in hoc caſu non ſeparatur) eat, quocunque vult vxor, nempe etiam in manus tyrannorum, quàm vt eam nolentem inſequi apud exteras nationes relinquat. Atque addit, ſi illud fecerimus: nos tanquam filios Deo obtemperare; ſin minus, nos ſalutifera eius præcepta vili æſtimare. O ventrem! Vbinam Deus præcipit quod tu conſulis?

4. Quartum, inquit, & poſtremum eſt: *quod in omnibus vitæ generibus legitimis, quæ Deum non modò arbitrum, ſed autorem habent, non temerè reſiliendum eſt à vocatione, in quam ſemel ingreſſus ſis voluntate Dei. Eſt autem coniugium, vocatio Dei, in quam, &c.*

Reſpond. Sed nunquid reſilit à ſua vocatione, qui propter Chriſtum non deſerit vxorem, ſed tantùm relinquit, idque tantiſper dum in locum tutum ſe conferat, & illa ad ſe veniat? Annon illa potiùs reſilit, & quidem temerè, cùm recuſat ſequi maritum, cui lege coniugij ſubiecta eſt, & obtemperare debet in omnibus rebus honeſtis? Contrà verò vir reſiliret à vocatione prima, qua vocatus eſt ad Chriſtum colendum: ſi propter amorem vxoris ſeſe in diſcrimen manifeſtum Chriſti abnegandi coniiceret.

5. Ait prætereà, opus diaboli eſſe, & carnis, & ſanguinis: cùm vt vitam corporis tueamur, coniugium Dei vocationem, carni noſtræ poſthabemus.

Reſpond. Quis negat? Sed negamus virum, qui vitandi diſcriminis non tam vitæ, quàm abnegandi Chriſti cauſſa, extra patriam è manibus Antichriſti fugit: matrimonium poſthabere (vt ita cum ipſo Miniſtro loquamur) vitæ ſuæ. Hoc potius optimè quadrat in vxorem deſertricem, quæ ne amittat delicias patriæ, ſuorúmque bonorum, deſerit virum: & cum eò abire recuſat, quò ipſe iubet.

6. *Et ſi filij Iſrael*, inquit, *ſibi potius mortem elegerunt, quàm ſuillas edere carnes contra Dei mandatum: cur non & nos quoque mori potius eligemus, quàm ſeiungere, quod Dominus coniunxit?*

Reſp. Sed talis vir, de quo ſermo eſt, non ſeiunxit, nec ſeiungit, quod Deus coniunxit, ſed deſertrix mulier id facit, vt ex ſupradictis patet.

7. Subdit etiam, ſe non videre, cur maritus fidelis non debeat commodare vxori infideli, quæ conſentit cum illo habitare, modò nec patria, nec domo propria diſcedat.

Reſpond. Contrà ego non video, cur vxoris quæ ſalutem viri nihili facit, cauſa: debeat pius vir ibi manere, vbi periclitatur ſalus ipſius tum animæ, tum corporis: & cur pluris debeat facere vxorem deſertricem, quàm Chriſtum ſeruantem.

At, inquit, cedere ſuo iuri quiſque tenetur, vt fratribus infirmis prodeſſe poſſit: vt docet Paulus. Sed hoc intelligitur in rebus adiaphoris. Non eſt autẽ res adiaphora, manere in diſcrimine vitæ, & ſalutis animæ, cùm illud declinare poſſit. Rurſus idem Apoſtolus docet: *non eſſe facienda mala, vt eueniant bona.* Tentat autem Dominum, eóque malum facit: qui ſe in manifeſtum diſcrimen proiicit aut abnegandi Chriſti, aut vitæ profundendæ. Neque etiam digna eſt vxoris nomine: quæ ſalutem viri non amat: ſed deſertrix eſt. Neque enim ſatis eſt dicere ſe velle habitare cum viro: ſed oportet cum ipſo habitare, vt vxorem decet: ſubiectam ſcilicet marito, eique in rebus honeſtis obſequentem. Num verò hoc facit, quæ alia ratione non vult cum viro eſſe, niſi domi, hoc eſt, in diſcrimine vitæ & ſalutis animæ maneat? Atque hæc aduerſus rationes, quas adfert pro confirmanda ſua reſponſione ad quæſtiunculam.

Reſpondet deinde obiectionibus aliis.

Dices (inquit) rurſus: maritus ille, agnita ſuæ carnis imbecillitate, pro virili curat, ne Dominum aliquo modo tentet. Id quod faceret, ſi ſponte ſub Antichriſti imperio degeret, &c. At ego (inquit) viciſſim dico, illum tentare Dominum, qui mittens manum ad ea, quæ Dominus non modò non præcipit, ſed verbis Sole meridiano clarioribus vetat, coniicit ſe in vitę diſcrimen. Vult in ſumma concludere multis ſuis ambagibus: non debere virum fidelem, etiamſi periclitetur de eius vita, déque eius ſalute, vllo modo ab vxore diſcedere: quoniam coniicit ſe in diſcrimen adulterandi: & ideo tentat Deum.

Reſp. Hæc legitima non eſt cauſa, cur debeat in manifeſto diſcrimine manere admittendæ vitæ & ſalutis: eóque non ſeruandi mandati diuini, quo iubet Deus, vt ſi in vna ciuitate nos perſequantur, fugiamus in aliam. Item, vt propter Chriſtum relinquamus etiam vxorem. Illud periculum eſt certum & euidens: ideo declinandum: hoc alterum non ita. Deinde, *non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.* Cur ergo manifeſtiſſimè Deum tentes: quia metuis, ne fortè obtemperans mandato Dei, in aliud periculum incidas? Qui paret Deo: dubitandum huic non eſt, quin habiturus ſit auxilium Dei in ſuis tentationibus. Eſt autem manifeſtum Dei mandatum: *ſi vos perſecuti fuerint, &c.* Item manifeſta pe-

ricula eſſe vitanda, ſi id fieri legitimè poſſit. Quare ſi Miniſter iſte hoc contendat: non licere per verbum Dei: dico eſſe hominem imperitiſſimum ſacrarum literarum. Ac quòd ſemper obiicit, quaſi doceamus, propter infidelitatem, vxorem eſſe abiiciendam: inſignem nobis facit iniuriam in ea re.

Alia obiectio. Obiicies iterum, inquit, & dices, virum talem nequaquam ſe ſentire vocari vel ad teſtandam ſanguine veritatem, vel ad vitam cœlibem ducendam. Quare cùm manere nequeat cum priori vxore, neque etiam vitam cœlibem ducere: cogi alteram ducere. Sic enim nos docemus. Quid ille? Imò verò, inquit, audeo aſſerere, eum vocari ad horum duorum alterutrum. Ratio: quia cùm Deus velit, vt ſuam non deſerat vxorem ſecum habitare volentem: aut igitur vocatur ad teſtandam ſanguine veritatem, aut ad vitam cœlibem ducendam.

Reſp. Sed nego, vxorem, quæ nolit viro obtemperare in rebus honeſtis, ſed ei imperare, vt maneat, vbi per conſcientiam non poteſt: velle reuera habitare cum marito: vt vxor debet cum viro ſuo: ac proinde eam eſſe veram viri deſertricem, contendo. Quare ipſe ſolutus coniugio, aliam ducere poteſt.

Subdit Miniſter: Rurſus dices, quòd vxor potiùs maritum: quàm maritus vxorem, quocunque ierit, ſequi tenetur. Ego verò, inquit, ſi hoc prorſus verum ſit, nullo modo laudandas cenſerem mulieres illas, quæ religionis ergò viros ſuos relinquunt, ne veritatem negare cogantur, vel cremari. Quas tamen omnino laude dignas exiſtimo, & viros etiam fideles, modò caſtè viuant: nec ad nouas nuptias tranſeant. Non enim inficias eo, quin liceat imminentem perſecutionem fugere.

Reſpond. Primò hic dat, quod ſuprà negauit, vitæ ſcilicet ſeruandæ cauſſa, & vt ne quis cogatur veritatem abnegare: licere tam mulieri, relicto viro infideli in ſua infidelitate, quòd nolit vxorem fidelem ſequi: quàm viro relicta vxore, imminentem perſecutionem fugere: tantùm negat alterum contrahi matrimonium poſſe: cùm ſuprà vtrumque ſimul negarit, & impium vtrumque eſſe contenderit. Deinde ita aſſumit, vt inde inferre ſe velle indicet, Non eſſe verum, quod dicimus, *vxoris eſſe, ſequi virum, non autem viri, vxorem.* Alioqui enim non probari poſſe mulieres illas (alludebat adulator ad nobiliſſimam quandam matronam, quæ relicto viro in Italia, confugerat ad Rhetos) quæ religionis ergò, viros ſuos relinquunt, &c. Probantur autem. Ergo, &c.

Reſp. Quis hanc hominis vaniſſimi impudentiam non rideat? Sed cur cedò licet vxori fideli, virum infidelem cupientem cum illa viuere, relinquere, & aliò ſe conferre, vbi ſit à periculo vitæ, veritatiſque abnegandæ tuta: & cur illa non obtemperat viro, iubenti ſe manere domi? Quia videlicet iubet iniqua, & quæ contra Chriſtum faciunt. Obedire autem oportet Deo magis, quàm hominibus: & pluris faciendum eſt coniugium, quod cum Chriſto contraximus: quàm illud, quod cum hominibus. Aliter certè reſpondere non potes, ſi velis factum huius matronæ, & ſimilium tueri. Quid verò nos aliud docuimus de viro fideli, qui vxorem infidelem relinquit propter manifeſtam, religionis cauſſa, perſecutionem: nec ad illam redire vult in locum, vbi tutus eſſe non poteſt à periculo aut abnegandi Chriſti, aut amittendæ vitæ, aut etiam vtriuſque?

At, inquit, totum hoc concedo: tantùm dico, non eſſe ad ſecundas nuptias tranſeundum: quòd integrum non maneat coniugium. Sed quomodo integrum eſt, cùm vna pars neget alteri habitationem, niſi veniat eum in locum, vbi & ipſa eſt: altera verò recuſet venire? Annon hoc eſt deſerere? Qui iniuſtè denegat, quod alter iuſtè petit: is deſertor alterius eſt: non autem qui denegat id, quod alter iniquè poſtulat. Sic enim faciebant & infideles illi, de quibus Paulus loquitur: *Niſi renunties iſti Chriſto, & meam ſequaris religionem, nolo tecum habitare.* Quid de his ait Apoſtolus? *Si diſcedit, diſcedat:* Quaſi dicat, peccatum eſto infidelis diſcedentis. Quid ſequitur? Non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi, id eſt, ſolutus eſt ab obligatione coniugali, qua antea erat conſtrictus. Cùm igitur petitio fidelis, qui propter perſecutionem fugit, iuſta ſit, qua petit à coniuge ſua infideli, vt ſe ſequatur: illa verò imperium viri iniuſtè detrectet, & malit carere coniuge ſuo, quàm illi in re honeſta gratificari: annon infidelis coniux ſit deſertrix, & matrimonium ſoluit? Qui autem liberatus eſt ab vxore, ſi aliam ducat, non peccat, vt docet apertè Apoſtolus. Sed rabula iſte fateri non vult, propter deſertionem, qua infidelis deſerit fidelem ſolui coniugium.

Quod ergo ad finem ſui ineptiſſimi & impiiſſimi ſcripti, addit, Si fidelis, qui diſceſſit, incontinens ſit, eum debere exiſtimare, ſe à Deo vrgeri, vt ad vxorem redeat infidelem, etiam cum diſcrimine vitæ, ne ſcilicet contra iuſſa Dei, aliam ducere cogatur: nulla opus habet refutatione. Conſtat enim ex ſupradictis, & magis etiam conſtabit ex iis, quæ dicentur ſuo loco, ſolutum eſſe matrimonium vitio infidelis, cùm deſerit fidelem. Soluto autem coniugio, licèt fideli innocenti nouum contrahere vt ſuprà demonſtratum eſt. Nec cùm ſentit ſe vir fidelis deſertus, Paulus ait, debere eum exiſtimare, ſe à Deo vrgeri, vt redeat ad infidelem: ſed cùm ſit liber, iubet ducere vxorem, quia melius eſt nubere quā vri. Quid? Quod in ſexta ſynodo, *can. 87. & 88.* definitum fuit, non tam de infideli, fidelem deſerente: quàm de omni deſertore, eum adulterij eſſe reum, & damnari debere? An non verò, qui reus eſt adulterij, matrimonium ita ſoluit: vt pars innocens, denuò aliud contrahere matrimonium poſſit? Ita apparet in hoc certi cuiuſdam miniſtri ſcripto, nullam planè rationem aduerſus noſtram Theſim inueniri, quæ alicuius ſit ponderis, ſed meras contineri ineptias & impietates: & tamen quicquid potuit, collegit, quo doctrinam noſtram refutaret.

Nunc itaq; refutato hoc inepto ſcripto, aliud ego obiiciam argumentum ex verbis Apoſtoli. Apoſtolus non ait, *propter diſceſſum infidelis partis ſolutum eſſe coniugium:* ſed tantùm, *ſi diſcedit, diſcedat, non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi.* quorum verborum ſimplex ſenſus eſſe videtur: *Si diſcedat infidelis, diſcedat ſane:* non tenetur fidelis eum inſequi: Ratio, quia non eſt tali ſeruituti infidelis coniugis ſubiectus fidelis coniux: vt teneatur infidelem ſponte & propter odium religionis diſcedentem, inſequi: ſicut tenerentur inſequi fidelem diſcedentem, & ei reconciliari. Ergo non ſequitur, ſolutum eſſe fidelem ſeruitute coniugali, & vinculo matrimonij: multò minus ita eſſe ſolutum, vt liceat nouum cum alio contrahere matrimonium.

Reſpond. Etſi non totidem verbis dicat Apoſtolus, ſolutum eſſe: ex ipſius tamen verbis apertè colligitur, ſolutum eſſe fidelem ſeruitute & vinculo prioris coniugij, hoc argumento. Vbicunque coniugij vinculum integrum eſt, ibi, quia manet matrimonium, tenetur vir habitare cum vxore, debitamque reddere beneuolentiam: & viciſſim vxor, virúmque inſequi. Liquet hoc ex ipſa inſtitutione, ex verbo *Adhærebit, Eruntque duo in carnem vnam.* Proinde & Apoſtolus dixerat ſuperiùs de fideli vxore, diſcedente à fideli viro, aliam ob cauſſam, quàm propter fornicationem: debere eam reconciliari viro. Quid eſt hoc reconciliari aliud, quàm redire in gratiam cum viro, eúmque ipſo habitare, eúmque inſequi, quocunque vult? Atqui in hoc, de quo loquitur Apoſtolus, caſu, non tenetur fidelis inſequi infidelē, vt cum illo habitet: id quod etiam aduerſarij concedunt, victi verbis Apoſtoli. Manifeſtum igitur eſt, cùm infidelis deſerit fidelem, vt Paulus ſcribit: integrum non manere coniugium, ſed ſolui: idque infidelis culpa, eóque liberum eſſe fideli, aliud contrahere matrimonium. Adde iam, quòd nulla maior ſeruitus inueniri poteſt: quàm manere ſine vxore, à qua deſertus ſit, ei qui vritur. Nullo igitur modo concedi poteſt, de alia ſeruitute locutum fuiſſe Apoſtolum, quàm de ea, qua coniux coniugi ita obſtrictus eſt, vt aliam ducere non poſſit. Quare cum in caſu propoſito, liberet fidelem à ſeruitute: apertè docet, ſolutum tunc eſſe coniugij prioris vinculo ac ſeruitute fidelem: eóque liberum eſſe illi, ſi velit, nouæ coniugij ſeruituti ſeſe ſubiicere. Ita manet firma Theſis:

Qui propter iniquam deſertionem, prioris coniugij vinculo, legitimè ſoluti ſunt, his licere nouum contrahere connubium.

His Theſibus aliæ adiici poſſent, vt de liberis ſub patria poteſtate conſtitutis. His enim non licet ſine parentum conſenſu, matrimonium contrahere. Vt de deſponſis: Quæ enim deſponſæ ſunt verbis in præſens factis: his non licet aliis nubere. Secus verò de deſponſis per verba ſimpliciter de futuro. Vt item de furioſis. Nam neque his licet matrimonium contrahere. Vt de ineptis ad coniugium, adeóque, vt Chriſtus loquitur, *caſtratis.* Vt etiam de iis, qui nondum ſunt iuſtæ ætatis, &c. Verùm iiſdem rationibus demonſtratur, his non licere matrimonium contrahere: quibus etiam demonſtratur, cum his non poſſe matrimonium contrahi. Quare ad quæſtionem inſequentem, *Quibuſcumnam liceat contrahere, & quibuſcum non liceat,* remitto lectores. Ac de prima parte ſponſalium ſatis.

CAPITIS PRIMI,

QVAESTIO II.

De iis, quibuſcum matrimonium contrahi poſſit: & quibuſcum non poſſit.

Hacte-

HActenus docuimus, omni hominum ordini, qui ad coniugium idonei ſunt, licere per legem Dei, & naturæ, matrimonium contrahere: imò vero etiam quibuſdam mãdari, vt qui continere ſe non poſſant, matrimonium contrahant. Eſſe enim ſanctum coniugium, præſentiſſimum remedium, aduerſus omnes vagas libidines. Videndum nunc eſt, quibuſcum contrahi poſſint ſponſalia, eóque matrimonia ipſa. Et quia multa ſunt hominum genera, gradus, ordines, conditiones, quibuſcum non licet contrahere matrimoniũ: priori loco videndum eſt de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis. Nam de iis etiam Deus in ſua lege diſſerit, *Leuit.* 18.20.21. *Deut.* 27.

I. Eſt autem priori loco notandum: fundamentum, vndè iſtæ leges de prohibendis quibuſdam gradibus, tam affinitatis, quàm conſanguinitatis: eſſe ipſam naturalem honeſtatẽ. Docet hoc Deus, repetito in ſingulis legibus illo verbo, *turpitudinem non reuelabis patris, matriſue tuæ.* Docet enim hac locutione, ſe non prohibere nuptias inter hos gradus aliam ob cauſam, niſi quia turpe ſit, & contra naturalem honeſtatem, cum talibus hominibus matrimonium contrahere. Hoc idem confirmat, cùm addit aliquando, ſcelus eſt זמה הוא: quaſi dicat, res eſt per ſe ſceleſtata cũ his contrahere. Idem docet, cùm initio vetat, ne contrahant ſicut ſoliti erant Ægyptij & Cananæi. Iſtæ enim gentes promiſcuè contrahebant, nulla habita honeſtatis ratione: ſicut optime docet Alexan. ab Alexand. in ſuis *Gen. lib.* 1 *cap.* 24. & clarius idem confirmat Deus, quum poſt latas iſtas leges, ſubijcit Leuit. 18. verſic. 24. *Ne polluamini in omnibus his. Per hæc enim omnia polluerunt ſe gentes, quas ego eiecturus ſum à facie veſtra.* Item, *omnes enim abominationes iſtas fecerunt gentes, &c.* Ideo enim Deus eiecit gentes ex illis terris; quia præter alia connubia etiam contraxerant contra honeſtatem naturæ, cuius legem habebant ſcriptam in mentibus. Cauſſam hanc vetandarum talium nuptiarum, inter iſtos gradus, tanquam inceſtarum, & cum honeſtate naturæ pugnantium: norunt Romani, & ſcriptam etiam reliquerunt Iuriſperiti, etiam Gentiles. Ideò in *Pandect. ſeu Digeſtis lib.* 23. *ti.* 2. *de ritu nuptiarum*, L. 14. Paulus ait, *in contrahendis matrimoniis naturale ius & pudor inſpiciendus eſt. Contra pudorem autem eſt, filiam ſuam in vxorem ducere, &c.* Hæc ergo admonitio fideliter retinenda eſt.

2. Ex hoc primo capite ſequitur alterum, quod non minori diligentia obſeruandum eſt: nimirum leges, quas *Leuit.* 18. tradit Dominus, de inceſtis nuptiis, leges eſſe non peculiares populi Iſraëlitici, ſed omnibus gentibus communes, eoque non tam eſſe politicas, quam morales & naturales. Neque enim Deus in gentes animaduertebat, propter non ſeruatas leges Iudæis propriè traditas, ſed propter violatam naturæ legem, quæ adhuc gentes docebat, quid eſſet honeſtum, quid turpe: quid æquum, quid iniquum, vt Roman. 2. Apoſtolus docet. Sunt alibi peculiares leges de coniugio traditæ Iſraëlitis: quibus quia à natura non ſunt, ſed certis de cauſis populo illi duntaxat præſcriptæ, idcirco nos ſubiecti non ſumus: Vt lex illa, de ducenda vxore fratris demortui, ſi ſine liberis diſceſſiſſet è vita: *Deut.* 25. Sed illæ, de quibus *Leuit.* 18. & propter quarum neglectum, gentes eiectæ fuerunt è terra, ad nos quoque & ad omnes pertinent populos, quià ab honeſtate naturæ ductæ ſunt. Atque hoc ita ſe habere inde luculentiſſimè etiam patet: quia quoſcunque gradus prohibet Deus in eo capite, nuptias quoque inter eoſdem, inceſtas eſſe iudicarunt Romani, & aliæ gentes honeſtæ, ſimiléſque legibus diuinis de iiſdem rebus condiderunt etiam ipſi leges, vt mox videbimus. Quicquid enim de his gradibus vetuit Deus, idem & ipſi vetandum eſſe ex lumine naturali iudicarunt.

3. Hinc ſequitur tertium, nempe *de ſponſalibus ſeu nuptiis, quanã inceſtæ ſint, & nefariæ, & quæ non ſint:* iudicari melius non poſſe quàm ex lege Dei, in primis quam tradit *Leuit.* 18. Quis enim meliùs nouit quid honeſtum & turpe ſit: quàm Deus, omnis honeſtatis & totius naturæ autor? Deinde verò poſt legem Dei de iiſdem rebus iudicium faciendum eſt ex legibus Romanorum, qui ex lumine naturæ conſentienter cum Dei lege iudicarunt. Quare quod lex Dei prohibet, legibus etiam gentium à lumine naturæ profectis confirmatum, concedi ac diſpenſari à nemine poteſt, & qui id facit, Antichriſtus eſt, & hoſtis naturæ. Eſt etiam regula naturalis, quæ in iure quoque recepta eſt, *Ceſſante cauſſa, ceſſare effectum*, & *Dig. l.* 2. *tit.* 14. *de Pactis. L.* 32. *Ceſſante ratione legis* (inquit Iureconſultus) *ceſſat ipſa lex.* Ergo vbi Deus non docet turpitudinem vllam eſſe, ibi licet per ſe connubium contrahere. Dico per ſe, quia ex accidenti fieri poteſt, vt propter alias cauſas non liceat: nempe, quia non expediat. Exemplũm: Inter patrueles, filios ſcilicet fratrum, licitum eſt connubium, per legem Dei, & per leges etiam Romanorum: quòd nullam ibi doceant turpitudinem eſſe: Verùm alicubi per leges Magiſtratuum non licet, propterea quod iudicatum ſit in tali loco & gente non expedire. Chriſtus autem vult leges ciuiles, quæ ſcilicet cum ſuis & naturæ legibus non pugnant, à nobis ſeruari. Atque hoc eſt honeſtiſſimum. Itaque quamuis per ſe liceat filiæ meæ, exempli cauſſa, nubere filio fratris mei: ex accidenti tamen non licebit, ſi tale connubij genus lege Magiſtratus ſit certis de cauſſis prohibitum: Vt in nonnullis locis vetitum eſt.

4. Illud quoque quarto loco notandum eſt, fundamentum iſtius naturalis honeſtatis, quæ in contrahendis (vt ſuprà dictum eſt) matrimoniis ſpectanda eſt, eſſe ipſam ſanguinis propinquitatem. Ideo Deus *Leuit.* 18. poſtquam autoritatem ſuis legibus de coniugio conciliauit apud populum ſuum, dicendo: *Ego ſum Dominus Deus veſter, &c.* hanc legem generalem, tanquam fundamentum reliquarum omnium præponit omnibus, dicens: *Nullus accedat ad proximum ſanguinis ſui, &c.* Propinquitas igitur ſanguinis fundamentum eſt iſtarum legum: quia quò quis magis propinquus eſt, in ſanguinis communicatione, ac receptione, aut mixtione: eò minùs cum eo licet matrimonium contrahere, vti eſt inter parentes & liberos: eſt enim hic primus propinquitatis gradus.

Eſt porrò duplex genus propinquitatis: vnum quod propriè ex ſocietate communioneque ſanguinis oritur. Et ideò hoc vocant *conſanguinitatem*: Alterum quod naſcitur ex carnali viri & mulieris coniunctione: eóque ex ſanguinis vtriuſque partis mixtione. Ea enim re fit, vt conſanguineæ vxoris, ad fines conſanguineorum viri accedant, coniuncto viro per vxorem. Atque hanc ob cauſſam hoc genus propinquitatis, vocant affinitatem. De vtroque autem certas tradit leges Deus in eo capite, *Leu.* 18. quibus intelligamus, quo vſque honeſtum ſit, ne contrahamus matrimonium. Ac primùm de conſanguinitate agit: Deinde de affinitate. Quare quòd Pontifices Romani addiderunt tertium genus propinquitatis, cognitionem ſcil. ſpiritualem, quam ex baptiſmatis adminiſtratione oriri dicunt: & ita hîc etiam connubia prohibent inter compatres & profilias, probari non poteſt: quia abſque lege Dei & iure naturæ hoc factum eſt. De duobus tantùm dedit nobis leges Deus. Tertium hoc non nouit.

5. Ad extremum, notandum etiam hoc nobis eſt, licèt paucas perſonas in his legibus nominet Deus per Moſen, quibuſcum contrahendum non ſit: plures tamen ſub illis paucis eſſe comprehendendas: nempe eas, quę cum nominatim expreſſis eandem habent naturalis propinquitatis, eóque etiam honeſtatis rationem. Epitomen enim duntaxat tradidit conſanguinitatis, & affinitatis: ſed talem tamen tradidit epitomen, ex qua facile quiuis ratione præditus poſſit intelligere, quænam præterea perſonæ ſub iis quas nominatim recenſuit, prohibeãtur: nempe quas ipſa natura docet ſimilem habere propinquitatis rationem. Exempli gratia. Inprimis & ante omnia prohibet nuptias inter parentes & liberos: quòd hęc coniunctio ſit omnium turpiſſima, & à natura quam maximè aliena: ratio, quòd etiam inter hos propinquitas eſt prima & maxima, atque arctiſſima. Sub nomine igitur patris & matris comprehenduntur, primùm quidem in linea recta conſanguinitatis, *Auus, Proauus, Abauus, Atauus, Auia, &c.* Et ſic deinceps in infinitum aſcendendo: quia omnes ſunt parentum loco. Deinde in linea tranſuerſa conſanguinitatis: *Patruus, Amita, Auunculus, Matertera, &c.* & ſic deinceps aſcendendo: quia etiam hi parentum locum tenent, ita in linea affinitatis continentur: *Socer, Socrus, Vitricus, Nouerca, &c.* quia & ipſi parentum loco ſunt. Viciſſim, ſub nomine filij & filiæ comprehenduntur Nepotes in primis, & Neptes: Pronepotes & Proneptes. &c. & ita in infinitũ deſcẽdendo. Deinde Priuignus, Priuigna: gener & nurus: quia omnes ſunt inſtar filiorum: & ita de aliis perſonis, quæ fuſiùs in iure ciuili explicantur, vt mox de ſingulis dicemus, diſtinctè, & certis Theſibus. Hæc diligenter ſunt retinenda, ne fortè putemus, non plures prohiberi gradus, quàm qui nominatim explicati ſunt in contextu. His addo quo meliùs omnia intelligantur, gradus omnes, tam affinitatis, quàm conſanguinitatis, diſtingui duabus primùm lineis: Recta & tranſuerſa: vnde & qui ſunt in linea recta, gradus rectos: qui in tranſuerſa & in lateribus, collaterales appellant. Deinde collaterales etiam diuidi, in rectos & obliquos, vt videre eſt apud omnes, tam Iuriſperitos, quàm Theologos, qui de his gradibus diſſeruerunt. Atque hæc ſatis ſunto, pro præfatione ad leges de gradibus conſanguinitatis & affinitatis.

II. Porrò Theſes hoc ordine proponam: principio ſequuti ordinem Dei, illas priori loco proponemus, quæ ſunt

de gradibus conſanguinitatis, ſecundo autem loco, quæ de affinitatibus.

Deinde Theſes ſingulas probabimus, ex verbo Dei primò: deinde ex iure ciuili; &, ſi conſenſerit cum his, etiam ex iure Canonico: ſin minùs, eius impietatem & iniquitatem ſaltem indicabimus. Ita plenam, abſolutam, perſpicuam, & diſtinctam habebimus huius quæſtionis de gradibus licitis & illicitis explicationem, quæ alioqui ſatis inuoluta & intricata fuit, præſertim in iure Canonico.

Inceſta coniugia inter conſanguineos & cognatos.

THESIS I.

I. Inter parentes ac liberos, tam illegitimos, quàm legitimos, contrahi ſponſalia non poſſunt, ac proinde inter eos, qui ſunt in linea conſanguinitatis recta, quanta ſit nuptiæ eſſe non poſſunt, niſi inceſta, propterea quod omnes aut parentum aut liberorum locum habent.

TRia hic ſunt membra: primùm, inter parentes, & liberos legitimos, ex legitimo ſcilicet coniugio ſuſceptos, non poſſe contrahi ſponſalia, ſeu nuptias. Secundò neque inter parentes & liberos illegitimos, ſuſceptos ſcilicet ex ſcortatione. Tertiò, inter nullos qui ſunt in eadem recta linea: cuius rei ratio redditur, quia omnes habent locum parentum vel liberorum. Probatio prima affertur ex verbo Dei, *Leuit.18.7. Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non reuelabis: mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.* Modò ergo ſit pater aut mater, filius & filia, ſiue ex legitimo coniugio, ſiue ex fornicatione ſuſcepti ſint, non poteſt inter hos contrahi matrimonium: quòd hæc ſit prima & maxima turpitudo, quæ cum honeſtate naturæ, ex diametro pugnet. Cùm autem nominat *patrem & matrem*, manifeſtè colligitur, tam caueri, ne filius ducat in matrimonium matrem, quàm ne filia nubat patri. Atque hinc colligimus, licèt poſtea infra in aliis legibus non videatur alloqui niſi maſculos, non excludi tamen fœminas, cùm eadem ſit vtrobique ratio. Ideò licet breuitatis cauſa dicat tantum de *Matre: mater enim tua eſt: non reuelabis turpitudinem eius:* Quis tamen non videat eandem ob cauſam, non licere filiæ nubere patri, quia pater eius eſt? Confirmatur hæc lex Geneſ 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Si deſerendi ſunt parentes ei qui vxorem ducturus eſt, vt cum illa ſit vna caro. Ergo cum parentibus contrahere matrimonium non poteſt. Quomodo enim deſerit parentes, qui cum illis coniugium init? Confirmauit hoc Exod.20. *Honora patrem & matrem, &c.* Qualis enim honos illis exhibetur à liberis, ſi illorum turpitudinem retegant? Quòd verò omnes, qui in linea recta ſunt conſanguinitatis, prohibeantur inter ſe contrahere matrimonia, idque propter hanc cauſſam, quòd omnes teneant locum parentum & liberorum; docent omnes interpretes, & præterea Iuriſperiti, qui hoc tradunt eſſe ius naturæ & gentiû. In Inſtitutionibus *l.1.tit.10. De nuptiis: Ergo non omnes, &c.* Item in *Pandectis T.l.23.tit.2 de ritu nuptiarum l.24 l 53.54.55. & l.vlt. &c.* Item *T.3.l.48.tit.5. Ad legem Iul. De Adulteriis, l.38.* In his locis & explicantur & confirmantur, quæcunque in Theſi poſuimus. Ab hac non diſſentit ius Canonicum, neque Theologi Scholaſtici. Ideo omnes dicunt, ſi Adamus nunc reſurgeret, & vellet vxorem ducere, non poſſet contrahere matrimonium, niſi Deus aliquam ei nouam crearet fœminam. Vſque adeò omnes conſentiunt, conſanguineos, qui ſunt in linea recta, non poſſe inter ſe iungi matrimonio. Ad hanc itaque Theſim pertinet, & hæc lex, quam habemus *Leuit.18. verſ.10. Turpitudinem filiæ filij tui, vel filiæ tuæ non reuelabis: Turpitudo tua ſunt.* Inter parentes ergo & nepotes, ſeu neptes, non poteſt iniri connubium, niſi inceſtum, quia nepotes & neptes, ſunt tanquam filij ſuorum auorum, & auiarum. Quod verò dictum eſt de auis & neptibus, idem de proauis & pronepribus, abauis & abnepribus, & ſic deinceps ordine in linea recta ſentiendum eſt, iuxta regulam ante traditam.

Eſt autem notanda ratio quam adfert Deus, cur inter hos conſiſtere non poſſit coniugium: *quia* (inquit) *turpitudo ſeu pudenda tua ſunt*, quaſi dicat, quia illæ perſonæ ſunt veſtræ perſonæ, ita vt quicquid turpitudinis illis detegas, tibi ipſi detegas. Nam illarum pudenda, ſunt tua pudenda: En cauſſam prohibitarum harum nuptiarum, quia non ſunt honeſtæ. Hinc apparet, quanta fuerit iniquitas filiarum Lothi, quæ ex patre concipere voluerunt: Quanta etiam Babyloniorum, Arabum, Perſarum, Bactrianorum, Medorum, Indorum, apud quos olim in more poſitû erat, vt filiæ nuberent patribus: & filij ducerent matres in matrimonium: Alex. ab Alex. Genialium *lib.1 cap. 24.* recitat eadem & Hieronym. *libro aduerſus Iouinianum ſecundo*, imò addit ſuo quoque tempore Scotos non habuiſſe certa coniugia: ſed promiſcuè inſtar brutorum, & cum matribus & filiabus ſeſe miſcuiſſe.

Obiect. Sed ſi natura docet, quod etiam tradit Dominus *Leuit.18.* quomodo ergo iſta admittebant?

Reſp. Principio lumen naturale fuit multum obſcuratum: deinde illud etiam, quod habebant reliquum, ſua malitia ſuffocabant, victi à ſuis cupiditatibus: hac de cauſſa Dominus expulit Chananæos e terra: propter haſce etiam, ſcilicet iniquitates. Ac de linea recta ſatis.

II. In linea laterali ſeu tranſuerſa non ita conſentiunt. Nos ſequamur verbum Dei, & ius naturæ.

Notandum autem inprimis eſt: Tranſuerſam lineam eſſe duplicem vnam inæqualem, alteram æqualem. Inæqualis continet eos, qui à ſtipite, vnde omnis cognatio incipit, inter ſe inæqualiter diſtant. Æqualis vero eſt, quæ illos continet, qui æqualiter à trunco ad latera recedunt, vt frater & ſoror, ex eodem patre aut matre. Eſt autem diſcrimen inter vtramque, quia in linea æquali non ſunt, iuxta verbum Dei, multi gradus prohibiti: ſed vnus tantùm, inter ſororem ſcilicet, & fratrem, non autem inter fratris & ſororis filios. In linea autem tranſuerſa inæquali ad plures ſeſe extendit prohibitio.

Eſt autem hic obſeruanda regula, quæ & in linea recta, de qua iam diximus: nimirum vt ſub vna perſona, aliæ quoque ſimiles, & quæ ſimilem habent honeſtatis rationem, intelligantur: putà ſub nomine amitæ, ipſa quoque amita magna, & maior, & maxima, comprehendantur: cùm tam iſte, quàm illa, parentum loco mihi ſint, ſicut etiam dictum eſt de patre, auo, abauo, &c.

Nunc igitur Theſes ponamus de linea tranſuerſa æquali, poſtea inæquali: Eundem enim etiam ordinem ſeruat Moſes *Leuit.18.*

THESIS II.

Inter fratrem & ſororem, ſiue ex eodem patre eademque matre, ſiue ex altero eorum geniti ſint, idque ſiue ex legitimo coniugio ſiue ex ſcortatione: contrahi ſponſalia nuptiave non poſſunt, niſi inceſta, & ipſo iure nulla. Atque hi ſoli in linea tranſuerſa æquali per legem Dei prohibentur matrimonio coniungi.

THeſis eſt manifeſta. Primùm ex *Leuit.18.ver 9. Turpitudinem ſororis tuæ, filiæ patris tui* (id eſt, quæ tibi eſt ſoror, ex eodem duntaxat patre nata) *aut filiæ matris tuæ* (id eſt, quæ ſit nata ex eadem tantùm matre ex qua & tu) *quæ genita eſt domi* (id eſt, ex legitimo coniugio) *vel genita eſt foris* (id eſt, ex ſcortatione:) *non reuelabis turpitudinem earum.* Hæc Moſes. Multò verò minus reuelanda erit turpitudo ſororis, quæ ſit ſoror ex eodem patre & matre. Subdit verſ 11. *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, proliſ patris tui, quæ ſoror tua eſt, non reuelabis.* Docet in ſumma, abſtinendum eſſe, non ſolùm à nuptiis ſororis germanæ, ex vtroque parente natæ, ſed etiam à nuptiis filiæ nouercæ, ex patre tuo genitæ: hoc eſt, ſororis ex altero tantùm parente. Diſcrimen autem eſt inter hanc legem, in verſ.11. & eam, quæ eſt verſ.9. quia in verſ.9. loqui videtur de ſorore tua ex priore coniugio, hoc eſt, ex eodem patre & matre genita. In 11. autem de ſorore, ex præſenti coniugio, hoc eſt, ex altero parentum ſuſcepta. Et notandum eſt, hos fratres & ſorores omnes, germanos fratres, & ſorores appellari apud Latinos. Sed horum qui ſunt ex eadem matre, *vterini* ſunt: qui ex eodem patre, *conſanguinei. Naſci* porrò *domi*, apud Moſen, ſignificat naſci ex legitimo coniugio. *Foris* autem, ex ſcortatione: id quod Iuriſperiti vocant, *vulgò quæſitum eſſe.* Idem Leuit.20. habetur: *Si quis ſororem ſuam ſiue ex patre ſiue ex matre duxerit,* (multò verò magis ſi ex vtroque) *& alter alterius pudenda reuelauerit: ſcelus eſt: in conſpectu populi occidatur.* Eadem lex habetur *cap.23. & Deuter.27.* Quod confirmatur legibus Romanorum in *Inſtit. libr.1.titul.10. de Nuptiis.§. Inter eas, &c.* Item *Pand.*

Et quidem, quòd neque ſororem à patre tuo ex ſcortatione ſuſceptam, liceat tibi per leges Romanorum, id eſt, iure naturæ, ducere in matrimonium, docetur *Pandect. Tom. 2.lib.38.tit.10.de gradibus, l.7.* Item perſpicua ſunt verba Scæuolæ, quæ habentur in *ff. l.54. Et nihil de ritu nuptiarum.* Fuit

hæc

hæc coniunctio intra fratres & ſorores ſemper apud Romanos deteſtabilis. Ideirco quæ de Caligula narrat Suetonius, qui cum omnibus ſuis ſororibus ſtupri conſuetudinem fecit, ea narrantur, non tanquam de honeſto principe, ſed de monſtro.

Quod verò hi ſoli per legem Dei prohibeantur matrimonio coniungi, ac proinde, quod licitum ſit coniugium inter filios & filias fratrum germanorum, id eſt, inter cõſobrinos, ſiue patrueles ſint, ſiue amitini: apud pios & doctos extra controuerſiam eſt. Quia nunquam legitur in ſacris literis hoc connubium damnatum fuiſſe. *Num. vlt. patruelium & conſobrinorum nuptias conciliat Moſes.* ſed exemplis multis, quæ à nemine vnquam fuerunt damnata, potius comprobatum: vt Abraham duxit Saram conſobrinam, vnde & ſine mendacio vocauit eam ſororem ſuám, ſcilicet conſobrinam. Et Aug. de *Ciuit. Dei. lib. 15. cap. 16.* licèt non probet hoc connubium, ait tamen lege Dei nunquam fuiſſe prohibitum. Deinde legibus piorum Imperatorum fuit confirmatum, vt videre eſt in *Inſtit. lib. 1. Tit. 10. de nuptiis, §. duorum.* Et *C. lib. 5. Tit. 4. de Nuptiis, l. 19. celebrandis.* Et *lib 6. Tit. 25. de Inſtitutionibus & ſubſtitutionibus, l. 2. conditioni.* D. quidem Aug *T. 5. de Ciuit. Dei, lib. 15. cap. 16.* ſcribit, conſobrinorum nuptias lege fuiſſe vetitas. Idem tradit Ambroſius. *Epiſtolarum lib. 8. Epiſtola 66* per Theodoſium Maiorem. Idem docet Paulus Diaconus, lib. 12. ſed mox eam legem fuiſſe ſublatam, liquet ex lege Arcadij & Honorij, in *C. de Nuptiis, lege 19. celebrandis, &c.* Ergo per legem Dei & piorum imperatorum licitum eſt coniugium inter conſobrinos. Cæterùm non me latent rationes quas affert Auguſtinus loco iam citato, quibus conatur oſtendere, melius eſſe Chriſtianis, ſi nuptias contrahant, non ex propria cognatione, ſed ex aliena. Vna ratio eſt, quia, inquit, affinitate cum aliis contracta, charitas inter homines & neceſſitudo ampliùs propagatur: Altera eſt, quod humanæ verecundiæ inſit quiddam naturale, atque laudabile, vt cui debet cauſa propinquitatis, verecundum honorem, ab ea contineat libidinem, de qua etiam coniuges erubeſcunt. Alij etiam alias afferunt rationes, quibus factum eſt, vt multis etiam in locis & piis, Euangelicisque Eccleſiis prohibitum ſit hoc coniugium. Et certum eſt, non probatum fuiſſe Patribus hoc coniugium, vt ex Ambroſio, & Auguſtino, & Paulo Diacono iam oſtendimus. Cùm verò hæ leges, de non ducendis conſobrinis, non pugnent cum verbo Dei: & Chriſtus velit, nos ſubiectos eſſe legibus Magiſtratuum, non pugnantibus cum lege Dei: æquum eſt, vt vbi ſunt hæ leges receptæ, ibi à nobis ſeruentur. Ad me tamen quod attinet, optarim multis de cauſis, hiſque non contemnendis, ſimpliciter connubia contrahi ex lege Dei: vt quod ille nobis fecit licitum & liberum, illud licitum relinquatur. Liberè dico quod ſentio. Quòd verò Pontifices Romani prohibuerint nuptias in hac linea tranſuerſa æquali, vſque ad ſeptimum gradum, vt patet in *Decreto. C. 35. q. 2. & 3. can 17. & 21.* intolerabile fuit, imò quod etiam poſtea contraxerint, ad quartum vſque gradum, ferri non debuit. Nunc tenemus confirmationem noſtræ theſeos: inter fratres & ſorores germanas, non licet connubium contrahere: ſed tantùm inter fratres & ſorores conſobrinas.

Sed quid dicemus de adoptiuis fratribus & ſororibus, vt ſi pater tuus præter te, filium legitimum, habeat etiam filiam, quam ſibi adoptauerit, numquid licebit tibi eam in matrimonium ducere? Reſp. In ſacris literis nullam habemus legem, niſi quam modo retulimus ex *Leuit. 18.* quę propriè de germanis fratrib. & ſororibus eſt. Ex iure igitur Ciuili reſpondendum eſt, quod à iure naturæ ſumptum eſſe dicitur. Si quæ per adoptionem facta eſt tibi ſoror: manente adhuc adoptione, ducere eam non potes; ſoluta adoptione, ducere potes.

Ratio primi membri eſt, quòd manente adoptione, ſoror eſt. Non licet autem ſororem ducere. Ratio ſecundi eſt, quia ſoluta adoptione, deſiit eſſe ſoror. Non autem licet ſororem in matrimonium ducere. Ratio hæc adfertur in *Pand. lib. 23. Tit. 2. de ritu Nuptiarum, l. 17. per adoptionem.* Confirmatur theſis ibidem, *l. 55 Quin etiam.*

Quid verò, ſi pater meus viduus, habeat filium, & ducat in matrimonium matrem tuam itidem viduam, *Numquid tibi licebit ducere filiam patris mei?* Reſp. Omnino: quia ſoror tua non eſt: neque ex eodem patre, neque ex eadem matre. Lex autem Domini prohibet nuptias inter fratres & ſorores, qui ſcilicet veri ſunt fratres & ſorores; ex eodem aut patre, aut matre.

III. Nunc de iis qui continentur in linea tranſuerſa ſeu laterali, ſed inæquali, tam aſcendendo, quàm deſcendendo.

THESIS III.

Inter te, & ſororem patris tui, aut matris tuæ, hoc eſt, amitam aut materteram, & ſic deinceps aſcendendo, &c. non licet coniugium contrahere, propterea quod omnes ſunt tibi parentum loco.

LEuit. 18. verſ. 12. *Turpitudinem ſororis patris tui non reuelabis. Conſanguinea patris tui eſt.* Non licet igitur amitam in matrimonium ducere: & mox de matertera idem ſubdit verſ. 13. *Turpitudinem ſororis matris tuæ non reuelabis, quià conſanguinea matris tuæ eſt.* Ergo neque materteram ducere quiſpiam ſuam poteſt. Quod verò tradit de amita & matertera, idem de patruo, fratre tui patris, & de auunculo fratre tuæ matris intelligi vult Deus, cùm ſubdit rationem prohibitionis, dicens, *quia conſanguinea eſt patris & matris tuæ.* Deinde quod de amita & matertera dictum eſt, idem intelligitur etiam de amita magna, matertera magna, maiore etiam & maxima. Ratio eſt, quia omnes ſunt loco parentum: ſicut etiam ipſorum fratres, ſororéſve: qui tibi ſunt aui, proaui, abaui, in linea trunci recta.

Leges etiam Romanorum id confirmant *Inſtit. lib. 1. de Nuptiis, §. item amitam* & rationem ibi addit Iuſtinianus: *quia*, inquit, *parentum loco habentur. C. lib. 5 tit. 4. de Nuptiis, l. 17. nemini.* Nunc de eadem linea deſcendendo.

THESIS IV.

Inter te, & filiam fratris tui, aut eius neptem, vel proneptem, inceſtæ ſunt nuptiæ: quia ſunt tibi filiorum loco, & tu illis loco parentis.

PEndet huius probatio ex lege Dei, qua confirmata eſt Theſis ſecunda. Si enim tibi non licet ſororem tuam in matrimonium ducere: neque etiam eius aut fratris tui filiam: quia tu es ei loco patris. *Inſtit. lib. 1. tit. 10. de Nuptiis, §. fratris &c. Pandect. de ritu nupt l. 39. Sororis. C. lib. 5. tit. 4. De Nuptiis, l. 17. nemini.* Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte vel pronepte: Itémque cum matre, auia, vel proauia: Et ex latere amita ac matertera, ſorore, ſororis filia: & ex ea nepte, &c. Item *tit. 3. de inceſtis & inutilibus nuptiis, l vlt. ab inceſtis.* Rationem verò quam attulimus, Iuſtinianus aſſignat in Inſtitutionibus, loco iam citato: Affert enim hanc regulam: *Cuius filiam vxorem ducere non licet, neque eius neptem permittitur.* Proinde licèt in hac etiam parte grauiſſimè peccarit Claudius Nero, cùm accepit Agrippinam, fratris ſui filiam in vxorem, nempe Germanici, imò & Senatus, qui in gratiam Imperatoris, ſanxit hoc ei licere: tamen Nerua, ne tam mali exempli nuptiæ in poſterum frequentarentur, vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Idem fecerunt Anaſtaſius, & Zeno, Imperatores, tales damnando nuptias, tanquam inceſtas. Et D. Ambroſius *Epiſtolarum lib. 8. Epiſtola 66.* ad Paternam: qui volebat vt filius acciperet in matrimonium filiam ſororis ipſius, id eſt, neptem ex ſorore. Hoc propriè, de quo nunc agimus, damnat & execratur connubium, nempe inter fratrem & ſororis filiam. Certè apud Romanos ne in concubinatu quidem haberi ſororis filia, licèt libertina, abſque inceſti crimine poterat. Vt patet *Pand. de ritib. nupt. l. 56. Etiam.* Etiam ſi concubinam, quis habuit, ſororis filiam, licèt libertinam, inceſtum committitur. Et ſunt Vlpiani verba: *quantò magis committitur inceſtus, ſi ducatur filia ſororis, ex honeſto connubio ſuſcepta?*

Quòd verò non liceat non ſolùm filiam fratris aut ſororis, ſed neque eorum neptes aut pronepotes in matrimonium ducere: liquet ex legibus antè citatis, *ex Inſtitutionibus Iuſtiniani, & ex Pand. de ritu Nupt. l. 39. & ex Cod. de Nuptiis, l. 17.*

His quatuor Theſibus tenemus, quæ ſponſalia & connubia ſint inceſta, inter gradus conſanguinitatis: tam in linea trunci recta, quàm in linea tranſuerſa, éaque tam æquali, quàm inæquali. Hanc Methodum & rationem iſta explicandi, iudicaui longè vtiliorem, quàm ſi voluiſſem ſequi quam alij omnes, arborem ſcilicet aſſignando, & regulas de gradibus tradendo. Sequuntur iam theſes de inceſtis Nuptiis inter affines.

Inceſta coniugia inter affines.

QVi ſint affines, & quomodo fiant, & cur ſic appellentur, ſuprà à nobis breuiter indicatum fuit, & omnibus ferè notum eſt. Affinitas contrahitur ex coniunctione viri, & fœminæ ſeu vxoris, quia per horum interuentum qui pro

cui erant, ad fines conſanguinitatis alterius partis accedunt.
Affines ergo ſunt inprimis: Vitricus, Nouerca, Socer, Socrus,
Gener, Nurus, Priuignus, Priuigna, & horum filij: Leuir, id
eſt, mariti frater, & Glos, id eſt, Mariti ſoror, Sororius, hoc eſt,
ſororis meæ maritus, & Fratria, hoc eſt, fratris mei vxor. Ij
ſunt præcipui. Vide de his & de aliis in *Pandect. T. 2. lib. 38. tit.
1. de gradibus, l. 4.*

Eſt autem notandum antequam Theſes ponam, etſi pro-
priè loquendo inter affines non ſunt gradus, quia affines ex
affinibus non generantur: Gradus autem fiunt generatione:
tamen certis quaſi gradibus diſtinguuntur affines, non mi-
nus, quàm conſanguinei. Itaque duæ regulæ generales ad
hanc materiam, cum quibuſnam affinibus prohibitæ ſint nu-
ptiæ, intelligendam perneceſſariæ, obſeruandæ ſunt.

Prima hæc eſt: *Quo quiſpiam gradu vxori meæ eſt conſan-
guineus: eodem etiam gradu ſit mihi affinis, & contrà.* Hinc fit
vt in linea recta vxoris meæ pater, mihi ſit ceu pater, & ma-
ter ceu mater: & ita de aliis aſcendendo & deſcendendo. Ac
proinde ſicut vxor mea non poteſt nubere patri ſuo: ſic neque
ego illius matrem, ſocrum ſcilicet meam in matrimonium
ducere poſſum: & ita ordine de aliis aſcendentibus & deſ-
cendentibus. Tot enim gradibus affinitatis quiſque à me di-
ſtat, quot etiam conſanguinitatis ab vxore mea, & contrà. I-
dem in linea tranſuerſa æquali ſtatuendum: quia vxor mea
non poteſt nubere fratri ſuo: neque ego ſororem eius in ma-
trimonium accipere (vt habes *Leuit.* 18.) etiam ſi liceret duas
habere vxores. Proinde Iacob, præterquam quòd peccauit
plures vxores ducendo: inceſtum etiam fecit, qui acceptæ
Leæ vxori, ſuperinduxit alteram ſororem Rachelem.

Quia verò per legem Dei poſſet vxor mea nubere alicui
conſobrino ſuo: ideò etiam mihi licebit ducere vxorem
conſobrinam, amitinam vxoris meæ. Similiter in linea tranſ-
uerſa inæquali: quoniam vxori meæ prohibitum eſt connu-
bium cum ſuo patruo, patris fratre: ſic mihi vetitum eſt cum
vxore eius, & cum ſorore ſoceri mei. Atque ita etiam ſe res
habet cum deſcendentibus in eadem linea. Hæc eſt prima
regula.

Secunda. Inter conſanguineos vxoris meæ, meos & con-
ſanguineos, nulla eſt affinitas, ſed tantùm inter illius & me:
& inter meos & illam. Hinc ſequitur, inter meos & inter v-
xoris meæ conſanguineos omnes contrahi poſſe matrimo-
nium. Hinc etiam apparet latiùs extendi conſanguinitatem,
quàm affinitatem: quia affinitas terminatur in iis quorum
interuentu contrahitur. Non ſic autem conſanguinitas. ſi-
cut ex iis, quæ iam dicta ſunt, patet. Affinitas enim quæ reſ-
pectu vxoris meæ contracta eſt inter me & conſanguineos
eius, non extenditur vltra me in meos conſanguineos. At
conſanguinitas, quæ exempli cauſa, inter me & fratrem meũ
eſt, reſpectu eorundem parentum è quibus nati ſumus, &
quæ etiam diffunditur in liberos noſtros, nepotes, & prone-
potes, in infinitum, in linea recta: non terminatur in paren-
tibus noſtris, à quibus in nos fluxit: ſed etiam extenditur in
auos & proauos noſtros: & ita in infinitum, aſcendendo per
lineam rectam: item per tranſuerſam inæqualem protrahi-
tur, ad noſtros patruos, propatruos, &c. ſimiliter per tranſ-
uerſam æqualem, ad noſtros patrueles, & vltra, &c. Ex his fa-
cile quiuis iudicare poterit, quæ nuptiæ ſint inter affines in-
ceſtæ, & quæ non inceſtæ. Ergo vt de tribus lineis, recta,
tranſuerſa inæquali, & tranſuerſa æquali dicamus, hæc eſto
prima theſis, eáque generalis, tam ad rectam, quàm ad tranſ-
uerſam pertinens.

THESIS I.

*Inter eas perſonas, quæ affinitatis ratione parentum li-
berorumve vicem repræſentant, ac locum tenent: contrahi
matrimonia non poſſunt niſi inceſta.*

HVius Theſis probatio pendet ex rationibus & locis antè citatis, in theſibus de nuptiis inter conſanguineos: quia qui ſunt loco parentum & filiorum, tam non poſſunt inter ſe contrahere connubia, quàm qui ſunt veri parentes, veríque filij: vt apertè ex verbo Dei colligitur, nempe ex ratione, quam afferre ſolet Deus, cùm ait: Pudenda enim ſunt patris tui, vel matris, vel ſororis, vel fratris tui. Clarius autem manifeſta fiet hæc generalis theſis, ex confirmatione particularium. Ergo de affinibus, qui conſanguineis in linea recta reſpondent, primùm dicamus.

THESIS II.

Inter nouercam & priuignum, vitricum & priuignam, inceſta ſunt coniugia. Ratio eſt: quia alij parentum, alij liberorum locum habent.

TEſtimonia in promptu ſunt: Leu. 18. 8. *Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis. Turpitudo enim patris tui eſt.* Quid intelligit nomine, vxoris patris tui? num veram matrem? Minimè, ſed nouercam. Non enim loquitur hic de matre tua, quia in præcedenti verſu de ea, & de patre tuo ſimul legem tulerat, ſed de nouerca. Quia tamen matris nomine venit & ipſa nouerca, multò magis quàm vel amita tua, vel patrui tui vxor: ideirco vt grauitatem oſtenderet peccati, quod à priuigno cum nouerca admittitur, de ea legem tulit immediatè, poſt legem latam de vero patre & de vera matre. Itaque obſeruanda eſt conſuetudo ſcripturæ ſanctæ. Matrem, matris nomine ſignificat, ſed nouercam, nomine vxoris patris tui. Et ſic Apoſtolus 1. *Cor.* 5. Ratio verò cur prohibeat tales nuptias, eſt, *quia* (inquit) *turpitudo eius, turpitudo patris tui eſt*: hoc eſt, perinde eſt detegere pudenda nouercæ ſuæ, atque pudenda patris ſui. Quid ita? Quia vir & vxor vna ſunt caro. Ergo tam turpe eſt priuigno nouercam ducere, quàm filiæ patri ſuo nubere. Ex hac ratione, quam expreſſit Deus, apertè & neceſſariò colligitur illa theſis generalis, quam afferunt Iuriſperiti, & quam [illegible]: nempe inter eos, tam affines, quàm cognatos, qui locum parentum & filiorum habent, contrahi non poſſe nuptias [illegible] inceſtas. Philo etiam duplicem affert cauſam [illegible] priuignus perinde peccet, ducendo nouercam, atque ſi matrem filius duceret: *διά τε τὴν εἰς τὸν πατέρα τιμὴν, καὶ διὰ τὸ μητρυιὰν καὶ μητέρας ὀνόματι συγγενεῖς.* Ideò Spartianus de Caracalla, qui nouercam duxerat in matrimonium. *Matrem* (inquit) *duxit vxorem, ad parricidium iunxit inceſtum.* Eandem legem habemus *cap. 20. Leuit. verſ.* 11 *& Deut.* 27. *v.* 20. Apud gentes quoque habitas fuiſſe pro inceſtis nuptias: & pudenda nouercæ reuelare fuiſſe intolerabilem inceſtum, docet Apoſtolus 1. Corint. 5. *Omnino*, inquit, *auditur inter vos tale ſtuprum, quale inter gentes non nominatur: vt* (ſcilicet) *aliquis vxorem patris ſui habeat.* Ideo in iure etiam Ciuili paſſim hæ nuptiæ tanquam inceſtæ & nefariæ damnantur & prohibentur. *Inſt. li. 1. ti. 10. de nuptiis, §. affinitatis.* Vbi etiam explicat quomodo intelligenda ſit lex: nempe *non poſſe vitricum ducere priuignam mortua priuignæ matre.* Nam ea viuente ob aliam etiam cauſam non poſſet ducere priuignam, nimirum, quia non poſſet duas ſimul habere vxores.

Quia verò ratione damnantur nuptiæ inter priuignum & nouercam: eadem ratione damnantur inter vitricum & priuignam, ſed breuitatis cauſa Moſes, & quia legem recitabat viris, ideirco nouercam tantùm nominauit, & filium patris, id eſt, priuignum: id quod in omnibus his legibus eſt obſeruandum. Hinc fiebat vt apud Romanos abſtineretur à nuptiis illius, quæ cum parente tuo fuiſſet in concubinatu, *C. de Nuptiis, l. 4. liberi.* Liberi concubinas parentum ſuorum vxores ducere non poſſunt. Quæ eſt cauſa. Eadem quæ ſuprà à Moſe allata eſt, *quia pudenda concubinæ patris tui, pudenda patris tui ſunt.* Nam (teſte Apoſtolo) *qui adhæret ſcorto, vna caro efficitur cum illo.* Eadem cauſa eſt, cur quæ deſponſa erat patri, non poſſet deſponſari filio. Nec contrà, quæ filio, poterat patri. Pertinet ad hanc Theſin ſecundam etiam verſus 17. *Leuit.* 18.

THESIS III.

Inter ſocerum & nurum, ſocrum & generum, coire non poſſunt nuptiæ, niſi inceſtæ.

RAtio eadem, quia alij loco parentum ſunt, alij loco filiorum. Leuit. 18. verſ. 15. *Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis. Vxor filij tui eſt.* Turpitudinem eius non reuelabis. Perinde eſt ac ſi dicat, filia enim tua eſt, cùm ſit vxor filij tui; quia vir & vxor, vna & eadem caro ſunt. Reuelare igitur pudenda nurus, eſt reuelare pudenda filij. Eadem lex Deut. 27. v. 23. *Maledictus qui coierit cum ſocru ſua & dicet omnis populus: Amen.*

Sic leges Ciuiles etiam definierunt, *Inſtit. lib. 1. De Nuptiis. §. ſocrum. Pandect. T. 1. lib. 12. de condictione ſine cauſa, leg. vltim. Pand. T. 7. lib. 24. tit. 3. de ſoluto matrimonio 17. quia parentis locum ſocer obtinet, Ad legem Iuliam de Adulteriis, l. ſi Adulterium, cum inceſtu, &c.* Locus eſt inſignis apud Ciceronem in oratione pro Cluentio Auito: vbi exagitat nuptias inter ſocrum & generum. *Lectulum illum*, inquit, *genialem, ſcilicet nubit genero ſocrus. O mulieris ſcelus incredibiliter præter hanc in omni vita inauditum! ò libidinem effrenatam & indomitam! ò audaciam ſingularem!* Mirum igitur non eſt quod Apoſtolus dixerit apud Corinthios, audiri tale ſtuprum,
quale

qualè nec inter gẽtes nominaretur. Sic Cicero ait, *O ſcelus incredibiliter præter hanc vnam in omni vita inauditum!*

Quod verò dictum eſt de vitrico & nouerca, ſocero & ſocru, intelligendum eſt & de ipſorum parentibus aſcendendo. Quæ verò de priuigno, priuigna: genero & nuru: idem & proprivigno, progenero, & aliis deſcendendo ſentiendum eſt. Sicut & de conſanguineis in linea recta ſuprà dictum eſt.

Cum hac Theſi tertia coniungo & illud, quod ſcribunt Iuriſperiti de filiis adoptiuis: *Inter adoptantem & adoptatum, ſoluta etiam adoptione nuptiæ contrahi non poterunt. Inſtit. de Nuptiis, §. Ergo.* Sed hæc theſis pertinet ad theſin primam, de conſanguineis.

Nunc de affinibus, conſanguineis in linea tranſuerſa inæquali reſpondentibus.

THESIS IV.

Inter te, & inter vxorem patrui tui, aut auunculi tui defuncti, inceſtæ ſunt nuptiæ, & contra inter patruum & auunculum tuum, & inter vxorem tuam viduam.

RAtio eadem: quia tu illi loco filij es: illa autem loco matris, & viciſſim, patruus tuus vxori tuæ, loco patris eſt. Leu. 18. v. 4. *Turpitudinem fratris patris tui non reuelabis, ad vxorem eius non accedes. Eſt enim vxor fratris patris tui.* Vides quomodo prohibet connubium inter te, & inter vxorem patrui tui: (intelligo & auunculum) ſtatim ait: *Non reuelabis turpitudinem fratris patris tui.* Nec ſimpliciter ait *patrui tui*, ſed *fratris patris tui*. Quid ſignificat? Quod ſuprà dictum eſt, reſpectu patris tui, ipſius etiam fratrem, eſſe tibi inſtar patris, & vxorem eius loco matris, ac proinde reuelare pudendum vxoris illius, eſt perinde atque ſi retegeres pudenda patris tui, & matris tuæ. Hæ locutiones ſunt diligenter obſeruandæ, ſi quis velit intelligere quæ vetentur connubia inter affines & conſanguineos. Damnantur ergo hac lege Dei omnes illæ nuptiæ, quæ fiunt inter eos affines, qui ſunt in linea tranſuerſa inæquali: quorum alij ſint loco parentum, alij loco filiorum, vt inter patruum & vxorem filij fratris, vel inter auunculum & vxorem filij ſororis. Item inter me & amitam vxoris meæ, vel inter me & materteram vxoris meæ, hoc eſt, inter me, & ſoceri mei, aut ſocrus meæ, ſororem.

Idem docetur *Pand. T. 2. l. 38. tit. 41. de gradibus & affinibus, l. 4. Non facilè ad finem. §. hos itaque.* Quia enim hi, ſunt alij loco parentum, alij loco liberorum, ideóque damnantur horum nuptiæ. *C. l. 5. tit. 5. de inceſt. & inutilibus nuptiis, l. 9. hoc eſt: vltima. Ab inceſtis.* Ita apparet filium fratris mei non poſſe ducere me defuncto vxorem meam: quia hæc illi eſt loco amitæ, eóque matris.

Sed nunquid poſſet contrahi coniugium inter me & filiam ſororis vxoris meæ, vxore mea defuncta? Videtur hoc fuiſſe non inuſitatum apud Romanos: Et ratio eſt, quia licèt ego illi ſim inſtar auunculi, eóque & patris, tamen quia defuncta vxore, affinitatis iura inter me, & conſanguineos vxoris meæ ſoluta eſſe iudicantur: idcirco poſſe hoc fieri cenſent. Sed tunc intelligo ſoluta eſſe iura affinitatis inter me & conſanguineos vxoris meæ: quum nulla proles ſupereſt ex vxore mea. Sic docet & Cicero: *Affinitas*, inquit, *liberis viuis diuelli nullo modo poteſt.* Proinde ſi mortua vxore mea, viuerent adhuc liberi quos ex illa ſuſcepi, cenſerem non poſſe duci à me in matrimonium filiam ſororis eius, hoc eſt, gloris meæ. Ratio, quia manentibus affinitatis iuribus, Ego eſſem adhuc illi loco patris, ipſa mihi loco filiæ. Verùm ſi, qui ſunt in linea tranſuerſa inæquali, affines locum parentum & liberorum non habeant: nihil prohibet quin iuſtæ nuptiæ fieri poſſint. Exemplum, Vt, ſi mortua vxore mea vellem accipere neptem ſororis mei ſoceri, aut ſocrus meæ: matrimonium hoc inceſtum non eſſet: quia neptis ſororis ſoceri mei non ſum patris loco, nec illa mihi loco filiæ. Et huius coniugij exempla adferri poſſent, ſed non eſt opus immorari in re perſpicua. Videamus iam de affinibus in linea tranſuerſa æquali.

THESIS V.

Sicut inter fratres & ſorores contrahi matrimonium non poteſt, ſic neque inter me & fratriam meam, hoc eſt, fratris mei vxorem, neque etiam inter me & glorem meam, hoc eſt, vxoris meæ ſororem nuptiæ eſſe poſſunt, niſi inceſtæ.

LOquor autem de iure naturali, & lege Dei communi, quæ eſt lex naturæ. Proinde cum hac non pugnant leges ſi quæ ſunt ſpeciales, vt quæ eſt *Deut.* 25. Iudæis ob certas cauſas à Deo præſcripta. Deinde intelligo theſim, non tam de ſorore vxoris meæ (exempli cauſa) ducenda, viuente vxore mea (de hoc enim quin ſit inceſtum nemo dubitat) quàm etiam de ea poſt mortem vxoris meæ ducẽda. Hoc eſt enim quod controuertitur. Sunt enim qui contrariũ ſentiant. Tertio loco notandum eſt, duo eſſe membra theſeos: vnum eſt de fratria, alterum de glore. Sunt qui primum facilè admittant: nempe non licere ducere vxorem fratris demortui, multò minus viui, quòd hoc apertè prohibeatur lege Dei, dicentis: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, turpitudo fratris tui eſt.* Sed membrum alterum non concedunt. Ego verò contendo tam vnum quàm alterum vetari eadem lege. Sed priùs mihi confirmanda eſt theſis, deinde refutabo aduerſariorum rationes.

Primùm lex ita habet Leu. 18. ver. 16. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis.* Damnatur ergo ſi quis rem habeat cũ ſua fratria, ſiue viuente eius marito fratre tuo, ſiue mortuo. Simpliciter enim ait (*Fratris tui*) ſiue ſcilicet viui, ſiue mortui: quanquam longè grauius eſt peccatum, ſi accipias eam viuente viro, quàm ſi defuncto. Proinde meritò Iohannes Baptiſta arguebat Herodem, quod vxorem fratris ſui, (viuentis ſcilicet adhuc) fratri ereptam in matrimonio haberet. Cęterum iuxtà regulam ſuprà nobis allatam ex ipſo Moſe: etſi breuitatis cauſa, nominat tantùm vxorem fratris tui: tamen ſorori etiam vxoris prohibet nuptias cum marito ſororis ſuę: ſicut ſuprà etiam in aliis theſibus vidimus. Quid enim diſcriminis eſt inter fratrem & ſororem, ad propinquitatem quod attinet? Nullum. Tam enim ſoror quàm frater ex eodem eſt patre & matre. Ergo eadem quoque affinitas eſt inter ſororis maritum & ipſam glorem: quę etiam inter fratrem mariti, & ipſam fratriam. Quare ſi inceſtæ ſunt nuptiæ, inter matrem mariti defuncti, & inter eiuſdem vxorem viduam: inceſtæ etiam ſint neceſſe eſt quæ contrahuntur inter ſororem vxoris defunctę: & inter maritum, eiuſdem defunctæ viduum. Hæc eſt prima ratio. Cui addo confirmationem, licétne fratri vxorem ducere ſororem ſuam? Minimè, neque contrà. Ergo neque ſorori, ſororis coniugi nubere licet. Regula enim eſt certiſſima: Cuius non licet inire nuptias, eius nec coniugis licet.

Secundò, ſubdit Moſes, ver. 16. *Ignominia enim, ſeu turpitudo eſt fratris tui.* Hæc eſt ratio legis: Pendet hæc ratio à ratione coniugij, qua vir & vxor fiunt vna caro. Detegere igitur turpitudinem vxoris fratris tui, eſt detegere turpitudinem fratris tui: proinde ait: *Turpitudo eſt fratris tui.* Si hæc eſt ratio, cur damnetur tale connubium: Ergo damnatur etiam quod contrahitur inter ſororem vxoris, & eiuſdem defunctæ maritum. Perinde enim iſti duo erant vna caro, atque illi alij duo. Hæc eſt ſecunda ratio.

Tertiò, Hunc verò eſſe Moſis ſenſum, & proinde legem naturæ, nempe vt tam turpe & inhoneſtum ſit virum vnum duas ſorores vnam poſt alteram in matrimonio habere, quàm vnam fœminam duobus fratribus, vni poſt alterum nubere: confirmatur ex illis Romanorum legibus: quæ ab omnibus iudicantur ab honeſtate naturæ eſſe deſumtæ; Adde verò etiam piorum & Chriſtianorum Imperatorum confirmationem. Tam enim damnant inceſtus, quòd quis ſororem vxoris accipiat, quàm quòd fratris vxorem ducat in matrimonium. Indicabo loca de vtroque ſimul. *C. lib. 5. Tit. 5. de inceſtis, & inutilibus nuptiis l. 5. fratris, l. 8. licèt. l. vlt. Ab inceſtis.* item in *Co. The. lib. 3. Tit. 12. de inceſtis nuptiis, l. 1. 3. &c.*

Verum eſt aduerſus hæc excipi exemplis Romanorum, qui & vxores fratrum defunctorum acceperunt, & ſorores defunctæ vxoris in matrimonio habuerunt. Lucius Tarquinius Superbus, Tulliam natu minorem, quæ fratri nupſerat nomine Arunti, fratre per venenum ſublato, in matrimonium ſibi ſumſit. Dionyſius Halicarnaſ. lib. 4. Sed ipſe Dionyſius vocat illas nuptias, *ἀνόσιον γάμον*: eámque apud omnes Græcos & Barbaros abominabilem. Proinde hinc magis confirmatur noſtra theſis, conſenſu omnium Græcorum & Barbarorum & Gentium. Aliud etiam adfertur ex Plutarcho, in vita M. Craſſi: Marcus enim Craſſus vxorem duxit fratris defuncti, ſed ab eodem damnantur hæ nuptiæ. Ac de his non eſt controuerſia, ſed de ſorore vxoris. De Honorio igitur legimus Imperatore, duas Stelliconis filias ei nupſiſſe, vnam poſt alteram. Zonaras libr. 3. & P. Diaconus libr. 34. Appendicis ad Eutropium. Sed hæ quoque ab ipſis damnantur, & infelix vtriuſque ſororis exitus declarauit, eas nuptias non probatas fuiſſe Deo. Vtraque enim immatura morte periit, nullis relictis liberis. Deinde vno aut altero vel etiam pluribus exemplis non

euincitur licuiſſe, cùm leges aliter doceant.

Quartò: Addo inſuper iis & Conciliorum Canones, & Pontificum decreta, & Patrum auctoritates. Inter Canon. qui Apoſtolorum vocantur, eſt canon 19. Ὁ δύο ἀδελφὰς ἀγαγόμενος ἢ ἀδελφιδῆν οὐ δύναται κληρικός.

In Concilio Neocæſ. eſt Canon ſecundus, qui ſic habet: *Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abiiciatur vſq; ad mortem.* De iure Canonico non eſt cur quis dubitet. *Decr. C.35.* Patres etiam omnes, haſce nuptias damnarunt. Mar. Lutherus fuit aliquando diuerſæ ſententiæ, ſed poſtea ſententiam mutauit: & noſtri ſeculi doctiſſimus quiſque eiuſdem eſt ſententiæ. Itaque non video quomodo poſſit defendi, Non licere quidem fratri, fratris defuncti vxorem ducere, & tamen licere ſorori, ſororis defunctæ viro nubere. Videamus igitur illorum argumenta.

1. *Primum* Leuit. 18. verſ. 18. *Mulierem cum ſorore ſua non accipies, ad affligendum, ad reuelandam turpitudinem eius, ea vidente in vita ſua.* Ecce, inquiunt, quòd non ſimpliciter prohibet, *Ne accipias duas ſorores vnam poſt alteram: ſed tantùm ne ſimul eas in matrimonio habeas, exemplo Iacobi.* Et ratio ſubditur *ne altera affligatur, dum videt te cum altera habere commercium.* Et non ſine cauſa adiecta eſt particula, *vidente ea in vita ſua.* Ergo poſt mortem licet ducere ſororem. Reſpon. Ad hoc multi multa reſpondent. R. Selomoh in Leuit. ſic locum hunc interpretatur, vt ſentiat ſermonem fieri de vxore repudiata & ſuperſtite, vt ſit ſenſus: Repudiata prima ſorore quæ tibi nupſerat, & ea adhuc viuente: ne tu alteram ducas: idque propterea, quòd prior hęc videndo duplici afficietur triſtitia & dolore: vno quidem quòd videret ſe repudiatam: altero quòd videret ſororem ſuam tibi loco ſui nupſiſſe. *August. Tom 4. In quæſtionibus veteris Teſtamenti. In Leuit. quæſt. 61.* adfert etiam hanc interpretationem, quam & R. Salomon: & eam videtur probare, cùm eam ponat ad extremum. Sed cùm hic nulla fiat repudij mentio, ſed leges tradantur, quomodo quiſque debeat ſibi cauere ab inceſtis nuptiis, & quænam illæ ſint, interpretatio hæc Salomonis & Auguſtini nihil ad rem facere videtur. Baſilius igitur reſpondet, non conſequi. Non vult Dominus vt ducas ſororem vxoris, viuente vxore: Ergo permittit vt ducas ea demortua. Illud enim eſt ſcriptum, ſed hoc vltimum ſcriptum non eſt. Ex eo autem quod ſcriptum non eſt, non rectè colligitur, quod ſcriptum non eſt. Sic etiam alij reſpondent: ſicut non ſequitur de Ioſepho, Ioſephus non cognouit Mariam dum prægnans fuit: Ergo Ioſephus cùm deſiit eſſe prægnans eam cognouit: ſic etiam non conſequi: *Ne ducas ſororem vxoris dum vxor viuit*: Ergo ducere poteris vbi fuerit mortua. Doctiſſimus interpres (meo iudicio) melius quàm quiſpiam alius hunc locum expoſuit: nimirum hac lege, quæ eſt verſ. 18. non prohiberi nuptias iſtas, de quibus in præſentia loquimur. Hæ enim prohibitæ ſunt in verſ. 16. quum dixit, *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis.* Eadem enim lege caueri, ne etiam ſoror, viro ſororis ſuę nubat, cùm ſit par vtriuſque ratio. Eſſe igitur hāc poſteriorem diuerſam à priore legem, qua cauetur, vt ſi contingat, te velle habere plures vxores, ſicut tum temporis permittebatur, tamen ne vnquam duas ſimul ſorores accipias: ne tibi vſu veniat, quod etiam Iacobo, cùm duas haberet ſorores.

Hanc interpretationem, vt veram & genuinam, vtraque amplector manu. Nam tum ex ipſo Dei ſcopo in his ferēdis legibus, ea colligitur: tum ex ipſiſſimis legis verbis. Quam enim cauſam adfert huius legis? In ſuperioribus vnam ſemper duntaxat cauſam attulit, cur exempli cauſa, nollet vt frater fratris vxorem duceret: quia ſcilicet retegebat pudenda fratris ſui, eóque & ſua. Sed hic duplicem affert: vnam à charitate & pace domeſtica: *Ne accipias*, inquit, *ad affligendum*: quaſi dicat, non eſt affligenda vxor tua: ſed potius amāda, fouenda, conſolanda. Atqui ſi cum ea accipias etiam ſororem: vt tibi ſit concubina: affligetur magnoperè vxor. Ergo ne recipias. Hæc eſt vna ratio, eáque propria huius legis. Altera, eáque communis aliis omnibus, ducitur ab honeſtate: *Ad reuelandam*, inquit, *turpitudinem eius*: hoc eſt, accipere non potes ſororem vxoris tuæ, quin rem inhoneſtam admittas aduerſus coniugij & tui, atque vxoris tuæ honeſtatem: Ergo accipere non debes. Quis ergo à diuerſis finibus huius legis & ſuperioris, non videat, hanc diuerſam legem eſſe à ſuperiore?

Hæc eſt vera reſponſio ad hoc primum argumentum: cui accedit, quòd in contextu Hebraico, illud בחייה, *in vita eius*: id eſt, *ea viuente*, non refertur ad verbum, *Ne accipias*, ſed ad aliud verbum, nempe ad affligendam eam, ne ſcilicet accipias.

Nunc retorqueo etiam argumentum in aduerſarios. Dominus vetat, ne quis duas ſimul accipiat ſorores: non ſolùm quia id non facit ad pacem domeſticam conſeruandam, & vxorem conſolandam, verùm etiam, quia eſt turpe: *Turpitudo enim vxoris retegitur.* Atqui hæc turpitudo tam reuelatur, ſi ſororem vxoris accipias poſt eius mortem, quam ſi ea viuente. Patet hoc ex ſuprà dictis legibus: præſertim qua cauetur, ne quis fratris demortui vxorem ducat, quia reuelatur turpitudo fratris licèt mortui. Ergo eandem ob cauſam, confirmat Dominus hac lege, non eſſe tibi ducendam vxoris tuæ demortuæ ſororem: quia turpitudo vxoris licèt demortuæ, hoc pacto reuelaretur. Errant igitur, qui hac lege tuentur, duci poſſe vxoris ſororem, poſt vxoris mortem.

2. *Alterum* argumentum ſumptum eſt ex *Deut.* 25. Vbi Dominus non ſolùm non denegat, ſed etiam iubet, vt fratris demortui ſine liberis vxorem, proximus frater accipiat.

Reſpond. Quidam nomine fratris, non intelligunt, niſi conſobrinum, aut amitinum: non autem germanum fratrem, ne cum hac lege, quæ eſt *Leuit.* 18. pugnet altera, quæ eſt *Deut.* 25.

Sed vera, breuis, atque expedita interpretatio eſt, *Leuit.* 18. tradi legem naturę, omnibus gentibus communem. At *Deut.* 25. traditam fuiſſe peculiarem legem Iſraëlitis: ac proinde quæ in exemplum trahenda non eſt, & quæ nihil præiudicat legi naturali. Atque à cauſa, cur illud permiſerit Iſraëlitis, luculenter apparet, non eam fuiſſe legem omnibus & ſemper, & vbique communem: ſed ſpeciale priuilegium. Quæ illa fuit cauſa? Vt ſcilicet ſuſcitaret ſemen fratri ſuo: & ita illi ſuccederet in primogenituram, familiamque conſeruaret in nomine primogeniti. Vt ergo volebat Dominus ſecundum ſuccedere in locum primogeniti: ſic etiam primogeniti vxorem illi tradi volebat. Quòd ſi hæc fuit cauſa: Ergo vbi non habebat locum cauſa hæc, ibi neque lex de ducenda fratris vxore. Quare priuilegium fuit peculiare Iſraëlitarum, & generalis legis exceptio quædam.

Confirmatur hæc interpretatio, hiſtoria, quæ eſt *Matth.* 22. de quæſtione propoſita Chriſto à Sadducæis de muliere, quę ſeptem fratribus nupſerit. Ibi certè nihil eſt, cur nomine fratrum alios intelligamus, quàm fratres germanos. Facit huc & hiſtoria Ruthæ in cap. 1.

3. *Tertium* argumentum, *Geneſ.* 38. Iudas vnam & eandem mulierem dedit in matrimoniū tribus filiis, vni poſt alterum: idque vt ſecundus ſuſcitaret ſemen primi: ſicut & Moſis lex docet. Ergo naturalis fuit hæc conſuetudo, eóque lex: nimirum vt ſuſcitandi ſeminis primogenito cauſa, inſequens genitus, primogeniti vxorem ducere debeat.

Reſp. Ante Iudam & poſt Iudam, vſque ad legem Moſis, nemo vnquam id feciſſe legitur. Ergo ab vno hoc exemplo probari non poteſt, iſtud licuiſſe: ſed potius contrarium infertur. Ad ſummam. Exempla Patrum in regulam trahi nec debent, nec poſſunt. Eſt igitur manifeſtiſſimum, tam inceſtas eſſe nuptias, cùm quis ducit ſororem vxoris prioris: quàm ſi quis fratris defuncti vxorem ducat.

Ita ſummam habemus earum ſponſalium & nuptiarum, quæ ex parte tum cognationis, tum affinitatis, contrahi non poſſunt, niſi inceſtæ: ac proinde, quæ ipſo iure nullæ ſunt. Ratio autem cur tales nuptiæ ſint inceſtæ, eſt: quia pugnant cum honeſtate naturæ: quę totius huius tractationis de gradibus in matrimonio ſpectandis, fundamentum eſt. Summa itaque hæc eſt, iiſdem omnino regulis nuptias prohiberi marito cum vxoris conſanguineis, & contrà: quibus & conſanguineis inter ſeſe, prohibentur. Ex his verò quæ dicta ſunt de vetitis nuptiis inter conſanguineos & affines: ſequitur Theſis ſexta, affirmatiua.

THESIS VI.

Inter illos, qui tibi neque conſanguinei ſunt, neque affines, vti ſunt conſanguinei tui, & conſanguinei vxoris tuæ, per legem Dei contrahi poſſunt nuptiæ.

EXemplum: vt pater & filius, accipere poſſunt matrem & filiam: & duo fratres, duas ſorores, ducere.

Dixi autem, *per legem Dei*, quia fieri poteſt, vt certis de cauſſis, & propter aliquam honeſtatem, legibus ciuilibus aut Eccleſiaſticis prohibeantur, quæ tamen diſertè lege Dei non prohibentur. Ac tum certè pietas poſtulat: vt ne talia coniugia abs te contrahantur. Exemplum: Sunto mater & filia: Ego autem velim filiam iſtam ducere: Matrem autem filio meo dare in matrimonium. Hoc certè foret turpe, quia ordo naturæ quodam modo inuerteretur. Sic enim filia fieret matri ſocrus, & mater filiæ nurus. Turpe etiam foret, ſi pater & filius, duas ducerent ſorores. Proinde meritò talia & ſimilia coniugia, prohibita fuerunt in variis Conciliis: quod non ſine populorum admiratione

tione & ſcandalo contrahentur. Et *Canon extat in ſexta Synodo.54.* his de rebus.

Aliud item exemplum. Tametſi affines vxoris meæ, mihi non ſunt affines, putà ipſius nouerca: mihi tamen defuncta vxore, & eius patre, non liceret per leges ciuiles, eáſque honeſtas illam nouercam ducere in matrimonium. *Pand. de ritu Nupt. l.15. Vxorem quondam priuigni matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium nouercam et conuenire, qui priuigna maritus fuit.* Idem de vxore ſororij mei dicendum eſt. Regula enim eſt certa: *Cuius nuptias inire non licet, eius nec coniugis licet.* Ac de licitis & non licitis ſponſalibus & nuptiis inter conſanguineos & affines, vel non affines, ſatis.

11. Cum his coniungo theſes de firmitudine legum diuinarum, quæ de prohibitis conſanguinitatis & affinitatis gradibus, ſuprà à nobis fuerunt explicatæ: déque pœnis, quę aduerſus inceſtas conſtitutæ ſunt. Faciunt enim hæc ad arcendos magis ac magis populos ab huiuſcemodi inceſtis nuptiis.

THESIS VII.

Sunt autem leges Dei de prohibitis gradibus conſanguinitatis & affinitatis ita firmæ: vt tales nuptias diſpenſare nemo hominum, nec vniuerſa quidem ſimul Eccleſia poſſit.

LEx enim Moralis, diſpenſari à nemine poteſt, quia eam Deus vult eſſe æternam & firmam. Quis enim diſpenſare poteſt legem (exempli cauſa) de non ſcortando, ita vt tibi ſcortari liceat? Nemo ſanè. Atqui leges antea explicatæ ex Leuit.18. morales ſunt leges. Manifeſtum hoc eſt ex verbis Domini, dicentis: *Vos hæc obſeruate, nec polluatis vos iſtis ſceleribus: quemadmodum Chananæi, qui fuerunt ante vos, & ego eieci eos. Si imitati vos fueritis, & pollueritis vos, euomet vos quoque terra.* Non fuerunt certè Chananæi de populo Dei, qui iudicialibus legibus Moſis obnoxius erat. Neque etiam puniti fuerunt iniuſtè, ſed propter legis, cui & ipſi eſſent ſubiecti, tranſgreſſionem. Hæc verò eſt ipſa tantùm moralis, quæ & lex naturæ dicitur. Cùm igitur fuerint eiecti è terra Chanaan, quia matrimonia inceſta, quæ hîc prohibentur, contraxerunt: apparet, luculentiſſimè, leges has Leuit.18. morales eſſe, & naturæ: ac proinde diſpenſari à nullis hominibus poſſe.

2. Inde confirmatur, quia turpitudinem obſcœnitatémque harum nuptiarum ipſi etiam Gentiles, lumine naturali cognouerunt: & de his leges etiam ipſi tulerunt.

Quo igitur nomine appellandi ſunt illi, qui ſoliti fuerunt tales nuptias diſpenſare? Emanuel Rex Portugalliæ, duas habuit in matrimonio ſorores, ſic diſpenſante Epiſcopo Romano. Catharina Regina Angliæ duos fratres. Ferdinandus Rex Neapolitanus, amitam ſuam, Alexandro ſexto id approbante. Et Martinus quintus conceſſit, vt frater ducere poſſet ſororem germanam. At dices, etiam initio Mundi, primi fratres ducebant ſorores, ſed Deus autor legis, potuit hoc concedere: præſertim cùm accederet neceſſitas. Si enim omnes debebant eſſe ex vno: oportuit primos fratres & ſorores coniungi matrimonio. Hæc ſolius fuit Dei auctoritas, quam nemo hominum ſine ſumma in Deum iniuria, vſurpare ſibi poteſt.

Nec deſunt etiam doctiſſimi inter Canoniſtas, vt taceam de Scholaſticis Theologis, qui docuerunt & demonſtrarunt nulli Epiſcopo, ne ipſi quidem Romano, eſſe poteſtatem relaxandi ea, quæ Deus lege morali prohibuit: & nominatim de his gradibus loquuntur. Extra. de Reſtitutione ſpoliatorum, cap.133. literas: *In gradibus conſanguinitatis diuina lege prohibitis, diſpenſari non poteſt.* Et lex eſt in Pandect. quòd inferior Magiſtratus nullam auctoritatem habeat in ſuperiorem: Quam igitur habent homines in Deum?

THESIS VIII.

Graues etiam pœnæ in inceſtos conſtitutæ ſunt, tum à Deo, tum ab hominibus.

A Deo quidem capitalis fuit, *Leuit.18. verſ.29. Item cap. 20 verſ.14. & inſequentibus.* Vt enim adulterium capitaliter puniri volebat, ſic etiam inceſtum. Eadem pœna plectebatur à Romanis initio: Vnde illud apud Cicer. *Inceſtum Pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto. Pand. ad legem Iuliam de adulteriis, l. ſi adulterium, C. de inceſt. Nupt. l.6. ſi quis inceſti, &c.* Sed harum pœnarum executio ad Magiſtratum pertinet.

Ac de gradibus conſanguinitatis & affinitatis ſatis ſupérq;.

De iis, qui contrahunt inſciis & inuitis parentibus: déque Raptis.

CÆterùm non ſolùm non licet ſponſalia & matrimonia contrahere, cum illis conſanguineis & affinibus, de quibus hactenus dictum eſt: ſed aliæ quoque ſunt perſonæ, quibuſcum contrahere non licet. Ac primùm quidem cum iis, qui contrahere volunt inſciis aut inuitis parentibus, vel iis qui loco parentum ſunt.

THESIS.

Vſque adeò non licet cum iis contrahere, qui citra parentum, vel eorum qui loco parentum ſunt, conſenſum contrahere volunt: vt ſi contrahatur, ſponſalia illa, & verò etiam connubia conſummata, ipſo iure nulla ſint.

DOcent hoc lex naturæ ante Moſem, lex Moſis, Apoſtoli, iura Romanorum, omniúmque Gentium, & Patres: vt ſumma fuerit impudentia eorum, qui definierunt contrarium: hoc eſt, etiam citra conſenſum parentum rata eſſe matrimonia.

1. Geneſ.2. Inſtitutio prima ſequenda eſt. Ibi autem Adamus non ſibi ſumpſit vxorem, ſine conſenſu Dei, parentis & ſui & Euæ. ſed expectauit, dum Deus illam ad ſe adduceret. Contra igitur primam Inſtitutionem fit, quòd quiſque accipiat ſine parentum conſenſu. Et ſancti Patres omnes deinceps inde intellexerunt, à natura edocti, non eſſe ducendas vxores, niſi ex parentum conſenſu, vt patet in Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, &c. Sunt enim filij non ſui iuris: ſed ſub parentum poteſtate. Quid? Quòd ipſe etiam Iſmaël in deſerto, quaſi inter feras, nouit hunc honorem eſſe deferendum parentibus? Proinde petiit à matre, vt ſibi proſpiceret de vxore. *Geneſ.21.* Item *Geneſ.34.* hiſtoria Sichemi, filij Hamor Hiuæi, idem planè confirmat. Sichem enim Gentilis; non eſt auſus vltrò vxorem ducere Dinam, inconſulto parente ſuo, aut inuitis parentibus puellæ: quam tamen compreſſerat, & in matrimonio habere cupiebat. Quid ita verò fecit? Quia ſciebat ex lege naturæ, non futurum ratum illud matrimonium ſine parentum conſenſu contractum. Venio ad legem Moſis.

2. Exod.20. *Honora Patrem tuum, & matrem tuam, &c.* Præcipua autem huius honoris pars, eſt obedientia: vt Paulus interpretatur, Epheſ.5. *Filij obedite parentibus veſtris in omnibus.* Quantò magis igitur in negotio matrimonij?

Imò Chriſtus ipſe, qualis ſit iſte honos, qui parentibus debetur, docet *Matth.15.* cùm inde euincit Phariſæos, propter traditiones ſuas, tranſgreſſos eſſe mandatum Dei, de honorandis parentibus; quia Deus iuſſit liberis, vt honorent patrem & matrem: ipſi verò Phariſæi docebant pueris, etiam inuitis parentibus offerenda eſſe munera ad Templum. Docuit igitur, tunc maximè parentes, debito honore ſpoliari; cùm eis non obeditur à liberis. Ac ſi tunc, liberi violabant præceptum de honorandis parentibus, cùm bona domeſtica, quæ parentum ſunt, illis inſciis aut inuitis auferebant, Deóque offerebant: quantò magis cùm ſeipſos ſubtrahunt; id quod faciunt, cùm citra conſenſum parentum contrahunt matrimonium, & ſeſe vxori, vel potiùs ſcorto obligant. Quid enim magis eſt parentum: & quid carius etiam, quàm liberis?

3. Sed locus hac de re expreſſus eſt, Exod.22. *Si puella, quæ non fuit deſponſa, ſeducta fuerit: iubetur violator ei dare dotē, & eam præterea accipere in matrimonium, non ſimpliciter, ſed ſi parens puellæ conſenſerit. Sin minus, dabit tantùm dotem: puellam autem non habeat.* Lex hæc clara eſt: qua docetur non ſufficere conſenſum vtriuſq; partis: imò ne ſi copula quidem carnalis ſecuta ſit: niſi parentum conſenſus accedat. Talia enim coniugia, non eſſe coniugia, ſed ſtupra & adulteria.

4. Num.30. Lex etiam eſt: *ſi puella vouerit votum, & pater audierit, neque obſtiterit: ratum eſto votum. Si autem pater contradixerit: nullum vult eſſe votum Deus.* Votum autem quid aliud eſt, quàm promiſſio facta Deo? Si igitur Deus, votum ſibi nuncupatum à liberis, citra parentum conſenſum ratum eſſe noluit: quantò minus vult firmam eſſe connubij promiſſionem, aut ipſum etiam coniugium, quod citra conſenſum parentum fiat?

5. *Deuteronom.7. Filiam tuam non dabis Chananæo, &c.* Vbique dat Deus ius nuptum tradendi filias, & dandi filiis vxores, ipſis parentibus. Docet ergo extra parentum conſenſum liberis non licere contrahere matrimonia: &, ſi contrahant, quia ſine auctoritate eorum, in quorum ſunt poteſtate contraxerunt, nulla eſſe. Ideò Samſon licèt inflammatus amore peregrinæ: non audet tamen accipere

ſine parentum conſenſu, quòd ſciret non futurum firmum. Iud.14. Et Thamar vitur hac eadem defenſione, vt euadat è manibus fratris, 2 *Sam.*13.

Sed locus apertus eſt, 1.*Cor.*7.v.36 & deinceps: quo euincitur manifeſtiſſimè, proprium eſſe parentum, filias ſuas in matrimonium dare. Docet enim quid faciendum ſit patri, ſi filiam ſuam videat opus habere coniugio, aut non habere. Si videat illi neceſſarium eſſe coniugium, hócque illam appetere: mandat vt ipſe pater eam tradat nuptum, Sin minus: poſſe eum illam domi retinere. Docet igitur ita pendere à voluntate patris connubium filiarum: vt illæ ſine huius voluntate non poſſint per ſeſe cuipiam nubere.

Philipp.4. *Quæcunque ſunt iuſta, quæcunque honeſta, quæcunque bonæ famæ*, &c. *hæc cogitate, eáque & quærite & facite.* Atqui honeſtum, iuſtum, ſanctum eſt, liberos ſine grata parentum voluntate, nihil moliri, aut tentare: nedum per matrimonium ſe eorum poteſtati omnino eximere, rémque tanti momenti ſine eorum conſilio ſuſcipere. Ergo, &c.

Hæc è ſacris literis apertiſſima ſunt teſtimonia: quibus luculenter apparet, hanc eſſe legem naturæ, Dei etiam per Moſem, & Chriſti atque Apoſtolorum: vt ne liberi ſine parentum conſenſu contrahant matrimonia, futura alioqui nulla cùm pugnent cum lege naturæ.

Legibus quoque Ciuilibus idem cautum eſt: ita vt liberi, qui ex tali matrimonio naſcuntur, non ſint legitimi, nec hæredes.

Inſtit.libr.1. Tit. de Nupt. §.1.*iuſtas: & ſi aduerſus.Dig.lib.*1. *Tit* 5.*de ſtatu hominum.l.*11.*Paulus.Item de ritu Nupt.l.*18.*Nuptiæ.Et l* 2.*C.l.*5. *T.*4.*de Nuptiis.l.*5.*Si vt proponis.*

Sunt & *decreta* veterum *Pontificum*, & *Conciliorum* pro noſtra ſententia. Inter decreta Euariſti Papæ & Martyris, qui præfuit Eccleſiæ Romanæ circiter annum 110. ſub Domitiano, Nerua Traiano: eſt can.2. vbi optimè pingit, quomodo ſolita eſſent celebrari ſuo tempore coniugia. Ita autem requirit conſenſum parentum: vt ſi hic deſit, dicat ea non eſſe coniugia. Imò non dubitandum, quin ea ſint adulteria, aut contubernia, aut ſtupra, aut fornicationes potius, quàm legitima coniugia: niſi propria (parentum) voluntas ſuffragata fuerit. Et citatur decretum hoc Euariſti in decreto C. 30. q. 5 c.1. *Aliter*. Et à *P.Lom.in Sent.l.*4 *diſt.*28.*par.*B. Et quanquam conatur eludere hunc locum, mancum tamen eſt effugium, vt quiuis videre poteſt. Ait enim ideo appellari ab Euariſto adulteria, non quòd reuera ſint talia, ſed quòd non habeant ſuum decorem & honeſtatem debitam. Sed nugæ ſunt. Euariſti enim verba ſunt perſpicua: conſentanea cum verbo Dei, & cum legibus Imperatorum, aliorúmque antiquorum Patrum.

In eadem cauſa 30.q 5. quædam alia antiquorum Pontificum decreta de eadem re recitantur: quæ breuitatis cauſa omitto. Et C 31.*q.*2.*can.* 1. locus eſt Vrbani Papæ: quo docetur, tum demum legitimum & verum eſſe coniugium, cùm accedit conſenſus non tam eorum, qui matrimonio iunguntur: quàm etiam parentum, &c.

In *Concilio* Lateranenſi, ſub Innoc.3. *Canon* 51. clandeſtina coniugia, id eſt, quæ fiunt ſine parentum conſenſu: perinde pronunciantur illegitima, atque illa, quæ contrahuntur in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis prohibitis.

Toletanum verò quartũ (& citatur *C.*32.*q.*2 *can.*16.) vt quæ volunt nubere, nubant: modò id fiat ex parentum conſenſu.

Tertul.in lib.ad vxorem 2. ad finem libri, loquens de coniugio Chriſtianorum, illiúſque laudes celebrans, præter alia ait: *Nam nec in terris, filii ſine conſenſu patrum, ritè & iure nubunt.* Docet igitur non eſſe ex legibus contracta, eáque illegitima coniugia, quæ ſine parentum conſenſu contrahuntur. Hoc enim eſt rectè & iure nubere.

Augu..*Tom.*2.*Epiſt.*233. de puella quadam loquens, de cuius coniugio ſcribebatur, docet apertiſſimè, matris illius puellæ aſſenſum fuiſſe neceſſarium.

*Ambroſ T.*4.*de Abrahamo, libr.*1.*cap. vlt.* ait, ſponſalia, iudicium parentum ſpectare: hoc eſt, fieri non poſſe niſi ex iudicio & conſenſu parentum. Et vt doceat, hoc eſſe iure naturæ, citat Euripidis verſus, vbi Hermione in Andromacha ſic loquitur, cùm ad alias peteretur nuptias: *Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.* Quę etiam ſic vertit idem Ambroſius, *Sponſaliũ quidem meorum pater meus curam ſubibit: Hoc enim non eſt meum.* Certè Patres, raptum eſſe volunt, ac meritò vocant, ſi quis filiam alicuius ducat contra voluntatem patris. Et rationes adferri poſſunt complures, quibus demonſtretur, non poſſe firma & rata eſſe matrimonia, aut ſponſalia, quæ citra parentum conſenſum fiant.

1. Si filius, inſcio patre, alicui vendat fundum aut alia ratione illum alienum faciat: nunquid talis venditio & alienatio rata fuerit & firma? Minimè verò. Quid ita? Quia fundus ille patris eſt. Quid verò ſi filius ſeipſum vendat? iuréne dicetur venditus? Et qui emit, num quid iure ſuum eſſe dicet? Nequaquam. Atqui filius, cùm ducit vxorem, inſcio aut etiam inuito & reclamante patre, quid aliud agit, niſi quòd ſeſe eripit patri, & alij ſeſe addicit? Nam qui vxorem ducit: relinquit patrem & matrem, & adhæret vxori ſuæ. Quomodo igitur rata eſſe poſſunt talia ſponſalia?

2. Ac ſi ſeuerè puniuntur, qui alteri inuito, paululum pecuniæ ſurripiunt: quid igitur ſtatuendum in eos, qui parentibus eripiunt liberos, quibus nihil eſt in Mundo charius? Hoc faciunt, qui vxorem ducunt inconſultis parentibus. Certè quod alicui eripis inuito: tuum non eſt, niſi ille conſentiat. Ergo neque puella parenti erepta, vel inſcio; vel etiam inuito & reclamante: eſſe poterit eius, qui eam rapuit, nec viciſſim filius erit puellæ. In coniugio autem ſponſus fit ſponſæ, & ſponſa, & ſponſi: ita vt iuxta doctrinam Apoſtoli, vir non habeat poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, &c.

Nullo igitur modo, clandeſtina hæc, & ſine conſenſu parentum contracta matrimonia: legitima & firma matrimonia eſſe poſſunt per legem Dei & naturæ.

3. Olim apud Romanos (ſicut videre eſt in *Pandect.Tit.*8 *lib.*24.*T.*2 *de Diuortiis & Repud.l.*9.*nullum*) olim inquam apud Romanos, ratum non erat diuortium, niſi fieret adhibitis 7. ciuibus Romanis puberibus, præter eius qui diuortium faciebat, libertum. Quomodo igitur poterit legitimus eſſe matrimonij contractus, qui ſine parentum conſenſu, clam fiat: quomodo, inquam, firma eſſe poſſunt clandeſtina hæc ſponſalia?

4. Teſtamenta etiam, vbi ferè de externis tantùm bonis, & facultatibus decernitur, rata non ſunt, aut vllius valoris: niſi adhibeantur teſtes numero ſeptem, & Notarius, qui conficiat illa & comprobet. Clandeſtina igitur connubia, vbi liberi eximuntur parentibus: rata erunt.

5. Taceo infinita incommoda, mala, ſcelera, familiarum ruinas; euerſiones ciuitatum, turbationes regnorum, quæ ex iſtis connubiis, ſi rata habeantur, conſequi poſſunt, & ſolent. Licebit igitur ignobili alicui, ruſtico, impio, ſceleſto, nebuloni, ſollicitare puellam alicuius Principis, eamque ſeducere, ad ſe rapere, vxorem facere, in bona eius inuadere: & quid non?

6. Et in quem finem ſic conſtituit Deus, vt filij nequeant citra parentum conſenſum matrimonia contrahere, niſi in ipſorum filiorum ſalutem: ne ſcilicet ſe præcipitent & perdant?

Hinc igitur apparet, quàm impium, ſacrilegum, nefarium, diabolicum ſit dogma, decretumque eorum, qui ſtatuunt, vt connubium ſit firmum & ratum, ſufficere eorum, qui contrahunt matrimonium, conſenſum. Videmus hoc pugnare cum lege naturæ, cum lege Moſis, cum doctrina Apoſtolica, cum legibus Romanorum, & piorum Imperatorum, cum iudiciis Patrum, cum decretis etiam veterum Pontificum, & Conciliorum, hoc eſt, cum veteri iure Canonico: denique cum omni ratione, æquitate & honeſtate.

Audiamus nonnulla decreta. Extra, hoc eſt, in libro Decretalium, qui Gregorij Noni dicitur: lib.4 Tit.1. de Sponſalibus, cap.14. Cùm locum: *Alexander tertius definit, ſolo conſenſu* (ſcilicet ſponſi & ſponſæ) *contrahi matrimonium.* Et ſic reliqui deinceps idem ſecuti ſunt. Et ſic definiuit Magiſter Sentent. cum ſuis Scholaſticis contra apertum Dei verbum, vt oſtenſum eſt, præſertim ex Exod.22. vbi aperta eſt lex Dei contra hanc ſententiam.

Ille itaque Alexander, iuſſit quandam puellam, quæ metuebat, ne à parentibus cogeretur nubere, cui ipſa non libenter nubebat: iuſſit inquam illam adduci in domum alicuius, vbi ſine metu ſuam explicaret voluntatem: & iuxta eius deſiderium, nulla prorſus parentum facta mentione ſententiam definiri. Neque nos probamus, quòd cogantur nubere contra parentum voluntatem, & inuitæ. Sed quæ eſt hæc impietas, vt puella, pro ſua libidine, contra voluntatem parentum, cui placet, nubat? Item, *Ex eo libro* 5. *tit.* 17. *de Raptoribus & incendiar.* & *cap.*6. *cum cauſa.* Lucius tertius, mirabilem habet definitionem. Puella quædam, à quodam ſeducta, conſenſerat clam in eius matrimonium: cùm pater nollet aſſentiri: illa ex ædibus Patris eripitur: & matrimonium inter raptam & raptorem contrahitur, reclamante parte puellæ. Propoſito caſu Pontifici: iſte aſinus definit, eum qui hoc fecit, non debere vocari, neque eſſe raptorem, propterea quòd puellæ aſſenſum habuit, antequam illam abduxiſſet. Verba eius

hæc

hæc ſunt: *Reſpondemus, quòd, cùm ibi raptus dicatur admitti, vbi nihil ante de nuptiis agitur: iſte raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris aſſenſum, & priùs etiam deſponſauerit, quàm cognouerit, licèt parentes reclamarent, à quibus dicitur eam rapuiſſe.* Quid obſecro potuit iniquius definiri? Annon hæc Lucij, vel potius Lupi huius definitio, ex diametro pugnat cum lege Dei, Exod. 22? Proponit Deus puellam, non tantùm quæ conſenſerit, ſed quæ fuerit compreſſa: & ait, *ſi pater nolit eam compreſſori dare in matrimonium, ne eam accipiat, ſed tantùm det illi dotem.* Iſte Tyrannus ſtatuit, raptam, tantùm quia conſenſit ipſa, licèt pater reclamarit, eſſe tamen veram raptoris vxorem.

Ibidem *cap. 7.* Innocentius tertius, aliquid etiam deterius ſanxit: nempe ſi quiſpiam per vim rapuiſſet puellam inuitam & nolentem, & reclamantibus ſimul etiam parentibus: & deinde puella rapta conſentiat raptori, licèt adhuc reclament parentes; poſſe matrimonium inter raptam & raptorem contrahi: illúdque eſſe firmum & ratum.

Contrà certè & meliùs ſtatuit Iuſtinianus *C. lib. 9. tit. 13. de raptu virginum, &c. Plecti capite vult raptores: tantum abeſt, vt concedat coniugium cum rapta.* Idem *in Auth. colla. 9. tit. 13. de Raptoribus.*

II. Sed iam videamus, quid & aduerſus tot loca ſcripturarum, teſtimoniáque Patrum à noſtris allata, reſpondeant Pontificij: & quid pro confirmanda ſua ſententia adducant.

Magiſter Sentent. *lib. 4. diſtinct. 28.* definit ſolo partium conſenſu, per verba de præſenti, vt loquuntur, expreſſo, contrahi matrimonium: atque hunc ſolum de eſſentia matrimonij: Conſenſum autem parentum, non pertinere ad eſſentiam, ſed tantùm ad honeſtatem matrimonij. Ac de hac, intelligenda eſſe omnia, tum è Scripturis, tum è Patribus teſtimonia: quæ de conſenſu parentum, ad contractum coniugij neceſſariò, loquuntur. Sic alij quoque Scholaſtici, vt Thomas. Eſſe itaque conſenſum parentum neceſſarium: non ſimpliciter, ſed κατά τι: hoc eſt, non ad ſubſtantiam matrimonij, ſed ad honeſtatem. Sed merum eſt effugium. Dominus enim Exod. 22. contrarium docet: cùm definit, *vt ſi pater nolit puellam*, nempe licèt compreſſam & conſentientem, *dari illi, qui compreſſerat: nullum fieri inter eos coniugium.* Det igitur dotem duntaxat puellæ. Neque vult ratum eſſe votum, ſibi à filiis nuncupatum, ſi patres non conſentiant: multò minùs igitur promiſſionem coniugij. Præterea & leges Ciuiles antiqui iuris, & Euariſtus cum antiquis Patribus: coniugia ſine parentum conſenſu facta, nulla eſſe, definiêre. Itaque manent firma noſtra argumenta: cùm horum exceptiones, nullum habeant firmamentum.

Quibus verò rationibus ſuam probant ſententiam?

1. Vnam à libertate ducunt. Cùm locum non habeat conſenſus vbi metus, vel coactio intercedit: neceſſe eſt vt vbi aſſenſus cuiuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Sic Alexander tertius. *Extra de Sponſalibus.*

Reſpon. Verum eſt, quod ait, neque probamus, vt puellæ cogantur à parentibus, contra ſuam ipſarum voluntatem, nubere. Apoſtolus enim earum voluntatem ſpectari vult à parentibus: 1. *Cor. 7.* quod voluerit (nempe etiam ipſa puella) faciat pater. Debet igitur pater ex conſenſu etiam puellæ, ſe gerere in hoc negotio. Sed viciſſim puella nec debet, nec poteſt nubere pro ſua ſimplici voluntate, vel libidine potiùs. Quare cùm optimè inter ſe conſentire poſſint pater & filia: imò cùm vtriuſque requiratur conſenſus: ratio Alexandri falſa etiam habet diuiſionis. *Si pater cogit: nubat ergo ipſa pro ſua ſola voluntate.* Debent enim omnia tentari per amicos, perque presbyteros Eccleſiæ, vt pater gratificetur filiæ, eámque ne cogat. Quòd ſi nolit pater flecti: recurratur ad Magiſtratum, qui loco patris eſt. Et ſic etiam docent leges Ciuiles. *Cod. de Nuptiis, l. 1. cum de nuptiis, & l. 11. ſi inuita.* Magiſtratus enim ſua authoritate efficere poteſt, vt pater deſiſtat ab abuſu ſuæ authoritatis in puellam; & conſentiat in rem honeſtam; vel ſaltem conſentire ipſe poteſt nomine patris. Sola enim voluntas puellæ non ſufficit: quia vult Deus, accedat etiam parentum, vel qui loco parentum ſunt, conſenſus. Quare ſeiungenda non ſunt, quæ Deus vult coniuncta eſſe.

2. Fit etiam, inquiunt, vt parentes præ auaritia, non curent filias tradi nuptum. puellæ autem non audeant ſuam indicare indigentiam.

Reſpon. Quid vis inferre? Licere igitur ſponte nubere ſine conſenſu parentum. Quæ eſt iſta ſequela? Debent potiùs liberi petere per tertiam perſonam, vt per matrem à patre, vt ſibi de vxore proſpiciat, vel de marito. Sic Iſmaël petiit à ſua matre.

3. Obiicitur exemplum Eſau, qui parentibus inconſultis, duxit Cananæam: id quod vehementer diſplicuit parentibus. Neque tamen Scriptura eas nuptias improbauit: imò *eas Cananæas* vocat *vxores*: neque eius liberi fuerunt vnquam vocati illegitimi.

Reſpon. Annon ſatis improbat eas, cùm docet, ſanctum Patriarcham Iſaacum, eiúſque vxorem, ægrè eas tuliſſe? Vocat eas vxores, non quòd verè eſſent vxores: ſed quia pro veris habebantur ab ipſo & à Cananæis: ſicut & Apoſtolus vocat *Deos*, 1. *Cor. 8.* qui pro diis habebantur à Gentibus, nō quòd reuera eſſent dij: De filiis nil Scriptura tradit, an fuerint legitimi vel ſpurij. Non ergo, quia tacet, inferri poteſt; agnitos fuiſſe à Deo pro legitimis.

4. Sed nodus vnus reſtat difficilis ad diſſoluendum. Eſt autem hic: Multos iam annos obtinuit dogma iſtud. Inde factum eſt, vt & ante Euangelij fulgorem, & poſt etiam adhuc multa, ſine parentum conſenſu, in Eccleſiis etiam reformatis contrahantur matrimonia. Oportet autem iſta matrimonia eſſe vel legitima, aut non legitima. Si legitima: Ergo conſenſus parentum non eſt ad neceſſitatem coniugij, vt Petrus Lombardus ait, ſed tantùm ad honeſtatem. Si illegitima: oportet igitur omnes, qui ex iſtis nati ſunt, & naſcuntur, eſſe ſpurios: & hæreditates parentum, ad eos non pertinere. Quanta autem hinc ἀταξία, quanta rerum publicarum perturbatio? Dici non poteſt, quantum malorum hinc conſequatur. Quot enim ſunt Reges & Principes, quorum maiores & parentes talia contraxerunt connubia? Quid igitur? Committentur omnes?

Reſpond. Quod primò aſſumitur de eo quod factum eſt, & fit adhuc: illud negari non poteſt. Quod ais, vel legitima ſunt, vel illegitima connubia: dico eſſe illegitima, & quodam modo etiam legitima. Illegitima ſimpliciter: quia non ex lege Dei, & naturæ, piorúmque Imperatorum. Ac proinde grauiſſimè peccaſſe, & magis etiam nunc peccare, qui ſic contrahunt matrimonia. Legitima verò κατά τι. Quid hoc eſt? Nempe quia ex legibus Pontificum Romanorū facta ſunt & fiunt. in quas leges omnes conſenſerunt. Quomodo conſenſerunt? Dum Principes ſuorum maiorum de matrimonio leges, Romani Pontificis legibus ſubiecerunt: vt notum eſt. Quod autem faciunt Principes, idem facere dicuntur & ipſorum populi, ſi non reclament. Ita fit, vt licèt coram Deo, omnia hæc matrimonia ſint ita illicita, vt potiùs dicenda ſint adulteria & ſtupra, quàm coniugia: tamen coram hominibus & in iudicio politico, ſimpliciter illegitima appellari non poſſint: eóque nec liberi illegitimi, &c. Quis enim tibi (exempli cauſſa) obiiciat te ſpurium eſſe: quia natus es ex patre, qui iuxta leges Pontificum Romanorum ab Imperatoribus confirmatas, duxit vxorem, ſine voluntate ſuorum maiorum? Ergo coram hominibus, non poteſt hoc illis vitio verti. At coram Deo? Verum eſt: ſed Deus pro ſua miſericordia ad hæc conniuet: ita vt nolit ſummo iure nobiſcum agere: quod attinet ad coniugium ipſum, propter liberos. Interim peccatur grauiſſime.

Exemplo eſt, quod de libello Repudij dixit Chriſtus: *Ad duritiam cordis veſtri hoc factum eſt.* Certè peccabant coram Deo, qui ſine cauſſa repudiabant vxores: & alias ducebant. Interim nunquam voluit liberos, qui à ſecunda naſcerentur vxore, ſpurios eſſe, aut vocari: ſed rata habuit illa ſecunda coniugia: pro ſua in gentem Iudaicam beneuolentia, duram alioqui corde. Aliud quod reſpondeam non habeo. Summa itaque eſt, Non poſſe per legem Dei, & naturæ, & piorum Imperatorum, citra parentum conſenſum connubia contrahi: & ſi contrahantur, ſuapte natura, eſſe illegitima. Ac proinde non licere cum illis, quę ita volunt nubere, contrahere matrimonium. Si quę tamen ſunt contracta ex ignorantia, & ex conſuetudine, ac Principum permiſſione, non eſſe reſcindenda: quòd ita iudicandi ſint parentes conſenſiſſe, qui in leges & conſuetudines Principum ſuorum conſenſerunt.

Atque huc accommodari poteſt, quod Vlpianus ſcriptum reliquit: *bene concordantia matrimonia, iure patriæ poteſtatis non eſſe turbanda, nec poſſe turbari.* Et Paulus: *Eorum*, inquit, *qui in patris poteſtate ſunt, ſine voluntate eius, matrimonia iure non contrahuntur: ſed contracta, non ſoluuntur.*

III. Addo iam his quaſdam Iuriſperitorum quæſtiunculas, & earum etiam explicationes: quæ ad dilucidiorem eorum, quæ dicta ſunt, pertinent, declarationem.

1. Sententia eſt: ſi nepos vxorem ducere velit, requiri conſenſum, non ſolùm patris, ſed etiam aui. Quid verò, inquiunt, ſi pater inſanus eſt, & furit, & auus ſapit? Aui (reſpondent) ſolius authoritas ſufficit: ſi contrà: patris ſolius voluntas exquirenda eſt.

2. Quæſtiuncula. *Quid, ſi pater ab hoſtibus captus ſit faciendū erit filio vxorem ducere cupienti?* Reſpondent: ſi non intra

triennium reuerterit, vxorem ducere poteſt. Sed addamus nos, modo id fiat cum conſenſu aliorum, qui ei parentum loco ſunt: & ipſius Magiſtratus iudicio.

3. Quæſtiuncula. *Quid, ſi pater ita procul abierit, vt vbi locorũ ſit, ignoretur?* Poſt triennium, inquiunt, ex quo apertiſſimè fuerit ignotum, vbi degat, & an ſuperſtes ſit: non prohibentur eius liberi vtriuſque ſexus, nuptias abſque patris authoritate contrahere: modò (vt ante diximus) ne id fiat ſine authoritate eorum, qui ſunt loco parentum, & Magiſtratus iudicio. Si etiam ante triennium nuptias contraxerit filius filiáve, tales, quales certum ſit patrem, ſi adeſſet, omnino probaturum: nuptię illę valere debent.

4. Quærunt præterea, *qualis conſenſus patris requiratur.* Non ſatis eſt, inquiunt, ſi pater mandatum dederit filio vxorem quærendi: ſed & perſonam, quam ducere cupit, demonſtrari oportet patri. Opus enim eſt conſenſu patris in perſonam ipſam.

5. Quando verò pater velle intelligendus eſt, & conſentire? Non ſolùm cùm exprimit ſuum conſenſum diſertis verbis: verùm etiam, cùm non diſſentit, nec contrariam voluntatem conteſtatur. Qui enim tacet, ſine vlla contradictione, is affirmare & conſentire iudicatur. Ad ſummam. Qualis qualis, inquiunt, ſignificatio (modò ſit aperta) voluntatis paternæ fuerit, ea ſufficit. Atque hæc de liberis, qui ſunt ſub patria poteſtate.

De emancipatis verò liberis hæc tradunt.

1. Filij etiam ante 25 annum, contrahere matrimonium poſſunt ſine parentum conſeſu. *D de ritu nupt. L. Filius.*

2. At verò filiæ emancipatæ, donec 25. annum attigerint, non modò primas, ſed ne ſecundas quidem nuptias, ſine patris voluntate conſenſũque, rectè contrahunt. *C. de nuptiis. L. Vidua. Et L. In coniunctione.* Imò per mortem etiam patris, factæ ſui iuris: antequam ad 25. annum peruenerint nõ poſſunt nubere, niſi priùs matris, & propinquorum, & extraneoris ſententiam voluntatémque habeant. Quòd ſi inter matrem, tutorem ac propinquos, de electione futuri mariti non conueniat: ad arbitrium Magiſtratus erit recurrendum, *C. de nuptiis, L. Si, & L. in coniunctione.*

Concluſio. Cum raptis non licet contrahere matrimoniũ. Raptæ autem dicuntur tum illæ, quæ ſeſe eripiunt è patria poteſtate: dum ſine patris voluntate atque conſenſu nubere volunt: tum quę ab aliis rapiuntur inſciis inuitíſve parẽtibus. Ac ſi contracta fuerint, neque porrò acceſſerit parentum non inſanorum conſenſus, ſed potiùs reclament: ea tam matrimonia, quàm ſponſalia, ipſo iure nulla ſunt. Ac de hoc altero hominum genere cum quibus ſponſalia matrimoniáve contrahere non liceat, ſatis.

De infidelibus Chriſtique & Eccleſiæ hoſtibus.

SEquitur tertium hominum genus, quibuſcum contrahere non licet. Hi autem ſunt infideles, Chriſtique & Eccleſiæ hoſtes: quales ſunt Iudæi, Turcæ, taléſque hæretici, qui fundamenta religionis Chriſtianæ conuellunt, vt Ariani, blaſphemi in Chriſtum, & veræ pietatis oſores, omnéſque in ſua impietate pertinaces. Si enim promittant ſe, vbi è patria poteſtate liberati fuerint, per coniugium veram pietatem amplexuros, & hoc ita promittant, vt de illorum promiſſione dubitandum non ſit: hi omnino iam ſunt pij. Quare de his non loquimur in præſentia: ſed tantùm de verè impiis, & in impietate pertinacibus, pietatiſque hoſtibus. De his igitur hæc eſto Theſis.

THESIS.

Cum hominibus verè impiis, Chriſtique & eius Eccleſiæ hoſtibus, matrimonium contrahere homini Chriſtiano non licet.

TRadunt hoc apertiſſimè & luculenter ſacræ literæ tam noui, quàm veteris Teſtamenti: Patréſque omnes ſubſcribunt.

1. Initio Deus non coniunxit homines peruerſæ religionis inter ſe: ſed vtrumque iuſtum, ſanctum, & pium. Satis apertè declarauit ſuam voluntatem eo exemplo Deus: nempe ſe velle, vt qui matrimonia contrahunt, contrahant in Domino: vt poſtea per Apoſtolum declarauit, & antea per Prophetas. Ratio etiam eſt in promptu: quia primus coniugij ſcopus fuit & eſt, vt Eccleſia ſanctorum propagetur. Coniungit quidem etiam infideles inter ſe Deus: vnde & eorum coniugia, licèt ſancta non ſint, legitima tamen ſunt: modò ex lege naturæ ſint. Neque enim propter hominum infidelitatem, negare voluit ipſe Deus fidem ſuam: vt ſcilicet, quod initio inſtituit pro humani generis propagatione: illud propter hominum peccata, irritum eſſe vellet: Verùm quid ſibi placuerit & placeat, ſatis, vt dixi, de principio declarauit in coniugio Adami & Euæ. Coniugium itaque Deo gratum, eſt, quod fit inter fideles & ſanctos in Domino. Quod fit inter infideles, modò ex lege naturæ, non damnat per ſe: ſed ratum eſſe vult. Verùm quod inter fidelem ac infidelem contrahitur, illud ſemper damnatum ac vetitũ fuiſſe à Deo, legimus. Et variis flagellis, quibus hæc connubia vltus eſt, quantum ſibi diſpliceant, ab initio mundi declarauit. Atque hoc eſt primum argumentum, ab inſtitutione prima deductum.

2. Geneſ. 6. Quas ob cauſſas perdidit Deus diluuio Mundum? Præter alias hæc non eſt poſtrema: quia ſcilicet filij Dei, id eſt, pij, videntes filias hominum, id eſt, impiorum, & qui a religione defecerant, quod eſſent pulchræ: cum iis connubia contraxerunt. Nam ſimulac dixiſſet Moſes verſ. 2. *Videntes autem filij Dei*, &c. Mox ſubiecit verſ. 3. *Et dixit Deus. Non diſceptabit ſpiritus meus cum homine.* & ex hac ira decreuiſſe illum ait perdere humanum genus: dato tamẽ reſipiſcentiæ ſpatio. Neque verò dubitandum eſt, quin Adamus filiis ſuis, quænam eſſet Dei in hac etiam parte voluntas, ſignificarit: & ita deinceps per manus fuerit ad omnium aures atque animos perlata hæc Dei voluntas, nempe vt pij cum piis connubia contraherent: non autem cum impiis, & religionis hoſtibus. Cùm itaque filij Dei capti forma & amore infidelium, contra mandatum Dei connubia cum eis contraxerint: voluit Deus diluuio ſignificare, quantum hoc ſibi diſplicuerit. Inde verò ſancti didicerunt magis ac magis, abſtinendum eſſe ab huiuſcemodi coniugiis. Itaque videmus (vt ad tertium argumentum veniam, ductum ab exemplis piorum)

3 Geneſ. 24. Quid Abrahamus mandauit ſeruo ſuo, cùm illum miſit quæſitum vxorem filio ſuo? *Non accipies*, inquit, *de filiabus Cananæorum.* Patris [illegible] autem atque exemplum ſecutus eſt Iſaacus, vxorem [illegible] Iacobo. Gen. 28. Et contrà, quàm ei diſplicuerit, quòd Eſau duas acceperit Cananæas, idque contra patris voluntatem: ſatis notum eſt ex hiſtoria: Geneſ. 34. *Et filij Iacob dixerunt Emor [illegible] non poſſe dare Dinam ſororem in matrimonium: niſi circunciſi [illegible] fiantque populus Dei.*

Verum eſt à nonnullis etiam piis, ductas fuiſſe vxores, impiorum filias: vt à Iuda, filiam cuiuſdam Cananæi: & à Ioſepho, filiam Potipharis in Ægypto: & à Moſe Sephoram, filiam Iethro Sacerdotis Madianitæ: ſed non dubito, quin priùs ſtipulati ab illis fuerint in veram religionem conſenſionem: & quin etiam eam tandem illæ ſint amplexæ: quanquam de Iuda, homine impuro, id affirmare non auſim. Sed quid vnius, aut etiam plurium exempla valent contra receptam ſanam omnium piorum conſuetudinem?

4. Acceſſit deinde expreſſa hac de re lex Dei per Moſen promulgata *Exod.* 23. de gentibus in terra Canaan loquens ait, *Non inibis cum eis fœdus. nec habitent in terra tua ne* &c. Et clariùs Exod. 34. *Non accipies*, inquit, *vxorem de filiabus Cananæorum filio tuo.* Et vnam præcipuam adiecit cauſam: *Ne ſci* inquiens, *poſtquam ipſæ fornicatæ fuerint: fornicari faciant & filios tuos in deos ſuos.* Et *Deut.* 7. repetitur præceptum: & finalis cauſſa eaque non cum dubitatione, ſicut Exod. 30. Ne fortè, ſed aſſeueranter, dicendo: *Auocabit enim* (mulier ſcilicet infidelis) *filium tuum, ne eat poſt me.* Id quod videmus, obtigiſſe Salomoni, & aliis. & nunc etiam idem, proh dolor! multi cernimus in noſtris: & quidem in Principibus & Regibus.

Dixi autem hanc eſſe vnam cauſam, cur cum infidelibus nolit Deus contrahi; ne ſcilicet ob perpetuam cum illis habitationem, fiat, vt & nos à vera pietate, ad impietatem trahantur. Sed hæc ſola non eſt: ſunt & aliæ, quas poſtea commemorabo & quas Apoſtolus indicat: cùm ait ad Corinth. *Quæ enim pars fideli cum infideli? Quod conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? & quæ communio luci cum tenebris? Aut quæ concordia Chriſto, cum Belial?*

Atque ab iis finibus liquidò apparet, exceptionem illorum, qui aiunt, præceptum illud traditum Iudæis, de non contrahendis coniugiis cum Cananæis, neque extendi ad omnes, putà ad nos: quòd fuerit ſpecialiter datum Iudæis: neque de omnibus gentibus intelligendum eſſe: ſed tantùm de illis nationibus, quæ ibi expreſſè nominantur. Conſtat enim & omnibus piis, cauendã eſſe omnis mali occaſionem, præſertim ne à vero cultu Dei, ad idololatriam alliciantur, & ab omnibus impiis atque idololatris, eos poſſe ſeduci, atque ad defectionẽ à Chriſto adduci. Quis autem confidere audebit ſuis viribus? Aut quis expectare, ſpectaréue poterit à Deo auxilium, qui contra illius mandata, ſeſe in periculũ peccandi conijcit manifeſtum? Annon hoc foret tentare Deum? Ergo præceptum illud generale eſt: & ad omnes

pios

pios pertinens: & de omnibus idololatris intelligendum: qui reſipiſcentiam non promittunt.

5. Ac certè exempla eorum etiam, qui poſt latam & ſcriptam legem, id genus connubia contraxerunt: perſpicuè docent, quàm diligenter cauenda ſint. Quid enim contigit Iſraëlitis, cùm turpiter ſeſe miſcuerunt cum Moabitarum puellis? Idola coluerunt cum illis: *Num.* 25. Quid euenit Salomoni à ſuis peregrinis & idololatris mulieribus? Idola tandem & ipſe coluit. At hoc ei non contigit, inquies, ab vxore, filia ſcilicet Pharaonis, de qua *Melachim* 1. *cap.* 3. Nam poſt illam ductam vxorem: Scriptura ait, *Deum dilexiſſe Salomonem*. Sed quid ais? Lege initium cap. 11. Vbi Pharaonis etiam filiam, vxorem Salomonis, coniungit cum aliis mulieribus alienigenis: quas adamauit Salomon: & quarum cauſſa, atque amore, factum eſt, vt defecerit à Deo ad idola, deóſque alienos. Quod verò ſubditur cap. 3 de amore Dei erga illum, aut de operibus piis Salomonis: inde non euincitur probatum fuiſſe illud connubium Deo: aliæ fuerunt cauſſæ amoris Dei erga Salomonem, Dauidis filium. Neque quia opera multa præſtitit bona: ſequitur bene etiam feciſſe, quòd duxerit Regis Ægypti filiam. Etſi enim non ſtatim fuit ad idola pertractus à filia Pharaonis: paulatim tamen ex illius Ægyptiæ conſortio atque amore affectus fuit ad idola: vt illi in omnibus gratificaretur & placeret. Ac proinde, vt doceret Spiritus ſanctus connubium Salomonis cum filia Pharaonis, initum fuiſſe contra mandatum Dei: & non vltimam etiam cauſſam fuiſſe Salomoni, idololatriæ, in quam lapſus eſt: collocauit hanc filiam Pharaonis inter alias fœminas idololatras, quæ Salomonis cor infatuarunt, & ad idololatriam pellexerunt: ſubiecitque mentionem mandati Dei à Salomone violati: dicendo, *Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas, filiam quoque Pharaonis*, &c. de quibus dixerat Dominus filiis Iſraël: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras*, &c. Nihil igitur clarius, quàm & contra mandatum Dei feciſſe Salomonem, cùm duxit filiam Regis Ægyptij: & ab ipſa quoque non minùs, quàm ab aliis, eum fuiſſe ad idololatriam pellectum, & ad alia gentilia ſcelera. Denique neminem lego, cui bene ceſſerint iſta connubia: & qui non fuerit improbatus. Quid contigit Ioſaphato pio alioqui principi: quia cum impia filia Achabi affinitatem contraxit? Ipſe etiã Achabus, licèt per ſe malus eſſet, peior tamen factus eſt ex connubio cum Iezabele, Regis Sidoniorum filia. Singulare verò, & memoria ſempiterna retinendum eſt exemplum Ezræ, qui Iudæos à mulieribus gentilibus, è quibus illi liberos etiam ſuſceperunt, diſiunxit. *Eſdræ* 10. Et quam attulit cauſam? Nullam aliam, niſi quòd feciſſent contra mandatum Domini, qui ſcilicet iuſſerat, ne alienigenas ducerent. Neque populus, cùm illas reiecit, aliam attulit cauſſam, niſi quòd legem Domini præuaricati fuiſſent, alienigenas vxores ducendo. Res eſt perſpicua in ipſa hiſtoria. Coniunge cum his ea, quæ de Nehemia ſcribuntur in hoc idem argumentum. Nehemiæ vltimo cap Mal. 2. v. 11. *polluit Iuda ſanctuarium Iehoua, quod dilexit: & matrimonium contraxerunt cum filiabus Dei alieni.* Vt tem concludam ex veteri Teſtamento: nil lego, quod Theſim noſtram queat conuellere, ſed omnia potiùs à noſtra ſtare ſententia. Venio ad nouum Teſtamentum.

6. 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Propoſitio eſt generalis, conſentiens cum lege Dei in veteri Teſtamento, de non faciendis fœderibus, amicitiis, connubiiſque contrahendis cum infidelibus. Neque dubito, quin nomine *iugi*, alluſerit ad mandatum Dei, de non arando in boue & aſino: animalibus omnino imparibus & diſſimilibus.

Rationes etiam, quas ſubiungit, vt diſſuadeat à iugo cum infidelibus ducendo: communes ſunt & generales, quibus confirmatur, nullum planè iugum trahendum eſſe fideli cum infideli, hoc eſt, nullam ſocietatem ineundam. Ergo licèt immediatè non loqueretur Apoſtolus de coniugio cum infidelibus: quis tamen inficiari poteſt, quin ſub hac vniuerſali propoſitione, particularem etiam legem de matrimonio cum infidelibus non contrahendo, complexus fuerit? Si enim nullum iugum ducendum eſt fideli cum infideli: quantò minùs iugum coniugij, quo nullum eſt arctius, ſtrictius, & quo magis vniantur homines inter ſeſe: cùm per hoc fiant duo vna caro? Connubium igitur cum infidelibus damnari his verbis Apoſtoli: dubitari non poteſt, niſi ab eo, qui velit eſſe pernicax ex profeſſo. Sed & ratio ab Apoſtolo adducta cum amplificatione, idem magis ac magis euincit. *Quod enim*, inquit, *conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? Quæ communio luci cum tenebris? Quæ concordia Chriſto cum Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Et quæ conſenſio templo Dei cum ſimulachris? Nam vos eſtis templum Dei, &c.* Argumentum Apoſtoli, à rerum, quæ inter ſe iunguntur, ad aliquod opus ſimul faciendum, diuerſiſſima pugnantique natura ductum tale eſt.

Res eſt per ſeſe turpiſſima atque abſurda, monſtrique ſimilis: adde & pernicioſa, ſi, quę animalia, ita diuerſæ ſunt inter ſe naturæ & conditionis, vt nullum inter ea poſſit eſſe conſortium, nulla communio, nulla concordia, nulla conſenſio: illa, eodem iugo, ad aliquod opus conficiendum, putà bos & aſinus ad arandum: copulentur. Abſurda res eſt, & turpis: quia pugnat cum natura, in qua ſimile amat ſuum ſimile, & pares cum paribus facilè congregantur, non autem contrà. Pernicioſa autem, quia ad opus illud perficiendum, cuius cauſſa copulantur, nunquam bene inter ſe conſentient: ſed ſi vnum ad dexteram, alterum ad ſiniſtram trahat. Proinde meritò Deus cauit ſua lege Iſraëlitis *Deut* 22. ne cum boue ſimul & aſino ararent: néve veſtem ex filis diuerſarum ſpecierum, putà lanæ & lini confectam geſtarent, *Leuit.* 19. Hæc eſt propoſitio Apoſtoli.

Atqui infideles, diuerſiſſimæ ſunt à vobis, ô fideles, & ex diametro inter ſe pugnantis conditionis: cùm illi diuerſiſſimæ à vobis ſint religionis. Illi enim iniuſtitię ſtudent, vos ad iuſtitiam eſtis vocati. Illi tenebræ ſunt, vos lux in Domino. Illi infideles, vos fideles. Illi denique ſimulachrorum ſunt cultores, eóque Diabolorum habitacula: vos eſtis templum Dei viuentis, in quo ſine ſimulachris, ſuo Spiritu habitat. Quod autem conſortium eſſe poteſt iuſtitiæ cum iniuſtitia? Quæ communio luci cum tenebris? Quæ συμφώνησις, conſonantia ſiue concordia Chriſto cum Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli, hoc eſt, quid commune habet fidelis cum infideli? Quæ denique conſenſio templo Dei cum ſimulachris? Fuerit igitur inſtar monſtri, & res turpiſſima, atque adeò & pernicioſiſſima: ſi eodem cum infidelibus, eóq; impari iugo coniungamini: id quod certè facitis, cùm vnà cum ipſis in eorum templa introitis, ſuperſtitionibus eorum participatis, & ita eodem impietatis iugo cum illis implicamini. Quomodo verò, ſi hoc facere pergatis, poterit Deus in vobis habitare, & vobis eſſe Deus: vos autem illi populus? Quare tantum abeſt, vt debeatis tali iugo cum infidelibus ampliùs copulari: vt potiùs debeatis abire de medio eorum, & ſeparari, immundúmque non tangere, ſed mundare vos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus: ſanctificationem perficientes in timore Domini. Hæc eſt Apoſtoli ratiocinatio. Annon verò eodem argumento docetur apertè atque demonſtratur, fideles cum infidelibus eodem coniugij vinculo non eſſe copulandos, tamque imparia coniugia eſſe monſtroſa, Deo inuiſa? fidelibus pernicioſa? Idq; non tam ſua ipſorum, quàm etiam liberorum cauſſa? Neque enim coniugium inſtitutum eſt ea tantùm de cauſſa, vt procreentur liberi, id quod poteſt fieri tam in impari coniugio, quàm in pari: verùm etiam idque imprimis, vt procreati, rectè & piè in religione inſtituantur, ad æternam ipſorum ſalutem. At quomodo id fieri commodè poterit, vbi altera pars infidelis eſt, & hoſtis religionis? Tres igitur cauſſas habemus, cur cum infidelibus contrahenda non ſint connubia: vnam ex Moſe, ne ſcilicet fidelis ab infideli ad idololatriam pelliciatur: alteram apertè ex Apoſtolo: quia ſcilicet res eſt, per ſe monſtroſa & inhoneſta. Tertiam colligimus ex verbis Apoſtoli: quia ſcilicet hac ratione, cùm non ſit conſenſio inter virum infidelem, & mulierem fidelem: difficulter poterunt liberi in pietate educari: & ita coniugium fruſtrabitur ſuo principali fine. Si verò iuxta Chriſti præceptum deſerendi ſunt pater & mater, & verò etiam propria vxor propter Chriſtum: quantò minùs ducenda eſt vxor, aut nubendum eſt viro, à quo & tu facilè poſſis ſeduci, atque ita à Chriſto deficere? & vt ne tuos liberos in vera religione educes, impediri?

7. Ait etiam Apoſtolus ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem eſſe vitandum.* Quomodo autem vitat, qui ducit hęreticam, vel quę nubit hęretico? Et Ioan. in altera Epiſtola. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam* (Euangelij ſcilicet) *non affert, ne recipiatis in domum, neque Aue ei dixeritis.* Qui enim ei dixerit Aue: communicat operibus eius malis. Quomodo igitur quis hæreticam, & quę Euangelij doctrinam non admittit mulierem, audeat in matrimonium ducere? Annon ipſius impietatis particeps fies? Alia verò eſt ratio eorum, quorum alter ab impietate ad pietatem conuerſus eſt. Tunc enim infidelis impietas, non inquinat fidelem: ſed contrà (in opere coniugij) ſanctificatur infidelis per fidelem. Verùm ſi fidelis cùm ſis, ducas infidelem, pietatis hoſtem & idololatram: euadere non potes, quin impietatis ipſius fias particeps. 1. Cor. 7. v. 39. *Iubet, vt vidua, ſi velit nubere, nubat tantùm in Domino.* Quomodo autem poteſt nubere in Domino, quæ nubit Gentili? Ideo Tertul. *De corona mil. pag.* 451. his Apoſtoli verbis vult damnari nuptias cũ infidelib. Et meritò ſic

ſenſit. Sic Hieronymus & Ambroſius interpretati ſunt. Satis igitur apertè demonſtratum eſt è ſacris literis, non eſſe fideli cum infideli contrahendum connubium: ſi velit manere fidelis.

Patres omnes in idem conſentiunt.

Tertul. li. de corona militis. *Coronāt & nuptiæ ſponſos. Et ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriā vſq; deducāt, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. Habes legem à Patriarchis quidem, habes Apoſtolum in Domino nubere iubentem.*

Idem, librum vnum ſcripſit de hoc argumento ad vxorem ſuam, & eſt ſecundus aduerſus matronas quaſdam Chriſtianas diuites, quæ defunctis maritis ſuis, nubere conſueuerant Ethnicis; idque ambitionis & gloriæ ſtudio: faſtidio pauperum Chriſtianorum affectæ. Nam tunc rerum ſumma erat adhuc apud gentes idololatras. Docet igitur eo libro, nequaquam nubendum eſſe gentilibus infidelibus: primò, quòd nullis ſcripturis talia coniugia probari poſſint. Nam quòd quidam abutebantur loco Apoſtoli, ex 1 Corint. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & illa matrimonio conſentit, nō dimittat illam. Itē ſanctificetur vir infidelis per mulierem fidelē*: quaſi illis verbis permitteret Paulus fidelibus, ducere infideles: egregiè refutat Tertullianus, dicendo, *Apoſtolum loqui de iis, qui in matrimonio gētili inuenti à Dei gratia fuerunt. Ac proinde non fauere illis, qui fideles cùm ſint, cum infidelibus contrahunt*: & verba eſſe Apoſtoli perſpicua contendit. Qui non ait, *ſi quis fidelis, vxorem ducit infidelem*: ſed *ſi quis fidelis, vxorem habeat infidelem*. De illis igitur ſequitur, qui in ſtatu infidelitatis iam contraxerunt, Confirmat idem aliis verbis Apoſtoli, vt cùm ait. *Vt quiſque vocatus eſt à Domino: ita perſeueret.* Certum autem eſt, neminem fidelium à Domino vocari ad matrimoniū cum infidelibus contrahendum: ſed qui antea vocatus fuerat ad coniugium cum ſuo infideli: nunc fidelis factus, debet manere cum ſuo coniuge, licèt infideli. Hunc igitur Apoſtoli locum nil patrocinij afferre connubiis fidelium cum infidelibus. Deinde id probat, quia Dei verbo damnantur talia coniugia: vt cùm ait Apoſtolus, *ſi vult nubere, nubat: tantùm in Domino*: hoc eſt, in nomine Domini, inquit. hoc eſt, indubitatè Chriſtiano. Sic ille.

Tertiò confirmat à periculis, & ita à vulneribus fidei, quæ in talibus ſunt matrimoniis. Pericula ſunt, ne ad idololatriam pertrahantur. Vulnera fidei ſunt, quia ſubinde cogitur fidelis audire & videre in coniuge infideli ea quibus offendatur eius ſpiritus, & labefacteтur fides: vt cùm audit blaſphemari Chriſtum, &c. Ad multa item vitia ſolicitantur à coniuge infideli, ad quæ certè non ſolicitarentur à fideli. Atque hanc tertiam rationem multis illuſtrat, ad finem vſque libri. Et addit *ad calcem pag.* 131. fideles, gentilium matrimonia ſubeuntes, ſtupri reos eſſe: & arcendos eſſe ab omni communione fraternitatis. Solebant enim tales excommunicari. Quomodo verò ſtupri rei erant? Probat hoc modo Tertullianus, quia Deus lege ſua vetuit, ne tales perſonæ matrimonio iungerentur. Non licebat igitur: nec Deus talis coniunctionis auctor erat. Quare ſtupra erant, non cōiugia. *Aliena*, inquit, *perſona inducitur, per quā templum Dei violatur.* Ad extremum recenſet breuiter ex oppoſito vtilitates ac fructus, fideíque incrementa, quę accipiuntur ex connubiis cum aliis fidelibus. Ad ſummam. Pulcherrimus eſt libellus, & ad talia connubia diſſuadenda accommodatiſſimus.

Cyprianus *ſerm. 5. de lapſis*, inter alia, quæ deplorabat in Eccleſia ſuo tempore, erat etiam hoc, quòd multi connubia cum gentibus contrahebant, & ait eos, hoc faciendo: proſtituiſſe cum gentibus membra Chriſti. Hoc eſt, quod & Tertullianus autè dixerat, carnem ſanctam coniugis fidelis inquinari carne gentili. *Sic Hieronymus aduerſus Iouin. lib. 1.* vtitur eadem phraſi, Chriſtianos proſtituere membra ſua idolis: & mulieres, quæ ſic nubunt, ſieri coſtas Diaboli, Vides hîc idolorum cultores & Diaboli, vocari idola?

Ambroſius *T. 3. Epiſtolarum, lib 9. Epiſt. 70 ad Vigilium,* multis ea de re diſſeruit, multiſque argumentis demonſtrauit, permittendum non eſſe, vt talia contrahantur matrimonia. Eruditiſſima eſt & pia Epiſtola. Idem *T. 4. de Patriarcha Abrahamo, lib. 1. cap. 9.* exemplo Abrahæ, qui vetuit famulo, ne ex Cananæis filio ſuo vxorem duceret, ſed ex ſuo populo: idem docet. Ac præter alia ait: Quomodo poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides? Et ideo, caue Chriſtiane, Gentili aut Iudæo, filiam tuam tradere. Et citantur hæc verba etiam in *Decret. cap. 28. q. 1.* Et in eadem quæſtione, *§. ex iis. poſt cap. 14.* citatur Ambroſius, qui ait: *Non eſſe coniugium, quod extra Dei decretum initum eſt, & idcirco eſſe emendandum.*

Auguſtinus *T. 6. de adulter. coniug. ad Pollentium, lib. 1. cap. 21.* probat ſententiam Pollentij in hac parte, dicentis: *Ne nubat fœmina niſi ſuæ religionis viro: vel ne vir talem ducat vxorem. Id enim, vt dicis, iubet Dominus: docet Apoſtolus, vtrumque præcipit Teſtamentū.* In Concilio Agathenſi, quod circa tempora Sixti, paulò ante Leonem primum celebratum fuit, *Can. 40.* cautum fuit, ne quiſpiam Chriſtianus, aut accedat ad conuiuium Iudæorum, aut eos conuiuio excipiat. Et citatur in *Decr. cap. 28. qu. 1. cap. 14. Omnes.* Quanto minùs igitur connubia cum eis licet contrahere?

Ibidem, *Can. 67.* cautum, ne cum hæreticis miſcerentur connubia: neque illis traderentur filiæ, ſed potiùs acciperentur: ſi tamen promitterent, Chriſtianas ſe futuras atque Catholicas. Et citatur in *Decr. c. 28. q. 1. Can. 16. Non oportet.*

In Concilio Laodic. quod fuit celebratum ſub Damaſo Papa: *Can. 10. & 31.* cautum fuit. Si verò vitanda ſunt coniugia etiam hæreticorum, quanto magis ſimpliciter infidelium, vt ſunt Iudæi & Gentiles?

In *Decr. cap. 28. q. 1.* præter eos Canones, quos adduximus, & Patrum authoritates: alia quoque afferuntur, quibus idem confirmatur. Citatur ad finem Concilium Vrbanenſe, in Can. 17. qui ſic habet: *Si quis Iudæa ex prauitate coniugali ſocietate iungitur, ſiue Chriſtianus Iudææ, ſiue Iudæa Chriſtiano mulier carnali conſortio miſceantur: quicunque eorum tantum nefas admiſiſſe cognoſcitur, à Chriſtiano cœtu atque conuiuio, & à communione Eccleſiæ protinus ſegregetur.* Si quis plura Patrum dicta, & Conciliorum Decreta videre cupiat: legat in *Decret.* citatam antè cauſſam, q. 1. Magiſter quoque Sentent. idem definit, *lib. 4. diſt. 39.*

In tertia parte Summæ, Thomas Aquinas *q. 59. art. 1.* eandem quæſtionem tractat, & definit, non licere fideli contrahere cum infideli. Et rationem hanc affert ex Apoſtolo, 2. Cor. 6. *Quæ conuentio luci cum tenebris?* Eſt autem maxima conuentio inter virum & vxorem. Ergo ille, qui eſt in luce fidei, non poteſt contrahere matrimonium cum illa, quæ eſt in tenebris infidelitatis.

Affert & locum accommodatiſſimum ex Malach. Polluit Iuda ſanctificationem Domini, quam dilexit: habuit filiam (ſcilicet in coniugio) Dei alieni. Denique à fine præcipuo coniugij, qui eſt, vt liberi non ſolùm generentur: ſed etiam ad cultum Dei educentur, confirmat ſententiam. Si enim diuerſæ religionis ſint vir & vxor: quomodo poterunt liberi ad cultum Dei verum educari? Alter enim alterum impediet: & quiſque ſuam religionem docere volet filiolos ſuos. Hactenus confirmatam ſatis eſſe arbitror Theſim noſtram.

II. Iam argumenta quædam in contrariam partem diluenda ſunt.

1. A lege. Deus non in genere iuſſit ab omnium gentium abſtinere connubiis: ſed tantùm à Cananæis, aliiſque vicinis, &c.

Reſp. Etſi non omnes nominauit, omnes tamen intellexit: Patet à fine. Cur nominatim ab illarum gentium connubiis abſtinere iuſſerit: nempe ne ad idololatriam, aliaque crimina gentilia allicerentur. Atqui tam ab aliis idololatris, quàm ex illis nominatis populis accidere id potuit Iſraëlitis. Omnium igitur coniugia prohibuit. Proinde etiam damnatur Salomon, qui cum Ægyptia contraxit.

2. Sancti contraxerunt cum gentibus: vt Ioſeph, Moſes & alij.

Reſp. Aut iſti priùs earum promiſſionem habuerunt de amplectenda religione: aut malè fecerunt, contra legem Dei peccantes.

3. Deut. 21. *Fecit Deus poteſtatem ducendi alienigenam captiuam.*

Reſp. Primò, quidam interpretantur ex conditionibus, quas præſcripſerat Dominus ſeruandis in illa captiua, antequam duceretur: Deum voluiſſe Iſraëlitas ab illa cogitatione ducendi talem peregrinam auocare. Ea enim iubebat, quæ omnino mulierem illam redderent contemtibilem, & minùs amabilem, vt quòd deberet radere caput, in cuius crinibus maximè ſita eſt forma mulieris. Item, quòd deberet nutrire vngues: quod eſt admodum deforme: vt per 30. dies eſſet in luctu: & alia id genus. Tantum abeſſe, vt probaret talia connubia. Alij voluiſſe Deum, illam teſtimonium dare ſuæ reſipiſcentiæ illis externis ſignis: ſi autem quis conuerteretur ad pietatem: illi non fuiſſe, aut eſſe denegandum coniugium, manifeſtum eſt. Sed nos potiùs inde colligimus: non licuiſſe per legem Dei generalem, talia inire connubia. Cùm autem Deus hoc illis permiſerit in tali caſu, apparet non licuiſſe ſimpliciter: Ideo peculiare conceſſit priuilegium.

4. *Iubet Apoſtolus, vt fidelis coniux non dimittat infidelem, quæ ſecum velit manere. Religio igitur non impedit, quin contrahi poſſit matrimonium.*

Reſp. Apoſtolus loquitur de coniugiis iam in infidelitate contractis: non autem de contrahendis inter fidelem & infide-

infidelem: vt etiam Tertullianus & alij Patres interpretati ſunt: & noſtri etiam confirmarunt.

5. *Sæpe fit, vt aliquis verè infidelis, hoc eſt, qui nihil credat, vt Epicurei multi inter eos, qui Chriſtiani appellantur, ducat verè fidelem, Tale autem coniugium, verum & legitimum eſſe coniugium, nemo inficiatur. Infidelitas ergo non impedit, quin legitimum contrahatur matrimonium.*

Reſp. Primò, infidelis duplex: alius, qui profitetur quidem fidem, ſed factis negat, & animo infidelis eſt. De hoc concludit argumentum. Verùm licèt hoc connubium ſit legitimũ, tamen ſi illius infidelitas aut hæreſis ſit tibi perſpecta: aio te non debere cum illo contrahere: ob rationes antè allatas. Infidelis verò etiam dicitur, qui non ſolùm animo talis eſt, ſed infidelitatem etiam: aut execrabilem hæreſim, verbis profitetur: vt quòd recuſet baptiſmum, neget Chriſtum eſſe verum Deum, &c. Et de his propriè loquitur Apoſtolus 2. *Cor.* 6. Deinde infidelitas non eſt illa, quæ propriè impediat coniugium: ſed religionis diuerſitas. Non illa impedit: quia alioqui nullum eſſet legitimum inter infideles. Iſta verò impedit: quia nulla eſt conuentio luci ad tenebras. Et ideò ea connubia damnat Deus.

6. Sed hinc ſextum argumentum. *Fides ſeu religio ad eſſentiam matrimonij non pertinet: alioqui inter infideles legitimum non eſſet connubium: quod ex Apoſtolo* 1. *Cor* 7. *falſum eſſe conſtat.* Fides igitur diuerſa non poteſt impedimento eſſe, quin conficiatur matrimonium.

Reſp. Si legem naturæ obſerues, fides ad eſſentiam coniugij non pertinet: vt argumentum concludit. Satis enim eſt ſi vir ſit, & mulier, in eo affinitatis gradu vel conſanguinitatis, qui non prohibetur. Item, ſi conſenſus accedat parentum, & id genus alia, quæ in omnibus gentibus eſſe poſſunt: etiamſi deſideretur fides & religio. Hæc eſt enim lex naturæ. Sed ſi legem poſt peccatum additam ſpectes, qua fideli præcipit Deus, ne ducat infidelem: fides, hoc eſt, vera religionis profeſſio, ad ſubſtantiam matrimonij pertinet: ita nimirum, vt non liceat quod contrahere, niſi adſit fides, hoc eſt, profeſſio Chriſtianæ pietatis. Pugnat enim cum principali bono & fine coniugij, qui eſt, vt liberi in religione vera inſtituantur, ſi alter coniux infidelis eſt. Proinde licèt ſeparandi non ſint, qui coniugium contraxerunt, ambo infideles, quorum porrò alter factus ſit fidelis, quia *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: tamen ne fidelis ducat infidelem, cauetur lege Domini. Quare quod ex Apoſtolo affertur, qui vult infidelem retinere à fideli: nil contra nos facit. De iſtis enim apertum extat præceptum, quid faciendum illis ſit. Et tum fit, vt infidelitas alterius coniugis, tibi non poſſit eſſe fraudi: ſed per coniugem vnum fidelem, ſanctificatur alter coniux. Et ſic etiam ferè Thomas *in* 3. *p. q.* 59. *art.* 1. *ad quartum.* Ita de hoc etiam tertio hominum genere, firma manet noſtra Theſis: *Non licere fideli, cum homine infideli matrimonium contrahere*: qua in re omnes conſentiunt.

III. Cæterùm quæ hic quæſtiunculæ oboriuntur. Vna eſt, an ita non liceat fideli cum infideli contrahere, vt ſi fortè contrahat, ipſo iure tamen nullum ſit coniugium: eóque ſeiungendi ſint contrahentes, putà Chriſtianus à Iudæa: an verò ſecus. Quidam ſentiunt, ſi contrahatur, legitimum eſſe connubium, eóq; non dirimendum: imò ne ſponſalia quidem verbis in præſens tempus factis, quæ initium ſunt coniugij, poſſe eam ob cauſſam ſolui. Cauſſam hanc afferunt, quòd Apoſtolus dicat: *ſi infidelis velit habitare cum fidele, illum non eſſe dimittendum.* Sed ad hoc alij reſpõdent, Apoſtolum loqui de illis, qui iam in ſtatu infidelitatis contraxerunt: quorum porrò alter conuerſus ſit, & factus fidelis: non autem de fideli & infideli, antequam ſint matrimonio iuncti. Proinde (vt rectè Tertullianus notat) non ait Apoſtolus, *Si quis fidelis ducat infidelem, ſed ſi quis fidelis habeat infidelem*, nempe quam ante conuerſionem habuerat in matrimonio.

Alij itaque ſentiunt, omnino tale coniugium nullum eſſe: ac proinde huiuſcemodi perſonas eſſe ſeparandas: his adducti rationibus & teſtimoniis.

1. Sicut, quos Deus coniunxit, homo ſeparare non debet: Sic quos Deus coniunxit, ſed homines, hos tanquam non legitimè coniunctos ſeparat Deus, hoc eſt, ſeparari velle cenſendus eſt: ſicut exemplo etiam Eſdræ declarauit. Fidelem autem cum infideli non coniungit Deus. Quomodo enim dicitur coniungere, quos prohibet coniungi? Nam contrà dicitur coniungere, quos lege ſua non vetat coniungi, ſed permittit. Hac eadem argumentandi ratione docti quidam viri probant, eorum coniugium, qui citra parentum conſenſum, contraxerunt, aut etiam conſummarunt matrimonium, nullum eſſe: eóque eſſe ſeparandos. Quomodo, inquiunt, videri poteſt Deus coniunxiſſe: quos neglecto ipſius æquiſſimo mandato, intemperans & effrenis cupiditas conciliauit? Item nullum contractum, inquiunt, matrimonium videtur: cui deſit quod præcipuum eſt, nempe Dei authoritas. Hæc illi. Cùm igitur in coniunctione fidelis cum infideli, deſit Dei authoritas & conſenſus: imò contra talem damnet expreſſè coniunctionem: videtur tale connubium nullo modo ratum eſſe connubium legitimúmve.

2. Sicut quiſque in qua vocatus eſt vocatione (nempe à Deo) in ea permanere iubetur: ſic in ea permanere non iubetur, ſed potiùs ab ea diſcedere, ad quam vocatus à Deo non fuit. Ad hanc autem vocationem, nempe vt fidelis duceret infidelem, fidelis vocatus à Deo non fuit: ſed potiùs à tali vocatione eum auocauit Dominus, cùm ei vetuit, ne cũ infideli contraheret.

3. Si connubia ſine conſenſu parentum carnalium contracta nulla ſunt, niſi poſtea ipſorum conſenſu firmentur: quantò minùs rata ſunt, quæ ſine conſenſu, imò contra voluntatem Dei illa prohibentis, fiunt?

4. Eſt etiam in *Cod. lib.* 1. *Tit.* 17. *de legibus & conſtitutionibus, L.* 5. *Non eſt dubium*: pulcherrimus locus, qui maximè ad rem facit.

Non eſt dubiũ (inquiunt Imperatores, Theodoſius & Valẽt.) *in legem committere eũ, qui verba legis amplexus, cõtra legis nititur voluntatem.* Et mox *Nullũ enim*, inquiunt, *pactũ, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutũ: qui contrahũt, lege cõtrahere prohibente.* Et paulò pòſt: *Imperamus, vt ea quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta: nõ ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiã habeantur: licèt legiſlator fieri tantum prohibuerit, nec ſpecialiter dixerit inutile eſſe debere, quod factum eſt. Sed & ſi quid fuerit ſubſecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum eſt: illud quoque caſſum atque inutile eſſe præcipimus.* Hæc ibi. Sanctiſſima & æquiſſima eſt hæc lex. Quantò magis igitur inutilia, caſſa, & pro infectis habenda ſunt connubia: quæ lege Dei fieri prohibente fiunt? Legem hanc mihi indicauit clariſſimus vir, D. D. Hugo Donellus. Conſentaneè cum hac lege Eſdras diſſoluit connubia tanquam nulla & caſſa, quæ contraxerant Iudæi cum gentilibus. Ibi enim nulla alia affertur ratio huius ſeparationis, niſi quia duxerant, quę lege Dei duci prohibente, ductæ fuerant.

Adde iam Patrum authoritates.

Tertullianus, vt ſuprà vidimus, vocat talia coniugia, non *coniugia*, ſed, *ſtupra*, Quamobrem? *Quia talis perſona*, inquit, *inducitur, per quam templum Dei violatur*: hoc eſt, quia talis perſona, nempe infidelis, ducitur in matrimonium à fideli: quæ proinde non poteſt per legem Dei duci, atque per eiuſdem legem duci non poteſt ſoror, aut neptis. Tam enim illa coniunctio damnatur, quàm hæc altera.

Et Ambroſius ait, vt etiam citatur *Decr. C.* 28. *q.* 1. *poſt Ca.* 14. *Non eſt putandũ matrimonium, quod extra Dei decretũ factum eſt: ſed cum cognoſcitur, eſt emẽdandum.* Quibus verbis ait Gratianus, & bene, non oſtendi, coniugium non eſſe inter infideles: cùm nullo Dei præcepto gentiles prohibeantur coniungi gentilibus: eóq; nec eorum coniugium extra Dei decretum fieri: Sed illa authoritate, inquit, iubentur ſeparari ab inuicem, qui contra Dei vel Eccleſię decretum ſeparati ſunt tempore infideles cum fidelibus: vel conſanguinei cum conſanguineis. Hi omnes, inquit, ſi ſibi inuicem copulati fuerint, ſeparandi ſunt.

Auguſtinus *T.* 6. *de Adult. coniug. l.* 1. *ca.* 18. ab exemplo Eſdrę concludit in hęc verba: *Meritò igitur quas duxerant Domino prohibente: Domino iubente dimiſerunt.*

In *ſexta Synodo, Can.* 72. ſtatutum fuit, vt ſi Orthodoxus hæreticam duxerit: vel hæretica Orthodoxo nupſerit: irritę ſint nuptię, & nefarium coniugium diſſoluatur: atque ideo, qui tale quippiam commiſerit, ſegregetur.

Melchior Klingius à Steynaw, I. V. Doct. in libro de matrimonialibus cauſſis, pag 13. De ſexto impedimento ſcribit de diſparitate religionis: *Hoc membrum*, inquit, *per ſe eſt facile: nec requiruntur diſtinctiones: quia manifeſtum eſt, quòd Chriſtianus tenetur ducere vxorem, quæ eiuſdem eſt religionis. Iudæam autem, ſiue gentilem ducere non poteſt, & econtrà. Et, ſi duxerit, ſeparandi ſunt.*

Sic ſenſit Martyr in Malachim, cap 3.

Ad extremũ eſt aperta lex in C. hac de re *C. lib.* 1. *Tit.* 9. *de Iudæis & Cælicolis. L.* 5. *Ne quis.* Valent. Theod. & Arcad. ſic ſtatuerũt. *Ne quis*, inquiunt, *Chriſtianam mulierem in matrimoniũ Iudæus accipiat: neque Iudæa Chriſtianus coniugiũ ſortiatur. Nam ſi quis aliquid huiuſcemodi admiſerit: adulterij vicè commiſſi, huiuſmodi crimen obtinebit: libertate in accuſandum publicis quoque vocibus relaxata.* Quid clarius? Hinc apparet Tertullianum non ὑπερβολικῶς vocaſſe hæc connubia adulteria, ſed verè. Romani enim lege naturæ edocti ſic iudicarunt. Adde poſtea lege Imperatorum Chriſtianorum,

qualis hæc fuit. Hæ ſunt rationes pro altera ſententia. Iudicium eſto Eccleſiæ.

Altera quæſtiuncula eſt: Si duo fideles contrahant ſponſalia, & poſtea antequam celebrentur nuptię, alter eorum fiat hæreticus, putà Arianus, aut Turca, vel Iudæus, & qui defecit à fide, velit eſſe cum ſponſa fideli: num tenetur fidelis celebrare nuptias, conſummareq́; matrimonium cum infideli: an verò licet ſponſalia dirimere? Item de duobus infidelibus, quorum alter poſt ſponſalia, fit fidelis, proponitur: an qui factus eſt fidelis, teneatur nuptias celebrare cum infideli. Quidam ſentiunt, talia ſponſalia dirimi non poſſe. Ratio, quod Apoſtolus dicat, *ſi infidelis vult manere cum fideli: fidelis eam non reijciat.* Si excipias, Apoſtolum loqui de illis, qui iam matrimonium contraxerunt: reſpondent ſe hoc non videre: ſed generalem eſſe Apoſtoli ſententiam, de illo qui habet vxorem infidelem. Quæ autem deſponſa eſt, iam eſſe vxorem eius, cui eſt deſponſa. Sed alij reſpondent: Apoſtolum loqui de illis, qui vero & legitimo, perfectóque matrimonio iam coniuncti fuerunt, manifeſtum eſt. Neque ſponſam propriè eſſe vxorem, niſi quatenus eſt promiſſa: alioqui non liceret eam dimittere, niſi propter adulterium aut deſertionē. quod tamen falſum eſt: cùm propter elephantiaſim, aut alium incurabilem morbum, quo redderetur inepta ad coniugium, liceat (teſtibus etiam contrariæ ſententiæ defenſoribus) poſt ſponſalia dimittere: quod tamen poſt conſummatum coniugium non licere iidem ſentiunt. Eſt igitur magnū diſcrimen inter deſponſam, & vxorem, quæ ſcilicet confecto matrimonio, facta eſt vxor. Alij itaque ſentiunt, tum ſponſalia eſſe dirimenda, factaque eſſe nulla: cùm cauſſa admodum legitima & grauis inciderit, cur meritò pars fidelis recuſet connubium cum eo, qui infidelis factus eſt poſt ſponſalia.

1. Doctiſſimus quidam vir, ſentit, ſi poſt ſponſalia contingat: vt altera pars vel furore corripiatur, vel morbo incurabili, vt elephantiaſi, aut paralyſi immedicabili, vel frigiditate incurabili afficiatur: ſponſalia eſſe dirimenda. Et rationem addit: quia tunc Deus ſic iubet diſſolui: cùm illa altera pars inhabilis fiat ad coniugium. Cur igitur idem non liceat etiam, ſi altera pars fiat infidelis: cùm & ipſa perſona facta ſit inhabilis, & vt ait Tertullianus, aliena à coniugio cum fideli, per legem Dei? Annon iubet Dominus, ne fidelis ducat infidelem?

2. Item præceptum Domini ait, *ne iugum ducas cum infideli:* At per ſola ſponſalia, nondum ſubiit iugum, ſed tantùm promiſit ſe ſubiturum: re ipſa autem nondum cœpit trahere. Integrum ergo adhuc manet præceptum: *Ne ducas iugum cum infideli.*

3. Naturalis etiam & diuina æquitas id poſtulat. Si enim ſpatium aliquod meliùs deliberandi datur in omnibus aliis contractibus minoris momenti, antequam authoritate Magiſtratus, pérque notarium confirmetur: & ſi repertis aliisque cauſis aliquot honeſtis permittitur, vt contractui inchoato renuntietur: cur non idem fiat in matrimonij contractu, re tanti momenti?

4. Et, ſi vera coniugia non ſunt, in quibus plenus conſenſus partium deſideratur: quomodo verum eſſe poterit quod inuita altera parte contrahitur? Sponſalia enim non ſunt ipſum contractum coniugium, ſed promiſſio, licèt per verba de præſenti facta.

5. Atque, vt Bucerus ait, Antichriſti commentum eſt, promiſſionem matrimonij, verbis de præſenti factam, eſſe indiſſolubilem.

6. Non debent coniungi matrimonio, niſi ex amore & affectu: ſicut & Adamus & Eua coniuncti fuerunt. Quòd verò nihil in ſacris literis de hac ſponſalium reſciſſione habeatur, mirum non eſt (vt ait Bucerus) cùm permiſſum illis fuerit Patribus, vt quauis de cauſſa diuortium facere poſſent à ſuis vxoribus, etiam poſt conſummatum matrimonium, ſuſceptóſque ex eis liberos.

De quarto hominum genere, cum quibus non liceat connubium contrahere.

QVæritur præterea, an liceat contrahere cum illa, quę aut alij adhuc viuenti nupſit, aut ſaltem verbis de præſenti deſponſa eſt: & contrà de muliere cum viro, qui aliam habeat vel vxorem, vel ſponſam.

THESIS.

Non licet tibi cum illa contrahere, quæ aut alium habet maritum, aut illi etiam tantum deſponſa eſt verbis in præſens factis: & ſi contrahas, talis contractus ipſo iure nullus eſt.

DIxi, quæ alium habeat in præſenti virum. Nam ſi [illegible] obiit, & non amplius habeat: non prohiberis eam ob cauſam cum illa contrahere. Talis enim polygamia nemini prohibetur lege diuina, vel etiam ciuili: [illegible] ſcilicet poſt vnam eamque demortuam, vel [illegible] repudiatam atque dimiſſam, alteram ducere poſſit. Qua in re & Tertullianus turpiter errauit: qui ſecundas nuptias damnauit; & Antichriſti, qui has in ipſis ſaltem Sacerdotibus, vt nefarias improbarunt.

Dixi ſecundo loco de Sponſalibus, ſi ea facta ſint verbis de præſenti: ſi enim ſimplex promiſſio ſit facta, verbis de futuro: ea non præciſè obligat; quanquam peccant qui temerè & leuiter promittunt, præſertim ſi accedat etiam iusiurandum; Et ideirco puniendi ſunt. Aliud tamen eſt promittere, aliud facere. Proinde ſi quæ deſponſa ſit vni, verbis tantùm de futuro, & poſtea alij deſpondeatur verbis de præſenti: erit ſecundi, non autem primi ſponſa & vxor: vt omnes definiunt, præſertim verò, ſi nulla interponatur conditio.

Cęterùm, ſi vel alium habeat virum, vel alij deſponſa ſit verbis de præſenti vſque adeò non licet tibi cum illa contrahere, vt ſi contraxeris, contractus iſte ipſo [illegible]. Vide *Extr. l.4 tit. de ſpon, a duorum.* Item Extr. l.4 [illegible] *ſalibus, c.22.* Ratio eſt quia ſicut vni viro non licet plures habere ſimul vxores: ſic multò minùs licet vni mulieri, plures ſimul habere viros. Hoc enim genus polygamiæ damnatur iure naturali, diuino, ciuili & canonico.

1. Iure naturali damnari, inde liquet quia Deus daturus vxorem Adamo, vnam tantùm coſtam, non duas ex illo eduxit: & formauit non plures, ſed vnam tantùm fœminam, neque ad illum adduxit multas, ſed vnam. Docuit igitur: Naturam humanam hoc poſtulare, vt [illegible] contentus ſit vno: & vna mulier vno viro. qui ſecus faxit, [illegible] naturam. Confirmatur hoc naturæ ius [illegible]. Cùm enim Deus delere vellet humanum genus, [illegible] animalia, propter hominum peccata: & [illegible] generis reliquias ac ſeminaria ſeruare pro ſua miſericordia: iuſſit vt Noah aſſumeret in arcam hom[illegible] & beſtias: maſculos & fœmellas, binos & binas, ſeptena & ſeptena, id eſt, paria. Non autem vnum maſculum & multas fœminas. Pugnat igitur cum natura, plures duobus, ſimul vno coniugio copulari. Eſt item contra legem naturæ, vt quod tibi non vis fieri, alteri facias. Sed tu vir nullo modo velles, vxorem tuam, alium habere virum. Ergo contra legem naturæ faceres, ſi aliam velles ſuperinducere. Quantò [illegible] ſi cum illa contrahas, quæ alium habet virum? [illegible] contra legem naturæ eſt: vt quod vnius eſt, ei [illegible]. Vxoris autem eſt, corpus mariti, 1. *Corinth. 7.* Quomodo igitur potes illud alij communicare, quin in legem naturæ pecces?

2. Lex verò diuina aperta eſt. [illegible] enim [illegible] Deo lata de coniugio, fuit illa, Gen.2. *Propter [illegible] patrem & matrem, & adhærebit vxori [illegible],* non *vxoribus.* Item ſubdit, *E[illegible]* Non ergo plures eſſe debent. At Moſes [illegible] duo. Reſp. Chriſtus adiecit, vt optimus [illegible]. *Matt. 19. Marc.10.* Chriſtus igitur hanc legem confirmans [illegible] etiam explicauit. Vitium pro [illegible] in populo Iudaico multis iam ſæculis, nempe, vt quiſque pro ſua libidine, repudiata vxore, aliam duceret: correxit, [illegible] cando illos ad primam Dei legem, dicendo: *Ab initio non fuit ſic. Non legiſtis, quod qui [illegible] propter hoc relinquet homo, &c.* Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Docuit Chriſtus, non ſolùm non eſſe vxorem quauis de cauſa dimittendam: verùm etiam ſuperinducendam priori, tum quia debent duo tantùm eſſe [illegible] caro: tum quia hoc nil aliud eſt, quam ſeparare, quos Deus coniunxit: nempe virum à priore vxore, cùm alteram ſuperinducis, & ius, quod priùs habebat [illegible] in tuum corpus, alteri tribuis. Ac ſi noluit Chriſtus, vt repudiata priore, altera duceretur, quod alioqui adulterium committitur: quanto minùs voluit, vt duæ ſimul haberentur vxores? Ita certè committitur adulterium. Apoſtolica etiam doctrina idem confirmat, 1. Corin. 7. *Quiſque ſuam habeat v[illegible]* non ait, *ſuas vxores.* Et quę [illegible] nitur [illegible]. Quomodo igitur poſſunt aut plures [illegible] communi viro, eſſe vxores: aut viri communi mulieri, [illegible] quin contra Apoſtolicam fiat doctrinam? [illegible] maritus eſt qui vni tantùm eſt vxori vir. Sic Chriſtus vocabat patrem ſuum, proprium patrem: quia [illegible] pater eo, quo eſt Chriſti pater, modo, nempe [illegible] tam. Ita Dialectici definiunt proprium, [illegible] *conuenit.*

Ait item: *Nolite defraudare vos inuicem.* [illegible]

quis plures habeat, cogitur aliquam illarum defraudare? Item ait, *Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.* Quomodo ergo poteſt ſuum corpus alij tradere, quin faciat iniuriam vxori ſuæ: eique eripiat, quod ſuum non eſt, ſed alterius? Ad Epheſios verò ſcribit: *debere nos diligere vxores noſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam.* Vt igitur Chriſtus, vnam tantùm habet ſponſam: ita quiſque Chriſtianus, vna debet eſſe contentus, vt membrum ſit Chriſti. Noſtro enim coniugio, voluit Chriſtus ſuum adumbrari. Ideo Paulus dixit, *myſterium hoc magnum eſt.* Quomodo autem adumbratur illud Chriſti cum vna Eccleſia, ſi nos plures ducamus? Et 1 Timoth. 3. ait, *oportet Epiſcopum eſſe vnius tantùm vxoris virum.* Non quòd aliis permittat habere plures, ſed quòd oporteat Epiſcopum eſſe aliis exemplo in legis diuinæ obſeruatione. Sicut & de aliis vitiis dixit oportere illum eſſe ab illis alienum, vt ab ebrietate, ab auaritia. Nunquid enim hæc permittebat Apoſtolus non Epiſcopis? Abſit. Ergo & de vna vxore, docuit nemini licere polygamiã, multò minùs Epiſcopo. Ita apertè indicauit Apoſtolus, polygamiam lege Dei damnari.

3. Iure etiam ciuili prohiberi, liquet. Primùm quidem Romæ nunquam licuit, eodem tempore duas habere vxores. Imò notabantur infamia: ſi qui id facerent, aut ſola etiam ſponſalia celebrarent. Legantur ij loci. *Pand. tit. lib. 3. ff. 2. De iis qui notantur infamia, l. 1. Prætoris. & l. 13. Quid ergo.* Ibi infames declarantur, qui duas ſimul habeant vxores, aut duo ſponſalia celebrant.

Cod. lib. 5. tit. 5. De inceſtis & inutilibus nuptiis, L. 2. Dioclet. & Maxim. ſic ſtatuerunt: *Neminem, qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas vxores habere poſſe vulgo patet. cùm etiam in edicto prætoris, huiuſmodi viri infamia notati ſint.*

Et *C. l. 9. tit. 9. ad legem Iuliam de adulteriis, l. 18. Eum qui.* Eum qui duas ſimul habuit vxores: ſine dubitatione comitatur infamia. Imo & capite plectebantur idque propter adulterium quod admittebant cum ſecunda, quæ reuera vxor non erat, nec habebatur apud Romanos *Cod. lib. 5. tit. 17. de Repudiis, L. 7. vxor.* Item *C. lib. 1. tit. 12. de Iudæis, & Cœlicolis, L. 5. Nemo.* Nemo Iudæorum morem ſuum in coniunctionibus retineat: nec iuxta legem ſuam, nuptias ſortiatur: nec in diuerſa ſub vno tempore coniugia conueniat. Sic Theodoſ. Arcad. & Honorius. Iudæi enim ſecundùm conſuetudinem antiquorum ſuorum, quæ illis erat inſtar legis, ſoliti erant multas ducere vxores. Et *Inſt. lib. 1. tit. 10. de nuptiis, §. affinitates.* Lex eſt perſpicua, tam de mulieribus, quæ non poſſunt plures habere maritos, quam de viris, quibus non licet plures habere vxores. His autem legibus, tanquam cum lege naturæ & Dei conſentaneis: quis audeat contradicere? Apoſtolus enim ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Verum eſt, tentatum fuiſſe apud Romanos, per Helium Cinnam, Tribunum plebis, vt talis lex ferretur, qua liceret habendorum liberorum cauſſa, plures habere vxores: eaque lex oblata fuit Iulio Cæſari: ſed non fuit promulgata: vſque adeò omnes deteſtabantur polygamiam. Vide Suetonium in Iulio Cæſare. Primus autem, qui inter Romanos duas ſimul habuerit vxores, fuit Antonius: Qualis viri? Vide Plutarchum in eius vita. Valentinianus etiam Iuſtinam ſuperinduxit Seueræ: idque huius culpa factum fuit: & vt ſuam tegeret turpitudinem, legem tulit, vt cuique liceret duas ſimul habere vxores. Sed ea lex non fuit accepta: imò paulò poſt damnata. Vſque adeò inſita erat omnibus hæc naturæ lex: vnam vni eſſe coniungendam. non plures, neque pluribus. *Socrat. in hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 31.*

Leges quoque Eccleſiaſticæ, polygamiam paſſim damnarunt, ac vetuerunt. In Decretalibus locus eſt purus & clarus, *lib. 4. tit. 19. de Diuortiis, cap. 8. Gaudemus.*

Patres etiam omnes improbant: nulloq; modo licere cuiquam duas ſimul habere vxores: quanquam illud Deus diſſimularit in Patribus veteris Teſtamenti. Chriſtus enim omnia, quæ ad coniugium pertinent, reuocauit ad primam inſtitutionem.

Reſtaret, vt argumenta, quæ in contrariam partem fieri ſolent, refutarem: ſed quia hoc factum eſt tum à Martyre noſtro doctiſſimè in 1. *Sam. poſt cap. 25.* & deinde fuſiſſimè à D. Beza, in ſuo libro de polygamia, idcirco ne actum agam, remitto lectores ad legendas iſtorum duorum clariſſimorum virorum refutationes. Satis eſt nobis in hac parte, quid nobis liceat, aut non liceat, oſtendiſſe. Exempla Patrum, ad quorum polygamiam conniuebat Dominus: nil ad nos pertinent: quando Chriſtus omnia, quæ ad coniugium pertinent, ad primam inſtitutionem reuocauit: & quando etiam conſtat, nunquam vlla lege ſcripta licuiſſe multa ſimul contrahere matrimonia.

Eſt quidem lex *Deut. 25.* qua iubebatur, vt fratris ſine liberis defuncti vxorem proximus frater aut affinis acciperet, & ſemen fratri ſuſcitaret: contingebat autem vt is, qui id iubebatur facere, eſſet iam coniugatus: vnde fiebat, vt duas cogeretur habere, vnam propriè ſuam, alteram fratris defuncti nomine: verum inquam eſt, talem fuiſſe legem, ſed ſpeciale mandatũ illud fuit pro eo tempore, pro certis perſonis & certis de cauſſis. Cæterùm lex nulla reperitur, qua Deus cuiquã permitteret, plures habere vxores. Vnde & ad locum Deut. iam citatum, reſpondent viri docti, quam accipiebat frater defuncti: non fuiſſe propriè coniugem ſuperſtitis fratris: iuſſum duntaxat illum fuiſſe, defuncto fratri ſemen ſuſcitare. Sed vt dictum eſt, ſpecialis fuit hæc lex: generalis autem, qua concederetur polygamia, nulla reperitur. Vnde apparet polygamiam nunquam Deo probatam fuiſſe: quanquam eã in Patribus ad tempus diſſimularit. Verùm, poſt Chriſti aduentum noluit ampliùs diſſimulare: ſed expreſſis verbis eam damnauit per Filium, & ad primam inſtitutionem omnia reuocauit. Vnde apparet, licèt Patres veteris Teſtamenti fortè non peccarint, cùm multas ducerent vxores: nobis tamen certò non licere, ſine grauiſſima Dei iniuria, & manifeſta mandati Chriſti transgreſſione, Patrum exempla in hac re imitari. Quod quamuis per ſe clarum ſit, Patrum tamen aliquot teſtimoniis confirmare vtile fuerit. Legatur Iuſtin. Martyr in Dial. cum Tryph. Nunc quemque ait lætari ſub vitæ ſocia, hoc eſt, ſuam quemque habere vxorem, eamque vnam: & Iudæorum Magiſtros arguit, quod plures adhuc permitterent ducei. Clemens Alc. in *Strom. lib.* 4. ait *polygamiam, quæ conceſſa fuerat Patribus, nunc minimè licitam eſſe.*

Hieronymus ad Geruntiam, ad Euſtochium, contra Iouinianum, &c. idem tradit. Auguſt. T. 3. de doctrina Chriſtiana, lib. 3. c. 18. docet exempla Patrum antiquorum, non poſſe in noſtra tempora transferri. Et 16. contra Fauſtum. *Quia tunc mos erat,* inquit, *peccatum non erat: nunc autem, quia mos nõ eſt, peccatum eſt.* Chryſ. in Matt. hom. 56. *Non eſt iudicandum,* inquit, *de Patribus pro noſtra ratione. Tum enim licebat, nunc non licet. Nunc conceditur vna, donec veniamus eò vbi nec nuptura ſunt, nec ducturi vxores.* Ita conſtat, nullo modo nunc licere, plures ſimul habere vxores: ac multò minùs, vnam pluribus nubere: id quod nunquam lego contigiſſe.

Quid verò ſi contingat: vt quis plures duxerit? Quæ ſuperinducta eſt priori, adultera eſt, & filij ex ea ſpurij ſunt, nati ex adulterio. Docet hoc apertè Chriſtus Matt. 19. v. 9. *Qui dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur.* Tum enim duas habet, vxorem dimiſſam, & adulteram ſuperinductam.

De quinto hominum genere, quibuſcum non licet matrimonium contrahere.

SEquitur quintum hominum genus, quibuſcum non licet coniugium contrahere: & ſi contrahatur, nullum eſt. Hi ſunt illi qui libero conſenſu nolunt contrahere, ſed parentum iuſſu, inuiti, & reclamantes faciunt quod faciunt.

THESIS

Cum illa, quam certò ſcias inuitam, & non libere conſenſu, ſed vi & metu parentum extorto, tibi nuptum tradi: contrahere tibi non licet: Et ſi contrahas, contractus nullus eſt.

RAtio huius eſt: quia liber conſenſus non ſolùm parentum, ſed & contrahentium, idque in primis, vſque adeò neceſſarius eſt ad verum legitimumque matrimonium contrahendum, vt ſi ille deſit, matrimonium eſſe non poſſit. Supra enim oſtenſum eſt, ſine libero parentum conſenſu, contractum matrimonium nullum eſſe, quantò minùs verum fuerit matrimonium, ſi liberi contra ſuam ipſorum voluntatem, iuſſu tantùm parentum, vel conſenſu quidem, ſed vi & metu illorum extorto, eóque non libero, ac proinde nec vero conſenſu contrahant?

2. Præterea docent omnes, conſenſum contrahentium, cauſſam eſſe efficientem matrimonij. Sic enim definitur coniugium tam initiatum, quàm conſummatum & perfectum: vt prima ac principalis pars, quæ in definitione ponitur, ſit conſenſus. Quid enim eſt matrimonium inchoatum? Conſenſus maris & fœminæ, habitus in præſenti, quo ſicut animi ſunt vniti, ſic copula carnali legitimè ſuo tempore vniantur, niſi aliter à Deo reuelatum fuerit. Quid matrimonium conſummatum? Libera & legitima coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ conſuetudinem, diuini humaníque iuris communicationem continens. Matrimo-

nium igitur eſſe non poteſt: niſi adſit liber contrahentium conſenſus.

Dico primò, *contrahentium*: quia ſolus parentum conſenſus non ſufficit. Ideo Apoſtolus vtrumque requirit, & parentum tradentium nuptum: & liberorum contrahentium, 1. *Corin.7.v.16.* Si quis aliquid non decens, à ſe in virginem ſuam committi putat, ſi florem ætatis excedat, & ita debet fieri: quod vult (tam ipſe ſcilicet, quàm ipſa) faciat. Illa enim neceſſitas, de qua loquitur, à virgine pendet. Ideo illud etiam quod vult, faciat: non ſolùm ad patrem, ſed etiam ad filiam refertur. Et ſic Martyr: quia in hac re oportet voluntatem patris pendere à voluntate filiæ, à qua pendet illa tradendi eam nuptum neceſſitas. Item ſupra dixerat de vidua, cui vult ipſa, nubat. Secundò dixi: *Liberum conſenſum*: niſi enim liber ſit: verus, perfectus & plenus conſenſus non eſt: qualis certè requiritur in coniugio contrahendo. Et ratio eſt, quia matrimonium, res eſt perpetua, dum vterque coniux viuit. Proinde illud, quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Atqui coactio, ſiue ex vi, ſiue ex metu, repugnat perpetuitati. Conſiſtere igitur non poteſt matrimonium, ſine libero contrahentium conſenſu.

Hinc fit, vt omnes tam Iuriſperiti, quàm Canoniſtæ & Theologi definiant coniugia oportere eſſe libera: & quæ vi contrahuntur, non eſſe matrimonia. *C.l.5.de Nuptiis,l.14. Neque ab initio* (inquiunt Imperatores) *matrimonium contrahere, neque diſſociatum reconciliare quiſquam cogi poteſt.* Vnde intelligis, liberam facultatem contrahendi atque diſtrahendi matrimonij, transferri ad neceſſitatem non oportere.

Item *C.l.8.tit.39.de inutilibus ſtipulationibus,L.2.libera. Libera* (inquit Imperator) *matrimonia eſſe, antiquitus placuit. Ideóque pacta, ne liceret diuertere, nō valere. Et ſtipulationes quibus pœna irrogarentur ei, qui, quæ e diuertiſſet, ratas non haberi conſtat:* Pulcherrima & honeſtiſſima lex eſt.

Item *C.l.5. de Nuptiis.L.12. Nihil* ... *ſed filium quidem familias, inuitum ad vxorem ducendam* ... *legum diſciplina permittit.* Idem fuit conſtitutum in iure canonico. Sunt tres egregij hac de re Canones in *Decreto,C.31.q.2.* nempe Canon primus, ſecundus & tertius. Neque enim plures habet illa quæſtio. Nolunt vllo modo illa valere ſponſalia, quæ inuitis liberis contrahuntur.

Extra lib.4.tit.1.de Sponſalibus,c.15.Venient. Et c.28.Conſultationis. Illas nuptias eſſe nullas definiunt, quæ non ſponte, ſed ex metu tali, qui potuit cadere in conſtantem virum, cōtractæ fuerunt. Atque ita requirunt liberum conſenſum abſque metu & vi, vt ſi contrahantur ex metu & vi, interpoſito etiam iureiurando: illas tamen nuptias, nullas eſſe velint. Iuramenta enim iniqua ſeruanda non ſunt. *Extra lib.4.tit.7.De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, c.2. ſignificauit.*

Magiſter Sentent. *lib.4.Diſtinct.27.C.* breuiter & bene, meo iudicio, ſic quæſtionem definiuit. Efficiens autem cauſſa, inquit, matrimonij, eſt conſenſus, non quilibet, ſed per verba expreſſus, nec de futuro, ſed de præſenti. Si enim conſentiant in futurum, dicendo. *Accipiam te in virum: Et ego te in vxorem:* non eſt ille conſenſus efficax matrimonij. Item, ſi conſentiant mente, & non exprimant verbis, vel alijs certis ſignis (vt ſolent muti & ſurdi, vnde contrahere poſſunt. *Dig.de regulis iuris,l.vbi non voce*) nec talis conſenſus efficit matrimonium. Si autem verbis explicant, quod tamen corde non volunt: ſi non ſit coactio ibi, vel dolus: obligatio illa verborum, quibus conſentiunt, dicentes, *Ego te accipio in virum: Et ego te in vxorem*, matrimonium efficit. Apparet itaque vbi deeſt liber conſenſus, ſed vi extorquetur, talia vel ſponſalia, vel matrimonia, legitima matrimonia non eſſe, nec ſiunt. Et *in 3 p. Aquinatis,qu.47.art.3.* decretū tale citatur, & eſt in Decretalibus, *lib.4 tit.1.de Sponſalibus,c.14. Cùm conſenſus locum non habeat vbi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, vt vbi communis conſenſus requiritur, coactionis materia repellatur.* Legatur & *cap.17.Extr.de Sponſalibus.* Hinc etiam efficitur, ſponſalia quæ facta ſunt à parentibus, pro filijs impuberibus, nulla eſſe, niſi poſtea filij pubetes facti, liberè illa admiſerint & confirmarint. Quid ita? Quia liber contrahentium conſenſus, plus quàm neceſſarius eſt ad matrimonium conſtituendum.

Cæterùm, ſi illi liberi, tam impuberes, malitia ætatem ſuperante, quàm adulti & pubetes, conſenſerint reipſa inter ſe in carnalē copulam: non eſt, quòd poſtea prætexant vim aut metum. Reipſa enim conſenſerunt, etiam ſi poſtea verbis negent. Eſt igitur perſpicua Theſis noſtra. Tibi non licere cum illa contrahere, quam certò noris non ſponte, ſed verbis, per vim & metum extortis, tibi nubere: Ac ſi contrahas, talem contractum nullum eſſe.

Hinc ſequitur ſextum hominū genus, quibuſcum non licet contrahere: hi ſunt furioſi, ſeu illi, qui furore agitari ſolent.

THESIS.

Cum furioſo viro aut muliere contrahere non licet.

FVrioſi nomine intelligimus eum, qui furore ad inſaniam vſq; corripi ſolitus conſueuit: ſicut & ebrioſus qui quotidie, ſubinde occaſione data, inebriari ſolet. Ratio, cur cum tali furioſo contrahere non liceat, ea eſt, quia ſcilicet furore impediuntur, ne verè & liberè conſentire poſſint. Præſertim verò, cùm actu furore agitantur. Sunt enim amentes: & quid agant, neſciunt. Legantur hac de re leges & Canones.

Dig.lib.23.tit.1 de Sponſalibus,l.8. furor. Item D. *eodem lib. tit.2.de ritu nuptiarum,lib.16.oratio. Furor matrimonium contrahi non ſinit, quia conſenſu opus eſt.*

In *Decr.C.32.q 7.Can.26. Neque furioſus, neque furioſa, matrimonium contrahere poſſunt.*

Extra lib.4.tit.1. de Sponſalibus,cap.24. Dilectus.

Magiſt.Sentent. *lib.4.Diſt.34.§.D.*

Quid verò, ſi poſt ſponſalia ritè & ſana mente peracta, in furorem incidat ſponſa vel ſponſus, eúmque perpetuum? Leges Ciuiles ſentiunt: ferendum eſſe, nec dirimi ſponſalia poſſe. Ego aliter ſentio. Idcirco enim tempus interponitur inter ſponſalia & nuptias: vt, ſi aliqua iuſta cauſa contingat, diſſolui poſſint. Nam tunc Deus, illo furore immiſſo, docet ſibi non probari talia ſponſalia. Et mecum ſentit etiam D Beza: cum Leone Imperatore, quanquam ... ſint viri docti, qui Caij magis ſententiam probent, quàm Leonis. Caius enim in *l.8. De ſponſ.* ait *furorem* ... *re ſponſalia præcedentia.* At verò ſi poſt celebratas nuptias conſummatúmque matrimonium contingat hic furor: ſentio eſſe ferendum: cùm nullæ cauſæ diuortij in ſacris literis aſſignentur, quàm adulterium, & deſertio, de quibus poſtea. Moderatio tamen, quæ ad ... ut, vt ſcilicet, an equam dirimantur talia ſponſalia, teneantur omnia, quibus liberari poſſit furore ſponſus: & certum temporis ſpatium conſtituatur: valde placet.

De ſeptimo hominum genere, quocum non licet contrahere.

THESIS.

Cum eo, quem ad vſum matrimonij, ineptum eſſe ... *vel natura, vel ex accidenti, vt morbo, frigiditate, paralyſique incurabili, & exſectione, & id genus alijs: contrahere non licet.*

RAtio eſt: quia ad matrimonium inepti ſunt tales homines. Deus autem non coniungit ineptos: quia nil agit fruſtra, ſed in primis, vt procreentur liberi: & vt occurratur ſcortationi. Neutrum autem obtinetur ab impotentibus. Proinde Chriſtus exemit à coniugio eos, qui à natiuitate, aut ab hominibus ſunt caſtrati, hoc eſt, omnes ad coniugium ineptos, *Matth.19.*

Sic Canoniſtæ etiam definiunt. *Extra lib 4.tit.15. de frigidis, & maleficiatis per totum.*

Quid verò ſi tantùm poſt ſponſalia, hæc impedimenta contingant? Ea omnino nulla ſunt ſponſalia, ac propterea ... menda. Deus enim illis immiſſis impedimentis declarat, ſibi talia ſponſalia non probari, eóque diſſolui velle. De hac re legantur hi Canones.

Decr.C 27.q 2 Can.25. Quod autem, &c Item *C.33.q.1.Can.2. Quod autem* Item *Can.2. Requiſiſti.*

De octauo, qui morbo contagioſo & turpi correpti ſunt: vt eſt lepra, ſeu elephantiaſis.

THESIS.

Cum ea, quæ morbo laboret inſanabiliter contagioſo, & ita turpi, vt ad eius congreſſum exhorreſcere quiſque debeat, vti eſt elephantiaſis, contrahere tibi non licet ſponſa.

RAtio: quia cedit hoc tibi, liberis, & Reip. in perniciem, detrimentúmque maximum. Deus autem non inſtituit matrimonium, niſi vt ſit in adiutorium, neque vult, vt quiſquam ſibi ſuiſque malum accerſat, ſine neceſſitate. Quid verò, ſi poſt ſponſalia contingāt, vt alter fiat leproſus, idque incura-

incurabiliter? Dirimenda ſunt. Deus enim eo morbo inflicto, teſtificatur, ſibi talia non probari ſponſalia. Legantur ij etiam Canones.

Extra lib.4.tit.8.de coniugio leproſorum,c.1.Literas. Eſt quidem verum, Canonem illum eſſe de ſponſalibus, quæ fiunt verbis de futuro: ſed tamen etiam de aliis, quæ fiunt de præſenti: veram eſſe definitionem ſentio. Et certè ita vt fiat, poſtulat & priuata eorum qui contrahunt, & publica Reip. ſalus, bonúmque commune. Quomodo enim hoc connubium implere quis poterit (vt optimè D. Beza ait) bona conſcientia: cùm illo vti non poſſis, quin & te ipſum, & cæteros ciues inficias, perdas, liberóſque ad perpetuam miſeriam, & ad cõmune Reipub. detrimentum gignas? Neque hoc eſt dirimere quod Deus coniunxit: ſed potiùs, quod non ex Dei voluntate coniungi cœperat, illud ne vlteriùs progrediatur, impedire. Quid igitur fiet? Alteri, ſanæ ſcilicet parti, fieri debet facultas alterius coniugij. Quid te ægrotante? Canoniſtæ volunt, vt ſi non potes continere, deducat aliam ſibi parem, leproſam ſcilicet. *Extra de coniugio leproſorum, c.2.* Alij volunt, vt ex iuſſu Magiſtratus iubeantur abſtinere. A Deo enim vocati ad cœlibatum.

De nono, qui morbo, licèt non contagioſo, inſanabili tamen & turpiſſimo, affecti ſunt.

THESIS.

Cum ea, quæ morbo licèt non contagioſo, inſanabili tamen, & ita turpi, vt eius congreſſum merito horreas, affecta eſt: licet quidem, ſed tamen non expedit contrahere.

Licet, quia non prohibetur huiuſcemodi contractus: neque in damnum Reip. cedere poteſt.

Non expedit verò: quia cùm horreas morbum, inutile tibi fuerit tale coniugium: imò & cum periculo coniunctam, ne multifariam pecces in præceptum, de non fornicando. Quid verò ſi poſt ſponſalia talis contingat morbus? Cenſent viri docti, dirimi poſſe, ſi vtraque pars conſentiat: aut altera ſaltem petat liberari. Eadem ratio eſt, quæ & ſuprà allata eſt: nempe, quia Deus hoc inflicto morbo videtur intercedere, ne vlterius progrediantur hæc ſponſalia. Si tamen vtraque pars pergere velit, impediri non poſſunt. *Extra lib.2.tit.24.de iureiurando, c.25.* Quemadmodum Celeſtinus Papa tertius caſum hunc propoſuit: *Quod ſi quis per iuſiurandum promiſerit, ſe aliquam ducturum, & poſtea mulier fieret paralytica, vel naſum amitteret, vel aliquo ſimili morbo afficeretur: nunquid vir teneretur eam accipere vxorem?* Reſpondet: profectò ductam non poſſe dimittere. Sed nunquid non ductam, admittere teneatur? Negat omnino (vt gloſſa interpretatur) teneri. Sic etiam ſentit D. Beza.

De decimo: hi ſunt, quos antequam duceres, polluiſti.

THESIS.

Cum ea, quam per adulterium polluiſti, contrahere non licet.

Ratio ex lege Dei eſt: quia & tu, & ipſa capite plectendus es. Hæc eſt enim lex Dei aduerſus adulteros. Mortuis autem, quomodo licet matrimonium contrahere? Idem ſtatuunt leges Imperiales.

Ratio autem Canonum Eccleſiaſticorum eſt, tum quia res eſt per ſe turpiſſima: tum quia nihil aliud eſt quàm continuatio adulterij: tum denique vt tollatur coniugibus, tum cauſſa adulterandi, contraque coniugem machinandi: tum ſpes cum adultero coniugium contrahendi. Pontifices igitur, Patres & Concilia ſtatuerunt, ne quis eam duceret, quam per adulterium polluiſſet.

Concilium Triburienſe, quod anno 895. celebratum fuit in Germania, ſic definiuit Can. 40. *Tale connubium anathematizamus, & Chriſtianis omnibus obſeramus. Non licet igitur, nec Chriſtianæ religioni oportet, vt vllus ea vtatur in matrimonio, cum qua priùs pollutus eſt adulterio.* Et citatur C.31.q.1.c.4. Idem confirmatum in Concilio, quod Gratianus citat, apud Alphæſum, c.6. Et citatur C 31 q.1.can.3.

Leo Papa, & citatur C.31.q.1.C.1. Item à Magiſt. Sent. *lib. 4.diſt.35. Nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluit adulterio.*

Auguſtinus *Tom.7.de Nuptiis, & concupiſc.lib.1.c.10.* Denique mortuo eo, cum quo fuit verum coniugium: fieri non poteſt coniugium, cum qua præceſſit adulterium. Citatur autem hoc Auguſtini dictum à Magiſtr. Sentent. *lib.4.diſt 35.F.*

in contrarium penitus ſenſum: affirmando quod Auguſt. negat. Idem fecit eius frater Gratianus, *c.31 qu.1.can 2.* Idem prohibetur. Hoc in genere intelligimus ex veteribus Canonibus. Nam qui habentur in dicto Titulo *de eo qui duxit:* non omnes probari poſſunt: cùm pugnent cum honeſtate.

Obiicitur exemplum Dauidis: qui duxit Berſabam, quam tamen polluerat adulterio. Sed exemplum illud quis probare audeat? Certè ex lege Domini plectendus erat capite: & qui huius exemplo ſe vellet tueri, grauiſſimis ſuppliciis dignus eſſet.

Secus verò habet, ſi de alia ſit ſermo, vt de concubina, aut alia: modò non fuerit adulterio polluta. Si enim vtraque perſona fuerit ſoluta: poſt reſipiſcentiam, contrahi inter illas poteſt connubium. Hæc ergo eſto

THESIS II.

Cum ea ſoluta, quam quis ſolutus cognouerit, contrahi poteſt coniugium: imò niſi aut puellæ parentes recuſent, aut conſanguinitatis vel affinitatis gradus, aliquidve aliud impediat, contrahi debet.

Lex Dei extat perſpicua. *Exod.22.verſ.16.17.* & Id in prorſus confirmatur, *Extra lib.5.tit.16.can.10.*

Auguſt. *T.6.de bono coniugali, c.14.* poſſe fieri ſanè licitas nuptias, ex perſonis illicitè coniunctis, honeſto placito ſubſequente, manifeſtum eſt. Et citatur etiam à Magiſt. Sent. *lib. 4.diſt.35.§.F.*

De vndecimo, de Concubinariis.

THESIS.

Cum illo qui concubinam habet, niſi eam ex vera reſipiſcentia abiiciat, non licet connubium contrahere.

Ratio eſt perſpicua, quia in Domino non poteſt connubium tale contrahi: adde, quòd ex concubinario ille fieret etiam adulter. Quæ verò illi nubere: conſentire videretur adulterio.

De duodecimo, de repudiantibus & repudiatis.

THESIS I.

Cum illo, qui ſine legitima cauſſa vxorem ſuam repudiauit, contrahere non licet: &, ſi contraxeris, adulterium committis:

Matth.19.*verſ.9.* expreſſa eſt Chriſti ſententia. *Qui repudiauerit vxorem ſuam, niſi ob ſtuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium.*

THESIS.

Cum illa itidem, quæ ſine cauſſa legitima eſt repudiata, contrahere non licet.

Chriſtus hoc idem docet: ſubdens Matth.19. *& qui repudiatam duxerit: is adulterium committit.* Cauſa autem vtriuſque propoſitionis eſt: quia cùm coniugium non ſoluatur, niſi propter fornicationem (vt iam de deſertione propter odium religionis facta, taceam) tam repudians, quàm repudiata, adhuc ſibi inuicem ſunt coniuges. Ergo tam ſi repudiata alteri nubat, quàm ſi repudians alteram ducat: adulterium committunt. Proinde etiam Apoſtolus conſentaneè cũ doctrina Chriſti, 1.*Cor.7.ver.11.* iubet manere innuptas, quæ ſic dimiſſæ fuerint: aut viris ſuis reconciliari. In veteri quidem Teſtamento per legem de repudio quauis de cauſſa dabatur facultas & repudianti & repudiatæ, aliud contrahere matrimonium. Vnde illa lex Leuit. qua præcipiebatur Sacerdoti, ne repudiatam duceret: quia ſignificabatur aliis licere repudiatam ducere. Sed in nouo Teſtamento Chriſtus id abſtulit: ſicut & totam illam de repudio legem. Hinc ſequitur

THESIS III.

Cum illo, & cum illa, qui vel quæ coniugem ſuum propter adulterium, legitimè repudiauit, ſiue viuat, ſiue non viuat perſona legitimè repudiata, contrahere tibi licet.

HOc neceſſaria conſecutione ex verbis Chriſti *Matth.* 19. colligitur. Cum enim dixerit, *illum mœchari, qui vxore citra cauſam adulterij dimiſſa, aliam duxerit*: manifeſtè à cõtrario docuit, qui dimiſſa vxore propter adulterium, aliam duxerit: illum non committere adulterium: eóque licere illi aliam ducere. Quod vero de viro dictum eſt: etiam de muliere intelligendum eſt. Tam enim ei licet virum dimittere propter adulterium: quàm viro vxorem.

2. Qui ſolutus eſt ab vxore, aut quæ ſoluta eſt à viro: huic licet denuò aliud contrahere matrimonium. 1. Cor. 7. 27. *Solutus es ab vxore: ne quæras vxorem. Quòd ſi etiam duxeris vxorem non peccaſti.* Propter adulterium autem, pars innocens verè ſoluta eſt ab altero coniuge. Nullum enim diuortium nouit Chriſtus, neque tota Eccleſia Iudaica, niſi verum, illud ſcilicet, per quod facultas dabatur alteram ducendi, vel alteri nubendi. Atque hæc eſt cauſſa, cur cum coniuge, qui coniugem propter adulterium repudiauit, liceat contrahere; nimirum, quia ſoluto coniugio liber eſt.

3. Cui mortua eſt mulier, huic licere aliam ducere, nemo eſt qui negat. Ei autem qui propter adulterium, vxorẽ repudiauit: mortua eſt vxor, etiamſi negligentia Magiſtratus ſinatur viuere. Nam per legem Dei, & omnium piorum Imperatorum, capite plectenda erit. Cur autem fraudi eſſe debet Magiſtratus iniquitas & negligentia coniugi innocenti? Cum illa igitur innocenti parte licet contrahere.

4. Et Ambroſius apertè ita Apoſtoli verba 1. Corin. 7. interpretatur: vt poteſtatem dicat fieri marito, repudiata propter adulterium priore coniuge, aliam ducendi. Proinde tyrannica eſt lex Pontificia: qua conceditur quidem, vt propter adulterium fiat ſeparatio: ſed cauetur ne tam innocens, quàm nocens, nouum contrahant matrimonium. Vnde verò hæc lex? Inde ſanè, quòd putant, nunquam coniugale vinculum ſolui, niſi reali morte alterius coniugis. Vnde verò hanc ſuã hauſerunt ſententiam? Ex praua verborum quorundam Apoſtoli interpretatione. Apoſtolus enim ait 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier obſtricta eſt viro, quàm diu viuet vir eius.* Reſp. Sed facilis eſt reſponſio. Nego, quæ reiecta propter adulterium, eam amplius vxorem eſſe viri, cui nupta erat, etiamſi ille ſit ſuperſtes: aut illum eſſe amplius huius repudiatæ virum. Propter adulterium enim ſolutum eſſe dico vinculum matrimonij. Ratio eſt: quia verum matrimonium eſt, vbi duo tantùm ſunt vna caro. Cùm igitur adultera facta ſit vna caro cum adultero, vt Paulus docet 1. *Corin.* 6. ſequitur non eſſe eam amplius carnem vnam cum eo viro, cum quo antea erat vna caro. Quare vir, eius amplius vir non eſt: niſi denuò eam velit recipere. Habet enim ipſe ius adhuc in illam, quia is non abrupit vinculum; ſed illa non habet amplius in virum ius, ſicut antea: quia ſe fecit vnam carnem cum adultero.

Deinde etiamſi viuat vir: interrogo tamen, an ſi ipſa vxor mortua ſit, ea ſit obſtricta viro, & vir vxori? Nequaquã: Morte enim alterius partis ſoluitur coniugium. At per legem Dei perſona adultera, mortua eſt, quia morti à Deo adiudicata eſt: etiamſi Magiſtratus iniquus legem Dei non exequatur. Perinde enim eſt, atque ſi Magiſtratus dediſſet carnifici interficiendam adulteram: ipſe verò carnifex, contra mandatum Magiſtratus, eam viuam abderet atque ſeruaret in crypta aliqua. Num propterea innocens non eſſet liberatus, & ita liber factus, vt poſſet aliam ducere, quia carnifex iniquiſſimus, viuam illam ſeruat? Certè per Magiſtratus legem liber eſſet. Ita etiam per legem Dei liber eſt ab adultera vxore, vir innocens. Ita etiam reſpondetur ad locum Apoſtoli, ex Rom. 7. *Mulier viuenti viro, per legem deuincta eſt.* Item, *mulier viuenti viro, vocabitur adultera, ſi fuerit alterius viri.* 1. Reſp. *primò*, Apoſtolus ſicut nec in loco ad Cor. ſic neque ad Romanos, de cauſſis agit diuortij: ſed ex coniugio ſimilitudinem arripit, quantum ad argumentum ſuum confirmandum conueniebat.

2. Non loquitur ibi niſi de coniugio, non per adulterium ſoluto: ſed de conſtanti inter virum & vxorem. Atque hoc docet non ſolui, niſi per mortem. Quis hoc inficietur? Cùm igitur ſit vox *coniugij* duplicis ſignificationis: vnius quidem, quatenus propriè accipitur de coniugio conſtanti & firmo: alterius autem, quatenus de coniugio impropriè accepto, quod ſcilicet per adulterium eſt ſolutum, vſurpatur: manifeſta eſt hic fallacia ὁμωνυμίας. Sic ad locum 1. Cor. 7. *Vxor à viro non diſcedat. quòd ſi diſceſſerit: maneat innupta: aut viro reconcilietur.* Reſp. Apoſtolus loquitur de iis, qui ſunt veri coniuges, veræ vxores & viri: quorum ſcilicet matrimoniũ conſtans eſt: ſed propter iurgia aliquando diuertit vnus ab altero. Hos vult reconciliari, aut manere innuptos. Quid ita? Quia veri adhuc ſunt coniuges. *Quod autem Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Atqui adulterium ſua natura diſiungit vnum ab altero: vel potiùs Deus ipſe, propter adulterium. De hoc igitur non loquebatur Apoſtolus.

Quòd verò obiiciunt Canones quoſdam, & Patrum quorundam authoritates, vt Auguſtini, & Eccleſię Romanæ conſuetudinem: quibus docetur, licere quidem ſeparare adulteros à toti conſortio, & eiuſdem domus inhabitatione: non autem coniugali vinculo: quòd hoc (de ipſorum ſententia) non poſſit ſolui, niſi reali alterius coniugis morte: nos ſemper eis obiiciemus, tum Eccleſię apud veteres Iudæos Patres, ſententiam, apud quos nullum erat diuortium, niſi id, per quod liceret alteri ſaltem parti, nouum contrahere matrimonium, (nam adulter plectebatur capite) tum etiam aliorum Patrum & Eccleſiarum auctoritates atque conſuetudines, illis quas Pontificij producunt, prorſus contrarias, de quibus ſuo loco. In præſentia ſatis eſt demonſtraſſe, licere cum ea, & cum eo, qui alterum coniugem propter adulterium legitimè repudiauit, contrahere. Atque hæc de illo, qui repudiauit. Hinc ſequitur de perſona legitimè repudiata.

THESIS IV.

Cum illa, quæ legitimè propter adulterium repudiata eſt: licet quidem ei qui repudiauit, matrimonium renouare, ſed ſæpe non expedit.

LIcet, præſertim ſi reſipiſcat: quia non damnatur verbo Dei. Non expedit ſæpe: quia præter alia incommoda non ſine aliqua infamiæ nota contrahi poteſt cum ipſa. Vtrumque probo.

1. Nullum video præceptũ, quo quis vetetur dimiſſam reuocare & recipere. At Prou. 18. ait Salomon: *Qui tenet adulteram: ſtultus eſt & impius. ἀσεβής.* Reſpon. Primò, in textu Hebraico deeſt hic ver. 22. Deinde licèt Septuaginta habeant: ſenſus tamen alius eſt, quàm vt facere poſſit ad propoſitam Theſim refellendam. De illo intelliguntur hæc verba: qui adulteram, adulterantem, & adulteram adhuc exiſtentem, necdum reſipiſcentem ſciens & volens retinet: & ad eius adulteria conniuet. Hic enim & ſit particeps coram Deo talium iniquitatum: & infamis redditur coram hominibus. Ideo verè ἀσεβής eſt, & ſtultus qui hæc tolerat: & talem retinet adulteram. Qua de re & Ciuiles leges extant: quæ hoſce homines, tanquam lenones ſuarum vxorum & infames damnant. Nil ergo ad rem iſte locus. Obiiciunt etiam. Præcepit, voluitque Dominus adulteras lapidari: Noluit igitur à viris retineri.

Reſp. Præceptum illud fuit ad Magiſtratus factum, non ad viros, quorum erant illæ adulteræ. Non prohibetur igitur viro, ſi velit ex charitate adulteram vxorem retinere, vel dimiſſam reuocare: quin id facere poſſit.

Obiiciunt & hoc Deut. 24. initio capitis: lex proponitur, qua cauetur, ne vir, qui ſuam vxorem repudiauerit (ex vi ſcilicet legis de libello repudij dando) eam ab alio ductam, aut denuò repudiatam, aut viduam à ſecundo marito demortuo relictam: ducere denuò poſſit. Et rationẽ Moſes affert: quia ſcilicet polluta eſt, quæ poſt diuortium leui de cauſſa factũ, alteri nupſit (quod tamen ei concedebatur) & ea de cauſſa, prior maritus prohibebatur eam denuò ducere: multò magis prohibetur eam quæ propter adulterium repudiata eſt, reuocare ad ſe, & recipere in priſtinum locum: cùm propter adulterium maximè ſit polluta.

Reſp. Peculiaris fuit hęc lex, in hunc finem lata, vt viri nõ facilè quauis de cauſa ſuas repudiarent vxores. Ratio, quoniam tam facilè reiiciendo, efficiebant, vt illæ alteri nubendo reuera (vt Chriſtus poſtea explicauit) ſcortarentur & pollucrentur. Quod enim liceret per legem de repudio, repudiatæ nouum contrahere matrimonium: hoc fuit (interprete Chriſto) ob duritiam cordis maritorum permiſſum. Sed reipſa illi vxores ſuas repudiando, aliis proſtituebant, efficiebantque vt ſcortarentur, nubendo. Ita mariti lenones erant ſuarum vxorum. Erant enim illa ſecunda connubia repudiatarum, in foro conſcientiæ, adulteria. Vt ergo illos auerteret ab hac facilitate dimittendi vxores Deus: tulit legem, ne priores mariti illas dimiſſas, & ab aliis cognitas reciperent: quòd ſcil. eſſent pollutæ, nempe ipſorum maritorum vitio & culpa. Et ſic D. Caluinus, & bene interpretatur. Non ergo prohibetur eam denuò recipere vir; quia ſimpliciter polluta eſt: ſed quia mariti culpa, qui eam repudiauit, polluta erat. At verò, quæ dimittitur propter adulterium, non eſt polluta vitio & culpa mariti. Ad illum igitur non pertinet hæc lex quæ Deut. 24. habetur. Neque inde confici poteſt argumentum aduerſus nos, niſi fallaciam habens non cauſſæ vt cauſſæ. Quare conſtat nullum eſſe præceptum, quo quis prohibeatur vxorem adulteram, ſed reſipiſcentem, ad ſe recipere, Eóque licet recipere.

2. Adde verò exemplum Dei, qui (vt Ierem. 3. habetur)

vxorem

vxorem ſuam, id eſt, Eccleſiam adulteram, ad ſe blandiſſimè reuocabat. Exemplum Dei imitari certe non prohibemur, ſi poſſimus imitari: ſed iubemur potiùs Matth.5. *Benefacite omnibus, vt ſitis filij Patris veſtri*, &c.

3. Eſt & locus Auguſtini non prætereundus, T.6. de adulterinis Coniugiis, lib.2. cap.6. Et citatur etiam C.32.q.1.Can.7. *Quod autem*, &c. *Quod autem*, inquit, *tibi durum videtur, vt poſt adulterium reconcilietur coniux ſi adſit fides, non erit durũ. Cur enim reputamus adhuc adulteros, quos credimus vel baptiſmate ablutos, vel pœnitentia eſſe ſanatos?* Et exemplum affert Dauidis, qui Michol vxorem ſuam, à Phalti filio Lais ſtupratam, repetiit & recepit ad ſe: 1.*Sam.*25.*v.vlt.* 2.*Sam.*3.14. qua in re ait Aug fuiſſe Dauidem præfiguratorem noui Teſtamẽti, & ſubdit: *Nunc poſteaquam Chriſtus ait adulteræ. Nec ego te condemnabo: vade, deinceps noli peccare: quis non intelligat, maritum debere ignoſcere, quod videt ignouiſſe Deum amborũ. Nec iam ſe debere adulteram dicere, cuius pœnitentiæ crimen deletum eſt?* Licèt ergo viro, imò & laudabile eſt per ſe, cum repudiata propter adulterium, matrimonium renouare.

Cæterùm, non ſemper expedire: manifeſtum itidem eſt.

Primò, non expedit vel marito, qui repudiauit: vel ipſi etiam repudiatæ, ſi eam vel ſtatim recipiat, vel ſæpe. Statim, hoc eſt, antequam multa & vera pœnitentiæ teſtimonia ediderit. Videretur enim ipſe patui facere adulteria vxoris, & ipſa facilius ad vomitum relaberetur. Sæpe autem: hoc eſt, ſi etiam ſemel receptam, denuò eam in adulterio deprehenſam retinere vellet. Sic enim & ipſe vt ſtultus & impius peſſimè audiret: & ipſa hac impunitate ſceleris, mariti que facilitate fieret deterior. Atque huc ſpectat dictum Salomonis Prou.18. *Qui retinet adulteram* (id eſt, adhuc adulterij ſigna præbentem, & nondum vere reſipiſcentem) *ſtultus eſt & impius.* Et huc facit *Can.*1.*in C.*32 *qu.*1. & eſt textus Chryſoſtomi: *Sicut crudelis & iniquus eſt, qui caſtam dimittit vxorem: ſic fatuus eſt & iniuſtus, qui retinet meretricem.* Ideo Patres volebant vt priùs per aliquod temporis ſpatium, in publica eſſet pœnitentia: Deinde, vt tonſa, & pannis ante & retro ſciſſis, traderetur viro: in teſtimonium ignominiæ. Imò, vt & vir ipſe qui illam facilè recipiebat, in pœnitentia eſſet aliquot menſibus, imò & annis duobus aut tribus.

Legantur hac de re Canones aliquot, *C.*32.*q* 1.*c.*4. *Si quis.* Item *Can.*6. Item *Extr. lib* 5.*tit.*16.*de adulteriis & ſtupro, c.*13. *Si vir.* Concilium Arelat. ſic definiuit: *Si vir ſciens vxorem deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione: & vixerit cum illa: reus erit, & eius peccati particeps. Quòd ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reuerti: debet* (ſcilicet vir) *ſed non ſæpe recipere peccatricem.* Ergo non ſemper expedit, vt vir eam recipiat.

De decimotertio, de meretricibus & profanis, infamibúſque mulieribus.

THESIS.

Cum meretricibus, probroſiſque mulieribus, licèt reſipiſcentia donatis, aut etiam cum profanis, contrahere non expedit Chriſtiano viro: minimè verò omnium miniſtris verbi.

De hac re lex eſt Leuit.21. *Ne Sacerdos ducat meretricem aut profanam.* Profanas autem intelligimus, quæ ex parentibus infamibus ſunt ortæ. Sic enim interpres explicat vocem illam Leu.21.

Dixi verò *non expedire*, quia licèt hæc lex, quatenus Moſis lex eſt, abrogata ſit cum aliis ceremonialibus & Leuiticis, tamen ratio eadem, cur tum fuerit lata lex illa, etiamnum durat, nempe, quia probroſum eſſet homini Chriſtiano, maximè verò Miniſtris, cum talibus inire connubia. Magna autem habenda eſt ratio Chriſtianæ profeſſionis, & in primis miniſterij Eccleſiaſtici, quando & Apoſtolus vult cumprimis inquiri in familiam Epiſcopi.

At igitur, inquies, neque cum viduis expediet contrahere matrimonium miniſtris verbi. Nam eidem lex Leuitic.21. idem prohibet.

Reſp. Primùm, ea lex de vidua non ducenda, ſed virgine non ad omnes Sacerdotes pertinebat, ſed tantùm ad ſummũ Pontificẽ, vt liquet ex Moſe, & ex Ezech.44. Vbi etiã additur exceptio, nempe ſi velit ſummus Sacerdos ducere viduam, ducat eam, quæ fuerit ex Sacerdote. Fuit autem ibi myſteriũ magnum. Typus enim fuit Chriſti, ſummus Sacerdos. Debebat autem Chriſtus, Eccleſiam virginem ſibi ſponſam accipere: nempe electos ex Gentibus. Et verò etiam viduam, ſed ex Sacerdote; hoc eſt, reliquias Iudaicæ Eccleſiæ: ſed ex ſancti. Patribus, Iſraëlitas ſcilicet ſecundùm ſpiritum

Deinde, prætерquam quòd (vt dixi) lex illa abrogata eſt: longè etiam diuerſa ratio eſt viduarum, & illarum trium, de quibus antè dictum eſt, meretricum ſcilicet profanarum, & repudiatarum. Hę enim probroſę ſunt mulieres: ideo non ſine nota aliqua duci in matrimonium poſſunt. Sed vidua honeſta, nihil adducit notæ, ei à quo ducitur. Idcirco & licet & etiam expedit, honeſtam, piam, & virtutibus ornatam viduam ducere: quod certè de ea, quę fuerit meretrix, vel profana, vel repudiata, non ita dici poteſt. Proinde inter alia, quæ in Patribus miror, eſt etiam hoc quòd vetuerint, ne ille ad Sacerdotium admitteretur: qui viduam duxiſſet. Quaſi verò adhuc ſimus ſub lege: aut quaſi per ſe ſit turpe, ducere viduam. Apoſtolus certè ait de vidua, 1.*Corinth.*7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Ergo poteſt etiam nubere miniſtro Eccleſię. Atque de his ſatis.

De decimoquarto, de deſertoribus atque deſertis.

THESIS I.

Cum perſona iniuſtè, maximè verò propter religionis odium deſerta, contrahere licet, modò id legitimè fiat.

Ratio huius eſt: quia tali perſonæ licet nouum contrahere matrimonium: vt ſuo oſtendemus loco. Ergo cum ea licet tibi contrahere.

Dixi verò, *cum iniuſtè deſerta.* Nam ſi iuſtè deſerta, ſit & ſua ipſius culpa: ſicut ei non licet nouum contrahere coniugium, vt ſuo dicemus loco: ſic neque tibi licebit eam ducere. Dixi etiam, *maximè verò propter religionis odium*: quia de deſertione, quæ hanc ob cauſam ſit: expreſſum habemus Dei verbũ, 1.*Cor.*7. fidelem ab infideli deſertum, ab infideli inquam, hoc eſt, quatenus infidelis eſt, & ex odio religionis fidelem deſerit: non eſſe ſeruituti ſubiectum: quin ſcilicet poſſit denuò cum alio vel alia matrimonium contrahere. Non negamus tamen, quin propter alias etiam cauſſas deſerta perſona poſſit cum alio contrahere. Poſtremò dixi: *modò fiat legitimè*, id eſt, ex legibus Eccleſiaſticis & Magiſtratus: præeunte ſcilicet cognitione cauſſæ: & pręſtitis omnibus, quæ pręſtanda ſunt: antequam ad nouum accedatur connubium: vt poſtea dicetur fuſiùs ſuo loco. Si igitur perſpicuum eſt, licere perſonæ hoc modo deſertæ, nouum inire connubium: efficitur, licere etiam aliis cum illa matrimonio coniungi.

THESIS II.

Cum iniquo autem deſertore contrahere non licet.

Ratio manifeſta eſt: quia iniquo deſertori non permittitur aliam ducere, Apoſtolus enim ait, *vir non dimittat vxorem, neque vxor à viro diſcedat: alioqui reconcilietur viro, aut maneat innupta.* Ergo neque cum tali deſertore tibi licebit matrimonium contrahere. Nocenti enim & iniquæ deſertricíque perſonæ leges non fauent: ſed potiùs iubent eam caſtigari propter iniquitatem admiſſam. Tantum abeſt, vt permittant matrimonium. Proinde optimè & iuſtiſſimè Apoſtolus ait: *aut reconcilietur: aut maneat innupta.*

De decimoquinto, de propatribus ac promatribus: & profiliis.

Propatres & promatres voco: qui aut quę in Baptiſmo, loco patris & matris, curam infantis baptizandi in ſe recipiunt, & ſpondent. Vnde & *ſponſores* & *ſuſceptores* apud Patres appellantur. Pontificij, *patres & matres ſpirituales* vocant, & *patrinos. Compatres & commatres* vulgò vocantur. De iis itaque

THESIS.

Cum propatribus & promatribus, licet profiliis contrahere: & iisdem compatribus, cum commatribus, ſed non ſemper & vbique expedit.

Licere, conſtat: quoniam nullo interdicto vel Dei, vel Apoſtolorum, veteriſque Eccleſiæ Apoſtolicæ prohibentur talia ſponſalia aut nuptiæ. Nullæ enim rationes, quæ aliquid habeant ponderis, afferuntur, quibus demonſtretur, non licere. Hac de re ſcripſerunt valde multa, eáque impia & ineptiſſima, Magiſt. Sentent. *libr.*4 *Diſt.*42. *Et Gratianus Can.*30.*qu.*2. Item *extra, libr.*4. *tit.*11. *de cognatione ſpirituali.*

Verus tamen eſt iſte error, & Catholicus. Nam etiam in ſexta Synodo, *Can.53.* habetur de hac: qui ad verbū ſic habet: *Quoniam ſpiritualis cognatio, corporum coniunctione maior eſt nouimus in quibuſdam locis exceptores puerorum ex ſancto & ſalutari Baptiſmate poſtea cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, ſtatuimus ne in poſterum tale quid fiat. Si qui verò ſecus fecerint: hi quidem primò ab illicito matrimonio ſeparentur, deinde fornicatorū pœnis ſubiiciantur.* Hæc ibi. Quid verò iniquius ſtatui potuit? Et tamen etiam Iuſtinianus Imperator eas damnauit nuptias: & legem de illis tulit, *C.lib.5. tit.4. de Nuptiis, l.26. Si quis alumnam,* &c.

Notandum tamen eſt, ab aliis porrò Pontificibus & Conciliis: leges de iis inter perſonas (vt vocant) ſpirituales, coniugiis reſcindendis damnatas fuiſſe. Citatur à Gratiano, in *Decr.c.30.q.1.* Decretum Nicolai Papæ, pulcherrimum ſanè, & auctoritate Apoſtoli munitum ex *1.Corinth.7. Nolite fraudare vos inuicem, Can.3.* Item *Can.4.* ex Concilio Cabilonenſi. Item *Can.5.* ex Concilio Moguntinenſi, quibus permittuntur nuptiæ inter has perſonas contractæ. Idem fecit Alexander tertius, *Extra lib.4.tit.11 de cognatione ſpirituali, Can.1.2.3.* Et Clemens tertius, *Extra de cognatione ſpirituali, Can.5.* Ita ex ipſiſmet Pontificiis libris apparet, quàm impia fuerit & iniuſta ea lex, qua vetabantur nuptiæ inter perſonas ſpirituales, & contractæ iubebantur reſcindi. Quaſi verò non omnes Chriſtiani inter ſe ſint ſpirituali cognatione coniuncti, idq; in Baptiſmate, vt apertè docetur etiam in *Decr.C.11 q.3.Can.24.* Omnino igitur licet cum talibus perſonis matrimonium contrahere.

Sed (vt dictum eſt in Theſi) *non ſemper & vbique expedit,* Vbi enim conſuetudo ea recepta eſt, & adhuc retinetur, non expedit. Hoc enim ſine ſcandalo magno, & Eccleſiarum turbatione fieri non poſſet: id quod à Chriſtiano homine alienum eſſe debet. Nam & Apoſtolus dicebat, *Si ſcandalizetur frater meus, carnem non edam in æternum.* Et ait, *Omnia licent: ſed non omnia expediunt.* Itaque ſeruanda hic eſt regula etiam Iuris: *Di.T.1.lib.1.Tit.3.De legibus.l.22. Minimè* Minimè, inquit, *ſunt mandata* (nempe à quouis) *quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.* Sed monendi ſunt Principes, vt mutent ipſi.

Proximè hos ſequitur aliud hominum genus: nempe Tutorum & Pupillorum.

De decimoſexto, de tutoribus curatoribúſque, & pupillis.

THESIS.

Tametſi per legem Dei licet tutoribus & curatoribus, cum iis quorum ſunt tutores & curatores, poſtquam ad ætatem peruenerint, contrahere; non ſemper tamen, aut vbique expedit.

Licet, quia nullibi prohibetur in ſacris Literis. Non expedit autem ſemper: quia prohibetur legibus Ciuilibus, quæ certè non ſine cauſſa, ſed propter honeſtatem & vtilitatem tum priuatam, eorum ſcilicet cum quibus contrahitur, pupillorum: tum publicam, totius nimirum Reipub. id vetant. Bonum enim publicum, ex bono ſingulorum ciuium oritur & coaleſcit, *Dig.T.1.lib.23.Tit.de ritu nuptiarum l.59. Senatusconſulto, Senatusconſulto cautum eſt, ne Tutor pupillam vel filio ſuo, vel ſibi nuptum collocet.* Et *C.lib.5.T.6. De interdicto matrimonio* (inter pupillam & tutorem ſeu curatorem) *l.7. ſi tutor.* Et ſic Marcellinus Herm. interpres. Νόμος, inquit, ὅσι μὴ γαμεῖσθαι τὴν ὀρφανὴν. μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ, μήτε τῷ ἐπιτρόπου παιδί. Exceperunt tamen Romani hac lege primū illos tutores & curatores, quibus puellę parens voluit in matrimonium puellam dari: hoc eſt, quibus à patre, vel deſponſa fuerat puella, vel Teſtamento deſtinata. Deinde etiam illos, qui rationes iam reddiderant: ita vt effluxerit tempus illud, quo in integrum, pupilla reſtitutionem impetrare poſſit. De aliis etiam hominum generibus: inter quos per leges Ciuiles non conſiſtunt ſponſalia & matrimonia, idque propter honeſtatem & vtilitatem publicam: tenenda eſt regula Apoſtoli, Philip.4. *Quæcunque ſunt honeſta, hæc facite.*

De decimoſeptimo, de iis, quorum ætas, aut inepta eſt ad nuptias: aut valde inæqualis & impar.

THESIS I.

Cum ea, cuius ætas longè impar, & inæqualis eſt sua: etſi per legem Dei expreſſe & ſimpliciter non prohibetur contrahi, contrahere tamen non expedit.

Exemplum huius eſt, ſi ſenex 60. annorum, puellam ducat 15. aut 14. annos natam: vel adoleſcens 15. annorum, vetuſtam 60. Eſt enim hoc ſua natura turpe, & indecorum, coniaque prouerbium illud, *Si vis nubere, nube pari.* Deinde efficit, vt conciliari amor inter coniuges non poſſit. Etſi enim fortè delirus ſenex amabit puellam; hæc tamen in illum affici vix poterit. Accedit, quòd breui fiet, vt viro facto imbecilliore & impotente; vxor vegetior & adultior periculo adulterij exponatur: & ita coniugium illud neutrum illorum finium, propter quos inſtitutum eſt, aſſequatur. Eſt enim inſtitutum, tum ſuſcipiendorum liberorum, tum vitandæ fornicationis cauſſa. Quare etſi ſimpliciter huiuſcemodi coniugia in ſacris literis non prohibeantur: permitti tamen non facilè debent in Eccleſia Chriſti. Sunt enim nimis imparia. Proinde meritò obiectum fuit Apuleio criminis loco, quòd mulierem natam annos 60. duxiſſet in matrimonium.

THESIS II.

Inter eos, quorum ætas ad coniugium apta non eſt, vt inter impares: licèt ſponſalia contrahi ex voluntate parentum poſſint: ea tamen rata non ſunt, niſi poſtmodum ipſi puberes effecti, ea confirment: aut forte malitia ætatem ſuperante, carnali copula antè comprobarint.

Exemplum huius eſt, ſi puer 10 aut 11 annorum, puellam decem itidem annorum ducat. Ratio autem, cur rata non ſint ſponſalia, eſt: quia opus eſt conſenſu legitimo. Conſenſus autem non niſi in rem optimè cognitam, legitimus eſſe non poteſt. Quid autem ſit coniugium, quid requirat, & alia ad id pertinentia, quomodo cognoſcere poſſunt huius ætatis pueri? Proinde leges Ciuiles, & Canones Eccleſiaſtici, certam ætatem conſtituerunt, citra quam matrimonium contrahi non poteſt, aut licet.

Modeſtinus, *in matrimoniis contrahendis,* inquit, *definita eſt ætas, eáque eſt pubertas, quæ in fœminis incipit ab anno 12 in maſculis, à 14.* Et ſic Romani ſoliti erant puellas huius ætatis tradere nuptum: hac de cauſa, vt citiùs maritorum mores imbiberent, vt ait Plutarchus in Numa. Sed mihi magis probatur inſtitutum Spartanorum: qui neque filias, neque filios matrimonio iungebant, niſi cùm eſſent bene adulti: idque vt prolem facerent robuſtiorem. Nam ideo video ſeruatum fuiſſe in veteri populo Iudæorum. Apoſtolus *1.Corint.7.* non præſcribit ætatem, ſed tantùm neceſſitatem vbi quis parens videt liberos ſuos opus habere coniugio, matrimonio illos iungat. Eſt autem certum, ante illam ætatem, de qua ante ex legibus Ciuilibus diximus: neminem ferè ſolere opus habere coniugio, idcirco quo diutiùs differri poſſunt, conſultius eſt, & iis, qui matrimonia contrahunt, & liberis, quos ſuſcipiunt, & Reipub. Ergo cùm ætas ad coniugium apta non eſt, contrahi matrimonia non debent, nec poſſunt. Hac de cauſſa olim lege Iulia & Papia prohibebantur nuptiæ inter virum ſexagenarium, & mulierem quinquagenariam: quòd illa ætas liberis ſuſcipiendis idonea non eſſet. Sed poſtea has etiam conceſſit Iuſtinianus. Vtrumque habetur in *C.l[illegible] 4. de Nuptiis, l.17. Sancimus.* Et huius legis Papiæ mentionem etiam facit Lactantius, *Inſtit.l.1.cap.16.*

Sed, vt ad ſponſalia impuberum redeam, ea rata non eſſe niſi poſtmodum ab ipſis iam impuberibus effectis, ſuo conſenſu confirmentur: aut forte etiam carnalis copula priùs intercellerit: docent & leges Ciuiles & Canones Eccleſiaſtici. Leguntur hæc loca, *Digeſt.li.23. Tit.1. de ſponſalibus.* Item *lib.11. ſponſalia.* Conſenſus enim contrahentium neceſſariò requiritur.

In Concilio Lateranenſi, ſub Alexandro 3. *parte 6 Can.3.7.10.26.29. In Decr.C 30.q.2.Can.1 vbi.* Item *Extr. lib.4 tit.2. de Deſponſatione impuberum.* Item, *cap.4. Literas, c.5. Acce[illegible] c.7. de illis, c.8. à nobis, cap.9. de illis, cap.12. Duo pueri. Et c.13. ad diſſoluendam.* Item, *in ſexto lib.4.tit.2. de deſponſatione impuberum, c.1. Si infantes.*

De decimooctauo, de iis qui valde imparis ſunt conditionis.

THESIS.

Cum iis, qui longe imparis ſunt conditionis, contrahe-

trahere non expedit, & per Romanorum leges non licebat.

EXemplum, vt inter nobilem & plebeiam: Doctorem & filiam bubulci: inter liberas & ſeruiles perſonas, &c. Etſi enim lege Dei hæc matrimonia expreſſè non prohibeantur, cùm tamen Apoſtolus in genere dicat: *Quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque iuſta, quæcunque boni nominis, ſi qua laus, ſi qua virtus: hæc facite*: hæc autem valde imparia connugia probari non ſoleant, idque multis de cauſſis honeſtis & vtilibus: connubia hæc non facilè ſunt admittenda. Eſt enim τὸ πρέπον ſemper ſpectandum: & prouerbium illud, *Si vis nubere, nube pari*. Romani hac in parte laudandi ſunt, qui hiſce de rebus prudenter cogitarunt, legéſque honeſtas tulerunt: quia rationem habebant Reipub. vt nulla ἀταξία oriretur in familiis, & hominum ordinibus. Ideo primum inter liberas & ſeruiles perſonas nuptias conſiſtere nolebant. Imo Tertullianus refert ad vxorem lib. 2. *Si libera mulier cum alieno ſeruo contraxiſſet, & poſt trinam domini denunciationem in conſuetudine perſeueraſſet, libertatem amittebat.*

2. Neque etiam inter omnes liberas perſonas contrahebantur connubia: ſed tantùm inter ipſos Romanos ciues. Cum peregrinis non licebat: niſi concederetur: vt oſtendit *Inſtit. lib. 1. de Nuptiis*, initio. Itaque oportebat priùs ciuitate donari: tum demum contrahere cũ Romanis licebat. Quid? Quòd ſic etiam videmus Patres in veteri Teſtamento noluiſſe cum extraneis contrahere, ſed cum ſuis. Id verò quam ob cauſſam? Propter diuerſitatem non ſolùm Religionis: ſed etiam morum. Natura enim hoc docet, vt ſi velis nubere, nubas pari: quia *pares cum paribus facilè congregantur*: contrà verò impares. Cenſeo itaque hac in parte, non facilè recedendum eſſe ab illis honeſtis Romanorum legibus: de non contrahendis nuptiis, cum diuerſi ſanguinis, diuerſorum morum, diuerſæque conditionis hominibus: multò verò minus cum iis, qui diuerſæ ſint religionis, vt ſuprà demonſtrauimus: & ſemper retinendam illam Apoſtoli regulam, Phil 4. *Quæcunque iuſta, &c.*

Capitis primi, quod fuit de Sponſalibus,

QVÆSTIO III.

De ipſo matrimonij contractu, ſeu de ſponſalibus ipſis.

DE principio huius primæ tractationis, quæ de ſponſalibus eſt, poſtquã explicaſſemus, quid ſint ſponſalia: quot eorum genera: cauſſæ inſtitutorum ſponſalium, & quomodo ſint celebranda: propoſuimus tria quæſtionum genera explicanda: quarum quæſtionum aliæ ſumantur à perſona, quæ contrahit, aliæ à perſona cum qua contrahitur: aliæ denique à contractu ipſo, ſeu ab ipſis ſponſalibus. Duo priora hactenus abſoluimus. Reſtat tertium, quod paucis abſoluam.

Ac primùm, cùm initio dixerimus, duo eſſe ſponſalium genera, vnum quod fit verbis de futuro, idque ſiue inter præſentes, ſiue inter abſentes: alterum verbis de præſenti; & cũ horum etiam differentias explicauerimus, quarum vna hæc eſt, quòd priora non præciſè obligent, ſed dirimi poſſunt, ex ſolo conſenſu partium; poſteriora verò obligent, ita vt niſi accedant legitimæ & neceſſariæ cauſſæ, dirimi non poſſint.

Duę nunc proponuntur quæſtiones de prioris generis ſpõſalibus: Prima, quot modis, & quas ob cauſſas dirimi poſſint. Altera, an perſona, quæ temerè dirimi, altera non conſentiente: impunè id facere ſinenda ſit. Ad primam quæſtionem ſic reſpondemus.

THESIS.

Sponſalia verbis de futuro contracta, duobus modis dirimuntur.

PRimus, cùm vtraque perſona conſentit, vt dirimantur. De hoc nulla eſt controuerſia, quin liceat. Alter eſt: cùm vna petit dirimi, altera non conſentit. Si itaque vna petat dirimi, altera verò reclamat; dirimi tamen poſſunt & debent, cùm non præciſè obligent, præſertim verò ſi aliqua iuſta cauſſa, cur dirimi debeant, afferatur: quarum hæc vna eſt, ſi conditio appoſita, non ſit ſeruata. *Extra lib. 4. Tit. 5. de conditionibus appoſitis, cap. 3. de illis.* Altera, ſi qui petit dirimi, promiſerit impubes: Nunc autem pubes factus, dicat cognoſcere ſe leuiter promiſiſſe. *Extra de Deſponſatione impuberum, cap. 7. de illis.* Tertia: ſi poſt ſponſalia, altera pars inciderit in lepram, paralyſim, vel alium morbum turpem & incurabilem, aut etiam in hæreſim: vt ſuprà etiam de ſponſalibus, quæ fiunt per verba de præſenti, diximus. Propter quas enim cauſſas hæc dirimi poſſunt, propter eaſdem multò magis dirimi illa etiam poſſunt, quæ verbis de futuro facta fuerunt. Denique ſi tempus, quo conſtitutum erat, vt fierent ſponſalia verbis de præſenti, & nuptiæ celebrarentur, elapſum ſit. Ad ſecundam quæſtionem.

THESIS.

Perſona, per quam ſtat, quò minus ſponſalia firma maneant, & ad matrimonium producantur: ſi nulla iuſta de cauſſa id faciat: Eccleſiaſticis cenſuris, & ciuilibus pœnis coerceri debet. Sic enim conſtituerunt & pij Imperatores, & Canones Eccleſiaſtici.

C*Od. lib. 5. Tit. 1. de Sponſalibus & Authen. l. mulier.*

De altero autem ſponſalium genere, quod fit verbis de præſenti: cùm dixerimus, his ſponſalibus inchoari matrimonium: carnali autem copula perfici & conſummari; quæritur, quid in ipſo contractu accidere poſſit, propter quod inchoatum matrimonium perfici non debeat, ſed reſcindi.

THESIS I.

Error in contractu, legitima cauſſa eſt, cur contracta ſponſalia, dirimi poſſint & debeant.

RAtio huius eſt: quia cauſſa efficiens matrimonij, eſt liberrimus & pleniſſimus conſenſus vtriuſque partis contrahentis: vt ſuprà oſtenſum eſt, & omnes fatentur. Et hanc ob cauſſam inter furioſos, ebrios, coactos, impuberes, non conſiſtit matrimonium: quia ſcilicet ibi non eſt liber conſenſus. Eſt autem liber conſenſus, ceu anima coniugij. Atqui vbi eſt error, ibi conſenſus eſſe non poteſt. Conſentimus enim in res probè cognitas. Eſt autem error, cùm aliud pro alio reputatur. *De Decr. C. 27. q. 1. Can. 16. in quibus. Et diſtinct. 38. Can. 11. quamuis.* Proinde qui errat: non conſentit. *Dig. lib. 2 Tit. 1. de iuriſdictione omnium iudicum: l. 15. Si per errorem. Et Cod. lib. 1. Tit. 21. de iuris & facti ignorantia: l. 8. cum Teſtamentum. Et l. 9. Non idcirco.* Vbi definitur errantis voluntatem nullam eſſe. Cùm itaque matrimonium abſque conſenſu eſſe non poſſit: errans autem non conſentiat, ſed eius voluntas nulla ſit: efficitur propter errorem, matrimonium inchoatum dirimi poſſe. Atque hac de re nemo dubitat in genere.

Cæterùm non quilibet error conſenſum excludit, dirimitque ſponſalia: ſed error earum tantùm rerum, quæ ad ſubſtantiam matrimonij pertinent, vt modò explicabo: vbi videtimus, quot errorum genera ſtatuantur à Doctoribus.

THESIS II.

Quadruplex autem ſtatuitur error, perſonæ, qualitatis, conditionis, fortunæ.

PErſonæ, vt cùm quis cum vna contrahit: & ſe cum alia contrahere perſuaſum habet. Exemplum habemus in Iacob: qui contraxit cum Lea, quam iudicabat eſſe Rachelem.

2. *Qualitatis*: vt ſi quis ducat corruptam & ſtupratam, quam credebat eſſe virginem.

3. *Conditionis*: vt cùm quis contrahit cum ancilla, quam putat eſſe liberam.

4. *Fortunæ*: vt cùm quis contrahit cum paupere, quam audierat eſſe diuitem: aut ignobilem, quæ iactauerat ſe nobilem eſſe.

De iis in *Decret. C. 29. qu. 1.* Et Magiſt. Sentent. *lib. 4. diſt. 30.* Nunc qui horum ita tollant conſenſum, vt etiam tollant ſponſalia, videndum eſt.

THESIS III.

Si quis in perſona deceptus errauerit: huic licet, ſponſalibus contractis, etiamſi ſecuta fuerit carnalis copula, renunciare.

RAtio eſt perſpicua: quia ibi nullus fuit conſenſus: vt in Iacobi exemplo liquidò apparet. Et ad ſubſtantiam coniugij pertinet perſonæ cognitio. Vnde & meritò conqueſtus fuit cum Labano Iacobus, *Gen. 29.* quòd ſe deceperit.

Ac ſi iure ſuo vti voluiſſet Iacobus: potuiſſet illam tanquam non ſuam coniugem reiicere. Atque in hoc omnes conſentiunt. Verùm Iacobus noluit iure vti: ſed retinuit eam. At non fuit igitur eius vxor: quia non conſenſit, cùm fuerit deceptus? Reſp. Subſequens conſenſus fecit eam ſibi vxorem. Atque hinc diſcere debent pij viri: ſi tale quid contingeret, quod Iacobo: piè ſe facturos, ſi ſubſequente conſenſu eam retineant, quam iam carnaliter cognouerunt: licèt decepti etiam dolo, vt Iacobus: ſi tamen nolint, cogi certè ad eam retinendam non poſſunt.

THESIS IV.

Si quis erret in qualitate perſonæ: puta qui perſuaſus, ſe ducere virginem, eam ab alio compreſſam reperiat: hanc per legem Dei repudiare poteſt.

Dico, *Per legem Dei*: quia ſecus definiunt Canoniſtæ & Theologi Scholaſtici, in *Decret.* C.19.q.1. Et Mag. Sent. *lib.4.diſt.*30.§.*A.* Afferuntur & cauſſæ à Dn. Philippo Melanchthone, cur non permittatur quiſpiam illam repudiare, quam inuenit corruptam: nempe, ne facilè diſſoluantur connubia: néve armetur leuitas eorum, qui libenter qualicunque prætextu abiiciunt vxores. Multi enim hac ratione nebulones poſſent ſuam accuſare iniuſtè, eam traducere & abiicere. Item, patefierent multarum ſcelera, quæ præſtat eſſe tecta. Vnde & Salomon: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Cæterùm, idem D. Philippus tom.1. in Tractatu de coniugio affert legem Deut.22. vbi, *ſi qua alteri nupſiſſet, quæ iactauiſſet ſe eſſe virginem, & deinde reperta fuiſſet ab alio compreſſa: iubet Dominus, vt ea lapidibus obruatur.* Nolebat igitur Dominus, eam ab illo cui nupſerat, retineri: ſi volebat lapidari. Etſi verò lex Moſis abrogata eſt: tamen Deus patefecit, quid ſibi placeret.

De Ioſepho etiam legimus, *Matth.*1. cùm vidiſſet Mariam grauidam, & ſciret ex ſe non eſſe grauidam, putarétque ab alio grauidam eſſe factam, & neſciret, an eſſet ex ſcortatione, an verò ex alio, cui priùs clam nupſiſſet: volebat eam etiam clam dimittere: idque quia iuſtus erat. Licebat igitur ſponſam, deprehenſam corruptam repudiare.

Citatur & Leonis conſtitutio 93. qua grauibus de cauſſis id cauit, quod etiam ex lege Dei licere oſtendimus.

Multò verò magis licet eam repudiare: ſi eam inuenias ex alio grauidam. Turpe enim ſemper apud profanos etiam iudicatum fuit tales retinere vel accipere in matrimonium. Vnde apud Terentium Pamphilus eam recipere recuſat, quam ex alio grauidam putabat. Et citat D. Philippus exemplum etiam Creuſæ apud Euripidem: & Auguſti facinus, tanquam Romanis inuſitatum à Suetonio narratur: quod Liuiam ex Nerone licèt marito, grauidam acceperit: quia eius amore flagrabat. Suetonius in Auguſto & in Tiberio.

In his tamen caſibus prudenter, vt monet D. Philippus, agendum eſt, ne multæ Tragœdiæ excitentur, familiæ committantur, piæ alioqui matronæ traducantur, neque temerè aduerſus leges Magiſtratuum, & conſuetudines receptas, aliquid tentandum eſt. Illud mihi ſemper placuit, *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Tantum diximus, quid liceat per legem Dei, & quorumdam etiam Imperatorum: non autem quid ſemper expediat, definimus.

THESIS V.

Si quis erret in conditione perſonæ, vt qui contraxit ſponſalia cum ſerua, quam putabat eſſe liberam: is niſi poſt cognitam perſonæ conditionem, ſecuta ſit carnalis copula, renunciare poteſt ſponſalibus.

Ratio eſt: quia non adeſt verus conſenſus eius, qui contraxit cum illa ſerua, quam deceptus putabat eſſe liberam. Adde verò ſi accedat etiam, quòd illa ſerua, citra voluntatem Domini ſui, cum hoc libero homine contraxit. Vt enim ſine voluntate parentum non licet liberis contrahere: ſic neque ſeruis, ſine voluntate ſuorum Dominorum: cùm non ſint ſui iuris, neque quoad corpora ſua, ſed ſub poteſtate Dominorum ſuorum. Loquimur enim de veris ſeruis, qui emuntur, qui in bello acquiruntur. Et ſic definitur *Extr. lib. 4. Tit. 9. de coniugio ſeruorum, cap.2. propoſuit. Et cap.4. Ad noſtras.*

Dixi verò, niſi poſt cognitam perſonæ conditionem, ſecuta ſit carnalis copula. Tunc enim ſponſus reipſa conſenſum confirmauit. Secus verò foret, ſi ante cognitionem conditionis id feciſſet. Et ſic definiunt Canoniſtæ, Panormitanus, & alij, quibus in hac parte aſſentior. Serua enim illa egit dolo malo: dum ſuam tacuit conditionem, & iactauit libertatem. Multum autem refert, vtram habeat in matrimonio homo liber & honeſtè natus, ſeruámne, an liberam.

Excipiunt verò, ſi error iſte ſit in meliorem conditionem: vt ſi quis credens ſe contrahere cum ſerua, contrahat cum libera, non ignara conditionis viri. Tum enim etiamſi vellet ſponſalia dirimere: non ei liceret, altera parte ſponſalia illa confirmari, & executionem produci petente. Errantis enim melior facta eſt conditio. Proinde eo etiam inuito, iudicium fieri poteſt aduerſus eum: & ſic docent Iuriſperiti. *Digeſt. li. 3 Tit.5. de Negotiis geſtis: l.41. ſoluendo.* Item, *Digeſt. Tomo 3 li. 40. Tit.12. l.1. & 3.*

THESIS VI.

Si quis verò errore fortunæ (vt vocant) illius, cum qua contraxit, perſonæ, deceptus fuerit: tametſi actio in deceptores huic danda eſt à Magiſtratu: non propterea tamen ſponſalia verbis de præſenti contracta, dirimere poteſt.

Ratio eſt: quia fortuna hæc ad ſubſtantiam coniugij, hoc eſt, neque ad materiam, neque ad formam eius pertinet. Et ſic omnes conſentiunt. *In Decret. Can.29.q.1.C.1.*

Nunc tenemus, quibus cum liceat, aut non liceat: expediat, vel non expediat, contrahere: quæve ſponſalia dirimi poſſint, quæ non poſſint: Cauſſis & rationibus petitis tum à perſonis, quæ contrahunt, & quibus cum contrahitur: tum ab ipſo contractu.

LIBRI QVARTI,
CAPVT II.
De Matrimonio.

QVID Matrimonium: Quomodo celebrandum: & conſeruandum: eóque de officiis vtriuſque coniugis, & verò etiam Magiſtratus.

De nominibus priori loco dicendum eſt: quia vera propriáque nominum explicatio, plurimùm ad rerum ipſarum cognitionem facit, atque adiumenti adfert. Nomen coniugis, vnde coniugium apud Hebræos בעל: ab vſu coniugij in liberorum procreatione deducitur. Non admodum ab hac abludit Græca vox γάμος. Hanc enim vt Phauorinus refert: quidam ἀπὸ τῆς γονῆς deducunt. Ipſe tamē ait dici γάμος, quaſi δάμος, παρὰ τὸ δαμᾶν καὶ δαμάζειν, quod eſt domare. Proinde virgines nondum à viris cognitæ, ἀδάμαστοι vocantur: ὅθεν καὶ ὁ Ὅμηρος ἀδμῆτας λέγει τὰς παρθένους, inquit Phauorinus. Ita Græca vox γάμος ab eodem coniugij vſu deducetur, à quo & Hebraica, בעל Sunt tamen, qui γάμον παρὰ τὸ δεδέσθαι ἀλλήλοις τοὺς συζυγεῖς ducunt: quod inter ſe deuincti ſint, qui coniuncti ſunt. Inde etiam vox Latina *coniugium*, à iugo ſcilicet communi, quo inter ſe iungūtur vir & vxor. Proinde Apoſtolus honeſtè & propriè matrimonium etiam iugi nomine expreſſit, dicendo, *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Honeſtiſſima eſt vox matrimonij, à fine cur mulieres nubere debeant: nempe vt fiant matres. Matrimonium enim à matre dicitur. Nuptiæ verò vocantur à nubendo, quod eſt tegere & obuelare. Vt enim nubes obtegit cœlum: ſic virgines, quum viris tradebantur, obuelare capita ſolebant: pudoris ſcilicet cauſa, & in teſtimonium etiam ſubiectionis, cuius rei exemplum apertum habemus, *Gen 24. v 65 de Reuecca:* Cùm enim vidiſſet Iſaacum, deſcendens de camelo, pallio ſeſe obtexit.

Atque hæc de vocibus, quibus matrimonium ſignificari ſolet: quæ vt ſuprà diximus, non parum faciunt ad rei ipſius cognitionem. Prima enim, ac præcipua pars, quæ in definitione coniugij ponitur: Eſt coniunctio maris & fœminæ, vt non immeritò coniux Hebraicè vocatus ſit בעל, & Græcè γάμος, quod Latinè *coniugium*, à primo coniugij fine, vocatum etiam eſt *matrimonium* quòd in hunc potiſſimum finem fiat hæc coniunctio, vt mulier fiat mater liberorum.

Definitur autem matrimonium variè à Iuriſperitis, quanquam nonnihil inter ſe diſcrepantibus, & à Theologis. Nam aliam habes à Modeſtino in *Pand. lib.23. Tit.2. de ritu nuptiarum, l.1.* & aliam à Iuſtiniano, in Inſtitut. lib.1. *Tit.9.* Inſt. ſic habet; *Nuptiæ ſiue matrimonium, eſt viri & mulieris coniun-*

coniunctio: indiuiduam vitæ conſuetudinem continens. Manca eſt definitio.

Modeſtinus habet ampliorem, ſic: *Nuptiæ ſunt coniunctio mariti & fœminæ, & conſortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio.* Sed neque hæc perfecta eſt: ſi vtramque coniungas, ſic definiri poterit: *Matrimonium eſt coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens, cum diuini humanique iuris communicatione.*

Primum membrum, continet materiam coniugij: ea eſt, maris & fœminæ coniunctio: de hoc nemo dubitat. Altero membro volunt indicari formam, quæ eſt indiuidua vitæ conſuetudo: quod etiam membrum perſpicuum eſt. Eſt enim talis coniunctio maris & fœminæ, quæ ad finem vſque vitæ requirit indiuiduam conſuetudinem, eamque omnium perfectiſſimam. Tertio autem membro duo volunt doceri: Vnum, quòd coniuges einſdem eſſe debeant religionis: ad eundem enim Deum colendum vocari & coniungi: alioqui non poſſe retineri indiuiduam vitæ conſuetudinem: quia ſicut ſimilitudo religionis, & morum, conciliat animos: ſic diſſimilitudo diſiungit. Alterum eſt, quòd vxor, ſequitur forum viri, & gaudet eius priuilegiis & dignitate, ac ſic Gloſſa notauit in Pandect. loco ſuprà citato: hoc eſt, quòd ſicut vir & vxor fiunt vna caro: ſic reliqua inter illos omnia, tam diuina quàm humana, debeant eſſe cõmunia: proinde dixit *eſſe etiam iuris diuini atq; humani communicationem.* Atque hæc de definitione, quam afferunt Iuriſconſulti, ſatis.

Canoniſtæ eandem ferè ad verbum ſequuntur: ſicut videre eſt apud ipſos, & inter alios, apud Hoſtienſem libr. de matrimoniis, c.1. vbi eandem planè tradit quam & Iuriſperiti: eamque multis explicat.

Magiſter Sententiarum, quem Scholaſtici ſequuntur, aliquid addit: hoc modo definiens *lib. 4. diſtinct. 27. Matrimonium* (inquit) *eſt viri mulieriſque coniunctio maritalis, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.* Meliùs noſtri. Sic enim Dominus Philippus in loco de coniugio: *Coniugium* (inquit) *eſt legitima, & indiſſolubilis copula tãtum vnius maris, & vnius fœminæ, inſtituta diuinitus: vt agnoſcamus Deum eſſe mentem caſtam, & ei in caſtitate ſeruiamus, & hoc modo propagato humano genere, colligatur æterna Eccleſia Dei.* Et quidem Eccleſiæ initium fuit illa prima ſocietas duorum coniugum. Hanc ferè ſequuntur aliæ repurgatæ religionis Doctores: paucis tamen aliquantò mutatis. Et certè longè melior pleniórque eſt, & plus pietatis exprimit: quàm vel Iuriſperitorum, vel Canoniſtarum, Scholaſticorúmque definitiones. Aliquid tamen adhuc in ipſa etiam deſidero. Adferam igitur definitionem, non diuerſam ab hac: ſed pleniorem, & quæ omnes coniugij cauſſas complectatur: eámque è ſacris ſcripturis. Et ſingulas definitionis partes è ſacris literis explicabo & confirmabo. Neque illud definiam in genere, quatenus etiam eſt inter infideles, ſed quale inter Chriſtianos eſt, eſſeque debet, ſanctum atque honeſtum.

Coniugium eſt indiſſolubilis duorum, maris ſcilicet & fœminæ, in vnam carnem, a Deo iam inde à principio Mundi inſtituta coniunctio. ex libero vtriuſque partis conſenſu, legitimè, eòque & in Domino facta. Tum ad vitam piam atque honeſtam ſumma cum fide, & charitate, ſimul in hoc mundo tranſigendam: eòque ad verum Deum in Spiritu & veritate ſimul colendum: honeſtúmque ſolatium, & iuſtum adiutorium, tàm in diuinis, quàm in humanis rebus mutuò ſibi exhibendum: Tum etiam ad liberos, ſi Deus velit dare, Deo & Eccleſiæ, Reipublicæque generandos, honeſtè educandos, & in vera fide ac religione inſtituendos: ita tamen, vt in his omnibus, toto que coniugio, vir quidem ſe mulieri caput exhibeat ſicut etiam Chriſtus Eccleſiæ, mulier verò ſubiecta ſit viro, ſicut & Eccleſia Chriſto.

Complexus mihi eſſe videor omnia, quæ ad legitimum ſanctúmque matrimonium conſtituendum requiruntur: *Cauſſas* efficientes, materiales, formales, & finales: Imò & matrimonij originem, eiúſque finem. *Prima* efficiens cauſa, eſt Deus, qui ſicut initio primos homines, ſic deinceps ſemper coniunxit & coniungit maſculum & fœminam in vnam carnem, *Matth. 16. Secunda* efficiens & immediata, ac proxima, eſt liber vtriuſque partis, viri ſcilicet & mulieris conſenſus. Vtramque hanc efficientem cauſſam poſuimus in definitione. Cauſſa *materialis*, ſunt ipſe vir, atque fœmina, Iſti enim coniunguntur. *Formalis* eſt talis coniunctio, qualis deſcripta eſt, quæ ſcilicet fiat, 1. *in vnam carnem.* 2. *legitimè.* 3. *in Domino.* *Finalis* duplex. *Vna* reſpicit ipſos coniuges, & Deum inter ipſos, vt ſcilicet in hoc mundo, vitam ſimul degant, non animalem, aut Epicuream, ſed piam, quo ad Deum, & honeſtam ſimul, atque iucundam, inter ſe, cum ſumma charitate, atque hic complexus ſum cauſſam, quam adfert Apoſtolus. vt ſcilicet vitetur fornicatio, omniſque vaga libido, adeóque & vſtio. Ideo enim coniunguntur inter ſe, vt vitatis omnibus impuræ libidinis peccatis, caſtè & honeſtè inter ſe viuant. *Altera* reſpicit liberos, totámque Eccleſiam ſimul & Deum ipſum: nempe vt ſi donentur liberi, Deo generentur, ſanctè educentur atque inſtituantur, ad Eccleſiæ propagationem & ad gloriam Dei. Proinde ex his duobus finibus: *Tertia* elicitur, quæ eſt vltima finis, Dei ſcilicet gloria, & regni Chriſti amplificatio, ac conſeruatio. Initium originémque coniugij oſtendimus: quum diximus, iam inde ab initio Mundi inſtitutam fuiſſe hanc legitimam maris & fœminæ coniunctionem: Finem verò: quum diximus, eam coniunctionem inſtitutam fuiſſe, vt in hoc Mundo, piam & honeſtam ſimul vitam ducamus: Non durat igitur coniugium, niſi vſque ad mortem, ibi ſoluitur. Vnde in regno cœlorum, neque nubent, neque tradent nuptum. Nunc ſingulæ partes ſunt nobis examinandæ, & confirmandæ.

Prima particula, *Matrimonium eſt coniunctio*, hæc eſt ceu genus. Multæ enim ſunt & multarum rerum coniunctiones: ſed quæ ſequuntur particulæ, ſunt loco differentiarum, quibus hæc, de qua loquimur, ab aliis omnibus diſcernitur. Quia hæc eſt coniunctio, non cuiuſuis animalis (inter ea enim nullum eſt propriè matrimonium) ſed eſt *hominum*, non multorum, ſed *duorum*: non quorumuis, ſed *maris & fœminæ*. non quæuis, ſed *quæ primò ſit omnium arctiſſima*, qua ſcilicet fiunt vna caro: quæ ſecundò non ſit coacta, ſed verè voluntaria atque libera: & quæ tertiò fiat legitimè, hoc eſt, non ſolùm ſecundùm legem naturæ, quæ communis eſt omnibus gentibus, ſed etiam ſecundùm legem Dei, in verbo reuelatam: nempe in Domino, in Chriſto, & ex eius fide & ſpiritu: vt Apoſtolus docet, 1. *Corint. 7.* Hæ itaque particulæ diſcernunt: aliæ quidem coniunctionem hanc coniugalem, ab aliis: aliæ coniugium legitimum ab illegitimo: aliæ ſanctum atque Chriſtianum, à non ſancto neque Chriſtiano.

Eſſe verò coniugium, coniunctionem maris & fœminæ, eamque indiſſolubilem, legitimámque: docet 1. *Moſes Gen.* 2. dicendo, *Adhærebit vxori.* Deinde Chriſtus, dicens, *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet.* Cæterùm, quum dicimus coniunctionem maris & fœminæ, non intelligimus propriè illam, quæ etiam requiritur in matrimonio conſummato, carnalem copulam, ſicut vulgus eam tantùm imaginatur: nam etiamſi non accederet vnquam talis carnalis copula: tamen verum adhuc eſſet matrimonium, eóque maritalis coniunctio: quale inter Mariam & Ioſephum creditur fuiſſe coniugium.

Hanc igitur coniunctionem, in vnam carnem, intelligimus propriè illud voluntarium fœdus quod inter ipſos fit, de vita ſimul tali traducenda, qualem deſcripſimus: & quo vir ius in vxoris corpus ſumit, & viciſſim vxor, in corpus viri: ſicut Apoſtolus docet. & quo denique vir ſit caput vxori: vxor autem ſit viro inſtar corporis capiti ſubiecti, & à capite foti ac viuificati. Talis enim etiam coniunctio inter Chriſtum & Eccleſiam: matrimonium vocatur. Semper itaque hanc ob cauſſam, vir & vxor in vnam carnem ſunt coniuncti: etiamſi carnali, vt vocant, copula nunquam vterentur, modò ex mutuo conſenſu hoc facerent. Illud tamen verum eſt, ſi nunquam accederet carnalis copula: tale matrimonium, non poſſe appellari conſummatum: ſed tantùm inchoatum: vt docetur in *Decret. C.27. quæſt.* & alibi apud omnes. Eſt itaque coniunctio animorum inprimis, deinde etiam corporum: ſi opus ſit: cùm hanc habeant poteſtatem tam vxor quàm vir.

Secundo loco diximus, *coniunctionem eſſe duorum, maris ſc. & fœminæ*: excluduntur ergo & damnantur omnes aliarum perſonarum coniunctiones in vnam carnem. Et docetur non poſſe matrimonium contrahi, niſi inter maſculum & fœminam. *Cod. de adulteriis: L. cum vir, & in Decr. C. 32. q. 7. C. flagitia.*

Diximus etiam *duorum*, vnius ſcilicet maris, & vnius fœminæ, nempe ſimul. Sic enim & prima fuit inſtitutio: & Chriſtus apertè explicat, *Matth. 19.* damnatur ergo polygamia: vt inter multos ſimul: nempe inter maſculum vnum & fœminas multas, verum & ſanctum matrimonium eſſe non poſſit: qua de re ſuprà multa ſunt dicta. Neque illud prætereundũ: quòd primò virum nominamus, deinde fœminam: *Eſt enim primò vir factus, deinde mulier propter virum. & vir caput eſt mulieris*, vt Eph. 5. docetur: & Gen. *Ipſe dominabitur tibi.* Neque illud nomen viri prætereundum eſt. Qui igitur vir non eſt, vt ſunt Eunuchi, ad connubium impotentes: matrimonium non conficiat.

Tertiò loco diximus, ex libero vtriuſque partis conſenſu, facta. Sunt hic duæ dictiones maximi momenti, vna, con-

ſenſus, altera, liber. Huiuſcemodi enim conſenſus, vſque adeò ad matrimonium conficiendum neceſſarius eſt, vt niſi adſit, matrimonium confici non poſſit: quia cauſa eſt matrimonij efficiens proxima. Docet Apoſtolus. 1. Cor. 7. v. 36. quod vult, faciat.

Hinc ſequitur, ſi conſenſus requiritur. Primum illud non eſſe matrimonium, quod ex errore contrahentis, de perſona, qua cum contraxit, contractum fuit. *Qui enim errat, non conſentit*: vt eſt *D. lib. 2. Tit. 1. de iuriſdictione omnium iud. cum. L. 15. ſi per errorem.* Et errantis voluntas nulla eſt *C lib. 1. Tit. 21. De iuris & facti ignorantia. L. 8. Cum Teſtam. Et L. 9. non idcirco.* Neque tamen omnis error impedit, quin matrimonium contractum & conſummatum maneat ratum. Error enim in matrimonio quadruplex eſſe poteſt: perſonæ, qualitatis, conditionis, fortunæ: ſicut ſuprà oſtenſum eſt abundè, in quæſtionibus, quibus cum liceat contrahere, quæſt. vltima: Vbi etiam explicatum eſt, quinam error impediat contrahendum, & dirimat contractum. Certè error perſonæ, qualis fuit Iacobi, quum dormiuit cum Lea, putans eam eſſe Rachelem: ſoluit matrimonium, vel (vt meliùs loquar) efficit, vt nullum ſit ipſo iure. Videantur quæ ibi à nobis dicta fuerunt.

Deinde hinc ſequitur, matrimonium, quod à furioſis contrahitur, nullum eſſe, quia furioſus, cùm ſit omni iudicio deſtitutus, conſentire dici non poteſt. Qua de re ſuprà etiam multa dicta fuerunt. Et de his agitur in *Decretalibus* ſeu *Extra lib. 4. Tit. 1. de ſponſalibus & matrimonijs, cap. 24. Dilectus.* Et in *Decr. c. 32. quæſt. 7 Can. 26. Neque furioſus.* Et *Dig lib. 23. Tit. 1. de ſponſalibus. L. 8. furor.* Item, *Tit. 2. de ritu nuptiarum. L. 16. oratione.*

Sequitur etiam hinc, matrimonium, quod contrahit aliquis verè ebrius, qui penitus vſum rationis amiſerit: nullum eſſe, propterea quod verè conſentire dici non poteſt: qua de re etiam ſuprà dictum eſt. Et de his agitur in *Dec. C. 22. quæſt. 4. Can. 8. vnuſquiſque:* Et *C. 15 q. 1. Can. 7. ſane.* Si verò ita ebrius ſit, vt mentis tamen compos maneat, & ſciat quid agat, matrimonium tenet: vt *Extra de ſponſalibus ca. 15 qui.* Item hac particula excluduntur impuberes. Nam neque ipſi propriè conſentire dici poſſunt, cùm deſtituti ſint iudicio. qua de re etiam ſuprà dictum eſt. Abundè de his agitur, tum in iure ciuili, tum in iure Canonico. *Extra. lib. 4. Tit. 2. de deſponſatione impuberum.*

Quia verò requiritur ad matrimonium non quiuis vtriuſque partis conſenſus, ſed *conſenſus verè liber*: idcirco hinc fit, vt illa non ſint rata veraque coniugia, quæ contrahuntur à conſentientibus quidem, ſed tamen inuitis, atque vel vi, vel tali metu coactis, qui in conſtantem etiam virum & mulierem cadat: vti eſt metus mortis, cruciatus corporis, amiſſionis bonorum: *D. de ritu nuptiarum, L. 21. Non cogitur.* Hoc enim verbo, *Non cogitur*, tollitur omnis coactio, quæcunque illa ſit, ſiue per vim, ſiue per metum: & vera liberáque voluntas concluditur. Item, *Extra lib. 1. Tit. 40. de his quæ vi, metuſve cauſſa fiunt, cap. 2. Abbas. & cap. 6. cum dilectus.* Item, *lib. 4. Tit. 1. de ſponſalibus, cap. 28. conſultationi.* Si tamen metum hunc ſequatur libera & ſpontanea, carnalis copula, vel diuturna cohabitatio, tum liberè conſenſiſſe iudicandus eſt: eóque tale coniugium, verum & ratum eſt. *Extra lib. 1. Tit. 40. de iis, quæ vi metuſve cauſſa fiunt, c. 2. veniam. Ac de ſponſalibus, c. conſultationi.* Item, *Tit. de eo, qui duxit in matrimonium, quam per adulterium polluit, cap. ſignificauit.* Item, *de ſponſalibus, c. ad id. cum iis, quæ ibi per Phauor. notantur.* Item, *lib. Tit. de iis qui matrimonium accuſare poſſunt: cap. inſuper.* Item, *de deſponſatione impuberum: cap. ex literis.* Item, *in 6. lib. Tit. de deſponſatione impuberum: cap. vnico.* Notandum verò: cùm dicimus ea non eſſe vera & rata matrimonia, quæ contrahuntur ex metu in conſtantem virum cadente, vt eſt metus mortis, intelligimus de metu mortis, non tam contrahentium, quàm etiam parentum ſuorum, aut fratrum, &c. Exemplum: Vt ſi quis dicat filiæ meæ, *niſi conſentias in meum coniugium, omnino occidam patrem tuum, &c.* Et illa ex hoc metu conſentiat, alioqui non conſenſura: tale coniugium nullum eſt: quia non eſt ex libero conſenſu contractum, *Digeſt. lib. Tit. quod metus cauſa.* Item in *Decret. C. 31. q. 2. c. 2.* Et *Extra de ſponſalibus, c. conſultationi.*

Notandum etiam, parentum minas, iuſtum eſſe metum. quo fit, vt filia ex hoc metu contrahens, alioqui non contractura, minime dici poſſit, liberè conſenſiſſe. Proinde Apoſt. 1. *Corinth. 7.* non vult à parentibus cogi filias, vel nubere, vel manere virgines. Et huc ſpectat lex in Pandect. neminem cogi debere, vt contrahat matrimonium: *Dig. lib. 23 Tit 2 de ritu nuptiarum, L. 21. Non cogitur.* Notandum præterea eſt, conſenſum hunc liberum requiri, non ſolùm in contrahendis ſponſalibus, tam in præſens quàm in futurum: ſed multò magis in contrahendo matrimonio. Proinde, ſi quis liberè, in ſponſalia de futuro conſenſit: poſtea verò nolit conſentire in matrimonium, ſeu in ſponſalia de præſenti: cogi ad illud non poteſt. Et ſi cogatur, matrimonium nullum eſt. *Extra lib. 4. Tit. 1. de ſponſal. c. 17. requiſiuit.* Conſtitutæ ſunt tamen pœnæ pecuniariæ in eos, qui poſt talia ſponſalia de futuro ſine legitima cauſa, diuertant. Vt liquet, *Cod. de repudiis L. conſenſu.* Et *Cod. de ſponſalibus L. n. cogi tam n non poſſunt ad connubium.* Secus ſe res habet: ſi liberè in ſponſalia de præſenti conſenſerit: & nullam habet iuſtam cauſam, celebrationem nuptiarum recuſandi. Tum enim per Magiſtratum cogi poteſt, & debet ad conſummandum, id eſt perficiendumque matrimonium, quod inchoatum iam fuerit. Summa: Matrimonia debent omnino eſſe libera, quia liber conſenſus eſt cauſſa propria & efficiens matrimonij. Proinde in *Pandect lib 35. Titul 1. De conditionibus & demonſtrationibus, L. 71. cum tale. §. ſi arbitratu:* ſic definitur. Si teſtator in Teſtamento ſuo ſic leget: Si Seia filia, arbitratu Lucij Titij nupſerit, hæres meus illi fundum dato. Volunt Iuriſperiti, conditionem hanc pro non adiecta haberi, & omnino fundum illi deberi, etiamſi non nubat Lucij Titij arbitratu.

Eſt autem notandum, conſenſum hunc liberum, qui efficit matrimonium, non eſſe ſimpliciter & duntaxat illum, quo alter in alterius cohabitationem conſentit. Nam is ſolus efficere matrimonium non poteſt, cùm etiam fratres & ſorores, patres & liberi ſimul habitent, & in hanc cohabitationem conſentiant, neque tamen inter illos eſt matrimonium. Neque eſſe illum, quo in carnalem copulam tantum conſentiunt. Nam etiam ſcortator & ſcortum in hanc conſentiunt, neque tamen inter ipſos matrimonium vllum eſt. Quis igitur conſenſus efficit matrimonium? Conſenſus in fœdus illud coniugale, de quo ſuprà diximus, quo alter alteri dat ſui corporis ius, & viciſſim ab altero accipit cum promiſſione indiuiduæ conſuetudinis in hac vita, ad ea officia facienda, quæ Deus vult a coniugibus ſibi mutuo præſtari. Legantur quæ hac de re habentur in *Decret. Cod. 27. q. 2. Can. 2*

Eſt autem talis conſenſus duplex, *tacitus & expreſſus.* Tacitus eſt, quando alter contrahentium, nec verbis, nec ſignis vllis vtitur, ſed præſens tantùm eſt, & tacet, vt cum à parentibus liberi deſponſantur, ipſi verò non contradicunt. Suo enim ſilentio confirmant matrimonium: vt docent omnes Canoniſtæ, *in 6. de deſponſatione impuberum §. porrò*: Niſi fortè metus interceſſerit: qua de re ſuprà dictum eſt. Quanquam in aliis caſibus, quàm in deſponſatione impuberum vt in celebratione nuptiarum, tacitus conſenſus non ſufficit, niſi aliquo modo exprimatur vel verbis, vel nutibus.

Expreſſus autem conſenſus eſt, qui declaratur, aut diſertis verbis: aut ſaltem nutibus & ſignis. Illi requirimus ab iis, quia loqui poſſunt. *Extra de ſponſa. duo. c. Iuſt.* Alter ſufficit in mutis & ſurdis.

Quarto loco adiecimus, *legitimè*: nempe coniunctionem hanc oportere fieri legitimè: hoc eſt, ſecundùm legem naturæ, & Dei. Pendet autem hæc lex à prima inſtitutione & eius ſumma eſt honeſtas. Si ergo fiat coniunctio maris & fœminæ, non ſecundùm legem naturæ, & Dei: ſed contra honeſtatem: coniugium non eſt legitimum: eoque nec verum, ſed aut fornicatio fuerit, aut concubinatus, aut ſtuprum, aut adulterium, aut inceſtus. Ita legitimum coniugium, hoc eſt, contractum ea lege naturæ & Dei: differt ab his omnibus inhoneſtis coniunctionibus. Cùm autem coniugia etiam miniſtrorum, ſeu vt vocant Sacerdotum, fiant ex lege naturæ & Dei: iniuria fit naturæ & Deo ab illis, qui talia coniugia vocant ſtupra, adulteria, &c. Matrimonium à Deo mãdatur iis, qui ſe non poſſunt continere, & natura eos ad id permouet: prædictæ autem coniunctiones damnantur. De concubinatu legantur, quæ habentur in *Decr. C. 32 qu. 2. Can. 12. Non omnis.* Interdictus enim fuit iure Canonico: qua in parte errauit ius Ciuile: per quod concubinatus fuit conceſſus viro libero: quanquam vxorato non concederetur, *C. l. 5. tit. 26. de concubinis.* & item *D. l. 16. tit. 7. de concubinis.* Sed ius canonicum melius in hac parte ſenſit. Vide etiam eadem in *C. 31. q. 4. Can. 4. Nemo.* Et pulcherrima ibi eſt ſententia, qua coniugium, licitum eſſe Sacerdotibus, confirmari poteſt. *Coniugij* (inquit) *datum eſt tibi ius, ne in laqueum Diaboli incidas, & cum muliere aliena delinquas.* Multi alij ibi habentur canones pij & honeſti contra concubinatum. De fornicatione quid ſit, & quomodo etiam iure canonico damnata ſemper fuerit: vide in *Decr. C. 23 q. 2. C ſi non. & C. Meretrices. Et qu. 7 C. Adulterij.* De ſtupro quid ſit, & quomodo iure etiam ciuili damnetur, lege *Digeſt. l. 48. tit. 5. ad legem Iul. de adulteriis. l. 6. inter liberas. §. Lex Iulia.* De adulterio, quid,

& quàm

& quàm ſeueriter damnetur, & plectendum ſit iure ciuili, *Digeſt.l.48.tit.5.ad leg.Iul.de adulterio.* Vult autem ius ciuile, adulterium eſſe duntaxat, quod in nuptam committitur. *Suprà ad legem Iuliam, l.6. inter liberos.* Sed ius canonicum, *Adulterium* vocat, quod à coniugato in virginem etiam viduámque admittitur, ita vt vxor, iure petere poſſit diuortium. in *Decr.C.32 q.4.Can.4.Nemo. & Can.9.dicat.*

Inceſtus verò ſunt omnes illæ coniunctiones, quæ fiunt cum perſonis vel conſanguineis, vel affinibus, in gradibus prohibitis, *Leu.*18. de quibus ſuprà fuſè diſſeruimus: & tituli ſunt in iure ciuili, de inceſtis nuptiis, &c.

De his omnibus, quid ſint, declaratur in *Decr.C.36.qu.1. C.2.* Cum his coniungo, ea quæ contrahuntur cum iis, qui cognatione legali ſibi coniuncti ſunt: ij autem ſunt filij per adoptionem, qua de re *Extra l.4.tit.12. de cognatione legali.* Omnes igitur hæ coniunctiones damnantur hac particula, *legitimè*: & à nomine definitionéque matrimonij excluduntur.

Eadem particula excluduntur illa, quæ fiunt per raptum, de quo ſuprà etiam multa diximus. Nam neque hę coniunctiones, matrimonij legitimi nomine dignæ ſunt. Ac de raptu legantur, quæ habentur in *Decr.C.36.q.1 & 2. Item C.37. q.2.Can.30 ſtatutum.* Petrus autem Martyr, egregiam habet tractationem de raptu in lib. *Iudi. pag.*203.

Eadem particula *legitimè*, excluduntur coniunctiones illæ, & connubia, quæ à liberis ſub patria poteſtate conſtitutis, contrahuntur citra parentum conſenſum. Lex enim naturæ & Dei, mandat, vt ex conſenſu parentum contrahant liberi: ſecus damnat vt nulla, talia connubia, vt ſuprà fuſè oſtendimus.

Excluduntur & illa, quæ contrahuntur à fidelibus cum infidelibus; de quibus ſuprà multa diximus. Damnantur enim expreſſè verbo Dei. Proinde hæc neque legitima, neque ſancta ſunt; quia neque legitimè, neque in Domino contracta, vt Tertullianus dictum Apoſtoli interpretatus eſt: quæ cauſſa eſt, cur & nos in definitione, poſt vocem *legitimè* adiecerimus quintam particulam, nempe, *Eóque & in Domino facta.*

5. Etſi enim particula hæc omnino docet (vt rectè Tertullianus interpretatus eſt) connubia contrahenda eſſe fidelibus, non cum infidelibus, ſed cum eiuſdem veræ religionis hominibus, quòd hac de re lata ſit apertiſſima lex: tamen latiùs extenditur. Nam nubere in Domino, eſt nubere cùm ex lege verbóque Dei: tum ex fide ac pietate, non ex affectionibus carnis: & in eos fines, propter quos inſtitutum eſt coniugium, adhibitis etiam precibus verbóq. Dei, tum aliis honeſtis & piis, quas vſurpat Eccleſia in celebratione nuptiarum ceremoniis: ita fit, vt tale coniugium, ſit non ſolùm legitimum: ſed etiam ſanctum atque Chriſtianum.

Ergo particula hæc *in Domino*, excludit à vero & ſancto matrimonio: primùm omnia illa, quæ contra legem Dei fiunt: vt ſunt inceſtæ nuptię: item quæ fiunt contra conſenſum parentum: item, quæ contrahuntur cum infidelibus: item, quæ fiunt per raptum, & id genus alia, apertis legibus in verbo Dei damnata. Deinde excludit ea, quæ fiunt ex prauis affectibus, ex auaritia, ex mera libidine, fraude & dolo: non autem ex pietate, & propter illos fines, quorum cauſſa inſtitutum eſt coniugium. Non enim ſanctè celebrantur hæc connubia: qui non verè in Domino, licèt legitima eſſe non negem.

Ad hæc, quæ inter infideles contrahuntur, ab hac definitione excluduntur. Licèt enim legitima ſint, ſi fiant ex lege naturæ, & gradibus non prohibitis: ſancta tamen eſſe non poſſunt: quia non ex fide in Chriſtum fiunt, eóque non in Domino.

Præterea damnantur & illa, quæ clàm contrahuntur, & non ex ſanctis Eccleſiæ conſuetudinibus ac legibus ſine debitis teſtibus, ſinéque debita ſanctificatione ac celebratione. Omnia igitur clandeſtina connubia, hac particula, reiiciuntur, quia in Domino non fiunt.

Duabus autem de cauſſis vocantur clandeſtina. Prima, cùm clam, ſine teſtibus, quibus matrimonium probari poſſit, contrahuntur: qua ex re multa oriuntur mala atque incommoda, non ſolùm politica, ſed etiam in conſcientia: quæ tam in iure Ciuili, tum in iure Canonico explicantur: Vt *Extra lib.4.tit.3.de clandeſtina deſponſatione.* Et in *Decr.C.30.q.5.* Altera cauſſa, cur & quando clandeſtina appellentur, eſt: cùm ſine debita proclamatione, ſolennitate, & Eccleſiaſtica benedictione celebrantur. De qua benedictione & celebratione, paulò pòſt dicemus.

Sequuntur *fines*, in quos matrimonia ſunt inſtituta, & à piis contrahuntur. Soliti ſunt omnes tres aſſignare fines. *Primus* eſt propagatio humani generis, eóque Eccleſiæ. De hoc Geneſ.1. Item, 1.Tim.5. *volo iuniores viduas nubere, & filios procreare.* Hic finis etiamſi peccatum non contigiſſet, locum tamen habuiſſet. *Secundus*: vt ſimul faciliùs vitę incommoda, quæ futura erant poſt peccatum, ferrent. Vtrumque indicauit Dominus, dicendo: *vt ſit illi adiutorium*: ſcilicet primò ad filios gignendos: ſecundò ad vitam hanc iucundiùs tolerandam. *Tertius* remedium aduerſus peccatum incontinentiæ, 1. *Corint.*7. Nos omnes complexi ſumus, & fuſius explicauimus: quanquam diuerſa ratione. Ad duo enim obiecta in coniugio reſpeximus: ad coniuges, & ad liberos ex coniugio.

Primus igitur finis (vt antè diximus) reſpicit ipſos coniuges, ſed non ſine Deo viuentes. Ideo enim contrahitur matrimonium inter virum fidelem, & mulierem fidelem; primò, vt piam honeſtamque vitam, ſumma cum charitate, in hoc mundo, omnibus modis ſimul, tranſigant. Cùm dico: *Simul tranſigant*: complector non ſolùm ſimplicem habitationem, quæ etiam communis eſt fratribus in eadem domo: ſed etiam, idque in primis, habitationem illam, quam Paulus docet 1. *Corint.*7. dicens, Si velit habitare tecum, ne dimitte. Intellexit enim honeſtè eo nomine, eundem lectũ, ſeu torum immaculatum, vt ad Hebr loquitur. Hanc ego in definitione expreſſi nomine *honeſti ſolatij, iuſtique adiutorij*. Ergo in hoc primo fine hæc omnia membra continentur. *Vnum*, vt ſimul (niſi vocatio Dei aliud poſtulet ad tempus) habitent, ſimúlque viuant quàm familiariſſimè, ſumma cum fide & charitate inter ſe. Totum hoc colligimus ex verbis Dei, Geneſ 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Ergo dedit ei vxorem, & vxori virum, ne vllus ipſorum eſſet ſolus: ſed ſimul habitarent & viuerent: idque in ipſorum bonum, & ſalutem atque conſolationem. Idem patet ex verbis illis: *Faciam illi adiutorium quod ſit coram eo* עזר כנגדו. Si enim debet eſſe vxor viro adiutorium, quod ſemper ex aduerſo eius, & in conſpectu ei ſit, ſequitur ſimul eſſe habitandum, & viuendum quàm familiariſſimè, ſumma cum fide & charitate inter ſe. Idem ex illis verbis: *Hoc os ex oſſibus*, &c. *Propter hoc* &c. *Et adhærebit vxori, & erunt vna caro*, id eſt, adglutinabitur. Simul igitur viuendum. Apoſtolus etiam idem docet: *Si fidelis ſυνευδοκεῖ, complaceat habitare cum ipſo.* Proprium igitur coniugum eſt ſimul habitare, & vitam ſimul cum charitate tranſigere. Item ait, *vxori vir debitam ἆʹνοιαν reddat*, Item, *Non habet poteſtatem ſui corporis vxor; ſed vir: ſimiliter vir, &c.* Item, *Nolite defraudare vos inuicem: niſi ſi quid ex conſenſu pro tempore, vt vacetis orationi.* De dilectione Epheſ. 5. *Viri diligite vxores veſtras.* Hæc omnia confirmant, coniugum officium eſſe, ſimul perpetuò habitare, & viuere quàm familiariſſimè, ſumma cum charitate & fide. Si enim non vult eos ſeorſim cubare, niſi ad tempus, & religionis cauſſa: quantò minus ſeorſim habitare, & diu? Niſi (vt dictum eſt) vocatio Dei id exigat.

Alterum membrum eſt vt vitam hanc piè tranſigant, eóque Deum ſimul colant, vti coli vult, nempe in ſpiritu & veritate. Hic enim eſt vltimus finis totius vitę noſtræ, eóque & coniugalis: verus Dei cultus, nominiſque ipſius glorificatio. Huc facit, quod Apoſtolus ait: *omnia in gloriam Dei facite.* Ergo etiam tota vita coniugalis, pia eſſe debet & ad gloriam Dei inſtituenda. Quare contra finem coniugij faciunt, qui pietatem: verúmque Dei cultum negligunt coniuges. Non mirum igitur, quòd Deus illos variis afficiat calamitatibus: & ſuis ipſorum coniugiis infelices & miſeros reddat.

Tertium membrum eſt, vt vitam hanc non ſolùm piè, ſed etiam honeſtè inter ſe degant. Liquet hoc ex Apoſtolo, cùm docet fornicationis, omniſque obſcœnæ libidinis vitãdę cauſſa, inſtitutum eſſe coniugium. *Propter fornicationem* (inquit) *quiſque ſuam habeat vxorem.* Item, *Qui non ſe continet, matrimonium contrahat.* Annon ſatis apertè docet, inſtitutum eſſe coniugium, vt faciliùs poſſimus honeſtam ducere vitam? Tantum igitur abeſt, vt coniugium ſit res inhoneſta, fœdáque & obſcœna: vt potiùs cauſſa etiam ſit honeſtę vitę, & remedium præſentiſſimum aduerſus omnem obſcœnitatem, nempe filiis Dei. Certè in hunc finem inſtitutum eſt.

Quartum & vltimum membrum eſt, vt non tantùm honeſtum ſolatium inter ſe capiant (Deus enim non vult nos eſſe Cynicos:) verùm etiam vt in omnibus rebus, tam diuinis, quàm humanis, mutuum ſibi præſtent coniuges adiutorium: idque ſemper ſumma cum charitate & fide. Hic eſt enim generalis & extremus finis, reliquos omnes cõplectens: mutua ſcilicet rerum & diuinarum & humanarum communicatio: & ad eas conſequendas mutuum adiutoriũ. Docuit hoc Deus, cùm dixit, *ſe daturum homini adiutorium*: Non dixit *adiutorium ad hanc vel illam rem*, ſed in genere *adiutorium*: nempe ad omnes res honeſtas, & bonas, tam diuinas, quàm humanas. Etſi verò tantùm de muliere

dixit, *ſe illam creaſſe, vt eſſet adiutorium viro*: dubium tamen non eſt, quin viciſſim voluerit, virum eſſe adiutorium mulieri: cùm eadem ſit vtriuſque ratio. Si enim bonum non erat viro, eſſe ſoli: neque certè etiam mulieri. Et, ſi ideo creauit mulierem, vt ea eſſet viro adiutorium, quia non erat bonum viro eſſe ſoli: ergo etiam voluit & vult virum eſſe adiutorium mulieri, quia non eſt bonum mulieri eſſe ſoli. Huc facit, quod Apoſtolus docet, ad Corinth. & ad Epheſ. *Virum eſſe caput mulieris: & debere eum huic eſſe ſeruatorem.* Debent igitur mutuum ſibi præſtare adiutoriũ & auxilium in omnibus, & ad omnia, tam diuina, quàm humana: & alter alterius ſalutem tam præſentem quàm futuram pro ſua virili promouere: precibus, verbo, opere, exemplo, denique modis omnibus honeſtis. Atque hoc eſt, quod Iuriſperiti definierunt, *coniugium, coniunctionem eſſe maris & fœminæ, habentem indiuiduam vitæ conſuetudinem, rerum tam diuinarum, quàm humanarum communicationem.* Et id quidem meritò. Si enim ſunt vna caro, & ceu vnus homo: cur non ſe mutuò in omnibus iuuent? Quis vnquam ſuam odit carnẽ, & non magis eam fouet & nutrit? *Epheſ. 5.* Hic eſt ſancti coniugij finis, qui propriè ipſorum coniugum ſalutem, & bonum, & conſolationem ſpectat: ſed non ſine gloria Dei: ad quam omnia, tanquam ad vltimum omnium finem dirigenda ſunt.

Alter finis ipſos reſpicit liberos, ipſámque Chriſti Eccleſiam, & pendet à priori: præſertim ab eo quod poſtremo loco diximus de adiutorio ſibi inuicem ad omnia bona præſtando. Ergo ſicut mutuam ſibi præſtant operam, ad filios, ſi fortè Deus velit, procreandos: ſic etiam alter alteri adiutorium eſſe debet, ad eoſdem ſanctè educandos & inſtituendos in religione, & in omni virtutum genere, vt ſe vtiles præbeãt: Eccleſiæ & Reipublicæ: Denique ad promouendam ipſorum liberorum ſalutem, eóque ad cœleſtem Hieruſalem, ciuibúſque illa dignis implendam. Finis hic ita manifeſtus eſt: vt non opus habeat vlla alia vel explicatione, vel confirmatione. Ex officiis enim parentum erga liberos, quæ paſſim traduntur in ſacris literis, abundè colligitur hic alter coniugij Chriſtiani finis: vt ex illo Apoſtoli, *Epheſ. 6. Patres nolite prouocare ad iram filios veſtros: ſed enutrite eos in doctrina, & monitis Domini.*

Ad *extremum* adiecimus, *Ita tamen, vt in toto coniugio vir ſe exhibeat vt caput vxoris, ſicut & Chriſtus Eccleſiæ: vxor autem ſubiecta ſit viro, ſicut & Eccleſia Chriſto.* Hoc ideo adieci, vt diſcrimen oſtendam inter officia viri erga vxorem, & vxoris erga virum. Licèt enim mutuò alter debeat eſſe alteri adiutorium in omnibus rebus diuinis & humanis: talis ordo tamen debet eſſe inter vtrumque, vt vir dominetur vxori, non autem vxor viro. Et quidem dominetur ille huic, non vt tyrannus, neque ad ſuam libidinem: ſed vt caput corpori, & ad ipſius vxoris ſalutem: ſicut etiam Chriſtus facit erga Eccleſiam: & caput erga membra corporis. Vxor verò ſubiecta eſſe debet tali viro, & ab eius conſiliis & voluntate pendere: ſicut & Eccleſia Chriſto ſubiecta eſt. Totum hoc deſumptum eſt ex Apoſtolo *Epheſ. 5.* Vbi etiam explicat, quomodo intelligendum ſit, caput vxoris eſſe virum. Eſt eius eſſe ſeruatorem, ſicut & Chriſtus Eccleſiæ: eſt eam diligere, vt ſuam carnem, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, vt ſuum corpus. Eſt eam enutrire ac fouere, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: qui tradidit ſeipſum, pro ea, vt eam ſanctificaret, poſtquam eam purgaſſet lauacro aquæ, per verbum, & vt ſiſteret eam ſibi glorioſam, ſine macula & ruga, ſed eſſet ſancta. Vt igitur totum imperium, quod Chriſtus habet in Eccleſiam, in Eccleſiæ ſalutem vſurpat: ita declarat, ſe verum eſſe Eccleſiæ caput & ſeruatorem: ſic debet facere vir erga vxorem, & dominari illi ad eius ſalutem: ad ſalutem, inquam, non tam corporis, quàm animæ. Debet enim eam arcere à peccato: & contrà ad omnem ſanctimoniam inſtituere. Nam neque Chriſtus Eccleſiam externè tantùm ſuſtentat: ſed inprimis ſalutem animæ promouet. Sic itaque vir declarabit, ſe verum eſſe caput vxoris. In capite vigent omnes ſenſus tam interni, quàm externi: in capite operatur mens humana, intelligit, conſulit, ordinat, inde mouet membra ad ſuum quodque officium: ac proinde vult Deus, vt non membra capiti, ſed caput membris, totíque corpori dominetur, illud regat, pro illo & in eius ſalutem videat, pro illo & in eius ſalutem audiat: pro illo guſtet, olfaciat, denique in illud influat vitam, ſenſum, vires, & quæcunque illi ad ſalutem neceſſaria ſunt. Eandem ob cauſam in viro plus ſapientiæ, iudicij, prudentiæ, virium collocauit Deus, vt ſcilicet vxorem ſapienter & ſalutariter regat. Nam eandem etiam ob cauſam plenitudinem ſpiritus voluit eſſe in Chriſto, non ad menſuram: vt ex eius plenitudine nos quoque acciperemus, & ex eodem ſpiritu viueremus. Hinc colligit argumentum Apoſtolus, cur debeat vxor libenter ſubiecta eſſe viro, tanquam domino ſuo: quia ſcilicet hoc ipſi ſalutare eſt: nec in alium finem datus eſt illi vir, vt caput ac dominus, niſi vt per ipſum ea ſeruetur, foueatur cum ſumma dilectione. Cur ergo grauetur eſſe & manere ſubiecta? Hoc vtriuſque officium de principio ordinauit Dominus, vt eſt Geneſ. 3. *Ad virum tuum, erit deſiderium tuum: ipſéque dominabitur.* Et Petrus, eandem penitus doctrinam de officio viri & vxoris egregiè tradit, & explicat, dicens, *ſemper ſanctas mulieres ſubiectas fuiſſe viris ſuis, illis obedientes, illos honorantes, & ſuos dominos vocantes*, & quæ ſequuntur in prioris Epiſtolæ cap. 3. Huc ſpectant, quæ etiam Apoſtolus tradit 1. *Timoth. 2. Mulier* (inquit) *cum ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione. Mulieri enim docere non permitto: neque autoritatem vſurpare in virum: ſed eſſe in ſilentio.* Ratio eſt: quia viri eſt docere & dominari: vxoris autem doceri à viro & regi. Vt ergo paucis verbis indicaremus differentia vtriuſque officia, viri & vxoris: ad quæ certè facienda inſtitutum eſt matrimonium, adiecimus illam poſtremam particulam, quam modò explicauimus.

Neque verò ſine cauſſa illud etiam poſuimus in deſcriptione coniugij: *Ad vitam in hoc tantum mundo ſimul tranſigendam, aliaque coniugum officia præſtanda*, inſtitutum eſſe matrimonium. Docere enim voluimus, id quod Chriſtus tradidit: in regno cœlorum neque nubent, neque ducent vxores, ſed erunt ſicut Angeli Dei, hoc eſt, ceſſabunt omnia hæc coniugij officia: nec mariti, aut vxoris vel nomen, vel res locum habebit. Eſt enim coniugium ad hanc tantùm vitam vtile & neceſſarium. Omnis illius vſus ceſſabit in altero ſeculo. Atque hæc eſto noſtræ coniugij deſcriptionis explicatio & confirmatio.

II.

De conſecratione & celebratione nuptiarum.

NVnc pauca dicam de coniugij ſeu nuptiarum conſecratione ac celebratione. Deus ſimulac dediſſet Adæ vxorem Euam: benedixit illis, dicendo *Creſcite*, &c. Benedictio illa non fuit tam verbis facta, quàm rebus. Præſtitit enim illis, & præſtat quotidie nobis, quod verbis ſignificauit. Fuit igitur illa benedictio, coniugij ſanctificatio, eaque efficax. In eius locum ſucceſſit ſanctificatio coniugij per Miniſtros Eccleſiæ, cum precibus ad Deum, vt ipſe re ipſa velit præſtare, quod nos verbis precamur. Sanctificationem ſeu benedictionem, ſequitur celebratio nuptiarum, cuius ſemper varij fuerunt ritus apud varios populos.

Duo itaque hîc conſideranda ſunt: conſecratio nuptiarum, & earundem celebratio.

Conſecratio eſt illa actio, qua ſponſus & ſponſa ad Eccleſiam deducti, in conſpectu totius populi per miniſtrum, priori loco doceantur ex verbo Dei, quid ſit connubium, à quo ſit, quando, & in quos fines fuerit inſtitutum: quod ſit cuiuſque partis officium tam inter ſeſe, quam erga liberos, ſi à Domino concedantur. Deinde interrogantur, liberáne & bona voluntate confirment ſponſalia contracta, ſeu inchoatum matrimonium: atque an velint ſuum quiſque facere officium, ſicut Euangelium præcipit, nec ne facere. Tertiò, poſteaquam vtrumque ſponſi aſſeuerarunt: matrimonium tota Eccleſia teſte confirmatur: ipſi verò Deo conſecrantur, & precibus commendantur. Hæc eſt nuptiarum conſecratio ſeu ſanctificatio, ex verbis Dei petita, & in Eccleſia vſurpata. Quam qui contemnunt, ipſi ſe non in Domino nupſiſſe, aperte demonſtrant. Quare neque inter fratres ac membra Eccleſiæ habendi ſunt, niſi reſipiſcant.

Celebratione autem nuptiarum, tota reliqua actio politica intelligitur, quæ tum ad confirmanda pacta, tum ad ſponſam in ædes mariti deducendam concurrit. Hic autem, vt dixi, non iidem ſemper apud omnes populos ritus ſeruati fuerunt. Sed alij plures & ſuperſtitioſiores, adde & ſæpe parum honeſtos: alij pauciores & honeſtiores habuerunt. Horum rituum diuerſitatem ſi quis videre cupiat, (Neque enim mei eſt inſtituti omnium gentium ritus recenſere) legat Alexandrum ab Alexandris in libro *Genialium* 1 *cap.* 24. ubi copioſiſſimè ſimul atque doctiſſimè omnium gentium ritus ac conſuetudines in celebrandis nuptiis recitantur.

De ritibus verò Romanorum ſcripſit quidem diligentiſſimè Gallus quidam Iuriſperitus, nomine Barnabas Briſſonius, in libro *de Nuptiis*: & multa paſſim leguntur in iure ciuili. Quidam etiam Hiſpanus Petrus de Seuilla in libro variarum lectionum, cùm de aliarum gentium, tum maximè de Romanorum ritibus in nuptiarum celebratione ſeruatis, diſſerit *lib. 2. cap. 15.*

Cano-

Canoniſtæ duo rituum genera ſtatuunt. Quoſdam tales eſſe dicunt, qui ſine cauſa omitti non poſſint: *Vti eſt* (inquiunt:) *benedictio nuptiarum: & ante ipſam, proclamatio, quam* Bannum *barbare vocant. Quoſdam tales, qui omitti facile poſſent: vt ſunt, arrha quæ pignoris loco datur: annulus, quo initum fœdus confirmatur, vt indiſſolubile: vti ſunt dotalia inſtrumenta: velamen quod capiti imponitur, & quo ſignificatur ſubiectio: vitta, qua vterque obligatur, & alia id generis.* Apud Tertullianum, Chryſoſtomum, *in 1. ad Tim. hom. 9.* & alios, mentio fit coronæ ſeu ſerti, quod in Germania adhuc geſtant ſponſæ virgines. Ait Chryſoſtomus, ſignificatam fuiſſe ſponſæ virginitatem, & in ea cuſtodienda fortitudinem atque victoriam aduerſus diabolum, carnem & Mundum.

Ambroſius in *Epiſt. 70. ad Vigilium*, mentionem facit veli, quo in Eccleſia tunc temporis à Sacerdote tegebantur, ſimul ſponſus & ſponſa: vt ea ceremonia ſignificaretur, vtrunque eſſe coniugij vinculo coniunctum & coniugatum. Sumptus fuit iſte ritus à Iudæis. Vnde & Rutha petiit à Bozzo, vt ſe ſuo pallio contegeret: hæc ceremonia ad conſecrationem pertinebat. Coniugij nuptialis mentio fit vbique in ſacris literis, & in nouo Teſtamento, Iohan. 2. Summa. Tenenda eſt regula Apoſtoli de his externis rebus, quæ etiam apud gentiles vſitatæ ſunt: vt quæ non pugnant cum verbo Dei, & nullam redolent vel ſuperſtitionem, vel fœditatem: eas pro more & conſuetudine regionis, vbi degimus, vnà cum aliis obſeruemus, Phil. 4. *Quæcunque ſunt honeſta, quæcunque bonæ famæ, quæcunque vtilia, &c. hæc facito.* Sed eas cumprimis negligere non debemus: quæ teſtimonium habent, tum à veteri, tum à nouo Teſtamento. Certè, quòd in nuptiarum benedictione & confirmatione Miniſter manum ſponſi apprehenſam coniungat cum manu ſponſæ, & precetur illis à Domino benedictionem: honeſtiſſima eſt ceremonia. Nam ſic legimus, *Tob. 7.* feciſſe Raguelem, cùm dedit Tobiæ filiam ſuam in matrimonium. Quòd nouis etiam & mundis veſtibus ornentur tam inuitati, quàm ſponſus & ſponſa, improbari nequit. Legimus enim apud Euangeliſtas de veſte nuptiali. Neque dubito, quin ideò ſertum detur cuique, vt, ſicut olim à veſte nuptiali agnoſcebantur, qui inuitati eſſent, & qui non: ad nuptias: ſic nunc ab hoc ſymbolo dignoſcantur. Ac munuſcula quæ quiſque inuitatus donat nouis ſponſis, ſolita fuiſſe dari, colligi poteſt ex facto Chriſti, *Iohan. 2.* qui, cum vinum deeſſet, in nuptiis illis, ſex hydrias optimi vini, à ſe ex aqua facti, donauit ſponſo & ſponſæ.

Licet conuiuium vſitatum fuerit apud omnes: abeſſe tamen debent omnes ebrietates & impudicitiæ: & retinendum eſt illud, quod Tobiæ legimus 8. & 9. de conuiuio Tobiæ: Vbi ſic legimus. *Et epulati ſunt in timore Domini.* Quid? Quod in conuiuio regis Aſſueri, apud librum Heſter legimus, tam fuiſſe modeſtum honeſtùmque: vt nemo cogeretur ad bibendum. Ergo modò celebrentur in timore Domini nuptialia conuiuia: conſuetudo hæc tantùm abeſt, vt debeat damnari, vt potiùs ſit laudanda: ſi non aliam ob cauſſam, ſaltem quia Filius Dei, eam ſua præſentia cohoneſtauit & approbauit. Ac de ſanctificatione & celebratione ſatis.

De conſeruando ſancto coniugio.

PORrò Dominus, ſancti coniugij auctor, non ſolùm vult illud legitimè & ſanctè contrahi, ſibique ipſos coniuges conſecrari, honeſteque nuptias celebrari: verùm etiam vult matrimonium ipſum, & indiſſolubile & ſanctum conſeruari. Nam ſicut dictum eſt, *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet:* ita quod Deus ſanctificat, homo polluere non debet. *Eſt autem honorabile coniugium. & torus immaculatus.* Væ igitur illis, qui ſanctum coniugium, aut diſſoluunt, ac contaminant. Quare adhibenda eſt diligentia tum coniugibus ipſis, tum Eccleſiæ, & verò etiam Magiſtratui, vt contracta connubia, & indiſſolubilia & ſancta, atque in Domino, in quo ſunt etiam contracta, ſeruentur. Nam licèt Deus propriè ille ſit, qui omnia bona agit in omnibus: & in nobis operatur velle & perficere, quique connubium quod inſtituit, etiam ſanctum & indiſſolubile conſeruat: quia tamen vti plerumque ſolet cauſis ſecundis, & quidem nobis ipſis ad opera ſua perficienda: idcirco vult, vt hac quoque in re, hoc eſt, in ſancti coniugij conſeruatione ſimus diligentes. Ac quia in hoc negotio ſuas habent partes, & coniuges ipſi, & Eccleſia, & Magiſtratus: idcirco videndum eſt, quid faciendum coniugibus, vt ſeruent coniugium ſuum ſanctum, & in Domino: quid Eccleſiæ: quid Magiſtratui.

Ad coniuges hæc eſto *prima* regula.

Duo ſunt in ſacris literis, quæ coniugia ſoluunt. Primum quidem, *odium religionis.* Inde enim fit, vt infidelis facilè deſerat fidelem, 1. *Cor. 7.* Vt ergo caueatur hoc periculum, nemo debet coniugium contrahere cum homine diuerſæ religionis: ſed dare operam, vt cum tali contrahat, quo cum in omnibus religionis articulis optimè conſentiat. Nã diſſenſio vel in vno articulo, magnas ſolet inter coniuges excitare controuerſias: inde ad ſimultates & odia: & tandem ad deſertiones. Ergo hoc inprimis eſt cauendum: vt nubas pari, hoc eſt, in ipſa etiam religione conſentienti.

Alterum quod ſoluit coniugium, eſt *adulterium*, Matth. 19. Ergo vt ſanctum conſeruetur coniugium: danda eſt diligenter opera, vt hæc etiam diſſolutionis connubij cauſſa euitetur.

Hoc autem fiet primùm, ſi vxorem ducturus, non ſolùm ducas eiuſdem religionis hominem, ſed etiam honeſtè & caſtè educatam. Qui enim educati ſunt in timore Domini, à ſua adoleſcentia: facilè etiam adulti & coniugati retinent illam educationem: vt non facilè in huiuſcemodi grauia ſcelera labantur, quale eſt adulterium.

Debent etiam obſeruare Apoſtolica præcepta: quorum obſeruatione facilè occurritur tanto malo, quale eſt adulterium: ſunt autem iſta: *Quiſque ſuam habeat & quæque ſuum: propter fornicationẽ nempe vitandam.* Item: *Vir vxori debitam beneuolentiã reddat, ſimiliter viro vxor.* Item: *Ne fraudet alius alium, niſi ex cõſenſu ad tempus, vt vacetis orationi & ieiunio.* Et rurſus *ſimul conuenite, ne tentet vos Satan, propter incontinentiam veſtram.* Debet inſuper vitare familiaria aliorũ præſertim iuniorum, multò magis impudicorum conſortia: vxores, aliorum iuuenum: viri, aliarum fœminarum. Eſt enim iuxta Apoſtolum, abſtinendum, non ſolùm ab omni malo: ſed etiam ab omni ſpecie mali. Et Salomon: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Chriſtus verò ait, *Si oculus tuus ſcandalizet te, erue eum, &c.* id eſt, omnem euita occaſionem mali. Proinde fugiendæ choreæ, compotationes, & omnes impudicæ conſuetudines ac conuerſationes & colloquia. *Corrumpunt enim bonos mores conſortia mala.* Frequentanda eſt S. Literarum tum auditio, tum lectio, ſacramentorum participatio: conuentus Eccleſiaſtici: preces publicæ & priuatæ. Qui enim his occupantur piis ſanctiſque exercitiis: ad hos non facilis patet aditus Satanæ. Fugiendum præterea otium: in ſua quiſque occupetur vocatione, tam vir, quàm vxor. Vt enim otium, mater eſt omnium vitiorum: ſic perpetua in rebus honeſtis occupatio, antidotum eſt aduerſus omnes Diaboli tentationes atque venena. Septem certè ſpiritus mali non ingrediuntur niſi in domum vacantem. Atque hæc eſto prima regula ipſis coniugibus: vt ſcilicet diligenter euitent duo illa malorum genera, quibus coniugium diſſolui poſſit.

Secunda: Debent ſeſe ad coniugium tum indiſſolubile, tum ſanctum ſeruandum, variis argumentis ab ipſa coniugij definitione ductis, excitare.

1. Coniugium eſt coniunctio vnius maris & vnius fœminæ in vnam carnem: Cur igitur, quod vna eſt caro, ego in varias diuidam partes? Annon diſcerpo meipſum, & meum corpus lacero in fruſta? Diſcerpit autem, qui ſua neglecta coniuge, cum alia ſcortatur.

2. Coniunctio hęc à Deo eſt inſtituta. Deus enim coniungit virum & fœminam, cùm legitimè coniunguntur matrimonio. Quod autem Deus coniungit, caueat homo, ne ſeparet. Qui enim ſe ſeparat ab vxore: ſeparat ſe etiam à Deo, qui eam tibi tradidit & adglutinauit.

3. Honorabilis eſt hæc coniunctio atque ſancta: eſt enim torus immaculatus. Cur igitur ego illum contaminem? Proinde cauere debent coniuges, ne tam ſanctum lectum, vllo contaminationis genere polluant.

4. Facta eſt in Domino ſancta hæc coniunctio: non eſt igitur in ea aliquid agendum contra Dominum: Quare & ſeruanda incolumis eſt, & in Domino. *Hæc eſt* (inquit Apoſtolus) *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis à ſcortatione & ſciat veſtrũ quiſque ſuũ vas poſſidere in ſanctificatione & honore,* 1. *Theſ. 4.* Ita argumẽta à natura cõiugij, & à voluntate inſtitutoris, deductis, debent coniuges ſubinde ſeſe munire aduerſus Satanam, vt ſeruent coniunctionem hanc & indiſſolubilem & ſanctam, atque in Domino.

5. A finibus quoque, propter quos inſtitutum eſt coniugium, colligenda ſunt cuiuſq; officia: & horum cõſideratione, debet quiſque ad coniugium ſanctum cõſeruandum ſeſe excitare. In quemnam verò finem nos coniunxit Dominus? Vt ſimul quàm familiariſſimè viuamus, ſumma cum fide & charitate. Cur igitur me à meo coniuge ſeparem? Cur nõ cum eo familiariter viuam? Cur non ſeruem fidem datam? Cur non debito proſequar eum amore? In quem finem nos coniunxit? Vt non ſolùm ſimul viuamus: ſed viuamus piè erga Deum: & honeſtè inter nos. Quomodo autem

hoc officium præſtant, qui matrimonium non ſeruant integrum, & immaculatum, & in Domino? In quem item finem nos coniunxit Deus? Vt ad omnes res humanas atque vtiles, tam diuinas, quàm humanas, alter alteri ſit adiutorium. Nihil ergo agendum quod aut in perniciem animæ, aut in damnum corporis, aut in dedecus, & infamiam cedat coniugi tuo. Et, ſi infidelis coniux mihi ſit eáque velit mecum habitare, mihi retinenda eſt: cur infidelem abiiciam, aut vllam ei diſcedendi occaſionem præbeam? Ad vitam quoque moleſtiis quidem multis & magnis non carentem, ſed tamen cum ſpiritualibus etiam & honeſtis conſolationibus coniunctam in hoc Mundo transigendam, coniunguntur à Deo pij coniuges. Ergo alter alterum contriſtare non debet temerè, ſed potiùs conſolari, fouere, ſuſtinere. Quis enim carnem ſuam vnquam odio habuit, & non potiùs eam fouet & nutrit?

Vir debet eſſe caput vxori, ſicut & Chriſtus Eccleſiæ: quale autem caput fueris, ſi vxorem tuam à te abdices, aut temerè offendas, verberes ex iracundia & ſine cauſſa: traducas eam: ſi non feras eius infirmitates: ſi non foueas, nutrias, eiúſque ſalutem promoueas? *Viri* (inquit Petrus 1.3.) *ſimiliter ſimul habitent ſecundum ſcientiam: tanquàm infirmiori vaſi muliebri tribuentes honorem. Viri* (inquit Paulus) *diligite vxores veſtras, &c.* Si adſit verò dilectio: facere non poterit vir, quin omnia quærat, quæ ad vxoris ſalutem, tum animæ, tum corporis, & quæ ad honeſtam eius conſolationem ſpectant. Ita ad ipſum quod attinet, ſi ſua præſtat officia, boni ſcilicet & amantis mariti, coniugium ſeruabit & indiſſolubile & ſanctum.

Mulieres verò (inquit Apoſtolus) *ſubditæ ſunto viris ſuis, ſicut & Eccleſia Chriſto.* Debet igitur in omnibus rebus honeſtis viris ſuis obtemperare: monita audire & correctiones: nihil ſine illorum conſenſu agere, dominos etiam ſuos vocare: vt etiam Petrus de Sara docet. Sara ſi & ipſa vxor meminerit perpetuò huius ſui officij, dubium non eſt, quin ſeruatura ſit coniugium indiſſolubile & ſanctum. Neque enim non poterit vir talem mulierem non amare: non charam habere, non fouere, non ferre. Quæ autem ſummo dilectionis vinculo colligata ſunt; ea diſſolui facilè non poſſunt. Eſt enim charitas vinculum perfectionis, vt Apoſtolus ait. Ita ex ſuis quiſque erga alterum officiis excitabunt ſeſe coniuges ad connubium in Domino conſeruandum. Omnia autē hæc officia, ex primo fine, quem ſuprà explicuimus, colliguntur. Ex altero etiam fine, qui reſpicit liberos, abundè ſuppetunt argumenta, quibus ad idem faciendum, excitari poſſint. Quantam enim vim habeat amor communium liberorum, nemo eſt parentum, qui neſciat. Vnde & filius, quaſi ὁ φίλος. Quid enim amabilius filiis? Cùm autem mater in coniugio hos non habeat, niſi à viro: neque pater, niſi ex ſua vxore, fit vt filius ὁ φίλος conciliet magis ac magis inter vtrumque parētem τὴν φιλίαν: vnde & *chara pignora amoris*, vocantur ipſi liberi. Monſtrum igitur eſt in natura, quod inter vtrumque parentem tale odium nonnunquam Diabolo autore excitetur: quo alter alterum deſerat, aut occidat: aut etiam amorem in adulterum aliquem conuertat. Quid verò cùm vterque pius & Chriſtianus eſt; & nouit ſe ad filios non ſolùm procreandos, ſed etiam piè in Domino educandos, & Eccleſiæ ad eius vſus tradendos, eſſe vocatum?

Ac de officio coniugatorum in conſeruando matrimonio ſatis.

Eccleſia etiam ad hanc rem, ſuum habet officium. Hoc autem eſt diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitium. Cùm enim fieri nequeat, vt bene habeat Eccleſia, niſi ſanctè cuſtodiatur hoc Eccleſiæ ſeminarium: debet curam adhibere, vt conſtituantur viri pij, prudentes & graues, qui ſingulorum familias obſeruent qui videant, an viri ſuum erga vxores, & viciſſim, an vxores, ſuum erga viros ſuos faciant officium: qui obſeruent, an vxores cum viris irreligioſæ vitæ: & viciſſim, an viri cum mulieribus impuræ conſuetudinis, conſortium habeant: qui denique ſui quemque moneant officij: & qui ex regula Chriſti, incorrigibiles coniuges, ad Eccleſiaſticum ſenatum deferant. Profectò ſi Eccleſia inuigilaret in hac etiam parte, minus adulteriorum, minùs deſertionum, minus denique ſcandalorum, & violatorum connubiorum videremus, quàm videmus.

Cæterùm, quia non omnes metuunt Eccleſiæ excommunicationem atque cenſuram: reſtat officium *Magiſtratus*: qui non minus diligentiæ in hoc adhibere debet, quàm vel coniuges ipſi, vel Eccleſia. Debet enim cùm rebelles omnes Eccleſiæ, tum iniquos, & in ſua iniquitate pertinaces coniuges, matrimoniique violatores obſtinatos, inflictis etiam pœnis compeſcere: & aut, ſi lex iubeat, tollere è medio: aut ad officium faciendum, fidémque matrimonij præſtandam compellere. Dubium non eſt, ſi plecterentur capite adulteri, & iniqui deſertores, debitiſque pœnis punirentur ſacri coniugij violatores: quin viſuri eſſemus matrimonia ſtabiliora, ſanctiora, eorúmque fructus meliores: indéque Eccleſiam magis glorioſam in dies fieri.

Pertinent huc multę leges in iure ciuili: pręſertim Iuſtiniani in Authenticis, de interdictis ſuſpicioſis etiam conſortiis & omnium Imperatorum, de plectēdis capitaliter adulteriis.

Faxit Deus, vt & coniuges ipſi, & Eccleſia, & Magiſtratus politicus, curent, vt ſanctum conſeruetur coniugium. Verùm, quia *niſi Deus cuſtodiat ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam*: idcirco rogandus eſt primùm, & ante omnia Deus, vbi nos deficimus, ibi ipſe ſuppleat noſtros defectus: efficiatque, vt omnia ſancta connubia, ab ipſo inchoata, per ipſum etiam conſeruentur & perficiantur.

LIBRI QVARTI,
CAPVT III.
De Diuortiis.

LOcum de coniugio, in tria ſecuimus capita: in quorum primo, de ſponſalibus: in altero, de coniugio ipſo: in tertio, de diuortiis diſſerendum nobis fuiſſe dicebamus.

Ac quod ad ſponſalia attinet, poſteaquam nonnulla tradidimus de voce, & quid ſint ſponſalia, quot ipſorum genera, quibus de cauſſis inſtituta: quomodo celebranda ac benedicenda: duas præcipuas quæſtiones, in quibus ſumma ferè conſiſtit totius loci de coniugio, copioſè explicuimus: quarum vna fuit, quibúſnam liceat ſponſalia, eóque & matrimonium contrahere: Altera, quibuſcum: num contrahenda ſint, contrahi-ve poſſint. De matrimonio ipſo, ſeu de nuptiis, tria breuiter docuimus: primùm, quid ſit matrimonium, ſingulíſque definitionis parte, abundè declarauimus. Deinde de ritibus nuptiarum: ſeu quomodo celebranda ſint coniugia. Denique de coniugij conſeruatione: eóque de officiis coniugum, & verò etiam Magiſtratus in conſeruandis coniugiis, nonnihil diximus.

Reſtat nunc tertium caput, quod propriè de diuortiis eſt, déque cauſſis diuortij, quo matrimonium diſſoluitur. Et quia duplicia ſunt matrimonia, alia legitimè contracta, alia illegitimè: priori loco dicemus de legitimè contractis, déque ipſorum diuortiis. Deinde de illegitimis, & ipſo iure nullis. Ex iis enim faciliùs & citiùs expediemur: vbi quæ prioris ſunt generis, fuerint explicata.

Ad primum igitur genus, quod attinet: tres quęſtiones nobis explicandæ ſunt. Quarum *Vna* eſt: *An quos Deus coniunxit, ſeparari poſſint*: id quod idem eſt, atque ſi dicas, *An matrimonia legitimè contracta, diſſolui queant & quot quibuſve modis.*

Altera eſt: cùm conſtet diuortio ſolui matrimonium: *quibúſnam de cauſſis liceat per diuortium ſoluere matrimonium.*

Tertia eſt, *à quo, per quos, & qua ratione diſſolui poſſint & debeant.*

De *prima* quæſtione, vt loquamur priori loco, non defuerunt, neque apud Iudæos, neque apud gentes, qui ſimpliciter negarint, vllo modo, ne morte quidem, ſolui poſſe matrimonium. Pontificij verò etſi fatentur ingenuè, morte ſolui cuiuſque coniugium: diuortio tamen diſſolui partim affirmāt, verbis nimirum: partim negant, reipſa: dum ſcilicet negant licere illi coniugi, qui legitimo diuortio ſeparatus eſt ab altero coniuge, denuò nouum cum alio connubium contrahere. Inter Iudæos fuerunt illius prioris ſententiæ Sadducæi: quemadmodum ex *Matth.* 22. liquet. Cur enim argumento à ſeptem fratribus ducto, qui eandem mulierem in matrimonium duxerunt, alter poſt alterius mortem: concludere conabantur, fieri non poſſe, vt mortui reſurgant? Nempe, quia cùm perſuaſum haberent, matrimonium ne morte quidem diſſolui poſſe, maxima ex mortuorum reſurrectione ſequeretur ἀτοπία atque abſurditas. Opus enim fore, vt eadem mulier, multorum eſſet vxor. De gentibus illud extat teſtimonium apud Poëtam.

Ille meos, primus, qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum ſeruétque ſepulchro.

Morte enim interrumpi potiùs, quàm finiri matrimonia ſentiebant. Quanquam hæc Poëticè & παθητικῶς fuiſſe dicta, quis poſſet excipere. Sed tamen ita res habet, vt nonnulli ſic ſenſerint, doctore diabolo: ne ſcilicet ad ſecundas tranſiretur nuptias: ſicut videmus contigiſſe Tertulliano, & aliis aliquot.

Nos ergo aduerſus hæc tria hominum genera, hac theſi contrarium concludimus.

THE-

THESIS.

Coniugium legitimè contractum, ita ſolui poteſt aut naturali morte, aut iuſto diuortio: vt nouum contrahi poſſit.

TRia ſunt huius Theſeos membra: *vnum* eſt, matrimonium legitimum ſolui poſſe: *alterum* docet modos, quibus id fieri queat, nempe vel morte naturali, vel diuortio legitimo: *tertium* declarationem continet ſoluti coniugij: nempe tum demum verè dici ſolutum, cùm liceet nouum contrahere.

Primum membrum non opus habet explicatione. In altero, duos docemus eſſe modos, quibus ſoluatur matrimonium: naturalem ſcilicet mortem, cùm quis verè ex hac vita excedit: ſiue id fiat vi, ſiue naturali morbo, aut extinctione. *Naturali* dico *morte*, vt excludam ciuilem. Mortem autem ciuilem vocant, qua quis ſuæ moritur ciuitati, etiamſi non moriantur toti orbi: vti erat deportatio; vti eſt perpetuum exilium & captiuitas: & id genus alia; quibus fit, vt cum ſuis ciuibus nihil ampliùs talis vir poſſit habere negotij. Hac ciuili morte voluerunt permulti coniugium dirimi. Vnde in *Pand. Tom. 1. lib. 24 Tit. 2. de Diuortiis. L. 1.* ſic ſcribit Iuriſconſult. *Dirimitur matrimonium diuortio, morte, captiuitate, vel alia contingente ſeruitute alterius eorum.* Hanc captiuitatem vel ſeruitutem, vocare ſolent *ciuilem mortem.* Sed in ſacris literis non legimus ſolui matrimonium poſſe, niſi aut vera morte, aut legitimo diuortio: hoc eſt, quod fit iuſtis de cauſis, & ex lege Dei. Quæ autem iuſtæ ſint cauſæ & legitimæ faciendi diuortij: poſtea diſcutiemus in ſecunda quæſtione. Nunc tria tantùm diſcutimus. 1. *An poſſit coniugium legitimè dirimi.* 2. *Quot modis dirimatur.* 3. *Quæ vera ſit diremtio.*

Faciunt autem diſcrimen inter diuortium & repudium: quòd repudio dirimantur ſponſalia: Diuortio autem matrimonia. Sed hæc differentia non ſemper ſeruatur. Ac repudium pro diuortio ſæpè video accipi, tam in ſacris literis, quàm apud profanos ſcriptores. Certè quæ de libello repudij apud Moſem, *Deut.* 24. & apud Euangeliſtas *Matt. 5. & 19.* leguntur: non tam ad ſponſalia, quàm ad conſummatum iam matrimonium pertinent: vt manifeſtum eſt. Itaque etiam repudium pro diuortio accipi ſolet.

Porrò diuortium ſeu repudium apud Moſem vocatur כריתות Sciſſio: vnde ספר כריתות libellus repudij ſeu ſciſſionis: Per talem enim libellum, perque diuortium, vxor quæ repudiatur atque abiicitur, quaſi ſuccidítur ex ædibus mariti, & cum ea vitæ conſuetudo, omniſque rerum communio.

Græci vocant ἀποστάσιον: vt habes etiam Matt. 19. Et ἀπόλειψις, vnde ἀπολύειν & ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα, *Matth.* 19. quo nomine & qua locutione nil aliud ſignificatur, quàm contracti matrimonij ſeparatio, ſeu diuortium. Dicitur autem Latinis *diuortium* à diuertendo: quòd cùm ſoluitur coniugium, coniuges diuertant, hoc eſt, diſcedant, inque diuerſas partes eant inter ſe diuiſi. Vnde etiam intelligimus, quid ſibi voluerit Apoſtolus 1 Corinth. 7. cùm dixit de infideli coniuge, Si *diſcedit, diſcedat*: hoc eſt, ſi diuortium facit, faciat: ſuo ſcilicet vitio & malo. Sunt tamen qui diuortium vocari velint à diuerſitate mentium: quòd cùm dirimitur matrimonium, pars nocens mentem mutaſſe conuincatur, ab ea, quam priùs habuit, cùm matrimonium contraxit. Sed prior Etymologia verior eſt. Vtramque attulit *Iuriſconſ. Dig. l. 24. tit. 2. de Diuortiis L. 2.*

Repudium autem dicitur reiectio coniugis, propter rem pudendam, puta propter adulterium, vel ſi de ſponſa dicatur nondum cognita: propter aliquam rem pudendam, recuſatio dicitur.

Ex quibus omnibus liquet, diuortium eſſe legitimi matrimonij, legitimam diremptionem, ac diſſolutionem. Atq; hęc ſunto dicta, pro explicatione alterius mẽbri noſtrę Theſeos.

In tertio membro nihil præterea eſt, quod explicemus: niſi quod diximus, nempe tum demum verè dici ſolutum eſſe cõiugium, ſiue id fiat morte, ſiue diuortio: cùm alteri parti, quę aut ſupereſt, aut innocens eſt, licet nouum contrahere connubium. Quæ etiam ſeparatio aut diſſolutio fuerit: ſi adhuc ita vincti & coniuncti ſunt: vt neutri parti liceat nouũ contrahere matrimonium? Vt appareat ſtultitia Canoniſtarum, qui ſeparant à toro: non autem à coniugij vinculo. Certè & Chriſtus & Apoſtoli (vt de Iuriſconſultis taceam) legitimum iuſtúmque diuortium, non aliud eſſe definierunt: quàm cùm ita ſeparatur vnus coniux ab altero, vt innocenti liceat nouas inire nuptias. Proinde ſic definimus:

Diuortium eſt legitimi matrimonij, legitima diremptio ac diſſolutio: qua propter cauſas legitimas, ita coniux à coniuge ſeparatur, vel potiùs ſeparatus eſſe declaratur: vt innocenti ſaltem parti, nouum liceat contrahere matrimonium.

Nunc facile eſt Theſim totam confirmare.

II. Ac primùm quidem, quos Deus coniunxit, poſſe etiam legitimè & honeſtè ſeparari, ſeu legitima ratione coniugia dirimi, idque porrò aut morte, aut diuortio, ac denique ita quidem poſſe dirimi, vt nouo connubio fiat locus: docent tum ſacræ literæ: tum omnium gentium conſenſio, tum leges ciuiles.

De priori modo, quo dirimuntur, nempe morte: miror fuiſſe ab vllo dubitatum.

1. Vbique locorum & gentium fuit hoc in more poſitum, nullo vnquam contradicente: vt poſt mortem coniugis, alteri liceret nouum contrahere coniugium. Senſerunt ergo iure naturæ, prius fuiſſe diſſolutum atque diremptum alterius coniugis morte.

2. Chriſtus idem docuit, reſponſo ad Sadducæos dato; *In cœlo neque nubent, neque ducent vxores:* hoc eſt, ibi neque erunt mariti, neque vxores. Morte igitur ſoluuntur coniugia.

3. Quid Apoſtolus? Rom. 7. *Mulier, quæ ſub viro eſt, deuincta eſt, viuente viro, per legem. Quòd ſi mortuus fuerit vir: liberata eſt à lege viri. Proinde viuente viro, vocabitur mœcha, ſi fiat alterius viri: ſin autem mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege illa: vt non ſit mœcha, ſi fiat alterius.* Nihil eſt hoc teſtimonio clarius: quàm morte coniugis, ita ſolui coniugium, vt alteri ſuperſtiti, liceat aliud inire connubium. Idem docet, 1. Corinth. 7. verſ. 39. *Vxor alligata eſt legi, quamdiu viuit vir ipſius. Quòd ſi obdormiuerit vir ipſius, libera eſt, ad cui velit nubendum: tantum in Domino.* His tribus teſtimoniis iactis confirmatum eſt. Morte alterius coniugis ita ſolui matrimonium: vt coram Deo & hominibus liceat ſuperſtiti aliud contrahere matrimonium. Idem de altero modo, quo matrimonium dirimitur: facile eſt demonſtrare, nempe de diuortio.

1. Deuter. 24. Lex de repudio, quod idem eſt ibi, atque apud Romanos, diuortium, traditur, quæ alibi etiam repetitur. Non hic iam examino cauſſas, propter quas ibi permiſſum conceſſúmque fuerit Iudæis diuortium. Nam hoc poſtea ſuo loco. Tantùm illud ex omnibus veteris Teſtamenti locis, vbi de repudio ſeu diuortio agitur, contendo: Voluntatem Dei fuiſſe; vt certis de cauſſis, honeſtè liceret diuortium cum vxore tibi legitimè coniuncta facere: & tale quidem diuortium facere, quo tibi liceat nouam ducere vxorem. Nam nullum aliud diuortij genus nouerunt Iudæi, quàm hoc.

2. Chriſtus idem confirmauit, *Mat.* 19. Duo enim diuortij genera ſtatuit: vnum illegitimum, & cum prima coniugij Inſtitutione pugnans: nempe, cùm quis quauis de cauſa, hoc eſt, non legitima, repudiat vxorem ſuam. Alterum legitimum: vt quod fit propter adulterium, nempe cauſam legitimam.

De primo genere ſic pronunciat. *Qui poſt tale diuortium, aliam duxerit, eũ mœchari: & qui dimiſſã duxerit, eũdem mœchari.* Quid ita? Quia ſcilicet diuortium factum eſt, non legitimam ob cauſſam. Annon igitur à contrario concludit, poſt diuortium legitimum & legitimè factum: ita ſolui coniugium, vt aliam ducere liceat?

3. Apoſtolus item, 1. *Cor.* 7. idem docet de diuortio, quod per deſertionem fit: vt ſuprà abundè demonſtrauimus. Non enim fratres aut ſorores in huiuſmodi caſibus ſubiectos eſſe ſeruituti: vt non liceat nouas inire nuptias. Atque hæc certa ſunt è ſacris literis.

4. Quid verò dicam de Romanorum legibus, gentium ferè omnium conſuetudinibus, & piorum Imperatorũ ſanctionibus? Fuit cùm apud alias gentes, tum præſertim apud Romanos, execrabile diuortium: quod aut ſine cauſa, aut ex leui cauſſa fiebat. Norunt enim lege naturæ, ſanctiſſimũ eſſe: eóque inuiolabile hoc fœdus, quod inter virum fit & vxorem: proinde L. Antonius à cenſoribus notatus, & Senatu motus fuit: quòd nullo conſilio aut modo, quàm in matrimonium duxerat, repudiaſſet. Et Tyberius Cæſar, Quæſtorem gradu deiecit: quòd quam coniugem duxerat, tertia pòſt die dimiſit. Fuerat enim à Romulo lata lex, vt vxori nunquam relinquere virum: viro autem, tum tantùm liceret vxorem repudiare: tùm aut in adulterio eſſet deprehenſa, aut reperta venefica, aut clauium adulteratrix, aut vinum biberet. Solon verò lege conſtituit, vt qui vxorem exturbaſſet: dotem illi reſtitueret. Hæc vera ſunt: & quanto in odio eſſet apud omnes ſapientes diuortium, facile docent: præſertim verò hoc verum fuit apud Germanos. Interim omnes etiam cenſuerunt certis illiſque honeſtis & neceſſariis de cauſſis, fieri poſſe diuortium: & tale diuortium (vt ſuprà dictum eſt) poſt quod aliam ducere

vxorem liceret. Adde iam iudicia Patrum; vide Bucerum de regno Chriſti, *lib.2 C.12.*&c.

Ac de prima quæſtione ſatis. Satis enim perſpicuè apparet, legitimam coniugij ſolutionem, iuris eſſe & diuini & humani.

Sed *altera* quæſtio difficilior eſt: quænam iſtæ ſint cauſſæ honeſtæ atque legitimæ, propter quas dirimi matrimonium poſſit per diuortium: ſeu propter quas fieri diuortium queat, quo matrimonium dirimitur. In ſacris literis vna certa aſſignatur cauſſa, vel, vt alij volunt, duæ: adulterium, & deſertio iniuſta: In iure ciuili, piorúmque Imperatorum legibus complures, quæ ſummarim traduntur, *C.lib.5.Tit.17.de Repudiis.* *L.8.conſenſu.& Nouel.22.* In iure Canonico, nulla planè eſt cauſſa, propter quam verum diuortium facere liceat, cùm nunquam illi velint, ne propter adulterium quidem, vinculum coniugij ſolui, niſi morte. Multas etiam ipſi cauſas tradunt, ſicut & Iuriſperiti, propter quas tale diuortium fieri poſſit, quo coniux à menſa, toro, & conſuetudine alterius coniugis abſtineat: ſed nullam eſſe volunt, qua poſſit coniugij vinculum ſolui: ita vt nouam ducere ſponſam, aut nouo nubere viro, niſi poſt alterius mortem, liceat. Vide in *Decr. C.32 q.1.Can.2. Dixit Dominus*: ex profeſſo autem, C.32.q 7.

Noſtri inter ſe non conſentiunt. Sunt qui vnam tantùm cauſſam aſſignari à Spiritu S. velint. Ea eſt adulterium, de quo *Matth.19.* Sunt qui addant ſecundam, Deſertionem: de qua *1.Cor.7.* Non deſunt, qui omnes, quas habemus in *C.de diuortiis. L.8.conſenſu*: & quæ in *Authenticis*, *Collat.4* probent, & tanquam cum verbo Dei conſentaneas, ſeruari velint. Sunt qui pleraſque ipſarum licèt non omnes probent.

Nos, quam iudicamus veram eſſe ſententiam ex verbo Dei: illam explicabimus & confirmabimus. Nos enim Theologiam docemus: Theologiæ autem fundamentum ſunt ſacræ literæ. Neque hic quærimus, quid facere poſſit Magiſtratus propter bonum publicum: ſed quomodo conſcientia in noſtris actionibus, pacata eſſe poſſit. Explicata verò ſententia: ad obiecta reſpondebimus: reliquáſque ſententias examinabimus.

THESIS.

Vna duntaxat certa eſt cauſa, eáque iuſtiſſima, propter quam licet Chriſtiano viro, aut piæ vxori, diuortium facere cum ſuo coniuge: nempe adulterium.

PRincipio, quid diuortij nomine intelligamus, in ſuperiori quæſtione explicatum eſt. Quid etiam nomine adulterij intelligendum ſit, notius eſt, quàm vt explicatione opus habeat. Non enim aſſentimur illis, qui adulterum eum duntaxat eſſe definiunt, qui cum alterius vxore peccat: aut adulteram, quæ cum alterius viro: ſed quicunque contra fidem coniugi datam, cum alia quauis perſona, ſiue coniugata, ſiue inconiugata, rem habeat, hunc adulterum eſſe dicimus. Ac quod de viro dicimus, idem de vxore intelligendum eſt. Qua in parte meliùs ſentiunt ac definiunt adulterium Canoniſtæ: quàm Iuriſperiti. Non enim adulterium dicitur, quòd ſit acceſſus ad alterius torum: ſed quòd ſit acceſſus ad alterum, vel alteram. Proinde Chriſtus non eſt vſus voce μοιχείας, ſed πορνείας: qua ſignificatur omnis illicitus concubitus. Ergo quid nomine adulterij intelligendum ſit, tenemus.

Hanc autem eſſe vnicam cauſſam, propter quam liceat diuortium facere: tam apertè docet Chriſtus, vt nihil ſit clarius. Excipit enim omnes alias cauſas, præter adulterium, cùm ait: Matth.5. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam* παρεκτὸς λόγου πορνείας: *facit vt ea mœchetur.* Et ita etiam Matth.19. *Dico autem vobis, quòd quicunque dimiſerit vxorem ſuam,* εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *niſi ob ſcortationem, mœchatur, &c.* Vim habet pro noſtra ſententia illud: *Ego autem dico vobis*: quaſi dicat: Alij multas aſſignarunt cauſſas: *Ego vnam*, &c. Hæc vnica ratio mihi ſufficit, & cuique pio ſufficere debet.

1. *At excipit* (inquies) *tantùm leuiores cauſſas ipſo adulterio, quales erant illæ, propter quas Iudæi ſoliti erant dimittere vxores ſuas.* Sed nugæ ſunt. Ex verbis Chriſti nil tale colligitur: Ac cùm bis de eadem re diſſeruerit, *Matth.5.& 19.* Vtrobique ſolam adulterij cauſſam poſuit, & reliquas omnes excepit. Ratio autem in promptu eſt, cur hanc vnam poſuerit cauſam, tanquam legitimam & iuſtiſſimam: nempe, quia adulterium ex diametro pugnat cum coniugio, quo vir & vxor vna fiunt caro. Quia igitur ſolum adulterium, ſua natura ſoluit vnitatem & vinculum coniugij: idcirco Chriſtus meritò, hoc vnum docuit eſſe legitimam cauſſam cur diuortium fieri poſſit. Fieri enim non poteſt, vt vnus ſit cum duabus, vna caro: cùm apertè Deus conſtituerit & pronunciarit, vt duo tantùm ſint vna caro: vt Chriſtus interpretatur Matth 19. *Qui autem vel ſta vxore adhæret ſcorto, fit vna caro cum ſcorto,* vt Apoſtolus docet 1.*Corinth 6.* Adulterium igitur, vera & legitima eſt cauſa, cur fieri poſſit diuortium.

2. At magnus quidam vir, qui tueri conatur omnes cauſas quas habet Codex. *L.conſenſu: Etiamſi* inquit *Chriſtus videatur concedere diuortium ob cauſam tantùm adulterij: reuera tamen concedit diuortium, alias etiam ob cauſas.* Quomodo probat hoc? A loco Apoſtoli 1.*Corinth.7.* Spiritus ſanctus in Apoſtolo concedit diuortium propter cauſam deſertionis. Non pugnat autem Spiritus ſanctus in Apoſtolo, cum Chriſto ipſo, eiúſque doctrina: Licèt ergo Chriſtus dixerit, Niſi cauſa fornicationis, tamen non vnam tantùm cauſam eſſe voluit diuortij: ſed plures, nimirum duas, Adulterium, & Deſertionem.

Reſp. Sed pace huius tanti viri, torquentur verba etiam Apoſtoli nimis violenter: vt taceam de verbis Chriſti, quibus nihil eſt certius aut clarius. Nego Apoſtolum aſſignare alteram cauſſam, propter quam liceat diuortium facere cum coniuge tua. Non loquitur Apoſtolus de diuortio faciendo: ſed de diuortio ab infideli facto, ipſi fideli ferendo. Dicam clariùs. Docet ibi Apoſtolus, quid faciendum ſit fideli coniugi, ſi infidelis, odio religionis, diuortium faciat cum fideli. Hoc eſt enim illud diſcedere, de quo loquitur Apoſtolus, dicendo: *Si infidelis diſcedit,* (hoc eſt, diuertit, ſeu diſceſſionem & diuortium facit) quid faciendum tunc fuerit fideli? Inquit Apoſtolus: *Diſcedat ſanè infidelis*: quaſi dicat: Quandoquidem infidelis, ſuapte ſponte, ſine tua culpa, diuortium facit: tu debes illud ferre, & liber effectus, frui tua libertate. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt in huiuſmodi frater, vel ſoror. Certè Paulus non concedit vllo modo fideli, vt diuortium faciat cum fideli, ſi velit cum ipſo eſſe. Imò iubet cum tali infideli colere coniugium, vt manifeſtum eſt ex verbis Apoſtoli. Quomodo igitur docet alteram cauſam, propter quam liceat fideli, diuortium facere: cùm potiùs iubeatur ferre & pati, non autem facere? At verò Chriſtus docuit cauſam, propter quam liceat diuortium facere. Falſum eſt igitur, quòd aſſumit iſte magnus vir, cùm ait, Spiritus ſanctus in Apoſtolo alteram cauſam docet, propter quam fieri poſſit diuortium, nempe deſertionem. Ac proinde falſa eſt ſequela, quam infert. Ergo licèt Chriſtus videatur vnam tantùm cauſam faciendi diuortij ſtatuere, nimirum adulterium: cætera tamen plures concedit. Multò verò minùs valet conſequentia. Ergo has etiam, quas habemus in codice conceſſit.

3. *Si propter adulterium, licet diuortium facere multò magis igitur propter crimina alia grauiora adulterio.* Quare licèt Chriſtus ſolam adulterij cauſam ſtatuiſſe videatur, alias tamen illa grauiores non excluſit.

Reſp. Principio: Nego conſequentiam. Certè infidelitas, grauius peccatum eſt adulterio. Interim non tenet hæc ſequela, propter adulterium plectendi ſunt homines capitaliter: Ergo multò magis propter infidelitatem. Deinde dico peccatum vnum altero grauius eſſe, non vno modo, ſed multis: nempe propter varias circumſtantias, puta obiecti, in quod peccatur: modi, quo peccatur: finis, cuius cauſſa peccatum illud admittitur. Etſi ergo multa ſint peccata, quæ multis reſpectibus grauiora ſunt adulterio: tamen reſpectu coniugij ipſius, in quod peccatur, dico nullum grauius eſſe ipſo adulterio. Ratio eſt: quia nullum ſua natura ſoluit coniugij vinculum: niſi adulterium, ſicut antè demonſtratum eſt. Poteſt enim cum connubio cohærere infidelitas, idololatria, blaſphemia: quæ certè reſpectu obiecti in quod peccatur, grauiora ſunt adulterio. Annon enim verum connubium eſt inter fideles, idololatras, blaſphemos? At verò adulterium cum coniugio conſiſtere non poteſt: quoniam efficit, vt qui duo erant vna caro, deſinant eſſe vna caro.

4. *Morte finitur connubium: ita vt tum tibi liceat alteram ducere.* Atqui ſi alicuius maritus propter ſcelera admiſſa deſtinetur carceri perpetuo, vel triremi, aut aliquid ſimile patiatur, quo nulla ſpes ſit vxori, illo amplius fruendi, certè perinde hoc fuerit vxori, atque ſi eſſet vir mortuus. Licebit igitur tali vxori tanquam priori coniugio liberatæ alij nubere viro.

Reſp. Ex verbo Dei habemus, morte finiri coniugium: non autem habemus, his pœnis finiri vel dirimi. Conſcientia autem pij hominis niti debet & poteſt ſolo Dei verbo. Et ſtat illud firmum: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Tum autem homo ſeparat, cùm ſeparat ſine verbo Dei. Deinde longè diuerſa eſt ratio mortis veræ ac naturalis, & iſta-

rum

rum, licèt grauiſſimarum pœnarum. Illa tollit homines ex hoc Mundo, vel in cœlum, vel in infernum; quibus in locis nullum poteſt eſſe connubium. At pœnæ iſtæ, & exilia, retinent adhuc homines in vita. Dum autem viuit vir, licèt in ſumma miſeria; poteſt cum illo viuere vxor; & ſi non omnia, multa tamen officia bonæ coniugis præſtare. Certè, licèt diſiungantur corpore; vinculum tamen coniugij efficit, vt adhuc vna ſint caro. Non enim ſoluitur, niſi vel naturali morte, vel diuortio, vt ſuprà oſtenſum eſt in prima quæſtione. Nam quòd in Digeſtis additur captiuitas, aut alia ſimilis ſeruitus, vti etiam erat deportatio, nihil ad nos pertinet. Sed Romani ſic ſtatuerunt in ſua Repub. quoniam non conſtabat connubium, niſi inter liberos. Illis autem pœnis, libertatem amittebant, quia pœnarum ſerui fiebant. Hoc verò ſublatum fuit inter Chriſtianos per Iuſtinianum; quos voluit ſemper eſſe liberos, licèt grauiſſimis afficiantur pœnis propter admiſſa ſcelera. Itaque ſemper manet inter Chriſtianos connubium, dum viuunt, & niſi iuſto diuortio dirimatur.

5. *Matrimonium inſtitutum eſt, tum propter liberos ſuſcipiendos, tum propter vitandam ſcortationem. Si igitur contingat, vt vir aut mulier impotens fiat ad beneuolentiam præſtandam, propter frigiditatem, aut incurabilem morbum: videtur tunc cauſſa eſſe legitima faciendi diuortij.* Nam ſublata cauſſa, tolli etiam debet effectus.

Reſp. Aut talis erat coniux iſte, puta vir, ante contractum matrimonium: aut poſt contractum, talis eſt effectus, ex morbo. Si ante, conſtat nullum fuiſſe connubium, vt ſuprà demonſtratum eſt; quoniam in hunc non vere conſenſit mulier, quæ talem eſſe virum hunc ignorabat. Itaque nullum hic fiet diuortium; ſed tantùm nullum fuiſſe connubium declarabitur. Si verò poſt contractum conſummatúmque coniugium frigiditas hæc, aut incurabilis morbus contigit: legitima cauſſa non eſt, cur fieri poſſit diuortium: propter auctoritatem Domini? *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet.* Proinde debet alter coniux, hanc coniugis ſui calamitatem cum illo ferre; perſuaſum habens, hanc eſſe Dei voluntatem, vt cœlebs viuat: ac proinde, Deum etiam ſibi non defuturum, ſed daturum vires, quibus in vita cœlibe perſeuerare poſſit.

Quid verò, ſi talis maritus videns omnino eſſe impotentem, idque in ſempiternum: concedat vxori, vt alteri nubat? Reſpon. Non poteſt hoc concedere: ſic enim homo ſepararet, quod Deus coniunxerat. At, nónne poteſt ius ſuum, quod habebat in corpus vxoris, reſignare? Non poteſt, quia ius hoc acceperat à Deo, vt ſibi retineret, non vt alteri cederet. Certè neque in rebus politicis & humanis, poteſt quis ius ſuum alicui, cum iniuria alterius cedere: quanto minùs hic cum iniuria Dei: qui non conſentit, vt ius tuum alteri cedas? Illud, ſublata cauſa, tolli etiam debet effectus, primo locum hic non habet, propter mandatum Dei, *quod Deus coniunxit, Homo non ſeparet.* Secundò: Non ſunt tantùm illæ duæ cauſæ coniugij, ſed etiam aliæ, vt mutuum adiutorium ad multa, ſicut in definitione coniugij dictum eſt.

6. *Quiſque tenetur ſe à manifeſtis vitæ periculis ſubducere: ſi per ſuam vocationem hoc efficere poſſit. Quid igitur faciendum coniugi vni, ſi apertè videat, & certò ſciat ſibi ab altero coniuge veneficiũ parari, aut alias ſtrui inſidias, quibus interimatur?*

Reſp. Minimè hinc ſequitur, propterea diuortium eſſe faciendum. Nam has ob cauſſas per vocationẽ non licet: quia quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Deus autem has ob cauſſas non docuit diuortium eſſe faciendum. Poteſt verò & debet innocens coniux declinare hæc pericula multis aliis modis: quas explicare omnes longum eſt, atque etiam impoſſibile. Poteſt ad extremum Magiſtratui indicare: qui remedium adhibeat in tempore.

Idem ad obiectionem de inſania & furore reſpondemus: vnde ſuprà dicta pericula ſolent pendere. Cur enim Magiſtratus eſt conſtitutus: niſi vt ad eum recurratur in talibus & ſimilibus caſibus: is verò adhibeat remedia, & impediat imminentia mala?

7. *Omnes iubentur à Domino ſeſe ciuilibus ſuæ quiſque Ciuitatis legibus ſubijcere, quæ non pugnent cum aperto Dei verbo. Tales autem ſunt leges de Diuortio faciendo in C. l. cõſenſu, lata.* Sunt enim propter talia vitia, quæ etiam lex Dei damnat: vti eſt, præter adulterium, etiam homicidium, veneficium, ſacrilegium, molitio aduerſus imperium, crimen falſi, & alia id genus. Ergo præter adulterij cauſam licitum eſt diuortium.

Reſp. Negatur aſſumptum. Etſi enim perinde hæc crimina damnantur à verbo Dei, atque à legibus Imperialibus: & in hac parte non pugnent hæ leges cum lege Dei: hoc tamen pugnat cum lege Domini, quòd hæc, nullum horum criminum, docet cauſſam eſſe legitimam, faciendi diuortij: imò diſertè tradit excepta fornicationis cauſſa, diuortium fieri non poſſe. Leges autem illæ Imperiales contrà docent, præter adulterij cauſſam, alias etiam ob cauſſas, quas explicant, fieri diuortium poſſe.

Adde, quòd pleraque omnia, quæ in *eà l. conſenſu*, & alibi apud Iuriſperitos dãnantur, & vt legitimæ diſſoluendi coniugij cauſæ afferuntur: crimina ſunt capitalia: vt eſt homicidium, veneficium, molitio contra Imperium, crimen falſi, latrocinium, plagium, latronúmve ac plagiariorum ſuſceptio, inſidiæ in vitam vxoris, honeſtatis eius proſtitutio, & alia id genus. Crimina ſunt iſta capitalia. Deus autem mandat, vt quod capitis ſupplicio dignum eſt, illud capite plectatur. Si ergo Magiſtratus ſua fecerint officia: quid hic opus fuerit diſputare, an propter hæc ſint facienda, vel non facienda diuortia? Conſtat enim, morte finiri connubium.

Quid verò ſi Magiſtratus ſuum negligat officium?

Reſp. Non propterea priuatus fidelis ſuũ debet negligere. Quod eſt autem hoc? nempe, vt quiſque ſeſe gerat in omnibus, prout poteſt, & poſtulant leges.

Denique poſtquam omnia, quæ de hac quæſtione legi poſſunt, perlegi: nihil video, quo ſententia noſtra, qua docemus, vnam tantùm eſſe cauſam faciendi diuortij, nempe adulterium, refelli poſſit.

Itaque firma manet noſtra theſis, quæ tam de vno coniuge, quàm de altero intelligenda eſt. Atque ad hanc quæſtionem alteram de cauſis faciendi diuortij, ſatis dictum eſto.

Vidimus & fieri diuortium poſſe inter eos, qui legitimè contraxerunt connubium, & quam ob cauſſam fieri poſſit. Nunc videndum de cauſſa efficiente: an coniux ipſe, vel ipſa innocens, cognita legitima Diuortij faciendi cauſa: poſſit per ſeſe diuortium facere: an verò iudicis poſt legitimam cauſæ cognitionem, expectanda ſit ſententia, & quiſnam debeat eſſe iſte iudex. Nam etiam hoc fuit inter multos controuerſum: aliis iudicantibus licere, aliis demonſtrantibus fieri non poſſe.

1. Iudæi in primis ſoliti erant libellum repudij dare ſuis vxoribus, abſque legitima cauſæ apud iudicem cognitione: vt ex veteri Teſtamento liquet.

Reſp. Verùm, ſicut Chriſtus non probauit, quòd ob tales cauſas, vtpote non legitimas, diuortium facerent: Sic talis ratio faciendi diuortij probari non poteſt. Quanquam neque neceſſaria erat cauſſæ diſcuſſio: vbi cuique licebat dimittere vxorẽ, ſi non placeret. Itaque exemplum Iudæorum nihil ad rem.

2. Romani quoque conſueuerant, proprio arbitratu, ſine legitima cauſæ apud Iudices cognitione, repudium ſeu diuortium mittere; quanquam non ſine teſtibus idoneis, liberto per quem repudium mittebatur ad vxorem adhibitis: quòd alioqui nollent illud eſſe ratum: vt liquet *Digeſt. lib. 24. Tit. 2. de diuortiis. L. 9. Nullum.* Nullum diuortium ratum eſto, niſi 7. ciuibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum eius, qui diuortium faciet.

Sed neque illa conſuetudo laudari poteſt ſimpliciter: cùm etiam probari non poſſint omnes cauſæ, propter quas facere diuortia ſoliti erant. Quanquam minùs etiam improbanda erat ipſorum conſuetudo, quàm Iudæorum. Non enim ita pro ſuo arbitratu repudiabant, vt Iudæi: ſed cauſſas diuortij volebant domi ſaltem inter amicos cognoſci: vt liquet ex Valerio Maximo, *Libr. 2. cap. 4. de Cenſoria nota.* Et quidem ſpectatis cauſis propter quas faciebant diuortia; ſæpe expediebat intra priuatos parietes cauſas cognoſci atque decidi: ne perſona, quæ repudiabatur, traduceretur per omnia ora.

Cæterũ, alia eſt cauſa, propter quam Chriſtiano liceat diuortiũ facere: nempe adulteriũ. Alia quoq; illa, propter quã declarandus aliquis eſt, priori liberatus eſſe coniugio: deſertio ſcilicet, qua iniquè fuit ab altera coniuge deſertus. Vtraque enim graui opus habet, & legitima cognitione.

3. Sunt qui obijciant exemplum Abrahami: qui ſine iudicum ſententia & iudicio, ſponte eiecit Agarem. *Gen. 21. 12.* Sed negatur hoc feciſſe priuato ſuo iudicio: cùm habuerit apertum Dei mandatum, vt obediret voci Saræ. Neque huius exemplum in regulam generalem trahendum eſt.

4. Sunt qui ſic argumententur: *Solo legitimo partium conſenſu, contrahitur matrimonium: Ergo ſolo etiam earundẽ conſenſu propter iuſtam cauſam diſſolui poteſt.* Eſt enim Regula iuris in *Dig. lib. 50. Tit. 17. de Regulis iuris: l. 35. Nihil tam naturale eſt, quam eo genere* (ſcilicet vinculi) *quodque diſſoluere, quo colligatum eſt.*

Verùm, primò nego in ipſa conſequentia, legitimum eſſe partium conſenſum in diuortio faciendo; cùm legi

tima cauſæ cognitio non præcedat. Non eſt autem legitima cauſæ cognitio, quæ ſine legitimo fit iudice: ſed is iudex eſt: qui & pars. Deinde ſicut probari non poſſunt nuptiæ clandeſtinæ: ſic neque clandeſtina diuortia. Et ſtat illud, *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Denique illi regulæ Iuris oppono aliam legem ex *C. lib. 4 Tit. 45. Quando liceat ab emptione diſcedere. l. 1. quæ eſt hæc: Si res integra ſit: poſſe vtriuſque partes conſenſu, ab emptione & venditione recedi: ſed ſi integra non ſit: non poſſe.* Non eſt igitur ſimile, quod afferunt de conſenſu in contrahendo matrimonio, cum conſenſu in eo dirimendo. Antequam contrahas: res libera & integra eſt. At poſt contractum: res integra non eſt, eóque nec libera. Præterea non tam conſenſus partium, quàm Dei ipſius requiritur: quia quod Deus coniunxit: homo non ſeparet. Dei autem conſenſus audiendus eſt ex legitimo iudice, qui cauſa legitimè cognita, ex verbo Dei pronunciet. Quæ cum ita ſe habeant, apparet nullam eſſe rationem, cur debeat cuique licere diuortium facere: antequam cauſa legitima, legitimè, & à legitimo iudice cognoſcatur, & ſententia ferratur.

5. Denique obiicitur Fabiolæ exemplum, quæ tempore Hieronymi, ſine iudicio Eccleſiæ aut Magiſtratus, diuortium fecit ſua ſponte, cum marito: quòd eſſet flagitioſiſſimus homo. Neque id reprehenditur ab Hieronymo.

Reſpon. Sed egit pœnitentiam publicam: non quòd diuortium feciſſet: ſed quòd ſponte feciſſet ſine Eccleſiæ iudicio.

Itaque noſtra hæc eſto

THESIS I.

Non poteſt altera pars, aut per ſeſe, aut ex alterius etiam conſenſu, diuortium facere, etiam ſi iuſtam illud faciendi cauſam habeat: ſed vt cauſa legitima, legitime etiam, & apud legitimum iudicem cognoſcatur, iudicetur, & definiatur neceſſe eſt.

INiquum eſt, & apud omnes gentes ſemper damnatum: vt quis ſit in propria cauſa, & pars & iudex. Multò verò iniquius, ſi id fiat in cauſa graui, & in qua aliorum quoque multum interſit, quomodo definiatur ac ſtatuatur. Quantum verò, & quàm multorum intereſt: vt aliquod fiat diuortium, vel non fiat?

2. Quorum Deus autor eſt, ea non licet cuiquam ſuo arbitratu tollere aut mutare. Diſertè autem Deus profitetur, ſe coniugij cuiuſque autorem eſſe, qua Deus ipſe coniungit coniuges. Proinde iubet, ne quis ſeparet, quod ipſe coniunxit.

3. Etſi adulterium extra omnem controuerſiam, certiſſima & legitima eſt cauſa faciendi diuortij: An tamen aliquis admiſerit adulterium, nec ne admiſerit, non ſemper per ſe conſtat: ſed probatione, eóque teſtibus opus eſt ad probandum factum. Sic quoque lex Dei conſtituerat: vt nemo pro adultero, vel adultera haberetur, niſi legitimè conuinceretur adulterij.

4. Quot etiam, quantotúmque malorum & iniuriarum faciendarum ianua aperiretur improbis hominibus: ſi cuique liceret per ſeſe, cauſa ante legitimum iudicem non probata, vxorem adulterij accuſare, damnare, & propterea etiam eiicere? Contrà verò, quo vultu, quáve fronte poſſet vxor adulterium viro obiicere, eámque ob cauſam ab eo diſcedere: ni priùs legitimè conuictus fuerit maritus adulterij & à iudice damnatus? Vult autem Deus, vt & malis occurratur, occaſionéſque faciendarum iniuriarum tollantur: & innocentibus ad ſeſe tuendum, auxilium præbeatur. Vtrumque autem fit, ſi apud legitimum iudicem ſingulorum cauſæ deferantur, cognoſcantur, definiantur.

5. Præterea, ſi in qualibet etiam nomina contractus publico inſtrumento confectus, ita firmus eſſe debet: vt non cuiuſuis vel venditoris vel emptoris arbitrio diſſolui poſſit; præſertim cùm res integra non eſt: quantò minùs id fieri poteſt ac debet in contractu connubij, quod coram tota Eccleſia ſolenniter celebratum eſt: & cuius autor eſt Deus?

6. Proinde meritò conſtitutum fuit in Eccleſia Chriſti, & legibus tum piorum Imperatorum, tum ſacrorum Conciliorum cautum eſt: ne quis priùs diuortium faciat, quàm apud legitimum Iudicem cauſa cognoſcatur, & ſententia iudicis audiatur. In *Decr C. 33. q. 2. Can. 1. Seculares: ex Concil. Carthag.* Item *C. 35. q. 6. C. 9. multorum relatione.* Item *Extra lib. 4. Tit. 19. de Diuortiis, cap. 3. porro.* Item *Extra lib. 1. Tit. 29. de officio & poteſtate iudicis delegati, cap 16. cauſam matrimonij.*

7. Atque hanc etiam addunt rationem: quia ſententia diuortij pœna eſt criminis admiſſi. Sed pœna non debet niſi per iudicem inferri, id quod & *C. lib. 1. Tit. 12. de Iudæis, l. 13. Nullus*: cautum fuit: *Ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat vltionem.* Legatur & in *Decr. C. 27. q. 2. Can. 15. Sunt qui dicunt.* Item, *C. 13. q. 2. Can. 18. Quos Deus coniunxit.* Ac de Theſi prima ſatis. Summa eſt: cum ſolus Deus dirimat matrimonia: Deus autem omnia velit agi ordine & legitimè: non poteſt fieri diuortium, ſine legitima cauſſæ cognitione.

THESIS II.

Cauſarum porrò matrimonialium, ac proinde etiam de diuortiis faciendis cognitio atque iudicium, ad Eccleſiaſticum presbyterium, & ſimul etiam ad, ſi haberi poſſit, Chriſtianum politicúmque Magiſtratum pertinet.

DIxi, *ſi fieri poſſit* quoniam non ſemper Eccleſia, pium habet Magiſtratum. Vtrumque autem in his cauſſis iudicandis coniungimus: quoniam ipſum matrimonium, vt de principio diximus, partim diuini, partim humani iuris eſt. Nam quatenus ad humanam ſocietatem pertinet, multa habet merè ciuilia. Adde quòd & pœnæ corporales, quæ propter ſcelera in illo admiſſa, infligendæ ſunt nonnunquam, à ſolo magiſtratu ciuili infligi poſſunt. Atque huc pertinent tot leges atque ſanctiones, quæ tum in iure Ciuili: tum in vnoquoque regno, Republ. atque vrbe conſtitutæ ſunt: De donationibus ante nuptias: de ritibus nuptiarum: de inutilibus nuptiis: de interdictis matrimoniis inter pupillos & tutores: de impuberum ſponſalibus: de dotis promiſſione: de iure dotium: de donationibus inter virum & vxorem: de deſertoribus: de liberis legitimis atque ſpuriis: de alendis liberis ac parentibus: apud quem ſoluto matrimonio, educandi ſint liberi: & alia id genus multa de coniugio conſtitutiones: de quibus in ſacris literis aut nihil aut parum traditum eſt. Itaque dubium non eſt, quin magna ex parte cognitio cauſſarum matrimonialium, eóque & controuerſiarum de diuortiis, ad Ciuilem Magiſtratum pertineat.

1. Cæterùm, primas huiuſce cognitionis atque iudicij partes, quatenus ſcilicet conſcientias concernit, ad ſenatum Eccleſiaſticum pertinere: inde fit manifeſtum, quoniam primò Deus inſtituit matrimonium, non autem homines: idque in ſcripturis traditur, non autem ex libris hominum diſcitur. Quibus etiam, & quibuſcum liceat matrimonium contrahere, & quibuſcum non docet in primis verbum Dei. Quæ item inceſta, quæ non inceſta; quæ legitima, quæ illegitima; quæ ſancta, quæ non ſancta, quid verò ſit matrimonium, quæ eius cauſſæ tam efficientes, quàm finales, quæ cuiuſque coniugis officia in conſeruando coniugio, in educandis liberis, in domo regenda atque adminiſtranda: quæ denique ſint illegitimæ, & quæ contrà legitimæ ſint diuortij cauſſæ: hæc omnia, & primùm atque ante omnes, & clariùs atque fuſiùs, in ſacris literis traduntur, quàm in vllis politicorum Magiſtratuum libris: Ergo de his rebus, eóque de toto matrimonio, quatenus conſcientiam concernit, è ſacris literis iudicium eſt petendum. Ad quos autem pertinet iudicare ex verbo Dei? Annon ad presbyterium Eccleſiaſticum? Adde, quòd & pœnæ ſpirituales, vti eſt excommunicatio, quibus coniuges aliquando propter neglecta officia, afficiendi ſunt: non à Magiſtratu Ciuili, ſed ab Eccleſia infligendæ & relaxandæ etiam ſunt, prout docet verbum Dei. Quare dubitari non poteſt, quin matrimonialium cauſſarum cognitio maximè & in primis ad Senatum Eccleſiaſticum ſpectet.

2. Confirmatur hoc exemplo Eccleſiæ Corinthiacæ, vt Paulus, 1. *Cor.* 5. docet. Quinam enim de inceſtu eius Corinthiaci iudicarunt, & quinam illum caſtigarunt? Eccleſia ipſa ſine Magiſtratu, quem non habebat. Rurſus, qualis fuit pœna, qua illum Eccleſia caſtigauit? Non certè politica, quam non poterat ſibi vſurpare, ſed ſpiritualis & Eccleſiaſtica, traditio ſcilicet in manum Sathanæ, hoc eſt, excommunicatio, vt omnes ſani, tam veteres, quàm recentiores interpretes explicatum nobis reliquerunt. Ad Eccleſiam igitur, hoc eſt, ad presbyterium non pertinet, corporalibus pœnis aliquem afficere, ſed ad ſolum Ciuilem Magiſtratum. Nam ſi quis obiiciat exempla Petri & Pauli, quorum alter Ananiam & Saphyram Spiritu Dei mortuos proſtrauit, alter Elymam excæcauit: huic facilè reſpondetur, hæc extra ordinem geſta fuiſſe ab Apoſtolis, non tanquam Apoſtolis, ſed tanquam certis Dei, ad id pro eo tempore præſtandum, electis inſtrumentis, & quaſi extra ordinem dele-

gatis

gatis iudicibus, Cùm Eccleſia nullum haberet Magiſtratum Chriſtianum ordinarium.

3. Adde & exempla alia propè infinita, imò receptam in veteri Eccleſia conſuetudinem, qua Epiſcopi cum ſuo presbyterio ſoliti conſueuerant de cauſſis omnibus matrimonialibus iudicare, ſicut conſtat ex variis Conciliis, tam Oecumenicis, quàm Prouincialibus, item ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, item ex Auguſtini præter alios, & Ambroſij Epiſtolis.

Itaque altera etiam Theſis manifeſta eſt, legitimum Magiſtratum, ante quem cauſſæ diuortij, ſicut & reliquæ cauſſæ matrimoniales diſcutiendæ & iudicandæ ſunt, eſſe neque ſolum Eccleſiaſticum, neque ſolum Politicum ſenatum, ſed vtrunque ſimul coniunctum, ac proinde tam illos Epiſcopos errare, qui ſibi totam hanc cauſſarum matrimonialium cognitionem, excluſo pio & Chriſtiano Magiſtratu, vſurparunt, quàm illos Magiſtratus politicos peccare, qui ex legibus ſuis ſolùm ciuilibus, ſine verbo Dei per miniſtros, ad hoc delectos explicato, eóque excluſo presbyterio, de omnibus matrimonialibus cauſſis præſumunt.

In hac tertia quæſtione, duas iam habuimus Theſes, Vnam, *non poſſe diuortium fieri, ſine legitima, ante iudicem legitimum, cauſſa cognitione.* Alteram *iudicem hunc in Eccleſia, ad quem omnes matrimoniales cauſſæ deferendæ & diſcutiendæ ſunt, eſſe Eccleſiaſticum presbyterium, vna cum ſimul Magiſtratu, ſi haberi poſſit.* Reſtat iam vt theſes etiam ponantur de modo, qui in cognoſcendis hic cauſſis, faciendiſque diuortiis, tũ parti innocenti, tum etiam iudici, ſeruandus eſt.

Ac primùm de accuſatione adulterij, deque diuortio, propter illud faciendo. Deinde de proteſtatione deſertionis, nouíque connubij contrahendi libertate.

THESIS III.

Antequam vel vir vxorem, vel vxor maritum de adulterio accuſet, & diuortium petat aut faciat: omnia tentanda ſunt remedia, quibus vinculum matrimonij adulterio abruptum, coniuge reo reſipiſcente, coaleſcat & congruetur.

PRimùm dico, *Antequam vel vir vxorem, vel vxor virũ accuſet, &c.* Nam tam vxori licet cum viro diuortium facere quàm viro cum vxore, & tam illi ius eſt in maritum agendi, quàm huic in vxorem. Quod enim Chriſtus videtur *Matth.* 19. de ſolo viro pronunciaſſe, Nimirum, non licere ei dimittere vxorem, niſi propter fornicationem: eóque docet licere viro propter adulterium, diuortium facere cũ vxore, illud apertè Marcus iam de muliere, quàm de viro interpretatur, *cap.* 10. *verſ.* 11. & 12. Sic enim ſcribit Chriſtum dixiſſe, *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam* (intellige, ſicut habet Matthæus, *niſi ob fornicationis cauſam*) *& duxeris aliam: mœchatur aduerſus eam.* Hoc de viro. Mox de vxore *Et ſi mulier*, inquit, *dimiſerit virum ſuum* (nempe niſi propter ſcortationem) *& nupſerit alteri, mœchatur*: docens apertè à contrario: Non mœchari igitur vxorem, ſi propter ſcortationem, diuortium faciat cum viro, & alij nubat: Ac proinde tam ius eſſe vxori in virum, illum ſcilicet deſerendi propter adulterium, quàm viro in vxorem.

Et ſic verba etiam Apoſtoli intelligenda ſunt, 1. *Cor.* 7. *v.* 10. Vbi recitat mandatum Chriſti, tam de muliere, quàm de viro: *Vxor à viro ne diſcedito:* nempe niſi fortè ob fornicationem. Ergo ea mulier poteſt dimittere virum] propter fornicationem, quàm vir vxorem.

Nobiſcum faciunt Hieronymus & Auguſtinus, vt de noſtris omnibus taceam. Ille *Tom.* 1. *in epiſtola ad Oceanum.* parem facit conditionem vxoris hac in parte, & viri, & ita ſcribit: *Quod ſacra litera viro præcipiunt, in mulierem quoque redundat: & de vtroque vult pariter, & eiuſdem Marci.* Ac quia obiici ſolebant leges Romanæ, quæ hoc non concedebant vxoribus, quod viris, reſpondet, dicens: *Aliter loquitur Cæſar: aliter Chriſtus, aliter Paulus, aliter Papinianus.* Fabiola enim diuortium fecerat cum viro ſuo, homine adultero, & omni libidinis genere fœdaiſſimo atque infami.

Auguſtinus verò *Tom.* 6. *de adulterinis coniugiis ad Pollentium lib.* 2 *cap* 8. idem docet: parem faciens vtrique conditionem, eámque e ſcripturis demonſtrans: & ambo citantur in *Decr. cap.* 32. *q.* 6. Adde his etiam duos Pontifices Romanos, Nicolaum & Innocentium: ſicut citantur in *Decr. C.* 32. *q.* 6. *cap.* 22. 23.

1. Obiicitur Ambroſius ex Comment. *in Epiſtolam ad Corinth.* qui ait, *potiorẽ eſſe cauſſam viri in hoc negotio, quàm vxoris*: ſed tamen idem Ambroſius in verba Apoſtoli de infideli diſcedente: facit copiam nouarum nuptiarum ipſis etiam mulieribus, ſi nolint ipſarum viri infideles cum ipſis habitare. Si ergo in cauſſa, quam tradit Apoſtolus, vult Ambroſius parem eſſe conditionem mulieri & viro: quid cauſſæ eſt, cur non idem faciendum ſit, in cauſſa quã Chriſtus tractat, in cauſſa ſcilicet ſtupri?

2. Obiicitur etiam, quòd in lege non fuerit conceſſum fœminis dare libellum repudij viris, ſicut viris conceſſum erat dare vxoribus.

Reſp. Sed diuerſa eſt ratio illius repudij, quod quauis de cauſa fiebat: & iſtius, quod fit, propter cauſſam legitimam: nempe propter adulterium. Illud fiebat, ex ſola viri voluntate & arbitrio, imo libidine: propter duritiam ſcilicet cordis ipſorum: ideo tunc Dominus cauit ſua lege vxoribus & earum honori Hoc autem, de quo Chriſtus fit ex allegatis & probatis in iudicio: idque de iure, quod quiſque in alterius habet corpus. Ideo tam ius eſt vxori in virum, quam viro in vxorem in hoc negotio. In iudicio enim acceptio perſonarum nulla admittitur.

3. At, inquiunt, *vir caput eſt mulieris.*

Reſpon. Eſt caput, in ipſo coniugij conſortio, quia ille dominari debet, vxor obedire. Sed ius in alterius corpus, æquale eſt Ideo Apoſtolus ex æquo ait: *Vxor non habet in poteſtate ſuum corpus, ſed vir: ſimiliter & vir non habet in poteſtate ſuum corpus, ſed vxor.* Ergo tam ius ſit vxori, accuſandi maritum, ſi ſuum corpus communicet ſcorto: quàm viro, vxorem. Dum enim ſcortatur, ſoluit coniugium, quantum in ipſo eſt.

4. Sed obiiciunt ex *Cod lib.* 9. *Tit.* 9. *ad legem Iuliam, de adulteriis, L.* 1 Vbi cauetur, ne mulier accuſare poſſit virum adulterij publico iudicio: & hoc beneficium ſolis viris conceſſum eſſe.

Reſpon. Sed ego obiicio nouellam conſtitutionem Iuſtiniani in *Authent. coll.* 4. *de nup. in*, § *mulieres*, vbi apertè conceditur mulieri facultas repudiandi virum: ſi poſſit probare maritum eſſe adulterum: idque ex Theodoſij etiam conſtitutione comprobatur: *C. lib.* 5 *Tit.* 17. *de Repudiis. L.* 9. *conſenſu.* Idem traditur in Authent. *collat.* 8. *Tit.* 13. *vt liceat matri & auiæ*: §. *quia vero plurimas.* Carolus etiam quintus Imperator, idem conſtituit, de capitalibus & publicis iudiciis. *c.* 120.

Ad legem autem Iuliam de adulteriis reſpondetur, etſi cauetur ne publico iudicio accuſare poſſit vxor maritum: nempe propter honeſtatem, quòd non deceat mulieres ſe ſiſtere in publico iudicio aduerſus maritos tamen non prohibentur ſuum ius perſequi alia ratione nempe priuato iudicio, aut per tertiam perſonam in ipſo etiam publico iudicio. Et quidẽ Magiſtratus ipſe id facere poteſt, & ex officio debet, ſi deſit legitimus accuſator. Itaque nec in ipſis legibus Imperatorum repugnantia eſt: cùm facile poſſint conciliari. Quæ cùm ita ſe habeant, liquet, tam vxorẽ poſſe facere diuortium cum viro: quàm virum cum vxore propter adulterium: idque per omnes leges, diuinas, canonicas, imperiales. Atque hoc eſt primum, quod in noſtra Theſi poſuimus.

Secundo loco dixi, *antequam vel inſtituatur accuſatio, vel petatur fiatve diuortium: tentanda eſſe omnia, quibus coniux nocens ad veram reſipiſcentiam adducatur, & illo reſipiſcente, vinculũ matrimonij, alioqui adulterio abruptum, denuo coaleſcat & conſeruetur* Hoc dico his adductus rationibus.

1. Quia licèt poſſit pars innocens ſtatim inſtituere actionem aduerſus nocentem: & re iudicata, eam reiicere, tamen cùm hoc non iubeatur à Chriſto ſtatim facere: ſed tãtùm ius habeat faciendi, poteſt etiam coniugem ſuam adulteram retinere, modò reſipiſcat: id quod & charitas poſtulat, veráque pietas, vt aliàs oſtendimus.

2. Quotus quiſque eſt, qui ſi dentem habeat non ſanum, ſed vtcunque putridum & marcidum, illum ſtatim euellat & abiiciat? Aut digitum aliúdve membrum vlceroſum habeat: & illud confeſtim abiiciendum curet: ac non potius omnia prius tentet remedia, quibus illud ſanari, & ſanum in corpore retineri poſſit? Quid ita? Quia *nemo carnem ſuam odio habet.* Cur non idem fiat in coniuge: quæ tecum vna caro eſt facta? Scio illius culpa abruptum eſſe coniugij vinculum: verùm non ita quin tu poſſis, ſi velis, illud reſarcire & redintegrare.

3. Neque hic puto regulam Chriſti eſſe negligendam: *Si frater tuus peccauerit in te, &c.* quantò magis ſi coniux tua, ſi caro tua?

4. Certe, *charitas*, vt ait Salomon & Petrus, *operit multitudinem peccatorum.*

5. Et illud firmum manet: *Quod tibi non vis fieri: alteri ne feceris.*

6. Et Ioſephi exemplum, qui ſuam noluit traducere ſponſam (quanquam non ſit omnino ſimilis caſus) docere nos tamen debet, non ſtatim traducendas eſſe noſtras vxores, nec ſimulac peccarunt, actionem aduerſus illas eſſe inſtituendam. Ad ſummam: Charitas regula nobis eſſe debet perpetua actionum noſtrarum: cùm aliis in rebus, tum maximè in hoc negotio de diuortiis faciendis. His itaque adductus rationibus cenſeo, antequam ad accuſationem, & in iudicium veniatur: tentanda eſſe omnia honeſta media, quibus in vitam reuocetur delinquens, & ita vinculum matrimonij redintegretur & conſeruetur.

Quid verò faciendum, ſi aut cauſſa non ferat hanc patientiam: aut ego omnino nolim, quæ adulterata eſt, vxorem retinere: ſed vti libertate, qua me donauit Chriſtus? Addo igitur Theſim quartam.

THESIS IV.

Si tamen aut nolis, aut non poſſis, quæ adulterata eſt, vxorem retinere: tunc in actione inſtituenda, illa externa agendi ratio ſequenda tibi eſt, quæ in illa regione & Eccleſia, recepta eſt, tanquam honeſta atque iuſta, vbi habitas: & omnia inſuper ex charitate agenda ſunt.

Theſis per ſe manifeſta eſt: & Apoſtoli generali ſententia confirmatur, Phil. 4. *Quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate.* Atque hæc de modo & ratione, quam ſemper ſequi debet pars altera in actione adulterij inque diuortio propter adulterium faciendo, ſatis ſunto.

Quomodo verò ſeſe gerere debet in cauſſa adulterij, legitimus Iudex & Magiſtratus?

THESIS V.

Debet verò Magiſtratus non ſolùm audire accuſationes: verum etiam efficere, vt legitimè probentur. Iudicium enim fieri non poteſt, niſi ex allegatis & probatis.

THESIS VI.

Si verò accuſationes fiant aduerſus presbyterum, aut Epiſcopum: ne ipſam quidem accuſationem admittere debet, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus, 1. Tim. 5.

THESIS VII.

Si accuſator apertè ſit adulter, petátque diuortium: tantum abeſt, vt eum audire debeat: vt potius eum debeat capite plectere.

Eſt enim indignus, qui audiatur: is, qui de crimine alium accuſat, cuius ipſe manifeſtè reus eſt. In quo enim alium accuſat, ſeipſum condemnat, *Rom. 2.* Dominus quoque in lege ſua cauit, ne is qui vxorem ſuam impudicitiæ falsò accuſaſſet: dare ei vnquam libellum repudij poſſet. Iuriſconſultus autem in *Pandect. T. 3. libr. 48. Tit. 5. de adulteriis, L. 13 Si vxor §. iudex: Periniquum eſt,* inquit, *vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat.*

THESIS VIII.

Vbi autem conuictus quis fuerit criminis adulterij: debet presbyterium quidem indicare quid de adulteriis conſtituerit Dominus, & quid etiam Chriſtus pronunciarit. Ciuilis autem Magiſtratus, voluntatem Dei exequendo, tum innocentem, liberatum pronunciare, tum in alterutrum capitaliter animaduertere.

Non ſecus ferè agendum eſt in actione de deſertione. Ergo hæc eſt

THESIS IX.

Si fidelis aut ab infideli, aut etiam à fideli iniuſtè deſeratur, non citiùs tamen debet aut de deſertione, aut de libertate alteram ducendi vxorem, in iudicio proteſtari: quàm & debitis boni coniugis officiis præſtandis, & conſtanti ad iuſtum temporis ſpatium patientia atque expectatione, perfectè certior fiat, ſe verè eſſe deſertum.

Dixi ſi fidelis, aut ab infideli, aut à fideli deſeratur. Poteſt enim fieri ab vtroque deſertio: & quanquam Apoſtolus ex profeſſo de deſertione, quæ fit ab infideli, idque odio religionis, loquatur: tamen permulti interpretes, ad alteram quoque deſertionis ſpeciem, verba Apoſtoli extendunt. Certum eſt ex receptis in Eccleſia Ciuilibus legibus, & experientia ipſa, fidelem ab altero fideli coniuge deſeri poſſe: & propter talem deſertionem, tandem ſolui matrimonij vinculum: ita vt parti innocenti liceat nouum contrahere connubium. Hoc eſt vnum.

Porrò non eſſe ſtatim fideli innocenti de deſertione iudicandum, aut in iudicio proteſtandum, animumque ad nouum connubium adiiciendum præter eas, quæ ſupra dictæ ſunt rationes à charitate ductas, his etiam nouis confirmatur argumentis.

1. Quia fieri poteſt vt alter diſceſſerit, non animo te in ſempiternum deſerẽdi, ſed vel leuitate, vel aliqua indignatione, alióve humano affectu, animo tamen redeundi. Hæc autem non eſt deſertio: aut ſaltem talis, propter quam ibi liceat de nouis cogitare nuptiis. Expectandum igitur dum redeat, reconcilietur. Sic Apoſtolus 1. *Corinth. 7.* iubet. Nam neque omnis diuturna abſentia, pro deſertione habenda eſt. Non ergo temere de deſertione pronunciandum eſt.

2. Etiamſi quis diſceſſerit animo non redeundi, propter aliquam ſcilicet acceptam à te offenſam: mutari tamẽ poteſt illius animus, & reſipiſcere. Expectanda igitur eſt ipſius reſipiſcentia ad aliquod iuſtum tempus. Tempus autem iſtud, variè fuit definitum ab Imperatoribus. Sunt qui ſtatuerunt annos quatuor, vt Conſtantinus, alij quinq. *Dig. de diuortio. L. 6.* alij plures. Iuſtinianus expreſſe conſtituit decennium, poſt quod deſerta perſona, nouum contrahere matrimonium poſſit.

THESIS X.

Debet igitur deſerta perſona tam diu ſaltem expectare, quàm diu expectandum eſſe, Magiſtratus lege atque decreto conſtitutum eſt. Quo elapſo, ad Magiſtratum confugere debet & petere vt facta proteſtatione aduerſus deſertorem, ſibi iuxta Apoſtolum libera, liceat nouum contrahere matrimonium. Nec citiùs contrahere matrimonium debet, quàm cauſſa rectè indicata: factiſque debitis proteſtationibus, ſententiam à Magiſtratu audierit, facultatémque denuo contrahendi acceperit. Hoc eſt innocentis & deſertæ perſonæ officium.

Quid verò hic Magiſtratus?

THESIS XI.

Principio ferre non debet, vt quiſpiam ſiue infidelis, ſiue fidelis ſuam deſerat coniugem. Quod ſi deſeruerit: innocenti adeſſe debet, nocentem autem plectere. Eſt enim cuſtos legis diuinæ. Hæc autem omnem damnat deſertionem: quia iubet Deus, & lex naturæ, vt vir adhæreat vxori ſuæ, & ſint vna caro.

THESIS XII.

Si itaque conſtiterit, fidelem (vt de priori deſertionis genere dicam) verè deſertum fuiſſe ab infideli, & fidelis iuſto elapſus tempore, quo illum iubebatur expectare: petat ſibi licere

proteſtari

nem coniugij vinculo, déque aliam ducendi vxorem libertate: debet hoc illi concedere, & ex Apoſtoli ſententia, eum tanquam priori coniugio ſolutum, liberum eſſe factum, ad nouum coniugium contrahendum, declarare, ac ſolenniter pronunciare.

EST enim miniſter Chriſti, protector innocentium, & doctrinæ Chriſtianæ cuſtos, atque iuſtitiæ. Deſerit autem infidelis fidelem, non tam ab illo diſcedendo religionis odio, & animo non redeundi obfirmato: verùm etiam, niſi iniquis & intolerabilibus conditionibus contra Chriſtum, & contra omnem pietatem propoſitis, pateat: cum minis, perſecutionibúſve à ſe abire cogendo: aut etiam in manifeſto vel vitæ, vel conſcientię periculo verſantem, deſerendo. Conſtat autem, amandum magis eſſe Chriſtum, quàm coniugem: & relinquendam eſſe potius coniugem, quàm Chriſtum *Luc.* 18. Conſtat & illud plus quàm probabiliter, nempe, ſi infidelis diſcedat à fideli, vtut aliud prætexat, quàm odium religionis: ſi tamen diligenti per Eccleſiam, vel per Magiſtratum facta inquiſitione, aut nulla reperiatur iuſta cauſſa in coniuge fideli, propter quam infidelis diſcedere debuerit: aut aliqua quidem reperta, per cenſuram tamen Eccleſiaſticam, ſit ſublata: nec interim propterea infidelis redire velit: conſtat inquam tunc infidelem, vero religionis odio diſceſſiſſe: cóque verum eſſe deſertorem.

THESIS XIII.

Si autem conſtiterit, fidelem ab infideli diſceſſiſſe, nulla iuſta de cauſſa, ſed ſua culpa ac vitio: debet is per presbyterium argui, moneríque vt ad ſuum coniugem redeat, & ei reconcilietur: quod ni fecerit, per Magiſtratum cogendus eſt, vt faciat.

RAtio eſt, quia Apoſtolus non vult, vt fidelis infidelem deſerat, ſi velit cum ipſo habitare. Atque hæc de priori deſertionis genere: cùm ſcilicet infidelis fidelem deſerit, aut fidelis infidelem. Nunc de altera ſpecie: qua ſcilicet fidelis fidelem deſerit: quid officij tum ſit presbyterij, ac Magiſtratus, dicendum eſt.

THESIS XIV.

Si fidelis à fideli, non quidem extra Eccleſiam, & procul abeundo, ſed in Eccleſia manendo, diſcedat, & pars nocens, neque Eccleſiaſticis admonitionibus, neque pœnis Ciuilibus ad reconciliationem (vt Apoſtolus monet) & ad ſuum officium faciendum flecti poſſit: non propterea tamen permittendum eſt diuortium.

RAtio eſt, quia hic nulla eſt cauſſa diuortij faciendi legitima, neque factum eſſe iudicandum eſt. Fieri enim poteſt, vt non diſceſſerit animo pertinaci: neque ex contemtu Eccleſiæ, doctrinæve Chriſtianæ, eum diſceſſiſſe ſentiendum eſt, cùm in Eccleſia maneat, & in ſui Magiſtratus ditione.

THESIS XV.

Si autem fidelis à fideli procul diſceſſerit: & extra territorium abeundo, & tam pertinaci animo abſens maneat, vt neque nunciis, neque literis per Magiſtratum euocatus, redire, & ſeſe Eccleſiæ ſiſtere iudicio velit: tunc poſteaquam aliquot annos pars innocens, nocentem expectauerit, debet Magiſtratus, parte innocente id poſtulante, cauſſa legitimè cognita & iudicata, tandem abſentem ac contumacem coniugem, verum coniugis deſertorem proclamare: & propter talem deſertionem, verè ſolutum eſſe coniugij vinculum eóque parti innocenti liberum eſſe, nouas inire nuptias, pronunciare.

RAtio huius eſt: quia cùm talis coniux pertinaciter contumax ſit in Eccleſiam & in pium Magiſtratum: manifeſtè fidem negauit, & infideli deterior eſt: Chriſtique & religionis deſertor cenſendus eſt, ne dum ſuæ coniugis.

Dixi verò, *ſi procul & extra territorium aufugit*: quoniam ſi maneat in Eccleſia, & ſub ſuo Magiſtratu, alia eſt ratio: cùm ibi poſſit pœnis ad officium faciendum cogi: vt neceſſarium non ſit diuortium.

THESIS XVI.

Si verò, qui iniquè diſceſſit, ita procul abſit, vt nullo modo ſciri poſſit, vbi ſit, & an adhuc viuat: is, poſtquam annos aliquot à Magiſtratu, conſtitutos, expectatus neque redierit, neque de ſe aliquid ſignificauerit: tanquam mortuus cenſendus erit. Ac proinde parti innocenti id petenti, concedendum fuerit: vt tanquam ſoluto prioris coniugij vinculo, nouum contrahere matrimonium poſſit.

TEmpus autem, quo expectandus eſt, & poſt quod liceat nouum contrahere matrimonium: varium fuit, vt dixi ſuprà, in *Nouella de nuptiis, §. ſed etiam fuit quinquennium.*

THESIS XVII.

Etſi verò prior porrò maritus redeat, qui apertus fuerit deſertor, repetátque vxorem ſuam, ſed re non ampliùs integra: is non ſolùm audiendus non erit, verùm etiam vt contumax in Eccleſiam & in pium Magiſtratum: & tanquam non ſolùm coniugis ſuæ, ſed etiam Chriſti, & ſanæ eius doctrinæ deſertor: puniendus fuerit.

THESIS XVIII.

Si autem, qui mortuus probabiliter putabatur, redeat, vxorémque repetat, poſterius coniugium, ignorantia haud iniuſta contractum, diſſoluet Magiſtratus: & vt ad priorem maritum redeat vxor efficiet.

RAtio eſt, quia neuter peccauit, ſi nempe prior potuit de ſuo ſtatu certum mittere nuncium, neque poſterior id feciſſet, quod fecit, niſi priorem maritum mortuum eſſe, probabiliter iudicatum fuiſſet: & ideo à Magiſtratu permiſſus facere, quod fecit. Fuit hoc optimè definitum, & rationibus è ſacris literis petitis confirmatum à Leone Papa: vt habemus in *Decret. C. 34. qu. 1. Can. 1.* Item ab Innocentio ibidem *Can. 2.*

Hactenus de officio tum fidelis deſerti, tum Conſiſtorij & Magiſtratus, in actione de deſertione, antequam de diuortio pronuncietur, diximus, quod & cum ſacris literis conſentaneum eſt, & tum in iure Ciuili, tum in iure Canonico rectè traditum fuiſſe iudicamus.

III. Diximus verò principio huius tractationis de Diuortiis, duo eſſe matrimoniorum genera; alia legitimè contracta, ac proinde quæ vera ſunt ac rata matrimonia: Alia illegitimè, ac proinde quæ reuera matrimonia non ſunt: De prioris generis matrimoniis, quot quibúſve modis dirimi poſſint: morte ſcilicet & diuortio: Diuortium autem duplex eſſe, vnum iuſtum, quod fit propter adulterium: alterum iniuſtum, quod ab infideli fit, odio præſertim religionis: vtroque tamen coniugium ſolui.

Nunc pauca quædam dicenda ſunt de alterius generis coniugiis: atque his paucis theſibus rem abſoluo.

THESIS I.

Matrimonia ipſo iure nulla; licèt tum benedictio Eccleſiæ, tum etiam corporum copulatio ſit conſecuta: nulla tamen eſſe declaranda ſunt, atque ita dirimenda.

HVius ratio eſt, quia ſicut quod Deus coniunxit, homo non debet ſeparare: ſic quæ Deus non coniun-

xit, ſed homo, Deus ea ſeiungi vult. Talia autem ſunt hæc, de quibus loquimur, connubia: quia ſcilicet ipſo iure nulla ſunt.

2. Ac ſi legitima & rata dirimi poſſunt propter iuſtam cauſam: quantò magis quæ nulla ſunt, hac ratione quia nulla ſunt? Eſt enim hæc omnium iuſtiſſima cauſſa: Exempla horum connubiorum hæc ſunt. *Si in gradibus prohibitis lege naturæ & Dei contracta ſunt, eóque inceſtuoſa. Si cum eo, qui vir non erat, ſed ſpado: aut qui propter perpetuum & inſanabilem morbum, officium coniugis præſtare nullo modo poterat. Si denique cum eo, qui alterius erat vir, ſine dolo id factum ſit, ſiue errore.* De hac Theſi nemo dubitat.

THESIS II.

Coniugia, quorum ſponſalia, licèt initiò nulla eſſent, poſtea tamen ſublato vitio, propter quod inutilia erant, confirmata fuerunt, dirimi non debent.

Ratio eſt, quia Deus hæc confirmauit ſublato vitio, propter quod nulla erant: & pars læſa, iure ſuo manifeſtè ceſſit conſenſu copuláque carnali. Exempla. Vt ſi ſponſalia verbis de præſenti duntaxat, vel ſub conditione tantùm contracta: poſtea concubitu confirmata fuerunt. Vt, ſi ſponſalia per vim initio aut metum contracta, poſteà voluntario conſenſu, comprobata fuiſſe manifeſtè appareat. Vt item, ſi connubia ſine conſenſu parentum initio inita: poſtea ſubſequente parentum conſenſu, ſint confirmata. Idem dicimus de iis, quæ ex errore perſonæ, vel qualitatis contracta fuerunt: ſed poſtmodum cognito etiam errore, voluit pars decepta, eſſe firma. Idem de iis, quæ licèt cum furente ſponſo vel ſponſa contracta fuerint: conſenſu tamen poſtea vtriuſque partis fuerunt firma atque rata effecta. Hæc etiam theſis manifeſta eſt.

THESIS III.

Quæ verò ſine parentum conſenſu contracta ſunt à liberis, qui ſub patria ſunt poteſtate conſtituti: ea licèt & benedictione Eccleſiæ, & copula carnali confirmata eſſe putentur: ſi tamen parentes, ea rata eſſe nullo modo velint, ſed reclament: quia ipſo iure nulla ſunt, dirimenda ſunt, vel potiùs nulla declaranda ſunt.

Ratio, quia Deus hos non coniunxit, qui contra mandatum Dei, ſeſe coniunxerunt: ſicut & de inceſtis nuptiis dictum eſt: & nemo dubitat: quia contra mandatum Dei contrahuntur. Qua de re multa ſuperiùs diximus: & quæ moderatio adhibenda ſit. Ad ſummum. Etſi coniugia, quæ ipſo iure nulla ſunt, nullo etiam modo propriè dirimi poſſe dicenda ſunt: perſonæ tamen ipſæ, quæ contra ius Dei & naturæ ſeſe coniunxerunt, ſeparandæ ſunt per Magiſtratum: declaratione veritatis facta & publicata: nempe talia non fuiſſe connubia: ſed inceſtus, aut adulteria.

Atque hactenus de coniugio, vltimo operum Dei, quæ ante peccatum hominis effecerit.

Neceſſaria fuit huius loci explicatio omnibus, iis præſertim qui ad gubernacula Reipub. vel Eccleſiæ, admittuntur: propterea quòd quotidie varij de matrimonio caſus occurrunt. Et ſacræ literæ ſubinde materiam de matrimoniis tractandam ſuppeditant. Ac niſi quis locum hunc iuſta & perſpicua methodo explicatum teneat: ſæpenumero hæreat in luto neceſſe eſt. Proinde lectorem pœnitere non debet, cum hunc vtiliſſimum fusè explicatum, & firmis rationibus, apertiſque & multis teſtimoniis confirmatum perlegiſſe.

CAPVT IV.

DE MVNDI GVBERNATIONE.

PHILOSOPHI, cùm de rebus Phyſicis, Politicis, Œconomicis, moribúſque hominе dignis: de ratione item tum iudicandi, tum apertè diſſerendi diſputarunt: multa præclarè ſcripta nobis reliquerunt. Atque hac in parte vtiliſſima Philoſophorum, præſertim Ariſtotelis lectio atque Platonis. Verùm cùm ſermo de Deo inſtituendus fuit, tum maximè ſuam ruditatem, vel inſaniam potiùs prodiderunt. Neque id immeritò. Quis enim Deum, & quæ Dei ſunt, rectè intelligere poteſt, & verbo, & Spiritu Dei deſtitutus? *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Dei: nec poteſt percipere, &c.* Proinde de hiſce rebus, quæ ad Deum, eiúſque eſſentiam, attributa, effecta, voluntatem, pertinent: conſulendæ ſunt ſacræ literæ, non autem Philoſophi: quippe qui ſæpenumero ea de Deo tradunt, quæ ex diametro cum ſacris literis, eóque cum ipſa veritate pugnãt. Horum multos errores, & circa Deum ipſum, & circa eius effecta, hoc eſt, rerum creationem, antea vidimus.

Sed non pauciores videmus etiam in doctrina de Mundi gubernatione: quæ eſt altera diuinæ prouidentiæ pars. Prouidentiæ enim duæ ſunt partes: vna eſt, æterna quædam & immutabilis in mente Dei præſcientia & diſpoſitio: qua conſtituit res omnes, poſtquam fuiſſent creatæ, regere, & ad ſuos quaſque fines deducere. Altera eſt, ipſa actualis, temporalíque Mundi adminiſtratio; quâ Deus omnia, ex ſua illa æterna diſpoſitione gubernat. Qua de re in præſentia dicturi ſumus. Sed ſi priùs viderimus Philoſophorum hac de re ſententias, & quàm pugnantes ſint cum ſacris literis, indicauerimus.

Horum itaque alij ſimpliciter negarunt, Deum vllam huius Mundi curam gerere, cùm contrà ſacræ literæ, paſſim hoc inculcent.

I. Alij dederunt quidem Deo aliquam Mundi curam, infinitam ſcilicet ſapientiam, qua omnia norit, omniáque ex alto deſpiciat atque diſpiciat: & infinitam potentiam, qua multa mirabiliter variis in locis efficiantur: ſed omnia per alios, per Deos ſcilicet minores. Ipſam enim continuam rerum adminiſtrationem, ab eo ſepararunt. At ſcriptura ſancta, vbique docet, Deum omnia in omnibus operari, omnia ſuſtentare, manu ſua portare.

II. Alij propiùs ad veritatem accedentes, attribuerunt Deo, rerum quidem cæleſtium & ſupernarum adminiſtrationem: At verò illum ad ima vſque & terrena deſcẽdere, eaque ſua ipſius manu, ſuſtinere, agitare, regere, id demum audacter pernegarunt ac pertinaciter quòd ſcilicet indigna res ſit tanta maieſtate. Res itaque inferas, non aliter à Deo gubernari, quàm per Cælos aliáſque inferiores cauſas, vi ſua illis communicata. Verum longè aliter docent ſacræ literæ, quæ tradunt nos ſingulos in Deo viuere, moueri & eſſe: Chriſtúmque omnia verbo ſuo potenti ferre.

III. Alij porrò fuerunt, qui melius ſentientes, curam atque adminiſtrationem rerum non ſolùm cæleſtium, verùm etiam terreſtrium, Deo conceſſerunt: Verùm non ſingulorum indiuiduorum, ſed ſingularum tantùm ſpecierum. Res verò ſingulas, per inferiores Deos ſuſtentari & regi. Et ſic Plato docuit Deum occupari in gubernandis rebus cæleſtibus & incorporeis, imò & in adminiſtratione primariarum Mundi partium: vt rerum genera & ſpecies conſeruentur: Sed curam ſingularum, præſertim inferiorum rerum, Diis quibuſdam inferioribus, atque minoribus demandatam fuiſſe. In primis verò homines ſingulos, eorúmque actiones, Diis quibuſdam, quos à ſcientia Dæmonas, & ab officio inſpectores ἐφόρους vocat, commendatas fuiſſe. Sed ſcriptura docet, Deum, licèt opera Angelorum ad multa vtatur: ſuos tamen electos ſuo Spiritu ſancto regere ac gubernare. Aguntur enim à Spiritu Dei. Singulorum etiam hominum corda flectere ſua manu, quocunque vult.

Nec Philoſophi ſolùm impij, fœdiſſimè in hac doctrina hallucinati ſunt, pugnantiáque cum ſacris literis, hoc eſt, cum ipſa veritate docuerunt: verùm etiam non pauci inter *Patres*, nimirum Philoſophis addicti, ſimiles errores ſecuti ſunt, & alios inſuper addiderunt. Plerique concedunt quidem, totum Mundum cum ſuis partibus omnibus, tam inferis quàm ſuperis: & tam ſingulas res, quàm vniuerſas à Deo agitari & regi: ſed id generali duntaxat neſcio qua motione: non autem ſingulas peculiariter à Deo ad ſuos fines dirigi. Deum enim vnicuique à ſe creatæ ſubſtantiæ, organa quædam & vires certas dediſſe, quibus ſecundùm ſuæ naturæ inclinationem, generali motu Cæli eas iuuante, moueantur, operentur, & ad ſuos fines perducantur: atque inprimis hominem libero voluntatis arbitrio donatum eſſe, quo prout libet, *operetur*, ſiue bonum, ſiue malum. Sed perpetuam & continentem manum, quâ in ipſis creaturis, & præſertim in hominibus, operetur ipſe Deus: non omnes nouerunt, aut neſcire voluerunt. Scriptura tamen apertè dicit, *nos in ipſo viuere, moueri & eſſe*: hoc eſt, Deum ſua præſentia & manu, nos ſuſtentare, mouere, & viuificare. Ideo enim in ipſo mouemur: quia ipſe mouet nos; ideo viuimus, quia ipſe viuificat nos. Alij itaque aliquid amplius, quàm priores concedunt. Fatentur enim Deum operari in hominibus, actionéſque in eis excitare, verùm non in omnibus, neque omnes, ſed tantùm in piis omnes pias actiones, in impiis autem, quatenus aliquid boni ſibi proponunt, & ad illud conantur. Iuuari enim à Deo, vt perficere poſſint, quod animo conceperunt. Verùm, ſcriptura aliter

docet

docet. *Deum enim eſſe illum, in quo omnes tam impij, quàm pij viuunt, mouentur, & ſunt.* Item, *Deum habere omnium corda in manu ſua: & ea flectere quocunque vult.* Flectit inquam corda etiam Impiorum Deus (nempe talia, qualia ſunt) ad cogitandum, ad volendum, ad operandum ſecundum ſuam naturam & qualitatem: niſi fortè Deus, pro ſua gratuita bonitate, velit mala impiorũ corda mutare, & facere bona: vt poſſint facere bene. Ita fit vt nihil neq; à pijs, neque ab impijs fiat, quod quatenus opus & actio quędam eſt, à Deo non ſit: quanquam impij malitia, qua opus per ſe alioqui bonum, malum fit, à Deo non eſt: eóque peccati auctor Deus eſſe non poſſit. Qua de re, vt alijs ſæpe dictum fuit: ſic deinceps etiam nonnihil dicetur ſuo loco.

Viſis itaque falſis de mundi adminiſtratione, Philoſophorum, & Philoſophicorũ hominum ſententiis, & quam pugnãtes ſint cum ſacris literis: explicanda nobis eſt breuiter vera ſententia atque doctrina.

Quatuor autẽ quæſtiones nobis breuiter explicandę ſunt.

Prima: *An Deus ipſe Mundum hunc curet atque regat.*

Secunda: *Quarúmnam rerum ſit hæc adminiſtratio: Mundine tantùm in vniuerſum: an verò ſingularum Mundi partium, ſingularúmque rerum.*

Tertia: *Quomodo regat atque adminiſtret: an per ſeſe, an verò etiam per cauſſas ſecundas.* Hinc

Quarta *An cu hac Dei adminiſtratione cohæreant, liberum hominis arbitrium, contingentia rerum, caſus, fortunáque.*

Ad *extremum*, quædam de vſu huius doctrinæ: & quàm vtilis, imò & neceſſaria ſit homini Chriſtiano, adijciemus.

Ad *primam* quod attinet quæſtionem: hac Theſi reſpondemus.

THESIS.

Deus qui creauit cœlum & terram: ille idem totum hunc Mundum, cœlo & terra conſtantem, iam inde ab initio in finem vſque ſapientiſſimè regit, atque adminiſtrat: idque ſecundum æternam illam, atque immutabilem prouidentiam, ſeu diſpoſitionem, qua ab omni æternitate in ſeipſo conſtituerat Mundum adminiſtrare: ad gloriam ſuam inprimis, deinde ad ſalutem Electorum: communéque totius vniuerſi bonum.

Nihil eſt in hac Theſi obſcurum, & quod vlla opus habeat explicatione. Illud tantùm eſt notandum, quod etiam antè obſeruauimus: Duas eſſe diuinæ prouidentiæ partes: vnam æternam, & quæ in Deo tantùm ipſo eſt: alteram temporalem, & quæ in ipſo, qui regitur Mundus, conſpicitur. Illa prior, eſt ipſa æterna & immutabilis diſpoſitio atque ordinatio: qua Deus conſtituerat ante conditum Mundum, in ſeipſo, Mundum hunc, ſimulac creatus fuiſſet, continenter in finem vſque adminiſtrare ac regere, idq; ad gloriam ſuam, Electorum ſalutem, communéq; totius vniuerſi bonum. Ac de hac fusè dictum fuit in attributis Dei: & propriè *prouidentiæ* nomine ſignificatur. Altera pars, eſt ipſa, quæ in tempore cœpit, Mundi adminiſtratio. Hæc verò non alio prorſus modo fit, fierive poteſt, quàm in illa æterna & immutabili diſpoſitione ordinatum fuerat. Proinde hæc quoque Mundi adminiſtratio immutabilis eſt, ſicut & æternum illud decretum de Mundo ſic regendo, immutabile eſt. Quare etſi hæ duæ prouidentiæ Dei partes inter ſe diverſiſſimæ ſunt: in conſideratione tamen gubernationis Mũdi, ſeparari à ſe inuicem à nobis non debent, quia vna ſe habet vt cauſſa, altera, vt effectus à ſua cauſa inſeparabilis. Facit autem vtriuſque coniunctio ad pietatem quàm plurimùm, & ad omnia, quæ contingunt, fortiſſimo & æquiſſimo animo ferenda.

Cæterùm, neque illud prætereundum eſt, quod dixi de adminiſtrante hunc Mundum Deo: nempe eundem Deum eſſe, qui regit Mundum, qui etiam illum creauit. Nihil enim æquius eſt: quàm vt à quo creatus eſt, ab eodem etiam regatur. Eſt autem ſatis demonſtratum apertè, Mundum fuiſſe non à ſolo Patre, ſed & à Filio & Spiritu ſancto creatum. Dubitandum igitur non eſt, quin ab iiſdem Mundus regatur. Neque certè aut de Filio, aut de Spiritu ſancto deſiderari poſſunt teſtimonia. De Filio eſt illud Col. 1. *Per ipſum omnia conſiſtunt.* Item Hebr. 1. *Portánſque omnia verbo virtutis ſuæ.* De Spiritu eſt illud Pſalm. 104. *Mittis Spiritum tuum, & creantur: & innouas faciem terræ.* Vt enim initio incubabat aquis: ſic nunc ſemper incubat toti mundo, illúmque fouet. Quod de cauſa finali dixi, retinendum: gubernari ſcilicet Mundum, ad gloriam Dei, ſalutem Electorum, communéque totius vniuerſi bonum.

Eſt hoc notiſſimum omnibus iis, qui credunt à Deo Mundum ſapientiſſimè gubernari. Itaque in hac Theſi habemus & cauſam efficientem, & materialem, & formalem, & finalem. Efficiens, eſt Deus regens atque adminiſtrans. Materialis, eſt Mundus ipſe adminiſtratus. Formalis, eſt illa adminiſtrationis forma, quæ ab æterno in mente Dei fuit definita atque præſcripta. Finalis quæ ſit, iam dictum fuit.

Nunc quæ diximus, facilè confirmari poſſunt: & teſtimoniis ſcripturarum apertis, & firmis rationibus.

1. Annon hoc eſt luculentiſſimum ſacrarum literarum teſtimonium: quòd ſcilicet Deus Mundum propter ſcelera intolerabilia puniturus, ac ferè exterminaturus, omnes animantium ſpecies, in Arca ſeruauit? *Gen. 7.* Quid iſtud quòd qua benedictione benedixerat coniugio Adæ & Euæ: eandem in hanc vſque horam ſeruari videmus? Idem de Phyſicis aliis operibus: quòd arbores & animalia generent ſecundùm ſpeciem ſuam. At verò Dauid Pſal. 118. *Ordinatione tua perſeuerant dies: quia omnia ſeruiunt tibi.* Pſalm. 139. *Domine probaſti me, &c.* Totus de ſingulari prouidentia Dei eſt. Item Pſalm. 104. Et alij permulti. Iobus totus, maximè verò cap. 5. admirabilem Mundi gubernationem prædicat. Sed generales illæ ſententiæ, quæ in nouo traduntur Teſtamento, ſatis eſſe debent pio cuique. Matth. 10. *Non cadit paſſerculus ſuper terram, ſine voluntate Patris, &c.* Item, *Etiam pili capitis veſtri numerati ſunt.* Act. 17. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Iohan. 5. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Rom. 11. *A quo omnia, per quem omnia, in quem omnia.* Sed quorſum teſtimonia congero ſacrarum literarum: cum paſſim in omnibus ſcripturis hæc Mundi adminiſtratio conſpiciatur & prædicetur?

2. Annon verò pudere debuit & debet eos, qui hunc Mundum regi à Deo inficiari audent: cùm Mundus ipſe hoc apertè prædicet?

3. Annon Mundus ſapientiſſimè regitur? Docet hoc & prædicat Solis, Lunæ, ſtellarúmque omnium perpetuus pulcherrimúſque inter ſe ordo & motus: ſtatæ temporum viciſſitudines, Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems: Elementorum ſitus, natura, actiones, perpetuæ rerum generationes & conſeruationes: herbarum, metallorum, animalium: Iudicia in Tyrannos, impios, ſceleratos: quæ præter omnium hominum expectationem cœlitus fiunt, eueniúntque in dies? Proſperi piorum ſucceſſus. Denique nihil eſt in Mundo, quod ſummam & ſapientiſſimam Mundi adminiſtrationem non prædicet. A quo igitur, obſecro, tam ſapienter regitur, niſi à Deo? Quid enim magis conueniens Deo, quàm vt Mundum à ſe creatum regat?

4. Si Deus non gubernat Mundum: iſtud ideo fit, quia aut neſcit, aut non vult, aut non poteſt regere. At Deus, ſi impotens, & inſipiens eſt: Deus eſſe non poteſt. Quomodo etiam dici poteſt nolle regere: cùm ſit ſummum bonum, & eorum quæ fecit, amans? *Nihil odiſti* (inquit Salomon) *eorum quæ feciſti.*

1. Sed (inquies) Videmus malis bene eſſe, bonis autem malè. Illa igitur iniqua ἀταξία, docet Mundum à Deo, qui ſapientiſſimus & iuſtiſſimus eſt, non curari.

Reſpon. Fuerunt etiam multi ſancti viri; Prophetæ & alij, hac ratione tentati ad infidelitatem: vt in Pſalmis videre eſt: præſertim 72. 74. 75. & alibi apud alios Prophetas. Sed negatur hanc eſſe ἀταξίαν, eámque iniquam. Rationes enim iuſtiſſimæ & optimæ ſunt apud Deum, cur ſæpiùs ſinat pios opprimi ab impiis, & contrà impios triumphare de piis: quemadmodum in iiſdem ſacrarum literarum locis abundè videre eſt. Vult Deus peccata piorum puniri per impios Tyrannos: vt ad reſipiſcentiam adacti, ſeruentur: neve cum hoc Mundo damnentur. 1. *Cor.* 11. Malos ſinit florere, vt reddantur inexcuſabiles: & ita eos tandem iuſtè puniri atque damnari, omnibus innoteſcat. Eſt igitur fallacia hîc non cauſæ, vt cauſæ: quia non ideo ſinit Deus impios florere, & pios malè tractari, quia non curet Mundum: ſed quia hic ordo conducit piis ad ſalutem, & facit ad iudicia Dei contra impios iuſtiſſima promouenda. Pertinent huc illa ſcripturæ teſtimonia, quæ docent caſtigationem & diſciplinam, qua pij caſtigantur à Deo, ſignum eſſe beneuolentiæ Dei erga ipſos: *Prouer. 3. & Hebræor. 12.* quia per hæc flagella promouet Deus ſalutem piorum.

2. Obiiciebant impij ac irriſores apud Petr. 2. Epiſt. cap. 3: *Ex quo die Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.* Nulla igitur eſt pollicitatio aduentus eius: eóque Deus non curat nos, neque Mundum.

Reſp. Sed primò reſpondet Petrus, falſum eſſe aſſumptum. Deinde enim propter ſcelera hominum, effecit, vt Mundum aqua inundatus perierit. Eſt igitur iuſtus, & obſeruat quæ ſunt peccata, & punit. Deinde negat conſequentiam: Etſi enim diu ferat noſtras iniquitates: iſtud tamen diu, &

onginquitas temporis apud nos, apud Deum eſt inſtar vnius diei. Non dubitandum igitur, quin ſicut olim aqua perdidit Mundum: ſic poſtmodum ſit perditurus homines impios igni. Imò tertiò reſponderi etiam poteſt, hinc maximè confirmari, Deum illum eſſe, qui mundum regat. Quomodo enim ſeruari poſſet iſte immutabilis ordo, ſtatus curſúſque Mundi: niſi aliquis Mundo ſuperior, & ſapientiſſimus atque optimus & potentiſſimus iſtum ſeruaret, & huic ſemper præeſſet? Atque hactenus de prima Quæſtione.

Ad *alteram* quod attinet, paucis etiam reſpondemus.

THESIS.

Deus porrò ita vniuerſo Mundo à ſe condito præeſt: vt ſingulas etiam Mundi partes ſingulaſque ſubſtantias, etiam quæ videntur viliſſimæ, omnéſque earum actiones, procuret, atque ad ſuum quamque finem, ſapientiſſimè deducat.

Liquidò apparet veritas huius doctrinæ ex his ſacræ Scripturæ locis. Iob.37. per totum: *Conſidera mirabilia Dei: ſciſne quãdo præſcribebat iſtis leges illuſtratque nubes luce ſua?* Idem 39. Eandem diuinam rerum omnium gubernationem prædicat. Pſal. 135. *Educens nubes ab extremo terræ: & fulgura cum pluuia facit.* Item 147. *Qui producit ventos de theſauris ſuis, &c.* Item, *Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam: & producit in montibus herbam.* Item, *Qui dat niuem ſicut lanam: & nebulam ſicut cinerem ſpargit &c.* Quicquid ergo agitur in cœlis & in terra: tantum à Deo fit & geritur, ita vt ne nubecula quidem aliqua generetur, moueatur, mutetur, euaneſcat, niſi per manum Domini.

Deut.28. *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis fructu vteri tui, fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ.*

Pſ.65. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: flumen Dei repletum eſt aquis: paraſti cibum illorum, quoniam ita præparaſti eam. ſulcos eius inebrias, humectas glebas eius, imbribus mollificas eam.* Pſ.104. *Producis fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educas panem de terra.* Pſ 72. *Et erit copia frumenti in terra in vertice montium mouebitur: ſicut Libanus fructus eius.* Malach.3. *Si non aperuero vobis cataractas cœli: & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis deuorantem: & non corrumpet fructum terræ veſtræ: nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituũ.*

Contrà Deut.28. minatur ſterilitatem tranſgreſſoribus legis. *Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra quam calcas, ferrea.* De metallis egregiè Iobus, ca.28. *Deus habet argenti venarum ſuarum principia: & auro locus eſt, in quo conflatur: ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore, in æs vertitur.* Matt.6. *Lilia & fœnum agri veſtit.* Pater veſter. 1.Cor.15. Docet Deũ eſſe illum, qui ſemina in terrã coniecta & mortificata viuificet, & vnicuique ſeminũ ſuum det corpus, ſicut placet. 2 Corinth. 10. *Eum ſuppeditare ſemen ſeminanti, & panem in cibum, & ſementem multiplicare.* Quicquid ergo in terra & in aquis generatur: quicquid accidit, corrumpitur, mutatur: totum iſtud manu Dei adminiſtratur. Et ne herbula quidem naſcitur, floret, aut perit ſine manu Domini. Quid de cura animalium dicam? Nullum eſt animalculum, quod aut non generetur, aut alatur, & ſuſtenetur à Domino.

Pſ.147. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus ſe.* Iob.39. *Quis præparat coruo eſcam ſuã, quando pulli eius clamant ad eum vagientes, eo quòd non habent cibos?* Matth.6. *Pater veſter paſcit volatilia cœli.* Matth.10 *Duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex eis non cadit in terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli numerati ſunt, &c.*

Quid igitur in terris reperiri poteſt vel minimum, quod à Dei manu non fiat, non ſuſtentetur, non conſeruetur? Et quid ſibi volunt illa, quæ in Iona ſcribuntur, quòd Deus parauit piſcem, qui deglutiret Ionam: quòd porrò parauit ei Dominus *kikaion* qui aſcendit ſupra caput eius: quòd ruſſus parauit vermiculum, qui læderet *kikaion*, & exareſcere faceret: niſi quòd etiam minima quæque animalcula, & minimæ quæque reculæ, per manum Domini fiant in terra, oriantur, agantur?

Cæterùm de cura, quam gerit hominum, & quomodò omnes illorum actiones excitet, & ad ſuos dirigat fines: plenæ ſunt ſcripturæ. Nam horum etiam cauſſa reliqua omnia à Deo adminiſtrantur. Sicut etiam eorundem cauſa fuerunt de principio creata.

Quis efficit, vt quotidie concipiantur & naſcantur homines? Dominus ille, qui de principio creauit Adamum & Euam: qui eos matrimonio coniunxit, qui etiam benedixit eis dicendo: *Creſcite multiplicamini & replete terram.* Huius ſolius benedictionis continuatio perpetua, maximo argumento eſſe deberet hominibus, Deum ſicut & vniuerſa ſingula condidit, ſic etiam vniuerſa & ſingula, ſuã manu regere & adminiſtrare. 1.Reg.2. *Viſitauit Deus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Quis nos in vita ſeruat? Dominus ille, qui animam inſufflauit in corpus Adæ. Deut.30. *Ipſe eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum.* Et Ioannis 1. de Chriſto ait: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Iob.10. *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Idem cap.12. *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis.* Ieſ.38. Exemplum Ezechiæ præclarum eſt, cui Dominus (teſte Propheta) adiecit annos quindecim: cùm tamen eo eſſet affectus morbo, vt naturaliter viuere ampliùs non poſſet. Vita igitur cuiuſque in manu Domini eſt, non autem pendet ab aſtris.

Vnde verò noſtræ actiones? Vnde greſſus noſtri? A Domino. Ier.10.c. *Scio Domine, quòd nõ eſt hominis via eius nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Et Dauid Pſal.139. *Domine probaſti me, & cognouiſti me, Tu nouiſti ſeſſionem meũ: & ſurgere meum intellexiſti cogitationes meas de longe. ſemitam meam: & accubitum meum circumdediſti: & omnes vias meas inueſtigaſti, &c.* Et Apoſtolus Act.17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Non eſt igitur exiſtimandum; vllam actionem in nobis eſſe, vel internam, vel externam: quæ manu Domini non dirigatur. Prou.21. *Cor regis in manu Domini: quocunque vult, flectit illud.* 1.Corinth.12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Ephe.1. *Qui operatur omnia ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, &c.*

Ac de bonis actionibus in piis, nemo eſt qui dubitet. Nam Phil.2. *Ipſe enim operatur in nobis & velle, & perficere.* Cogitationes quoque omnes bonas, in noſtras mentes immitti, & excitari à Deo, nouimus omnes. 2.Corin.3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid boni à nobis.* Vnde orat o Eccleſia: Deus à quo ſunt ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera. Deum itaque omnia in piis hominibus bona operari, & omnes illorum actiones temperare: quia aguntur (vt ait Apoſtolus) à Spiritu Dei: nemo pius dubitat.

At verò Deum, in ipſis etiam impiorum cordibus operari, & eorum inclinare voluntates, ad ea facienda, quæ ipſiſſunt peccata, & cauſſa mortis æternæ: hoc planè durum, & cum Dei bonitate pugnans videtur. Sed qui admittit ſcripturas ſanctas: is quod dicimus, infiriari nunquam audebit. Refertiſſimæ enim ſunt ſcripturæ & apertis teſtimoniis, quæ id luculenter docent, & multis perſpicuíſque exemplis quæ idem confirmant. Dicta ſunt ac teſtimonia iſta, præter alia.

Prouerb.21. *Cor regis in manu Domini, &c. quocunque vult flectit illud.* Exod.10. *Indurabo cor Pharaonis, vt non dimittat populum.* Vnde Apoſtolus Rom.9. *Quos vult indurat.* Rom.1. *Tradidit eos in reprobum ſenſum: & in deſideria cordis eorum: vt faciant.* Matt 6. *Ne nos inducas in tentationem, &c.* 2.Theſſ.2. *Mittet illis Deus efficaciam erroris ἐνέργειαν, vt credant mendacio.*

Exempla ſunt innumerabilia: ſi quis ea diligenter collecta videre cupiat, legat Auguſtinum, *Tom.7. de gratia, & libero arbitrio, cap.20. & 21.* Vbi præter alia in explicandis verbis Dauidis, de filio Iemini, qui ſibi maledicebat, ac filio Saruiæ: *ſiniте illum, vt maledicat: quia Dominus dixit illi vt malediceat Dauidi:* ſic ſcribit Auguſtinus:

Non iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur: ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malam, in hoc peccatum, iudicio ſuo iuſto & occulto inclinauit. Et concludens totam hanc tractationem inquit: *His & talibus teſtimoniis diuinorum eloquiorum, ſatis manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit: ſiue ad bonum, pro ſua miſericordia: ſiue ad mala, pro meritis eorum.*

Neque ab hac doctrina de diuina ſingularum rerum, etiam minimarum adminiſtratione diſſentiunt Patres, ſi probè intelligantur. De Auguſtino aliquid diximus, quod attinet ad actiones humanas: ſed legatur idem, de tota reliqua mundi gubernatione in *Tom.1. lib.1. de ordine.* In eo libro, hoc comprimis demonſtrat, *Omnia per Deum in hoc Mundo ordinatiſſimè adminiſtrari: quanquam nobis multa videantur inordinatè agi.* Legatur etiam *Tom.3. de Geneſi ad liter. lib.5. c.20. & 21.* Idem in *Tom.8. in Pſal.103* in ea verba: *Qui producit fœnum iumentis,* Idem in *Pſ.148.* in ea verba: *Ignis, grando, nix, glacies:* ibi pluribus demonſtrat, infimas quaſque res, vt membra cœleſtis, iudicíſque, à Deo formari, & congruo motu agitari. Item *Tom 5. de Ciuit. Dei, lib.12 cap.4.* In rebus etiam, quæ nobis noxiæ & vitioſæ eſſe videntur, abditam eſſe Dei prouidentiã, qui omnia ad ſuos dirigit ſapientiſſimè fines. Et lib.10 cap.14. *Omnia quæ præſtare vel Angeli, vel homines poſſunt, ea omnia*

Dei

Dei adminiſtrari manu docet. Et Plotinum laudat, qui de prouidentia ſcribens, ait, eam à ſummo Deo vſque ad hæc terrena, & ima pertingere: idque probat floſculorum atque foliorum pulchritudine. Creditur autem Plotinus Philoſophus auditor fuiſſe Origenis.

Gregor. Nazianzenus eleganter hac de re ſcripſit in oratione, quam habuit de cura pauperum: docet illos turpiter falli, qui prouidentiam Dei, ad nos & ad hæc inferiora deduci nolunt. Omnia enim, quæ nobis in hac vita contingunt, ſiue proſpera, ſiue aduerſa: ſiue opes, ſiue paupertas: ſiue ſanitas, ſiue ægritudo, deſtinato prouidentiæ Dei conſilio immitti. Elegantiſſimè etiam Chryſoſtomus idem docet *Tom. 4 in libello de prouidentia Dei, ad Ragirium Monachum.*

Neque contemnendæ ſunt Phyſicæ rationes, quibus eandem doctrinam confirmant, Damaſcenus inprimis *lib. 2. cap. 29.* deinde alij Scholaſtici.

Certè prima cauſſa plus influit in effecta, quàm cauſſæ ſecundæ. At cùm omnia condita ſint à Deo ad certos fines (alioqui ſapientiſſimus non eſſet) ab eodem etiam illa, ad ſuum quodque finem deduci oportet. Nam ſi hoc non faciat, ideo non facit, aut quia neſcit, quod pugnat cum eius ſapientia: aut quia non poteſt, quod aduerſatur eius omnipotentiæ: aut quia non vult, quod dici non poteſt, quin ſumma eius oppugnetur bonitas.

1. Atque (inquiunt) non decet hoc ſummam eius maieſtatem: vt ad hæc vſque infima ſeſe dimittat curanda.

Reſpon. Sed cur eum non dedecuit iſta creare: & iam non decet creata curare? Si vbique præſens eſt Deus, & in omnibus rebus: cur non etiam deceat illum omnes ſuſtentare, fouere, regere?

2. Sed contra id quod diximus de voluntatibus hominum, quæ flectuntur à Deo quocunque vult, excipies: Tolli ergo hac ratione libertatem.

Reſpon. Quaſi verò Deus moueat voluntates noſtras contra ipſarum naturam. Natura humanæ voluntatis eſt, vt quicquid vult, ſiue bonum, ſiue malum: liberè & ſponte, minimè autem coactè velit: vt aliàs declaratum fuit: cùm de libero Adami arbitrio egimus. Deus autem non tollit rerum naturas, etiamſi eas moueat quocunque vult: quia vnamquamque mouet ſecundùm ſuam naturam. In electis quidem, immutat voluntates, cùm ex malis facit bonas, ac tum ita bonas, ad bonum flectit: eóque bonum liberè volunt: Malorum autem ac reproborum, quales reperit, tales etiam mouet & flectit: ad malum ſcilicet, ad quod ſua natura propenſæ ſunt. Ergo licet flectat voluntates quocunque vult: inde tamen non efficitur, earum libertatem tolli. Ratio, quia naturas non tollit earum, ſed tantùm res ipſas mouet & flectit ſecundùm ſuam cuiuſque naturam: ipſæ verò ſic flexæ, ſponte & liberè inclinant in id, ad quod flectuntur: cùm etiam flectantur ſuauiter, non autem coactè.

Certè Chriſtus non potuit non mori: quia oportuit Chriſtum pati: atque ad hanc non ſolùm deſtinatus erat, ſed etiam quà homo, mouebatur eius voluntas à Deitate, vt ſe conformaret ad voluntatem Patris, factus obediens vſque ad mortem. Quis tamen dicat, Chriſtum non eſſe mortuum voluntariè, aut eius voluntatem ſua libertate ſpoliatam fuiſſe? Idem de nobis dicendum eſt. Dum enim flectit noſtras voluntates, & operatur in nobis velle: facit de nolentibus volentes. Quomodo volentes? Certè liberè. Retorquemus igitur argumentum. Deus operatur in nobis velle. Atqui voluntas non poteſt velle inuita & coacta, ſed tantùm liberè: Ergo operando in nobis velle, & flectendo voluntatem, tantum abeſt vt tollat libertatem, vt potius confirmet.

3. Ita ad tertiam obiectionem: quia quidam aiunt, ſi Deus inflectit corda impiorum ad malum: Mali igitur autor eſt.

Reſpon. Minimè: quia naturam non tollit. Liberè igitur homo vult malum. Neque malitiam influit Deus in voluntates impiorum: ſed tantùm quales inuenit, mouet & flectit, quò vult. Ergo peccati ipſorum cauſſa eſſe non poteſt.

QVÆSTIO III.

An Deus Mundum per ſeſe, an verò per cauſſas etiam ſecundas adminiſtret.

QVÒ meliùs quæſtio intelligatur, reuocandum eſt in memoriam, quod de principio diximus: duas eſſe diuinæ prouidentiæ partes: vna eſt ipſa æterna & immutabilis diſpoſitio, qua Deus in ſeipſo conſtituit Mundum gubernare: quæ & propriè prouidentia appellatur. De hac dubium non eſt, quin in ſolo Deo ſit: ac proinde certum eſt, Deum per ſeſe, citra vllum medium, curam omnium in ſeſe gerere. Quis enim neſciat rationem rerum omnium, quà ad ſuum quæque finem deducitur, in ſolo Deo, & à ſolo Deo eſſe? Ac de hac diſſeruimus propriè in attributis Dei. Altera pars eſt ipſius ordinis æternæque diſpoſitionis executio: quæ Mundi adminiſtratio vocatur: de qua in præſentia, propriè diſſerendum ſuſcepimus. De hac itaque quæſtione, *An Mundus & quæ in illo ſunt, immediatè à Deo regantur: an verò per media, & quænam illa ſint, & quomodo id fiat:* non vna eſt omnium ſententia. Ad tria capita rediguntur omnes.

1. Aut enim dicendus eſt Deus Mundum & omnia per ſeſe ſolum immediatè gubernare: nihil autem & nunquam per media.

2. Aut contrà, Nihil & nunquam per ſeipſum, ſed omnia & ſemper per media.

3. Aut denique Mundum regere, partim per ſe, & per media: partim per ſe ſolum, ſine medijs: imò verò nonnunquam etiam contra ordinaria media. Dicam de ſingulis his tribus operibus, quid alij ſenſerint, & quid ſentiendum ſit.

Ad *primum* caput quod attinet: Quidam ſenſerunt, Deum omnia ita adminiſtrare, & in omnibus immediatè & per ſeipſum ita operari: vt (exempli cauſſa,) luceat in Sole, calefaciat in igne, alat in pane, & ita de reliquis. Si hæc ſententia ita intelligeretur, vt Deus tanquam cauſſa prima, & duntaxat efficiens in omnibus rebus à ſe conditis, dicatur agere: vi nimirum cuiuſque rei ad agendum vtens, putà vi Solis, ad Mundum illuſtrandum, vt ignis ad calefaciendum: vi panis ad alendum: improbari non poſſet. Scriptura enim ſacra docet Deum vt primam rerum efficientem cauſſam, operari omnia in omnibus. Verùm hoc non foret Deum immediatè per ſeipſum, ſed per cauſſas ſecundas operari omnia in omnibus: id quod & nos docemus. Intelligunt autem ipſi, ita Deum operari omnia in omnibus, vt non ignis calefaciat, vel Deus per ignem, ſed Deus per ſeipſum in igne. Quis verò neſciat, hoc pugnare cum ſacris literis, & cum rerum natura? Sacræ enim literæ docent, cuique rei in creatione traditam fuiſſe à Deo vim agendi, iuxta ſpeciem ſuam: vt Soli vim illuminandi & calefaciendi: vnde & fecit, vt præeſſet diei: vt Lunæ vim aliquam quidem illuminandi, multam autem refrigerandi & humectandi: vnde etiam eam præeſſe voluit nocti: vt terræ dedit vim producendi herbas: aquis procreandi piſces, &c. Prædicta igitur ſententia, vt impia atque abſurda reiicienda eſt.

Alij itaque intelligunt, Deum per ſe ſolum operari in omnibus, omniáque adminiſtrare: quatenus ſolus & per ſeſe, influxu generali, ſuam cuique rei agendi facultatem conſeruat; & illam ad agendum mouet. Quæque autem res à Deo ſeruata & mota, pro ſua vi operatur & agit: Sol lucet: ignis calefacit, &c. Sententia hæc vera eſt ex parte. Quis enim vim cuiuſque rei propriè ſeruat, & mouet: niſi Deus? Atque hoc eſt, quod Apoſtolus Act. 17. dixit, *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus:* hoc eſt, vi ſolius Dei, omnia quæ ſunt, propriè conſiſtunt: omnia quæ vitam acceperunt, viuunt: omnia quæ principium motus in ſe habent, mouentur. Sed non eſt vera in totum: quoniam conſtat Deum inferiora, per ſuperiora mouere, conſeruare, viuificare: vt per Solem vim in plantis fructus proferendi, &c. Itaque falſum eſt, Deum per ſeſe ſolum, ſemper & in omnibus, citra vlla media, res rerúmque vires conſeruare, mouere, agitare generali influxu.

Deinde tollit hæc ſententia particularem Dei adminiſtrationem: qua præter generalem Dei in omnibus rebus actionem, ſingulariter etiam, vbi placet & vult, operatur: vt in electis, quæ non in reprobis: & in vno, quæ non in alio. Exemplum.

In Deut. 19. Dominus ait: *ſi ſecuris decidat è manu lignatoris & viatorem occidat: Ego Dominus occidi eum.* Hic certè præter generalem Dei actionem, particularem etiam ſpectamus: quia efficit, vt præter alia, ſecuris decidat è manu lignatoris, & viatorem occidat. Itaque certum eſt, nihil in Mundo fieri, ad quod præter generalem influxum, non occurrat etiam particularis Dei manus; quæ vnamquamque rem ad ſuos perducat fines. Et ita Deus operatur omnia in omnibus: vt in ſingulis operetur non eodem modo, ſed ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Quare hæc altera etiam ſententia, duplici nomine reiicienda eſt: tum quia negat Deum quicquam operari per media, tum quia ita ſtatuit generalem Dei actionem, vt particularem, quæ fit ſecundùm ſpeciale propoſitum voluntatis ſuæ, in vno & non in alio, tollat. Ita primum caput noſtræ partitionis, quo quidam ſtatuunt, Mundum à ſolo Deo per ſeſe &

ſemper ſine mediis gubernari: vt illud homines interpretentur, falſum eſſe conſtat.

Alterum quoque non minùs falſum eſt, quàm primum: quòd alij contrà dicunt: Deum nihil in Mundo agere ſine mediis. Mundúmque ab illo nunquam gubernari, niſi per caullas ſecundas. Eſt enim luce clarius in ſacris literis, Deum permulta & ſæpiſſimè agere in Mundi gubernatione, citra media, ſed per ſeipſum: imò ſæpe etiam contra ordinaria media operari. Citra vllum medium, per ſeipſum Deus Adamum & Euam arguit de peccato, ad pœnitentiam excitauit, promiſit ſalutem in Chriſto. Per ſeipſum Abrahamum euocauit è ſtatu idololatriæ: iuſtificauit, &c. Per ſeipſum ſuſtentauit Moſem dies 40. in monte, & Eliam. Per ſeipſum calceos Iſraelitarum in deſerto ſeruauit. Contra media verò cauſſaſque naturales: Mare in duas diuiſit parteis; & iter præbuit populo ſuo: Solem retrogredi fecit: ignem, ne combureret pueros in fornace, vim ſuam ſuſpendere: & alia id genus innumerabilia. Atque huius rei ratio eſt: quia Deus ita adeſt Mundo, & illum ſolutus eſt per media gubernare: vt tamen alligatus non ſit cauſſis illis ſecundis: quin infinita agat & præter & contra illas. Huc pertinent dicta multa ſcripturarum. vt vbicunque legimus, *Deum operari ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, &c.* Item, *eum feciſſe & facere quæcunque vult.* Item, *Non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum.* Docent enim hæc dicta, Deum poſſe & præter & contra cauſſas naturales, totiúſque naturæ curſum operari & Mundum regere.

Vbi illud quoque obſeruandum eſt, cùm etiam agit per cauſſas ſecundas Deus: non eum ita per illas agere, vt ipſe interim nihil agat: ſicut omnes fermè reges, qui ita multas ſui regni prouincias regunt: vt interim ipſi nihil ibi agant. Non ſic certè Deus temperat Mundum: ſed cum actionibus cauſſarum ſecundarum, ſuam ſemper ſpecialem adhibet manum: qua rem quamlibet, ad ſuum deducat finem. Ita enim verum eſſe agnoſcitur, quod ait Apoſtolus. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Ita verum eſt, Deum nos paſcere in pane, ſeu per panem: calefacere per ignem: quia ſcilicet præter vim & actionem panis, in nobis alendis & ſuſtentandis: ipſa quoque inuiſibilis Dei virtus & actio agnoſcenda eſt. Proinde precamur: vt cùm etiam referta eſt menſa eſculentis & poculentis: ipſe det nobis panem & nutriat nos. Quid ita? Quia niſi Deus ſuam adhiberet peculiarem vim atque manum; panis nutrire nos non poſſet. Hæc ni ita eſſet: diceretur quidem Deus nomine *omnia operari in omnibus*, & Mundum regere. ſed reipſa non regeret ipſe, niſi iuſſu: alij autem reipſa. Quare alterum quoque membrum partitionis, apparet falſum eſſe, quo quidam contendunt, ita Mundum regi à Deo per media cauſſáſque ſecundas: vt ſine illis nihil agat operetúrve in Mundo. Sententia hæc nimis impia eſt, & pugnans cùm libera Dei voluntate atque potentia. Quid igitur reſtat? Solum *tertium* partitionis membrum eſſe verum ac certum. Quare hæc eſto noſtra Theſis, de modo, quo Deus Mundum, réſque vniuerſas adminiſtrat.

THESIS.

Deus omnia operatur, regítque Mundum & ſingula, quæ in eo ſunt: ordinariè quidem per media ad id ordinata: ſæpiſſimè tamen ſine mediis: nonnunquam etiam contra ordinaria media, contráque curſum naturæ.

PRobatio huius Theſeos, ex iis quæ antè dicta ſunt, petenda eſt: & ex euerſione aliarum duarum ſententiarum ſequitur neceſſariò, hanc tertiam eſſe veram. In re igitur perſpicua non immorabor.

Tria tantùm explicanda hic nobis ſunt. *Vnum*, Quænam ſint hæc media, quibus Deus Mundum ordinariè gubernat. *Alterum*, cur, cùm Deus poſſit per ſeipſum Mundum regere, ſicut etiam per ſeipſum creauit: mauult tamen hoc per cauſſas ſecundas ſimul ordinariè perficere. *Denique*, contrà, cur, cùm poſſit ſemper vti mediis, non id tamen efficiat, ſed ſæpe citra, ſæpe etiam contra ordinem naturæ operetur.

Ad *primum* quod attinet, illud apud omnes conſtat, alia eſſe media, quibus generatim Mundum hunc, & ſingulas eius partes, quod attinet ad præſentem vitam, regit: alia, quibus ſpeciatim regit electos, & ad æternam perducit vitam. Et alia denique, quibus etiam reprobi, ad ſuum quiſque locum perducitur. Quòd ſi aliquando eadem ſint, reipſa & ſubſtantia: alia tamen ſunt ratione & modo, quo ſunt diſpoſita, & quo operantur.

Principio, ad executionem æternæ immutabiliſque prouidentiæ in Mundo generatim gubernando, vtitur Angelorum miniſterio: ſicut abundè in ſacris literis patet: tum cùm legimus certos Angelos, præfectos fuiſſe certis regnis: tum cum ſermo eſt de Eccleſiæ, electorúmque omnium cuſtodia. Apoſtolus enim vocat eos *adminiſtratores ſpiritus.* Philoſophi aiunt per hos moueri cœlos: intellige, non neceſſitate naturæ, quaſi affixi ſint cœlis: ſed voluntate Dei: ſi tamen verum eſt, Angelorum miniſterio moueri cœlos. Sentio enim, cœlos naturali & intrinſeco moueri motu: non autem ab externo motore, niſi quatenus Deus ſua in manu omnibus ſingulari modo operatur.

Deinde, vtitur motu viribúſque cœleſtium & ſuperiorum corporum, ad hæc terrena inferioráque conſeruanda, mouenda, temperanda. Locus eſt perſpicuus Hoſ. 2. *Ego* (ait Dominus) *exaudiam cælos: cæli, terram: terra, frumentum: frumentum, Iezraelem.* Cum Philoſophis & ſcripturis, conſentiunt Patres. Eſt tamen hoc de corporibus intelligendum, non de animis noſtris, niſi ex accidenti. Neque enim cæli vim habent in animas noſtras: niſi per accidens: quatenus ſcilicet ex corporum noſtrorum diſpoſitione, naturales etiam qualitates & propenſiones ad varia, in noſtris animis excitantur.

Tertiò: Homines præficit toti reliquo Mundo regendo: vt docetur Gen. 1. *Dominamini piſcibus maris, &c.* Atque inter homines alios per alios regit: virum præficit vxori: primogenitos, fratribus ſuis: patres, liberis: dominos, ſeruis: principes, ſubditis. Summa: Deus cauſſas ſecundas tanto neceſſitudinis vinculo ſimul deuinxit, atque imprimis homines inter ſeſe, vt per vnam creaturam ſuſtentari & regi alteram velit. Sunt hæc omnia manifeſta. Atque hæc de mediis, quibus Deus ad Mundum, pro præſentis vitæ ſtatu, gubernandum vtitur, ſatis ſunto.

De mediis verò, quibus ſpeciatim vtitur ad *electos* in æternam vitam deducendos: non eſt, cur multa dicamus. Nouimus enim Deum vti miniſterio Angelorum, *Hebr.* 1. Miniſterio doctorum, paſtorúmque in verbo prædicando, ſacramentorum adminiſtratione; exercitio diſciplinæ, rebus ſecundis; rebus etiam aduerſis. Quin etiam ipſorum peccatis, quæ efficit, vt cooperentur illis in bonum: ſed hoc ex accidenti. Quorum omnium ratio & fundamentum eſt: quia Chriſtus electos in ſuam recepit fidem atque tutelam.

Media autem, quibus *reprobos* regit, & ad ſuos deducit fines, ſunt præter alia, Diaboli. Horum enim tanquam carnificum miniſterio ad illos ſeducendos, excæcandos, variſque modis iuſtè plectendos, vtitur: vt apertè ſcripturæ docent. Sunt item mali, ac naturales ipſorum affectus: quibus ad varia impelluntur peccata. Sunt etiam verbum: ſunt ſacramenta: ſunt omnia Dei beneficia, omniáque flagella. Omnia enim illis cooperantur ad malum; ſicut contra electis ad bonum.

Ac de *prima* dubitatione, quænam ſint media, quibus Mundum adminiſtret, ſatis.

Ad *alteram* verò dubitationem, cur ſcilicet Deus, cùm poſſit omnia per ſeſe efficere: mauult tamen ſæpius vti mediis, quàm ſine mediis operari: breuiter ſic reſpondemus: Deum ita conſtituiſſe & velle noſtra potiſſimùm de cauſſa.

1. Primùm quidem, vt hac ratione, ſuam erga nos bonitatem dilucidiùs declararet. Quanta enim hæc eſt Dei bonitas: quòd non contentus nos à ſe regi, vult etiam nos ſibi eſſe in aliis, imò & in nobis ipſis regendis cooperatores atque miniſtros?

2. Efficit etiam hoc, vt reipſa declaret, ſe omnium eſſe vniuerſorum, totiúſque Mundi creatorem atque rectorem: quippe qui pro ſua voluntate vtitur quibus placet creaturis, ad ſua exequenda decreta, & quidem omnia ad noſtram ſalutem: vt ſcilicet illum, tanquam omnium rerum creatorem, regem, ac Dominum reuereamur, timeamus, inuocemus.

3. Item hoc efficit, vt agnito hoc beneficio, quo præſtat, vt omnes creaturæ ad noſtram ſalutem nobis inſeruiant: gratias illi agamus perpetuas.

4. Vt item, dum videmus Deum mutuis noſtris officiis, ad noſtram vti ſalutem: charitatem pacémque inter nos colamus.

5. Vt item diſcamus non abuti creaturis, quibus ipſe ad ſuam gloriam, & ad noſtram ſalutem promouendam vti dignatur.

6. Vt denique diſcamus ſecundas cauſſas non contemnere, abuſu diuinæ prouidentiæ, &c. Cùm enim Deus iſtis tanquam inſtrumentis vtatur ad ſalutem noſtram, tum animæ, tum corporis promouendam: grauiſſimè peccat, qui has contemnit. Quid enim contemnit, niſi Dei ordinationem, eámque æternam, eóque Deum ipſum? Et quo modo ſperare poſſit ſalutem, qui media ad ſalutem reiiciat? Verbi prædicatio, ſacramentorum adminiſtratio, diſciplinæ exercitium

tium

rium, preces, opera charitatis, & alia id genus; inſtrumenta ſunt, quibus Deus ſalutem animæ promouet, & ab æterno promouere conſtituit. Quomodo igitur ſperas ſalutem, ſi media hæc contemnas? Idem de mediis ad ſalutem corporis pertinentibus dico. Vnde apparet, quanta ſit quorundam Anabaptiſtarum imperitia atque ſtoliditas, qui tum in promotione ſalutis animæ, tum in ſalute corporis curanda, debita negligunt media: arma, ad ſui defenſionem: medicos ad ſui curationem: carnes etiam, panem & vinum. Pertinet huc pulcherrimus Auguſtini locus, de cauſſis ſecundis, quibus Deus in mundo regendo vtitur: cùm eas etiam in hunc finem creauit. *Tom.5 de ciui. Dei, lib.7. c.29.*

Nunc tenemus, cur Deus malit vti mediis, cauſſiſque ſecundis in mundo gubernando: quàm per ſeipſum id facere. Vbi tamen ſemper cogitandum, in ipſis cauſis ſecundis, Deum ita operari ſua manu: vt citra huius actionem, cauſſæ illæ per ſe omnino inutiles & inefficaces ſint: non ſecus atque varia malleorum, dolabrarum, terebellorum, ſerrarum, aliorúmque ferramentorum genera in officina fabri ferrarij vana ſunt: niſi quatenus manus artificis ad aliquod opus faciendum illis vtitur. Vnde etiam fit, vt ſi quid fiat per illa inſtrumenta: illud non ab inſtrumentis, ſed ab artifice factum fuiſſe meritò dicatur. Quanquam non ignoramus, diſcrimen magnum eſſe inter hæc inſtrumenta iudicio & voluntate carentia: & inter homines vtroque præditos. Vnde illi dicuntur etiam agere, quæ Deus in ipſis operatur: non ſic autem ſerra, quæ faber per illam efficit.

Reſtat *tertia* dubitatio: qui fiat, quòd cùm poſſit ſemper vti mediis: hoc tamen non faciat: ſed ſæpe etiam extra ordinem naturæ, mediáque ordinaria operetur?

1. Id facit, vt inde intelligamus, ſi quando vtitur ſecundis cauſſis; ſe non illis vti ex neceſſitate aliqua: ſed liberè pro ſua erga res creatas bonitate: quas in Mundi gubernatione, quaſi adiutrices ſibi eſſe voluit atque vult.

2. Id quoque facit: vt agnoſcamus, cùm vtitur ſecundis cauſis, ſe tamen non otiari, quaſi illas ſinat ſolas operari. Cōtrà potius ſe illum eſſe, qui omnia operetur in omnibus, tam per cauſſas ſecundas, quàm per ſeipſum. Ipſum igitur eſſe, qui nos in pane alat, in Sole illuminet, in igne calefaciat. Atque ita de ſingulis. Nam cùm id ſæpe faciat ſolus, etiam contra ordinaria media: Eſt igitur etiam ille qui idem facit per media.

3. Ac præter alia, is ſolus per ſeipſum ſæpe agit in animis noſtris, nos docendo, trahendo, iuſtificando, regenerando, & voluntates noſtras ad ſui obſequium flectendo. Quid ita? Vt inde certiores ſimus, præter Deum nihil eſſe, quod in humanas voluntates aliquid poſſit.

4. Denique multa efficit, non tam ſine cauſſis ſecundis, quàm etiam contra illas: vt ſciamus, etiam cùm deſunt ordinaria, quibus vita noſtra ſuſtentari ſolet, ſubſidia: non ideo tamen de prouidentia Dei dubitandum nobis eſſe: cùm ipſe poſſit ſola ſua incomprehenſibili benedictione per ſeſe, totum Mundum ſuſtentare. *Non enim in ſolo pane viuit homo.* Hę ſunt cauſſæ, cur ſæpe & citra ordinaria media, per ſeipſum multa operetur, regatque Mundum.

In Mundi itaque gubernatione, ſiue vtatur mediis, ſiue non vtatur: vtcunque efficit Deus; propter noſtram ſalutem, & propter ſuam gloriam. Proinde in omnibus & ſemper agnoſcenda nobis eſt ipſius erga nos bonitas immenſa: & laudandus ipſe in ſecula. Hæc ſunt quæ habui dicere ad tertiam Quæſtionem, de modo, quo regit Mundum. Sequitur

QVÆSTIO IV.

An cum hac, quam deſcripſimus, Mundi gubernatione, cohæreant liberum hominis arbitrium, contingentia rerum, caſus, atque (vt vocant) fortuna: an vero, quia immutabilis eſt: omnia ſimplici neceſſitate eueniant.

SVnt qui iſta putent nullo modo cohærere poſſe cum immutabili prouidentia atque gubernatione. Atque hoc multas congerunt rationes, quibus demonſtrent: ſi Deus Mundum regit ex æterna quadam, & immutabili ordinatione, quam vocamus *prouidentiam*: fieri nullo modo poſſe vt aliquid in Mundo, caſu fortuitóque contingat, aut quippiam libera voluntate agat homo: aut ad aliquid eligendum, vel repudiandum liber ſit. Hinc fit, vt duo hominum genera, in contrarias partes diuidantur. Quidam enim, quia vna ex parte concedunt, Mundum regi à Deo, ex ſua immutabili prouidentia: & ex altera non vident, quomodo cum iſta immutabili gubernatione, conſiſtere poſſint contingentia, caſus, fortuna: idcirco tollunt omnem arbitrij libertatem, caſum, fortunam: & omnia immutabili neceſſitate fieri contendunt. Contrà alij, quia reipſa vident ac ſentiunt, hominem ad multa verè liberum eſſe, vt ea vel eligat, vel reſpuat: permultáque præter animi propoſitum, caſu contingere; iſta verò non vident, quomodo locum habere poſſint, ſi omnia ex immutabili Dei ordinatione eueniant: ideo vt libertatem noſtram retineant, & rerum contingentiam, abiiciunt immutabilem prouidentiam, negántque omnia neceſſariò fieri, & Mundum ex immutabili quadam diſpoſitione adminiſtrari. Atque vt doctrinam, quam hactenus de hac immutabili prouidentia tradidimus, magis odioſam reddant: clamant, reuocari à nobis in Eccleſiam, Stoicam illam neceſſitatem, quam tantopere refutarunt damnarúntque Patres.

Cæterùm tam illi, quàm iſti turpiter falluntur: cùm diuerſis reſpectibus defendi vtrumque poſſit & debeat: nempe, & Mundum immutabili Dei prouidentia gubernari, & hoc reſpectu, omnia neceſſariò euenire, & tamen permulta fieri ab hominibus libera voluntate, infinitáque caſu contingere, reſpectu ſcilicet noſtri, ſecundarúmque cauſſarum, quas immutabilis Dei prouidentia, qua Mundum regit, minimè excludit, vt ſuprà viſum à nobis ac demonſtratum fuit. Noſtra itaque hæc theſis eſto.

THESIS.

AEterna & immutabilis prouidentia, qua Deus mundum gubernat: minimè è mundo tollit veram humanæ voluntatis libertatem, rerúmque contingentiam ac caſum: Sed licèt reſpectu cauſſæ primæ, hoc eſt, Dei, omnia certò proſpicientis, & immutabiliter ordinantis atque regentis, omnia immutabili neceſſitate eueniant: reſpectu tamen noſtri, aliarúmque cauſſarum ſecundarum, non coactè, ſed iuxta ſuas naturas operantium, ſicut alia eueniunt neceſſariò, ſic alia etiam fiunt contingenter, diuina prouidentia à fine vſque ad finem fortiter pertingente, & omnia vtiliter diſponente.

THeſis hæc ita perſpicua & certa eſt: vt apud viros vel mediocriter eruditos, & in Philoſophia verſatos, non opus habeat longa explicatione vel confirmatione. Quædam tamen explicanda ſunt: vnde pendet confirmatio.

1. Primùm, quæ ſit vera humanæ voluntatis libertas: ſæpe à nobis explicatum fuit: nimirum eam eſſe, quòd quicquid vult, aut non vult, liberè & citra vllam coactionem velit aut nolit. Proinde etiamſi à Deo flectatur ita in vnam partem, ſeu ad vnum obiectum volendum, vt illud non poſſit non velle, nec contrarium eligere: liberè tamen illud vult. Itaque libertatem hanc ſemper retinet: nec amittere eam vllo modo poteſt, niſi deſinat eſſe voluntas.

2. Quid item ſit neceſſarium, & quid contingens: ex Ariſtotele & ex aliis notum eſt. *Neceſſarium* propriè illud eſſe dicitur, quod non poteſt aliter ſe habere, aut agere, quàm agat. Sed hoc aut natura ſua, aut ex ſuppoſitione. Sua natura, vt quòd homo præditus ſit ratione, & quòd Sol luceat. Non enim poteſt eſſe homo ſine ratione: neque Sol ſine luce. Ex ſuppoſitione autem: vt ſi ſupponas aliquid eſſe vel agere. Natura, quicquid eſt, dum eſt, neceſſariò eſt; & quicquid agit, neceſſariò agit, dum agit, quia non poteſt aliquid non eſſe, dum eſt: aut non agere, dum agit. Proinde quia quęcunque futura ſunt, aut aliquid actura, Deo præſentia ſunt, perinde atque ſi iam acta eſſent: & coram Deo ita ſe habent, atque ſi iam operarentur: idcirco omnia etiam futura, tam effecta quàm cauſſæ, reſpectu Dei, & coram Deo, neceſſaria eſſe manifeſtum eſt. Cauſſa itaque neceſſaria dicitur, quæ non poteſt non facere quod facit: ſiue ſua natura, vt quòd Sol luceat: ſiue ex ſuppoſitione, vt quòd homo verba faciat. Et effectum dicitur neceſſarium, quod non poteſt non eſſe: ſiue ſua natura, quia eſt à cauſſa per ſe neceſſaria: ſiue ex ſuppoſitione, quia eſt. Omne autem quod eſt, dum eſt, neceſſarium eſt. Quòd ſi neceſſarium illud eſſe dicitur, quod non poteſt aliter ſe habere: quid igitur propriè ſit contingens, à contrario facilè intelligi poteſt. Opponitur enim neceſſario. *Contingens* itaque effectum illud dicitur, quod antequam fiat, fieri poteſt, & non fieri, eſſe & non eſſe: quia à cauſſa per ſe neceſſaria non eſt. Dico, *antequam fiat*: quia poſtquam factum eſt, neceſſarium eſt: iuxta illud, *Omne quod eſt, dum eſt, neceſſarium eſt.* Quod enim iam factum eſt, non poteſt

fieri infectum. Hinc apparet, nihil eſſe contingens apud Deum: ſed tantùm apud nos.

3. Notandum præterea: Vndenam fiat, vt aliquid non poſſit aliter eſſe, vel facere: ſeu vnde rerum neceſſitas oriatur. Nam hinc etiam apparebit, vnde ſint contingentia. Rerum omnium neceſſitas oritur, aut à principiis internis, ſeu ex natura ipſarum rerum: aut ab externa aliqua, & inevitabili cauſſa, aut ab vtroque ſimul. Exemplum *primi*: vt quòd à Sole neceſſariò exeat lux: Quid ita? Quia talis eſt naturæ Sol: vt non poſſit non lucere.

Exemplum *ſecundi*. vt, electi neceſſariò ſeruantur, & non poſſunt non ſeruari, vt Chriſtus docet. Vnde verò hæc neceſſitas? Certè non ab ipſorum natura, ſeu à principiis internis & naturalibus: ſed ab externa cauſſa, hoc eſt, à voluntate & decreto Dei immutabili: & à mediatore, qui non vult nec ſinit illos perdi.

Exemplum *tertij*: vt quòd Sol neceſſariò luceat, & ſua luce efficiat diem. Neceſſitas hæc partim à natura Solis eſt: partim à cauſa externa, hoc eſt, à voluntate & ordinatione diuina immutabili. Ita reprobi neceſſariò damnantur: tum quia naturâ impij ſunt: tum quia à Deo deſtinati ſunt ad mortem, iuſto ipſius iudicio. Quemadmodum ſi quis facinoroſus, & lethali morbo laboret, & à Magiſtratu adiudicatus ſit morti, propter facinora. Iſte enim neceſſariò moritur duplici de cauſa tum interna, tum externa.

Quod verò de effectis diximus: illud de cauſſis etiam dicendum eſt. Cauſſæ enim omnes in natura, aut definitæ, aut indefinitæ appellantur.

Definita ſunt, nempe ad certa effecta: quæ illa effecta non poſſunt non præſtare; vt quòd Sol non poteſt non lucere. Hæ, ſuorum effectuum cauſſæ ſunt neceſſariæ: quia non poſſunt non facere, quod faciunt. *Indefinita* autem ſunt: quæ effecta aliqua poſſunt efficere, & non efficere: qualis eſt homo ad loquendum vel non loquendum. Harum tamen aliæ vocantur & ſunt *libera*: aliæ *fortuita*: aliæ caſuales (de quibus apud Ariſtotelem in Phyſicis:) omnes autem contingentes.

Cæterùm, quæ *definita* vocantur: hæ definitæ eſſe poſſunt, aut à principio intrinſeco, aut ab extrinſeco, aut ab vtroque ſimul. Exemplum *primi*. Vt, quòd Sol definitus ſit ad lucendum: habet hoc immediatè à natura ſua. Exemplum *ſecundi*: vt, quòd Cyrus, cauſſa fuerit ad populum è captiuitate liberandum, deſtinata. Hoc enim habuit non à natura ſua: ſed à Deo: Exemplum *tertij*: Vt, quòd Sol ad lucendum ſit deſtinatus. Habet enim hoc: tum à natura ſibi indita, tum à Deo, qui illum ad hunc creauit vſum. Ex hac partitione fit, vt naturaliter quidem reſpectúque noſtri, multæ ſint cauſæ indefinitæ; eóque contingentes: ſed reſpectu Dei omnes ſint definitæ, & ad certos vſus finéſque deſtinatæ. Nam de primi & tertij generis cauſſis dubium non eſt: quin ſimpliciter definitæ ſint cauſæ. De ſecundi verò generis, facilè quod dixi probatur: quoniam & homines, & omnia animalia, ſpectata Dei ordinatione æterna atque immutabili, ad certa effecta, & ad certos vſus, certóſque fines deſtinata ſunt: quanquam ſua natura, & noſtri reſpectu ad certa effecta ſint indefinitæ cauſæ. Exemplum in Iuda.

Is ad prodendum Chriſtum, cauſſa erat ſua per naturà indefinita: erat enim naturaliter liber ad prodendum, & non prodendum. At ſi ſpectes æternam Dei ordinationem, cauſa erat ad hunc effectum deſtinata ac definita. Vnde & quod futurum erat ex diuino conſilio, prædictum fuerat per Prophetam: vt eſt *Act.1.* Ita Cyrus cauſſa erat naturaliter indefinita ad liberandos Iudæos, vel non liberandos: ſed iuxta decretum Dei, fuerat ad hoc præclarum opus definitus: quemadmodum tot antè ſeculis per Ieſaiam prædixerat Deus. Ita fit, vt ſi Cyrum & Iudam & in ipſorum ſpectes naturis: potuerint, & ille liberare, ac non liberare populum, eóque contingenter liberarit; & iſte Chriſtum prodere, & non prodere, eóque contingenter prodiderit. Sed ſi vtrumque conſideres, vt à Deo, ad ſuum quemque officium faciendum deſtinatum: vterque neceſſariò fecit; quod fecit, quanquam neuter coactè, ſed voluntariè & liberè, vt ſuprà explicatum eſt. Atque hinc liquidò apparet, verum eſſe quod diximus: diuerſis ſcilicet reſpectibus, vnam & eandem cauſſam, dici poſſe contingentem & neceſſariam: ſicut & antè de effectis dictum fuit.

Exemplum à Chriſto ſumtum, præclarum eſt. Annon Chriſtus mortuus eſt liberè, eóque contingenter? Vtique: *Oblatus eſt enim, quia ipſe voluit.* Item, *Poteſtatem habeo ponendi animam, &c.* Annon tamen etiam neceſſariò mortuus eſt? Procul dubio, ſpectata Dei Patris voluntate & decreto. Vnde illud, *Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Hæc omnia ſunt certa atque perſpicua.

2. Quare inde etiam apparet noſtræ Theſeos veritas; nempe immutabili prouidentia Dei, qua Mundum regit: minimè tolli è Mundo libertatem arbitrij noſtri, neque rerum contingentiam, caſum, fortunámve.

2. Ac confirmatio huius pendet etiam ex ſuperioris quæſtionis explicatione. Oſtendimus enim Deum in Mundi gubernatione ita per ſe omnia operari: vt tamen ordinatiè cauſſis etiam ſecundis vtatur. Quomodo autem vtitur? Eorum naturas ſeruando, non tollendo.

Cùm autem manifeſtum ſit, noſtri reſpectu atque etiam naturæ, alias eſſe cauſſas neceſſarias, alias contingentes atque liberas: & quædam caſu, quædam fortuna contingere, vt verè explicarunt Philoſophi: manifeſtum itidem fit, immutabili Mundi gubernatione, non tolli liberum hominis arbitrium, neque caſum, neque fortunam, eóque nec contingentiam.

3. Imò verò hoc etiam ad perfectam Mundi gubernationem pertinet: nempe, vt reſpectu cauſſarum ſecundarum, alia eueniant neceſſariò, alia contingenter, caſu, fortuitò. Hoc enim conſtitutum fuerat de principio, & ab omni æternitate: ſicut ab effectu demonſtratur manifeſtè. Quis enim non videat, quotidie multa nobis euenire præter animi conſilium ac voluntatem? Quid autem hoc vocatur aliud, niſi caſus & fortuna, & contingens euentus? Quis non experiatur, ſe multa velle & facere: quæ potuiſſet non velle & non facere? Quid autem eſt hoc, niſi liberè, niſi contingenter velle & facere? Et id quidem meritò. Res enim dominari debet à cauſſis proximis & ſecundis: non à prima & remota. Ideo licèt reſpectu primæ, omnia eueniant neceſſariò, nihil contingenter, tamen vſus obtinuit, & id ſcripturæ teſtimoniis & phraſibus comprobatur: nempe vt multa dicantur fieri liberè, caſu, contingenter: non autem neceſſariò. Itaque concludo. Reſpectu Dei, omnia euenire immutabili neceſſitate, non ſolùm quoad res, quæ eueniunt, ſed etiam quoad modos, quibus eueniunt: quia conſtitutum fuit ab æterno, vt alia ex cauſſis neceſſariis, alia ex contingentibus euenirent: noſtri autem reſpectu dici, quicquid contingenter aut caſu eueniſſe dicatur.

Quare tantùm abeſt, vt diuina prouidentia, qua Mundus regitur, excludat è Mundo libertatem arbitrij humani, caſum, fortunam, rerum contingentiam: vt has maximè confirmet atque ſtabiliat.

Poſſem hoc & exemplis è S. Literis illuſtrare & rationibus innumerabilibus confirmare: ſed ſatis eſſe arbitror. Hæc igitur de Quæſtione quarta ſatis.

II. Nunc aliquot *vſus* huius doctrinæ de tali Mundi gubernatione, qualem deſcripſimus, & è S. Literis demonſtrauimus, explicandi nobis ſunt. Aliàs enim abundè diximus de his vſibus, cùm inter attributa egimus de prouidentia. Nunc ergo paucis perſtringam præcipuos.

1. Principio neceſſaria eſt hæc doctrina ad fidem confirmandam de præcipuis fidei articulis: vti eſt ille primus: *Nos credere in Deum creatorem cæli & terræ.* Quomodo enim credas eum eſſe Mundi creatorem: niſi etiam credas, eiuſdem eum eſſe gubernatorem? Eſt enim impium, credere alium eſſe Mundi creatorem: alium verò, vel nullum eſſe eiuſdem Mundi rectorem. Non poteſt igitur ſeparari doctrina de prouidentia gubernationéque Mundi, à doctrina & fide de creatione rerum omnium.

Hinc verò intelligimus, qualis ſit noſter Deus: nempe ſummè potens, ſummè ſapiens, ſummè bonus, ſummúſque rerum omnium Dominus: quippe qui poteſt, nouit, & vult Mundum ad ſui gloriam, & ad noſtri ſalutem & vtilitatem regere. Ita apparet ex hac doctrina, nos verum colere Deum, cùm colimus eum, qui omnia condidit & regit: ac proinde, qui ſolus omnipotens, ſolus ſapiens, ſolus bonus, omniúmque bonorum parens eſt. Meritò itaque cùm Chriſtus volebat demonſtrare, Patrem ſuum & noſtrum, eſſe illum vnicum, & verum Deum, quem Scripturæ prædicant: id faciebat præter alia, argumento ducto à Mundi gubernatione: nempe quòd is oriri faciat Solem ſuper iuſtos & iniuſtos: & pluere ſuper bonos & malos, &c. Vide quomodo doctrina de Mundi gubernatione, in veram Dei cognitionem deducat.

Confirmatur hinc etiam vera Chriſti Deitas. Si enim verus Deus eſt is, qui regit Mundum, omniáque ſuſtentat: & de Chriſto hoc idem prædicatur, vt Col.1. *Per quem omnia conſiſtunt.* Et Hebr.1. *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ*: & Matth.28. *Ecce ego vobiſcum ſum*: efficitur, Chriſtum eundem eſſe cum Patre Deum, qui ſicut omnia creauit, ſic omnia etiam regit: ac proinde cùm dicimus, Credo in Deum creatorem cœli & terræ: ab illo non tantùm Patrem Dei non excludi Filium intelligere debemus. Imò eadem ratione & doctrina confirmatur Deitas Spiritus ſancti, & quod ſit vnus cum Patre Deus. Nam & ipſi in S. Literis datur gubernatio Mūdi,

atque

atque inprimis Eccleſiæ, & omnium filiorum Dei. *Aguntur enim*(vt Apoſtolus ait) à *Spiritu Dei, omnes qui ſunt Dei ſunt*. Et dicitur *inhabitare in vobis & in corporibus noſtris, docere & regere nos. Et ipſe clamat in cordibus noſtris*. id eſt, facit nos clamare, *Abba pater*. Hinc efficitur, vt cùm in precatione Dominica petimus à Patre, *vt det panem quotidianum: vt liberet nos à malo*, vt denique donet omnia tã quæ ad corporis, quàm quę ad animę ſalutem pertinent: nos nõ inuocare ſolam patris perſonam, ſed & Filium, & Spiritũ S. quoniam tam ij duo quàm Pater regunt Mundum & Eccleſiam: omniáque bona adminiſtrant. Hic eſt primus vſus huius doctrinæ: confirmatio ſcilicet fidei de vero Deo.

2. Nec verò fides tantùm de præcipuis fidei articulis cõfirmatur doctrina hac de prouidentia Dei, qua Mundum & Eccleſiam regit: verùm etiam fiducia in illum ſtabilitur, nẽ pe fieri non poteſt, vt nos vlla in re deſeratSi enim omniũ curam gerit, cur non noſtri qui ſumus filij? Si etiam coruis crocitantibus ſuppeditat alimenta, cur non nobis dabit panem, quem petimus quotidianum?

Huc pertinet adhortatio Chriſti, ad hanc fiduciam in nobis alendam, quam habet *Matt. 6. verſ. 24*. vſque ad finẽ capitis. Propoſitio eſt: Ne ſimus ſolliciti de rebus ad vitã hanc pertinentibus. Ratio quia Deus non poteſt nõn ſuppeditare nobis hæc omnia, quantum neceſſe eſt. Probat à minori Deum prouidentia non deeſſe auiculis paſcit omnia animalia, etiam agros: quãtò minus deerit vobis, qui pluris eſtis illis, & quæ eſtis fidei? Concludit adhortationem iiſdem verbis dicendo: Ne ſitis igitur ſolliciti de craſtino, &c. Adde, ſi paſcit & ſuſtentat etiam ſuos hoſtes, impios ſcilicet & infideles: quantò magis nos? argumentum hoc eſt Apoſtoli *1. Timoth. 4*. Deus ſeruator eſt omnium hominum, Ergo maximè fidelium. Hic eſt alter præcipuus vſus vt fiduciam certam de omnibus rebus nobis neceſſariis in Deo collocemus qui regit mundum ſapientiſſimè.

3. Hinc fortitudo animi in aduerſis ſerendis, nutritur, fulcitur. Si enim ita regit Deus Mundũ vt nihil aduerſi ſeu mali in hoc contingat, quod ipſe ſua manu non operetur, ſicut per Prophetam ait, Non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Deus: Et, Ego formans lucem, & creans tenebras: nihil igitur aduerſi contingere nobis poteſt, quod non à manu Domini proficiſcatur, ſapientiſſimè & optimè omnia regentis. Proinde cùm premimur aduerſis, ſiue per homines, ſiue per beſtias, aut etiam per diabolos, quorũ opera vti ſolet in Mundo adminiſtrando, & in peccatis noſtris puniendis Deus: non ſunt nobis in hęc inſtrumenta Dei defigendi oculi, illiſque iraſcendum: ſed altiùs in Deum vt primam omnium cauſſam, attollendi. Ibi cõtemplanda eſt cauſſa, cur nos caſtiget: nempe propter noſtra peccata: ad ſalutem noſtram, ne cum hoc Mundo damnemur, vt ait Apoſtolus: proinde reſipiſcendum eſt gratiæque Deo agendæ, quòd nos hoc afflictionum igne repurget ad ſalutem & gloriam noſtram. Sic Iobus ſuo exemplo nos docet: qui à prouidentia Dei omnia regentis, ſe in omnibus aduerſis conſolabatur: omniáque Deo accepta ferebat, non autem creaturis: Dominus, inquiebat, dedit Dominus idem abſtulit, &c. Sit nomen Domini benedictum. Sic Dauid id quòd primus Pſalmis fecit, quoties premabatur aduerſis, in Deum tollebat oculos: agnoſcebat eum eſſe qui percutiat, & eundem etiam, qui ſanet: qui ducat ad inferos, & qui etiam reducat. Neque eum cædere ſolitum ſine cauſa: ſed propter peccata noſtra. Ad eum igitur eſſe redeundum, per veram reſipiſcentiam, qui ideo nos cędit, quia ab ipſo defleximus: & in ipſum eſſe ſperandum, tanquam in eum, qui ſolus poteſt ſanare. Quis queat indicare omnes Pſalmos, in quibus ſeſe à prouidentia Dei, in aduerſis ſuſtentat: quòd ſciat omnia manu Domini Dei ſui temperari?

4. Quis etiam hinc non diſcat timere Dominum, à quo nouit omnia & bona & mala, proſpera & aduerſa pendere? Et qui poteſt totum Mundum omnéſque creaturas aduerſus nos armare? Dominus enim exercituum eſt. Ideo hoc argumento Apoſtolus Corinthios dehortabatur cùm ab aliis peccatis, tum maximè à communione cum idololatris. Num prouocabimus eum? Num fortiores illo ſumus? Hinc ergo, quòd ſcimus Deum eſſe illum, qui in omnibus agit quicquid vult, & animaduertit in quos vult: & quomodo vult: cùm omnia ſint in manu eius, diſcendus eſt timor Domini, & in perpetua humilitate viuendum.

5. Cæterùm nihil hac doctrina efficacius ad corda noſtra in Dei amorem afficienda & inflammanda: nempe, quàm ſi perſuaſus ſis, Deum, qui omnium rerum curam gerit, peculiariter Eccleſiam ſuam, ac proinde etiam te curare: Eũ eſſe, qui te ab æterno elegerit ad æternã vitam: qui te creauit, qui redemit, qui vocauit ad Chriſtũ: qui fecit membrũ Eccleſiæ: qui ſpiritu ſuo donauit, qui denique te ab infinitis, quæ perpetuò videlicet quæ nos vrgent, periculis, hoſtibúſque tã inuiſibilibus quàm viſibilibus hucuſque tutatus eſt, tuetúrque indies, ſua ipſius manu: qua omnia regit pro ſua libera voluntate. Quomodo enim non afficeretur corda noſtra in Dei amorem: ſi horum beneficiorum memoria, perpetuáque meditatio, noſtris inhæreat mentibus? Si denique cogitemus, Deũ pro nobis eſſe, à nobis ſtare, perpetuo ſuper nos vigilare, & nobiſcum eſſe, imò in nobis habitare: vt nihil nobis ſit præſentius ipſo Deo? Hac doctrina ſe Apoſtolus magis ac magis aſſiciebat, *Rom. 8. v. Deus pro nobis. &c. Quis igitur nos ſeparabit a charitate Dei &c.*

6. Facit etiam hæc doctrina ad charitatem proximi, concordiamque inter nos colẽdam Primũ, quia ſumus omnes in eadem Dei Patris familia, & ſub eadem manu, qua nos ſimul regit: nõ ſecus atque multi liberi in eadem domo, ab eodem patre ſimul reguntur. Deinde, quia ita cõnexuit nos ſimul, vt velit per vnum alterum gubernari doceri foueri, ali, & ad ſummum ſinem perduci, & denique omnes, mutua quemque alterius opera indigere. Hæc eſt enim non poſtrema cauſa, cur Deus hoc nexu, nos ſecundas ſimul coniunxit, vt ſic ſeſe mutuo ament, colant, tueant. Huc illa Apoſtoli ſimilitudo ad Rõ. & ad Cor. quã & Gentiles auctores vſurparũt, de mẽbris in eodẽ corpore poſitis, quorum vnum alterius opera opus habeat: ac proinde rationẽ inde ſumit, ad cohortandos nos, vt colamus inter nos pacẽ atque concordiam. Hoc facit illud Apoſtoli, *Gal. 6.* Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Item: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſcemodi in ſpiritu lenitatis.

7. Docemur etiam hac doctrina quomodo vtendũ nobis ſit rebus omnibus, quas Deus nobis in hoc mundo ſuppeditat, nempe, media ad aliquid efficiendum à Deo ordinata, non eſſe aut negligenda, aut in alium vſum, quàm ordinata ſunt, vſurpanda: ſed in eundem vtendum illis eſſe, in quem & Deus illa ordinauit, ſiue ea pertineant ad corpus, ſiue ad animam. Ad corpus pertinent eſculenta, poculenta, veſtimenta. Ad animam, verbũ inprimis, & ſacramenta & diſciplina, pietatiſque exercitia. Proin ſe neq; expectãdũ eſt, vt Deus nos ſine his mediis ſeruet, quia licet poſſit, non tamẽ ſemper vult: neque etiam in his fiducia vlla collocãda eſt, quæ in ſolum Deum eſt reponenda: neque tamẽ contrà negligenda ſunt, quia hoc nil aliud foret quàm quæ Deus ad aliquem finem ordinauit, contemnere, eóque Deũ tentare.

8. Denique doctrina hæc, monere quemque debet ſui officii, vt ſicut Deus, ſumma ſapientia, diligẽtia ſtudio, amore regit Mundum, vt nunquam deſiſtat ab officio, tametſi nos ingratiſſimi ſimus: qua in re verè ſe Deũ eſſe declarat. Sic nos non pigeat, in ſua quiſque vocatione, dignè & ſideliter ambulare. Paterfamilias es, ne ſuam negligas familiam. eſt te præſe it Deus, Doctor es ne defraudes tuos auditores ſana doctrina, & vera docendi ratione, pro tua virili partes bonaque conſcientia. Princeps es, Magiſtratu fungeris, dicito omnibus ius ſine προσωποληψίᾳ. Sic enim facit Deus in Mundi gubernatione. Ergo ratio qua Deus Mundũ regit, exemplo nobis eſto, quomodo debeamus in ſua quiſq. voluntate ambulare, & ſuum ab illuce pe ſiom. Hanc rationem docuit, & hoc argumento vſus eſt Chriſtus, cùm dixit Matt. 5. *Debere nos omnes homines diligere, & benefacere omnibus, etiam hoſtibus*. Quamobrem? *Quia*, inquit, *etiam Pater veſter cœleſtis idem facit in Mundi gubernatione. Facit enim oriri Solem ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*. Hi ſunt præcipui vſus, quos ex hac doctrina de immutabili Mundi gubernatione habere debemus.

9. Ac certum eſt, qui electi ſunt, & verè pij, ex hac doctrina maximam percipere conſolationem & doctrinam: fructúſque permultos & magnos quos nemo queat explicare. At reprobis, ſicut reliqua omnia, ſic etiam doctrina hæc ad ruinam eorum cedit perniciem. Exempla & vetera habemus in ſacris literis innumerabilia: & quæ quotidie cernimus tot noſtris oculis, vt enumerari non poſſint. Conſidera mihi in hiſtoriis Regum, & in Pſalm. Dauidis, Dauidem & Saulem. Dauid ex tota hac, quæ Mundum regit Deus gubernatione, tam ex aduerſis, quam ex ſecundis rebus, ſemper proficiebat in pietate. Saul contra, omnibus etiam Dei beneficiis, ad ſuam abutebatur perniciem atque interitum, ita vt tandem is ſeſe occiderit: ille in æternam vitam tranſlatus fuerit. Faxit Deus, vt exemplo Dauidis, ex hac doctrina de immutabili Mundi gubernatione, in dies magis ac magis proficiamus in pietate. Atque hæc habui, quæ ſcriberem, de immutabili Dei prouidentia, qua totum vniuerſum ſapientiſſimè regit.

Ita abſoluimus, etiam Dei prouidentia & beneficio, tertiam Theologiæ partem, quæ fuit & eſt, de operibus

Dei,quæ creationis vocantur:déque eius prouidentia,qua omnia adminiſtrat. Opera autem creationis partiti ſumus iuxta Apoſtolum ad Col. *in inuiſibilia & viſibilia*. Inuiſibilia ſunt,Cælum beatorum,Angeli boni & mali. Ac de iis omnibus in prima parte huius operis abundè diximus. Viſibilia ſunt ea,quæ propriè Phyſica appellātur: & quæ Moſes in 1. & 2. cap. Geneſ. deſcripſit:& de quibus Philoſophi, inprimis autem Ariſtoteles,copioſiſſimè diſputarunt. Horum quoque ſummam complexi ſumus, idque eo ordine, quo etiam Moſes explicauit fuiſſe facta:& quem ordinem vtpote naturalem,ab Ariſtotele quoque fuiſſe ſeruatum in tradenda hac Philoſophia naturali, ſuo loco in altera huiuſce operis parte demonſtrauimus. Poſtremum opus fuit creatio hominis cum Inſtitutione coniugii, qua de re etiam in poſtrema operis parte ante gubernationem Mundi, copioſè diſſeruimus.

Reſtat nunc quarta & poſtrema pars Theologiæ, quæ eſt de operibus redemtionis: eóque de redemtore, atque redemtis, déque occaſione, qua factum eſt, vt filius Dei & promiſſus fuerit de principio redemtor, & tandem venerit ad perficiendam redemtionem, déque aliis ad eandem redemtionem pertinentibus. De hac quoque, ſi Dominus vitam ſuppeditauerit, legitima & perſpicua methodo, ex fonte ſacrarum literarum, ex antiquis Patribus, ex legitimis Conciliis, purioribúſque Theologis, quid vera Orthodoxa, & verè Catholica Eccleſia ſemper ſenſerit ac ſentiat: beneficio Chriſti, ad gloriam Dei, & ad ſalutem Electorum, planum, vt confidimus, perſpicuúmque faciemus.

DEO SIT GLORIA.

I. INDEX IN QVINDECIM LIBROS D. HIERONYMI ZANCHII DE OPERIBVS DEI INTRA SEX DIES CREATIS; CAPITA ET CAPITVM ARGVMENTA, QVAE in ſingulis libris ſolidè explicantur, proponens.

PARS PRIMA,

Quatuor libris comprehenſa.

In qua potiſſimum agitur περὶ τῶν ἀοράτων, nimirum de Cœlo Beatorum, déque Angelicis Spiritibus tam bonis quàm malis.

LIB. I. CAP. I.

PRolegomena continet Col. 1.2.3 4 5.6

II. Argumentum & Summa primi capitis Geneſeos explicatur. 2. Docetur item quot & quinam Philoſophorum, hæreticorúmve hominum errores, primo verſu ex Moſe damnentur. 3. Primus ille verſus (nempe In principio creauit Elohim cœlū & terrā) declaratur 7.8.9 &c.

III. Locus de mundo in genere tractatur, & quinam porrò loci explicandi ſint docetur 17.18.&c.

IV. De Cœlo Beatorum 46

LIB II. *De Angelis.*

I. Partitio totius tractationis, de Angelis, & de nominibus Angelorum 57.58.59

II. An verè exiſtant Angeli, veráque ſint ὑφιστάμενα, veræque ſubſtantiæ 65

III. Quales ſint ſubſtantiæ? An Angeli, tam boni quàm mali, ſint prorſus incorporei: an verò naturaliter habeāt corpora, ſed inuiſibilia 66

IV. De Simplicitate Angelorum. Num ſint ſpirituales illæ ſubſtantiæ ita ſimplices, vt in eis nulla prorſus ſit compoſitio 70

V. De Angelorum creatione. An & quando creati fuerunt 70.71 72

VI. De qualitate Naturæ in qua creati fuerunt Angeli 73

VII. De Angelorum mutabilitate & immutabilitate 75

VIII. De apparitionibus Angelorū 77

IX. An in corporibus aſſumptis opera vitæ, & quæ eius ſpeciei corporibus conueniunt, perficiant 82

X. De motu Angelorum, déque loco per quem, & tempore quo mouētur 84

XI. De loco Angelorum, ſeu an Angeli vero ſint in loco, & an pluribus in locis ſimul, vnus & idem Angelus eſſe poſſit 86

XII. Angeli plures an ſimul eſſe poſſint in vno & eodem loco 88

XIII. De Numero Angelorum 89

XIV. De hierarchiis ordinibúſque Angelorum 91

LIB. III. *De Angelis bonis.*

I. De propriis Angelorum nominibus 97

II. De Cauſa, cur aliis cadentibus, alij in veritate perſtiterint 99

III. De Confirmatione Angelorum in gratia 104

IV. De libero Angelorum arbitrio 106

V. De Cognitione Angelorum 108

VI. De modo quo Angelus cognoſcit: an per eſſentiam ſuam, vt Deus; an verò per ſpecies & ideas, à rebus cognitis abſtractas, vt nos 110

VII. De iis quæ norunt Angeli 115

VIII. An ſingularia, & quæcunque hic fiunt, ab Angelis cognoſcantur 116

IX. An Angeli cogitationes noſtras, deſideria & affectus intelligant 119

X. An cognitionem futurorum & myſteriorum gratiæ teneant 120

XI. An perfecta ſit Angelorum cognitio 125

XII. De libera voluntate, déque virtutibus Angelorum 129

XIII. De Angelorum affectionibus, amore nempe, odio, lætitia, triſtitia, &c. 132

XIV. De Officiis Angelorum, déque finibus propter quos Deus vtatur ipſorum opera & miniſterio 135

XV. An cuique homini certus Angelus, qui eum curet, deſtinatus ſit 141

XVI. De diſſidiis Angelorum, an noſtrâ cauſâ oriantur aliquando inter Angelos diſcordiæ & diſceptationes 145

XVII. An vnquam Angeli deſerant eos, quibus cuſtodiendis & regendis traditi ſunt 147

XVIII. De Angelorum vi atque potentia in res creatas, tum ratione carentes, tum etiam ratione præditas, vti ſumus nos, atque etiā cacodæmones 148

XIX. De linguis ac locutionibus Angelorum 155

XX. De miſſionibus Angelorum ad nos, déque eorum apparitionibus 157

XXI. An Angeli opus habuerint Chriſto mediatore 159

XXII. De Angelorum inuocatione: ſeu, An Angeli ſint nobis inuocandi, & religioſo cultu colendi 164

LIB. IV. *De malis Angelis.*

I. De malorum Angelorum nominibus 168

II. De peccato Angelorum 170

III. De Angelorum qui peccarunt multitudine 173

IV. De pœnis cacodæmonum. & primùm de loco vnde eiecti, déque eo in quem detruſi ac detrudendi ſunt 174

V. De Spirituali, eáque perpetua totius illorum naturæ pœna: hoc eſt, de extrema malitia & immundicia, qua perpetuò afficiuntur 174

VI. De pœna in voluntate 175

VII. De pœna in intellectu: & qualis cognitio in Diabolis manſerit 176

VIII. De diabolica rerum futurarum præcognitione & vaticinatione 181

IX. An cogitationes cordium noſtrorum cognoſcere poſſint, & quomodo 183

X. De vi & potentia dæmonum 184

XI. De potentia dæmonum in animas noſtras 189

XII. De potentia dæmonum in edendis portentis 192

XIII. De finita & certis terminis limitata dæmonum poteſtate atque potentia 196

XIV. De præcipuis ſtudiis & operibus dæmonum 198

XV. De magicis artibus 200

XVI. De incubis & ſuccubis 203

XVII. De diſtinctis inter Cacodæmones officiis. 205

XVIII. De officiis dæmonum 207

XIX. De dolore ac pœna qua à reb. externis afficiuntur & afficiendi ſunt cacodæmones 208

XX. De vſibus huius doctrinæ de dæmonibus 211

XXI. De pugna quam habemus & habere nos vult Deus cum diabolis 212

PARS SECVNDA.

Septem libris comprehenſa.

In qua περὶ τῶν ὁρατῶν, id eſt, de Rebus viſibilibus, ſenſuíque ſubiectis agitur.

LIB. I.

Cap. I. Ad Theologum pertinere de phyſicis etiā Dei operibus diſſerere. 2. Quam Ariſtoteles in explicanda naturali philoſophia ſeruauit methodum, eandem Moſem, Spiritu Dei afflatum, in enarrandis phyſicis Dei operibus, longè ante ſecutum fuiſſe: ac proinde quam etiam Theologus, in hoc rerum genere tradendo, ratione ſequi debeat, docuiſſe 217

II. Contextus Moſis, Geneſ. 1. 2. 3. 4. 5. (terra autem erat informis, & inanis) explicatur 223
III. De primis principiis in genere 249
IV. De materia, forma, Priuatione 251
V. De cauſis 255
VI. De Motu 257
VII. De Tempore 267
VIII. De Loco & Vacuo 270

Lib. II.

I. Summa eorum quæ tradit Moſes verſ. 6. 7. 8. 9. 10. cap. 1. Geneſeos, cum eorundem explicatione 273
II. De primis Mundi partibus 281
III. De Cœlo prima mundi parte 284
IV. De Elementis in vniuerſum 291
V. De Singulis elementis 310
Terra
Aqua 313
Aere 314
Igne 316

Lib. III.

I. De Meteoris, quæ nomine Aquatum expanſionis ſignificata fuerunt 319
II. De Ignitis ſeu primo meteorum genere 319
III. De non verè ignitis; hoc eſt, de variis quæ in cœlo cernuntur, nudis imaginibus atque coloribus 338
IV. De Aereis meteoris 365
V. De Meteoris Aqueis 378
VI. De Terreis meteoris 386

Lib. IV.

I. De Aquis ſub expanſione ſeu firmamento, hoc eſt de Mari, fluminibus, lacubus, fontibus, &c. 401
II. De fluminibus, lacubus, fontibus, thermis, aliiſque extra Oceanum aquis 409

Lib. V.

I. De Terra aquis detecta, quæ Hebraicè היבשה. Græcè ξηρὰ, Latinè ſimpliciter Terra & continens vocatur 411
II. De Plantis & ſtirpibus è terra productis, contextus Moſis, Geneſ. 1 à verſ 11. vſque ad 14. explicatur 417.418
III. Locus communis de plantis ſeu ſtirpibus 424

Lib. VI.

I. De Opere quarti dici, hoc eſt, de luminaribus cœli, Sole, Luna, Planetis, Stellis, &c. Contextus Moſis, Gen. 1. à verſ. 14. ad 20. explicatio 427
II. Quæſtiones in quartum diem.
1. de eſſentia & numero ſtellarum 443
2. de partitione, numero, ſitu, nominib. ordine ſtellarum 444
3. de Stellarum animis 448
4. de Stellarum harmonia *ibid.*
5. de vi ſtellarum in hanc regionem elementarem 451
6. de diuinatione ex aſtris 454

Lib. VII.

I. De Operibus quintæ Diei, hoc eſt de Piſcibus, Auibus, &c. Contextus Moſis, Geneſ. 1. à verſ. 20. ad 26. explicatio 457
II. Summa doctrinæ de Animalibus ac primùm in genere 475

Pars Tertia.

Quatuor libris comprehenſa.

In qua περὶ τῆς ἀνθρώπου ἔργατα τε καὶ ἀἴσφατα, déque aliis ad eum pertinentibus, ad lapſum vſque, eóque & de humano Connubio, ad finem vſque Mundi duraturo, agitur.

Lib. I.

I. De creatione hominis, qui ex viſibili & inuiſibili conſtat Natura, contextus Moſis, Geneſ. 1. à verſ. 26. ad capitis finem, explicatio 497
De paradiſo 498
De Creatione Euæ 510
De Coniugio Adami & Euæ 518

Lib. II.

I. Locus de hominis, tum corporis, tum animæ creatione, vbi de hominis dignitate, de fabrica corporis humani, de materia & partibus eiuſdem, de internis ſenſibus & organis 548
II. De anima 554
Continet hic tractatus quæſtiones ſeptem:
1. De ipſius Animæ eſſentia atque natura 556
III. 2. De partibus & potentiis Animæ 573
IV. 3. De animæ humanæ Vnitate 598
V. 4. De Origine Animarum humanarum 604
Argumentorum pro Origine animarum humanarum ex traduce refutatio 618
VI. 5. De vnione Animæ cum corpore 627
VIII. 6. De immortalitate animarum humanarum 628
Refutatio argumentorum contra immortalitatem animarum 665
Obiecta è ſacris literis contra immortalitatem animarum 672

Lib. III.

I. De Statu primi hominis ante lapſum. Et primùm, De Imagine Dei, ad quam creatus fuit homo 677
II. De iuſtitia Originali 693
III. De libero primorum parentum ante lapſum arbitrio 704
IV. De variis ad ſtatum primi hominis ante lapſum pertinentibus 715

Lib. IV.

I. De Coniugio Adami & Euæ præfatiuncula. Deinde de eorundem ſponſalibus 727.729
II. De Matrimonio 820
III. De Diuortiis 832
IV. De mundi gubernatione 8[illegible]7

II. INDEX

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVI IN QVINDECIM LIBRIS DE OPERIBVS CREATIONIS appoſitè citantur, & prolixè explicantur.

Ex Geneſi.

Cap. I. v. 1. col. 9. 10. 12. 14. 16. 17. 35. Totum Caput Geneſeos luculenter & prolixè admodum explicatur in hoc Commentario. Primi verſiculi explanationem habes pagina ſeu Columna 2. 7. 8. 9. & ſequentibus.
v. 2. 19.224 218.229.&c.
3. 233.234 &c.
4. 240
5. 241.242
6. 275
7. 276.277
8. 278
9. 14.279
10. 14 280
11. 418.419.420
12. 421.422
13. 425
14. 46.428.429.430
15. 46.431
16. 432.&c.
17. 434
18. 436
19. 439
20. 462
21. 8.11.463.&c.467
22. 468.473.474
23. 470
24. 470.471.472
25. 473 474
26. 48.479.482.483 484
27. 11.485.489
28. 527.529.530.&c.
29. 531.534
30. 535
31. 536
II. 1. 16.537
2. 14.16.537.538
3. 538.539
4. 12.540
5. 540
6. 540
7. 9.487.489.490 491.&c.
8. 499
9. 500 501
10. 502
11. 503
12. 504
13. 504
14. 504
15. 504.505
16. 506
17. 506.507.508.509
18. 510.511.512.824
19. 513
20. 514
21. 515.516
22. 517.518
23. 519.520
24. 521.522.523.524
25. 525.526.527.71
III. 1. 83.163
3. 507
10. 506
12. 720
13. 72[illegible]
15. 196.198.199.215
16. 812.818
19. 490.506.503
21. 723
23. 610
24. 6[illegible]
IV. 1. 721
V. 3. 481.601
VI. 2. 796
3. 796
6. 133.134
VII. 11. 46
VIII. 15. 491
8. 370
IX. 1.

[illegible]	1.	735
	6.	680.682
	13.	355
	.	141
XIV.	19.	16
XV.	5.	429.446
XVI.	9.	141
XVIII.	2.	61
	19.	82
	.	5
XIX.	11.	151
	14.	730
	19.	730
	26.	186
XXII.	18.	469
XXIV.	3.	796
	7.	139
	65.	820
XXVIII.	2.	796
	12.	59
XXX	2.	470
XXXII.	7.&c.	139
XXXIV.	14.	796
XXXV.	18	630
XXXVIII.	6.&c.	788
	Ex Exodo.	
I.	5.	604
III.	2.	12
VII.	20.	186
VIII.	18.	196
	.	192
X.	1.	852
	13.	370
XII.	2.	248
XIX.	16.	378
XX.	2.	691
	10.	16
	11.	6.71
	12.	790
XXI.	22.	611
XXIX.	16.	790.810
	17.	810
	.	186
XXXII.	32.33.	796
XXV.	18.&c.	60
XXVIII.	17.&c.	395
XXXIII.	2.	139
XXXIV.	16.	796
	Ex Levitico.	
XVII.	7.	168.199
XVIII.	6.7.&c.	779.780. &c.
XIX.	11.20.	201
	.	184
XX.	11.	784
	27.	203
	.	184
XXI.	8.	750
	14.	759.813
XXIII.	5.	247
	Ex Numeris.	
XII.	6.	515
	8.	515
XXX.	4.	790
	Ex Deuteron.	
IV.	26.	16
VII.	3.	790.796
	4.	796
XIII.		201
XVII.	3.	46
XVIII.	10.	458
	.	184
	.	201
XIX.	4.&c.	854
XXI.	11.	800
XXII.	24.	750
XXIV.	1.	872
XXV.	5.&c.	786.&c.805
XXVI.	15.	48
XXVII.	20.	784
	23.	784
XXVIII.	23.	851
XXX.	19.	707.709
	20.	852
XXXI.	11.	229

XXXII.	1.	16.
	17.	168
	Ex Ioſuâ.	
V.	13.	149
	Ex Iudic.	
IX.	23.	207
XIII.	6.	61
	.	165
XIV.	2.	791
	Ex I.Sam.	
VIII.	.	48
X.	10.	59
XI.	12.	12
	27.	852
XVI.	14.23.	59
	.	196
XVIII.	10.	168
	.	196
XXVIII.	2.	201
	.	184
	Ex II. Sam.	
III.	14.	730
XIII.	15.	791
	Ex I.Regum.	
III.	1.	797
VIII.	27.	47
XI.	1.	797
XVII.	21.	603
XXII.	20.	95
	21.	59
	23.	59
	Ex II.Regum.	
VI.	16.	139
	Ex I.Paral.	
X.	2.	201
XXI.	1.	199
XXXIII.	.	201
	Ex II.Paral.	
VI.	.	120
XVIII.	21.22.	145
	Ex Iobo.	
I.	12.	206
III.	4.	136
	17.	676
IV.	18.	163.694.
VII.	21.	673
X.	12.	852
XII.	7.	468
	9.	852
	27.	582
XXI.	26.	673
XXVI.	7	306.406.410
XXVIII.	1.	387
	2.	851
XXXVII.	1.&c.	851
XXXVIII.	7.	61
	8.	279
	31.&c.	447
	33.	87
XXXIX.	1.2.&c.	851
	Ex Pſalmis	
III.	6.	673
VIII.	5.&c.	541.684.688.688
	6.	60
	7.	533
IX.	9.	14
XVIII.	11.	370
XIX.	1.	219.288.290.&c 449
XXXIIII.	2.	279.318
XXVIII.	3.4.	59
XX.	10.	675
XXXI.	6.	495.562
XXXII.	9.	474
XXXIII.	6.	35
	7.	279.315
	15.	607.610
XL.	8.	6
XLIX.	21.	725
LXV.	10.	851
LXXII.	16.	851
LXXVII.	18.	381
LXXVIII.	39.	674
LXXXVIII.	6.&11.	672.&675

XCI.	1.2.	143
	11.	127.138.147
	13.	533
XCIX.	1.	143
CII.	26.	22.688
	27.	285
CIII.	14.	675
	19.	47
	20.	135.150
CIV.	1.&c.	850
	2.3.	277
	4.	59.61.135.136.&c 138.370
	5.	305.306
	14.	851
	19.	448
	20.	243.431
	21.	243
	22.	585
	24.	244
	25.	405.462
	30.	492.849
CVI.	37.	199
CXIII.	5.	48
CXV.	16.	48
	17.	675
CIX.	91.	850
CXXXV.	7.	852
CXXXVIII.	1.	63.852
CXXXIX.	1.&c.	850
CXLVI.	4.	674
CXLVII.	4.	98
	8.	852
	16.	384.851
	17.	386
CXLVIII.	2.	72
	8.	372
	Ex Proverb.	
VI.	6.	474
VIII.	22.	72
	25.	437
.	26.	22
	29.	313
XVI.	1.	325.458
	.	473.692
	4.	7
XVIII.	22.	812.813
XIX.	14.	456
	21.	458
XX.	24.	458
XXI.	1.	892
XXV.	23.	389
XXVI.	2.	458
XXX.	24.25.	474
	Ex Eccleſ.	
I.	1.	325
	4.	386
	5.	288.437
	7.	314.378.401.409 410
	9.	538
III.	1.	10.16
	19.	672
	20.	228
VII.	19.	496.680.694.697 709.720.
	.	541
XII.	7.	495
	9.	462.562.606.610. 619.639.672
	Ex Ieſaia.	
I.	2.	16
V.	5.	147
VI.	3.	60.98.135.138.158
VIII.	1.	201
XIII.	21.	169
XIV.	12.	61.123
XIX.	14.	169
XXVII.	1.	196
XXXVIII.	5.	852
	18.	675
XL.	15.	231
XLI.	4.	181.248
XLV.	5.7.	9.13.227

XLVII.	13.	201.458
LI.	6.	285
LII.	11.	751
LVII.	19.	610
LXV.	17.	285
LXVI.	9.	324
	14.	57
	22.	285
	Ex Ieremia.	
IV.	23.	97.225
V.	22.	279.403.406
X.	2.	548
	11.	18.19
	23.	852
XVII.	9.	185
	10.	110
XXIII.	27.	201
XXIV.	16.	521
	Ex Ezechiele.	
I.	23.	60.231
X.	6.	138
XVIII.	20.	497
	21.	604
XXVI.	3.	463
XXXVII.	9.	231
	Ex Daniele.	
IV.	10.	61
VII.	10.	91.138
VIII.	9.	97.109
X.	11.	145
XII.	3.	702
	Ex Hoſea.	
II	21.	324.451.452.453
	23.	242
IV.	12.	59.169
	Ex Iona.	
I	4.	370
III.	4.	247
	Ex Aggeo.	
II	6.	14
	Ex Zacharia.	
II	3.	155
III	1.	168
	2.	197
	6.	199
XII.	1.	607.627
	8.	138.562
XIII.	2.	169
	Ex Malachia,	
I	6.	509
II	11.	797
III	1.	60
	10.	851
	Ex Matthæo.	
CAP.	verſ.	col.
I	20.	730
II	19.	151
IV	3.	169
	10.	165.169
	11.	135
V.	32.	135
	45.	383
	48.	692
	.	145
VI.	13.	852
	26.	333.851
	28.	851
VII.	12.	644
	22.	193
VIII.	13.17.	188
	20.	46
	29.	177
	31.	59
X.	1.	197
	28.	562.629.640.675 672
	29.	850.851
XI.	25.	16.103
XIII.	19.	169.199
	39.	141
	43.	48.702
XV.	4.	790
	11.	534
	19.	591
XVI.	23.	342.383
	18.	512
	21.	173
XVIII.	10.	138.143
	12.	159
	.	169
XIX.	4.5.6.	519.521
	5.	822
	6.	732
	8.	794
	9.	760.810.834
	11.	736.737.756
	12.	512
XX.	.	91
XXI.	.	192
XXII.	25.	788
	30.	76.834
	32.	640
XXIV.	24.	192
	29.	331
XXV	15.	200
	34.	504
	41.	59.266.
XXVI.	38.	604
XXVII.	58.	245
XXVIII.	1.	249
	Ex Marco.	
V.	9.	173
VI.	.	145
IX.	.	188
XVI.	9.	213.214
	17.	197
	18.	533
	21.	245.249
	Ex Luca.	
I.	31.	139
	33.	138
	35.	231
	46 47.	496
II	1.	14
	13.	16
	14.	48
	52.	725
	.	97
VIII.	27.	214
	30.	145.173
	31.	174
	32.	197
IX.	.	188
X.& XI.	.	97
X.	18.	61
	20.	169.195
XI.	15.	205
	18.	206
XV.	7.	133
	10.	143
XVI.	22.	141.143.642
	24.	209
	25.	586
	26.	49
XX.	38.	641
XXI.	25.28.	434
	38.	245
XXIII.	43.	48.641
	46.	495.562
XXIV.	39.	581
	49.	48
	51.	48
	Ex Ioanne.	
I.	3.	18
	4.	712.852
	9.	240.711.712
	10.	18
	11.	48
	51.	345
III.	6.	625
	8.	212.370.376
	31.	408
IV.	24.	679
	.	149
V.	17.	419.470.486.625. 850
	36.	6.194
VI.	39.	498
	47.	641
	58.	576
VIII.	34.	707
	36.	707
	41.	169
	44	169.170.171.199. 214
X.	3.	98
XI.	11.	673
	25.	498
XII.	2.	61
	24.	422
	28.	378
	.	179
XIV.	2.	48.274.504
	3.	47.504
	9.	678.682
XV.	5.	700.712
XVI.	11.	197
	15.	103
XVII.	5.	18
	9.	160
	20.	176
	21.	47
	22.	47
	24.	46.48
	.	51
	.	53
	.	206
XIX.	30.	630
XX.	1.	245
XXI.	10.	56
	22.	458
	.	57
	Ex Actis Apoſtol.	
I.	7.	458
	11.	139
	.	47
II.	2.	570
	44.45.	532
III.	5.	191
	21.	53
IV.	24.	26
V.	3.	200
	4.	707
	12.	150
	19.	60.140
	21.	245
VII.	38.	139
	56.	53.345
	59.	495.604.673
	60.	673
	.	59
VIII.	11.	192
	26.	140
X.	3.	60.139.140
	10.	515.661
XII.	7.&c.	86.140.148
	8.&c.	140
	11.	150
	15.	145
XIII.	.	86
XVI.& XIX	.	201
XVI.	9.	178
	17.	201
XVII.	24.	205.321.
	25.28.	53
	27.28.	4
	28.	20.34.251.410. 453.470.578.581. 850.854.&c.
XIX.	12.	59
	15.	178
XX.	2.	245
	10.	604.630
XXII.	17.	515
	.	165
XXIII.	8.	65
XXIIII.	.	195
XXVII.	24.	148
	Ex Epiſt. ad Rom.	
I.	3.	621
	20.	20.41.219
	28.	852
	.	207
	.	11.15

II. 13. 637.644
III. . 74
IV. 17. 35.242
V. 3. 207
12. 508.509.672.715
19. 696
VI. 12. 682
18. 305
23. 715.772
VII. 2. 764.811.854
3. 811.854
18. 698
23. 682.708
VIII. 5. 732
13. 54
20. 20.107.285.473
707. 102
. 315
IX. 4. 621
5. 408
11. 493
18. 852
X. 4. 6
13. 165
XI. 6. 101
36. 850
XII. 9. 507
XIII. 1. 497.604
12. 248
XIV. 10. 19
23. 732.755
XVI. 20. 196.198.215

Ex I. ad Corinth.

I. 22. 195
II. 9. 46.54
11. 120.123.185
14. 566
III. 6. 505
7. 453
9. 518
16. 681
V. 4. 840
6. 264
VI. 3. 59.169
16. 811
19. 682
VII. 1.&c. 512.513.521.522.533 &c.
2. 727.754.804
3. 734
5. 804
6. 754
7. 738
8. 200
9. 737.754
10. 732.737
11. 810
12. 765
13. 732.800
15. 764.765
17. 738
25. 736
26. 739
27. 760.811
28. 765
32. 752
35. 739
36. 791.807
38. 734
39. 758.764.798.811. 834.835
X. 9. 12
13. 197.198
16. 528
. 199
XI. 3. 487
5. 139
7. 679.680
9. 517
XII. 6. 419.852
12. 521
XIII. 1. 155
2. 199
9. 226
12. 126.292.719
XIV. 17. 642
19. 673.674
22. 508
27. 533
XV. 28. 47
37. 53
38. 851
41. 41
45. 495.498.717
49. 488.679
52. 694
57. 215
. 54
. 60
. 95

Ex II ad Corinth.

III. 17. 106.107.707
18. 13.261.681
IV. 4. 60.169
6. 35.231.234.236
18. 20
V. 1. 562
VI. 14. 241.797.800
15. 169.796
16. 385
VII. 11. 199
IX. 10. 851
XI. 14. 60.199
XII. 2. 46.661
7. 199

Ex Epiſt. ad Galat.

I. 8. 139
9. 139
13. 207
14. 207
III. 1. 199
19. 139
24. 6
. 201
IIII. 4. 33.537
26. 48
. 199
V. 17. 698

Ex Epiſt. ad Epheſ.

I. 4. 18
11. 852
. 102
. 103
. 160
II. 2. 171.174
III. 9. 49
10. 61.62
. 123
IV. 9. 48
10. 48.49
16. 576
22. 681
24. 694.697
30. 133.134
V. 8. 702
23. 822
25. 805
28. 517
31. 516.517
VI. 1. 790
12. 167.169.171.173. 179.205.206.211. 213
16. 199
. 174
. 200

Ex Epiſt. ad Philip.

I. 23. 563
II. 13. 102.419.852
15. 428
IV. 8. 791

Ex Epiſt. ad Coloſſ.

I. 15. 678
16. 2.15.16.62.62.71
17. 712.849
18. 712.849
19. 682
10. 52.163
. 160
II. 9. 682
15. 106
18. 165
III. 1. 48
10. 681.698

Ex Epiſt. I ad Theſſalonic.

I. 18. 199
II. 18. 187
IV. 5. 830
4. 528
16. 49.60.96
V. 5. 242
23. 496

Ex II. ad Theſſalon.

I. 7. 60
II. 9. 192.205
11. 852
13. 195.207
. 202

Ex I. ad Timoth.

I. 15.16. 207
17. 640
II. 5. 159
11. 828
13.14. 690
15. 727
III. 2. 805
16. 537
. 739
IV. 1. 169.528.739.745.
3. 139
4. 240.534
V. 9. 759
12. 752.753
15. 200
21. 202
VI. 17. 200
. 100

Ex II. ad Timoth.

I. 9. 27
III. 1. 200

Ex Epiſt. ad Tit.

I. 6. 739
15. 733
III. 10. 798

Ex Epiſt. ad Hebr.

I. 2. 537
2. 236
3. 48.49.419.446. 678.849
5. 158
7. 59.61.123.370.
10. 486
11. 285
14. 135.139.140.143. 154.157
II. 2. 139
5. 135
8. 533
9. 135
. 159
III. 4. 605
IIII. 12. 48.119
13. 119
VI. 4. 176
6. 385
VII. 26. 48
VIII. 2. 437
IX. 7. 160
27. 578
. 48
XI. 1.
3. 5
10 48.55
XII. 2. 538
9. 612
18. 92
XIII. 4. 522.528.732.740. 750

Ex Epiſt. Iacobi.

I. 17. 41
II. 19. 177

V.	14.	458
		200
	Ex I. Petri.	
I.	12.	48.127.133
III.	7.	518.831
V.	8.	167.169.197.199. 200.
	Ex II. Petri.	
I.	13.	562
II.	4.	59
	.	74
	.	169
	.	171
	.	174
III.	4.	850
	8.	270
	10.	219 185.289
	Ex I. Iohannis.	
I.	5.	428
	17.	34
III.	3.	751
	8.	176
	9.	696
	.	248
	Ex II. Iohan.	
I.	10.	798
	Ex Epiſt. Iudæ.	
	6.	170.173
	9.	60.140
	Ex Apocal. Iohan.	
V.	11.	138
	13.	675
VI.	8.	59
	9.	642
	10.	642
VIII.	1.	202
	3.	186
	9.	55.56.642
	15.	641
IX.	11.	206
XII.	7.	60.138.169.173. &c.
	8.	197
	9.	169.197
	13.	200
	.	147
	.	599
XIII.	1.	205
XIV.	4.	675.756
	7.	16
XIX & XXII.	.	139
XIX.	1.	675
	10.	165
XX.	8.	200
XXI.	10.	58
	15 18.	55
	19.20.	395.396
	21.	56

III. INDEX
IN XV. LIBROS DE OPERIBVS DEI, VOCES, Phraſes, & Res obſeruatu digniores continens.

A.

ABSVRDA quæ ex impiorum immortalitatem animæ negantium errore naſcentur 643
Abyſſus, quid 227.228.
Academicorum error de anima mundi 605
Accidentia 256
Accidentia principiorum 220
Achates, lapillus pr. 396
Actiones dæmonum in humana aliáque corpora 185
Actiones animæ, ſecundùm partes ſuas 635.636.&c.
Adamas, lapillus pretioſiſſimus 396
Adamitæ hæretici turpiſſimi 527
Adamus, cur ita dictus 241
Adamus & Eua creati à Deo 484.485 ad imaginem & ſimilitudinem Dei 486.487
Adamus ex qua materia formatus 489. 490. qua forma præditus 491
Adamus quam animam acceperit à Deo 492.493.494.495.496
Adamus primus factus in animam viuentem, ſecundus in Spiritum viuificantem 497
Adamus quo in loco creatus eſt 498. & poſt creationem vbi collocatus 499. &c.
Adamus cur in horto Edenis poſitus 504.505
Adamus alloquio & interdicto Dei ad obedientiam inuitatus 506
Adamus ſopore graui tactus, & è cuius coſta vxor educta eſt, cuius myſterij typus 515.516
Adamus in ſtatu innocentiæ 526
Adami præſtantia ante lapſum 693. 696.&c.
Adami poſteri quomodo manſiſſent in iuſtitia originali, ſi lapſus non fuiſſet 703
Adamus cur in lapſu inexcuſabilis 712. qua gratia caruit 713
Adiutorium hominis 510.511
Adiutorium homini datum in quem finem 512
Adulteria damnata 525
Adulterium vna, certa, iuſtiſſima diuortij cauſa 815
Æquinoctialis circulus 438
Æquinoctium vernum 443
Aer, expanſio, Moſi Rakiah, quid 229. 230
Aer quo nomine appellatus à Moſe 274
Aer, tertium mundi elementum, quid ſit 314. cuius figuræ, & quot alterationibus obnoxium 314.315
Aeris regiones tres, in quibus meteora ignea, aerea, aquea gignuntur 273
Æs, metallum, deſcriptum 391
Æſtas, ab æſtu 435
Ætas inæqualis & impar in coniugio 816
Æternitas, attributum proprium vnius Dei 32
Æternitas quid 268
Ætites lapis 399
Affectus quales in Angelis 132.&c.
Affectus omnes in duo capita, quæ voluptas & dolor dicuntur, diſtincti 591.592
Africa quota terræ portio 414.415
Africus ventus 368
Agens & patiens naturale 306.307
Alteratio, quid 305
Alumen rochæ, ſcaiolæ, plumæ 400
Amethyſtus, lapillus pr. 396
Ampelites 400
Anabaptiſtarum delirium de perfectione refellitur 261
Anabaptiſtarum error de ſtatu animæ 555
Androgynos ab Ethnicis fictus 516
Angeli an nomine Cœlorum, initio contextus Moſis, expreſſi 15.16.17
Angeli & animæ humanæ ſunt immateriales 35
Angeli in genere conſiderati 57.58. horum nomina 59. ſubſtantia qualis 65. 66. an prorſus ſimplex 70
Angeli, an & quando creati 70.71.72. omnes creati ſunt boni 73. de eorundem mutabilitate & immutabilitate 75. apparitiones Angelorum 77.79. qualia corpora induerint 82. quem motum habeant 84. quem locum occupent 86
Angelorum numerus an ſit innumerus 89. an inter eos aliquis ſit ordo 92. & qualis ille ſit 92
Angeli an plures vno eodémque loco eſſe poſſint 88. horum numerus 89. hierarchiæ & ordines 91.92.&c.
Angeli boni quibus nominibus deſignentur 96.97.98. cauſa cur aliis cadentibus, alij in veritate perſtiterint 99. 100. Angelorum confirmatio in gratia 104. De libero Angelorum arbitrio 106. quam cognitionem habeant 108. modus huius cognitionis 110
Angeli boni an ſingularia & quæcunque hîc fiunt, cognoſcant 116. an noſtras cogitationes, deſideria & affectus cognoſcant 119. an futura & gratiæ myſteria 120. beata cognitio eorum qualis ſit 126. liberæ item voluntates & virtutes eorundem 129
Angeli boni quibus affectibus induti 132. quæ officia exerceant & quo fine 135. quomodo curent Dei electos 142. an alij aduerſus alios aliquando diſceptent 145. an pios nonnunquam deſerant 147
Angelorum bonorum mira potentia 148.149. Linguæ ac locutiones 155. miſſiones ad nos & apparitiones 157. 158. caput & Mediator 159.160. inuocatio 164
Angeli neque adorandi, neque inuocandi 165
Angeli mali quæ nomina habeant 168. peccatum eorum 170. quomodo peccarint 172. quot ſint numero 173. vnde eiecti, & in quem carcerem detruſi ac detrudendi 174
Angeli mali extrema malitia ac immunditia polluti 175.176. &c. quam cognitionem rerum futurarum habeant 181. cogitationes noſtras an & quomodo cognoſcere poſſint 185
Angeli mali qua potentia polleant 186. horum meræ actiones in humana aliáque corpora 187. eorundem potentia in animas noſtras 189. potentia item in edendis portentis 191. huius potentiæ limites 196. præcipua ſtudia & opera malorum Angelorum 198. diſtincta officia 205.207.

ſupplicia varia 208
Angeli an crearint animas 605
Angeli quomodo conditi ſint ad imaginem Dei 679
Angulus incidentiæ & reflexionis 350
Animæ etymon 462
Anima humana tribus conſtat facultatibus 495.497
Anima & Spiritus an differant 496
Animam eſſe diuinæ particulam auræ, quomodo ſit intelligendum 492
Anima humana diligenter conſiderata 554.555.&c. agitur enim de eius natura & eſſentia 560.561. de partibus & potentiis animæ, nempe vegetatiua, ſenſitiua, intelligente, 573. ad 597. de vnitate animæ humanæ 598
Anima humana vnde originem trahat 604
Anima humana non eſt ex traduce 608. 609. argumentorum pro origine animarum ex traduce refutatio 618
Animæ labes vnde 618.619.620
Anima humana quid habeat a parentibus 623
Animæ humanæ vnio cum corpore diligenter explicata 627.628.&c.
Anima vnitur corpori vt forma ſubſtantialis 628. eſt in corpore quod ſuſtinet, nec à corpore continetur 630. eſt tota in toto, & tota in qualibet parte 631. citra vllum medium corpori vnitur à Deo 633. cur hoc voluerit Deus 634.&c.
Animæ humanæ actiones 635. de immortalitate eiuſdem 638. ad pag. 677
Animæ vegetatiuæ, ſenſitiuę, intellectiuæ actiones 635.636.&c.
Anima cur difficulter ſeparatur à corpore 669
Animæ humanæ definitio 676
Animæ humanæ an, quomodo & quouſque nonnunquam potentiæ crudeli cacodæmonum ſubiiciantur 189
Animæ humanæ non omnes creatæ ſunt initio, ſed ſucceſſiuè in dies creantur 493
Animæ humanæ in ipſis creantur corporibus 493.494
Animarum humanarum origo perſpicuè demonſtrata, & à multis erroribus vindicata 604.605.&c. ad 628
Animæ ſingulorum, vt poſt formatum corpus creantur, ſic non niſi in ipſo formato corpore à Deo efficiuntur 626.627
Animarum humanarum immortalitas eruditè demonſtrata, & 25. ſolidis argumentis aſſerta 638.639.&c. ad 665. quæ contra hanc doctrinam impij proferunt, ſolidè refelluntur 665. 666. ad pag. 677.
Animæ hominum & brutorum non ſunt eædem 672
Animæ quo ſtatu ſunt ſeparatæ à corporibus 674.675
Animal viuens 496.497
Animalium generatio quo ordine fiat 215
Animalium perfectorum tria genera 462
Animalium ortus, cauſæ efficientes 464. materia prima & ſecunda, definitio 465. genera quatuor 466. Duplex animalium vſus 467
Animalia bruta an prædita ſint aliqua intelligendi & ratiocinandi facultate 474
Animalium ortus duplex, cauſæ efficientes, materia, forma, eſſentia, natura, genera, generatio, cauſa finalis 477. animalium terreſtrium ſpecialis conſideratio 477
Animalia omnia cur ad Adamum veniunt 514.515
Animantis terreſtria ſexto die creata, & quorſum 470. horum genera, nempe iumenta, pecora, domeſtica, feræ 471. ſpecies animalium terreſtrium non ſunt æternæ, horum cauſa efficiens duplex, perfectio, materia 471
Animantium ſeu animalium terreſtriū genera tria, horum definitio, partes, vis generationis, ſpiritus, cauſa efficiens ſecunda 472. mixtio, vtilitas & vſus eorundem 473
Animus. Vide Anima.
Anni quatuor partes vndè 435
Annorum conſideratio 436
Annus vertens, quid 438
Annus quas etymologias habeat 440. Eius genera: annus iubilæus: annus maximus 441
Annus quomodo menſuratus: annus Romanorum, vbi de diſpoſitione totius anni, ab initio ad finem 442
Annus Hebræorum, & menſes eius deſcripti cum collatione ad menſes anni Romani 442.443.
Antipodes an ſint, qui & quales 415 416
Anthropomorphitarum error 487
Anthropomorphitarum error de imagine Dei 679
Aorta ſeu arteria magna 553
Apollinaris error de animæ creatione 624
Apparitiones Angelicæ 157
Apparitiones cacodæmonum 182
Apparitiones diuinæ 515
Appetitus ſenſitiuus, quid, & eius partes 591
Apprehenſiua vis in ſenſus externos & internos diuiſa 578
Aqua, alterum mundi elementum, quid ſit, quàm ampla 313. figura & mobilitas eius 314
Aquæ initio creatæ, quid 228.230
Aquarum congregationes cur *Iamim* dictæ 242
Aquæ ſupra expanſionem, conſiderantur 276.277. Aquæ infra expanſionem 278. quomodo congregatæ in vnum locum, & quod nomen ſortitæ 279
Aquæ ſub firmamento ſeu expanſo conſideratæ 401.402.&c.
Aquę fontium, fluuiorum, lacuum, thermarum, vndenam fluant 410
Aquarum genera, varij vſus, admiranda effecta 411.412
Aquarius, ſidus 437
Aquatilia 462.463
Aquila, aſteriſmus 437
Aquilo, ventus 368
Arbitrium liberum hom. ante lapſum conſideratum 704.705 706.&c.
Arbor vitæ, & ſcientiæ boni ac mali deſcribitur 500.&c.
Arbores. Vide Plantæ.
Archangelus 60
Arcturus, ſtella 436
Arcus Dei, quid 349
Areæ in cœlo, quid 346
Argentum, metallum deſcribitur 391
Argentum viuum 400
Argumenta pro origine animarum ex traduce refutantur 618.619.&c.
Argumenta 25. pro immortalitate animarum noſtrarum 641.643.&c.
Argumenta contra immortalitatem animarum refelluntur 665.&c.
Ariani hæretici refutantur 489
Arianorum error de immortalitate animæ 555
Arida, terræ nomen 14
Arida, terra cur ſic dicta 289
Aries, ſidus 437
Ariſtotelis & aliorum argumenta pro æternitate mundi refutantur 25.26. 27.&c.
Ariſtoteles dogma de mundi æternitate retractaſſe videtur 33
Ariſtotelis mundum deſcribentis methodus 219.220.&c.
Ariſtoteles quid ſenſerit de anima humana 558.559
Ars quid efficiat 256
Arteriæ 549.550
Artes magicæ 200
Aſia quota terræ portio 414.415
Aſphaltum 405
Aſtra matutina, quid 61
Aſtra cœlorum in quem finem & vſum condita 427.&c. quid 429
Aſtra cœli qualis ſint corpora 430. quid in eis obſeruandum 431
Aſtra ſeu ſidera ſunt cœlis ſuis affixa, non autem corpora ab illis diuiſa, quæ per cœlos, vti aues per aerem mouentur 437
Aſtra, ἀπὸ τῆς ἀστραπῆς, à coruſcatione dicuntur 446. horum magnitudines & nubes 447. eorundem harmonia 448. influentia potentiſſima 451. quomodo conſideranda, & quibus includenda metis 453. an vim habeant in hominum voluntates 454. De Aſtronomia & Aſtrologia 455.456.&c.
Aſtrologia iudiciaria tota, vana eſt, impia, Deo execrabilis, proinde in Eccleſia Chriſti nullo pacto ferenda 458.&c.
Aſtronomorum obſeruationes 287
Atramentum ſutorium 400
Auditus, quid 582
Auerrois error de anima vniuerſali refellitur 601.602.603
Aues ex aquis productæ 462
Auguria 182
Aures 547
Aurora 245
Aurum metallorum nobiliſſimum, ſplendidiſſimum, flexile, non diaphanum, ſuauis odoris, nitidum, perfectum 390. vſus auri multiplex, & eximius 391
Auſter, ventus 368
Auſtrales venti 369.370
Autumnus, ab augendo dictus 435
Axiomata philoſophica certiſſima 385
Axiomata obſeruatu digna in diſputatione de peccati originalis in nos propagatione 618

B.

Beelzebub 169
Belial, quid & quis 169
Bellum Chriſtianum aduerſus cacodæmones 212.213.&c.
Benedicere verbi, variæ ſignificationes 468.469
Benedictio coniugij 528
Beryllus, lapillus pr. 396
Biſſextilis annus 442
Bitumen 400
Bohu, quid 225.226
Bolis, meteoron igneum 330
Bonum, quod Deus vidit eſſe & approbauit, quid ſit 234
Bonum Hebræis, id quod eſt vtile, iucundum, pulchrum & delectabile ſignificat 240
Bonum triplex, vtile, honeſtum, delectabile 511
Boreas, ventus quis & qualis 368.369
Brachia 549
Bruta. Vide Animalia.

C.

Cacodæmones. Vide Angeli mali.
Calamochus, lapis 399
Caligo. Vide Nebula.
Calor 393
Caluini pſychopannychia 642
Camphora 400
Cancer, ſidus 437
Canis cœleſtis 437
Capræ, ſeu ignes ſaltantes, meteora ignita 331
Capricornus, ſidus 437
Caput corporis humani 545.546
Carbunculus, lapillus pr. 396
Caro contegens oſſa corporis humani 544
Caro vna eſſe, quid 524.525
Caſus 256
Caſſiopeia 437
Cauſæ rerum, efficientes, materiales, formales, finales 255.256
Cauſæ ſecundæ quomodo in mundi gubernatione conſiderandæ ſint 854. 855 &c.
Cœlibatus an & quomodo ſit bonus 511.512
Cœlibatus conſideratio 736.737.&c. argumenta pro cœlibatu clericorum refelluntur 750
Cœli quando & quomodo à Deo ornati 427.&c.
Cœli, quid initio libri Geneſeos 13
Cœli, ſchamaim, quomodo diſtinguantur 46. cœlum beatorum quibus nominibus deſignetur 47. vbi ſit 48. quid ſit 50
Cœli ſphærici, & cur ita facti 437
Cœlorum perfectio qualis 537
Cœlum beatorum 46. an & vbinam ſit 47. quid ſit 48. an creatum 50.52. quas habeat qualitates 54
Cœlum beatorum non eſt ſubſtantia omnino incorporea 52. ſed eſt corpus licèt ſpirituale, & quale illud ſit 53. eius qualitates inſignes 54.55.56
Cœlum quo ſenſu æneum & ferreum appellatur 276
Cœlum & elementa vera corpora, primæ ac principes viſibilis mundi partes 281.282
Cœlum prima & præſtantior mundi pars, quotuplex 284 Cœlum medium an eſſentiæ ſit diuerſæ ab elementis 284. quid ſit 285
Cœlorum numerus & ordo 286.287. figura & motus 288.&c.
Cœlum cur tam variis coloribus, nempe flauo, rubro, fuſco, cœruleo, pictũ apparet 345
Cœlum Beatorum immobile 437
Centaurus, aſteriſmus 437
Cerebri cum corde ſympathia 551
Ceti magni 463.464.467
Cotes, lapides 397
Chalcidonius, lapillus pr. 395
Chalybs, metallum, deſcribitur 392
Chamæleon 477
Chaos, quid 225.226
Chaos tres partes habet 229
Chaſma, quid 344
Cherubim, vnde dicti 60
Chiddekel, fluuius horti 504
Chorus, ventus 368
Chryſopraſus, lapillus pr. 396
Chriſti & Eccleſiæ coniugium 516
Chriſti anima non eſt ex traduce parentum: etiam ſi humana eius natura, corpore & anima conſtans, ſit ex patribus 622
Chriſtus in quod cœlum conſcendit 48
Chriſtus mediator Angelorum 159. 160.&c.
Chriſtus autor omnis lucis in omnibus hominibus 246
Chriſtus in corde terræ tribus diebus quomodo 247.248
Chriſtus, Adami & Euæ atque omnium hominum eſt creator 486
Chriſtus imago Dei 486.487
Chriſtus, arbore vitæ figuratus 502
Chriſtus is eſt, qui tulit & poſuit Adamum in hortum, qui cum alloquutus eſt, & quem poſt peccatum Adamus audiuit deambulantem in horto 506
Chriſtus eſt imago Dei 678.679.682
Chronologi quid ſentiant de tempore creationis mundi 33
Chylus 552
Cibi hominibus & brutis dati 528
Cibi primis hominibus conceſſi 533. 534
Ciborum permiſſio 506
Ciconiæ aues 468
Circius ventus 368
Ciuitas cœleſtis deſcripta 51
Circuli cœleſtes, ab Aſtronomis ficti 291
Cygnus, aſteriſmus 437
Cogitationes cordium noſtrorum an cacodæmonibus pateant 183
Cognitio cacodæmonum qualis ſit 177. &c.
Cognitio in Angelis quadruplex 110. &c.
Collum humanum 549
Colores Iridis, veri-ne an apparentes 352. naturales proinde non facilè mutantur 353
Colores quid, veri aut apparentes, & veri coloris definitio 339.340. quomodo generantur 341
Columbæ aues 468
Coluri duo 438
Cometa mirabilis anno 1572. 434
Cometæ, ignita meteora, 330.331. vbi generentur, quam materiam, cauſam efficientem, & figuram habeant 332. quo colore, tempore, motu appareant & euaneſcant 333 cuius naturæ ſint, quo numero & cœli tractu videantur 334. de Cometarum prognoſticis 335.336. 337. definitio Cometæ 338
Comminatio diuina maximi momenti 508.509
Concubia nox 440
Concubinarius ad coniugium non admittendus 810
Conditio admodum varia, animi & corporis 668
Conditio impar in coniugio 816.817
Coniugia inſciis & inuitis parentibus facta conſiderantur 790
Coniugij prima & æterna lex poſita 521
Coniugij ſancti adumbratio 516
Coniugium Adami & Euæ conſideratum 727.728.&c.
Coniugium à Deo benedictum 528
Coniugium cum quibus perſonis non debent contrahere Chriſtiani 796. 797.803.806.&c.
Coniugium Euæ cum Adamo 518
Coniugium honorabile & licitum omnibus hominibus 735.736.&c.757. 758
Coniugium nouum contrahere quib. liceat, & non liceat 760.763. quibuscum poſſit & non poſſit contrahi 777. Coniugia inceſta inter conſanguineos 779.&c. inter affines 783
Coniugium ſanctum, vt conſecrandum ſit 829
Conſenſus liber in coniugio contrahendo requiritur 806
Conticinium 440
Continens maius contento 297
Corneolus, lapillus pr. 396
Cordis vſus mirabilis 551
Corpora ex elementis compoſita, duplicis generis 319
Corpora phyſica & organica 318
Corporis humani fabrica 542. materia 543. partes 544. totius formæ corporis partes præcipuæ 545.546
Corporum cœleſtium & ſuperiorum vis in terreſtria & inferiora 451.452, 453.454
Corpus animale & Spirituale 497
Corpus & anima quomodo vniantur 627.628.&c.
Corpus phyſicum materia & forma conſtat 220
Corpus quomodo moriatur 667.668
Corpus terminatum, interminatum, perſpicuum 339
Corruptibile omne qualem habet ſuæ durationis periodum 325. quod ſemel penitus corruptum eſt, illud idem numero iterum generari naturaliter non poteſt 326
Corruptio, quid 303.304
Cor, ſedes vitæ 550.551
Corui aues 468
Coſtæ 549.550
Craſſum 295.296
Creagus magnes 398
Creare, quid Moſi 9
Creatarum rerum multitudo, diuerſitas, diſtinctio 36
Creationis opera 118
Creationis rerum eximius ordo 459. 460.461
Creatio prima hominis quomodo conueniat cum ſecunda 485
Creatio rerum. Vide Mundus.
Creaturarum Dei multitudo, diuerſitas, diſtinctio 36.37.38
Crepuſculum 245
Crocodilus 477
Cuculus auis 468
Curſus cœli velociſſimus 258
Cuſtodes Eccleſiæ 173.142

D.

Dæmones. Vide *Angeli* mali.
Dæmones, nomen quibus tribuitur 63.64
Dæmones quomodo in corpora humana penetrent & ingrediantur 138
Dæmonia & Dæmonius 169
Decrementum, quid 304.305
Delphinus piſcis 468
Democriti inſania 8
Denſum 295.296
Deſertio Angelica quid 147
Deſertores fœderis coniugalis, quomodo tractandi 845.846
Deus creator mundi, quomodo 11
Deus (Iehoua Elohim) cauſa efficiens mundi, & ſolus mundi conditor 18
Deus actus puriſſimus & ſimpliciſſimus 30
Deus mundi creator à quibus fuit gloria illa ſua ſpoliatus 36.37.38.&c.
Deus quomodo, quatenus creator, à nobis conſiderandus 38.39.40 &c.
Deus quali cognitione præditus 118
Deus quomodo Angelorum opera, in noſtras tum mentes, tum voluntates agere dicatur 132
Deus cur Diabolis concedit poteſtatem falſa edendi miracula 195 &c.
Deus quomodo conſideratur 218
Deus Pater, Filius, Spiritus ſanctus, creator cœli & terræ 233
Deus quomodo vocat 242
Deus primum vnicum verum rerum principium 249
Deo cauſæ primæ inferiores & ſecundæ omnes inſeruiunt 315.316

Dei

INDEX III.

Dei ſapientia immenſa & bonitas in rerum creatarum conſeruatione & viuificatione 435.436
Deus incorporeus 487
Deus mandantis vel intercedentis authoritas quantum valeat 507
D ſapientia admiranda in fabrica humani corporis 512
Deus non eſt autor peccati originalis vel actualis 621
Deus eſt viuentium non mortuorum Deus 640.641
Dei prouidentia, iuſtitia, ſapientia oſtendit eſſe immortalem 653.654
Deus primum hominem cur creauit talem, qui peccare & non peccare poſſet 713
Deſerta perſona an coniugium contrahere poſſit 814
Deus mundi creator mundum curat & regit 849. atque ſingulas eius partes, reſque ſingulas 851. per ſeipſum & per cauſas ſecundas 853. non tollens humanæ voluntatis libertatem, rerumve contingentiam ac caſum 858
Deus huius ſeculi 169
Diaboli, tenebræ ſpirituales, diuiſi à luce, nempe à Dei electis 241
Diabolus. Vide Angeli mali.
Diaphragma 549
Dicere Dei, quid 233.234
Dictum Dei, quid 428
Dies triplicem habet ſignificationem 234
Dies, lux, cur & quomodo à nocte diſtinctus 241
Dies vbi nunc eſſe dicitur 242
Diei etymologia expenſa 243
Dies artificialis & naturalis 245.246 247.248
Dies apud varias gentes variè mutatus 248
Dies bifariam accipitur 432
Dies feſti & mediti 436
Dies quæ momenta habeat 438
Dies quomodo nominetur ab Hebræis & Græcis, naturalis & artificialis 438.439. partes Diei naturalis apud Hebræos 439. Dierum diſtinctio 440
Dies feſti, profeſti, intercisi 440
Dies ſeptimus cur benedictus & ſanctificatus 538
Dignitas hominis quanta 541.542.544
Dij, pro Angelis 60
Diluculum 245
Diluuij vniuerſalis non amplius futuri ſignum 355
Diſtinctio inter lucem & tenebras 230
Diuinatio ex aſtris examinata 454.455. 456
Diuinationes cacodæmonū quales dici poſſint 182
Diuortia damnata 525
Diuortia quid, quando, quibus, per quos, qua ratione concedi poſſint & debeant 832.833.&c.
Dolor cacodæmonum 208
Dominari ſeu dominatum habere in omnia animantia 531.532
Dominatio in omnia animalia homini conceſſa 689
Dominis, quid 61
Dominium aſtrorum quale ſit 433
Dormire quo ſenſu mortui dicātur 673
Dorſum 549
Draco & ſerpens antiquus, quis 169
Durum 295.296

E.

Eccleſia Dei lapillis pretioſis comparata 395
Eccleſiæ typus 505
Echenphias, quid 376
Ecſtaſis Adami 515
Eden, quid 499
Electi dei qua cuſtodia muniantur 143
Elementa quatuor & Cœlum, partes ex quibus primò compoſitus eſt mundus 281.282
Elementa, altera mundi pars, quid ſint, ſeu quam eſſentiā habeant 291. quot ſint 292. qualia 293. de primis eorum qualitatibus 293.294. de ſecundis 295. de motibus & figura eorundem 298. de circulari motu elementorum 300. de mixtione & tranſmutatione eorundem 301. de propria elementorum inter ſe tranſmutatione 308. de ſingulis elementis 310
Elementa duo nempe aqua & terra, è quibus materia tota meteororum ſumitur 318
Elohim, id eſt Pater, Filius, Spiritus S. vnus verus Iehoua, creauit cœlum & terram 12
Elohim & Spiritus Elohim, diſtincti 230
Elohim, nomen Dei, commune Angelis & magiſtratibus 489
Embryonis conſideratio, & an in eo anima vegetatiua generetur 599
Empyrium cœlum 14.50
Entelechia, quid 557
Entia quid, & quotuplicia 270
Epar, fons ſanguinis 550.551.552
Epicureorum de rerum creatarum multitudine, diuerſitate, diſtinctione, ſententia 36
Epicureorum impietas 640.642.665
Ethice, pars philoſophiæ quid complectatur 217
Eua quando & quomodo creata 510. &c. ad Adamum adducta, & in quem finem ei in vxorem data 518.&c.
Eua cur ex coſta viri non ex puluere terra formata 517
Eua an ante lapſum prolem ſuſtulerit 723. quales filios genuiſſet, ſi cum Adamo non peccaſſet 723.&c.
Euangelium ſalutis complementum demonſtrat 218
Euphrates, fluuius horti 503
Euronotus ventus 368
Europa quota & quàm beata terræ portio 414.415
Exhalationum duo prima genera, vapor ſcilicet humidus ac frigidus, & vapor ſiccus & calidus, ex quibus omnia meteora gignuntur 318
Expanſio, Rachia cur dicta eſt 241
Expanſio, quid apud Moſen 275.276
Expanſio cœlorum in qua Sol & altra reliqua, quid 429
Extenſio. Vide Expanſio.

F.

Faces, δαλοὶ, meteora ignita 330
Facultates altrix, auctrix, generatrix vegetatiuæ facultatis in anima 575.&c.
Facultatum animæ ſi vna ſit remiſſior, altera magis intenditur 668
Fax prima, quid Romanis veterib. 440
Feræ ſanguinariæ & venenatæ, quem vſum ſui præbeant 532
Ferrugineus magnes 397
Ferrum, metallum, deſcribitur 391
Feſta Iudæorum 436
Figura Sphærica omnium pulcherrima 283
Figuræ elementorum. Vide Elementa.
Filij Dei, Angeli 60.61
Filius Dei cur λόγος appellatus 234.235
Finis ad quem omnes reliquæ cauſæ referuntur, quid ſit 257
Firmamentum. Vide Expanſio 276
Fixarum ſtellarum locus, numerus, imagines, motus, magnitudo, figura, &c. 444.445. vide Stellæ.
Flagella Dei quos prodromos habeant 3.6
Flatus Dei in nares hominis 491.492
Flumina vnde originem ducant 409. 410
Fluuius egrediens ex Edene 502. diuiſio & capita eiuſdem 503
Fontes vnde originem ducant 410
Forma ſubſtantialis quid 253
Forma ſequitur materiam, quid ſit, & quotuplex 257
Forma omnium nobiliſſima 281
Formarum ſubſtantialium duo genera 564
Formica, œconomicę prudentiæ exemplum 474
Formicæ phantaſia & memoria mira 588
Fortis armatus, quis 169
Fortuna 256
Foſſilia conſiderantur 386.387
Foſſilia media, quid, & horum ſpecies 399.400
Fouea in aere quid 344
Frigus 293
Fructificare, quid 529
Frutices. Vide Plantæ.
Fulgetra quid, horum effecta, & differentia 361
Fulgur quid, quotuplex, quomodo fiat 360. in quo à fulmine differat 361
Fulmen, ignitum meteoron 356. quid ſit 357. quomodo generetur & quotuplex ſit 358. eius celeritas, vis, fragor, fulgor, tempus *ibid.* effecta multa, varia, mirabilia 359.360
Furioſi coniugium contrahere non debent 808
Futura verè contingentia, & quæ à libera voluntate pendent, vni Deo cognita, & quibus ea reuelare vult 120

G.

Gabriel Angelus quis 97
Gagates 400
Galaxias, vulgò via lactea, vel circulus lacteus, quid 342.343. magnum cœli ornamentum 344
Galeni ſententia de eſſentia animæ humanæ refellitur 556
Gallicinium 440
Gemini, ſidus 437
Gemmæ inter ſe ſunt diuerſæ quantitatis, qualitatis, perſpicuitatis, coloris, molliciei, duritiei, & virtutis 393. harum incrementum, differentia, vitia, generationes, genera, perſpicuitas 394
Generatio rerum 133
Generatio quid & quotuplex 303.304
Generatio in mundo non poteſt eſſe æterna, ſique nec corruptio 325
Generationes cœli & terræ 540
Genij 64
Giſchon fluuius horti 505
Grando, quid 384.385
Granedula & granula, quid 386
Gubernationis opera 218
Guſtus, quid 581

H.

Hæretici pertinaces à Chriſtiano coniugio arcendi 798
Hæreticorum mos 51.52
Halcyones aues 468
Halcyonius, lapis 399
Halos quid 346. eius ſignificatio 347
Harmonia cœleſtis quæ 448.449
Helias propheta 1.1
Herbæ. Vide Plantæ.
Herculeus lapis 397. eius vis mira 398
Herm æ'erroř de creatione animarum 605
Heroes 63
Hiatus in aere, quid 344

Hirci, Dæmones 168
Homicida, quis 169
Homo, cur dictus ἄνθρωπος, nempe ſurſum ſe conuertens, & cœlum reſpiciens 241
Homo. In hominis creatione conſiderantur. 1. Conſultatio Creatoris. 2. corporis & animæ hominis creatio. 3. hominis præſtantia & dignitas. 4. benedictio qua Deus effecit, vt ex duobus hominibus, maſculo & fœmina, poſſent innumerabiles propagari. 5. de cibis quos Deus hominibus principio conceſſit 479. 480. 481
Homo ſeptem de cauſis ſexto die creatus 481. 482. à Deo Patre, Filio, Spiritu Sancto creatus 483. non ab Angelis, neque à Patre ſolo 484. In hominis anima myſterium S. Triados, & vnitatis eſſentiæ diuinæ, lucet 485. Cur Moſes ter repetat verbum Creauit, quando de creatione hominis agit 485
Homo totus, corpore & anima, creatus ad imaginem Dei 486. nempe Patris, Filij & Spiritus S. 486. finalis cauſa huius creationis, & quidem multiplex: ex qua item materia 486. 490. qua forma eſſentiali 491. qua anima donatus & viuificatus 492. 493. 494. an eius anima tribus partibus conſtet 496
Homo totus nomine animæ deſignatus 497. factus ſua natura mortalis ibid. homo primus, & ſecundus, quomodo factus ibid. quomodo non bonum ſit hominem eſſe ſolum 511. dominus terræ, &c. 530. 531. 532
Homo creaturarum viſibilium perfectiſſ. 536
Homo quàm eximium Dei opus, & quanta ſit hominis dignitas 541. humani corporis fabrica 542. 543. &c. hominis anima 554. prima hominis ante lapſum 677. 678. &c. quomodo ad imaginem Dei, & in quem finem ita creatus 679. 680. &c. hominis ante lapſum originalis iuſtitia 693. liberum arbitrium 704. Vide Adamus.
Homo vnus, vna tantùm anima, tribus partibus conſtante, viuificatur 598. &c.
Homo non eſt ſolus imago Dei, neque ſolus factus eſt ad Dei imaginem 678
Homo totus ad imaginem Dei factus 681
Horæ diei & noctis, vt fuerint diſtinctæ à veteribus 440
Horizon, quid 354
Hortus Edenis. Vide Paradiſus.
Humeri corporis noſtri 549
Humiditas 293
Humores 551. 552
Hydrargyrum 400
Hyems cur ita dicitur 435
Hypochondrya. 552

I.

Iaſpis, lapillus pr. 395
Iehoua, Dei nomen, quid denotat 489
Ignes in cœmiteriis, atque ad patibula viſi 331
Ignis ſupremum omniúmque nobiliſſimum Elementum, quantum differat ab igne in materia craſſa lucente 316. Ignis elementaris conſideratio 317. 318. 319. 320
Imagines in cœlo apparentes 339
Imago Dei in homine, quid 486. 487
Imago Dei ad quam creatus homo, quid, quibúſve in rebus conſiſtat, & in quem finem voluerit Deus hominem ad imaginem ſuam creare 677. 678. &c. ad 693
Imbecillitas cacodæmonum 196. quid nos doceat 197. 198
Immunditia cacodæmonum 174. 175
Immortalitas. Vide Animarum humanarum Immortalitas.
Imperium bonorum Angelorum in malos 154
Impij, cur tenebræ nominentur 241
Impoſturæ nefandæ 194
Incaniationes 187
Inceſtuarij 779. &c.
Incrementum motus quid, & eius propria 304. 305
Incubare aquis cur de Spiritu Domini dictum 229. 230. &c.
Incubi & Succubi 203
Inepti ad coniugium hoc honore priuandi 808
Infideles à Chriſtiano coniugio arcendi 796
Infinitum, quid 271
Inimicus, quis 169
Innocentiæ ſtatus in Adamo & Eua qualis fuerit 526
Inſecta 471. 472. 479
Inſulæ ex terræ motu enaſcentes 375
Inſufflare in nares Spiritum vitarum, quid 491. 492
Intellectiuâ parte in anima humana diligenter conſiderata 593. &c.
Intellectus qualis remanſit in Angelis reprobis 176
Intellectus humani perſpicua conſideratio 593. intellectus patiens 594. Agens 595. practicus & ſpeculatiuus 596. vtriuſque vſus 597
Intellectus noſtri veræ actiones 636. 637. 638
Intellectus corruptio qualis 667
Intellectus. Vide Mens.
Intelligentiæ cœleſtes quid Peripateticis 64
Intempeſta nox 440
Interdictum arboris ſcientiæ boni & mali tria continet 507
Interitus hominis & bruti in quo conueniat & differat 672. 673
Inteſtina 553
Inuocatio Angelorum expenſa 164. 165
Iobus, vir admirabilis 219
Iris, meteoron eximium, quibus nominibus inſigniatur 349. eius radij horúmque reflexiones 350. ſubiectum quo producitur 350. cauſa efficiens à qua generatur 351. varij colores Iridis, vndenam generentur, quot ſint, & quomodo inter ſe ordinentur 352. Duplex Iridis genus 353. figura eiuſdem 354. in quibus mundi partibus apparere poſſit & ſoleat 355. Tempus apparitionis & ſignificationes Iridis 355. 356
Iumenta 462
Iunonis arcus 349
Iuſtitiæ diuinæ conſideratio 45
Iuſtitia Originalis an propria Adamo, & qualis fuerit 693. 694. &c.

L.

Lacus vnde originem ducant 410
Lapides, meteororum genus, conſiderari in genere, deinde ſpeciatim & propriè 391. horum genera quinque 393. mira de lapidibus 394. maiores vires in lapidibus quàm in plantis & animalibus 395
Lapides nigri, ſectiles 399
Lapilli pretioſi in ſummi Pontificis pectorali 395
Leges connubiales à Deo inſtitutæ 521
Leue 295. 296
Leo rugiens, quis 169
Leucippi, vide ſomnium ſomnium 8
Leue 295. 296
Lex redemtionis & ſalutis neceſſitatem demonſtrat 218
Lex, arbore ſcientiæ boni & mali figurata 502
Lex coniugij quot partes contineat 522. 523. 524
Liberum. Vide arbitrium 704
Libra, ſidus 437
Lien 550. 552
Lignum vitæ 501
Lineæ perpendiculares in cœlo 348. quid ſint 349
Lingua Angelica 155. 156
Lingua noſtra 688
Lycaonica facultas 592
Locus vnde electi, & in quem detruſi ac detrudendi ſunt cacodæmones 174
Locus, accidens rerum 210
Locus quid 271. quotuplex 272. quot modis aliquid dicatur eſſe in loco 273. de loco non phyſico 274
Locutiones & voces Angelorum 155. 156
Λόγος quas ſignificationes habeat 234
Lothi vxor in ſtatuã ſalis conuerſa 186
Lucernæ, λύχνοι, meteora ignea 330
Lumen, quo corpora fiunt viſibilia, duplex, proprium internúmque, alienum item & externum 340
Lumen à Deo mentibus humanis traditum 598
Luminaria in expanſione, quid 418
Luminaria duo magna 430
Luna quando & quomodo iuſſa eſſe in expanſione cœlorum 427. 428. &c.
Luna, luminare minus 430. 431
Lutheri ſententia de primigenia luce 239
Lux primigenia à quo, quomodo, quãdo, vnde, qualis, & in quos vſus creata 234. &c. vbinam fuerit 240
Lucis varia nomina & attributa 236. quid prima illa lux fuerit 237. 238
Lux ſpiritualis, quid: & cur nomen lucis, Dei electis attribuitur 241
Lux & luminaria tum create, tum increata, quid, & in quo differant 428
Lucis, primo die creatæ & è tenebris eductæ contractio in aſtra cœlorum 418
Lucis & luminaris diſcrimen quale ſit 449. lucis præſtantia 450. quomodo hi & effluit 451
Lydius lapis 397
Lyncurius, lapillus pr. 396

M.

Magia & magicæ artes 200. 201. &c.
Magiſtratus in diuortij cauſis officium 844
Magnes ſeu lapis herculeus, quid proprium habeat 394. 395. 397
Malitia extrema cacodæmonũ 174. 175
Maltha 400
Mammæ duæ 549
Mane, quid, & vnde dicitur 244. huius partes 245
Manichæorum blaſphemia in Deum creatorem 37. 43
Manichæorum error de creatione animarum 605
Manichæorum error de imagine Dei 679
Manus corporis 688
Mare magnum à quo collectum, eius origo, amplitudo, ſitus, locus, ambitus 401. 402. quomodo in a colligi & conſtringi potuerit 403. maris vnitas & pluralitas 404. de mutatione ſitus maris 405
Mare cur ſalſum 406. vnde ei hæc ſalſedo 407. maris æſtus eiuſdémque cauſa & diuerſitas 408. mare mediterraneum duplicem æſtum, nẽpe diurnum & menſtruum habet 409. cur nunquam exundet, etſi tot aquas recipiat

cipiat ſingulis momentis *ibid.*
Mare & maria, quid, & variæ appellationes 280.281
Maria verè Θεοτόκος 624
Marmora nobilia quinque generum, & variorum colorum 357
Materia prima mundi in tempore ex nihilo à Deo æterno creata 34.35
Materia prima, eius creatio, forma, ſubſiſtentia, proprium 251.252.253
Materia quomodo cauſæ efficienti ſubijcitur 256
Materia prima, quid 219
Matrimonia ipſo iure nulla, etiam ſi conſummata, nulla pronuntiari poſſunt 846
Matrimonium quid, quomodo ſit celebrandum, & conſeruandum 820.&c.
Matrimonium. Vide Coniugium.
Macedoniani hæretici Spiritus S. deitatem impugnantes refelluntur 489
Magnitudo mundi & partium eius finita 283
Manna, quid 381
Manichæorum de creatione differentium, impietas 473
Manichæorum, Deo corpus tribuentium error 487
Marcionitarum blaſphemia in Deum creatorem 37.43
Manus corporis hum. 549
Media nox 440
Membra corporis noſtri duplicem habent vſum 687
Memoria quid 586. eius vis, obiecta, organa, officium 587
Mens humana quid 565. præclara multa de Mente 566.567.&c.
Mens Hebræorum 442.443
Menſes, quæ momenta habeant 438
Meridianus circulus 438
Meridies 245
Meſopotamiæ fertilitas 499.500
Meſſalianorum error de animarum creatione 605
Metalla in communi conſiderantur, vbi de horũ ortu, natura, materia, cauſa efficiente, proprietate, ſplendore atque præſtantia 387.388. locus, incrementa, ſimplicium metallorum genera & mixturæ 389
Meteora, ex elementis compoſita, quænam corpora ſint 319.&c. horum cauſa efficiens poſt Deum 316. cauſa materialis, formalis, finalis, locus 317. præcipua meteororum genera quatuor, è quibus elementis horum materia ſumitur, & quæ genera ſint exhalationum ex quibus omnia gignuntur meteora 318
Meteora ignita duplicis generis, quam cauſam efficientem, quam materiam, formam, ſedem, ſubſtantiam habeant 329. horum nomina 330
Meteora non verè ignita, quid ſint 338. horum variæ ſpecies & appellationes 342
Meteora ignita, quid nos doceant, ſeu quotuplex ſit doctrinæ de meteoris ignitis vſus 362.363
Meteora aërea duplicis generis 363. horum deſcriptio & nomina 364.&c.
Meteora aquea, quid 378. horum materia, cauſa, locus, genera, nomina 379. 380.&c.
Meteora terrea quid 386. materia, genera, nomina 387.388.&c. ad 401
Michael archangelus contendit de corpore Moſis 140
Mineralia, quid 399
Mineralia. Vide foſſilia.
Miniſteria Angelorum 135.&c.
Miniſtri Dei 138
Mirabilia & miracula tum vera, tum falſa, quæ 193.&c.
Miracula vera quæ 194. quis ea facit 195
Miſſiones Angelorum ad nos 157
Mixtio multiplex, & quomodo fit 321. quomodo differt à generatione omnique mixtione 322
Mixtio elementorum. Vide Elementa.
Mixtum omne in terra reſidens ex quatuor elementis generatur 323
Mobile primum, quid 288
Monſtra 471.473.474
Montium, terræ motu concuſſorum, mira 375
Morbis inſanabilibus & turpiſſimis affecti non ſunt idonei ad coniugium 809
Moribundis quid eueniat 668
Mors propoſita homini Dei interdictum violanti, quid 508.509
Mors prima accuratè conſiderata 667. 668.669.670
Mors à piis nonnunquam cur expetita 676
Mortui quo ſenſu dormire dicantur 673
Moſis mundum deſcribentis methodus 219.&c.
Moſes quem ſcopum habuerit in deſcriptione Creationis rerum 6
Moſis methodus accurata 273.274
Motiua facultas partis ſenſitiuæ 589
Motrix facultas imperans & eius partes 592
Motus, accidens rerum 220
Motus doctrina multis theſibus tractatur 257.258. Mobilia 259. Motus Natura 260. In omni motu phyſico, quinque requiruntur, mouens ſeu motor, mobile ſeu res motui ſubiecta, terminus à quo, terminus ad quem, & tempus 262
Motus contrarietates, fines, vſus 265. 266
Motus genera ſex, generatio, corruptio, incrementum, decrementum, alteratio, loci mutatio 264. Motus ſpecies tres 264. Motus aut naturalis, aut violentus, aut animalis, aut voluntarius 264. Motus mutatio triplex 265. Motus localis ſimplicis ſpecies duæ, circularis & rectus *ibid.*
Motus elementorum bifariam conſideratus 298.299. Motus circulares elementorum 300.301
Motus Spirituales in electis Dei 300
Motus cœlorum, præſertim planetarum ſub Zodiaco, cauſa eſt generationis & corruptionis in omnibus mixtis 314
Motus duplex in Planetis 437
Mulier cur vira dicta eſt 241
Mulier cur creata & ad hominem adducta 511.512.513
Mulieres meretrices, profanæ, infames, vxores non ducendæ 813
Multiplicatio humani generis, vnde 550
Multitudo cacodæmonum 173
Mundus in genere conſideratus 17. huius cauſa efficiens 18
Mundus non eſt æternus neque æternus eſſe potuit 22. argumenta contra mundi æternitatem, à philoſophis inuectam 23.24.25.&c. Mundus quando creatus 33. num ex materia aliqua præiacente, an ex nihilo 34
Mundus quàm varias, multas, diſtinctas creaturas contineat 36. à quo acceperit eas 39.40.&c.
Mundus duabus ex partibus, cœleſti & elementari compoſitus 274
Mundi viſibilis primę partes 281. perfectio 282. vnus eſt mundus viſibilis 283. Mundus alterius generis, nempe ſupercæleſtis locus, quid 284
Mundi partes ſingulæ bonæ ſunt, & totum melius ſuis partibus 536
Mundi anima qualis à quibuſdam conficta 604.605
Mundi gubernatio conſiderata 847 848
Mundi ſapientiſſimè à ſuo creatore adminiſtrati conſideratio quid nos doceat 860.861.862
Muſculi 549
Muſica aliqua an motui Cœlorum & aſtrorum tribuenda ſit 448
Myſteria ſalutis Angelis ignota, niſi per Deum reuelentur 124
Myſterium magnum 516
Myſterium magnum in creatione & redemptione mundi 537

N.

Naphtha 400
Naſus & nares 546
Natura, quid & quotuplex 219
Natura, principium motus internum in rebus motis immanens 250
Natura quid efficiat 256
Nebula, quid 380
Nerui 549
Nihil fieri poſſe ex nihilo, quo ſenſu dicitur & intelligitur 28.29
Nix, quid 384
Nomina rebus impoſita quem vſum habeant 241
Nominum etymologia 142.143
Nomina gentilitia Cœlorum 287
Nomina indita animalibus 514
Nomina Angelorum in genere 59.60. &c. in ſpecie; bonorum Angelorum 97 Malorum item 168
Notiones communes quid, & earum officium 637.638
Notus, ventus 368
Nouaculæ Indicæ 397
Nox ſpiritualis, vbicunque Chriſtus non regnat ſuo ſpiritu 242
Noctis etymologia expenſa 243. eiuſdem vſus 243.244
Nox diem præceſſit 248
Nox quid 432
Nox in quot partes ſeu vigilias diſſecta 440
Nubes quid 341.381. harum ſitus duplex & varia quantitas ac multiplex color quid efficiat 342
Nuditas Adami & Euæ ante lapſum quid nos doceat 528
Numerus dierum apud Moſen conſiderandus 248
Nuptiarum cõſecratio & celebratio 828

O.

Obiecta ex ſacris literis contra animarum immortalitatem diluuntur 672.&c.
Occaſus ſolis 440
Occidentales venti 368
Oceanus, à quo collectus in vnum locum, ingens aquarum receptaculum, indeficiens, vndque ex præcipuis primiſque mundi partibus 400. Situs & locus Oceani 401. nunquam ſe loco mouit, aut mutabit vnquam ſitum ſibi à Deo conſtitutum 406. eius æſtus 408
Oculorum artificium mirabile 546
Officia Angelorum 135
Officia cacodæmonum diſtincta 205. 207
Olfactus, quid 581
Onychinus lapis 396
Opera Creationis in duo genera diuiduntur 5. quo animi affectu contemplanda 5
Opera præcipua cacodæmonum 198. 199
Opera duplicia Dei

Opera Trinitatis ad extra, ſunt indiuiſa 233
Operæ diſtributæ poſt primam creationem in rerum è terra naſcentium productione 540
Orbes cœleſtes mobiles nouem 286. 287
Orbis vniuerſus 14
Orbis lacteus 342
Orbis vniuerſi amplitudo 413
Ordinatio diuina, quanti ſit momenti 272
Orichalcum, metallum deſcribitur 392
Orientales venti 368.370
Origeniſtarum opinio de creatione rerum 37.43
Origenis error de creatione animarum 605.627
Ortus & interitus rerum, vt conſiderandus 666
Os cum dentibus, lingua & palato 547
Oſſa corporis hum. 544
P.
Paradiſus ſeu hortus Edenis, vbi, & quid nos doceat 504. typus Eccleſiæ 505
Parelij quid 347. horum ſignificata 348
Particulæ temporis 438
Partes vegetatiuæ, ſenſitiua, intellectiua animæ humanæ 574
Pater impiorum 469
Paradiſus, ſeu hortus Edenis, in quo Adam collocatus eſt, conſideratus 493.497. &c.
Peccatum Angelorum 170.172.174
Peccatum originis diligenter conſideratum in diſputatione de origine animarum 618.619
Pectus humanum 548
Perfectio mundi 282
Perfectio cœli & terræ 537
Pericardium 550
Perſeus, Aſteriſmus 437
Perturbationes animæ vnde, & earundem mirí effectus 670
Petroleum 400
Phantaſia quid, & eius officium 585. 586
Philoſophia meditatio mortis 670
Philoſophiæ definitio 217
Philoſophi in quot errores inciderunt de mundi principijs acturi 8
Philoſophi quæ nomina Angelis impoſuerint 63
Philoſophi veteres Græci quid de animarum immortalitate ſenſerint 645 646.647 648.649 650. &c.
Philoſophiæ naturalis lectio & vſus 223.224
Philoſophorum veterum ſententia de animæ humanæ creatione 614.615
Philoſophi Ethnici, de mundi gubernatione inſipienter ratiocinati ſunt 847 848
Phyſice, quid 217.218
Phœnix auis 468
Phyſices vſus 224
Phyſiognomiæ vſus 524
Planetæ 286
Planetæ quando in expanſione & quomodo 427.428.&c.
Planetæ duplicem motum habent 437
Planetarum numerus, nomina 444
Planetæ ex terra productę 417. quid nos doceant 418. harum cauſa efficiens duplex, prima Deus, conſequens terra 419.420. duobus modis (naturali & artificioſo) producuntur 421
Plantæ duas ætates habent, & quæ in iis ætatibus conſideranda ſint 421. in quo ab arboribus differant, & quis vſus ſit contemplationis plantarum 422. doctrinæ aliæ inſignes ex conſideratione plantarum & ſtirpium colligendæ 423
Plantæ compoſita corpora, eáque perfecta, anima vegetabili prædita, qualibus facultatibus prædita 424. harum generatio, partes ſeu membra, excrementa, ſemina, ætates, genera tria prima, quorum innumerabiles ſpecies & differentiæ, atque adeò infiniti & incomprehenſibiles vſus 425. 426
Plantatio Dei 499
Plato quid ſenſerit de anima 559.560
Platonici quid de dæmonibus ſcripſerint 205.206
Platonicorum error de anima mundi 605
Platonicorum error de animarum creatione 627
Pleiades, ſtellæ 436
Plumbum, metallum, deſcribitur 392
Pluuia, quid 381. quotuplex 382. cur ſit ſæpiſſime, & cur pluuię ſigna non ſint contemnenda 383
Piſces ſidus 437
Piſciculus naues remorans 468
Piſon fluuius horti 503
Poli duo, arcticus & antarcticus 438
Pollutæ non in vxores ducendæ 309
Polygamia damnata 525
Polypus piſcis 468
Pomponatij error de anima humana 555
Pontificis Rom. ſumma impudentia 430
Portenta diabolica 191.192
Potentia Angelica 148
Potentia dæmonum quanta ſit 184 185
Poteſtates, quid 61.62
Poteſtates aeris 169
Pœnæ cacodæmonum 174
Præſtigiæ dæmonum 187
Præcognitio cacodæmonum qualis 181
Praxeas hæreticus verſipellis 52
Presbyterium Eccleſiaſticum quomodo cognitor & iudex cauſarum matrimonialium 840
Preſter meteoron ignitum, quid 361. eius materia & forma 362
Princeps mundi 169
Principatus, quid 61
Principes aeris 169
Principia prima & cauſæ creationis rerum 233
Principia prima rerum 249
Principia quædam philoſophiæ certiſſima 384 385
Principium, de quo Moſes, quid 9
Principium rerum vnicum, verum, veréque primum, quod ſit 249. alterum principium à primo illo profectum & internum 250
Priſcillianiſtarum error de creatione animarum 605
Priuatio quid & quomodo conſideranda 254
Prognoſtica & portenta varia 335. &c.
Prometheus, quis 490
Promiſſiones vitæ æternæ 641
Propatres & promatres an cum profiliis coniugium inire poſſint 814
Proportio qualis in mixtione elementorum 322
Prouidentia Dei non tollit voluntatem hominis, rerúmve contingentiam ac caſum 858
Pruina, quid 381
Pugna quam habemus & habere nos vult Deus cum diabolis 212
Pulmones 553
Pulſatio interna quid 589
Pumex, lapis 399
Pyropus, lapillus pr. 397
Pythagoreorum metempſychoſis 54
Pythagoræ error de anima mundi 605
Q.
Quadrupedes. Vide animantia terreſtria.
Quadrupedia animalia ouipara 477
Qualitates naturales elementorum, primæ & ſecundæ 293 295
Quæſtiones variæ ad ſtatum primi hominis ante lapſum pertinentes 715
Quæſtiones. Vide V. & poſtremum Indicem, Quæſtionum Illuſtrium.
Quies Dei die ſeptimo 537.625
R.
Radius triplex, rectus, reflexus & refractus 349
Rapta non eſt vxor ducenda 755
Ratum 295
Rectores huius mundi, qui ſint 169
Reconciliationis per crucem Chriſti factæ ſignum 356
Redemptionis opera 218
Regeneratio hominis quomodo cum eius creatione conueniat. 485
Regiones aëris 327
Reminiſcentia quid à memoria differat 587
Reminiſcentia an poſt mortem ſublata 667
Renes 553
Replere terram, quid 530
Reptilia 462 463.468
Reptilia varia 472
Reptilia. vide Aues & Piſces.
Repudiantes & repudiatæ ſine legitima cauſa coniugium nouum an contrahere poſſint 810
Res tribus modis producuntur 540
Reſpiratio 590
Reſurrectio glorioſa quali ſymbolo adumbrata 430
Reſurrectionis noſtræ confirmatio 498
Ros, quid, à quo, in quo tempore, loco 380. eius proprietates 381
S.
Sabbathum 436
Sabbathi primi ſanctificatio 538
Sadducæorum impietas 640
Sagitta fulminis 358. Sagitta Iouis. i. Iehouæ 362
Sagittarius, ſidus 437
Sal, quid & ad plurimos vſus datus 399
Sal petræ, ammoniacum, gemma, nitrum, halinitrum 400
Salamandra 477
Salomon ſapientiſſimus rex 219
Sanctificatio ſept. diei 538 539
Sanguis 551.552
Sapphirus, lapillus pr. 395
Sarcophagus magnes 398
Sardius, lapillus pr. 396
Sardonix, lapillus pr. 396
Satan. Vide Angeli mali
Scientia boni & mali 508
Scorpio, ſidus 437
Seleuci error de creatione animarum 605
Senſitiua pars animæ humanæ diligenter explicata 578
Senſus noſtri tum interni tum externi, quomodo ab Angelis moueantur 151
Senſus interni & externi miris modis à cacodæmonibus faſcinantur 190
Senſus externi & interni cum ſuis organis 547
Senſus externi 581. interni 583. Senſus communis 584 585
Sententiæ variæ de imagine Dei in homine 679.&c.
Septentrionales venti 370
Septum tranſuerſum 549
Seraphim, vnde dicti 60

Ser-

Serpens antiquus 168
Serpens mobilis in cœlo, quid 231
Serpẽtes 478. horum ſpecies & genera *ibid.*
Serum dici 446
Siccitas 293
Sidera. Vide Aſtra.
Siderum ſeu Aſtrorum officia & vſus varius 431.432.&c.
Signa duplicis generis in Sole, luna & aliis ſideribus 433
Silices 397
Simile 108.1.2.109.1
Simile in diſſimile agens 307
Simile elegantiſſimum de Sole. & Anima 629.630.&c.
Simonis Portij error de anima humana 555
Smaragdus, lapillus pr. 395
Smiris, lapis 399
Socrates ſapiens & verè philoſophus 556
Sol an ſit lux primo die creata 238. quomodo ex illa formatus 239
Sol quomodo Iridem efficit 351.352.353.354
Sol corpus lucidum, non Deus 430. luminare maius *ibid.*
Sol quomodo & quando à Deo iuſſus eſſe in expanſione cœlorum 427.428. &c.
Solis & lunæ vſus multiplex & varium officium 431.432.433.&c.
Solis curſus 437
Solis lumen cum anima in corpore comparatum 629.630
Somnus alius Adami, vnde 515. cur immiſſus 516
Somnus quid, & eius conſideratio 588
Sopor cadens ſuper Adamum 515
Sophiſmata aduerſus doctrinam de animæ eſſentia & natura refelluntur 572.573
Sortilegia 182
Spatium accidens rerum 220
Spatium durationis & loci 269
Sphæræ cæleſtes 286. harum numerus, inæqualitas & curſus 289.290
Spina dorſi 549.550
Spiraculum vitarum, quid 491
Spiritus, pro Angelis 59
Spiritus adminiſtratorij 139.143
Spiritus malus quis 168. Spiritus mendax & auctor mendacij, Spiritus immundus, fornicationum, peruerſitatum, vertiginis 169
Spiritus Pythonis 169
Spiritus domini motitans ſeſe ſuper aquas 229.230
Spiritus S. Cauſa conſeruatrix & ſuſtentatrix mundi 231.232
Spiritus S. afflatus 370
Spiritus, pro anima 495
Spiritus vitales & animales 551.552.553.554
Spiritus, an ſit anima intellectiua, vt quidam volunt 599
Spiritus abire & non redire quo ſenſu dicantur. 675
Splen. Vide Lien.
Splendores nocturni in cœlo 346
Sponſalia quid, horum genera, cauſæ 730. celebratio & benedictio 731.732
Sponſalia verbis de futuro contracta quibus de cauſis dirimi poſſint 818.819.820
Sponſalia, quæ dirimi & non dirimi debent 847
Stannum, metallum, deſcribitur 392
Statua ſalis 186
Stellæ lucis, quid 61
Stellæ fixæ quando & quomodo in expanſione cælorum 427.428
Stellarũ numerus nobis innumerus 429
Stellarum differentia 430
Stellæ traiicientes vel transuolantes, meteora ignita 330. Helenæ item ſtellæ, atque Caſtoris & Pollucis 331
Stellę lactei circuli & Zodiaci, ſuis imaginibus & aſteriſmis diſtinctæ 437
Stellæ diligenter conſideratę, vbi de eſſentia & natura ſtellarũ 443. de partitione, numero, ſitu, nominibus earundem 444. de ſtellarum motu, magnitudine, figura 445.446.447. de ſtellarum animis 448. de ſtellarum officiis, vbi de luce, influentia & prognoſticis earundem agitur 449.&c.
Stellio 477
Stipulæ, meteora ignita. 330
Stirpes. Vide Plantæ.
Stoicorum error de creatione animarum 605
Studia præcipua cacodæmonum 198
Subiectum vnum non poteſt pluribus vnà eſſentialibus formis conſtare: idque in quovis rerum genere 616
Subiicere terram, quid 531
Subſolanus vẽtus quis & qualis 368.369
Subtile 195.196
Succi concreti 399
Succubi. Vide incubi.
Sulphur 400
Superficies 271.272
Supplicia cacodæmonũ 208.209.210.211
Suſtentatores cur Angeli dicti 64
Symbola & aſymbola quæ 308.309
Sympathia miranda inter cerebrum & cor 551

T.

Tactus, quid 581
Tartarum, quid 399
Tartarus, quid 171
Tartarus, pro Oceano 410
Taurus, ſidus 437
Tempora ſtata quid 435
Tempus creationis mundi 33
Tẽpus quomodo & quãdo factum 31.32
Tempus accidens rerum 220
Tempus, quæ menſura & quàm efficax 267. quid ſit, vbinã ſit, quas partes habeat, quænam ei ſint obnoxia 268 269
Temporis duplex ratio & vnde naſcatur 437
Tempus quid, vnde dictum, & eius partes 438
Tenebræ, quid 226.227
Tenebræ quid, & quomodo diuiſæ à luce 240
Tenebræ quot horis fuerunt ſuper faciem abyſſi 246
Tentator 169
Terra quid initio libri Geneſeos 14
Terra initio creata, quid 224.225
Terra cur Arets dicta 241
Terræ pars quænam primùm fuit luce illuſtrata 246
Terra, cur primùm Arida dicta eſt 180. eius varia nomina *ibid.*
Terra elementum, centrũ & fundamentũ, ſupra quod reliqua firmata ſunt, quid ſit 310. non ſuper maria, ſed ad maria fundata eſt 311. nullum præter ſe ſuúmque pondus habet fundamentum 312. an rotunda ſit 312. quanta ſit terræ in circuitu magnitudo 313
Terrę motus, aereum meteoron admirandum 370. qua materia & cauſa efficiens terræ motus, vnde colligitur, quid ſit 371. de ſpeciebus, loco & tempore terræ motus 372. de duratione & ſignis eiuſdem 373.374. de effectis admirandis terræ motus 375
Terra perfecta partitio 375
Terra habitabilis, quam Moſes aridam vocat, quanta ſit 411 412. de partitione, commodis, ſitu, forma eius 413. de natura & vſu terræ 414.415
Terra hominib. in dominium data 528
Terram replere, ſubiicere, & ſub poteſtate habere, quid 530.531.532
Terræ perfectio qualis 537
Thaumantis filia cur Iris dictá 349
Theologiæ definitio 217
Theologi officium 218
Theologorum veterum varians ſententia de animarũ origine 605.606.&c.
Thermæ vnde originẽ ducãt 410. harũ genera, vſus, miranda effecta 411.412
Thorax corporis humani 548.549
Thracius lapis 460
Throni, quid 61.62
Tigris, fluuius orci 503
Tohu, quid 225.226
Tonitru, quid & eius genera 377
Trabes, δοκοὶ, meteora ignita 330
Tranſmutatio elementorum. Vide elementa.
Turbo, quid 376.377
Tutores an cum pupillis fœdus coniugij facere poſſint 815
Typhon, quid 376

V:

Vacuum 271
Vaticinatio cacodæmonum qualis 181
Vena caua & vena portæ 552
Venæ 549 550
Vegetatiua pars animæ humanæ, diligenter explicata 575
Venter & ventriculus 549.550.555
Vẽti in S. Scriptura celebrati 363. quid ſint & quam efficientem cauſam habeãt 364. ventorum motus, generatio, loca 365. vẽti definitio 366. Ventorũ numerus 367. à quibus mundi plagis & partibus ſpirent 368
Ver cur ita dicitur 435
Veſpera, quid, & vnde dicta 244.245
Vires variæ ſenſitiuæ partis in anima humana 589.590
Vigiles, cognomẽn Angelorum 61
Vigiliæ conſideratio 588
Virgo, ſidus 437
Virgulæ, ῥάβδοι, meteora ignita 330
Vis cacodæmonum quanta ſit 184
Vis motrix partis ſenſitiuæ 589
Viſio noſtra triplex, recta, reflexa, refracta 350
Viſus, quid 582
Vitæ Chriſtianæ motus conſideratione digniſſimus 262
Vitæ ſpiraculum quid 490.491.492.493.494.495.496
Vitæ arbor & fructus 500.501
Vita quid 558
Vitæ conſeruatio vnde 577.578
Vitæ æternæ duplex participatio 673
Vitalis vis duplex, pulſatrix & reſpiratrix 589.590
Vitriolum 400
Vitrum 400
Vnio animæ cum corpore 627.&c.
Vnitas animæ humanæ quomodo conſideranda, & quæ extrema habeat 598
Vniuerſi perfectio 537
Volatilia 462 463 464.467
Volucres 478.479
Voluntas praua cacodæmonum 175
Voluntas hominis libera quid efficiat 256
Voluntas. Vide Mens.
Voluntatis humanæ officium 658
Vortex, quid 376
Vrbes ex terræ motu funditus euerſæ 375
Vxor in quem finem ducenda 512.513

Z.

Zephyrus, ventus quis & qualis 368.369
Zodiacus conſideratus cum ſuis circulis 437.438
Zonæ quinque in quas terra habitabilis ſecari ſolet 414
Zoophyta 462.465. an à Deo creata 466

IV. INDEX, AVCTORVM VETERVM ET NEOTERICORVM IN XV. LIBRIS De Operibus Dei citatorum Nomina continens.

LECTORI.

Quum innumera penè occurrerent nobis teſtimonia in his 15. libris citata, quæ Indicem multarum paginarum repleuiſſent, maluimus nomina authorum tibi indicare, ut ex tanto numero colligas, & quam eximius fuerit vir D. Zanchius, & quàm præclaris laboribus militantem Dei Eccleſiam nominis ſui memoria deuinxerit: Simúlque ad diligentem rerum tot teſtium dictis confirmatarum indagationem acuaris.

1. Claſſis.
APocryphi libri.
Septuaginta interpretes.
2. Concilia.
Agathenſe.
Ancyranum.
Arauſicanum.
Arelatenſe.
Aurelianenſe.
Bracarenſe.
Cabilonenſe.
Chalcedonenſe.
Conſtantinopolitanum.
Epheſinum.
Francofurtenſe.
Lateranenſe.
Milonitanum.
Moguntinenſe.
Neocæſarienſe.
Nicenum.
Triburienſe.
3. Theologi veteres.
Ambroſius.
Arnobius.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Baſilius magnus.
Beda.
Bernardus.
Canones Apoſtolorum.
Chryſoſtomus.
Clemens Alexandrinus.
Cyprianus.
Cyrillus.
Damaſcenus.
Damaſus.
Didymus Alexandrinus.
Dionyſius Corinthius.
Dionyſius Hierarch.
Epiphanius.
Eucherius.
Euſebius.
Fulgentius.
Gelaſius.
Gennadius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Romanus.
Heſychius.
Hieronymus.
Hilarius.
Hugo de S. Victore.
Ignatius.
Irenæus.
Iſidorus.
Iuſtinus Martyr.
Lactantius.
Leo primus.
Maxentius.
Nyſſenus.
Olympius.
Origenes.
Photius.
Proſpe[r]
Ru[...]
T[...]
Theodoretus.
Victor Vticenſis.
Vincentius Lyrinenſis.
4. Hiſtorici Eccleſiaſtici.
Egeſippus.
Euagrius.
Euſebius.
Hiſtoria Tripartita.
Ioſephus.
Nicephorus.
Philaſter.
Philo Iudæus.
Sozomenus.
Socrates.
5. Epiſcopi Romani, quorum mentio in Decretis.
Alexander III.
Cæleſtinus.
Clemens III.
Gregorius IX.
Innocentius II.
Innocentius III.
Leo II.
Lucius III.
Nicolaus.
Stephanus.
Syricius.
Victor.
6. Ius Canonicum.
Decretum Gratiani.
Decretales.
Extrauagantes.
Sextus.
7. Canoniſtæ, Scholaſtici & Scriptores Pontificij.
Alb. Pighius.
Alfonſus Caſtrenſis.
Auguſtinus Steuchus.
Caietanus Cardinalis.
Dominicus Sotus.
Epiſcopus Clugienſis.
Franciſcus de Zabarellis.
Franciſcus Toletus.
Gregorius Ariminenſis.
Hoſtienſis Cardinalis.
Iohannes Eckius.
Petrus Lombardus.
Platina.
Thomas Aquinas.
8. Theologi neoterici.
Henricus Bullingerus.
Franciſcus Vatablus.
Immanuel Tremellius.
Iohannes Brentius.
Iohannes Caluinus.
Martinus Bucerus.
Martinus Lutherus.
Paulus Fagius.
Petrus Martyr.
Philippus Melanchthon.
Sanctes Pagninus.
Theodorus Beza.
Wolfgangus Muſculus.
9. Auctores Claſſici, recentiores.
Æneas Syluius.
Alexander ab Alexandro.
Beatus Rhenanus.
Cælius Rhodiginus.
Conradus Lycoſthenes.
Deſiderius Eraſmus Roter.
Franciſcus Vicomercatus.
Gaſpar Contarenus.
Georgius Agricola.
Henricus Cornelius Agr.
Hieronymus Cardanus.
Hieronimus Fracaſtorius.
Iacobus Schegkius.
Ioannes Fancçius.
Ioannes Iouianus Pontanus.
Ioannes Lucidus.
Ioannes Ludouicus viues.
Ioannes Franciſcus Picus.
Ioannes Picus Mirand. C.
Ioannes Vuierus.
Laurentius Valla.
Marſilius Ficinus.
Olaus Magnus.
Paulus Conſtantinus Phrygio.
Petrus Crinitus.
Petrus de Seuilla.
Petrus Pomponatius.
Polydorus Virgilius.
Simon Portius.
Thomas Eraſtus.
10. Rabini.
R. Aben Eſra.
R. Dauid Kimchi.
R. Salomo.
Paulus Burgenſis.
Petrus Galatinus.
Targum Ieroſolymitanum.
Volumen Oracul. Sibyllinorum.
11. Iuriſconſulti veteres & recentiores.
Inſtitutiones Iuſt.
Iuris Ciuilis corpus continens Digeſtorum, Codicis, Authenticarum & Nouellarum Libros.
Leges XII. Tabularum.
Barnabas Briſſonius.
Hugo Donellus.
Melchior Klingius.
12. Philoſophi veteres.
Academici.
Anaxagoras.
Ariſtoteles.
Auerroes.
Democritus.
Empedocles.
Epictetus.
Epicurei.
Leucippus.
Mercurius Triſmegiſtus.
Peripatetici.
Pherecydes.
Platonici.
Plato.
Plotinus.
Philoponus.
Porphyrius.
Proclus.
Pſellus.
Pythagorici.

Seneca

Seneca philoſophus.
Simplicius.
Socrates.
Stoici.
Thales.
Theophraſtus.
Xenophanes.
Xenophon.
Zoroaſter.
Zeno.

12. *Aſtrologi, Geographi, Grammatici, Medici, Rhetores, Claſſici & Critici.*

Ælianus.
Æſopus.
Albertus magnus.
Aſtrologi veteres & neoterici.
Auicenna.
Cicero.
Cornelius Celſus.
Demoſthenes.
Dicæarchus.
Dinarchus.
Dionyſius de ſitu orbis.
Galenus.
Gellius.
Macrobius.
Marcellinus Hermog. interp.
Nonius Marcellus.
Phauorini lexicon.
Plinius.
Plutarchus.
Ptolemæus.
Priſcianus.
Serenus.
Strabo.
Suidas.
Varro.
Vitruuius.

13. *Hiſtorici Græci & Latini.*

Dionyſius Halicarnaſſeus.
Eutropius.
Herodotus.
Iulius Obſequens.
Lampridius.
Luitprandus.
Paulus Diaconus.
Quintus Curtius.
Saluſtius.
Spartianus.
Suetonius.
Tacitus.
Titus Liuius.
Valerius Maximus.
Zonaras.

14. *Poëtæ Veteres Græci & Latini.*

Alcmæon.
Catullus.
Euripides.
Euſtathius Homeri ſcholiaſtes.
Heſiodus.
Homerus.
Horatius.
Lucanus.
Menander.
Orpheus.
Ouidius.
Phocylides.
Plautus.
Pythagoræ aurea Carmina.
Silius Italicus.
Tibullus.
Virgilius.

V. SEV POSTREMVS INDEX,

QVÆSTIONES ILLVSTRES

Accuratè explicatas continens.

ACTIONES animæ humanæ quales eſſe debeant 636. 637. 638.
Affectus an ſint in Angelis, & quo ſenſu eis tribuantur 122
Arbitrium liberum hominis ante lapſum an opus habuerit gratia Dei 710
Bonis an malè ſit, malis autē bene 850
Adamus an adiutorio opus habuerit, & quomodo 511
Adami inobedientia quomodo animis noſtris imputetur, & in eos transferatur contagio, ſi non ſunt ex traduce 611. 612
Adamus an cùm rectus creatus ſit, hoc eſt in ſanctitate & iuſtitia, donū etiā perſeuerantiæ acceperit nec ne 698
Adamus an corpore mortali an immortali donatus 715
Adamus an viderit Deum facie ad faciem, necne 719. an habuerit rerū omniū, & ſalutis æternæ ſcientiam 720 an omnes habuerit virtutes 722
Angeli an verè exiſtant verǽq; ſint ſubſtantiæ 65. quales item ſubſtantiæ 66. corpora an angelis affingēda 67. qualia corpora habeant 69 quādo creati ſint 70. quonam loco 72. an omnes ex æquo boni initio 73. an omnes immutabiles 75. an verè & quomodo appareant. 77. quibus modis ad patriarchas mittebantur 79. quæ ratio in illorum veſtitu & victu 82. an localiter, in tēpore, aut in inſtanti moueantur 84. an & quomodo ſint in loco 86. an plures angeli, in vno & eodem loco eſſe poſſint 88
Angeli boni an propria habeant nomina 97. cur perſtiterint in veritate 99. quæ ſit eorum libertas 106. qua cognitione præditi ſint 108. 110. &c.
Angeli boni qua virtute & poteſtate præditi ſint 129
Angelus certus an cuique homini deſtinatus, an plures 142
Angeli quo ſenſu Deo miniſtrare, & tamen ad nos mitti dicantur 158. cur nobis vt Patribus non appareant 159
Anima an rectè nominetur auræ diuinæ particula 492
Anima primi hominis num extra vel an intra corpus creata 493
Anima num vna, vel plures, in homine 496
Anima humana an ſit ex traduce 608. 615
Anima munda cur immundo corpori coniungitur 618
Anima quomodo ex coniunctione cum corpore peccato inficitur 619. 620
Anima quomodo in ſanguine 625
Animam corpori coniunctam eſſe, & vtroque hominem conſtare cur Deus voluerit 634
Anima cur ægrè diſcedit à corpore 669
Anima humana quid, quas facultates habeat, an vna, vnde, quomodo corpori vnita, quid efficiat, & an immortalis 560. &c. ad 677
Anima hominis qua ratione ad imaginem Dei facta 683. 684. 685
Animæ omnes humanæ an mundi initio creatæ, vt ſuo tempore in corpora creata infunderentur 493
Animæ an plures in vno homine: an verò vna tantùm in omnibus hominibus: an vna in vnoquoque homine 598. 599
Animæ quando, à quo, & vbi creentur 626
Animæ an poſt ſeparationem à corporibus, priuentur cogitationibus ac cognitionibus 674
Animalia cur tam multa homini inimica 473
Animalia, cum homini adiutorio vario eſſe poſſint, cur tamen nulla inter eos Adamo occurrit quæ commoda & in auxilium eſſe poſſent 514. 515
Animantia terreſtria cur non quinto die creata 470
Arbor vitæ ad quid Adamo profuit 716
Cælum beatorum an vbique ſit, vel nullibi 47. 48. 49 quis ſit 52. 53
Chriſtus an & quomodo Angelorum bonorum mediator 159. 160
Chriſtus quo ſenſu imago Dei nominatur 678. 679. 682
Ciborum delectus an & qualis, ante diluuium Noe 534. 535
Cognitio Angelorū an perfecta ſit 115
Corpus hominis quomodo ad imaginē Dei conditum eſt 686. &c.
Corpus Adami ante lapſum an animale, an ſpirituale 717. an paſſionibus obnoxium necne 718
Deus an compoſitus, ideo quod in creatione mundi à potentia ad actum tranſiſſe videtur 30
Deus cur dicitur benedixiſſe piſcibus & auibus, non autem iumentis, aliiſque beſtiis terræ 469
Deus creare volens hominem, cur conſultatione vtitur 482. quos alloquitur: dicens, faciamus hominem ad imaginem noſtram 483

Deus an ſcipſum in corde ſuo ſit allo- quutus, dum creare voluit hominem 483
Deus quo ſenſu dicitur in nares primi hominis inſufflaſſe ſpiritum vitarum 491.492.&c.
Deus quomodo ſit allocutus Adamum, & cur interdixerit ne comederet de fructu arboris ſcientiæ boni & mali 506
Deus cur è coſta Adami, non ex terra, Euam creauerit 517
Deus quo ſenſu die ſeptimo quieuiſſe dicitur 537.538
Deus cur non eſt autor peccati infundens animam mundam in corpus immundo ex ſemine conceptum 621
Deus quo ſenſu viuentium, non mortuorum Deus dicitur 641.642
Deus cur Adamum facere noluit qui peccare non poſſet: ſed talem, qui nō peccare & peccare poſſet 713.714
Diſſidia an inter Angelos noſtri cauſa incidant 145.146
Dominatus rerum quomodo Adamo & eius poſteris conceſſus 532.533
Filij quomodo & quo vſque naſcuntur parentibus ſimiles 625
Homines omnes quo ſenſu in Adamo peccaſſe dicuntur 622
Homo cur vltimum ſit operum Dei 451.481
Homo quomodo mortalis & immortalis creatus 497
Homo an bene ſit ſolus, & quali adiutorio opus habeat 511
Homo vnus an plures habeat animas: num item omnes homines vna tantùm anima vniuerſali viuificentur: aut potius, num quiſque vna ſua anima tribus partibus conſtante viuificetur 598.599.&c.
Imago & ſimilitudo Dei quid ſit, & quo ſenſu homo dicitur ad eam creatus 486.487
Imago Dei an homo ſolus, & an ſolus ad imaginem Dei factus: num etiam tam corpore quàm anima, an verò ſola anima: quid ſit hæc imago: & cur homo ad imaginem Dei creatus 677.678.&c.
Iuſtitia Originalis Adami ante lapſum, ſubſtātiane fuerit, an accidēs 700.701
Maria cur Deipara dicitur 624
Monſtra à quo ſint, & quomodo poſſint eſſe bona 473
Mundus an habeat aliquam ſui efficientem cauſam, & quænam illa ſit 17.18. an ſit æternus 22. quando & an ex materia præiacente, an verò ex nihilo creatus 33.34. à quo 38.39
Mundus an æternus, quòd cauſa eius efficiēs, ſufficiēs, efficax, ſit ab æterno 30
Mundus an & qua ratione gubernetur atque regatur à Deo 849.850
Peccatum an in Angelos cadere potuerit 170. quo ordine in peccatum lapſi ſint Angeli reprobi 170. quando id acciderit, & quo in loco 171
Peccatum originis quomodo inuadit ſobolem noſtram 618
Perturbationes animæ an eiuſdem immortalitatem oppugnent 670
Sancti cur gignant liberos originali labe inquinatos 517
Status Adami & Euæ ante lapſum, qualis fuerit 526
Terra an ſuper aquas fundata ſit 312. quomodo verè dici poſſit eam in ſuo loco moueri & non moueri 312

FINIS.